BIBLIOTECA NAZ.
139
I
42
NAPOLI

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
139
I
42
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google


IOSEPHI RICCI
BRIXIANI
Cler. Reg. Cong.nis Somaschæ
Rerum Italicarum sui temporis
Narrationes
SPQ


Digitized by Google

IOSEPHI RICCII
BRIXIANI
CLERICI REGVLARIS
CONGREGATIONIS SOMASCHÆ
RERVM ITALICARVM SVI TEMPORIS NARRATIONES

Quibus omnia bella, euenta, notabiles caſus continentur, quæ ab anno 1613. vſque ad annum 1653. in Italia acciderunt.

AD EMINENTISSIMVM, ET REVERENDISSIMVM
Principem

CARDINALEM FRANCISCVM
BARBERINVM.
S. R. E. VICECANCELLARIVM.



VENETIIS, Apud Turrinum. M. DC. LV.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Eminentiſſimo, & Reuerendiſſimo Principi

FRANCISCO CARDINALI
BARBERINO
S. R. E. VICECANCELLARIO

Felicitatem, & gloriam.

VEreret hoc tantulo honorario tuam amplitudinem veneraturus adire, Eminentiſſime Princeps, niſi me timentem, tua benignitas, & facilitas, & præſentis conditio muneris confirmaret; quod licet ad tantæ celſitudinis Heroem exiguum, primitium tamen eſt, non niſi Deo ipſi offerri ſolitum; cui omnium rerum primitias pro lætiori prouentu prima quaſi naturæ liba ſacramus. An non primitium appellem? ſi primum Latinum opus Italica bella, atque euenta complectens poſt integrum ſeculum, & ferè dimidium, à Paulo ſcilicet Iouio prodit in lucem? Nemo enim ex illo, quod nouerim, Italicas res Latino ſtylo perſequutus eſt. Quod igitur nouum, inuſitatum, ſolum, primitium Numinibus tantum, & magnis Principibus conſecrandum, quolibet alio pretioſo munere tibi gratius, & charius debet accidere, quamuis exiguum: cum minuſculis etiam donarijs melius vel ipſa Numina veneremur, operemurque paruo, atque accenſis facibus, & modico thure litemus. Nè igitur muneris tenuitatem tua ſublimitas indignetur; quæ nullis paribus tantæ magnitudini rebus ſatis dignè coli poteſt: inferius erit omnino tui animi ornatuum claritati; quidquid vis obſequentiſſimæ conabitur voluntatis. Tam altè tua ſe extulit virtus, vt mortalitatis faſtigium prætergreſſæ illi æquale moliri quæcunque eloquentiæ non poſſit induſtria. Præcellentium tuarum virtutum numerus omnem dicendi obruit facultatem; nam quidquid de tuo mentibus obijcitur, in ſui admirationem trahit; in quæcunque incurritur laudum præconia merentur. Efferunt tua ſe ſe omnia plena dignitatis, gloriæ, magnificentiæ, ſplendoris; idemque ſemper eſt tuæ inconcuſſæ virtutis perpetuus tenor; & animi conſtans ſublimium habitus dotum. Obſtupuit mortalitas omnis te Iuuenem vicaria, inuictaque ceruice Chriſtiani orbis pondera ſubeuntem, fulcientemque ſtrenuè, donec magnus tuus Patruus Atlas ſpiritum à nimio grauiſſimi oneris ſuſtinendi labore reciperet: immo illud iam grandæua ætate fatiſcens in tuos ſæpius humeros reclinauit; nec melius Alcidis quondam dorſo rerum moles librata pependit; quàm tuæ impoſita ceruici Pontificij Imperij machina immota ſtetit incolumis. Porrò quæ in tanto rerum humanarum culmine virtutum latè ornamenta non explicaſti? quæ pietatis, munificentiæ, mode-

Digitized by Google

moderationis, quod rarum eſt in ſumma fortuna, non exempla feciſti? Quare te moderante, tuique vicem Patrui ſuſtinente, ea omnia ſenſere commoda vectigales; quibus ſub prouido, ſapiente, prudente, clementeque Principe ſtipendiarij fruuntur. Aptè ſanè tuis gentilitijs inſignibus apes affingis,ex quarũ labore non niſi mella à mortalibus delibantur;quòd ex tui munifici ſuauitate ingenij beneficia tantùm, bona, ſalutariaque in omnes effluxerint. Nec intra Italiæ limites ſolum tuarum virtutum fulgor enituit; exteris etiam gentibus mirificum earum iubar affulſit: legatus enim pacis ſequeſter ad præcipuos Chriſtiani nominis Reges vt ſæuientia in populorum pernitiem bella componeres; hoſtilesque ruentium in arma Principum dexteras iungeres; qua robuſtæ, neruoſæque eloquentiæ efficacia non peroraſti; vt tuæ claritatis interiectu furentes cruenti Martis,pacatis animis,turbines ſerenares? Te Hiſpani, te Galli proceres, te vtriuſque regiæ purpurati doctiſſimo ore promentem oracula ſuſpexere; veluti ſi antiqua Romana maieſtas, atque vniuerſa Quiritum curia in te vno loqueretur: valido tuæ facundæ vocis impulſu Reges flexiſſes ad pacem; niſi mutuis offenſis aſperati in bellum ita incaluiſſent animi, vt mota iam arma in ſtatiua reuocari non poſſent. Non hìc de te panegyricum texo,ſed epiſtolam ſcribo; cuius breuibus anguſtijs innumera, ac maxima tuarum virtutum ornamenta velle complecti; inſanæ eſſet audaciæ. Omnia mittam in compendiũ,tua vita, ſiue inculpabiles mores,ſiue glorioſa geſta,ſiue excelſi animi pretia, aut exactæ viuendi rationes ſpectentur,tota panegyricus eſt. Hoc erit tantum ad noſtri tibi deuotiſſimi animi declarandum inſigne, profitendaque erga te nomina; quæ ſicuti expedire noſtra Congregatio maximè cuperet; ita illorum multitudo, ac magnitudo non patitur. Accipe dumtaxat noſtri debiti pignus perpetuique futuri obſequij authoramentum. Damus,quæ ſola poſſunt à tenuitate, ac facultate noſtra proficiſci:tuis innumeris in nos meritis habere ſanè gratiam poſſumus, non referre; tuæ fortunæ ſublimitas non admittit remunerandi vicem;nec noſtrarum anguſtiæ rerum eadem reponendi poteſtatem. Quod verò ad me priuatum attinet; meis à me rebus optimè conſultum puto; cum te tutelarem Heroem meo in publicum prodeunti operi præcipuum quæſiuerim; qui illud ab oblatrantium cauillis, atque obtrectationibus tueretur. Nullum enim validius præſidium ad tutelam,aut maius decus ad ornatum, aut præſentius auxilium ad ſecuritatem meis narrationibus adſciſcere potuiſſem; quàm ſi Barberinos honores, tuique glorioſi fulgorem nominis earum fronti prætexerem. Te igitur auſpice, ductore, patrono meum opus in mortalium conſpectum audaci greſſu procedit ab omni liuore, ac dicacitate ſecurum. Quod ſi ſannio aliquis punget, veluti tuum ab omni morſu,tuo quoque vindice Numine tueare. Vale.

Datum Venetijs in Seminario Patriarchali die 20. Menſis Decembris anno 1654.

T. E. Reuerendiſſimæ.

Humillimus,addictiſſimus, & obſequentiſſimus ſeruus

D. Ioſephus Riccius Clericus Regularis Congregationis Somaſchæ.

L E-

LECTORI.

EDitis Germanicis bellis, ad Italica ſcribenda animum appuli: quæ neminem à Paulo Iouio latinum ſcriptorem exequutum eſſe hactenus ſcio: quaſi latinè ſcribendæ hiſtoriæ vſus penitus exoleuerit. Terrebat me opus aggreſſurum rei arduæ difficultas, laboris magnitudo, pericula, quæ plerumque ab horum temporum ingenuis ſcriptoribus ſubeuntur; ingraueſcentis ætatis imbecillitas huiuſmodi iam grauia ſcribendi onera reſpuentis: ſed metus præcipuè, ne, cum de viuentium Principum geſtis ſcribendum eſſet, quid meo calamo iјs minus placiturum excideret; qui ſicuti vel tenui ſpiritus oris afflatu ſpeculi nitida læuitas offuſa caligine tenebreſcit; ita ſi quid ingratius, aut liberius dictum imprudenter elapſum eſt; vel minimo perperam acceptæ acore voculæ offenduntur; tunc enim verò ſcriptori aptandæ humeris alę, atque ab eorum ira in ignotas terras celeriter auolandum; nè ex ſuis laborib. pro gloriæ fructu calamitatem aliquã metat. Immò & ipſi priuati patritij ſcriptori minitabũdi ſuccenſent, ſi eos in nudanda veritate, vel leuiſſimè pupugeris. Huius me diſcriminis cogitatio à ſcribendis rerum Italicarum euentibus auertebant. Rurſus amicorum hortamenta, preces, flagitationesque, vt hoc præclarum facinus amplecterer, animabant. Dubium hærentem, atque in ancipiti decreto nutantem tum demum illud Plinianum, in quod fortè intèr legendum incidi: Beatos puto, quibus Deorum munere datum eſt, aut ſcribenda facere, aut ſcribere legenda. qualibet hortatione potentiùs impulit; vt ſtrenuè ſcribendi onus ſubirem. Alacri igitur, fidentique animo feliciter auſpicor opus. Vix primam rerum narrationem abſolueram, cum in alias omnino curas abreptus tantum non cæpto operi vale dixi. Sublatis tamen, Deo propitio omnia benè vertente, rerum difficultatibus, inſtiti diligentiùs narrationibus perficiendis; easque ad vmbelicum perduxi. Putabam mihi deinceps cętera proſperè ceſſura, nihilque prohibiturum; quominus opus typis imprimerem; cum mihi aliud difficilius obiјcitur per vincendum, illius ſcilicet vulgandi exprimenda facultas. Tum nihil mihi ægrius, laborioſiusque factum eſt; quàm vt illam à ſuperioribus meis extunderem: immo mihi diſertis verbis imperatum eſt ſeriò, vt iſta ſupprimerem; cum maximè periculoſum ſit huius temporis euenta, ſucceſſusque edere; nec iram in factorum iniquitatem ſcripto profiteri, nec degeneres bellantium animos carpere liceat: nec ſilere mortalium improbitas ſinat; nec mentiri ſcriptoris patiatur munus, iuxta periculoſo ſeu vera, ſeu falſa promantur. Tandem mea obſtricta fide, me omnia cauilla, dicteria, acerbiùs, mordaciùsque dicta ſedulò correcturum, imprimendi operis extorſi precibus facultatem. Sed quanta mihi ante patientia in retexendis liberioribus dictis deſudandum fuit? quot loca aliquibus aſperſa cauillis damnata tollenda? Faſtidiebam nimis acerbam Criticorum cenſuram ſingulis ferè lineis aliquid vellicantem. Expunge hoc, aufer iſtud, iſta ne tangas, molliùs hæc, parciùs iſta, abſtine dicto, acriùs pungis, hæc ſcripta lædent: vt me centies pænituerit hos damnoſos ſcribendæ hiſtoriæ futuros labores ſuſcepiſſe; quando nuda rerum veritas exprimi ſine pernitie non poſſit. Verum his etiam vtcunque ſalebris complana-

tis,

tis, opus ſummà cum animi mei lætitia tandem aliquando prælo ſubieci. Habes igitur, Lector, per ſummos labores deſudatum opus, per maximas contentiones impreſſum, per plurimas difficultates in hunc habitum adductum; ſed adeò omni verborum acore abſterſum, vt ſi minus ſapiat, non in ſcriptoris fatuitatem ingenij, ſed in horum vitia temporum tibi culpa reijcienda ſit; quæ perperam facta ſugillari, ſuasque inſidias, & dolos neque obliquè traduci ſinunt. Nimiæ fortaſſe audaciæ accuſabor ab aliquo, quòd in tanta doctorum hominum huius eruditiſſimi ſeculi copia, qui me longè ornatiùs, elegantiùs, & meliùs hiſtoriam ſcribere, opusque ſententiarum luminibus diſtinctum texere potuiſſent; perniciosum tamen laborem auerſati glorioſi futuri ſui nominis fama contempta, prorſus ſcribendo abſtinuerint; ego ſolus cæteris audacior mearum virium imbecillitatis ignarus alijs formidatum opus aggreſſus inconſultò me præcipitem in multiplex diſcrimen iniecerim. Sed dabis veniam, Lector, atqui hoc ipſum me potiſſimum ad Italicas res latino ſtylo exequendas adegit; quòd à nemine hactenus ſcriptas eſſe compererim; vt non inita diu, nec trita aliorum veſtigijs laudabili auſu graderer via, meaque veſtigia, non aliena calcarem; & ne omnino latinis ſcriptoribus ſterile noſtrum ſeculum videretur; de quo admodum dolenter nuper Patauij doctiſſimi viri, ac philologi querebantur. Ego vtcunque iſtorum ſeu impleo vota, ſeu tollo querelas. Ipſi ingenuè, amicèque facient, ſi non opus fortaſſe mendoſum, generoſi ſaltem animi magna conantis auſum aliqua commendatione dignentur.

D. Hieronymus Gallianus Præpoſitus Generalis Congregat. Somaſchæ.

CVM opus Patris D. Ioſephi Riccij Brixiani noſtræ Congregationis, rerum Italicarum narrationum aliquot eiuſdem Congregationis Patres Theologi recognouerint, & in lucem edi poſſe iudicauerint; facultatem concedimus, vt typis mandetur, ſeruatis ſeruandis. In quorum fidem præſentes manu noſtra ſubſcriptas, ſigilloque noſtro munitas dedimus.

Papiæ in Collegio noſtræ reſidentiæ Sancti Maioli Calend. Nouemb. 1654.

D. Hieronymus Gallianus Præpoſitus Generalis Congreg. Somaſchæ.

D. Euangeliſta Comendulus Secretarius.

INDEX

Digitized by Google

INDEX LATINA
ANTIQVA NONINA
SVIS QVIBVSQVE LOCIS
Vrbibus Caſtellis, pagis, villis, & fluminibus reddita.

A

AQuę Statellonum.	Aequi
Aquæ Gradatæ	Grado
Abiatum	Biagraſſo
Auguſta Prætoria	Villaſranca
Auguſta Bacciеноrum	Baſſignana
Anaxus	La Piaua fiume
Allieniacum	Legnago
Argous portus	Porto Ferraio nell'Iſola dell'Elba
Atella	Auerſa
Aletium	Lecci
Abellinum	Auellino
Alanconium	Alanſon
Anxanum	Lanciano
Amantia	Amantēa
Aternum	Peſcara

B

BAtaui	Ollandeſi
Berinſona	Belinzona
Beſtiarium	Biſtagno
Bugellæ	Biella
Bodincomagum	Bondeno
Beſidianum	Biſſignano
Brunduſium	Brandizzo

C

CAferoniana	Graffagnana
Clitellæ	Le Langhe
Claraſcum	Chiraſco
Clauaſium	Ciuas
Camuni	Valcamonica
Curia	Coira
Caranianum	Carignano
Conſedie	Buglione
Carni	Friuli
Carni	Cairo terra nel Paueſe
Caſtrum Gallorum	Caſtel franco appreſſo Bologna
Claſtidium	Schiatezzo
Coryton	Cortona
Cluſius amnis	Chies
Cluſium	Chiuſi città
Coſſa	Orbitello
Callaris	Cagliari
Cuperſanum	Conuerſano
Cliternum	Celano
Caſtella	Caſtiglia
Caſtrum Stiliconis	Caſtiglione nel Milaneſe
Caſtula	Caſtiglione nella Toſcana
Cæqueni	Li Berneſi

D

DIania	Oneglia
Dan a palus	Le Chiane

b Eca-

Digitized by Google

E	E
ECana	Troia in Neapolitano Regno
Oenipons	Iſpruch
Aedui	Borgognoni
Eporedia	Iurea
Ericis portus	Lerici
Aegillium	Iſola del Giglio
F	F
FOntium comes	Conte di Fuentes
Ferentanum	Francauilla
Fregellae	Ponte Coruo
Feritor	Biſagno fiume
G	G
GRatiana	Gradiſca
Gamundium	Caſtellacio terra appreſſo Aleſſandria della Paglia
Godium	Goito
Gildum	Ghet
Griniacum	Graſſa
Grumentum	Saponata
Gardiſtallum	Guaſtalla
H	H
HOſtilia	Oſtia nel Mātoano
Herculanum	Torre del Greco
Hiſtonium	Vaſto
Heraclea	Terranuoua
I	I
IRia	Scriuia
Iadera	Zara
Iuſtinopolis	Pola
Iria	Sartirana
Iulia Taurica	Mirandola
Ilua	L'Elba Iſola
Inarime,& Aenaria	Iſchia Iſola
L	L
LIndauia	Lindò
Lamacum	Lamego
Luſitania	Portogallo
Laletania	Catalogna
Ligeris	Garigliano fiume
Lucullanum	Caſtel dell'ouo
Laus Pompea	Lodi
M	M
MEtamaucū	Malamocco
Montio	Monzone
Mons politianus	Montepulciano
Megaris	Caſtello dell'ouo
Maſſicus mons	Rocca di Mondragone
Mantua Carpetanorum	Madrit
N	N
NIcia	Nizza della Paglia
Nicaea	Nizza di Prouenza
Natiſo	Liſonzo fiume
Noreia	Goritia
Nanetes	Nansì
Nicia	L'Enza fiume
Neritum	Nardò
Neſis	Niſita
O	O
ORopitum	Oruieto
Orton	Ortona
P	P
PHaria	Leſina Iſola
Policinium	Poleſine
Piſtorium	Piſtoia
Prochyta	Procida Iſola
Paleplis	Poggio Reale
Petilia	Altamura, e Pitigliano
Piceleon	Pighettone
Pompeanum	Torre dell'Annonciata

R	R
RVſcino	Roncilione, e Perpignano
S	**S**
Sebuſiani	La Breſſa
Salaſſij	Val d'oſta
Salutiæ	Saluzzo
Seſithes	La Seſia fiume
Seduni	Li Valeſani
Spira	Bozzolo
Saxina Vallis	Valzaſna
Sabinianum	Sauigliano
Seguſium	Suſa
Sueſſiones	Soiſons
Sagis	Porto di Goro del Pò
Scultenna	La Panara fiume
Sinueſſa	Seſſa
Sabulum	Sabionetta
Stabiliæ	Caſtell'amare

T	T
TRidinum	Trino
Tuſcania	Toſcanella
Telomartius	Tolone
Truentum	Tronto fiume
Tifernum	Città di Caſtello
Tergeſtum	Trieſte
Thebæ Lucaniæ	Luzzi
Triumpilini	Valtrompia
Theate	Chieti
V	**V**
VEromandui	S. Quintino
Vrſo nis	Oſſuna
Vicus Iriæ	Voghera
Veruca	Verua, e Monfalcone
Volturena	Valtellina
Vicus Varonis	Figarolo
Vſens	Chienti fiume
Viglebanum	Vigieuano
Volceium	Bucino
Veſontio	Beſanzon
Vitellianum	Viadana
Vaprium	Vauer

Finis Indicis.

INDEX
RERVM MEMORABILIVM,
quæ in hoc opere continentur.

A

ABduæ comes in Allobroges mittitur. pag. 42
Hoſtibus inſtat. ibid.
Eius victoria. ibid.
Abellini Principis virtus. 768
Adriatici maris Imperium penes Venetos eſt. 76
Aemilia bello ardet, & Vmbria. 5
Alba Pompeia capitur ab Allobrogibus. 19
Allobrogum populationes, & ſęuitia. 14
Allobrogum copiæ à clade reparantur. 33
Earum periculum. 35
Allobroges pyrio puluere exuruntur. 43
Albernotius Cardinalis Mediolano pręficitur. 142
Allobroges in Occidentalem oram Liguſticam inuehuntur, & eorum profectus. 185
Gallos repellunt, fugant, cędunt. 186.187
Alpium aditus è Gallia in Italiam ferentes. 250
Et per quos Galli Reges tranſierint. 254
Allobroges Momiliani arcem occupant. 419
De Allobrogum Principibus varia. 433
Allobrogum Principum vitę diſcrimen. 817
Anglus legatus ad Rhetos. 135
Angelus Corarius Veneti exercitus conquiſitor. 605
Antonius Priolus Venetis copijs pręficitur. 263
Antonij Cardinalis Barberini animoſitas. 625
Expeditionem parat in Policinium. 634
A Patruo Pontifice laudatur. 642
Anielli varia. 737.8.9.10
Anneij Matalonię Ducem alloquium. 773
Angeli Caſtelionei fides. 797
Arcos Dux Neapolis prorex. 717
Eius prudentia, ſagacitas, aſtus tota Neapolitana ſeditione. 721
Arcos prorex cogitur præfectura abire. 783
Nauigat in Hiſpaniam. 783
Areſij comitis virtus. 862
Eius vitæ diſcrimen. 866
Argentonis dynaſta cum arcis Taurinæ pręfecto capitur ab Hiſpanis. 481
Eius ad Abbatem Vaſquez reſponſio. 483
Aſta à Principe Thoma recipitur. 539
Ab Hiſpanis intercipitur. 547
Iterum à Principe Thoma recuperatur. 548
Arx comitis Fontium conditur. 103
Auſtriaci vim parant repellere. 58
In Venetos erumpunt. 61
Auſtriorum felix conatus. 69

B

BAldironus contumelijs accipitur. p. 122
Barberinus Cardinalis Legatus ad Gallum Regem mittitur, & eius geſta. 134
Barberini in Galliam ſe recipiunt. 670
Bartholomæi Areſij comitis virtus, & laus. 834
Eius in Hiſpanos ſtudium. 885
Batauorum militum ſeditio. 78
Eorumdem bellica virtus. 79
Bazzianum deditur fœderatis. 631
Bellorum flamma vaga. 4
Bellum inter Mutinenſes, & Lucenſes. 18
Eorumdem mutua ira, & rabies. ibid.
Bellum Liguſticum. 154
Bellum in Genuenſes decernitur. 159
Belli conſilia decretaque deteguntur. 160
Bellum ciuile Taurinum. 366
Bellum inter Summum Pontificem eiuſque Nepotes Barberinos, & Principes fędera-

deratos. 552
Bichius Cardinalis Venetijs de pace agit. 633
De pace componenda ſolicitus. 658
Barberinis immiſſus. ibid.
Venetias contendit. 660
Pacis conditiones proponit. 661
Borgia Cardinalis Neapolis prorex. 88
Eius ad Patritios alloquium. 94
Illi regni præfectura mandatur. 95
Eius ſagax conſilium. ibi.
Burcardi cædes. 132
Bombarum immanitas, earum effectus. 869
Bolidum pernicies, & deſcriptio. 868
Bononiæ trepidatio. 631
Borrus periti Etruſco exercitui imperat. 645
Brambati comitis prouidentia. 901
Brandolini equitis virtus. 635
Bremium munitur. 320
Bremium ab Hiſpanis receptum cum vniuerſa expugnationis narratione. 359
Brixia ferri fodinis illuſtris. 836
Brutij redeunt ad fidem. 800
Bullionius Dux Italico bello præficitur. 516
Captus in Galliam cuſtoditus mittitur. 517

C

CAferonianæ bellum. 17
Caluiniſtæ prædicantes in catholicos inuehuntur. 100
Caluiniſtarum prædicantium apud populum authoritas. 102
Caluiniſtarum furor. ibid.
Caluiniſtarum prædicantiũ conciones quales. 128
Camillus Gonzaga Caſale intrat. 899
Capua belli armamentarium. 754
Carraccioli virtus. 38
Caracenæ demarchi ſalubre conſilium. 528
Conſtantia, & prudentia. 528
Aquas ſtatellonum oppugnat, & capit. 539
Mediolano præficitur. 837
Aggerem ad Cremonam educit. 839
Eius varia geſta ad Cremonam. 849
Tridinum coronæ ſcepit. 885
Laudatur. 905
Cardinalis Granuelij conſilium. 1
Cardinalis Ioeſyus pacis ſequeſter. 2
Carnicum belum. 2
Carolus Sabaudiæ Dux Montemferratum à Mantuano Duce contendit. 10
Mantuano bellum infert. 11
Tridinum oppugnat. ibid.
Duci deditur. ibid.
Eius literæ manifeſtæ. ibid.
Canillum in Mantuanum Ducem. 14
Minor eius ſpes. 15
Iam mitior. ibid.
Eius ferocia, & ira. 16
Querelæ, atque indignatio. ibid.
Caroli Ducis ira in Hiſpanos. 21
Eius oratio ad Principes filios. 21
Bellum decernit in Hiſpanos. 25
Eius de inuadendis inſubrib. cogitationes. ibid.
Eius periculum. 26
Redit ab Inſubribus in Taurinos. ibid.
Implorat principum auxilia. 27
Eius aſtus. 27
Oram maritimam occupat. 28
Pacem auerſatur. 28
Bellum inſtaurat. 29
Varia eius tentamenta. 29
Aſtam properat. 31
Eius diligentia. 34
Bellica virtus. 36
Reiecta pace bellum continuat. 37
Eius aſtus bellum in ſpeciem reſpuentis 37
Suum animum aperit. 38
Albam Pompeiam occupat. 38
Subſidium parat pro Vercellis. 42
Eius irritus conatus. 43
Deditos verbis caſtigat. 47
Montem Ferratum populatur. 78
Eius verſutia. 44
Alexandriæ imminet. 49
Eius variæ cõtra Genuenſes irarum cauſæ. 158. 159
Coureus Volturenam inuadit. 166
Dux Carolus cum Genuẽſibus pugnat. 176
Eius victoria. ibid.
Gauium inuadit. 178
Eo potitur. 179
Eius de Diguera querelæ. 195
Receptus in Taurinos. 197
Dux Carolus Alba Pompeia potitur. 243
Se contra Gallos munit. 246
Dux Carolus ad Verucam. 230
Hiſpanos infeſtat. 233
Eius ingentes curæ, & lepidum commentum.

Digitized by Google

tum. 255
Eius amicitia à Rege Hiſpano,& Gallo appetitur. 256
Hiſpanis adhęret. ibid.
Eius animoſa conſilia. 278
Extinguitur. 278
Eius virtutes,& dotes. ibid.
Caroli V. vitæ periculum. 31
Carolus Emmanuel puer Victorio Amadeo Patri mortuo ſufficitur. 357
Carolus Gatta Placentinum agrum populatur. 325
Cherio potitur. 461
Taurinum ſubſidio properat. 452
Gallorum caſtra aggreditur. 481
Eius error. ibid.
Vrbatellum propugnat. 676
Caroli Caraccioli cędes. 531
Caſalis obſidio prima. 238
Caſalenſium virtus,& conſtantia. 245
Caſalis vrbis eius arcis, & citadellæ deſcriptio. 243
Caſalis obſidio,& tota eius hiſtoria. 436
Caſalis Diui Euaſij expugnatio. 880
Caſalis caſtellum deditur Hiſpanis. 900
Caſalis arx deditur Hiſpanis. 504
Caſtrum Pontificijs armis petitur. 556
Eius deſcriptio. 558
Deditur Pontificijs. 560
Caſtrum diruitur,& cur. 664
Catholicorum vltiones in hæreticos. 121
Catholicorum cadauerum prodigium. 122
Catholici legati cum Lamaci Antiſtite. crixa. Romę. 665
Cauenaghi equitis cędes. 871
Celadę Demarchi bellica virtus. 302
Cherium oppugnatur, & capitur à Gallis. 421.& 422
ChriſtianaGalli Regis ſoror Dux Allobrogũ rerum adminiſtrationem ſuſcipit. 367
Regem Fratrem à belli conſilijs abducere conatur. 371
Cum Gallis fędus init,ſed coactè. 3 2
Eius egregia conſtantia. 396
Cęſaris literas monitorias contemnit. 394
Ad bellum ſe expedit. 395
Eius prudentia,viriles actiones,curæ. 400
Se Galli Regis Fratris fidei committit,& quibus conditionibus. 407
Principes hortatur ad pacem. 408
Clauſum deditur Gallis. 409
In tutum cũ infantulo duce ſe recipit. 415
Chriſtiana Dux mater conſtituendę pacis rationem init. 428
Taurinum init. 489
Conditiones pacis inter Carolum Ducem, & Hiſpanos. 33
Coniurati Genuę capite plectuntur. 221
Coniuratio in Gallum Regem. 208
Contentio inter Carolum Ducem,& Toletanum. 54
Cohortis miſerabilis cædes. 77
Corduhenſis Caſale oppugnat. 249
Corſorum militum error. 77
Coureus Auſtriacos inuadit, & in Volturenam inuehitur. 130
Pontificij Ducis poſtulata contemnit. ibid.
Comeſtabilis Caſtellę in Hiſpaniam reuocatur. 833
Crequius Alexandriam monet. 302
Crequij incuria. 304
Cremonę oppugnatio. 823
Creſcentini expugnatio. 880
Creſcentinum deditur Hiſpanis. 889
Cunei deſcriptio, & oppugnatio, & expugnatio per Gallos. 504.505.506.7.8.9
Cuperſani Comes Petilię ſuccedit. 794
Cuſani æquitis cædes. 865

D

Dalmatarum peditum virtus. pag.66
Dampierij comitis audacia. 68
Prouocat Triuiſanum ad ſingulare certamen. 69
Duellum inter Corſum,& Hiſpanum. 82
Dertona à Gallis expugnata, & ab Hiſpanis recepta cum omnibus euentis. 521
Eius arx deditur Gallis. 535
Dertona recipitur ab Hiſpanis. 535
Deſcriptio ignei machinamenti. 774
Dicterium in Gallos fallax. 689
Diguera Alexandrię oppugnationem ſuadet. 193
Eius de Carolo Duce querelæ. 200
Dux Parmenſis Gallis fędere adhæret. 293
Et eius rei cauſę. 355
Dux Allobrox in Hiſpanos vadit. 355

E

Riccij Ducis clementia. 65
Etrurię magnus Dux ſuas copias in Pon-

Pontificias ditiones immittit. 632
Etruſci exercitus varia geſta. 622.23.24
Etruſcæ triremes ad Tyberim Romam terrent. 625
Etruriæ magnus Dux Venetę Reip. poſtulat auxilia. 625
Etruſci exercitus opera. 642.3
Danæ paludis murum diruunt. 644
Pontificios inuadunt & fugant. 646.7
Iterum idem. 656

F.

FErdinandus Mantuæ Dux in Hiſpanorum fidem concedit. pag.15
Fernamontius ſubſidio Germanis accurrit. 147
Feriæ Dux Inſubrum fines munit eius ſimulatio ad terrendos fęderatos. 192
Eorum profectus cohibet. ibid.
Eius copiarum ſumma. 192
Eius de equo caſus. 198
Frăciſc. Maria Vrbini Dux extinguitur. 186
Fędus Auenione percutitur contra Auſtriacos. 128
Fęderati Principes bellum in Hiſpanos incipiunt. 129
Fæderati Principes à Valentiæ oppugnatione diſcedunt. 315
Fęderici Imperialis animoſum conſiliū. 366
Fames ingēs in Gallicis caſtris ad Taurinū. 459
Fœderatorum Principum Legati Roma abeunt. 619
Fœminæ virilis conſtantia. 791
Fori Iulij deſcriptio. 57
Foroiulienſium incolarum perfidia. 67
Franciſcus Martinengus Iuſtiniano ſufficitur. 267
Franciſci Cardinalis Barberini pietas. 764
Foſſę Clodiæ proditor punitur. 73

G.

GAlliarum Reginæ hortamenta ad Carolum Ducem. pag.15
Eius ſeueritas. 27
Galli milites in Sabaudij Ducis Caſtra confluunt. 27
Gallorum militum ſeditio. 31
Galli in auxilium Ducis Caroli in Italiam deſcendunt. 36
Gallorum militum audacia. 61
Galli, & Veneti in Auſtriacos arma capiunt. 124
Gregorius XV. extinguitur. 125
Gallorum vatij in Volturena profectus 131
De ea retinenda conſilia. 132.135
Granprei cædes. 132
Galli, & Veneti funduntur ab Hiſpanis. 132
Et iterum idem. 133
Galli libellis lacerantur. 134
Gallorum ſupplicia reorum. 134
De occupanda Volturena conſilia, & inuaſiones. 140
Galli à Volturena diſcedunt. 151
In Taurinos deſcendunt. 163
In Ligures mouent. 166
Eorum oppida occupant. 166
Gallicę claſſis in Liguſtic mare decurſus. 212
Gallicus exercitus ſubſidio Caſali mittitur. 252
Galli Allobroges fundunt. 257
Allobroges bello pulſant. 217
Auillana potiuntur. 280
Caſali ſubſidio feſtinant. 281
In Hiſpanos vadunt. 285
Italorum Principum animos tentant. 294
Inſubres inuadunt. 294
Ad Valentiam caſtra locant. 296
Gallorum potiendę Italię cupiditas. 289
Solicitant Italos Principes. 290
Allobrogū Ducem in ſua fędera trahūt. 292
Cęduntur, & fugantur. 327
In Taurinos ſe recipiunt. 328
Iuncti Allobrogib. prodeunt in bellū. 330
Eorum erratum. 332
In Nouarienſem agrum inuehuntur Ticinum traijciunt, eius emiſſarij clauſtra diruunt. 334
Mediolano minantur. ibid.
Aronam oppugnant. 346
Gallorum ridiculum ſcomma. 346
Occupare Vercellas tentant. 358
Eorum cruenta Victoria de Hiſpanica claſſe. 391
Gallorum remigum aſtus. ibid.
Galli Cuneum obſident. 410
Taurino ſubueniunt. 415
Tentant in ſua fędera trahere Principem Thomam. 418
Gallus Rex ſororem mittit. 418
Gallorum mira patientia. 464

Bellum in Principem Thomã conclamant. 497
Eporediam obſident. 498
Eorum clades. 499
Eporedię obſidione abeunt. 501
Galli Portum Longonium oppugnant & capiunt. 689.692
Gallorum procerum Decretum de Neapolitanis rebus. 774
Gallica claſſis in Hiſpaniam mouet. 776
Gallica claſſis Neapolim nauigat, & eius tẽtamenta. 810.11.12.13
Galli aggerem aggrediuntur ad Cremonam, & ſuperant. 840
Cremonæ ſuccedunt. 843
Cremonenſi arci ſuccedunt. 848
Eorum ſagax immanitas. 853
Cremonæ oppugnatione diſcedunt. 854
Eorum pertinaciſſima virtus in Iluæ oppido tuendo eorum ibidem querelę. 876
Portus Longonij arcem Hiſpanis dedunt. 878
Genuenſium libertas vnde. 155
Eorum amicitia & ſocietas cum Hiſpano Rege. 156
Et eius commoda. 157
Hiſpani Regis auxilia repudiant. 164
Eorum bellici apparatus. 164
Hoſtes non timent. 164
Genuenſes Genuam muniunt. 167
Vniuerſis copijs Hieronymum Auriam præficiunt. 168
Eorum Rerum difficultas. 168
Animoſiores in bellum inſurgunt. 169
Ad hoſtium minas impauidi. 170
Eorum fuga. ibi.
Genuæ trepidatio. 171
Illam ſubſidia confirmant. 172
Ciuium in tuenda vrbe concordia. 173
Eorum cædes ad Vcitatium. ib.
Genuæ diſcrimen. 178
Variæ ſolicitudines & curæ. 188
Reſpuit Mantuani Ducis oblationes. 199
Vndique in illam auxilia confluunt. ibid.
Genuenſium copiarum numerus. 190
Eorum portentoſa fęlicitas. ibid.
Securitas & lętitia. 195
Feriæ Ducem in ſuum auxilium ſolicitant. 196
Caſtella vrbes, atque amiſſa recipiunt. 203 204.205
Allobrogum Duci belli mala reponunt. 206
A Taurinis repelluntur. 209
Eorum terror, & fuga. 208
Genuinus Neapolitanæ fax ſeditionis. 717
Germanorum ſęuitia. 77
Germani in Volturenam contra Gallos. 142
Varij eorum bellici in Volturena valle profectus. 143
Cæduntur à Gallis. 147
Fugantur. 147
Germani contra Mantuam in Italiam deſcendunt. 260
Mantuam oppugnant, capiunt diripiunt. 261.63.64
Gonzaga Gallos ad Eporediam fugat. 501
Gratianæ deſcriptio. 58
Petitur bello à Venetis. 58
Gratianenſes fame vrgentur. 80
Arctius obſidentur. 82
Guiſius Dux à Populo Neapolitano. Princeps Reipublicę dicitur. 760
Eius animi dotes. 765
Varia eius geſta. 767.& ſeq.
Guiſij ad Andriæ Ducem alloquium. 779
Eius magnanimitas. 781
Inſidijs appetitur. ibid.
Eius vitæ diſcrimen. 785
Regnum affectat. 787
Eius voluptates. 802
Eius animoſitas. 803
Ei parantur inſidiæ. 804
Capitur ab Hiſpanis. 809

H

Harcurtius Gallici exercitus Imperator 420
Eius aſtutia. 421
Suas copias periculo explicat. 425
Eius magnanimitas. 423
Caſali ſuccurrit Hiſpanos exuit caſtris. 445.446
Taurinum obſidet, vrget. 450.51.52
Eius eximia patientia. 460
Eius gloria. 484
Alexandriæ imminet. 502
Cuneum ſubit, & capit. 505
Hæreſis omnium mallorum radix. 98
Heluetij à Rhetis rogãtur auxilia, & eorum con-

conuentus. 129
Heluetij ſuorum montium pandunt clauſtra Gallis. 165
Eorum anguſtiæ montium compendioſæ. 192
Henrici IV. Galliarum Regis cędes. 3
Henricus IV. Galliarum Rex Genuenſium ruinam molitur. 157
Hyacinthus Dux Sabaudię moritur. 92
Hieronymus à Puteo, & eius bellica geſta. 544.
Hiſpanorum bellici apparatus. 2
Hiſpani Regis decretum Mantuani Ducis defendendi. 13
Hiſpani in eius auxilium prodeũt in bellum. 14
Hiſpanorum poſtulata. 16
Hiſpani Regis minę. ibid.
Hiſpanorum procerum indignatio. 27
Hiſpanorum bellici apparatus. 30
Hiſpani exercitus incommoda. 33
Hiſpanorum caſtra ardentia milites ęgrotos exurunt. 34
Eorum bellici apparatus. 37
Vercellas inuadunt. 44
Duorum Hiſpanorum virtus egregia. 44
Hiſpani in Cremenſem agrum incurrunt. 70
Hiſpanica claſſis in Adriaticum mare decurrit. 70
Venetam ad pugnam prouocat, ſe recipit. ibid
Foſſę Clodię imminet. 73
Hiſpani Mezolam occupant. 113
Et alia Rhetorum oppida. 117
Maiensfeldium oppidum incendio abſumptum, & alia duo oppida. 123
Hiſpanorum de Summo Pontifice ſuſpitio. 128
Eorum cura de illo in ſuas partes trahendo. 129
Hiſpani mouent in Gallos. 130
Victi, fugatique. 132
Eorum ſæuitia in Gallos. 133
Hiſpanorum incuria, inanis fiducia. 161
Hiſpani ad Verucam caſtra ponunt. 229
Illam oppugnant, & oppugnationis difficultates. 233
A Verucę oppugnatione diſcedunt. 235
Niciam inuadunt. 245
Illam capiunt. ibid.
Tridino potiuntur. 246
Pacem cũ Mantuano Duce impediũt. 248
Contra Gallos Nouariam feſtinant. 333
Gallorum caſtra aggrediuntur. 342
A pugna diſcedunt. 356
Eorum ſtrages. 356
Hiſpanus Rex bellum in Taurinos decernit. 373
Hiſpani Vercellas obſident. 376
Matrem Ducem Allobrogum in ſua fędera trahere conantur ſed fruſtra. 369
Vercellas expugnatas victores ineunt. 389
Pomarium demoliuntur. ibid.
Hiſpani Vercellas inuadunt. 386
Cengium obſident, & capiunt. 397
Tridinum oppugnant, capiunt, diripiunt. 405.406
Montem caluum capiunt. 403
Hiſpani Gallica caſtra inuadunt. 473
Cum cęde repelluntur. ibi.
Hiſpanorum Legio cęditur à Gallis. 519
Hiſpani totis, Taurinis exiguntur. 544
Hiſpanorum Decretum pro Parmenſi Duce. 575
Hiſpani Gallicam claſſem vrere tentant. 774
Neapolim recipiunt. 807
Cremonam muniunt. 832
Eorum ſtrages. 862
Horatius Balconius occiditur. 80
Eius equeſtris ſtatua. ibi.
Horribilis aeris procella in Sicilia. 705

I

ILua Inſula à Gallis expugnata. 684
Ilua Inſula, & Populonia ab Hiſpanis recepta. 818
Inſubres bello affliguntur. 4
Imperialis Ducis prudentia. 653
Inoyoſæ Mediolani Pręfecti de inuadendis Vercellis conſilium. 25
Ab obſidione diſcedit. 28
Carpitur ab Hiſpanis proceribus. 27
Aſtam inuadit. 28
Ab ea diſcedit. 28
Eius incuria in Duce Carolo ſuperãdo. 30
Cauillis laceratur. 30
Perfidiæ inſimulatur. ibid.
Inducię inter Hiſpanos, & Gallos. 416
Ioannes Medices Veneti exercitus Imperator. 68

Om-

Omnium copiarum poſcit Imperium & illi negatur. 78
Eius cautela nimis pernicioſa. 79
Et error. ib.
Ioannis Baptiſtæ Porti comitis Vicentini virtus egregia. 635
Ioannes Auſtriacus claſſe Neapolim vehitur. 747
Regni profecturam adit. 786
Eius prudentia. 788
Italorum Principum ſuſpitiones, & metus. 12
Iſabella Spirę Princeps veneficij agitur Rea eius oratio ad Iudices. 39
Italię, pax, & tranquillitas. 1
Eius opulentia. 3
Eius pax turbatur à Carolo Emmanuele Allobrogum Duce. 3
Italię calamitates. 4
Antiqua Imperij magnitudo. 7
Eius graphica deſcriptio. 7
Italorum diuerſitas ingeniorum. 8
Italorum Principũ in Hiſpanos ſtudiũ. 512
Iuſtiniani Veneti Ducis ferocia. 640

L

Legatorum Principum Seguſij conuentus. 198
Leganius Demarchus Albernotio Cardinali in Mediolani prefectura ſufficitur. 319
In Parmẽſem ditionẽ copias immittit. 325
Contra Gallos vadit. 326
Enormem aggerem condit. 331
Cum Gallis pugnare decernit. 341
Contra Gallos tendit. 353
Arazzium ſubſidio properat. ibi.
Eius literæ manifeſtæ cur Taurinos aggreditur. 368
Damnoſa mora. 421
Carpitur ab omnibus. 415
Caſale obſidere decernit. 434. & 35
Obſidet, & fugatur, & exuitur caſtris ab Harcurtio. 436. 460
Varia eius geſta, conſilia ad Taurinum. 455. 56
Diſſidet à Principe Thoma. 517. 518
Lerina Inſula ab Hiſpanis Gallis eripitur. 358
Ligures bello petuntur. 4
Locuſtarum portentum. 673
Longauilla Gallici exercitus Dux. 409
Lucenſium pernicioſum conſilium. 17
Lucenſes Mutinenſem agrum populantur. ibid.
Luſitania Prouincia qualis. 665

M

Maffæus Barberinus Gregor. XV. ſufficitur. 126
Negat ſe Volturenam Rhetis redditurum 126
Mantuanus Dux arma expedit. 12
Auxilia contrahit. ib.
Eius felicior Fortuna. 13
Mantuani Ducis cum Cęſareis conquiſitoribus tractatus. 247. 248
Principem Filium legat ad Cæſarem. 250
Eius in Gallia Fortuna. 242
Gallica arma in ſuum auxilium acceſſit. ib.
Mantuanum bellum. 260
Mantuę ſitus deſcriptio. 261
Mantuani Duces in Germanos prodeunt. 263
Mantuani Ducis literę manifeſtæ. 891
Eius edictum ad Ciues caſalenſes. 893
Caſale intrat. 905
Martini Aragonij cædes. 397
Mauritius Cardinalis Roma in Taurinos contendit. 368
Orat Principes Italos auxilium ſed fruſtrà. 369
In Taurinos ingreditur. 392
Eius de Duce matre querelæ. 393
Vna cum fratre Principe Thoma cum Hiſpanis fędus init. 394
Mauritio Principi Cardinali plura oppida deduntur. 409
Coniugij conditiones repudiat. 432
Legatum ad Gallum Regem mittit. 492
Maſſeranum Allobrogibus deditur. 38
Mazzarinus Galli Regis Legatus ad Principem Thomam. 489
Pacem, & fędus cum eo componit. 490
Mazzarini varia. 493
Mediolanenſium Ciuium trepidatio. 335
Mediolanum munitur. 336
Mirus cuiuſdam Brixienſis euentus. 70
Miraculum de Duce equitum fœmina, & eius laus. 480
Montis Ferrati deſcriptio. 8

Eius

Eius ditio quomodo Mantuanis Ducibus ceſſerit. 9
Mons caluus ab Allobrogibus capitur. 11
Mons regalis deditur Gallis. 503
Monæci Princeps ad Gallos deficit quibus de cauſis? 411
Mortalium ingeniorum vitium. 36
Mulieris animoſitas. 43
Mulierum armatę cohortes Neapoli. 772
Mutinenſes in Lucenſem agrũ incurrunt. 18
Oppidum Gallicanum inuadunt. ibid.
Mutinenſium fuga. 19
Caſtrum Leonis inuadunt. ibid.
Mutinenſis Dux in Armis contra Villã. 323
Mutinenſis Ducis varia geſta. 597
De occupanda Ferraria agitat. 605
Eius de Venetis querelæ. 613 & 621
Nouantulam obſidione ſoluit. 617
Eius bellica gloria. ibid.
Bazzianum occupat. 450
Gallis adhęret, & cur. 825
Gallicis armis in Italia pręficitur. 827
Varia de eo tota oppugnatione Cremonę. ibid.

N

Neapolitana ſeditio. 713
Neapolis miſerabilis ſtatus. 92
Neapolitani Patricij Vrſonis Ducem accuſant. 88
Neapolis popularis ſeditio, & eius euentus. 713
Neapolitanę plebis furor ſęuitia tota ſeditione vſque ad finem. 713
Neapolitani Regni calamitates. 789
Neapolitani rebelles capite plectuntur. 813 1415
Nicia oppugnatur à Sabaudis. 12
Eius deſcriptio. ibid.
Oppugnationis difficultas. ibid.
Nicęa à Principe Cardinali recipitur. 417
Ibi ſtructæ inſidiæ. ibid.
Duci Matri traditur. 517
Nicia deditur Gallis. 519
Nicia ab Hiſpanis occupatur. 450
Nicolaus à Balneis hæreticos inſectatur. 127
Niuernenſis Dux Mantuano affert auxilium. 12
Niuernenſi Duci vnde opes in Gallia. 241
Nouæ recipiuntur à Genuenſibus. 202
Nuntij volantes. 540

O

Oratio Ducis Caroli ad filios. 21
Principis Victorij reſponſio ad Patrem. 23
Oratio Spiræ Principis ad Iudices. 39
Oratio Ianfronis de non dedendis Vercellis. 44
Oratio vrbis pręfecti de dedendis Hiſpano Vercellis. 46
Oratio Laurentij Capelli. 52
Oratio Aloyſij Mocenichi. 55
Oratio Belenij naualem pugnam damnantis. 72
Oratio Cardinalis Borgiæ ad Neapolitanos Patritios. 94
Oratio Antonij Pallauicini ad Summum Pontificem contra Rhetos auxilia petentis. 107
Oratio Robuſtelli rebellionem à Rhetis ſuadentis. 109
Oratio Rheti Legati ad Venetos. 114
Oratio Rhotomagenſis Ducis ad Rhetos. 144
Oratio Volturenenſis Legati ad Hiſpanum Regem. 151
Oratio Ducis Allobrogum ad Digueram. 186
Digueræ ad illum reſponſio. 182
Oratio Pimentelij pugnam damnantis. 200
Oratio Io: Stephani Aurię in coniuratos. 217
Oratio Hiſpani purpurati Mantuanum bellum damnantis. 239
Oratio Retelij Principis ad Cæſarem. 250
Oratio Cardinalis Antonij ad Cardinalem Richelium. 275
Oratio Valentiam deſerendam ſuadentis. 296
Oratio ſuperiorem ſententiam damnantis. 299
Oratio pugnandi decretum improbantis. 341
Oeſtra Gallos infeſtant. 346
Oratio Matris Ducis Allobrogum ad Gallos Duces. 378
Oratio Legati Principis Thomæ ad Principem Cardinalem. 430
Oratio demarchi Villæ de aggrediendis in ſuis

ſuis caſtris Hiſpanis audaciam damnantis. 441
Oratio Harcurtij Villę ſententiam refellentis 442
Oratio Leganij ad Duces ad Taurinum. 468
Oratio Ferdinandi Scotti ad Venetos 561
Odoardus Parmæ Dux Principum poſcit auxilia 561
Anathemate fulminatur, eiusque bona publicantur 569
Eius vectigalium fides, & religioſorum 570.71
Oratio ad Patritios 572
Eius debitæ pecuniæ ſumma 576
Arma expedit ibi.
In Pontificium dominatum mouet 592
Plumatium diripit 593
In Pontificias vrbes ingreditur 595
Panicale oppidum excindit 601
In Inſubres regreditur 603
Bodincomagum occupat, & Stellatam. 609
Parmam migrat morbo tentatus 648
Orbiti ſeu Vrbarelli oppugnatio 674
Oratio Anielli ad populum Neapolitanum 728
Oratio Toralti ad Neapolitanæ plebis primates 742
Oratio Cardinalis Triulcij vindictam improbantis 748
Oratio Proregis Ducis Arcos vindictam ſuadentis 751
Oratio Guiſij Ducis ad Neapolitanum populum 761
Oratio Ducis Mutinenſis de aggredienda prius vrbe Cremona quàm arce 843
Oratio Pleſſij, Pralini de inuadenda prius arce 845
Oratio Comitis Vercellini ad Mantuanum Ducem 881
Eius iterata inſtantia ad eundem Ducem. 891

P

Pacis inter Venetos,& Auſtriacos conditiones. pag. 83
Papenahimius, & eius acta in Volturena. 133
Pamphilius ad Ducem Allobrogem mittitur. 173
Panicus error exercitus ſolet inuadere. 69
Panormitana ſeditio, & eius hiſtoria 695
Parmenſis Dux in Galliam contendit 316
Parmenſis ager diripitur 328
Parmenſis Dux Placentiam redit 345
Eius conſtans in Gallum Regem fides. 748
In Cremonenſem agrum inuehitur. 347
Parmenſis Dux Romam proficiſcitur 354
Et diſſidiorum cum Barberinis cauſæ 355
Caſtrum munit ibi.
Pax inter Mutinenſes,& Lucenſes 19
Pax de Volturena conſtituitur 137
Cui Rheti non acquieſcunt ibid.
Pax inter Allobrogem Ducem,& Genuenſes 224
Pax inter Gallos,& Hiſpanos 257
De pace agitur inter bellantes 281
Conſtituitur inter pugnaturos 295
Pax inter Allobrogum Principes,& Matrem Ducem 415
Petrus Toletanus Inoyoſę ſufficitur 34
Taurinos aggreditur 35
Eius error 35
Pacem deſiderat 36
Vercellas ſubit cum exercitu 37
Petrus Toletanus iubetur Vercellas 50
Reſtituere ibid.
Plurij montis ruina 105
Planetiæ Demarchi virtus egregia 462
Eius laus bellica 530
Philippi Secundi Hiſpani Regis prudentia. 2
Pimentelij cędes 44
Pociferæ Vallis accolarum ingenium 193
Armenta hoſtium abigunt 195
Pugna inter Hiſpanos,& Gallos 198
Pignatelli virtus bellica 471
Piſauro abrogatur Imperium 639
Pignatelli felices progreſſus 799
Philomarini Cardinalis in Hiſpanum Regē fides 807
Pompeius Iuſtinianus 59
Eius clementia 60
Illi obtrectatur 62
Ad cęteris Ducibus vellicatur 63
Eius cędes 66
Ponteba à Venetis recepta 65
Pompei Iuſtiniani virtus & dotes 66
Equeſtris ſtatua ei ponitur. 67

Pom-

Pompeij plantæ miſerabilis caſus. 124
Pontificij Venetos inuadunt. 641
A Venetis cęſi. ibid.
Piſtorium inuadunt. 649
In Etruriam inuehuntur. 451
Inter ipſos, & Etruſcos pugna. 652
Petiliam inuadunt. 654
Populonia à Gallis expugnata. 684
Portus Longonij deſcriptio, & oppugnatio. 688
Pretoria Ducis Allobrogis nauis à Genuenſibus capta. 177
Principes Taurinum oppugnant. 401
Principes cum Gallo fędus ineunt deſertis Hiſpanis. 415
Principes Itali fœdus ineunt pro Parmenſi Duce. 564
Pro eo apud Pontificem intercedunt. 565 66.67
Icti fœderis conditiones. 588
Bellum decernunt 604
Pontificios fugant 621
Nouantulam aggrediuntur 626
In Policinium inuehuntur 631
Monterchium occupant 633
Lacus obſcuri pontis propugnaculum aggrediuntur 635
In Padi Litotibus propugnacula condunt. 636
Pugna inter Pontificios, & Venetos 638
Principis Triultij in Hiſpanos ſtudium. 841
Pugna inter Lucenſes, & Mutinenſes 19
Pugna inter Hiſpanos, & Allobroges 42
Inter eoſdem pugna 43
Pugna inter Hiſpanos, & Allobroges 48
Pugna inter Venetos, & Auſtriacos 64
Pugna inter Venetos, & Auſtriacos 68
Pugna inter Hiſpanos, & Rhetos 116
Pugnæ nauales inter Hiſpanos, & Gallos 133
Pugna inter Gallos, & Allobroges 249
Pugna inter Hiſpanos, & Parmenſes 295
Pugna inter Hiſpanos, & Gallos 312
Pugna inter Hiſpanos, & Gallos 327
Pugna inter Hiſpanos, & Gallos 354
Pugna naualis inter Hiſpanicam, & Gallicam claſſes 350
Pugna inter Principem, & Thomam 421
Pugna inter Hiſpanos, & Gallos 499
Pugna inter Hiſpanos, & Taurinos 693
Pugna inter Hiſpanos, & Taurinos 841
Pugna naualis inter Hiſpanos, & Gallos ad Cremonam. 847
Pugna inter Hiſpanos, & Gallos. 870
Pugnæ horribilis facies. 875

R

Rheticæ gentis ingenium mores, regimẽ pag. 99
Rheti Hęretici in Catholicos ſęuiunt 102
Et in Religioſos viros 104
Rheticæ plebis ridenda ambitio 103
Contra Curienſem Antiſtitem Hęreticorum impudentia 104
Rhetorum diſſidia 106
Rheti ſe ad repellendas rebellium iniurias expediunt 113
Repelluntur à Catholicis 113
Legatos ad Principes mittunt rogatum auxilium 114
Catholicos inuadunt 116
Eorum diſſidia Rempublicam euertunt. 118
Alij ab Hiſpanis alij à Gallis ſtant ibid.
Rheti Hæretici fędus cum Hiſpanis reſpuũt 118
In arma conſurgunt 118
Rhetorum Catholicorum fuga 119
Ad recipiendam Volturenam copias mittunt. 120
Clauenam Vallem occupant. 121
Curiam inuadunt 121
In Catholicos ſęuiunt 122
In Archiducis Leopoldi verba intrant. ibi.
Ad Volturenam repetendam arma impediunt. 128
Gallis inferri. 136
De Gallo Rege queruntur. 138
Eorum iura in Volturenam 139
Rheti cum Gallis arma coniungunt 147
Rhetorum ira in Gallos ob falſam fidem. 149
Fœdus cum Hiſpanis ineunt 150
In Gallos inſurgunt 150
Rheti Gallorum ſocietatem reſpuunt. 151
Ricciardi Auogadri bellica virtus 303
Eius cędes 304
Richelij Cardinalis varij cum Allobrogum Ducibus actus. 272

Pinarolum Capit. 275
In Galliam contendit. 274
Pacis conditiones reſpuit. 277
Richelij Cardinalis ferocia 372
Rodulphus Planta ab hęreticis obſidetur. 101
Rhotomagenſis Dux Volturenenſi bello pręficitur. & eius bellica geſta. 141 140
Rhotomagenſis Dux Germanos, & Hiſpanos Volturena expellit 148
Rhotomagenſis Dux capitur à Rhetis 150
Romæ Vrbis trepidatio, & metus de Parmenſi Duce. 599

S

SAbellus Pontificij exerctus Imperator. pag.623
Cunctator prudens laudatur. 632
Imperio ſe abdicat 644
Sandouali arx conditur 26
Sanctacruciusilli ſufficitur 280
Santià Principi Thomæ deditur 408
Seditio Mediolanenſis plebis 253
Sarbellonius Ioãnes ad Inſubrum fines mittitur 142
Carpitur 147
Se purgat in Germanos culpa reiecta 148
Eius ſalubre conſilium 148
Serbellionis cædes 43
Serra Demarchus vulneratur 840
Siruelæ comes Leganio in Mediolanenſi præfectura ſufficitur 495
Spinula Demarchus extinguitur 280
Straſoldi Auſtriaci Ducis virtus. 60
Summus Pontifex popularium recuſat oblata. 764

T

TVrca Venetis bellum infert 5
Tabellarij volantes 481
Taurinorum probitas 366
Taurinorum Auguſtę oppugnatio & expugnatio 449
Taurini Aronæ minantur 547
Tridini populi ſeditio 43
Tridini deſcriptio 404
Capiturque ab Hiſpanis 403
Tridini expugnatio 8.0
Tridinum deditur Hiſpanis 887
Thomæ Principis varia geſta ad Taurinum. 398
Villam nouam capit, & diripit 402
Albam ingreditur. 403
Thomæ Principis plura geſta ad Taurinum victoria. 412
Eius generoſitas 414
Cum Leganio contentio ibid.
Pacem cum Cardinale auerſatur. 428
Thomas Princeps à Leganio diſſentit. 465
Eius obnuntiationes, & minæ 466
Eius bellica geſta in propugnando Taurino. 474
Erumpit ex vrbe 486
Vrbem Harcurtio dedit 487
Vrbe ægreditur. 488
Eporediam diuertit 489
Fędus iterum cum Hiſpanis init 491
Eius curæ ibid.
Cum Gallis fędus pangit ibid.
Thomæ Principis bellica virtus. 484
Nicæam ad Cardinalem fratrem contendit. 493
In Galliam ire recuſat ibi.
Negat in Hiſpani Regis verba iurare. 498
Eius animoſitas 499
Ad Clauaſium oppugnandum prodit 509
Gallicis armis in Italia pręſpicitur 518
Alexandriæ imminet 541
Tridinum obſidet, & capit 544
In Galliam proficiſcitur 546
Finario imminet 548
Thomas Aniellus ſe Ducem furentibus. 716
Præbet eiusque geſta inſolita, imperia, cædes. 716
Eius cædes 737
Eius nomina interfectorum varia de eo. 737
Toralti ſupplitium 756
Toraſij Mariſchalli cædes 333
Eius virtus ibid.
Torrecuſę Demarchi bellica virtus 314
Torrecuſæ Demarchi interitus 883
Triultius Cardinalis ad Vercellas militum delectus adducit 385
Triultius Cardinalis Sicilię Prorex 707
Eius dexteritas, prudentia, & alia egregia. 708

Tu-

Turis maioris fori Taurini diruitur. 426

V

VAcherij coniuratio cum tota narratione. pag. 212
Valentia oppugnatur 303
Varij bellici euentus ad Valentiam. 3 2
Valenzeus Pontificij exercitus moderator toto Pontificio bello. 609
Valletta Cardinalis Gallicis copijs præficitur in Italia. 371
Veneta Reſpublica Ducis Caroli Allobrogis ſocia. 36
Veneti Gratianam bello petunt. 58
Venetorum Ducum error. 59
Eorum leuia cum Auſtriacis certamina. 59
Venetæ copiæ vitiantur. 60
Venetorum militum contumacia. 60
Eorum cędes. 61
A Gratianæ oppugnatione diſcedunt. 62
Eorum bellicæ virtutis exiſtimatio 65
Peſte affliguntur 67
Venetæ claſſis potentia 71
Venetiarum laus, & deſcriptio 73
Venetiæ oppugnantium ſe gentium victrices. 74
Venetæ naues ab Hiſpanis interceptæ. 79
Veneta claſſis in Hiſpaniam fertur 75
Venetas triremes tempeſtas obruit 75
Venetorum conatus malè cedunt 76
Veneti Senatus querelæ de ſuorum Ducum incuria. 80
Veneti clades Hiſpanis reponunt 85
Venetiarum ingens periculum à proditorib. 85
Venetus Senatus pacem cum Auſtriacis reſpuit. 83
Venetijs parantur inſidię 84
Deteguntur proditores & puniuntur ibid.
Veneti clades Hiſpanis reponunt 85
Veneti ſubſidia Rhetis mittunt 111
Veneti Mantuani Ducis patrocinium ſuſcipiunt. 243
Veneti Gallorum fędus reſpuunt. 291
Venetorum in Hiſpanos ſtudia 512
Venetæ Reipublicæ varia in Pontificio bello. 59. 51
Vercellarum obſidio prima. 41
In illas ſubſidium ingreditur. 41
Vercellæ oppugnantur. 42
Hiſpanis deduntur. 47
Hiſpanorum pręſidium ijs imponitur. 47
Carolo Duci ab Hiſpano Rege reſtituuntur. 49
Vercellarum oppugnatio, & expugnatio. 366
Vercellentium virtus. 377
Varij obſidonis Vercellarum euentus. 381 2. 3. 4
Verucæ oppugnatio. 225
Illius deſcriptio. 229
Veruca deditur Taurinis. 530
Veſeui Montis incendium. 6
Veſeui Montis incendium. 287
Vſitarium capitur, & diripitur. 177
Victorij Principis animoſus receptus. 200
Victorius Amadeus defuncto Patri ſucceſſit 279
Victorius Amadeus Gallos pene victos aſſerit. 343
Eius mors & animi dotes. 357
Vitellius Legatus Venetos primates alloquitur. 575
Vitellius Legatus Venetijs abire iubetur. 617
Vindicta in Neapolitanos rebelles decernitur, & mala inde profecta. 753 456
Vriati comes Neapolis Prorex. 789
Vberti Vicecomitis firmi pręſidis cędes. 819
Villa Placentiam cum ſubſidio mittitur. 321
Cum Hiſpanis dimicat. 324
Eius victoria. ibid.
Villæ Demarchi cædes, & elogium. 851
Vincentij Gonzagę amores. 38
Iſabellam ſibi connubio iungit. 38
Matrimonij illum pœnitet. 39
Vincentius Marra Pontificij exercitus Imperator. 644
Volturenæ rebellio. 98
Eius deſcriptio. 99
Calamitatum cauſa. 100
Volturenenſium Catholicorum fuga. 105
Armati Curiam ingrediuntur ibid.
Cum hæreticis pugnaturi. ibid.

Exu-

Exules in patriam reuocantur. ibid.
Auxilia Principum implorant. 107
Rebellionem decernunt, eam maturant. 111
Hæreticos trucidant. 112
Volturena diripitur. 124
In Pontificis manibus deponitur. 125
Eius poſſeſſio Auſtriacis opportuna. ibid.
Vrbani Pontificis dexteritas, & prudentia. 129
Volturenēſes Gallis, & Venetis infenſi. 133
Eorum querelæ, & rationes. 139
Vrban. Octauus Vrbanum propugnaculum condit. 275
Cardinalem Antonium pacis ſequeſtrem ad bellantes Principes mittit. 275
Vrbanus Octauus laudatur. 553
Eius laudabilis continentia. 554
Illi obtrectatur ob caſtri oppugnationem. 558
Eius in Ducem Parmenſem minæ. 559
Vrbanus Pontifex tranſitum ſuis copijs à Duce Mutinenſi petit. 577
Vrbani Pontificis abſtinentia. 658
Vrbatelli oppugnatio. 674
Eius deſcriptio. 675
Vbini dominatus ad Eccleſiam redit. 287
Vſchochi vnde dicti. 50
Venetos perſequuntur. 50
Pacem violant. 51
Eorum immanitas. 52
Vrſonis Ducis affectati Neapolitani Regni ſuſpectus. 52
Muneribus ſollicitat plebis animos. 87
Vrſonis Ducis artes. 91
Per malas artes continuare præfecturam conatur. 88
Tota eius Hiſtoria. 89

ERRATA SIC CORRIGE.

		pag.	lin.
contudemus,	contundemus	57.	33.
greſſi	egreſſi	61.	29.
Propugnas	propugnans	61.	46.
Toletanam	Toletanum		
duas	Deus	50.	in marg.
in vlturum	in vltionem	52.	in marg.
Aliqua	aliquam	70.	25.
retinendamque	retinendum	72.	28.
ſtipendio	ſuſpendio	78.	in marg.
Non,	expunge non	80.	43.
flutuantem	fluctuantem	95.	17.
ſancitis	Sartis	113.	7.
ſubgi	ſubigi	153.	15.
ſe	Expunge,ſe,	261.	18.
renidentque	renidentique	489.	30.
Caſtella	Caſtula	601.	6.
Giorgium	Georgium	621.	41.
Iactuta	Iactura	635.	31.
Duci	duci	635.	21.
668	670		
669	671		
6772	672		
Conſtantia	conſtantiam	693.	1.
deeſt nomen	ſpem	718.	1.
maciſſi	maſſici	769.	31.

IOSEPHI RICCII BRIXIANI

Clerici Reg. Congreg. Somaſchę

Rerum Italicarum ſui temporis Narrationes

TOTIVS OPERIS PROLVSIO.

Ab Anno 1613. vſque ad annum 1653.

DIVTVRNA pace nullis exteris petita bellis, nec inteſtinis concuſſa diſſidijs à crebris olim finitimarum gentium incurſibus ita altùm quieſcebat Italia, omnibus quinque, & ſexaginta ipſos annos circum latè ſilentibus armis; vt nulla ſerenior, & mollior huic laboranti identidem quondam prouinciæ tempeſtas illuxerit; ex quo Octauianus Auguſtus in vno Marco Antonio Actiaca pugna imperij fugato riuali, triumphato terrarum orbe, atque intra Iani delubri fores tertiùm catenato Marte, pacem iam diu exulantem terris repoſuit (quamuis illa totius orbis à bellicis laboribus quies non Auguſti fœlicitati fuit, ſed Cæleſtis mitiſſimi inter mortales tunc diuerſantis præſentiæ Numinis tribuenda) Agebantur tranquilli ſine vlla calamitatum fæce dies, nullis pacatiſſimam ſerenitatem tumultuum turbantibus nimbis. Cum ſeu nimia proferendi imperij libido, ſeu importuna parandæ bellicæ gloriæ cupiditas, inducto in liquidum pacis aerem nubilo, omnem ex Italia tranquillitatem excuſſit non niſi Diuina expleta mortalium cladibus ira, regionumque populationibus, & excidijs iterum reuocandam. Illa optata fecerat otia Philippi ſecundi Hiſpaniarum Regis leniſſimi ingenij Principis facilitas, & prudentia; vt potè cui altius inhæſerat menti Cardinalis Granuelij ſuprema componentis conſilium: *Si Hiſpani molem imperij, ſi ſuas prouincias, & regna ſalua maximè eſſe vellet, nullius omnino quati Italiam belli turbine pateretur*; Quaſi hæc vna pacata prouincia tot ad orientem, cadentemque ſolem, ad Aquilonem, & Auſtrum diſſitarum ditionum ſalutem, tranquillitatemque fulciret. Idcirco eò ſua omnia conſilia collineabat, vt inconcuſſam, vel occultis petitionibus laceſſitus pacem in Italia ſeruaret: nec tantam aliquando puduit Maieſtatem alia conniuere, pleraque

Trãquilla, ac diuturna Italię pax.

Cardinalis Grãuelij cõſilium.

Digitized by Google

Philippi 2. prudentia. diſſimulare, multa quoque Italis Principibus condonare, quàm & potentiæ magnitudo, & prompta ad manus arma, expeditæque copiæ in vltionem facilè rapere potuiſſent; ſi potior illi vindictæ voluptas, quàm adamatæ prouinciæ, quies, atq; incolumitas extitiſſet. Itaq; eo quaſi rerum Italiæ arbitro, placidiſſima pace cuncta vernabant, nemine turbidi ingenij Principe contra potentiſſimum regem hiſcere audente.

Venetis ſacris interdicitur. Viſæ ſunt tamen aliquando ingruentes ex inexpectato procellæ clades Italiæ, calamitateſque minari, à Paulo Quinto Pontifice Maximo Venetæ Reipublicę ſacris omnibus interdicto; ſed illæ intra minarum tantum murmura reſederunt: Comite Fontium Mediolani produce ad Inſubrum fines *Fuentes.* vanis tubarum cātibus, tympanorumque pulſibus obſtrepente, cum Philippus Tertius Hiſpaniarum Rex patrij inſtituti, conſilijque tenax illi diſertis verbis imperaſſet; nę quid in Venetos moueret; niſi prius illi bello Pontificem laceſſiſſent: tunc enim verò Reipublicæ dominatui ſignis illatis, pontificiam aſſereret Maieſtatem. Verum in liquidiſſimam nihilominus tempeſtatem ſuperùm clementia atroces illæ animorum iræ difflatæ, *Gioieſa. Cardinalis Ioyeſ. pacis ſequeſter.* Ioyeſio Cardinali Henrici Quarti Galliarum Regis legato pacis ſequeſtre iam iam ruentium in arma dexteras iungente, truceſq; animos bellandi cupidos conciliante, acerbiora inſuper poſtulata Pontifice, ac Venetis remittentibus, ne nimis obſtinatis in propoſito animis inconſulta pertinacia perniciosum in Italia bellum accenderent.

Henrici 4. Galliar. regis inquies animus belli cupidus. Grauiori aliquanto terrore in Italia tunc ſeriò ſibi vltima metuente trepidatum eſt, cum Henrico Quarto Galliarum Rege primæ famæ, ac nominis bellatore contra pacis cum Philippo Secundo Hiſpano Rege, icti fœderis capita, formidando conflato exercitu, atque in Belgas bellum moliente, ſolicitatis ad arma Italorum Principum animis, vt vndique eodem tempore Hiſpanos impelleret; Carolus Emmanuel Allobrogum, & Vincentius Mantuæ Duces Inſubribus, ac Liguribus immane bellum conciperent, Gallorum ſubnixi auxilijs, quæ maxima, ac valida Diguera duce, ſe primo quoque tempore Henricus in Italiam tranſmiſſurum receperat. Harum arcana ſerpigine graſſantium molitionum quidā Romani Proceres, Etruriæque, Parmæque Duces, qui Gallorum inuitamenta, ſocietatemque reſpuerant, *Fuenses.* Fontium Comitem fidis, ſecretiſque nuntijs admonuerant. Ille tanti imminentis diſcriminis metu concuſſus Heluetiorum auxiliares cohortes *Bellici Hiſpanorū apparatus.* ex fœdere in Inſubres trepidis nuntijs acciuerat; vt antequam Gallorum agmina effunderent Alpes; bellicoſiſſimæ gentis præſidijs ditionis fines, arceſque firmaret. Nec multum temporis interceſſit, cum illæ tumultuariæ Heluetiorum legiones raptim ſolicito tympanorum claſſico, & delectu authoratæ Ticinum Gallis fatalem vrbem contento agmine affluxerunt. Non facilè dixerim quàm ſuſpenſis animis totus Chriſtianus orbis hæreret, quò ſe ſe foret impetus Gallici belli daturus, quò ve incubitura tam formidanda copiarum moles. Varij vbique ſermones de bellicis Gallorum apparatibus, armorumque ſtremitu ſerebantur; alijs alia inter ſpem, metumque

tumque

Digitized by Google

tumque diuinantibus, eòque maior erat mortalium terror: quò propius, ac grauius impendebat à pugnaciſſimo Rege periculum. Verùm vnus cultri ictus, quo à nequiſſimo, perduelliumque omnium profligatiſſimo parricida Henricus Rex in ſuo ipſius curru confoſſus occubuit, maximi Principis, Fœderatorumque Ducum ſpes omnes abſcidit, & tantos Hiſpanorum metus, Lygurumque diſcuſſit. *Henrici 4. cades.*

Poterat tunc ſuo iure Philippus Tertius ea Galliæ bello vexandæ optabili opportunitate vti; cum eo repentino Regis interitu æterno mœrore ſqualens, orbumque ſuo Parente Regnum, atque attoniti Dynaſtæ inteſtinos màgis tumultus, ciuiliaque bella formidarent, Condeo Principe infenſo animo à Rege tùm maximè diffidente; quàm de ferendis armis in alienas terras cogitarent: niſi innoxij Pupilli Regis miſeratione irato ob violatum à Parente pacis fœdus, animo temperaſſet. Poterat Allobrogum Ducem Gallorum ope deſtitutum facilè Inſubrum, Neapolitanique Regni, ac Siciliæ viribus, & copijs obruere; niſi conſtans pacis in Italia ſeruandæ ſtudium iam ſtricta arma de ipſius manibus extudiſſet. *Philippi 3. prudens patientia.*

Itaque rurſus Italia Philippi Tertij clementia, ac lenitate, diſiectis imminentibus bellorum nubilis, tranquillata, ſatius putantis aliquid de ſuo iure decedere, quàm quieſcentis Italiæ otia, pacemque turbare. Quæ tanta rerum omnium affluentia, delitijs, luxuque laſciuiebat; vt Opifices quoque per plures dies clauſis officinis laruati non modo Orgia totis vrbibus vlularent, ſed etiam equis phaleratis poſt inſanos lymphatorum more, diſcurſus, quaſi nobilium, & procerum æquata fortuna, in catadromo criſtarum conis, & Perſicis tiaris inſignes, citatis ad curſum equis, vel propoſitum annulum haſtis induerent, vel ligneum ſimulacrum deſtinato in ora ictu ferirent. Mimicis dramatis, tragicis ſpectaculis edendis, Thyaſis, Pyrrhicisque ſaltandis feruebant vniuerſa: frequentia ſympoſia in orbem à ditioribus agebantur. Nullum erat voluptatum genus, quo non propter nimiam opulentiam, cum minimo annona, merceſque venirent, grauis æquè ætatis viri, iuueneſque diffluerent. At non diù pacis commodis frui per mortalium ſcelera licuit, bella vndique in Italiæ perniciem præcipitantibus fatis. Nulla etenim in rebus humanis diuturna fœlicitas eſt, quam non affines calamitates excipiant; ad ima ſiquidem à ſummo proſperitatis faſtigio, ad quod exceſſerant, repente fatalis viciſſitudinis impulſu reuoluta miſerijs, ac calamitatibus affliguntur; omnia pro arbitrio verſante fortuna. *Italiæ opulentia, & tranquillitas.*

Carolus Emmanuel Allobrogum Dux ingenio ferox, bellique cupidus, decimo Kal. Maias toti Italiæ inauſpicatiſſimo die anno huius ſeculi decimo tertio ſupra milleſimum ſexcenteſimum, quem ſiderum Inſpectores quaſi cœleſti afflati Numine mortalibus exitialem, ominoſumque multò ante cecinerant, Montem Ferratum noctu tripartito aggreſſus, diſtracto veluti diuturnæ pacis adamante, in Italiam inexpiabilis belli clades induxit: cuius flamma ab eo Italiæ angulo latiùs effuſa Ligures, Inſubres, Venetos, *1613. Turbata pax Italiæ.*

Pontificias ditiones, Neapolitanumque Regnum, atque Italiæ vltima ſædè corripuit; ſurgentibus hinc, indè quaſi furialis alicuius claſſici cantu excitis in arma pro cuiuſque ſtudio in bellantium opem, exteris Regibus, & Italiæ Principibus.

Vaga bellorum flamma.

Quare tam diuturnum, & periculoſum exarſit bellorum incendium, vt iam ſeptem luſtra quinque nobiliorum obſidionibus vrbium, vaſtatione agrorum prouinciarum direptionibus mortalium pauore, fuga, cædibus graſſari immaniter perſeueret, non niſi cadentium populorum ſanguine præfocandum; quo ipſi Taurini, qui faces ſubdiderunt, adeò ad cineres vſque deflagrant; vt longè amœniſſimus, atque vberrimus totius Italiæ tractus certantium Principum area, aſſiduis vltrò, citròque commeantium turmarum rapinis, copiarumque procurſibus deuaſtatus, conſumptis incolarum fortunis deforme buſtum parum de ſua geniali referat ſpecie, vixq; natiuam amœnitatem, feracitatemque retineat. Ipſa Taurinorum Auguſta Principū regia ſemel per inſidias excepta, & duriſſimę obſidionis incommodis macerata: totus Pedemontanus ager ciuilium bellorum pulſibus deformatus ſæuiſſimi Martis atrocitate eò identidem, vndè prodierat, redeunte.

Italiæ calamitas.

Inde in Ligures bellorum flamma per Alpinas cautes quaſi facto gradu, delapſa totam Liguſtici maris oram crudeliter populata Incolarum ſtragem fecit, & fugam; ipſam tamen Genuam imperij ſedem feciſſe contenta metum, tentare non auſa. Sed quæ hoſtilium armorum impetus, & minas ſuis ſecura viribus deludere poterat; bis inteſtino propè ſcelere perijt, parricidis aliquot ciuibus nefariam peſtem Patriæ molientibus.

Ligures bello petuntur

Maximè omnium Mantua iniqui Martis fulmina ſenſit; quæ à Germanicis copijs per inſidias abrepta, direptaque ægrè priſtinum ſplendorem per tot annos recipere, cladem que ſarcire poteſt. In Veronenſem quoque agrum ab iiſdem Germanis procurſum eſt, & ad Valeſium Venetæ copiæ conciſæ. Nec Italiæ vltima, quà Inferi maris vndis alluitur, à belli malis immunia locorum longinquitas fecit, actis à Turcarum claſſe ex Sipontinis, Calabriſque litoribus prædis, atque Incolis in Thraciam captiuis abductis.

Idem bellicus furor Foroiulienſem agrum, & Carnicas rupes inuaſit, iuſto propè exercitu Venetis Gratianam, & Seniam pyratarum diuerticulum, ferarumque luſtrum aggredientibus, & quorundam Liburnorum latronum prædatorijs nauigijs toto ſupero mari, quà ſe vaſtiſſimo ſinu, enormique æſtuario Tergeſtum vſque receptat, in mercatorum opes, nauigantiumque fortunas immani feritate graſſantium rapinas cohibere, eaque peſte abſtergere Adriaticum mare cupientibus.

Gradiſca. Carnicum bellum.

Nec minori fatali bellorum lue Inſubres tacti, in quos adhuc vſque adeò ad furorem inſanit, vt nec Taurinis finitimos Accolas huc, illucque compulſos vllo tutos loco conſiſtere perpetuis hoſtium incurſibus trepidos, nec

Inſubres bello affliguntur.

Digitized by Google

nec vllibi quieſcere ſecuros à metu patiatur: cum vndique irrequieto impetu Gallicis armis, Allobrogibuſque pulſentur, quæ aliquando in mediterranea regionis illata ipſi Principi vrbi attulere terrorem.

Hæc vaga Martis violentia, quæ circa Inſubrum, Taurinorumque fines hæſura, cæteriſque Italiæ parſura videbatur, ruptis quaſi ſuorum finium aggeribus, quibus clauſa inter anguſtos tantum Italiæ limites ſæuiebat, repente in Æmiliam viam, in Fauentinos, & Vmbriam Venetæ Reipublicæ, Etruriæ, Parmæ, Mutinæque Ducum copijs immiſſis, erupit. Verùm illis iocularibus armis, & ludicris quaſi digladiantium pugnis luſiſſe potius ad mortalium terriculamentum, quàm ad eorum perniciem, lanienamque putanda eſt: nam vix commiſſis aliquot leuibus prælijs, oſtentato ſolum armorum fulgore, ſacroſanctæ ditionis veluti illiſa metæ retro reſilijt, Principibus, qui bellum intulerant, impenſioribus animis in mutua pacis fœdera coeuntibus.

Aemilia bello ardet, & Vmbria.

Sed vix exauthorato milite, Veneti arma condiderant; cum ſæuiſſimum, longèque omnium maximum in ſe comparari bellum à potentiſſimo Turcarum Rege veriti iterum ad arma proſiliunt: inſtructaque claſſe, atque in Ionium, Ægeumque mare iuſſa curſum intendere, ſolicitis hærebant animis, quò ſe Turcica claſſis, prætorianorumque cohortes iactaturæ eſſent. Nec diù ſuſpenſos tenuit Venetos perfida Turcarum barbaries; nullo prius per feciales indicto bello, nulla irritati iniuria, rupto pacis fœdere in Cretam Inſulam validis copijs expoſitis, atque in Dalmatiam effuſis Thracum, & Græcorum agminibus, quo duplici negotio diſtinerentur, periculoſiſſimo bello Venetos perſequuntur; quod nonum iam annum non minus ſtrenuè propulſum, quam perfide illatum Venetorum procerum bellici decoris auget gloriam; quod ſoli omninò, reuocata auita maiorum virtute, nullis ferè cæterorum Principum Chriſtianorum auxilijs adiuti, immanis potentiæ Regi tam diù terra, marique fortibus, ac ferocibus animis obluctentur.

Turca bellum Venetis infert.

Vnum deerat Neapolitanum Regnum ex omnibus Italiæ prouincijs belli calamitatibus concutiendum; quod ſuo tutum robore, ac validis viribus potens nullius exteri Regis iniurijs videbatur obnoxium. Sed quod hoſtilem quamlibet vim facilè elidere potuiſſet, domeſticis ſeditionibus, ciuilibusq; diſſidijs adeò ad ſupremum exitium laborauit; vt rebellantibus eodem furore actis quaſi ex condicto cum Neapolitana plebe cæterarum aliquot vrbium populis, nullas tetriores, cruentioreſque ſtrages alicuius furentis inſania plebis poſt homines natos ediderit; quàm quibus abiectiſſimi ſedimenta vulgi, fœdiſſimorumque vltimæ ſortis purgamenta mortalium de inhumana credo Læſtrygonum ſtirpe in nobiliorum fortunas, & procerum capita debacchata ſunt. Laborabit annalium fides, vt à poſteris illa vera fuiſſe credantur, quæ Neapoli inaudita, immania, & execranda paucis menſibus acciderunt.

Neapolitana ſeditio.

Neapolitanæ plebis ſæuitia.

Veſeui montis flammarum globos, ac cinerum eructantis incendia, con-

Veſeui mõtis incendium. cuſſuque ſoli incolas, & ſubterraneo mugitu terrentis prodigia eius regni clades, nec non Plurij montis rupta ab imis viſceribus ſaxorum compage, in ſubiectum pagum tota mole incumbentis oſtentum cætera Italiæ bella, famis, peſtiſque mala, quibus pleraque huius prouinciæ ad ſolitudinem vaſtata ſunt, portendiſſe nimis ſuperſtitioſa putaſſet Antiquitas; quæ nos religioſiores ex abditis Naturæ arcanis, certaque elementorum lege plerumque effluere, ac proficiſci ſentimus. Quamuis interdum alicuius cladis mortalibus imminentis portenta Deus crinitos ignes, prodigioſaque ſidera ſuæ iræ prænuntia in cœli ſpatia ex ſuis promptuarijs inducat; vt illis minacibus flammis, intentatis veluti flagris, mortales a ſceleribus impendentium malorum incuſſo pauore deterreat. Italiæ bella, & clades & ſi huiuſmodi non ſint, vt ad illarum atrocitatem minitandam feralis alicuius facis lethale rubentis oſtentum fuerit in ſublimi aere depromendum, nec cum illis conferri poſſint; quibus Ludouicus, Carolus, Franciſcus Galliarum Reges Italiæ campis iuſtis exercitibus ſuperfuſis, cuncta rapinis, incen- *Pernicies Italici belli.* dijs, & cædibus funeſtarunt; ipſa tamen diuturnitate pernitioſiora lento quaſi tabo, macie conſumptos incolas, eorumque fortunas adedunt; nam crebris, acerbiſque exactionibus, delectibus exhauſtæ vrbes, & populi ſe maligno ſidere natos ſua iniquiſſima, duriſſimaque tempora lamentantur: quod his quadraginta annis, quibus hæc vniuerſa abſoluitur hiſtoria: nullius ſecuræ omnino pacis commodis frui licuerit, alias, atque alias ſubinde prouincias Martis violentia turbante. Quæ bella nihilominus, quæcumque illa ſint, latinè vulganda ſuſcepi: vt cum Germanica extera, & longinqua ediderim, domeſtica, & patria quoque proſequerer; quò latius ad Italici ſermonis ignaras gentes, & populos manent; non vt inanem latini ſcriptoris aucuper laudem; quæ tota, ſi qua ex his honeſtis conatibus meis proficiſci poteſt, Deo omnium laudabilium operum Authori, promotorique reponenda eſt; & quò me ſucciſiuis horis aliquo literario negotio, digniſque laboribus diſtinerem, quæ inanes excidere, atque otioſe exire Religioſo viro non debent.

Singula ſeorſum colligam bellorum euenta, ne ſi, vt quæque acta ſunt tempore, ſimul vniuerſa continuem, cum pleraque vna contigerint, in plurima fragmenta conciſa, atque diſperſa quam confuſiſſimè legentibus proponantur. Deus meam ſumma ope nitentis in arduum induſtriam ſecundet, conatuſque fortunet, vt cum nihil præter ipſius gloriam his ſcribendi laboribus quæram, optimos etiam profectus habeant, meliores exitus, lætioreſque ſortiantur.

MON-

MONTIS FERRATI
BELLVM
NARRATIO PRIMA.

ITALIA quondam terrarum domina à Gadibus, & Thule ad Euphratem, & Gangem, à Danubio ad Barcen, & Lybicas arenas miſſo ſub iugum terrarum orbe, ſuo ponebat metas imperio. Eius triumphalibus Aquilis Auroræ, Auſtrique Reges vectigales venerabundi regium ſubmiſere faſtigium; cum centum, & eo amplius legionibus res Romana gereretur; deductæque ad finium munimenta coloniæ domitarum gentium contumaci, rigidaque ceruice iugum ſubeuntium aſſultus, rebellioneſque frænarent. Tunc rerum arbitra regna, prouincias ſui pertæſa imperij magnitudinem largiebatur. Vna potuit tota ſub vno Principe tranſmiſſis in Africam, Orientemque claſſibus affectare, obtinereque totius orbis imperium. Nunc verò, prò pudor, in plures lacerata dominatus nullam antiqui ſplendoris ſpeciem præſeferens multis Italis Principibus paret: ferendum tamen, cum alicuius vmbram præferat libertatis; niſi exterorum quoque Principum iniectas compedes nimium degeneri animo libens captiua pateretur. 1613. *Antiqui Italiæ imperij magnitudo.*

Maiorem huius prouinciæ, vberioremque partem ab Aquilone, & Occidente longiſſimo tractu Iuliæ, Rheticæ, Lepontiæ, Graiæ, Cottiæque Alpes porrecto in longum dorſo, perpetuo iugo coronant: quæ ab Iſtria ſurgentes in arduum Foro Iulio, Venetis, Cenomanis, Inſubribus recto ferè obtentu imminent; deinde Taurinorum interiacentium camporum, qua Italia latiſſimè patet, enormi flexu ambiunt amplitudinem; atque illam à Germania, & Gallia quaſi obiectis montium clauſtris, multa rupium aſperitate diſterminant: inde iam ſe ipſa minorem, anguſtioremque à Prætoria Augusta vſque ad Calabra litora decies centena, & viginti paſſiuum millia à Cauro in Notum protenſam humani cruris expreſſa figura ad orientem, & meridiem in arctum coercitam ab vtroque latere Liguſtici, Tyrrheni, Inferi, ſuperique maris vndæ caſtigant. Cherroneſum Coſmographi non malè fortaſſe dixiſſent: cum ferè tota, niſi qua Germaniæ, & Galliæ committitur, vndique maris fluctibus alluatur. Vniuerſa campeſtris, niſi vbi Apennini in ſublime rupes, & cautes ſurgunt, qui ſe a Ligurum finibus molli cliuo attollens minanti poſtea in cœlum culmine per aliquod ſpatium *Italiæ deſcriptio.* *Villa Franca.*

Liguſtico mari prætentus mediam interſecat.

Celeberrimis Emporijs, opulentiſſimis, pulcherrimiſque vrbibus, oppidis, caſtellis, pagis, & villis totius orbis frequentiſſima prouinciarum. Erydanus amnis, quà latius ſe ſe explicat, feraciorem interluit: qui à Taurinis Alpibus exiguo fonte cadens maiori poſtea aquarum mole depreſſiori alueo ſuas vndas trahens, vbi hinc, inde ab obiacentibus montibus per interualla cadentia flumina vaſto excipit ſinu, iam ſuæ magnitudinis impotens in Adriaticum mare ſepteno ore euoluitur. Influentium nobiliora fluminum Abdua, Ticinus, Ollius, Mincius, Tanarus, quorum fluentis auctus fluuiorum Rex blandis poetarum carminibus appellatur; præſertim cum vernis, vel autumnalibus imbribus tumens diſiectis aggerum molibus, in vicinas regiones exundat.

Clemente, ſalubri penè vbique fruitur cœlo, diuitijs, dynaſtarumque opibus potens, cum ferax, & pingue ſolum omnium frugum, & fructuum generibus affluat, ſed præcipuè vini abundantia, ſuauitateque commendabilis. Incolæ plerunque ſunt magnanimi, ac faciles, ſuauiumque morum; & neſcio quid natiuæ nobilitatis, generoſitatiſque præſeferunt. Verùm adeò ſunt varia Italorum ingenia, vt alij ſint moribus candidis, apertis nunquam fallacibus, nunquam malignis: alij callidis, doloſis, infidis, alij duris, aſperis, feris, alij munificis, & liberalibus, alij tenacibus, & cupidis, & ſub vno, æqualique ferè animorum habitu, vt de alijs gentibus fit, comprehendi nequaquam poſſint. Sicuti nec eſt idem omnibus, ſimiliſque corporis cultus; cum pro varietate regionum in diuerſos etiam omnino modulos varietur amictus. Sed plerunque, pudenda ſanè Italicæ grauitatis nota, ridiculas Hiſpanici, aut Gallici pro cuiuſque in alterutram gentem ſtudio imitantur veſtitus ineptias patrium, antiquumque peroſi. Omnes tamen ædium magnificentia, domeſtico luxu, nitoreque, ac ſuppellectilis munditia, elegantiaque delectantur. Nullibi, credo, maiori pompa, ac gloria ſe ſe res humanæ ſuperbiùs oſtentant: vt quidquid vbique terrarum pretioſi ſui iactatrix natura ſinu diuite pandit; hic ſiue natiuum, ſiue de induſtria accerſitum mortalium oculis ſubijciat. Denique Italia huiuſmodi eſt; vt ab vltimis terrarum oris, ſuæ pulchritudinis, atque amœnitatis illicio ad ſe mirandam aduenas trahat; nulloque apud exteros numero, locoque ſit veluti rerum humanarum rudis, qui Italiam hoſpes non peragrarit.

Italorum varietas ingeniorum.

Summus Pontifex, Rex Hiſpanus, Veneti, Genuenſes Allobrogum Taurinorumque Dux, & Magnus Etruriæ, Mantuæ, Parmæ, Mutinæque Duces, Lucenſes præter alios regulos, & dynaſtas ſibi quiſque ſua Italiæ trunca vindicant membra. Potioribus, atque amplioribus latius dominantur Hiſpani. Mantuæ Dux præter cætera eum tenet Inſubriæ tractum, quem Montem Ferratum Itali vocant. Ligurum montibus clauditur a meridie, qua in planitiem ardua iuga demittere, & rupes incipiunt. Ab Oriente, & Aquilone Inſubrum campis excipitur; ad occidentem vſque in Taurinos agros excurrit, quo neſcio an alibi mollior Italia feracius, amœniuſque explicet

Montis Ferrati deſcriptio.

plicet

plicet ſolum. In accliues modicè colles intumet tellus, atque in leniter depreſſas valles clitellarum inſtar, deuexaque loca ſubſidit. Ego dicerem vndantis veluti terræ fluctus adeò mollibus cliuis, demiſſiſque iugis ſe tollit vbique antequam in editas cœlo exeat alpes. Extuberant paſſim, efferuntque ſe ſe per exigua interualla vberes colles, quorum plerumque dorſis pagi, villæ, caſtella pulcherrimo ſanè proſpectu impoſita oculos circumferentium animos mirabili amœnitate delectant. Nullæ nudæ cautes rigent, nulla ſalebrarum aſperitas horret; ſed omnia vinetis conſita læta frondeſcunt; ex quibus adeò generoſum vinum exprimitur; vt nihil Maſſicis, Campanis, aut Falernis ſuam ſuauitatem inuideant. Tota regio frugum omnis generis ferax, & herbida, nullis ſyluis occupantibus ſolum. Collium prona veluti vberes campi frumento ſeruntur, nec minus lætas, quàm plana, meſſes effundunt. Vrbem Caſale iura petunt incolæ, cuius mœnia præterfluens ſtringit Erydanus, tribus fœliciter defunctam obſidionibus inclytam quamuis quartam non tulerit, Mantuano Duce Hiſpanorum ope ſuam ditionē à Gallorum alieno diù incubantium manibus vindicante. Hanc regionem dum Mantuani Principes pro hæreditario iure, & Allobrogum Duces eius partem tanquam è legibus debitam ſibi repoſcunt, a ciuili iurgio ad arma ventum eſt, bellorumq; in Italia faces accenſæ.

Aleramus de clariſſimo Saxonum Ducum genere Montis Ferrati imperium Marchionatus prius titulo auctum ab Othone primo Imperatore ſocero ſuo dotale acceperat: deinde per varios eiuſdem familiæ traduces Theodoro Paleologo Violantis Ioannis Saxonis ſororis filio, deinde Margaritæ de Paleologa gente poſtremæ Federici Mantuæ Ducis vxori hæreditate venerat; ex Cæſarum præſcripto iubentium ius illud beneficiarium ad fœminas quoque marium defectu poſſe deuolui; non admiſſo Carolo tertio Allobrogum Duce, eandem hæreditatem, vt potè qui à Violante Paleologa ſuum genus recognoſceret, cum Margarita petente: de quo olim Carolo Quinto imperante, grauis erat oborta controuerſia: diùque ea magna competitorum contentione iactabatur. Conſtitutis namque à Cæſare Iudicibus, prolatiſque antiquiſſimorum iurium tabulis, & documentis, tres ſimul litem ſerebant, Federicus ipſe Gonzaga, Carolus Allobrogum, Taurinorumque Dux, & Franciſcus Salutiarum dynaſta, diuerſo ambitu, diuerſaque ſpe litem ingreſſi, illud imperium ſibi addici vno tempore flagitabant: ſpes eorum alentibus iuriſconſultis, vt potè, qui priuato quæſtui, & factionibus facile deſeruirent. Cæterum præclarum omninò ius erat Federico Mantuæ Duci, cui nupta erat Bonifacij poſtremi Montis Ferrati demarchi ſoror; qui ex lapſu currentis equi graui terræ alliſu perierat, non obſcura fraterni imperij hæres, quòd Allobrogum Ducis, Salaſſique demarchi nimis obſoleta, incertaque viderentur. Salaſſus ab recenti meritò, quòd difficillimo belli tempore Gallo Rege deſerto, ad Cæſarem quàm opportuniſſimè defeciſſet; non dubiam præmij ſpem præferebat; Sabaudius verò nulla ſua culpa, ſed Cæſaris cauſa maiori ſuæ ditionis a

Quomodo Montis Ferrati ditio Mantuanis Ducib. ceſſerit.

Saluzzo;

Digitized by Google

nis à Gallis parte mulctatus, ea ſibi ſarciri incōmoda, præter ſua antiqua in Montem Ferratum iura, eius dominatus conceſſione ex benignitate Cæſaris poſtulabat. Sed his in rebus Cæſar æquus diſceptator, & Iudex ita litem diremit; vt ſecundum Fœderici iura, meritaque pronuntiaret. Dux Allobrox tanti Imperatoris authoritati obniti non auſus, demuſſata iniuria, quieuit. Tenuere itaque alij ex alijs Montis Ferrati imperium plures annos Mantuani Duces, nemine eius pacificam poſſeſſionem turbante: donec Franciſcus Gonzaga ſuo fato conceſſit, vnica filia ſuſcepta ex Margarita vxore Caroli Emmanuelis Allobrogum Ducis filia, tum enim ciuiles veteres contentiones in apertas ſimultates, bellumque protinus eruperunt. Carolus ſiquidem cum infantulam neptem, & viduam filiam à Ferdinando, qui, remiſſa ad ſummum Pontificem cardinalitia tiara, Fratri Franciſco ſucceſſerat, popoſciſſet; atque ea de re Principem Victorium ſuum filium natu maiorem Mantuam miſiſſet, vt eas inde in Taurinos abduceret; ratus non è dignitate ſua fore, ſi filiam viduam florentis ætatis alibi, quam domi ſuæ degere pateretur: ſanctiùſque paruulam neptem apud Matrem educatum iri, quàm apud Patrem. Neutro impetrato, Mantuano Duce puellam dimittere recuſante, etiam ſi à demarcho Inoyoſa Mediolani produce multùm, diùque elaboratum eſſet ad tollenda bellorum ſemina, quæ illi inde a bellicoſo, aſperatoque Duce pullulatura videbantur; vt à Ferdinando illam extunderet. Princeps Victorius iterum ſororis viduæ dotem, aurea ornamenta, gemmas, moniliaque contendere pergit; & vt à Carolo Quinto ſuper Blanchæ principis bonorum reliquis pronuntiatum ſeruaretur; quorum nomina ad octingenta nummum aureorum millia exceſſerant: mox diſertè Montem Ferratum ad ſuæ domus hæredia ſpectantem pro ſuæ ſororis dote à Franciſco eius Fratre accepta reſtitueret.

Diſſidia inter Allobrogum, Mantuaq; Duces.

Dux Allobrox Montem Ferratum à Mātuano Duce contendit.

Dum animi mutuis altercationibus acerbantur, reſque ad arma deductum iri videretur; à Miniſtris Hiſpanis hoc propoſito iurgijs interceſſum eſt; vt Vidua princeps; vtroque per ſummum Pontificem ſoluto cognationis legibus, Leuiro ſuo nouo Duci nuberet; quo nihil interpellata Italiæ quiete, hæ duæ familiæ iterum vna eodem affinitatis vinculo iungerentur. Ferdinando Hiſpanorum non damnante conſilium; idem Dux Emmanuel reſpuebat; quia eatenus affinitatem, vt ſentiebant plerique, cum Mantuano Duce probauerat; quatenus ad augendas fortunas ſuas, proferendoſq; ditionis ſuæ fines ex icto cum Gallis contra Hiſpanos fœdere, eam ſibi profuturam putabat; quæ tunc ad Montem Ferratum obtinendum impedimentum ſibi allatura erat: ſed hoc in medio ſit. Quare cum Ferdinandus, & in ſpeciem maximè alienus, vt Regni Galliæ Patronus, ab Hiſpanorum obſequijs videretur, & Allobrox Catholici Regis ſororis maritus, præſidente inſuper Inſubribus Inoyoſa, quem multo ante Sancti Germani Marchionatus titulo donatum ſibi deuinxerat, omnia ſibi bellum in Mantuanos Principes audenti, animoque ſuo dignum aliquid conanti prona ratus futura; regreſſa in Taurinos principe vidua ob vnicæ filiæ deſertæ orbitatem

Anno Domini 1613.

tem mœſtiſſima, cum ex legum actionibus nihil ſe contra Mantuanos Duces profecturum ſperaret; couductis clam validis militum legionibus, nocte ante decimum Kal. Maias in Montem Ferratum tripartito intulit ſigna; Verucæ comite Montem Caluum, Alexandro Guerrino Albam Pompeiam cum firmis militum legionibus iuſſis inuadere, ſibi ipſi cum principibus filijs Victorio, & Thoma Tridini expugnandi negotio deſumpto.

Verua Dux Allob. Mantuano bellum infert.

Sperabat Dux admoti portæ aſtiochi impetu oppidum nullo ſe labore capturum; ſed cæſo ab oppidanis in ipſo operis conatu molitore, antequam tormentarius pulus flammam arriperet, in poſterum diem differenda expugnatio fuit; quo adducta Vercellis muralia tormenta editioribus in tumulis ad mœnia quatienda librarentur. Obſeſſi cum omnem venturi ſubſidij ſpem penitus abieciſſent; Mantæ præſide validis ſtationibus omnes aditus claudente, & duo peditum millia ſubſidio protinus oppidanis miſſa vicinitate periculi territa; iam medium iter emenſa rediſſent, tertio oppugnationis die ſalutem, fortunas, priuilegiaque oppidi pacti dedidere ſe Duci. Fœlicius cum Albæ Pompeiæ aggreſſoribus actum eſt; nam appliciti aſtiochi violentia diſiectis valuis proſtrata porta, eodemque ſimul tempore tranſgreſſis mœnia militibus, nullo repugnante ciuitas capta, fœdèque direpta momento eſt, malè accepto etiam ipſius Antiſtite Duci alioquin inuiſo; qui ſe redimere, à militum auaritia numerata pecunia, Niuellumque Imperiale oppidum fugere, quò tutior ab hoste foret, compulſus eſt.

Tridinum oppugnatur.

Tridinum Allobrogi deditur.

Alba Pompeia capitur.

Nihilo ægrius Mons Caluus dantibus vndique Taurinis in mœnia impetũ, licet paulò ante ſubſidiarijs aliquot cohortibus præſidio firmato, violentiæ, auaritiæque prædæ militum ceſſit. Plura deinde oppida, villæ, caſtella ſeu vi ſubacta, ſeu vltrò dedita in hoſtium poteſtatem venerunt. Huius motiʀ repente, nulla facta prius denuntiatione, belli culpam propoſitis literis Dux Allobrox eleuare, atque eluere laborauit; quibus, & ſua in Montē Ferratum iura, & acta per legatos cum Mantuano Duce, multaque de vidua filia, & principe Maria querelis miſta referebat; amariùs expoſtulans nullam promiſſis fidem extitiſſe; ſuamque honeſtiorem cauſam apud Chriſtianos principes facere conabatur, quos etiam enixè orabat; vt ſibi pro rebus ſuis recipiendis bellanti adeſſent; ſubnectebatque pro literarum clauſula, ſe quibuſcunque æquioribus pacis conditionibus aſſenſurum; dummodo eæ afferentur, quas accipere nulli fraudi eſſet, ſuamque dignitatem minimè dedeceret.

Mons Caluus ab Allobrogib. capitur.

Ducis Allobrogis litera manifeſta.

Erudito, aculeatoque ſtylo Allobrogis Ducis cupiditatem aliena appetentis pupugit Ferdinandus; eiuſque libellos, rationes, & iura doctiſſimè diluit; atque amarulentis verbis, fraudem vellicabat, quod ſe in nouarum nuptiarum ſpem erectum, ſopitumque promiſſis, tam iniquè, ac perfidè, nullo prius indicto bello, aggreſſus fuiſſet: ſed inanes ſunt ſtyli puncturæ, & vanæ querelæ, vbi ſtrictus fulgurat enſis; ſilentque leges inter arma. Quare Ferdinandus ſe ad cogenda vndique amicorum principum auxilia,

Mantuani Ducis ad illas reſpōſio.

Digitized by Google

auxilia, atque ad propulſandum fortiter bellum arma expedit.

Italorum Principũ ſuſpiciones & metus.

Tam repentinus in Mantuani Ducis terras Taurinorum impetus omnes Italos principes valdè commouit; ratos non eſſe ſimplices præferocis Ducis in Montem Ferratum procurſus; ſed ſubeſſe aliquid arcani cum Hiſpano Rege percuſſi fœderis; multoque antè hæc eſſe inuicem communicata conſilia, vt ex armorum furentium occaſione alienos dominatus communibus viribus occuparent. Adeò ſibi quiſque ſuiſque rebus timet, cum ex propinquo peti bello vicinum videt deteriora ſemper mortalibus ſuſpicantibus: cum minimè credibile videretur Allobrogem proprio tantum conſilio, ſoloque ſui animi impetu abreptum tantum facinus auſurum, Italiæque pacem, tranquillitatemq; turbaturum; niſi prius Hiſpani Regis talia molienti authoritas annuiſſet.

Mãtuanus Dux arma expedit.

Ferdinandus ne impunè ſibi ab hoſte ſuas ditiones eripi pateretur ad Galliarum regis, Venetorumque auxilia ſe contulit; non minus de Allobrogis Ducis violentia, quàm de Inoyoſæ fraudibus acerbiſſimè queſtus; quòd ſibi arma expedienti doloſè ſpem inieciſſet nihil ab Allobrogum Duce in ſuas ditiones grauius conſultum iri, neque vlla ſuarum terrarum diſpendia laturum, dum de ſtatuenda inter ipſos pace, componendiſque rebus à conquiſitoribus ageretur. Veneti nimiam Hiſpani Regis veriti potentiam, atque admodum Gonzagæ incolumitatis ſtudioſi, palam ſe eius hoſtium, hoſtes profeſſi Ferdinandum ſuum ciuem totis viribus tuendum ſuſcipiunt; atque ex templo ſummo copiarum continentis Antonio Priolo renuntiato; ad ipſumque Mantuæ Ducem Antonio Maria Vincente à ſecretis legato, vt in bellicæ rei procuratione negotijs publicis præſideret; pecunias, auxiliares cohortes, in Inſubres mittunt: ſicut etiam magnus Etruriæ Dux expedita militum, pecuniarumq; auxilia Mantuano decernit.

Auxilia cõtrahit.

Dux Niuernenſis ſubſidio Mantuano Duci accurrit.

Sauona.

Quare ille tot validis firmus ſubſidijs recepto animo, erepta ſibi armis ferociter repetere, arcereque à Monte Ferrato Allobrogem parat. Augebat etiam auſum Niuernenſis Ducis conſobrini ſui opportunus in eo rerum articulo in Italiam aduentus, qui à Gallia Romam iter intendens cum Sabatiæ Allobrogis Ducis in ſui conſanguinei terras violentos armorum impetus occupanteſque repentino bello Taurinos oppida cognouiſſet; ſtatim deflexo itinere ſuperatis alpibus, Caſale ſe tranſtulit; ſuæ familiæ dominatus ab Allobrogum conatibus defenſurus: qui totis perſultantes campis nullo ſibi occurrente hoſte, direpto aſſiduis procurſibus agro, tunc circumductis aggeribus, libratiſque tormentis Niciæ mœnia tundebant;

Nizza della Paglia.

Nicia oppugnatur ab Allobrogib.

Guidi Aldobrandini Diui Georgij comitis inter illas gentes familiæ claritate conſpicui ductu. Hic à Gonzagis alienus animo defecerat illis infenſus, quòd olim patruo ſuo Cardinali ad pontificatus faſtigium ſecuro gradu vadenti animosè refragrati obſtitiſſent; ne totius mortalitatis ſupremum dignitatis apicem conſequeretur; præcipuuſque huius author belli, impulſorque credebatur, vt antiquam vlciſceretur iniuriam.

Niciam Montis Ferrati frequens ciuibus oppidum Belbus, Niciaque

exigui

exigui amnes ab vna parte circumfluentes, foſſæ vicem commodè ſupplent, altera pars vrbis latiſſima, depreſſaque altiùs foſſa munitur; ſed antiquæ ſtructuræ mœnibus, nullis propugnaculis in latera prominentibus cingitur. Tunc vrbi Caſtilio præerat parum à commeatibus & rei tormentariæ apparatibus, & militibus præſidiarijs inſtructus. Quare Comes ingenti vrbis ſpe potiendæ concepta, tormenta ad Patrum Capuccinorum cœnobium, quà foſſam tantum ciuitas obſidentibus obtendit, collinearat; ſed infœlici ſanè ſui conatus euentu; nam cum tribus tantum tormentis mœnia verberaret; effuſique cœlo imbres omnia aquis obruiſſent, cœnoſo, tenacique labe ſolo veſtigijs ſubſidente, nihil contra obſeſſos ad victoriam dignum tentare poterat; quia oppidani tumultuarijs magno ardore munitionibus aſtructis, aggeſta muris tellure ſe ſepſerant: inſuper paſſim reſtagnantibus aquis, maligno, inſalubrique cœlo, plures dies obſeſſo magis, quam obſidenti ſimili fine vllo fructu durandum ſub pellibus fuit; atque intra ſtationum ſepimenta inutiliter commorandum: cum neque prohibere potuerit, quin in ſuis ipſius oculis plures ſubſidiariæ peditum cohortes, & equitum turmæ cum pluribus commeatuum, tormentarijque pulueris copia onuſtis plauſtris in vrbem intrarent. Caſtillione opportuniora ad recipienda ſubſidia, quàm comite ad repellenda, ineunte conſilia, qui dum quaquauerſum militum agmina ad oppugnanda, intercipiendaque ſubſidia ſedulus mittit; oppidani audaci eruptione facta, hoſtium caſtra ferociter adorti tam diù diſtinent velitationibus hoſtem, donec à tergo impunè nullo pedite prorſus amiſſo, ſubſidiarijs cohortibus ingrediendæ vrbis ſpatium fuit. Comes itaque ne inani labore, vanoque niſu in vrbe, & firmo præſidio, & validis propugnaculis munita oppugnanda penderet; mutata bellandi ratione, vt prudentis Ducis eſt, pernicioſo damnato conſilio, ſalubrius arriperet; omnes circum aditus, poſitis ſtationibus inſedit: donec ab Allobrogum Duce Albæ Pompeæ ſtationem agente maiora tormenta, validioraque militum ſubſidia mitterentur in caſtra; quibus adductis animoſior, & fortior, arctiori obſidione ad vltima ferè oppidanos adegit.

Niciæ deſcriptio.

Oppugnationis Niciæ difficultas.

Eruptio in obſidentes.

Sed paucis poſt diebus inuerſa prorſus belli fortuna, Mantuanus iam penè Allobrogicis armis oppreſſus emerſit. Nam cum tota Hiſpanica aula, purpuratique proceres non tàm hos importunos Italiæ tumultus ab Allobroge in Mantuani perniciem excitos, armorumque procurrentium fremitus; quàm ſurgentia impigrè, ac ſtrenuè in Ferdinandi tutamentum Venetorum arma iniquiſſimo animo ferrent; quòd illa in totam Italiam Hiſpani regis arbitria, quæ ampliſſima videbantur; non parum de illa ſumma poteſtate, ac magnitudine deceſſura eſſent; ſi alterius principis, quàm Regis Hiſpani potentia Italis dynaſtis bello afflictis patrocinaretur. Mandatum igitur Inoyoſæ, vt Mantuanum omnibus Inſubrum viribus tueretur: exultantemque victorijs Allobrogem, & fœlicibus auſis ferocientem obiecto Hiſpano exercitu frænaret. Eodem etiam tempore apud

Mantuani Ducis fœlicior fortuna.

Decretum Hiſpani Regis Mātuani Ducis deffendēdi.

Cæſa-

Cæſarem egerant Hiſpani, vt per principem Imperij Vicarium Imperialem proſcriptionem obnuntiaret; ediceretque Allobrogi; vt ab infeſtandis Montis Ferrati terris abſiſteret; atque à beneficiarijs imperij oppidis abſtineret.

Inoyoſa præter Hiſpani Regis iuſſa, etiam à Ferdinando, qui Mediolanum curru vectus magnis itineribus properarat; ad bellum in Taurinos ſuſcipiendum accenſus; vt eam de ſua dubia in ſuum principem fide mortalium ſuſpicionem aboleret; ſe magis Allobrogis Ducis, quàm Regis Hiſpani rebus ſtudere, quòd Sancti Germani marchionatum beneficiario iure ab eo accepiſſet; è veſtigio ſex peditum millia, & ſex equitum turmas, ex Mediolanenſis ditionis præſidijs abductas vna cum Principe Vincentio Gonzaga, Niuernenſique regulo Niciæ ſubſidio properare iuſſit. Admicantia Hiſpani exercitus ſigna; atque Inſubrum copiarum aſpectum. Dux Allobrox amotis indè agminibus, Niciam obſidione ſoluit; præfatus ad Aſculi Principem illius agminis Ducem; ſe non timore aliquo territum, neque alia de re, quam ſola prorſus Hiſpani regis veneratione, cuius Maieſtas ſibi omninò verenda foret; ſuas copias ab illo obſidio amoliri. Montis Ferrati nihilominus, pagos, vicos, caſtella, quacunque ſe raperet Taurinorum agmen, furrentis in campos torrentis inſtar fœdiſſimè prædatum, perque omnia ſcelerum, ſæuitiæ, auaritiæq; genera debacchatum ira fremere videbatur, quòd ſe à parta iam præda Inſubrum arma depuliſſent. Erant omnia Incolarum pauore, fuga, trepidationeque plena; fumabat incendijs ager, quacunque illæ furiales Taurinorum pergerent manus; non ſine ipſius Aſculi principis nota, quòd in Inſubres reducto agmine, non abſcedentis ad compeſcendam hoſtium militum inſolentiam, veſtigijs Allobrogis inſtitiſſet; ſolito miniſtrorum principum infortunio, qui omnium maledictis, & ſermonibus lacerantur, ſi quid aduerſi non propitia fortuna tulerit; proſpera verò rerum euenta fœlicibus auſpicijs Principum tribuuntur; etiam ſi illi in ſuis regijs voluptuoſi alearum ludo diem fallant. Non minora tamen fortunarum ſuarum damna incolæ ab Hiſpanis cohortibus: quàm ab ipſis hoſtibus retulere. Nam cum Mantuanus in oppida, munitaque loca illius gentis præſidia, atque Inſubrum induxiſſet: non facilè dixerim, quanta incommoda à militum impotentia tulerint oppidani Ferdinando nequicquam pro vectigalium ſuorum rebus, fortuniſque vanis queſtubus cœlum implente; cui de militum inſolentia acerbè expoſtulanti reſpondebatur à ducibus; æquo animo aliqua rerum diſpendia ab ijs eſſe ferenda, qui ſui ſanguinis impendio eius ab hoſte ditiones, dignitatemque tuerentur. Miſera ſanè minus potentium dynaſtarum conditio, quibus iniquiora ab amicis, quos ad ſui tutelam accerſere neceſſitas compulit; quàm ab ipſo hoſte patienda, demuſſareque ſuarum rerum iacturam neceſſe eſt. Quare Dux Carolus Mantuanum amara ſugillatione præſtrinxit, quaſi illius fabuloſi ſenis errore deliquiſſet; qui vt a muribus dapes, ſuccidiamque ſeruaret, qui, vt multum illarum, minimam partem

Mediolani produx in auxiliũ Mãtuani Ducis prodit.

Allobrogũ populationes, & ſæuitia.

Militũ acerbitas.

Allobrogis Ducis cauillum in Mãtuanum.

corro-

corroſiſſent; ſelem ad earum cuſtodiam locauit; à qua omnes penitus vo- ratæ fuerunt.

Inoyoſa non eſſe è dignitate ſui regis arbitratus, ſi Mantuanus alijs ad ſui defenſionem; quàm auxilijs Hiſpanicis vteretur; hortando, minitandoque obtinuit; vt Ferdinandus Gallicis ſubſidijs, ac Venetis renuntiaret, Hiſpanorum patrocinio contentus; quorum ſicuti expeditiora, viciniora- que erant auxilia; ita Venetorum, Gallorumque longinqua, & tarda, minuſque ad ſubitos belli caſus opportuna. Totus itaque in Hiſpani Regis fidem, tutelamque conceſſit; ac proinde ſua oppida contra Taurinorum aſſultus hiſpanicis cohortibus, præſidijſque firmauit. Ceſſarunt ideò bellici Venetorum apparatus, auxiliareſque copiæ intra ditionis ſuæ fines prohibitæ vlterius procedere conſtiterunt: ſicuti etiam Etruſca agmina, quæ iam in Mutinenſem agrum deſcenderant; iuſſa referre ſigna in aliud vicinius bellum, orta inter Lucenſes, & Mutinenſem Ducem diſcordia, & tumultus impegit.

Ferdinandus in Hiſpanorum fidem concedit.

Minuebantur in dies Ducis Allobrogis ſpes, etiam ſi numeroſo exercitu ſeptus arma non Mantuano modò, ſed etiam ipſis Inſubribus intentaret: cum ita apertè, & efficaciter Rex Hiſpanus Mantuanum in ſuam fidem receptum Italiæ viribus, authoritateque ſuſtineret: illique non ſolùm ſummus Pontifex, & Veneti aduerſarentur, quibus idcircò infenſus ſuum internuntium Venetijs in Taurinos reuocarat; ſed etiam cæteri Itali Principes, ipſaque Galliarum regina ob mota arma pacis tempore ſuccenſerent; quæ licet Gallica ſubſidia mittere in Italiam Hiſpani Regis hortatione ſuſtinuit; ne maius belli excitaretur incendium; Allobrogem nihilominus crebris ſuaſionibus vrgere pergebat; vt erepta, occupataque redderet Mantuano, alioquin ſe aliquid acerbius in illum conſulturam minabatur, niſi illata ſuo cōſanguineo damna ſarciret. Dux Carolus tot anguſtijs circūuentus, cum hinc Hiſpani bellum, Gallia excidium edicerent; Italia irata ſucclamaret vniuerſa: re ipſa expertus quam difficili, periculoſoque bello precipiti conſilio ſe implicuiſſet; ſtatuit ijs honeſtis conditionibus aures dedere; quæ à pacis ſequeſtribus, conquiſitoribuſque ferrentur.

Allobrogis Ducis minor iā ſpes.

Galliarum Regina hortamenta ad Allobrogū Ducem.

Carolus Emmanuel mitior.

In hæc igitur Hiſpani Regis nomine cum Inoyoſa conuenit: vt ſibi intra menſem Princeps Maria neptis traderetur: vtrinque perduellibus, & transfugis parceretur; bellique impendia, damnaque penſarentur: vtriuſque partis in Montem Ferratum iura amicè diſcuterent, quæſtionemque ſoluerent leges. Albam, Tridinumque, atque alia erepta oppida Mantuano Principi reſtitueret. Non expectatos tamen fructus, hæc conuenta tulerunt; nec maior quies ex hoc mutuo conſenſu defluxit. Cum ſiquidem Inoyoſa Principem Mariam omnibus expetitam votis Allobrogi tradere renuiſſet; immò dum in regia Hiſpana aula multis nominibus proceribus placuiſſet; ne puella è patrui ſui manibus eriperetur, cui Cæſaris iuſſu tutori decreto, omninò in patria domo educanda erat; & nihilo ſecius ducem

Pacis conditiones.

cem impellerent; vt copias,quas ad continuandum bellum expeditas alebat, ac tutum dimitteret: Carolus ira fremens, quòd conditæ conditiones minimè ſeruarentur; fraudem inſuper aliquam ſuſpicatus, quia Galliarum Regina enixè poſcebat infantulam quaſi fidei, vel pacis ſeruãdæ obſidem,& pignus; iterum contra Mantuanum,& Hiſpanos ferocior in arma conſurgit; bello vindicaturus, quod ſibi hoſtes tam iniquè,ac perfidè vſurpaſſent. Hiſpani ex aduerſo ſe pro Mantuano facturos apertè profeſſi bellum impigrè in Ducem capeſſunt ab eo prohibituri armis iniuriam, atq; vt ſui regis maieſtatem Allobrogem vereri compellerent. Mollius tamen cum Duce agebant Hiſpani; ne principem præferocem,impotentemque contumeliæ irritarent ad bellum. Id ſolum acriùs contendebant; vt copias exauthoraret, & tabulis fidem obligaret ſuam, ſe nihil in Mantuanum moturum, atque ſuarum in Montem Ferratum petitionum iudicium integrum Imperatori relinqueret: Filiam viduam Ferdinando nouo Duci nuptui daret; perduellionis crimen rebellibus condonaret; nec amplius ſuarum rerum iacturæ poſceret penſat.onem.

Caroli ferocia, & ira.

Hiſpanorũ poſtulata.

Omnia Duci grauiſſima, generoſoque animo non ferenda, non tàm ob fortunarum ſuarum detrimentum, quòd ſibi facturus eſſe videbatur; ſi his oblatis conditionibus aſſentiret; quàm ob ignominiæ, ac dedecoris notam, quæ apud cæteros principes ſubeunda erat; ſi ab Hiſpano Rege veluti vectigalis leges acciperet: de nimio itaque eius faſtu, duritieque acerbiſſimè queſtus, quòd ſecum tantæ amplitudinis principe imperioſiùs, aſperiùſque, quàm ſuam dignitatem deceret, ageretur; memorans quàm promptè, & facilè, quo regi faceret gratum, occupata iure Montis Ferrati oppida reddidiſſet: eaſdem querelas acriùs iterare, implereque Regiam Hiſpanicam aulam expoſtulationibus ſuum legatum, taliaque reddere purpuratorum propoſitis conditionibus iuſſit.

Allobrogũ Ducis querela, atque indignatio.

Sibi iniquum, ac contra fas omne prorſus videri, ſe cogi, hoſtibus fidem ſuam obſtringere, eoſque armorum ſecuros, belliquе facere, quibus è contra integrum foret, pro arbitrio ſibi quæcunque inferre detrimenta: de nouis verò ſuæ filiæ viduæ cum Ferdinando nuptijs non recuſare ſe vota regis implere, dum iurgiorũ cauſæ tollerentur, quæ ſimultates inter vtraſque domos accenderant. Delationem autem iudicij de Montis Ferrati rebus ad Cæſarem, ſibi omninò multis de cauſis eſſe ſuſpectam; non fugere tamen ſe, quin trium perſonarum, arbitrio Cæſaris conquiſitorum nomine, tota controuerſia definienda deferretur; tandem ſe quoque dimiſſurum exercitum, dummodo eodem tempore Inoyoſa pariter ſuas miſſas faceret copias. Quæ Allobrogis Ducis reſponſa Hiſpani prorſus faſtidiebant, vtpotè qui nihil cum eo paciſci; ſed præfracto regis imperio, arbitrioque illum parere vellent, coniugij tamen principis viduæ cum Ferdinando vtriuſque voluntati liberum permiſerunt. Placuit, quoque, vt terni vtrinque conquiſitores quæſtionem de Monte Ferrato communi ſententia perſoluerent; id ſolùm acerrimè pugnabant, vt copias illicò exauthoraret; & Catholici regis mandatis, voluntatique obſequeretur,

Hiſpani Regis mina.

tur,

tur, alioquin illum ad retinendam regiæ maieſtatis dignitatem, maioraque incommoda Italiæ fugienda, ab eo armis poſtulatorum expreſſurum aſſenſum.

CAFERONIANAE BELLVM

NARRATIO.

Anno 1614.

INTERIM bellum, quòd in Inſubribus compoſitum, aut tacitis inducijs ſuſpenſum videbatur: orto de finibus inter Mutinenſem Ducem, & Lucenſem Rempublicam diſſidio, leuiſſima de cauſa, de quatuor quippè terræ paſſuum poſſeſſione in Caferoniana periculoſius exarſit, ob indè profectura mala, in vtriuſque partis auxilium amicis principibus ruituris in arma. Rerum bellicarum apparatus, iuſtus bellantium vtrinque numerus, maiorque copiarum quàm in Inſubria moles, animorum ardor, ira, indignatio, rabiem ſatius dixerim, nobilium concurſus illud bellum fecerant formidandum: cuius primas faces mutuæ armentorum populationes incenderunt; à quibus prius ad exilia, bonorumque publicationem, mox ad arma procurſum eſt. Lucenſes ſuæ ſemper timidi libertatis, cui inſidias à Florentinis ſtrui, inuiderique tanquam ſuæ ditionis, iurisque vrbi norant; cum valida militum ſubſidia à Magno Etruriæ Duce Mantuam ſubmitti viderent; ne ex tranſitu in ſe nullo militum numero inſtructos, imparatoſque conuerſo gradu, armorumque impetu, ſua intercepta vrbe, libertatem opprimerent: collectis raptim ex vniuerſo agro popularium delectibus ſexdecim bellatorum millibus validi in arma conſurgunt in Etruſcorum tranſeuntium conſilia, atque acta intenti. Vbi verò nullo maleficio transgreſſis Etruſcis, ſuarum rerum pauor ille deſedit: ne fruſtra congeſta illa exercitus moles nullo edito bellico opere dilaberetur, acceptas à Mutinenſibus iniurias vlciſci decernunt. Effuſis igitur extemplo in Mutinenſem ditionem agminibus, obuia quæque ferro, igneque corrumpunt, nemine improuiſo, ſubitoque malo occurrente; cum omnes, vt in tranquilliſſima pace ſuis agris colendis intenti per agros vſquequaque diſiecti, atque ab omnibus hoſtilibus ſecuri nihil minùs, quàm Lucentium impetum pertimeſcerent. Nec omnia diripuiſſe, vaſtaſſeque contenti, aliquot etiam pagis, & villis Mutinenſis Ducis occupatis, Perpolim montem belli ſedem

Graffagnana.

Pernitioſũ Lucenſium conſilium.

Lucenſes Mutinenſẽ agrum populantur.

deſtinatum propugnaculis opportunis in locis, atque aggeribus munierunt, plus decem peditum millium impoſito præſidio. Dux Mutinenſis ardentiori flamma indignationis exeſtuans, quàm qua ipſius deflagrauerant terræ, quòd nullo per Feciales indicto bello, rupta pace, in ſuam ditionem Lucenſes hoſtiliter incurriſſent; ſolicito tympanorum claſſico excitis ad arma vectigalibus, quàm maximum potuit militum numerum repente ex ſuis dominatibus coactum hoſtium exercitui parem Hyppolito Bentiuolo Duce in Lucenſes immiſit. Qui ad Mutinenſium conſpectum à libera agrorum populatione compreſſi in munitiora loca trepido receptu diffugiunt. Quare Mutinenſes maioris momenti ſitus, & loca ductis munimentis, propugnaculiſque vallarunt; præcipue Caſtrum nouum Caſeronianæ præſidis ſedem, caputque regionis, & Mulaſanam depreſſa foſſa, munimentis, atque aggeribus munierunt. Quibus in locis copias partitus Princeps Alphonſus ſubſtitit; vt è propinquo hoſtium in plana è Perpoli monte decurſus, populationeſque cohiberet. Crebros vt à vicinis copijs leuia certamina variante fortuna à militibus ſerebantur: mutuæ clades in aggrediendis, tuendiſque locis ab vtriſque datæ, & acceptæ: ferocibus eruptionibus frequentibus velitationibus nulla non die ardentia in ſe inuicem odia, animorumque feritatem, virtutemque teſtabantur. Pugnatum ſæpius eſt non tam infenſiſſimis, quam obſtinatiſſimis animis, nullo tamen tanti fuſi ſanguinis pretio, quàm vt ſuam implacabilem rabiem ijs cruentis certaminibus declararent. Lucenſes grauibus ſe ad fines iniurijs à Mutinenſibus laceſſitos rati in hoſtes, in agros omni crudelitatis genere ſæuierunt; vt deinceps illi cladibus, ſuiſque malis edocti ab hoſtilibus abſtinerent. Mutinenſes verò ſecum acerbiùs actum à Lucenſibus arbitrati, quàm leuiſſimæ offenſæ mererent: quæ ex æquo, & bono citra cruorem, bellique tumultum poterant componi, tanta in eos ira, odioque accenſi in vltionem ferebantur, vt rabidarum ritu ferarum nulla ſalutis cura in certamina, necemque hoſtium ruerent. Verum ardenti vindictæ cupidini alpeſtria loca, ſalebroſæque anguſtiæ, in quibus copiarum vires explicari non poterant, intercedebant. Lucenſes ſatis pęnarum ab hoſte ſe exegiſſe rati, ea vltione contenti ſe intra munita loca, ac propugnacula continebant; nec niſi bene rei gerendæ hoſte occaſionem præbente, in ſubiectas Mutinenſium ſtationes, palanteſque per agros eorum manipulos erunpebant. Sed cum quadringenti Lucenſes ad Principis Aloyſij aduentum à quadam ſtatione oppido Gallicano vicina trepidi diffugiſſent, illius inuadendi anſam Mutinenſibus præbuere: quod libero procurſu oppidi mœnibus ſuccedi poterat; cuius expugnatio ad totius belli ſummam maximè proficiebat: non ſolum quòd Gallicanum frequens amplum munitum rerum bellicarum armamentarium, commeatuumque promptuarium oppidum erat: ſed etiam quod eo occupato, Lucenſes in Perpoli monte obſeſſi, clauſi, omnibus ſubſidijs, & commeatibus intercluſi in hoſtium poteſtatem venturi erant. Oppidum valido præſidio tenebatur, quòd ob deſertam

Mutinenſes in Lucenſem agrum incurrunt.

Bellum inter Mutinenſes, Lucenſeſq; ſæuit.

Mutua hoſtium ira, & rabies.

Mutinenſes oppidũ Gallicanum inuadunt.

tam à ſuis popularibus ſtationem ſtatim nouis inductis peditum cohortibus auctum eſt: quare præſidiarij eo firmati ſubſidio impauidi in Principem Aloyſium ſubeuntem erumpunt: per aliquod temporis ſpatium ęquo Marte, parique virtute pugnatum eſt: ſed quadringentis peditibus in Lucẽſium ſubſidium accurrẽtibus, Mutinenſes pulſi veſtigio cedere coacti ſunt; donec, & ipſi nouis aucti militum auxilijs non æquant modo pugnam, ſed etiam Lucenſes in Gallicanum compellunt: eodemq; certaminis impetu nocte propugnaculo oppido imminente potiti impoſitis tormentis frequentibus ictibus, moſchettariorũq; procella hoſtem neque in męniũ loricam prodire, & conſiſtere, neq; per vias progredi patiebantur; præter id quòd etiam commeatibus ad Montem Perpolim aditum interciderant. Quamobrem Lucenſes vt ſe tantis moleſtijs, ma'iſq; expedirent; aliud propugnaculum aduerſum à Principe occupato ſublimius feſtinato opere excitant; à quo ſupernè Mutinenſes aſſiduis tormentorum iaculationibus inceſſiti, hoſtem inde deturbare decernunt. Summo igitur mane ſtipatis militum ordinibus propugnaculum aggrediuntur. Ingenti animorum ardore, ferocia, vitæq; contemptu dimicatum eſt, pluribus vtrinque cadentibus, maiori tamen numero aggredientium ex eminentiori, æquioriq; loco munimentis, propugnaculiſq; vallato Lucenſibus dimicantibus, nullo fere, vt in confertos Mutinenſium ordines irrito telo cadente. Quatuor horas certamen tenuit; nec vllibi infenſioribus animis pugnatum eſt. Sed cum Mutinenſium ex loci iniquitate per propugnaculi ardua prœliantium maior lõgè cedes ab hoſtibus ederetur, diutiùſq; repugnare non poſſent; in effuſam ſe fugam, nequicquam Ducibus remorãtibus, conijciunt: nec Principis periculum inter promptiſſimos dimicantis, nec deſerti pudor vllus fugientiũ animos mouit; immo nec plurium nobilium ſtrictis enſibus fugam retinere conantium minæ terruere; quominus ſe in tutum abriperent. Nec tamen Lucenſibus ea læta victoria fuit; à Mutinenſibus maiori illis repoſita clade, direpto, incenſo Monte Fegatenſi, in quẽ fuga dilapſo præſidio Mutinenſes ingreſſi maximum numerum armentorum, quę in illud oppidum tanquam in tutum in ea belli trepidatione congeſſerant, abegerunt. Verumtamen cũ non ſibi ſuas expleſſe ſatis iras, minoraq; omnia hoſtilia, vltioneſq; ad ingẽtia accepta à Lucenſibus damna viderentur: arduaq; eſſet omnino bellandi in hoſtes ratio in locis ſitu, atq; arte munitis incluſos; in agros conuerſo irę impetu decorticatis arborib⁹ pręciſiſq; vitibus, incenſis mapalibus, regionẽ omnẽ, hoſtiliſq; ſoli faciẽ ſæuiſſimè deformarunt. Lucenſes, qui prima effuſa ira, ab agrorũ populationibus abſtinuerant: vt eadem mala hoſtib. remetirentur; ex ſuis munitionibus in Mutinenſem agrũ effuſis agminibus illũ ſæuiori quàm prius populatione deuaſtant: eaq; omnia, quæ hoſtiles effugerant iras, ferro, atq; ignibus demoliuntur. Mutinenſes, quoniã Gallicani oppugnatio difficilior in dies, ac magis ardua videbatur, relicto in occupato propugnaculo iuſto præſidio; reliquo copiarũ robore in Caſtrum Leonis oppidum incolis frequens, & in ea regione præcipuum incumbunt; in quod

Inter Mutinenſes, Lucenſeſq; certamen.

Mutinenſium fuga.

Mutinenſes Caſtrũ Leonis inuadunt. Caſtiglione.

repentino hoſtium acceſſu obſeptis omnibus vijs, ſummæ difficultatis erat ſubſidium inducere: ſed belli furentis initio fuerat valido præſidio firmatū, mox ad deſcendentiū ex Alpibus Mutinenſiū nuntium, Eques Cæſar Bonuiſius cum electiſſima ducentorū peditum cohorte, & plurium ciuiū ſpōte pro patria in arma ruentium manipulis Reipublicę iuſſu oppidum inierat: quibus cæteris additis, præſidium ad mille ducentorum militū ſummā exceſſerat: præter oppidanos robuſti, fortiſq; corporis ad arma tractanda, propugnandaq; męnia minimè ineptos. Mutinenſes, erectis illicò tumulis tormentarijs, arcis portam tredecim tormentorum aſſidua verberatione concutiunt: qua prorſus cum męnium parte, & ingenti turri proſtrata, militibus ad inuadendum ſtrauerāt viam. Sed cum à tergo quædam Lucentiū ſtationes aggeribus, valloq; munitæ vincendæ ſupereſſent; ab impetu dādo abſtinuerunt; ne à tergo, dum oppidū inuaderent, cęderentur. Libratis igitur in circumiectas ędes, eminentiaq; loca, & ſtationes tormentis, omnia cū propugnantium ſtrage proſternunt: inde in oppidum rurſus miſſiliū turbinem vibrant. Quorū frequentia cū oppidanis nullibi, nec ſub tectis, nec ſub dio tutis eſſe liceret, opportunis in locis excitant aggeres; atq; in interiori pomęrio profundas deprimūt foſſas, tumulos obmoliuntur, quorū obtētu exceptis tormentorum globis, eluſiſq; ictibus ſe à præſenti nece tegant. Interim ſæuiente bello à Mediolani Præſide ad Lucenſium preces ſuſceptæ belli initio pacis tranſactiones non intermittebantur; cuius ſequeſtrēs comes Balthaſſar Bilius Mutinam, Lucam verò Scaramuccia Vicecomes miſſi fuerant, vt pacato bello pugnantium æterno fędere iungerent dextras. Sed cum Ducis iras lenire, nec ab eius oppidi oppugnatione amoliri poſſent; multumq; de Hiſpani Regis exiſtimatione decederet, ſi in ſua quieſcentis fide Reipublicæ oppidum illi eripi pateretur; produx imperat Billio, vt in oppidum ingreſſus Regis vexillis in męnium loricis, & turrium faſtigijs erectis, illud Regis nomine teneri declaret. Ad quorum conſpectū ſtatim tormentorū fulmina, mox omnia hoſtilia ceſſarūt; reſumptoq; à ſequeſtribus ſanciēdæ pacis negotio, in has cōditiones de pace cōuenit. Finiū termini eodem loco eſſent; de quo à Fontium Comite alias in huiuſmodi diſſidijs pronuntiatum eſt: & de nouo hoc tollendo iurgio, præſcribendiſq; finibus eligendorum iudicum ſententiæ ferendæ pars vtraq; ſtaret. Lucenſes omnia in Mutinenſi ditione occupata loca relinquerent, omniaq; munimēta, ac propugnacula diruerent: idem Mutinenſis Dux faceret, qui ſua obſtricta fide ſe nullam moleſtiam Lucenſibus allaturū; ſi primi arma deponerent; ſuos ipſe quoq; milites exauthoraret, copiaſq; dimitteret. Sic compoſitis rebus, cōpreſſoq; belli incendio, quo totam eam æſtatē Caſeronianæ vberrima arſerant: ab armis diu in ijs partibus quieturis ceſſatum eſt.

Agitur de pace inter bellantes.

Pax ſancitur.

Fuentes.

Hic quieſcente Marte, in Monteferrato, & Taurinis dum hinc, inde, maius, ac maius feruet mutuis altercationibus iurgium, atque animi, vt ſolet, alternis contentionibus aſperantur; cum, & Hiſpani antiqua iura repetentes Aſtam Coloniam veluti Mediolanenſis dominatus

vecti-

vectigalem repetunt; & Carolus quingenta, & viginti aureorum millia Catharinæ ſuæ vxoris dotis reliquum repoſcit: iterum bellum maius ſuperiori recruduit. Interceptæ inſuper Lermæ Ducis epiſtolæ ſui contemptu offenſus, qua iubebatur Inoyoſa (ſi fortè Dux non obediat,) (hæc erant diſerta literarum verba) Inſubrica ſigna Taurinis inferret: tanta ira excanduit, vt Apoſtolici legati reiectis officijs, qui ardentiſſimo ſtudio nitebatur eius iratum animum lenire, damnatis etiam ſuorum purpuratorum conſilijs, decreuerit ſe potius, ſuaſque ditiones incertis belli caſibus obijcere; quàm Hiſpani Regis veluti vectigalis iuſſibus obedire; Mediolani itaque præſidis arma ferociter parat excipere; qui iam inſtructo exercitu Allobrogi obnuntiabat ſe omnia belli turbine euerſurum; Taurinoſque ſignis illatis, totis viribus aggreſſurum; niſi ſolueret copias. Verùm iſtas ridebat Hiſpani faſtus, iactantiæque minas Allobrox: veritus tantum, ne iſtud præceps irati animi conſilium minus probaretur à filijs; qui alieni prorſus à rumpendi cum Hiſpano Rege belli cogitationibus videbantur. Eos in ſecretius vocatos conclaue ita dicitur alloquutus.

Allobrogis Ducis ira ob Hiſpani Regis imperium.

Interceptæ Lermæ literæ, imperiorumque Hiſpani regis acerbitas, qua conſanguinei, & affines accipimur; perpetuuſque ferè noſtri contemptus, quo ab eius quoque miniſtris habemur, iam nos docere debuiſſet; niſi omninò ſtipites ſumus; quid immodica Hiſpanorum vota concipiant; & quæ ipſorum ſenſus animorum coquant. Si ſtringimus ferrum bello repetituri; quæ iniquè nobis erepta ab hoſtibus vſurpantur; ecce tibi Fecialis Hiſpanus à iuſtis conatibus, intentato bello, deterret: niſi condimus arma, niſi copias reducimus in pacatum: ſi quæ hæreditario iure nobis obueniunt, ex legum præſcripto repoſcimus; Rex Hiſpanus nulla mora noſtris petitionibus intercedit; ſi hoſtes aggreſſi noſtra armis extundimus; ex templo ſuarum copiarum obtentu, noſtrorum profectus armorum interpellat; ſi conflamus exercitum; ſi Heluetiorum cohortibus fines munimus, ſtatim exauthorare milites iubet; quaſi in nos aliquid illi foret imperij, precarioque pro ipſius arbitrio regnaremus. Nos vt video, ſuorum vectigalium numero habet. Carolus omninò Regi pareat, Carolus ſe Regis voluntati conformet; quòd abſciſſius, aut deſpicatius in ſuos ſubiectos exerceret imperium? Indignus profectò nomine principis eſt, qui nimis timido, abiectoque animo alterius principis iuſſibus paret; & ſuas ditiones, vitamq; ipſam præ dignitate, libertateque putat eſſe potiora. Nihil eſt quòd me magis Hiſpano faciat infenſum; quàm illa plena ſuperbiæ, & faſtus arbitria; quibus ſe noſtris rebus immiſcet, immiſceret ſe ſanè; dummodo nihil ipſius interceſſio iuberet; ſed hortaretur, aut moderatis ſuaſionibus ſtuderet animos conciliare. Iam tot contumeliarum impotens, vindexque ſui animus imperium à maioribus noſtris virtute partum, traditumque liberum ad extremos, vſque ſpiritus ſtrenuè tueri paratus, vel nolens rapitur in arma nihil Hiſpanæ timidus potentiæ. Nihil eſt tam firmum, cui non periculum ſit ab inualido; & non aliquando illum aduerſa fortuna percellat. Habet ille ſanè expeditas Inſubrum manus Neapolitanaque peditum, atque equitum auxilia; ſed ſi benè etiam noſtras ex-

Ducis Caroli irati ad principes filios alloquium.

pendimus vires, ſi copiarum robur, & plena militaris audaciæ Taurinorum pectora; non vereor quin Inſubres non ſuſtinere modo, ſed etiam propellere, ac conficere poſſimus. In Hiſpanarum cohortium veterana virtute aliquid momenti eſt; quibus ferocia Heluetiorum agmina obijciemus. Nobis aderunt firma Gallorum equitum ſubſidia; Veneti militi ſtipendia ſufficient; commeatus ex ipſa camporum vbertate affatim ſuppetent: noſtri vectigales bellicoſi promptiſſimis animis pro noſtra, ſuaque libertate vindicanda alacres induent arma. Tandem aliquando duriſſimum Hiſpanorum iugum à noſtris ceruicibus decutiemus. Pro Deum immortalem, nihil pro noſtro commodo mouere, nihil pro noſtra dignitate moliri poſſumus; quin armatus Hiſpanus noſtra incurrat in latera; & ſe in noſtram perniciem hoſtibus noſtris adglomeret. Nec conſanguinitate propinquiorem, nec acerbitate infenſiorem hoſtem Hiſpano Rege habemus: quos naturæ iure, ac debito ad maiores opes, potentiamque prouehere, vel certè gradum preſtruere deberet, aut ſaltem generoſo conatu ad ſublimiora propria virtute vadentes non iniectis veluti manibus remorari. Pluris Genuenſes, Mantuanumque facit; quàm me affinem, quàm vos nepotes ab ipſius ſanguine propagatos: immò ſi in hos vel irritati iniurijs vel noſtri recuperandi gratia bella ſuſcipimus; ſtatim cum hoſtibus ſua agmina ſociat vireſque coniungit, quaſi quodam fœderis ſacramento aſtrictus. Me illius affinitatis pœniteret, auerſarerque cognationem; niſi vos ab ipſius ſanguine ſuſcepta proles alienati ab inuiſo genere odium animi leniretis. Noſtrorum maiorum innumera, ac maxima in Hiſpanos Reges merita ingratæ menti exciderunt; non reminiſcitur amplius tam ſanctè eos inconcuſſa, intemerataque fide erga Auſtriacos amicitiam coluiſſe; vt ipſorum cauſa fortunas ſuas omnes, ditiones, vitamque ipſam in diſcrimen abiecerint. Quoties pro Hiſpanis Regibus ſtantes in ſe Gallica arma concitarunt? alienaque pericula in ſua capita conuerterunt? Meus Pater Taurinis, atque Allobrogibus pulſus, ſuis ditionibus extorris haſtatus miles ante Cæſarem pedibus meriturus ſe ſiſtere coactus eſt; atque in Veromanduis copiarum ductor Gallos ingenti prælio, maiori Gallicæ nobilitatis parte deleta, concidit. Ego malè cũ maximo mearũ rerũ detrimento, vt Inſubres mearum ditionum obiectu tutos à Gallicis incurſionibus facerem; Sebuſianos Salutijs damnoſo ſanè conſilio mutaui. In Galliæ Narbonenſis Hiſpanorum heros armatus viſcera penetraui ratus me gratum Hiſpano Regi facturum, ſi Gallos longiùs ab Italiæ finibus ſummouerem. Quotidiè prò Inſubrum ſalute in Italiæ foribus agimus excubias; validis militum ſtationibus vallium aditus claudimus, per quos in Italiam gens præferuida poſſet irrumpere; ne Mediolanenſem dominatum, quem diù tacitis votis anhelant, illatis armis vſurpent: nos ipſius muniimenta ſumus, ac propugnacula prouinciarum: nos tamen quaſi hoſtes habet, & tot noſtris meritis, plurima damna, ac detrimenta reponit. Nunc meam neptem depoſco, vt ſub matris diſciplina adoleſcat: Rex Hiſpanus iubet in Mantuani poteſtate, tutelaque eſſe; quò mihi Montis Ferrati maiori iure repetendi adimat facultatem. Statui omninò meam bello cum Hiſpano Rege experiri fortunam; quæ non iuſtis meis votis ſemper illudet. Dij fortioribus adſunt;

S. Quintino.

Breſſa.

Saluzzo.

adſunt; ſicuti nihil eſt abiecta patientia turpius; ita nihil nimia timiditate damnoſius. Iſtarum Hiſpani faſtus minarum iactantiam tandem fortiter audendo vanam eſſe traducam. Mecum animis, & manibus facite fortiſſimi iuuenes, voſque è generoſo ſanguine Principum Saxonum genus egregijs factis ducere demonſtrate. Mihi effœta ætate iam ſeni quietem potius, quàm bellicas curas amanti indignatio inijcit arma; atque in bella vel nolentem proficiſci compellit; vt me liberum principem pro mea dignitate in Hiſpanos bellando profitear; & vobis me parente, opibus auctioribus maiorem dominatum, quam à maioribus meis accepi, relinquam.

Valdè commouit filiorum principum animos feruida, irataque patris oratio; ſed, cum maxima belli pericula ſolicito metientibus animo, impenſæ, damna, certæ iacturæ, dubia compendia obijcerentur; princeps Victorius minus calidæ mentis, ſedatioriſque conſilij honorem præfatus ſic parenti reſpondit.

Principis Victorij reſponſio ad Patrem.

Iuſta ſanè incenſus ira in Hiſpanos raperis, Pater, & ſuperba illa Regis imperia omnem ex liberis principum animis patientiam excutiunt. Eodem nos quoque iracundiæ æſtu ciemur; iiſdemque iniurijs in arma à Rege patruo malè habiti concitamur. Te nos omninò ſequi in bellum, hoſteſque vadentem, tuaque in acie pugnantis latera ſtipare eorundem conſortes diſcriminum patris veneratio, & charitas iubet; at cum plurimæ arduæ difficultates occurrant, & innumera vndique mala certò ventura circumſtent; ſi difficili bello nos, vectigaleſque noſtros ira præcipites implicamus; non horret modo animus audacium armorum diſcriminum magnitudinem; ſed etiam pauidus refugit ab huius inconſulti cogitationibus belli. Nec à tua nos generoſitate, animoſitateque degeneres puta; quòd iuuenes robuſtioris ætatis, & principes filij Hiſpani belli pericula formidamus; nimio plus impauidi, infractique animis paterni contemptus vltores rueremus in arma, patriſque ſenis commilitones nos certaminum periculis obiectaremus; ſi pares animis ſuppeterent vires; ſi æquali copiarum robore Hiſpanam contra potentiam ſtare poſſemus. Sunt nobis admodum exigua tyronum agmina ex Taurinorum coacta delectibus, Allobrogicus equitatus fateor, & intermiſtæ Gallorum turmæ primo belli impetu Hiſpanos audacia, atque virtute præſtabunt: at ſi diutiùs Hiſpanus conſultò extraxerit bellum ad noſtras infringendas ipſa mora vires, deficientibus ſtipendijs, conſumptiſque commeatibus non video qua ratione diuturnum alere bellum poſſimus: nec eſt magnopere Venetorum ſubſidijs fidendum; quæ ſicuti longinqua, ita dubia, vel certè parca ſufficient; & nemo vel virtute, vel fortuna maximus imperator res præclaras vnquam bello geſſit, quem cæteris abundè ſuppetentibus, pecuniæ propria bellorum inſtrumenta defecerint: diuturnis ſtatiuis erunt incolæ bonis omnibus exhauriendi, regioneſque hoſpitijs militum euaſtandæ, vel turpiter neceſſitate compulſis Hiſpano cedendum; petendaque ſubmiſſius, cum dignitatis, rerumque iactura pax. Vicini potentes, nec vincere, nec vinci ſine alterius periculo poſſunt: nec validiorem irritari oportet; ſeque illius hoſtem, profiteri; niſi etiam ſubita adſit illius opprimendi facultas; in vltionem enim

exardens eandem perniciem, quàm illis moliebamur, in noſtra validiùs capita refundet. Hiſpani in Taurinos copijs effuſis, oppidis, vrbibus, plerumque nullis, aut antiqui operis munimentis obſeptis nullo negotio expugnatis, omnia momento ſubuertent. Quod ſi ex gentis ingenio, ad diuturnam, perpetuāque fortaſſe ſtationem opportunioris ſitus aliquam circum extructis propugnaculis, vallabūt; quis Hiſpanos ab illo munito, tutoque receptu deiiciet? erunt euacuandi theſauri, annona, amicorum ſubſidia, integri exercitus conſumendi, antequam occupati tenaciſſimam gentem ab eius poſſeſſione decutias. Parumper ſublimitas tua turbidum animum ſerenet, fluctuantemque ira mentem tranquillet; & meliori lance huius exitus belli, damna, incommoda pacatius expende. Ea ſatis decora conſilia ſunt, quæ dubijs rebus ſecuritatem promittunt, non quæ ab animi irati audacia inita, cuncta in præceps trahunt; dum enim inanem animi vigorem oſtentamus, hoſtis virtutem ſtolidè prouocamus: accidit etiam, plerumque, vt homines ea decreta, quæ alacri motu, ſummoque auſu ante diſcrimina ſuſcepere; ijs demum præſentibus, cum facto maximè opus eſt; timidiſſimè perhorreſcant. Sed apage fœdum à principum pectoribus metum; nullus noſtrarum mentium conſtantiam timor impellat. Inferamus Hiſpano bellum, his tantulis copijs Inſubres aggrediamur; quid ex hoc armorum motu fructus, compendijꝗ hauriemus? Nos profectò non aliquam munitam vrbem iuſta obſidione ſepire, non in ea diutius perſiſtere, militum paucitate, pecuniarumꝗ inopia poterimus; ſtatim cum duplo maiori copiarum mole ſubſidio accurret Hiſpanus, ductoque vallo animoſior, vt in ſua terra, noſtra terga pulſabit, & ex obſidentibus faciet obſeſſos: vel totis campis rapiendus erit exercitus, agendæque ex hoſtico prædæ; eadem nobis Taurinos inuadens Hiſpanus detrimenta rependet; dumque alienas terras populabimur; noſtras imprudentes fortunas, incolarumque diripiemus. Miſcebimus omnia, vectigalium ſalutem in periculum dabimus, noſtras ditiones delectibus euertemus omnes; nihil tan.en commodi ex tantis ærumnis, & laboribus percipiemus. An ſperas te poſſe Hiſpani Regis aliquid occupare? aut aliquam vrbem eripere? quæ non ſit protinus cum impenſarum, militumque iactura reddcuda? Quid igitur tua tela petunt? quis ſenſus eſt armorum tuorum? quid bello ab Hiſpano Rege repoſcis? an animo ſedet cum eo ex æquo contendere? omnes iſtam tuam nimiam animoſitatem cauillabuntur, deridentque vanos conatus. Nimirum ij; qui vaſtiſſimis animis agitant Europæ totius imperium, quorum ampliſſimi dominatus iiſdem, quibus terrarum orbis finibus terminantur; ſe conferri tecum, aut æquales tibi haberi patientur. In Italia prouincijs opulentioribus dominantur; Inſubres tenent, in Neapolitano Regno latè ſoli imperant; Siciliam, Sardiniamque poſſident: quorum omnium viribus, cætera Italiæ, ne dum Taurinos facilè poſſent obterere; niſi aliqua moderatio, & pudor cupidis etiam aliquando animis imperaret. Itaque pacem potius cum Hiſpano Rege, quàm bellum cum longè validiori ſuadeo; quàm omninò rebus inſuper noſtris acciſis, paulò poſt ex po-

ſcere

Digitized by Google

ſcere compellemur. Nullum dedecus reor tenues revereri ditiores, debilioremque principem cedere potentiori, Hæc tibi ſubiici, Pater, non vt timidus belli curas, & pericula fugiam; qui tecum ſocius, quocunque te rapiat Martis impetus, ferar, ſed ne facinus aggrediaris, cuius te poſtea ſerò pœniteat, & ex quo te expedire cum laude, & gloria non poſſis.

Attentis Carolus, proniſque auribus dicta filij perorantis excepit; illumque validę illatæ rationes de belli cogitationibus deieciſſent; niſi generoſi ſenis eò iam fuiſſet ira prouecta; vt à ſtatuto belli conſilio reuocari non poſſet. Illud præfractius Hiſpani Regis imperium, ſi Dux nō obediat, impotenti animum accenderat ira; vt ad declarandam libertatem, retinendumque nullius obnoxij poteſtati principis decus, omninò eſſent arma capienda, detrectandaque non verbis, ſed telis imperia. Quare ingenti animorum ardore decreto bello, cum Patris voluntati refragari, nec inſtare ſententiam liceret; ad inſtruendos bellicos apparatus omnes cogitationes, curaſque conuertunt. Primum omnium Carolus hoſtilia ab Hiſpani legati dimiſſione auſpicatur; cui etiam aperti hoſtis inſigne tradidit aurei velleris torquem regi reddendum. Legatis deinde protinus in Germaniam ad principes Proteſtantes, ad Batauos, Venetos, alioſque, à quibus pecuniarum, militumque ſubſidia poterat expectare; properè miſſis, opem in Hiſpanum bellum ſolicitè poſcit. Quia iam ineunte Maio Menſe Mediolani præſes cum quatuor, & viginti bellatorum millibus in Vercellenſem agrum ingreſſus, vulgata etiam imperiali contra Carolum proſcriptione, bellum Regis nomine obnuntiarat; niſi intra tres dies ſe ſuo exercitu exarmaret. Deſtinabat Inoyoſa Vercellarum obſidium mediocris ambitus vrbis antiquæ ſtructuræ mœnibus ſeptæ, nullis propugnaculis in foſſam ad inuadentium latera ferienda procurrentibus; idcircò facilem expugnatu cenſebat. Quare Carolus cum adhuc infirmior viribus Hiſpanos aggredi non auderet; nec ea ſuppeterent robora bellatorum, quibus hoſtem citrà cladis periculum poſſet inuadere; cuperetque nihilominus ab ea obſidione hoſtem auertere; donec ſaltem exteriora, interioraque munimenta, quæ à magno foſſorum numero non intermiſſo labore excitabantur, ad iuſtam altitudinem educerentur; coactis quàm plurimas potuit, ex Taurinorum delectibus peditum cohortibus, & beneficiariorum equitum turmis, decreuit venatici canis inſtar; qui aduerſæ feræ frontem timidus aggredi, poſteriora, vel latera dentibus petit, ad amoliendum ab ea obſidione Hiſpanum in Inſubres copias effundere. Seſithe amne tranſmiſſo, Nouariam verſus rectà tetendit; qua tunc debili præſidio munita; quòd Inoyoſa ad augendas copias deductis ex arcibus præſidiarijs cohortibus, earum cuſtodiam neglexerat, ſperabat

Carolus in Hiſpanos bellum decernit.

Inoyoſa de inuadendis Vercellis cōſilium.

Seſia. Caroli Ducis de aggrediendis Inſubribus cogitatio.

Digitized by Google

Inoyoſa Vercellarũ ſoluit obſidium.

Seſia.

rabat ſe Carolus facilè potiturum; aut ſaltem à Vercellenſi agro ad ſua tuenda Hiſpanum exercitum auerſurum. Res ad Ducis vota ſucceſſit. Nam Inoyoſa cognito Allobrogum itinere, cum inſuper abijſſet in vulgus; quod plerumque temerè aliena facta metitur, illius vrbis ciues cum Carolo conſentire; ſubito in Inſubres reduxit exercitum obloquentium obtrectationes aſpernatus, cum dixerit melioris, ſaniorisque eſſe conſilij ſua tueri, quàm aliena venari; iterum Seſithe amne traiecto, Nouariam copias adduxit; vnde Carolus circumiectam regionem populatus, paulò ante digreſſus Vercellas contento agmine feſtinauit lætiſſimus de hoſte deluſo, atque ab illius vrbis obſidione decuſſo; quam cum Inoyoſa validiori præſidio firmatam, auctumque nouis peditum, equitumque ſubſidijs Ducis exercitum cognouiſſet, in quem ſpretis Reginæ iuſſibus, & pœnis indictis, alij, atque alij Galli milites quotidie confluebant, à tentandis amplius Taurinis abſtinuit de Inſubrum tantum incolumitate ſolicitus; quos, vt ab Allobrogum incurſibus tegeret, hoſtiumq; populationes à ſuis finibus prohiberet; inter Vercellas, & Burgum arcem extruxit, quam in Ducis Lermæ honorem Sandouali gentilitio eius nomine appellauit: quòd ad Mediolanenſis ditionis Gubernatoris decus fuerat maximè illius ſuffragatione prouectus.

Sanduali arx conditur.

Caroli Ducis periculum.

Inoyoſa nullo labore, aut Ducem fundere, aut ad vltima propellere potuiſſet, non amplius vndecim bellatorum millibus de Taurinorum delectibus maiori ex numero tyronum in Inſubrum viſcera illatum: ſi Pimentelij, & Viues conſilia ſequutus, relictis ibi impedimentis, expedito agmine Nouaria redeuntis Allobrogis iter ſuarum copiarum obiectu properè præcidiſſet. Namque aut in hoſtili terra commeatuum caritate vndique obſeſſo extabeſcendum fuiſſet, aut in Inſubrum poteſtatem veniendum; vel multò viribus inferiori cum certo cladis periculo dimicandum. Sed huius ſalubris ſententiæ fœlicem ſucceſſum Aſculi principis metus eripuit fluminis tunc aquis pluuialibus aucti, ac tumidi tranſitus diſcrimen nimium meticuloſo animo reputantis; ne traijcientibus copijs, Dux cum exercitu ſuperueniens confuſos, diſiectosq; militum ordines aliqua clade percelleret. Inoyoſa tutioris, cautiorisque conſilij ſemper amans iuſſit copias ad Villatæ pontem flumine ſuperato, eandem viã, quà venerant, remetiri, compendioſoque itinere Nouariæ ſubſidio properare: atque ita perdendi hoſtis, illuſtriſque parandæ victoriæ Aſculi principis importunis, corruptiſque etiam multorum ſenſu conſilijs adductus eodem, quo cœptum erat, conficiendi belli die opportunitatem amiſit.

Conficiendi hoſtis occaſio ab Hiſpanis amiſſa.

Carolus ab Inſubribus redit in Taurinos.

Dux tanto defunctus periculo, ſecum præclarè à fortuna actum putabat; quòd in Inſubrum viſcera prouectus hoſte fœliciter eluſo, atque à Vercellenſi obſidione detracto, in Taurinos nullum paſſus incommodum redijſſet; atque ex hoc non improſpero ſui primi tentamenti ſucceſſu, maiora audaciori animo concipiens, dum ſolicita cura, atque induſtria ſuæ ditionis arces, vrbeſque circumductis munimentis obuallat; ad plures

Europæ

Europæ principes prudentiores procerum legatos miſit, vbi expoſita Hiſpani belli neceſſitate, præſentem opem implorent; ſed Venetorum ſubſidia ardentiori ſtudio ſolicitat; in quibus maiores ſpes optimi exitus collocarat. Non ea tamen ab illis retulit auxilia, quæ tanto bello alendo ſatis eſſent; veritis ne Duci Allobrogi ſufficiendo ſubſidia, Auſtriacæ domus præpotentia in ſuam perniciem arma conuerterent. Sed neque à Galliarum Regina potuit aliquid ad ſui tutamentum iteratis precibus extorquere; quòd illam quoque cum Hiſpano Rege, Mantuanoque Duce cognationis propinquitas impediret; quo minus in ſuorum affinium detrimentum, non ſolum quicquam Allobrogi Duci faueret, ſed etiam, ne in Gallia ab vllo conduci milites pateretur. Immò duos Gallos præfectos ſecuri percuti iuſſit; quòd ſuo edicto, neglecto, peditum cohortes, turmaſque equitum centuriaſſent. Quamquam hæc ſeuera de noxijs ſumpta ſupplicia, indictæque pœnæ prohibere non potuerunt; quin plurimi nobiles Galli ad moti belli famam de præferocis gentis more bellorum amantis ex ea prouincia, deceptis finium cuſtodijs, in Ducis caſtra elaberentur; & adeò numeroſi, vt plerique non vano ſanè iudicio coniectarint, Reginam ad abeuntium Duci ſubſidio Gallorum equitum noxam conniuiſſe; atque à Gallijs abduci, authorarique bellatores ſiuiſſe; quò pugnaciſſimæ gentis præſidio ſe aduerſus Hiſpanorum potentiam validiùs tueretur: quamuis in ſpeciem, vt Hiſpano Regi aliquid indulgeret; mulctam in Ducis exercitus fugientibus edixiſſet. Hoc ipſi quoque Galli equites, hoc ad augendam ſuorum armorum exiſtimationem conſulto Carolus euulgabat; quo verborum iactatione ſaltem, ſi non rebus, varia in ſe potentium principum ſtudia, arcanaque fœdera mentiendo Hiſpanos inani allato metu terreret, ſuorumq; armorum decus valida ſibi ventura auxilia ſimulando proueheret. Elogijs, encomijs Caroli animi magnitudinem, virtutemque ipſi quoque principes efferebant; quòd longè viribus diſpar, nullius magni Regis fretus auxilijs Italorum Principum ſolus contra eum regem ſtringeret ferrum; atque apertis in campis non minùs ſtrenuè, quàm audacter ex æquo bellaret; quem cæteri impenſioribus animis vererentur.

Dux Carolus Principum implorat auxilia

Galliarum Reginæ ſeueritas.

Milites Galli in Allobrogis Ducis caſtra cōfluunt.

Caroli Ducis aſtus.

Hiſpanæ proceres aulæ iniquiſſimo ferebant animo; quòd Dux Carolus ſe præfractè, ac validè contra Mediolani præſidis exercitum ſuſtinens, impauido animo infirmior viribus tueretur. Diuturnæ enim, atque ampliſſimæ Hiſpana curia apud Italos principes authoritatis, ſueta obtinere ſumma rerum arbitria multum de ſua dignitate, poteſtateque ſibi decedere videbatur; ſi princeps minoris longè potentiæ, immò nihil cum Hiſpani Regis virium magnitudine componendus, nulla validioris regis ope ſuffultus non ſolùm Hiſpanis fortiter repugnaret, ſed etiam eorum dominatus audacter inuaderet. Huius tamen Hiſpanorum armorum dedecoris culpa in Italiæ miniſtros, & præcipuè in Inoyoſæ ſocordiam, vel timiditatem reijciebatur; qui ignauus, aut pauidus, vel etiam cum Duce colludens; ſicuti eius æmuli tota ſparſerant aula; noller contra Allobroges

Regiæ Hiſpanæ aulæ indignatio.

Inoyoſa carpitur ab Hiſpanis proceribus.

ges omnes vires exercere, aut animoſè ex Regis dignitate bellare. Mandata, itaque abſciſſa iterabantur, iubebaturque Inoyoſa omnibus viribus Ducem potentiùs vrgere. Tot iuſſibus ille, querelis, & obtrectationibus actus Menſe Nouembri pluuia, rigidaque, atque bellis gerendis importuniſſima tempeſtate, copijs iterum in Taurinos inductis, ad Aſtam coloniam obſidendam tetendit; quàm plerique obtentu facilem imbecilliori præſidio munitam, & tormentario commeatu defectam illi ſuaſerant. Taurinorum etiam oram maritimam demarcho Sanctacrucio eodem tempore populante, & Dianiam, Marum, Petramplanã, alioſque vicos, & pagos agminum incurſibus occupante; vt Dux duplici bello, biniſque copijs bipartito impulſus videretur minus tot repellendis hoſtibus valiturus. Concepta tamen certæ victoriæ ſpes fefellit Hiſpanos: quia cum Aſtam Dux ipſe cum copiarum robore, immiſſis aliquot Gallorum equitum turmis, celeriter aduolaſſet; ingraueſcente etiam Hyemis rigore, quo militum plurimi extabuerant, poſt aliquot leuia certamina Inoyoſæ fuit à cœptis iam aggeribus, defoſſoque vallo in Inſubres redeundum. Interim Sabello pontificio legato, & demarcho Rambullieto, quem pacis ſequeſtrem ad pacandos exortos armorum tumultus Galliarum Regina in Italiam iuſſerat proficiſci, agentibus, quædam pacis leges ſcriptæ, conuentæque ſunt in Hiſpaniam ad Regem, vt eas ratas faceret, perferendæ. Pactæ etiam aliquot dierum induciæ, quæ tamen ab iratis vtrinque partibus violatæ ſunt. Laborioſum maximè fuit Ducem ad illas conditiones probandas, confirmandaſque pertrahere: qui quòd primis proſperè ſuccedentibus, Hiſpanis copijs fœliciter obſtitiſſet: maiora vaſto animo complexus, Germanicis etiam, aliorumque fretus auxilijs, quæ certiſſimè ſibi ventura ſciebat, non poterat adduci, vt ſe Hiſpano Regi ſubmitteret; Lermæ literas interceptas efflans iras identidem memorans, (ni Dux obediat) quibus verbis; (quæ interdum magis aſperant animos, atque acuunt odia, quàm ipſæ offenſæ) illius belli cauſa tribuitur; conſtanter aſſerebat, ſe nolle à primis belli decretis abſcedere; etiam ſi foret ditionum, ipſiuſque vitæ facienda iactura. Efferueſcentis tamen Ducis iræ impetus legatorum hortamenta pacarunt: qui optimè libratis Allobrogum viribus, vectigaliumque fortunis, atque innumeris incommodis, quæ ex eo bello profectura erant; varijs Ducem rationibus, ſuaſionumque efficacia ad pacem amplectendam, quamuis ægerrimè, impulerunt, obtinuereque ardentius inſtando, vt partium conquiſitorum conuentus Vercellis mutuo conſenſu de pace ſancienda conſulerent; quæ non diù ſpem mortalium remorata eſt; ſcriptis fœderis legibus, conſtituta, cuius tamen conditionibus Dux non ex animo prorſus aſſenſit; quòd ijs iuberetur Canabinæ regionis oppida, vel in Conquiſitorum, vel in Mediolani præſidis poteſtate deponere donec lis de Principis Margaritæ, & Blancæ Sabaudæ ab arbitris pronuntiaretur

Inoyoſa Aſtam inuadit.

Oneglia.

Caroli ora maritima diripitur, & occupatur.

Inoyoſa Aſtã in Inſubres tendit.

Dux Carolus pacem auerſatur.

Conditiones pacis.

Quare fuit principum legatis iterum coeuntibus his pacis conditionibus

nibus Ducis damna ſarcienda.

Vt Dux Carolus retento duntaxat eo militum numero, qui ad arcium cuſtodias eſſent opus, cæteris miſſionem daret. Numerus verò à Varenæ dynaſta, & Rambullieto, ſubductis rationibus ſtatueretur.

Mediolani præſes poſt viginti dies exercitum exarmaret, obligata Regis nomine fide, ſe nihil Duci Allobrogi nociturum.

Vtrinque oppida cum commeatuum, tormentorumque, ac pyrij pulueris apparatu mutuò redderentur.

Captiui liberi dimitterentur, rebellibus, & transfugis parcerentur.

Pro controuerſia inter Allobroges, Mantuæque Duces iudices arbitri eligerentur, qui ex æquo, & bono litem æſtimatam finirent.

Mantuæ Dux gemmas, mundum muliebrem, dotem, auctariumque dotis principi Margaritæ reſtitueret. Quòd ſi id facere recuſaret; de hoc à iudicibus ſententia ferretur. Intra duos annos Principis Blancæ ſolueret dotem, qui ſi ſoluendo non eſſet; de ſuo Galliarum Rex hæc nomina èxpediret, præter pecuniarum augmentum, cuius ſumma à conquiſitoribus decerneretur.

Hæc tamen conuenta non eum euentum, quem omnes ſperauerant, habuerunt: quia poſt miſſa in Hiſpaniā capita conditionum, cum in vulgus abiiſſet, ea à Rege improbatum iri, atque hoc Inoyoſæ eſſe commentum; quō honeſtiori aliquo nomine à malè cæpta Aſtæ oppugnatione diſcederet, Ducemque his manibus pactionum commentis falleret. Dux Carolus ſuſpicaci ſemper ingenio, promptoque ad animi decreta fortiter obeunda, eductis iterum in hoſtem copijs, bellum primò crudelius accendit: cupienſque hoſtium callida conſilia præripere, iuſſit principem Victorium Candiam ſubito armorum impetu occupare; ſicuti etiam Inoyoſa, vt paria Duci reponeret, pluribus caſtellis, & arcibus in Clitellis repentino copiarum aduentu potitus, Ducem Aſtæ beneficiario iure, vulgatis libellis cecidiſſe declarauit, quòd Mediolanenſis ærarij iuris eſſet. Quamobrem extincta pace, prius antequam nata, ad arma, vtrinque infenſioribus animis procurſum eſt: cum Hiſpani extracto è ſtatiuis exercitu, Martio Menſe exeunte, Roccaueranam, aliaque oppida Duci erepta, Vercellenſemque agrum crudeliter populati, totis viribus in Ducem magis irati ferrentur, non minori ardore Duce Carolo bellum gerente.

Carolus Dux bellū inſtaurat.

Langhe.

Nam cum firmioribus præſidijs, ac propugnaculis ſuæ ditionis arces, ac oppida muniuiſſet; Claraſco armamentario, belliqne ſede conſtituto, eo conſilio, vt Roccauerana recepta, Reſtagnum Hiſpanis adimeret, exiguū ſanè, ſed magni momenti caſtellum, cum in ea via ſurgat; quà in Liguſticam oram expoſita Hiſpanorū militum ſupplementa in Inſubres trāſeunt. Cui incommodo ſatis opportunè ab Hiſpanis conſultum eſt; Demarcho Mortariæ Allobrogi infenſiſſimo, ad illud contra hoſtem tuendum cum expedito bellatorum agmine iuſſo contendere; cui etiamſi podagræ doloribus tentato ad expeditiones exaphoro vecto eundum eſſet; viuidiori

Chiraſco.

Varia Caroli Ducis tentamēta.

tamen,

Mortariæ demarchi iactantia.

tamen, audaciorique animo inani verborum ſe iactatione ſæpiſſimè venditabat, Allobrogem Ducem ante Hiſpanum Regem ſe ſiſtere velle captiuũ; quò cum etiam ipſe Inoyoſa cum reliquo copiarum robore properaſſet; Dux Carolus ne medius à fronte,& à tergo ab hoſtibus pulſaretur; exercitum in priora ſtatiua reducere feſtinauit.

Vrgebant Inoyoſam copiarum pręfecti, ne tanto militum numero, ac virtute validior cædendi hoſtis, profligandique belli ſineret opportunitatem elabi; dum Allobrox pauore actus pa'ante, diſſipatoq; agmine fugienti magis, quàm recedenti ſimilis in pacatum ſe recipere properaret; nullius futurum eſſe laboris hoſtem inermem, territum à tergo identidem reſpectantem magna illata clade, fugare; cum etiam à viatoribus nuntiaretur, integras cohortes in diuerſa dilabi, & quò expeditiores eſſent ad fugam, arma, telaque paſſim abijcere. Verum cum in Ducum conuentu alijs alia ſentientibus, importunis diſceptationibus altercando expeditionis opportunitas differretur; Inoyoſa, aut quia prælioram fortunæ temeritatem, aut pręferocis ducis, pugnaciſque pertimeſceret audaciam; aut quia ſatis amplum ſuæ expeditionis fructum ex decuſſo ab ea tanti momenti arcis obſidione Allobroge ſe retuliſſe putaret; Centurionum deſideria hoc dicto eluſit; inſani eſſe perſequi fugientes, nec in tempore amplius fore recedentium inſtare veſtigijs, atque aſſequi hoſtem plurium horarum iter longo interuallo anteuertentem. Quare Alexandriam reducto exercitu ad militares apparatus, tormentorum, pyrijq; puluerís copiam congerendam vehementiùs, ſi quando alias incubuit; quò ab omnibus rebus inſtructior ad Aſtam obſidendam rediret.

Vincendi Caroli ducis opportunitas ab Inoyoſa prætermiſſa.

Bellici Hiſpanorũ apparatus.

Hoc tamen timidum Inoyoſæ factum non pręfectitantùm, ſed etiam reliquum militum vulgus cauillis, ſanniſq; proſciderunt illi inuſta ſummi dedecoris nota; alijs illum ignauiæ amariùs accuſantibus, quod tantis viribus potens; paucos milites, meticuloſos belli incommodis ſemineces enectos aggredi timuiſſet; alijs eius rej militaris imperitiam vellicantibus; quòd adeò opportunam conficiendi hoſtis occaſionem tam turpiter abiecíſſet; alijs etiam illum perfidiæ inſimulantibus, quòd dedita opera elabendi è manibus Allobrogi ſpatium dediſſet; lentiùs per Aquarum Statellonum longiora itinera, damnata Niciæ breuiori via, trahendo agmen, Dualo quoque cum ſuis cohortibus per ea, quà fugiebat, viarum compendia ad ſe venire prohibito, ne Ducem incondito agmine properantem offenderet; quòd præcedenti nocte caſtra hoſtium proximè tetendiſſet, nulla de ſueto hoſtium vicinorum more Allobrogi illata moleſtia. Ex quibus omnibus Inoyoſæ diſciplinæ militaris erratis, certa penè coniectura æmuli aſſequuti ſunt illum præuaricatorem Hiſpani Regis commodum, ſuumq; officium perfidè prodidiſſe.

Inoyoſa cauillis laceratur.

Aqui. Nizza.

Inoyoſa perfidiæ inſimulatur.

Sic duci nullo accepto ab Hiſpanis incommodo libero abire permiſſum: qui Canellos progreſſus, ibiq; commeatibus abundè præbitis, & aliquot horarum quiete exercitu à feſtinati itineris laboribus recreato, Vercellas

ſe tran-

ſe tranſtulit; vbi paulò poſt perculoſiſſima militari concita ſeditione vltimo ferè vitæ diſcrimine laborauit; cū enim quemdam cohortis Gallicæ præfectum neſcio cuius facinoris reum eliſis reſte faucibus ſuſpendio necari iuſſiſſet; eius gentis milites illatum generi dedecus, probrumque abſterſuri ira præcipites arreptis armis in vltionem ruunt, trucidatoque carnifice, tormētis quoque potiri nituntur; ſed inani, perniciosoq; conatu, Heluetijs impauidè, ac ferociter, reiectis prætenta haſtarum ſegete Gallis, ea tuentibus. Dux ipſe, vt furentium militum iram effugeret, in arcem ſe properè rapuit; donec ſeditio deferueſceret; neglectisq; ſano conſilio quorundam ſuorum ſuaſionibus, qui illum hortabantur, vt progreſſus in publicum ſui præſentis authoritate, ac veneratione tumultuantium Gallorum compeſceret inſolentiam, in forum prodire abſtinuit; Caroli Quinti Auſtriaci diſcriminis memor, qui in huiuſmodi militari ſeditione ſuæ Maieſtatis reuerentia fretus in publicum progreſſus, tantum non ab vltimæ ſortis homine gregario milite perijt; niſi eum alius quidam eiuſdem cohortis miles ferro occupatum maiorem ſclopum in Imperatorem collineatum, iamque applicito accenſo funiculo diſplodere parantem, antequam ſulphureus puluis ignem arriperet, confodiſſet.

Gallorum militum ſeditio.

Caroli V. vitæ periculū.

Interim Dux Carolus vbi ad Aſtam coloniam obſidendam cum ſexdecim peditum, & tribus equitum millibus Inoyoſam proficiſcentem audiſſet; moto ex ſtatiuis ſexdecim millium bellatorum exercitu, compoſito agmine eodem progreſſus in Auerſæ exigui amnis quatuor ſtadia procul ab vrbe fluentis ripis caſtra muniJt; vt è propinquo hoſtium conſilia, tentamentaque ſpecularetur, qui vltra eundem fluuium in campis explicato exercitu, conſtitere. Poſtera die hoſtis copiarum partem ad Caſtelleonis arcem obtinendam mittit, vt inde Allobroges depelleret; quod ſubiectos campos, vicinoſque colles tormentis abraderent. Aſculi Princeps illius expeditionis præfectus occupato magna inſidentium Allobrogum cæde vicino ſaltu Ducis Arlotti fidei commiſſo; Otthoneq; comite Rouereo interfecto; qui fugientibus alijs, ex equo deſiliens maluit fortiter dimicans generosè mori, quàm turpi ſe inde fuga ſubtrahere; oppidi arci ſucceſſit. Præfectus, qui arcem quingentis, & quadraginta peditibus cuſtodiebat, territus ſociorum ſtrage, conſpectuque hoſtium, ſe nimium ignauo, demiſſoq; animo Hiſpanorum poteſtati permiſit; quod ei ſupremum exitium attulit, ignauiæ enim, inertiæq; damnatus, ſciſſis iuſſu Ducis Caroli ſecuri ceruicibus, abiecti metus pœnas luit: quod nec expectato quidem vnius tormenti ictu, vicino maximè ſociorum exercitu; in Ducis oculis, qui ſubſidio obſeſſis contento agmine properabat, hoſti arcem tam turpiter dedidiſſet.

Dux Carolus Aſtam properat.

Arx deditur Hiſpanis.

Sub Maij menſis exitum Allobroges caſtris propè vrbis mœnia ſubductis, Inſubrum impetum excepturi inſtructis ordinibus ſtabant. Hiſpani traiecto amne, ad Carthuſienſium patrum cœnobium rectà tendebant, vt ea opportuna ſtatione potirentur. Dux Carolus in abeuntes immiſſo

audacter

Digitized by Google

aut tabulæ ſuppetebant, quibus cæli nocturni malignitas arceretur; humi cubandum erat, ſternendaque in nudo ſolo corpora: optime ijs conſultum, qui in ſtramento aliquo ſubſtrato quieſcerent. Tentoria nobilioribus oppidò paucis molliores ſtationes faciebant: feruentiſſimi diei æſtus, noctiſque humida frigora toleranda; vt illa aeris intemperie pluribus malignæ febres obreperent, morborum violentia quoque plures abriperet; remiſsè, ac ſegniter militaria munera obirentur; miſerando languore ſqualerent vniuerſa. Sicut ex aduerſo Ducis res à clade refloreſcere, amiſſoſque animos, ac ſpiritus recipere viſe; quòd in dies confluentibus in Allobrogica caſtra manipulatim militibus, copiæ in ſatis validum numerum excreuiſſent; quas in officio Ducis Caroli præſentis authoritas continens virtutem quoque militum acuebat. *Hiſpani exercitus incommoda.* *Allobrogũ copiæ à clade reparantur.*

Verum Hiſpani exercitus calamitatem abſtulit opportunus initæ Mantuæ Carpetanorum Legati Gallici interuentu pacis nuntius: cuius capita fermè erant. *Madrid.*

Vt à Taurinis Hiſpani arma deducerent; nihilque moleſtiæ amplius Allobrogi Duci inferrent: dummodo ipſe tres præcipuas Aſtæ conuentas pacis conditiones moti belli initio ei propoſitas obſeruaret; quas ſi recipere renueret, Galliarum Rex illi bellum indiceret. Quare Pontificius, Gallicus, & Britannicus, Venetuſque Legati, qui caſtra Allobrogum ſequebantur, vna congreſſi hæc vnanimi conſenſu, vel multum Duce Carolo reclamante, bellum magis in tanta Hiſpani exercitus calamitate, quàm pacem cupiente, ſanxerunt. *Pacis inter Hiſpanos, et Allobrogẽs initæ conditiones.*

Vt Dux Carolus intra menſem omnes exteros extra ſuas ditiones milites amandaret; quatuor exceptis Heluetiorum cohortibus, & peditum manipulis adſiduum cuſtodiam neceſſarijs.

A Mantuæ Ducis terris, atque oppidis abſtineret; nihil contra illum hoſtile tentaret; ſed pacato animo ceſſaret, donec Iudices de lite inter ipſum, & Mantuanum ex æquo, & bono tranſigerent.

Rebelles vniuerſi reciperentur in gratiam. Oppida occupata cum tormentorum, commeatuumq; apparatu inuicem redderentur.

Dux Carolus Aſta mille pedites emitteret; & Inoyoſa copias illicò inde reciperet: diſcedenteque Allobroge, ipſe quoque ex Taurinis extemplò faceſſeret; poſtea Dux Carolus ſe copiarum reliquo exarmaret. Inoyoſa per ſex menſes nullo nomine tranſitum per Allobrogis Ducis ditiones petere poſſet.

Heluetijs, & Sedunis libera eſſent cum Inſubrum gente commercia.

Galliæ Rex pœnam remitteret ijs, qui in Ducis exercitu militaſſent.

Quæ pacis conditionum capita poſtquam ab vtraque parte, & Principum legatis nominum ſubſcriptione rata habita ſunt; Dux mille pedites ex vrbe iuſſit exire: Inoyoſa verò ad Crucem Albam cum laceris copijs ſeceſſit;

ceſſit; plurimis infirmis in caſtris ſedè relictis, qui omnes hoſtium incuria cum impedimentis arſere; nam cum vacua defenſoribus caſtra effusè popu'arentur; ignis incauto militi in aridam materiam incidens concepta ſubito flamma, impedimenta omnia cum illa miſerorum turba conſumpſit. Profectis inde vtriſque copijs, partium conquiſitores Mediolanum ſe protinus contulere, vt ibi litis deciſionem à Pontificio Legato enixè ſolicitatam expectarent.

Hiſpanorũ caſtra ardẽtia milites ægrotos exurunt.

Conſtituta inter diſſidentes Principes ita ſolemni ritu pace, ſedatiſque ſequeſtrum Regum, ipſiuſque Pontificis authoritate armorum tumultibus, certam ſpem conceperant omnes tandem aliquando Italiam à belli calamitatibus quieturam, priſtinamque tranquillitatem mortalibus redituram. Verum quemadmodum fulgetra ſubito quidem lumine coruſcantia præſtringunt oculos intuentium; ſed iterum eodem ferè momento maioribus tenebris inuolutos occæcant; ita ille pacis fulgor abortus luce quidem ſua populos lætitia perfudit; at acerbiorum bellorum caligine implicitos dereliquit. Cum enim Dux dimittere exercitum recuſaret; antequam in pacis legibus conuenta perficerentur: Inoyoſa verò ex aduerſo contenderet, inſtaretque ſicuti præcipuum caput; vt prior Dux copijs miſſionem daret; cæteraque in conuentu ſancita exequeretur, antequam Regij ſua perficerent: anno ſequenti rurſus iurgium in acerbius bellum erupit: Cardinali Ludouiſio necquicquam, cæteriſque Principum legatis iras, & arma pacare conantibus: quibus fortaſſe neſcijs, ſui quemque animi impetum ſequi, atque in obliquum ſuarum cupiditatum æſtibus rapi; ſed fortaſſe magis piè: omnia fatali quodam Numinis cæleſtis arbitrio agi, verſarique,quo pax, bellaq; decernuntur: inſolitum videbatur, quòd ita leui de cauſa ex ſolo certamine dignationis iterum in atrociora bella conſurgerent.

Iterum bellum accenditur.

1616

Ingenti ardore Galli Regis Legatus præferocis Ducis animum omnibus artibus impellebat, vt hoc Hiſpani Regis maieſtati daret; vt ipſe prior arma deponeret; quò ſuus Rex compoſitæ in Italia pacis titulum ferret; qui ſicuti diuturno, difficilique in Hæreticos bello diſtentus nulla poterat Allobrogi ſubſidia ſubmittere; ita maximè optabat pacem ſuæ authoritatis interceſſioue ſancire.

Inoioſæ Petrus Toletanus ſufficitur.

Interim Inoyoſæ expræfecto in Hiſpaniam reuocato, Rex Petrum Toletanum ſuffecerat; cuius animum Regiæ dignitatis tenaciùs retinentem Gallus Legatus aggreſſus lenire omni induſtria, ac ſtudio contendit; verum ille ſuo propoſito firmiùs hærens nulla ratione adduci potuit; vt Allobrox in exercitu dimittendo, alijſque rebus ſe Hiſpano Regi componeret. Hoc ſuadebat interea, vt vterque ſuas copias retineret, obſtricta fide innoxias mutuò futuras, donec Iudices ferrent de Montisferrati controuerſia ſententiam. At Toletanus ſuſpicatus has eſſe fallaces callidi Ducis artes, quò his Gallicis interceſſionibus proferendo diem, opportuna etiam bellandi tempeſtas efflueret;

Contẽtio inter Carolũ Ducem, & Toletanũ.

ret;

Digitized by Google

ret; regiæque copiæ tantis conflatæ impendijs inutili mora ceſſando, confectæ dilaberentur; aliorum quoque damnata ſententia; qui in Ducum de bellicis rebus conſeſſu retulerant, vt ad finium cuſtodiam parte exercitus collocata, alteram in Venetos duceret, vt à Carnico aduerſus Archiducem Auſtriacum bello ipſorum terga feriendo auerteret; reiecto Rambullietti legati conſilio, qui fidem ſuam renuerat interponere, Ducem Carolum nulla Inſubribus arma illaturum; dum Hiſpani Venetas ditiones inuaderent, ne anceps contra ſe eodem tempore bellum cieret; duplicique periculo premeretur; ſtatuit tota exercitus mole Taurinos vrgere, ſatiùs ratus Allobrogem totis viribus Ducem impetere, quàm infirmato ipſa diuiſione exercitus robore, vtrobique parum ſeipſo minorem, aut nihil proficere, aut alicuius cladis periculum ſubire, quamuis legatus deinde ſpem inijceret, Ducem Allobrogem Hiſpanis bello Venetos perſequentibus, nulla Inſubribus hoſtilia facturum; etſi ille eorum ſocium ob ingentia accepta ab ijs pecuniarum ſubſidia ſe profiteretur.

Toletanus menſe Septembri ineunte, coactis viginti peditum, & tribus equitum millibus, in Taurinos ingreſſus primis caſtris ad Villam nouam conſedit; apud quam etiam Dux Carolus cum decem, & ſeptem peditum millibus, & equitum mille, & quingentis conſtiterat; eo conſilio, vt hoſtem aliquid conantem inde depelleret, qui, ne à Duce copiæ crebris incurſibus carperentur; cum ibi nullus Hiſpanica arma profectus haberent; in Creſcentinum Pado imminens oppidum opportuniſſimè ſitus incubuit; ſed Ducis ſolertia, ac diligentia præuentus, qui totam equitando noctem, quamquam pluuiam, & maximè illunem cum bellatorum flore feſtinato agmine proficiſcens Toletani conſilia diſcuſſit Hiſpanorum niſus multa cum laude ludificatus; quibus erat breuior metienda via, quò citiùs ad oppidum peruenirent; ſi Deſanæ breuiori itinere perrexiſſent; Allobroges aſſequuti eos certè longe maiori numero validiores fudiſſent; ſed in Tridini longiùs metandis caſtris commodiùs deflectente exercitum Toletano, Dux vitato diſcrimine, impunè Hiſpanos euaſit. Huiuſmodi ſunt bellicarum rerum euenta; in quibus fortuna ſe prudentiæ conſilijs immiſcens optimis ſententijs deſtinata præuertit; ſperatoſque ſucceſſus eripit expertæ rerum prudentiæ, ac ſæpè accidit, vt quæ multa meditatione conſultando ſalubriter conſtitueris; fortunæ intercurſu perficere non poſſis; & è contra in bello plerumque aliena maximè à noſtra expectatione, ac cogitatione contingant.

Toletanus Taurinos aggreditur.

Caroli Ducis diligentia.

Toletani error.

Paulò poſt Hiſpani Sancti Iacobi, Sanctique Germani oppidis occupatis in Vercellenſi agro latè copijs effuſis, caſtra locarunt: quibus cum Dux Allobrox tredecim duntaxat armatorum millibus validus nimis audacter, ac ferociter ſucceſſiſſet; parum abfuit, quin ingentem cladem ab Hiſpanis acciperet. Toletanus ſiquidem eductis in Allobrogem Creſcentinum feſtino gradu recedentem copijs, poſtremum agmen

Allobrogis exercitus periculum.

Caroli Ducis bellica virtus.

adeptus apud Lucedium, quadringentis hoſtibus cæſis, reliquos deleturus erat; niſi egregia Ducis Caroli virtus in omni ſemper rerum difficultate conſpicua properè laceros militum ordines denſata corporum fronte, ſe impunè recipere docuiſſet. Ab hac clade tamen paulatim erigi Ducis Caroli proſtrata fortuna cœpit; non ſolum tum ſedatis in Allobrogibus tumultibus, à Namurſij Dynaſta Duci infenſo excitatis, qui ex condicto cum Toletano authore, impulſoreque belli in Lizieris vallem cum firmo Gallorum agmine inuectus omnia armorum impetu proruebat; quòd Dux Carolus eius cum Vmali Principe fœmina connubio nimis hoſtili animo interceſſiſſet. Hunc tamen terrorem Princeps Victorius eò celeriter miſſus à Patre ſuarum turmarum obtentu, impulſuque ex omnibus Allobrogibus expulit.

Princeps Victorius Allobroges tuetur à Gallis

Veneta quoque Reſpublica verita ne bellici Hiſpanorum apparatus in ſuum cogerentur exitium; vt ſe à Carnico contra Archiducem Auſtriæ bello auerterant: ſe Ducis Caroli palam profeſſa ſociam eum omnibus viribus tuendum ſuſceperat; centena aureorum millia in ſingulos menſes in militum ſtipendia ſe pollicita ſuffecturam; vt Hiſpanorum vires in Italia duplici bello diſtentas facèret debiliores.

Veneta Reſpublica ſe Ducis Caroli ſociā profitetur.

Aliquot inſuper Galli proceres, Condeus præcipuè Reginæ Matris Galliæ moderantis adminiſtrationem peroſi ſuam Duci Carolo operam eo bello obtulerant; ſeque in Taurinos cum validis equitum agminibus ſubſidio venturos promiſerant: iamque firma bellatorum auxilia priuati ſubſidij nomine, et iam miſſis alpibus, in Taurinos opportunè, Rege conniuente, deſcenderant, cuius tanti non erat, vt Hiſpanorum potentia oppreſſo Duce, Carolo in Italia maiora caperet incrementa. Quibus ſpebus erectus Allobrox in maius belli deſiderium exarſerat.

Galli in auxilium Ducis in Italiā deſcendūt.

Inſtitit tamen Regina Mater pacem Duci Carolo ſuadere, & ad Aſtenſis conuentus pacis leges amplectendas impellere. Nec Toletanus aſſiduis belli laboribus fractus, hydropiſis etiam morbo tentatus, cum hac, illacq; rapiendo agmen, nihil proficeret; militibus, appetente hyeme, in hyberna deductis, abhorrebat à pace: quam belli initio contemptam, reiectāq; tum nihil ardentiùs, atq; enixiùs optabat; quòd belli malis edoctus armorum laborioſo, ac difficili vſu eam longè potiorem eſſe didicerat, & ſimul quàm vanum, damnoſumq; eſſet; vt ſui ſenſus propoſitum tenaciùs retineret; ſui Regis ditiones, dominatuſq; incertis bellorum caſibus obijcere. Si Hiſpanico ſepoſito faſtu mitiùs agendo, Ducis animum leniori arte tractaſſet; nulli dubium erat, quin Allobrogem ad pacem, & in Regis obſequium impuliſſet; ſed commune humani ingenij nimium ſibi tribuentis eſt vitium; ſemel ſuſceptam, vel pernicioſam tueri ſententiam; ne illam damnando ſe parum prudentis fuiſſe conſilij traducat; minuſq; ſe putet errare, quò obſtinatiùs in illa perſtiterit.

Toletanus pacem deſiderat.

Mortalium ingeniorum vitium.

De pace quoq; Vcedæ dynaſta; qui Inoyoſæ à Parente ſuo Lermæ Duce ad ho-

ad honorata miniſteria prouecti, acta ab obtrectantium aulicorum cauillis Summo ſtudio tegebat; Hiſpani Regis iuſſu ad Toletanam mandata dederat. Sed terrarum ſæpe longinquitas efficit, vt tardiora iuſſa minus opportuna rebus præſentibus ſint; mutato ipſa mora negotiorum habitu, dum ab Hiſpania in Italiam per tabellarios deferuntur. Iam enim Dux Carolus percuſſo cum Venetis fœdere, in Auſtriacos conſpirarat; iterumq; ſe conſcriptis militũ ſupplementis,& copijs armarat. Quibus cognitis Allobrogis molitionibus, Toletanus iuſſerat Neapoli, in Heluetijs, & Sequanis,atq; in Germania numeroſa militum agmina admenſa pecunia conduci. Carolo verò Duci præter auxiliares fœderatorum Principum turmas, & Veneta pecuniarum, bellatorumq; ſubſidia, Proteſtantium dynaſtarum, Anglorumq; cum Mariſcallo Diguera nuper aduenerant auxilia. Quibus viribus potens gloriæ cupidus, elatuſque animo, quòd cum formidandæ potentiæ Monarcha pari robore ex æquo ſine ſuarum rerum iactura pugnaſſet; omnem pacis mentionem obturatis auribus excutiebat; niſi quantum ad Toletanum ſopiendum, fallendumque faceret; dum maiora militum auxilia venirent. Monte Caſerio tamen coram Diguera, & Veneto Legato, purpuratum Betunem à Gallo Rege ſequeſtrem miſſum pacem ſuadentem prono in ſpeciem animo audiuit; ſimulauitq; ſe ad pacem ineundam,exarmandumq;exercitum propendere; ipſeq; Diguera efficaci oratione Ducem conatus eſt proclinare,ambobus aſſerentibus, fieri non poſſe, vt tantis impenſis diuturno alendo bello omnium Allobrogum opes,Taurinorumq; ſufficerent: quæ impatientiùs Venetus Legatus excipiens,quò maiores erant Ducis exteriores conſtituendæ pacis demonſtrationes, eò efficaciùs ille bellum anxio animo ſuadens largiora pecuniarum ſubſidia trepidus offerebat. Conueneruntque Dux Carolus,& Diguera,vt ſe pacis cupidos demonſtrarent, quò à Venetis à ſe ſocio in eo difficili contra Auſtriacos bello deſeri veritis maiorem pecuniarum ſummam exprimerent; cuius ſimulationis arte ingenti auri pondere Venetos emunxere.

Dux Carolus reiecta pace, bellũ continuat.

Hiſpanorũ bellici apparatus.

Caroli Ducis aſtus in ſpeciẽ bellũ reſpuentis.

Sic eodem tempore pacis ſimulans deſideria, & Venetis Socijs, & Toletano ſegnes trahendo moras illuſit; vt victoriarum curſum ijs artibus intercideret. Patuere tamen citò Allobrogis doli, cum intercedentium ſequeſtrum rurſum, prorſumque abeuntium, redeuntiumque diſcurſus hortamenta, ſedulitas, labor, nihil aliud effecerint; quàm vt cunctando magis ſæuiret hyemis inclementia, atque ſtatiuorum incommodis Hiſpanæ copiæ diffluerent; & Allobrogicus exercitus fieret nouarum cohortium, turmarumque acceſſione validior. Nam cum ad pacis tranſactionem feriò Ducem conquiſitores impellerent; tum conditionum capita variando, tum tergiuerſando, multa cauſatus, ſe indaginis difficultate hoc reſponſo celeriter expediuit: Se nihil Aſtenſis fœderis conditiones inconſultis ſocijs Principibus mutare poſſe. Sublatis igitur tranſactionibus pacis, cum atrox hyemis frigidiſſimæ rigor, hy-

Allobrogis Ducis doli detecti.

Dux Carolus ſuũ animũ aperit. bernorum quietem ſuaderet, Toletanus copias in ſtatiua deduxit. Dux tamen interiecti temporis beneficio firmioribus viribus auctus, ſpe etiam adductus octo armatorum millia è Gallia in Taurinos propediem cum prætoriana Regis cohorte, & Regio vexillo deſcenſura, nihil penſi habito rigidæ tempeſtatis algore, cum mora bona conſilia, audacia verò impetu valeant: dilabentis Hiſpani exercitus imbecillitatis opportunitate vſus Principem Victorium ad Maſſeranum, dum Princeps Hiſpanis cuſtodiendum illud tradere moliretur, expugnandum tendere *Maſſeranũ Allobrogibus deditur* iuſſit, quod poſt breuem pugnam à Principe vxore Allobrogi deditum eſt. Cattinariam quoque recipere repentino copiarum acceſſu tentauit; ſed Caracciolo præſidij præfecto impigrè mœnia tuente, re infecta, deflexo ad Creuacorium exercitu, quo vxor cum filijs à dedito Maſſerano *Varij bellici euentus.* ſeceſſerat, illud Sanchio Lunenſi arcis præfecto cæſo, captoque Carolo Sangro, qui ſubſidio cum validi agminis robore citus accurrerat, occupauit.

His lætis Principis Victorij ſucceſſibus, Pater animo erectior, conuerſis in Montemferratum inferiorem cæteris copijs, Sancto Damiano potitus, eius munimentis funditus euerſis, Albæ Pompeiæ ſucceſſit, quam paulò ante Toletani iuſſu Caſtrorum præfectus Rhous deſeruerat; quòd Dux Mantuanus ciuibus præceperat, ne illius ampliùs facerent imperata, poſt *Dux Carolus Albam Pompeiam occupat.* exiguam, breuemque oppugnationem ſe Duci permiſit. Inde Montillium improuiſus aggreſſus nullo labore ſubegit; pollicitus oppidanis, ſe eorum rerum direptioni temperaturum; quam tamen Ducis obligatam fidem Gallorum cupiditas fregit, miſerorum fortunas fœdiſſimè populata.

Toto Monteferrato inferiori nullo hoſte obuio Carolo prædabundo agmine volitante, Toletanus maiora bellatorum auxilia in Ducem ex hybernis egredi non auſus, inferior viribus expectabat; quò hoſtem nouis militum ſupplementis adductis, pari virium robore oppugnaret. Thomas tamen Caracciolus Hiſpani nominis dignitatem animosè ſuſtinuit; *Ducis Caraccioli virtus.* Sancto Germano oppido cum ſua legione impigrè à Victorij, Thomæque Principum aſſultibus egregia virtute defenſo, ijſq; crebris eruptionibus fractis, ab ea oppugnatione depulſis.

Dum Allobrogica arma frequenti impetu Monteferratum, Hiſpanoſque pulſarent, Vincentium Gonzagam Mantuani Ducis fratrem Cardinalem Cupido alio telorum genere perurgebat, adductoque neruo, libratis certo ictu amoris ſpiculis vulnerabat. Hic Principem Iſabellam Gon- *Vincentij Gonzagæ amores.* zagæ Nouellariæ comitis ſororem amoris flammis exardens adeò perditè deperibat; vt abiecta Vaticana purpura, nullo fratris Ducis aſſenſu, nulla tam turpis notæ habita ratione, neque prius admonito Summo Pontifice, *Iſabellam ſibi connubio iungit.* cui remittenda erat purpurea tiara, eam ſibi præcipiti conſilio connubio iunxerit; cuius poſtea facti eum tantopere pœnituit, immo contractæ dedecoris puduit, vt illam protinus à concubitu ſuas res ſibi habere iuſſerit. Aut illum irati fratris minarum terror, aut amiſſæ ſacri trabeati Romani

Senatus

Senatus dignitatis cum ſeptuaginta aureorum millium de Galliarum patrocinio annui compendio prouentus dolor ad repudiandam vxorem impulerint; in incomperto eſt. Venerem certè ponè comes ſemper ſequitur pœnitentia. Summus Pontifex tam fœdo Cardinalitij faſtigij contemptu iratus acri oratione in purpuratorum patrum conſeſſu in Mantuanum Iuuenem inuectus ſanxit, ne quis Gonzagæ familiæ ſobolis Cardinalis in poſterum crearetur, ea præcipua ſacrati apicis dignitate Mantuanorum Principum genere damnato. Verum Dux Frater, etſi intempeſtiui, inconſtantiſque fratris amoris flammis infenſus, cum tamen ad ſuſcipiẽdam prolem ſe minus idoneum ſciret; nec fratrem ex annoſa vxore ſobolem geniturum ſperaret, ſtatuit litem intendere, vt illud connubium clandeſtinum, atq; irritum iudices declararent. Iſabella non adeò tamen prouectæ ætatis erat, vt prolem eniti non poſſet, eſſetq; ſoboles ab ea penitus deſperanda. Verum cum connubij ſpecie matronalem inceſtare pudorem piaculum ſit, Deo permittente diuortium, totius Italiæ clariſſima Gonzaga progenies cum ſuarum ditionum euerſione prorſus intercidit: nam Vincentius Fratri ſuffectus vxore ſuperſtite extinctus eſt, nulla prole ſuſcepta.

Matrimonij illum pœnitet.

Valido verò, ac iuridico matrimonio à Iudicibus declarato, alio illud nomine irritum facere tentatum eſt. Veneficij poſtulatur Iſabella, quòd Cardinalem philtris, & ſagarum medicamentis in ſui amorem arietatum dementaſſet, ſed Iſabella, quæ ſub egregia venuſti corporis forma, verendiq; aſpectus pulchritudine eximium etiam animi candorem præferebat, ſummi Pontificis pedibus prouoluta vltrò obijt vadimonium, ſeque in Adriani arce ſuæ ſecura innocentiæ ad obiectum veneficij crimen diluendum obtulit cuſtodiendam, ibiq; ante Iudices impauida ſic ſuam cauſam egit.

Iſabella veneficij agitur rea.

Veneficij agor criminis rea, Iudices, cuius plerumque ſolent Mulieres accuſari, ſi ſuam formam depereuntium aliquorum inſanos amores offenderint. Quinimmò & ipſi amantes, graſſante in viſceribus cupidinis flamma, ad ſuum tegendum pudorem, eleuandàque dementiæ labem, ſe medicatis potionibus, & magicis cantibus in furorem actos inanes quàm dolentiſſimis vocibus eliquant querimonias: & cum ſua illos libido in obliquum abripiat, veneficia mulierum cauſantur. Ego à mei viri interitu nouas nuptias peroſa aduerſus omnis impudici amoris faces pectus armaui, vt nullum vnquam huius turpis rei ſenſum admitterem: nullius viri aſpectum, niſi contracta fronte, ſeueroque ſupercilio intuerer, ne aditum repenti ſenſim in pectora cupidinis igni imprudens molirer, aut aliquem meo hilari obtutu amoris flammis accenderem. Ad mea rura cum prouectæ ætatis Matronis curru vehebar: illæ erant mei teſtes, & munimenta pudoris: nullos ſerebam niſi his arbitris cum aliquo viro ſermones, eorum diſcriminum gnara, quæ ſolæ cum viris ſeductæ à cæteris fabulantur. Me aſperi magis, quàm facilis ingenij haberi patiebar; dummodo matronale decus intaminati candoris in omnium opinione ſeruarem.

Oratio Spiræ Principis.

Cum me me a agentem, nihilq; tale cogitantem Vincentius Cardinalis Gonzaga Mantuæ Princeps, meamq; pudicitiam omnibus artibus expugnandam aggreditur. Faſtidiebam iuuenem in ſacra purpura laſciuientem: auerſabar me impudicis oculis intuentem. Ille cantiunculis, carminibus muſicis numeris, & modis exceptis, nocturnis modulatibus animi ſui deliquia, amantis cordis æſtus æthnæis fornacibus ardentiores, Lipareiſque ignibus ſæuiùs viſcera inflammantes miſerandis queſtibus teſtabatur: mei pectoris diritatem duriorem adamante incuſabat, me crudelem, tygrim, barbaram, immanem feram identidē appellabat; quòd nihil me ſuis precibus flecti, molliriq; ſinerent. Frequentibus obſequijs, officijs meæ inexpugnabilis pudicitiæ conſtantiam impellere conabatur. Ego ad has illecebras, & blandimenta magis ſemper indurui; nec patiebar obſequiorum impetu, precumq; pulſibus mei inconcuſſam ſoliditatem pectoris arietari, oblata, ingeſtaq; munera reſpui: nullas aſperitatis rationes omiſi: quò illum de mei ſpe cupiti amplexus omnino deijcerem. Me egredientem in agrum ſtatim iuncto curru, citatis equis, mei videndæ tantum ſtudio cupidus ſequebatur: in vrbem redeuntis veſtigijs citus inſtabat: quocunque circumferrer, illum ad mea latera feſtinantem videbam. Pudebat me intemeratæ apud omnes pudicitiæ Matronam à Religioſo iuuene Sacris addicto tantis obſequijs, officijſq; coli: verebar, ne huius inſani amoris inſolentia ſermones mortalium vulgo præberet; mihiq; aliqua aſperſa dedecoris labe, meam exiſtimationem fœdaret. Tot, ac tantis denique importunis moleſtijs tędio affecta inſtantem, prementem, vrgentemque vndiq; Cardinalem compoſito in ſeueritatem vultu ſubirata voce compello: ecquid à me tam moleſto cultu contenderet? illum aerem verberare, haſtaq; cælum ferire ſubieci; deſperandos illi prorſus eſſe meos amplexus; niſi abdicata, reiectaq; omnino Vaticana purpura, me duceret vxorem. Nunquam putaui fore eò inſaniæ iuuenem eſſe prouectum, vt ſacræ purpuræ decus, Fratriſq; Ducis venerationem, odijque metum cum opulentiſſimo Gallici Regni patrocinij prouentu, mulieris amore, ardoreque libidinis viliora eſſet habiturus. Quamquam vbi illa peſtis animum alicuius infecit, cæcum amantem in omnes turpitudines præcipitem trahat. Has illi iniquiſſimas conditiones tuli; non vt me ſibi connubio ſociaret; ſed vt illum ab huius fędiſſimi amoris ardoribus abductum ad ſaniorem mentem adducerem impotem ſui, reſipiſceretque rei turpitudine, ac difficultate deterritus. Verum ille obſtrictæ fidei deprehenſam accepta cupidè conditione, reiecta purpura, ſacraq; tiara capiti detracta, neſcio quo malo genio actus me rei magnitudine, ac portento ſtupentem ſibi connubio iunxit. Ego illum amatorijs poculis dementaui? ego ſagarum carminibus in mei amorem induxi? Ille amoris, ac libidinis æſtibus agitatus ſe in hoc vltrò dedecus abiecit. Expletis cupidinis votis, effuſiſq; amoris ardoribus, facti, vt ſolet, puduit, & pœnituit. Subito in mulierem probri culpa regeritur: illam maleficam, ſagam, veneficam, propinati amanti philtri ream accuſant. Vos viri veſtræ veneris furias, reiecta ſtupri noxa in fœminas excuſatis: veſtrarum inquinamenta libidinum infęlicium delatione mulierum ſoletis eluere, patrati faci-

noris

noris culpam à vobis in amaſias auertitis. Nos ſanè nullius conſilij, nullius mentis, immo inſanas, excordes fateor eſſe, quæ veſtris deloſis blandimentis, precibus, obſequijs deliniri, verborumq; illicijs captari, irretiriq; ſinimus; cum ſtatim à ſuſpirato diu noſtro accubitu hos cane viliores habeatis, veneficijq; inſuper violatæ pudicitiæ præmio mulieres criminemini. Mantuani Principes ad rumpendos inexplicabiles connubij nexus hæc falſa commenti ſunt crimina: me ſagam, ſubmiſſis teſtibus arceſſunt: mulierculas ſiſtant, mihi componant, quæ me his maleficis artibus erudierunt: ex ipſarum confeſſione facile obiecti ſceleris falſitatem deprehendetis. Ego in veſtra poteſtate ſum, Iudices, ſi amatoria pocula miſcui, ſi magicis cantibus iuuenem in mei amorem pellexi, debita ſceleris pœna mulctate: ſin me innocuam, inſontem, expertemque culpæ, vt ſemper veritas è latebris vel inuitis malignis delatoribus, in apertum erumpit, comperietis, meum ratum cum Vincentio coniugium decernatis.

Habita igitur de ea re diligenti quæſtione, excuſſiſque teſtibus, cum nullius veneficij rea comperta fuiſſet; à Gregorio XV. Pontifice maximo ea calumnia, & crimine abſolutam ab arcis cuſtodia à Pontificis fratris vxore eductam Mantuæ Ducem omnes Romanæ Matronæ vero titulo ſalutarunt, eiuſque innocentia lætis populi acclamationibus celebrata.

Toletanus interim Neapolitani equitatus aduentu ab Vrſonis Duce, Vallonumque equitum, & peditum agminibus ab Archiduce Alberto è Belgio in Italiam miſſis, ſuppletis Hiſpanorum, Italorumque legionibus, iam Allobrogum Ducis viribus par, atque Aſculi Principis ancipitis fidei in Hiſpaniam diſceſſu lætus, & ab inteſtinis inſidijs tutus, Montis Nigri Demarchi vniuerſorum præfecti caſtrorum dicti, & Hieronymi Auriæ Vallonum Ducis conſilijs innixus, luſtratis copijs, habitoque de rebus bellicis in ſpeciem Ducum conuentu, quid eſſet eo valido copiarum robore tentandum; Creſcentinum verſus mouens, repente è medio itinere conuerſis in Vercellas ſignis, copias ad eam vrbem obſidendam adduxit; adeò improuiſo ſucceſſu, vt quatuor equitum turmas ex vrbe ſpeculatum egreſſas reditu interclusas conciderit. Per arcanos exploratores Vercellas à bellicis, tormentarijſque commeatibus parum inſtructas didicerat: quos Dux Carolus in alias Montisferrati expeditiones abduxerat. Toletanus omnium dubiam veritus fidem nemini ſuo detecto conſilio, aliud omnino, quàm quod coquebat animo, ſimulans; vt taciturnitas optimum, atq; tutiſſimum rerum gerendarum vinculum eſt, nec res magnæ ſuſtineri poſſunt ab eo, cui tacere graue ſit; Vercellis repentinus acceſſit; non adeò tamen omnes in vrbem ferentes aditus ſepſit, quin Dux ad vrbis diſcrimen accurrens mille quingentos pedites, & equites ducentos cum Ianfrone architecto, Machinarumque egregio molitore in vrbem immiſerit.

Oſſuna. Prima Vercellarum obſidio.

Toletanus Vercellas ſubit inſtus.

Vercellas ſubſidium ingreditur.

Toletanus quàm maxima potuit celeritate educere aggeres, fodere vallum, opportunis locis propugnacula excitare, loricas ſuis copijs contra

tra

Digitized by Google

tra oppidanorum ictus obtendere inſtitit, poſitiſque ſtationibus vrbem vndique claudere, ne cunde ſubſidia obſeſſis inferrentur. Nec mora hinc, inde è tormentis miſſilia torqueri, telorumque iactibus certari cœptum eſt.

Vercellæ oppugnantur.

Primo oppidanorum ictu in incertum contorta pila Chriſtiernum Stampam Soncini Demarchi fratrem ſedè diſcerpſit. Dux Carolus conſcius, quàm anguſta res tormentaria eſſet in vrbe, & qua pyrij pulueris penuria

Subſidium ab Allobroge Duce expeditur.

obſeſſi premerentur, quingentos fortiſſimos equites ex vniuerſis copijs adlegit, quorum latera duo moſchettariorum, haſtatorumq; millia ſtiparent; vt ſingulis equorum clunibus impoſitos tormentarij pulueris culeos patefacto audacter per hoſtilia agmina aditu, in vrbem inueherent.

Scriuia.

Toletanus iratus, quòd ab excurſoribus equitibus hoc ſubſidiarium hoſtium agmen detectum, caſtraq; propè acceſſiſſet, priuſquam à Tridini, Iriæq; pontis, aut diui Germani præſidijs de aduentantium itinere doceretur;

Comes Abdua contra Allobroges mittitur.

Comitem Franciſcum Abduam in Montēferratum illicò miſſum regijs copijs vndecim ſcilicet equitum turmis, & ſexdecim peditum cohortibus ſumma cum poteſtate præfecit; vt vigilantiùs in omnes Allobrogum conatus intentus pro Hiſpani ſalute exercitus excubaret; cuius in eas terras aduentus fuit admodum rebus Hiſpanicis opportunus. Nam vbi didicit hoſtium ſubſidiarium agmen Vercellas verſus iter intendere; abeuntes Allobroges feſtino agmine ſubſequutus diù, noctù, non intermiſſis incurſibus, adeò carpendo, inſtando, fodiendoq; properantium latera infeſtabat: vt quamuis ter vrbi ſubſidium inferre omni arte tentaſſent, irritus tamen, inanis labor, & induſtria ceſſerit.

Hoſtibus decedētibus inſtat.

Verumtamen nihil decedentibus hoſtibus fidens, Toletano prius de omnibus rebus admonito, iuſſit quendam turmæ legatum cum quadraginta equitum globo abeuntium Allobrogum inſtare veſtigijs, veritus ne repentino regreſſu, ſe decepto, in vrbem ſubſidium inducerent, auditoq; claſſici cantu, ſex equitum turmis vltra Seſithem amnem emiſſis, vt Allobrogibus Subſidiarijs occurrerent: ipſe cum quatuor tantum equitum turmis ingenti virtute, atque auſu in poſtremum hoſtium agmen inuectus, ſtipatos hoſtium ordines perrumpere

Pugna inter Hiſpanos, & Allobroges.

toto niſu tentauit: eodem tempore, quo primæ cohortes in ſex illas equitum turmas inciderant, feritur vbique atrocior, quàm pro numero pugna. Allobroges verſa agminis fronte, inclinatis haſtis, miſsilium effuſa procella, Inſubres irruentes excipiunt; hi denſatis ordinibus laxatis habenis in hoſtilem aciem incurrunt; Comes decem ſuæ turmæ equitibus cæſis, pluribus ſaucijs, vnaque equitum turma ferè tota protrita, quamuis

Comitis Abduæ Victoria.

diu laborauerit, ne periret; tamen poſtremo hoſtium agmine in fugam auerſo, rem pluribus interemptis, & captis obtinuit.

Accidit inter certandum, vt frequentium ſclopulorum miſſilium ictibus adactæ in pyrij pulueris culeos, quos in equorum clunibus ferebant Allobroges, igneæ glandes flammam accenderent; quæ reliquos quoque ſubita ſerpigine comprehendens, miſeros illos immani impetu, terribilique violentia tetro ſanè ſpectaculo excuſſit in aerem. Hinc comite ſtri-

cto

cto ferro attonitos eo improuiſo malo hoſtes cædente; inde flamma horribilem ſtragem Allobrogum dante, ferè totum hoſtile agmen conciſum, deletumq; eſt: octingentis haſtatis, moſchetarijs quadringentis, & trecẽtis equitibus, aut ferro, aut flãma cõſumptis, vt buſta carbonibus ſimilia horrendo aſpectu intuentes toto iacentia campo terrerent; inter illas ambuſtorum ſtrues mulier etiam à curioſiùs inquirentibus conſpecta eſt, quæ ſubſidium in vrbem obſeſſo viro ferebat.

Allobroges pyrypuluere accenſi impetu exuſti.

Mulieris animoſitas.

Huius ſubſidij cædes, & fuga compulit oppidanos, vt deditionem maturarent; non ita tamen animum deſponderunt; quin crebris, ferocibuſq; eruptionibus ſuam virtutem, impauidoſque animos hoſti probarent. Augebat obſeſſis audaciam vicinitas Ducis, qui in eadem planicie aduerſus Hiſpana caſtra tetenderat, vt aſſiduis incurſibus commeatibus intercipiendis, hoſtibus incommodaret; ſed infœlici plerunque euentu, cum vbique ſuis validiores vires, & obiectus offendens cum cęde ab hoſtibus pelleretur, quamuis in quodam certamine Serbellionem rei tormentariæ præfectum occiderit. Propugnabant obſeſſi ingentibus animis ciuitatem; licet illos tormentarij copia pulueris defeciſſet. Obteſtabantur frequentibus nuntijs Duci ſuam rerum omnium inopiam, ſubſidium præſens mittere feſtinaret: ſe ad extrema adactos, niſi neceſſitati properè conſuleretur, vrbem dedere compulſum iri.

Obſeſſorum virtus.

Serbellionis cædes.

Quare Dux Carolus ſtatuit ſupremum experiri conatum, omneſque ſuas vires intendere, vt obſeſſis aliquam ferret opem. Demarchum Orſium cum tribus peditum millibus, & quadringentis equitibus cum pluribus iumentis pyrio puluere onuſtis, ſubſidio obſeſſis properare iuſſit; ipſe ponè cum reliquis ſeptem peditum millibus, & equitum mille auxilio, quemcumque caſum fortuna daret, adfuturus incedit. Vbi in caſtra à curſoribus nuntiatum eſt, Allobroges aduentare: ad arma frequenti tubarum cantu conclamatum; itumq; venienti Demarcho obuiam ab expedito Hiſpanorum agmine, atque in medio itinere deprehenſus poſt ſæuiſſimam pugnam regredi lacero agmine compulſus eſt, plus trecentis Subſidiarijs amiſſis.

Allobrogis Ducis irritus conatus

Pugna inter Hiſpanos, & Allobroges.

Interim Montisferrati incolæ, vt Hiſpani nominis hoſtes acerrimi in Mortariæ Demarchum arreptis armis inſurgunt, & etiam mulieres Tridini Hiſpanorum cędem è feneſtris inclamant. Comes Franciſcus Abdua ad tumultum exermis accurrit, iratiſque animis leni tractatione mollitis, excitatam ſeditionem pacauit; quæ magis gliſcens obſidionis res facilè peruertere potuiſſet. Toletanus quatuor acceſſibus vrbem inuadere feſtinabat; erectis aduerſus quatuor vrbis angulos totidem planiformis, mœnia inceſſantibus tormentorum pulſibus diruere, aditumque inuadentibus pandere maturabat. Ipſe cum Hiſpanis cohortibus mœnium diruta aggredi ſtatuit. Montiſnigri Demarchus cum Germanorum phalange, Vincentius Gonzaga à Veneris caſtris, ad Martis ſtudia tranſgreſſus, cum Italorum centurijs, Alfonſus Pimentellius cum Vallonum legionibus ſibi

Populi Tridini in Hiſpanos ſeditio.

Feruet Vercellarũ obſidio.

quiſq;

quiſq; mœnium partem inuadendam deſumunt.

Germani vrbis acceſſu interfluente aqua prohibiti. Italis adhuc altior ſurgebat murus, quàm vt in pomerium poſſent irrepere: Vallones eadem tenuit difficultas, quin acta teſtudine in mœnium coronam euaderent; immo cæſo eius gentis chiliarcho Quini dynaſta, Pimentellius etiam egregiæ indolis iuuenis mortifero vulnere ſauciatus interijt, cum inſigni Hiſpani exercitus dolore, iacturaq; ,quòd florentis ætatis annos matura virtus, virilis prudentia, & morum ſuauitas anteuerteret. Hiſpani verò vt ad huiuſmodi bellicos auſus expeditæ, promptæque virtutis denſato agmine, ſtrictis enſibus, inclinatiſq; haſtis, ita fortibus animis,pleno gradu contempta miſſilium grandine, quæ in ſubeuntes vndiq; è mœnibus ingerebantur, per ruinas fortiter enituntur; vt deiectis propugnatoribus in muri corona fixis Hiſpanicis ſignis, integræ cohortes in faſtigium euaſerint, in vrbem eodem impetu deſcenſuræ: niſi quidam miles ſolerti ſanè conſilio contenta voce imperans exclamaſſet, vt ſubiecto cuniculo ignis inijceretur:eodemq;tempore ad terrendos hoſtes cadum tormentarij pulueris incendiſſet; qua flamma territi Hiſpani,veriti ne cuniculi ignium impetu in aerem torquerentur, relato ſubito pede, celeriùs in caſtra, quàm murum aſcenderant, redierunt. Sic aliqua interdum in prælijs vox temerè prolata, vel perperam excepta victoriam ſæpe præuertit, & magna rerum momenta ab aliquo inopinato caſu dependent.

Pimentelij cædes.

Hiſpani vrbem inuadunt.

Militis obſeſsi ſolertia, & aſtus.

Duo tamen Hiſpani milites, impauidis, inuictiſq; animis per medios propugnantium ordines obuios quoſque à dextra, & læua feriendo ad Diui vſq; Andreæ templum, ipſo hoſte ſtupente virtutem, mirabili auſu penetrarunt. Hac pugna Bleſi dynaſta cum pluribus propugnatoribus perijt; Inde minor fieri ſpes vrbis tuendæ. Galli ardentiùs Demarchum Caluſium vrbis præfectum, vt ſe dederet, impellebant. Quare ille poſtera die accitis in conſilium cohortium Ducibus, debilia vrbis munimenta, & tormentarij pulueris inopiam certum direptionis diſcrimen, præfatus de matura vrbis deditione retulit; antequam ad maiorem rerum difficultatem, atque vltima veniretur,modò poſſe honeſtas deditionis conditiones cum hoſte paciſci. Cæteri Hiſpano cedendum ſentiebant, vno Ianfrone ex omnibus reclamante; qui aut quò Ducis gratiam repugnando demereretur, aut quia ita omninò fortaſſe ſentiebat; precibus obteſtationibus, obnuntiationibus inſtitit, vt in plures dies etiam deditio differretur, donec vicina Gallorum ſubſidia iam Graias alpes ingreſſa in Allobrogica caſtra venirent; quibus auctus copijs Dux Carolus poterat per media hoſtium caſtra ferro ſibi in vrbem aditum aperire.

Duorũ Hiſpanorũ militum virtus egregia.

Obſeſsi de vrbe dedenda conſulunt.

Ianfronis oratio.

Quæ vobis, aiebat, *præpropera ſubſidiorũ deſperatio inceſſit, vt de dedenda vrbe timida cõſilia agitetis? Dux Allobrox in propinquo hoſtium caſtra crebris aſſultibus quatit, è mœnibus ſociorum volitantia ſigna conſpicimus, noſtri Principis præſentia, explicatæque aciei aſpectus animos, vel imbellibus fœminis, ne dum bellicoſis Ducibus augeret; qui ſuum militarem cenſum ad ſolum belli-*

Digitized by Google

bellicum decus referre conſueſcunt; adeſt noſtræ virtutis, ignauiæque teſtis; quam contumeliam præſenti faciemus? Si in ipſius oculis vrbem hoſti trademus? Quæ hanc noſtræ inertiæ, ignominiæq; labem eluet futura virtus? perpetua æterni dedecoris ſtigmata indelebilibus impreſſa notis, quocunque ibimus, circumferemus. Defecit nos ſanè, fateor, tormentarij pulueris copia. Tormentis tantum, & ſclopis res belli geritur? vrbes duntaxat pyrio puluere propugnantur? Decem annos Romani ad Veios ſine hoc puluere pependerunt; totidem ciues patriam à repetitis Romanorum impreſſionibus defendere. Troiani contra obſtinatiſſimam Græcorum oppugnationem nec dum ſomniatis his telorum generibus, hoſtes à mœnibus repulerunt. Arcem Tarpeiam Manlius reuolutis per rupium deiectus Gallis, impigrè texit. Quot vrbes ante hæc feralia inſani Martis inuenta, à circumfuſis hoſtibus diuturna, conſtantique virtute, tutati ſunt ciues? pilis, haſtis, ſariſſis, enſibus de ruinis hoſtes, non tormentorum tantum ictibus deturbantur. Gladius, non ſclopus dat hoſtium ſtrages, pluresq; ferrum vna hora concidit, quàm totum diem lancinant emiſſa tormenta. Quo illi telorum genere armati ad inuadenda mœnia procedunt? non miſſilium ictibus ſtantes pro muri corona confodiunt; ſed denſata phalange, prætentis haſtis, ſtrictiſq; enſibus, per mœnium ruinas impigrè ſcandunt, ferroq; viam ſibi in vrbem ſternere vera virtute conantur. Cur nos non pari animorum ardore, ijſdemque telis mœnia tueri æquitate loci longè hoſtibus ſuperiores audemus? cur non per ruinarū decliuia haſtarum pulſibus ſcandentes præcipites reuoluamus? Illi poterunt nullis ſulphureis tormentis, ſed tantum gladijs armati per ardua repere, ſcalas aſcendere; nos supernè ijſdem telis enitentes per murorum deiectus reſupinare, ac propellere non poterimus? Tria adhuc militum, & eo ampliùs millia integris viribus pugnant; abundè cæteri ſuppetunt commeatus; mira ſunt ciuium ſtudia, & alacritas animorum: hoſtilium tormentorum contorti globi è ſolidiſſima mœnium ſtructura nihil ferè deterunt; veſtigia tantum pulſus contuſo vno, aut altero laterculo, imprimunt: vnus tantum cuniculus exiguam muri partem euulſit, relictis arduis ad inuadendum anguſtijs; quas ſi ſepire virilium pectorum robore audebimus, vel tranſuerſa acta intus foſſa, à reliquo pomœrio præcidere ſtatuemus; non video quæ in vrbem euadendi hoſtibus pateat via: non adhuc omnes tuendæ vrbis artes, machinamentaq; ſumus experti. Si penes me totum eſſet armorum imperium; efficerem profectò, vt ſinguli terræ palmi cohortium cęde, magnoq; hoſtibus ſtarent: nec paterer, niſi cum multa hoſtium ſtrage digitum propiùs vrbem accedere; vt inuicta noſtra conſtantia, diuturniſq; obſidionis incommodis feſſi, tędio affecti ab hac expeditione diſcederent. Durandum adhuc per plures dies, vincendamq; pertinacia neceſſitatem, omniaq; experienda decerno, antequàm ad hoc malorum vltimum deueniamus; ſic noſtro principi fidem egregiè præſtabimus, & æternum inuictæ virtutis decus ad extrema vrbe defenſa, feremus.

Ianſronis oratio pudorem cæteris ducibus inieciſſet; niſi metus rerum ſuarum tantum cautus omnem ſui officij memoriam exueret; atq; aliquid

præter

Digitized by Google

præter ſuam ſalutem curaret. Semel inclinatis ad deditionem animis, priſtina militaris non redit alacritas. Itaq; timidior pręfectus ſic peroranti reſpondit.

Præfecti Vrbis reſponſio ad Ianfronem.

Niſi noſtræ imbecillitatis, hoſtiumq; virium heſternum periculum monuiſſet; ego etiam in vrbis propugnatione vſque ad vltima perſiſtendum putarem: ſed penè captam vidimus vrbem, iam ad eam diripiendam Hiſpanas cohortes aduolaturas metuimus, frequentia hoſtium ſigna in mœnium lorica fixa cum horrore conſpeximus;& niſi vox illa, è cœlo certè à tutelari aliquo huius vrbis Diuo demiſſa illato hoſtibus cuniculi incendendi terrore, Hiſpanos in caſtra à victoriæ limine propuliſſet; iam direptas ciuium fortunas, inceſtatum virginum Veſtalium pudorem, matronas,puellas ad probra, ad turpia effræni militum libidine abreptas conſtupratas,prophanata Sacra, ædes incenſas, trucidatos immani barbarie ciues inanibus lachrymis lugeremus; an hæc mala à noſtra importuna, ſtolidaque audacia ab hoſtium ira certo ventura, vana tantum conſtantiæ exiſtimatione iterum expectanda? Cedo,Iamfro, ſi vt erat condictum, pares Hiſpanorum uirtuti Germani, Itali, Vallones tripartito in deſtinatam ſibi ad aggrediendam mœnium partem impetum pertinaci animorum ardore dediſſent; quid nobis futurum fuiſſe arbitraris, qui uix unis Hiſpanorum impreſſionibus aliquantulum remorandis, ſuſtinendiſq; ualuimus? etiamſi ad præſens periculum ex uniuerſis compitis armatorum robora, urbanæque iuuentutis centuriæ ad trepidas præliantium uoces affluxerint? Quid ſi, ut hoſtes diſertè minantur, alijs tribus cuniculis iniecta flamma, mœnia ſubruerint, ruinarumq; accliuia ſimul omnes eodem tempore adorientur? quo bellatorum obiectu, aut militum obtentu poterunt prohiberi, quo minus in urbem denſata acie ferantur? Iam noſtrarum, hoſtiumq; uirium periculum fecimus, quid miles urbanus, quid præſidiarius ualeat experti ſumus; extremæ dementiæ eſſe puto, longè uiribus inferiores cum potentioribus manifeſto omnium rerum,uitæq; diſcrimine colluctari, Dux Carolus certè è propinquo ſuam aciem oſtentat,uanam ſubſidijs ſpem ciuibus facit; ſed arduos hoſtilium caſtrorum aggeres formidat inuadere. Firmis ſtationibus ſunt omnes aditus ſepti: ſuperanda obſidentium ualli prærupta, atq; hoſtes à ſuis propugnaculis deijciendi, antequam aliquod ſubſidium in urbem poſſit inducere: niſi alas humeris aptet, atq; in urbem ſublimi uolatu ſe libret: non uideo quomodo ſubſidio cohortes, & turmas mittere poſſit. Iam duo ſubſidiaria fugata, cęſaq; ſunt agmina; omnia Ducis tentamenta in irritum cadunt; ipſe anxius cupit magis, quàm ſperat afferre ſubſidium: cum cætera abundè ſuppetant; torme tarius puluis nos omnino defecit; quo ſolo ſummouere hoſtem, ſubeuntemq; diſploſis in inuadentium latera tormentis proterere poſſumus; cuius ablato terrore, quantis animis ad mœnia inuadenda procurrent? Eſt in dextris fateor, eſt in ferro hoſtis arcendi uigor, & uirtus, ſed niſi etiam ſulphureorum miſſilium ſuperfuſa tempeſtate, è mœnibus deijciantur; niſi tormentorum metus aggredientibus afferatur; ab horum laceratione ſecuri per æqua, atque iniqua impauidi in urbem ſtipatis ordinibus, propugnatoribus depulſis,irrumpent. Non ſemper habet

bet ignominiam metus, quem exitij certa ſuarum rerum, vitęq; ſollicita prudentia ingerit. Hunc ego non turpem timorem, ſed ſanum conſilium, quo omnium ſaluti proſpicitur, appellarim. Ipſe Carolus non ignarus, quibus vrgeamur difficultatibus noſtræ ſapientis formidinis miſereſcet.

Hæc timidior ſententia dubios adhuc, ſuiq; dedecoris pauidos Ducum animos ad dedendam vrbem proclinauit; feſtinauitq; deditionem dilatus in vulgus rumor Toletani iuſſu ab vniuerſis copijs in mœnia impetum parari. Miſſis itaq; in caſtra fecialibus de deditionis conditionibus nulla mora tranſactum eſt. Ab Hiſpano æquæ, honeſtęq; dictæ ſunt leges; primū exteriora mumimenta, deinde vrbem ceſſere victori: ſequenti die tria peditum millia, & ſexcenti, & equites trecenti, & octoginta funibus accenſis, ſtrepentibus tympanis, ſolito ad eleuandum pudorem deditorum ſolatio, egreſſi ſunt vrbem tàm mirantibus præſidiariorum ignauiam Hiſpanis, quòd adhuc omnibus mumimentis nihil labefactatis, & integris vrbem ignauè, ac turpiter dedidiſſent; quàm indignante Allobrogum Duce, qui præſidij præfectos toruo, atque irato vultu, & acribus verbis accepit. *Siccine, ille, arces, atq; vrbes ignaui tuemini? ne chlamydem amittatis, hanc fœdam inertiæ labem, quæ geritis, armis infertis? militaremq; artem, quam profitemini dehoneſtatis?* cum ſubmiſſiùs illi factum purgare, excuſareque deditionem vellent; non admiſſis ad aures excuſationibus, Demarchum Caluſium cum præfecto Euangeliſta, & Loddio Gallo, qui in arce curauerat, tradi iuſſit in vincula; qui tamen dicta cauſa, poſt aliquot dies nullius ignauiæ, proditioniſq; comperti, abſoluti tandem ad eoſdem militares honores, Duciſq; gratiam reſtituti fuerunt.

Ducum obſeſſorū animi ad deditionem inclinant.

Vercellæ Hiſpanis deduntur.

Dux Carolus deditos verbis caſtigat.

Captæ vrbi Toletanus valido impoſito præſidio Barnabam Barbum copiarum conquiſitorem præfecit; atque exercitum mortiferis morbis tentatum in Montis Ferrati, Alexandriniique agri ſtatiua deduxit; vt eorum quiete feſſa obſidionis incommodis, ægraque corpora recrearent. Cupiebat ille ſanè à captis Vercellis Aſtam coloniam inuadere; ſed Diguerræ cum firmo Gallorum agmine in Taurinos aduentus mutare belli conſilia coegit. Subſtitit Alexandriæ Allobrogum conatus exploraturus. Dux Carolus relicta in Taurinis debiliori exercitus parte, octo peditum, & duorum equitum millium robore vna cum Diguerræ Gallicis ſupplementis in Montemferratum populabundus excurrit; primoq; impetu intercepto Felizziano, eiuſq; cęſo internecione præſidio, quòd obſtrictam ſui dedendi fidem ſpe vicini ſubſidij, quod nullum aduenit, fefelliſſent. Quartum decimum debile, exiguumq; caſtellum (ſic in Monteferrato, & Clitellis, pleraq; oppida à numeris incolæ vocant.) nullo negotio cepit; cuius milites præſidiarij quòd tormentorum pulſus temerè expectaſſent; vix adnitente pro miſeris Analti Principe, Badæq; Demarcho cædem enixè deprecante ab irato Duce potuit obtineri; vt mutata, militari ludibrio necis pœna, ſinguli relictis armis cum decorticato bacillo diſcederent. Fudere quoque Allobroges fortè obuias aliquot peditum Hiſpanorum cohor-

Toletanus captæ vrbi præſidium imponit.

Dux Carolus Mōtem Ferratum populatur.

Deditorum ignominia.

cohortes, & equitum turmas, Aiazzio, & Annone ſubacto, cuius præſidiarij ſalutem pacti ea lege oppidum dediderunt; vt in Hiſpani Regis ditiones incolumes deducerentur. Dux Carolus ſuam liberauit fidem, ſed alia omninò, quàm conceperant animis, ratione. Dux enim, vt erat ingenio vafer, verba ad ſuum ſenſum interpretatus, eos in Allobroges, inde in Sequanos Hiſpani Regis ditionem præſtita fide, deduci iuſſit. Illi decepti, & irriſi ſuo didicere malo diſertioribus verbis, cum fallaci hoſte eſſe tranſigendum; neq; tàm ab eius ferro, quàm fraudibus eſſe cauendum. Huiuſmodi quondam ambiguis conditionibus, ancipitiq; verborum ſenſu Romanus Legatus Regi Antiocho illuſit ſe nauiũ dimidiũ Romanis traditurum pollicito. Cuius etenim Romanus in Aſiam profectus, vt eas Senatus nomine reciperet non dimidium nauium numerum, vt Antiochus intellexerat; ſed carinarum dimidium ſibi tradi ex fœderis legibus voluit; omniumq; nauigiorum corpora media ſecari iuſſit; atque ita tota claſſe mirabili planè aſtu, diſſectis nauibus, exuit Regem.

Caroli Ducis verſutia.

Antiocho à Romanis illuſum.

Dux Carolus poſtea Rocca oppido trans Tanarum capta, Alexandriæ imminebat; quod Toletanum coegit, vt omnes copias ad firmandam validiùs vrbem accerſeret, miſſoq; ad Hieronymum Auriam celeri nuntio, imperaret, vt Germanorum, Vallonumq; agmina, quæ iam in Monteferratum proceſſerant, ad ſe rurſus adduceret.

Dux Carolus Alexãdriæ imminet.

Auria coactis raptim tantum duobus peditum millibus, & equitibus quadringentis, nam maiores copias feſtinatio prohibebat acciri, in Allobrogicum equitatum ex itinere incidit; nec mora, vt in repentino, improuiſoque occurſu, tumultuarium certamen initur. Aderat ipſe Carolus, & Diguera ſuos ad prælium manibus, & vocibus animantes. Auria ne infirmior viribus hoſtium multitudine opprimeretur; agmine, ſtipatis ordinibus, in altiorem, munitumq; locum ſeducto, acerrimos hoſtium incurſus fortiter ſuſtinebat. Circumfuderant ſe hoſti vndiq; Allobroges, ſed cum iniquitas loci ſubire tutò ad hoſtem, niſi cum manifeſta pernicie, prohiberet, inde pluribus amiſſis, & captis, Dux Carolus ira frendens, quòd malè pugna ceſſiſſet, agmen deduxit. Non tamen hi Allobrogum in Montisferrati terras excurſus Toletanum extra vrbis munimenta in campos extrahere potuerunt: ſed habito Auriæ aduentu præfectorum conſilio, ex omnium ſententia decretum eſt, intra mœnia ceſſando pati Gallos ſuos impetus effundere; vt nullo hoſte occurrente, natiuus ille gentis bellandi frigeſceret ardor, furorq; langueſceret.

Pugna inter Hiſpanos, & Allobroges.

Cautum Hiſpanorum conſilium.

Inter hæc alij, atq; alij ab Hiſpania tabellarij cum diſertis mandatis ad Toletanum aſſiduò mittebantur; vt pacem cum Duce Carolo inita, Vercellas reſtitueret. Verum Toletanus ſicuti in eius vrbis obſidione hærens imperanti Regi, vt captæ munimenta dirueret, ſpretis iuſſibus Regis adeò non propugnacula demolitus eſt; vt etiam noua veteribus aſtruxerit; ita maximè damnoſum Hiſpani rebus illi fore videbatur, eam vrbem tot militum ſanguine, impenſiſq; partam, quondam Mediolanenſi ditioni anne-

Toletanus iubetur Vercellas reſtituere.

Digitized by Google

xam Duci Carolo iterum reſtituere, cuius arcis obiectus poterat identidem bella renouantem Ducem, velut iniecto fræno, compeſcere, nunq[uam] illum adduci potuit, vt pernicioſo huic Regis Imperio pareret, acribus ſanè ſequeſtrum partium querelis. Nectebat moras, donec dies aliquid ferret, quod eam reſtitutionem interpellaret. Feſſis tandem eundo, redeundoq; tabellarijs, & pacis Sequeſtribus frequentibus precibus Toletanum fruſtra obtundere, exeunte Maio menſe, nuntius ab Hiſpania Genuam appulit ad Ioannem Viues legatum cum abſciſſis mandatis, vt ſi ad eam diem Toletanus Vercellas Duci Carolo reddere diſtuliſſet, regia diplomata Venetias ad Demarchum Belmarium per citatum tabellarium illicò mitteret; quibus iubebatur ea legatione dimiſſa, Mediolanum properè feſtinare, vt inde Toletano ad Regiam Hiſpanam aulam amandato, pacis conditionum capita ipſe perficeret, Vercellaſq; Allobrogi reſtitueret. Quæ Regis decreta cum Viues Montis nigri Demarcho clanculùm detexiſſet, ille priuſquam ad Belmarium Venetias tranferrentur, Toletanum Regij iuſſus admonuit; qui tandem veritus ne ſibi in ditiſſimi dominatus præfectura alius aliquis ſubrogaretur: Regijs imperijs acquieſcens ineunte Iunio menſe, Vercellas, deducto inde Hiſpanico præſidio Duci Carolo de manu reſtituit. Pacis initæ leges mutuas arcium, oppidorumq; reſtitutiones, copiarum miſſionem, Rebelliumq; veniam complectebantur. Regis quoque Galli abnuntiationes ſe illum reuocatis in Galliam ſuis vectigalibus deſerturum, ſi pacem contumax repudiaret, Ducem, vt eam acciperet, perpulere. Toletano omnium opinione validè ſui Regis Hiſpanıq; nominis dignitate tot victorijs aſſerta, in Hiſpaniam accito, Rex Feriæ Ducem nunimè bellicoſum, ſed exactæ prudentiæ, Sapientiæq; virum ſubſtituit.

Regis detrectat imperium.

Regis abſciſſum imperium Vercellæ reſtituantur.

Vercellæ Carolo Duci redduntur.

CARNICVM, ET FOROIVLIENSE BELLVM

NARRATIO SECVNDA.

Rempublicam Venetam ſuo ingenio bella peroſam, pacis magis, quàm Martis amantem, vtpotè quæ ciuilibus ſtudijs, & pacis artibus efficaciùs, quàm armorum violentia ad non pœnitendum imperium prouecta non minorem ſe regibus ferat; quorumdam barbara Piratarum toto ſupero mari prædatorijs myoparonibus volitantium feritas, & audacia eò perpulit irarum, vt poſita natiua animi lenitate, reuocata auita ferocia iniurias vltura, iuſta arma in prædones induerit. Quantis illa egit officijs, quot legationibus inſtitit, vt citra cruenta belli diſcrimina, pugnantiumq; cędem, pacatè oritura bella componeret? Sed earum indomita Harpyarum barbaries prædas anhelans mitibus artibus leniri non potuit, quominus fuerit efferatior, & ſæuior, tum maxima, ſi quando alias in Veneta nauigia immanitate graſſata. Bellorum, credo, Numen, quo ſe præcipuo inter ſuæ maieſtatis honores mortalibus formidandum oſtentat, auferre populis mentem, & gentium vitiare conſilia, ne mitiùs agendo in ſuorum piacula ſcelerum ingruentia belli mala declinent; immo in iniquos immiſſo quaſi æſtro, agere in furorem, vt in iniuriarum vltionem ſuos iteratis laceſſitos offenſis exciant hoſtes, vel mutuo virium attritu, vtroſq; belli cladibus plectat. Hinc Principum, & regum animos efferat ſæpiùs ad bella, & ad pugnas veluti præſens paludatus Imperator accendit: quò illis in mutuam perniciem inſanientibus populi ad ſuorum ſupplicia facinorum deliramenta Principum luant; vel mortalium purgamenta, ſordes, damnoſaque nebulonum pondera è terris euerrat. Ita prorſus eſt, nam ab illa perdita latronum colluuie adeò non ceſſatum a prædando eſt, vt etiam crebrioribus incurſionibus moleſtiores piraticam exercuerint: donec Reſpublica terreſtribus copijs in Carnos inductis, comparataq; claſſe, eos intra ipſa luſtra, ac latibula venaretur, atque ab ea intolerabili peſte, inſultibus, latrocinijs, cum profligatiſſimæ gentis excidio, Mare Adriaticum vindicaret. Quam bellicam expeditionem antequam proſequamur, operæpretium erit aperire illius Gentis exordia, progreſſus, genus, quo clariora ad cognoſcendum cætera ſint.

Duas aufert populis mentem vt eos plectat.

Vnde Gens Vſchochia.

Vſchochi nomen Illyrico idiomate fugitiuum, & transfugam ſonat: quòd Turcici impatientes imperij ab Illyrio Thracis regis armis Chriſtia-

nis

Digitized by Google

Cliſſa, e Segna.

nis erepto proſugi Cluccis, & Sæniæ, Dalmatiæque vicis toti ſupero mari prætentis conſederint, ibiq; promiſcuis connubijs accolis inſiti militiæ acerrimi repentinis incurſibus finitimos prædabantur. Aliquando etiã flagrante inter Turcas, & Germanos Cæſares bello, eorum ſtipendia pedibus meruerunt, vt ab ea parte in Turcarum terras inuecti, populationibus, direptionibus, cædibus omnia haberent infeſta, & Thracia arma à Pannonicis bellis ad eos tuendos fines auerterent, aut certè crebris incurſionibus diſtinerẽt. Maior ſemper, quàm pro eorum numero agrorum, terrarumq; vaſtatio; feritas, audacia, indomita ferocia, virtus inuicta exiguum ſupplebat numerum. Nunquam plus ſeptingenti in hoſticum incurrerunt. Diù finitimos Turcas eorum terribile, ac formidabile nomen exterruit.

Turcis formidanda.

Verum cum Turca pactis inducijs, aut pace compoſita deficiente, in quod natiuã ſæuitiam effunderent, nouum rapacis militiæ genus exorti, vicinas Venetæ Reipublicæ terras excurſionibus, rapinis, populationibus adeò bacchata eorum barbaries eſt, vt Senatus ad arma conclamato, miſſoq; in Dalmatiã cũ valida claſſe Hermolao Theupolo ſummo Nauarcho, alijſq; ſubinde Ducibus latronum effugia, Seriſſam, Nouium, Lauranam, Terſatum, aliaq; eius tractus piratarũ receptacula funditus euerterit, eorumq; pluribus laqueo ſuſpenſis, aut capite detruncatis, prædonum aliquantum temeritatem, audaciamq; cõpreſſerit, coegeritq; Auſtriacæ domus miniſtros indicta piratis exilij, aut capitis pęna, immania eorũ ſcelera coercere.

Rapax hominum genus.

Veneti prædones perſequuntur.

1616

Anno itaq; ſexcenteſimo ſupra milleſimum Seniam profectus Ioſephus Rabatta Ferdinandi Auſtriæ Archiducis Conquiſitor, cum Victorio Barbaro Senatus Veneti legato de hac re facili negotio tranſegit, cõuenitq;, vt fortunis omnibus, exilio, & capite ſanciretur, nequis Vſcocchorum Venetis Adriaticũ ſinum nauigantibus vllam moleſtiã afferret: plures inſolentiorũ ab vrbe eiecti, multi in exilium acti, quibuſdam aqua, & igni interdictũ, omnibus piratici Myoparones ablati, quibus ad pacẽ ſeruandam ſalubriter conſtitutis, parũ ab ea gente feroci obtẽperatũ eſt: nã paucis poſt diebus excito Ioniæ tumultu, in Rabattę ędes impetu facto, ipſo in ſuo cõclaui barbarè obtrũcato, receptis iterũ ab Imperialibus miniſtris piraticis nauibus maiori cõciti rabie in Venetæ ditionis litora, præternauigantesq; mercatores Venetos excurrerunt.

Supplicia decreta in prædones.

In Venetos incurrunt.

Veneti, ne omninò deſides iniuriarum vltionem negligere viderẽtur, vt malis mala penſarent, ſibiq; illata damna ſarcirẽt; expoſitis in hoſtili litore copijs, plures Archiducis villas, & pagos incẽdijs, direptionibus exciderũt. Sic mutuis cladibus, vaſtationibus, cędibus cum infęlicium accolarũ ruina tredecim ipſos annos ſe inuicem confecerunt; donec Hieronymo Superantio apud Cęſarẽ legato ſolicita cura factum eſt, vt Viẽnæ pace æquis vtrinq; conditionibus cum Archiduce ſancita, non modus ſolum, ſed etiam finis tot cladibus poneretur, atq; incolę trãquillitati priſtinę redderẽtur, certiſſima ſpe in poſterum, nulla pacem turbatura diſſidia, eiectis, expulſis, exactis Senia Vſcocchis, magnaq; animorum propẽſione, ac ſolicitudine, ab Imperialibus miniſtris pręteritis, & futuris incõmodis cũ ingenti Senatus Veneti

Pax inter Venetos, & Archiducẽ ſancitur.

gratulatione conſulto. Nihilominus,neq; tũ etiam vti fęderis capita à Venetis cupitum ſperatumq;effectum habuere. Latrones enim vix elapſo mẽſe Seniam rurſus, conniuente vrbis præfecto, regreſſi procaciori furore rapinis,vaſtationibus,cędibus in Venetos ſæuierunt; præternauigantibus interceptis captiuis pecuniarũ pẽſionibus libertatis pretijs indictis, ſed pręcipuè in publicos Reipublicæ miniſtros piratarũ immanitas, atq; ira efferbuit. Antonium ſiquidem Georgium Pagi præfectum inſidijs exceptũ, ſpe ſuæ perfidiæ prætenta ſe illi Seriſſam arcem prodituros per ſummum facinus peremerunt. Chriſtophoro item Venerio triremis nauarcho in Pagi nauium ſtatione repentino impetu capto poſt varia ludibria ſciſſis ceruicibus extractum pectori cor Antropophagis immaniores dẽtibus lacerarũt proiecto canibus trũco,abductaq; triremi. Mox in Iaderẽſem agrũ inuecti omnia populationibus,incendijs,cędibus,direptionibus deuaſtarunt.Plura itidem Veneta nauigia mare Superũ nauigantia myoparonũ incurſu ablata, atq; depreſſa:quorum vnum ſuffixis primo tabulato clauibus omnibus nautis, expanſo ventis carbaſo,quocumq; auræ flatibus raperetur,laxarũt ad curſum. Nullũ erat crudelitatis,immanitatiſq;genus,quo nõ præſertim contra Venetos ciues, barbaras manus latrones perditiſſimi cruentarent.

Pax ab Vſchocchis turbatur.

Vſchoccorũ in Venetos immanitas

Veneti in Vlturũ conſurgunt.

Hæ grauiſſimæ offenſæ Veneti Senatus, vt par erat, animos aſperabant: quod contemptui habita à miniſtris Imperialibus Reipublicæ maieſtate pauci latrones in proprijs ædibus Venetis ciuibus inſultarent; immo ipſi Auſtriaci in Iſtriam aliaſq; Venetas terras illati omnia vaſtationibus,& cędibus deformarent.Quare Senatus tot contumelijs,iniurijſq;laceſſitus non vltra bellum differendũ turpi, inhonoraq; patientia ratus,conſcripto exercitu, inſtructaq; claſſe offenſas vltum ire decernit: vt eodem tempore, & Archiducem,& piratas armis impeteret. Sed antequàm iretur in arma pugnatum eſt diù inter præſtantiores.Senatores diuerſis ſentẽtijs in ſecretiori Rogatorũ cõſilio,in quo Reipub. difficiliora, ac potiora ſanciuntur,an Auſtrię Archiduci,cuius Vſcocchi erãt vectigales,eſſet bellũ inferẽdũ:cũ tãdẽ Laurentius Capellus feruidi ingenij. Senator ita cęteros affatus eſt Patres.

Non video cur ampliùs dubijs animis hæreamus, an fœdiſſimi latrones ſint armis de Superi maris ora, ſuiſq; receptaculis decutiendi. Quotidianæ fere iniuriæ, contumeliæ nobis illatæ, in ciues Venetos implacabilis rabies, aſſidui in noſtra maria procurſus, direpta nauigia, ablatæ merces, noſtri ciues barbara immanitate laniati, nauigantium querelæ iam nos impuliſſe debuiſſent; vt terreſtribus copijs à continente, & inſtructis claſſibus à mari crudeles feras quaſi indagine circumuentas,earumq; latibula omnibus belli cladibus excinderemus. Huius inuictæ Reipublicæ Maieſtas quondam, vel vmbratilis impotens cõtumeliæ à deſpicatiſſima mortaliũ gẽte ſibi patietur illudi, ſe haberi contemptui? Vt generoſi, excelſiq; animi eſt priuatas iniurias inferentibus condonare, ita demiſſi, viliſq; cenſendum eſt ad publicas conniuere. Multoties grauiſſima, ac periculoſiſſima bella ſuſcepimus, quod certamine dignationis exorto, non ſatis è Reipublicæ maieſtate nobiſcum actum putaremus: nunc

verò

Digitized by Google

verò à nobis ipſis degeneres inerti incuria, ignauaq; ſocordia à perditiſſimis prætronibus in noſtris oculis toto mari inaudita feritate graſſantibus noſtras naues intercipi, inſolenti, aſſiduoq; procurſu noſtra infeſta haberi maria, nauigationem intercludi in maximam Reipublicæ contumeliam impunè ſinemus? Cum Genuenſibus internecino bello, non pro retinendo alicuius inſulæ, aut Regni poſſeſſione pugnauimus; ſed de dignitate, de nauticæ virtutis gloria, vtris noſtrum cederet maior bellici decoris exiſtimatio, vtri iuſtiori iure vſurparent maris imperium. Vidimus hoſtem ad foſſam Clodiam immodica nimis inſolentia his noſtris æſtuarijs inſultantem, imminentemq; vrbi; ſed illum belli turbinem ferè hanc Regiam obruentem Reipublicæ fælicitas in hoſtium perniciem, exitiumq; diſcuſſit. Modò verò ad hæc piratarum ſedimenta totum ſuperum mare fędantia inulti ignaua ſegnitie torpebimus? Vix aliquod Venetum nauigium in Dalmatiam, circumiectaſq; inſulas curſum intendens è ſcopulis vident; cum ſtatim remis arreptis è ſcopulis exiliunt, infeſtiſq; proris in præter nauigantes incurrunt: atque vtinam auectis mercibus, eorum barbaries nauigantium cædibus abſtineret; eſſet minor de eorum audacia, ac rapacitate querela, ſed combuſtis nauigijs vel mercatores captiuos abducunt; vel impias manus barbara feritate inſontium cæde cruentant; immo (ſi Dijs placet) pecudum more exenteratis antropophagis crudeliores eorum viſcera, extaque vorant. His nos toties iniurijs, contumelijſque laceſſiti, adhuc in vltionem ruere moramur, & torpidi iacemus inulti? Ergo precarium tenemus maris imperiũ, ſi nefarios piratas prædabundos currere ſinimus totũ Adriaticũ mare, pro libidine infeſtare, terrore, fuga, cędibus omnia complere. Mehercle video in noſtris claſſium Ducibus, & Nauarchis, immò in nobis ipſis contraria omninò ſtudia, pugnantiaq; inter ſe opera. Ad inferum mare, extremumq; ſinum terribiles, ac formidandi noſtri Trierarchi, niſi citò exteras naues demiſſis antemnis, contractiſq; velis noſtra ſigna venerari, diſploſiſque ſine telo tormentis hilari, officioſoque fragore noſtram claſſem ſalutare, præſtareq; vt maris Dominis debitum ſubmiſſi cultus obſequium viderint; ſtatim veluti in hoſtes conuerſis tormentis, contumacia nauigia miſſilium iaculatione diuerberant; audaciùſq; repugnantia roſtratarum incuſſu deprimunt, ſæpe nauali prælio mutua cęde confligunt; ad exprimendum tantum inane illud ciuilis obſequij, & venerationis inſigne, ſicuti ſuperiori ſeculo Canalem ſummum noſtræ claſsis Nauarchum in Maurum Archipiratam feciſſe legimus, vel cum maximo irritandi in Rempublicam Solymani Turcarum Regis diſcrimine. Dum enim ille ad noſtræ claſſis aſpectum, nec vela debitæ obſeruantiæ gratia demittit, nec inani, innoxioq; ictu tormentis emiſſis ſalutat. Protinus Canalis contumacē infeſtis proris aggreſſus tormentorum miſſilibus eius claſſem latè diſiectā, laceratāq; ita cæcidit, vt refractarij Barbari ſuperbiam mortali afflicti vulnere ſupra vota contuderit. Tam ſeuerè in Infero Mari retinemus eius imperij dignitatem, vt niſi à præternauigantibus debitus honor noſtris claſſibus habeatur, illos tanquam hoſtes tormentis inceſſimus: ex aduerſo in Supero, intimoq; ſinu penè in vrbis conſpectu, quaſi nihil noſtra intereſſet eius imperium, fœdiſſimos latro-

nes ſurere, prædari, ſæuire, populari noſtra nauigia quodam lethali torpore ſopiti permittimus. Vbi ille eſt iniuriarum impatiens animus, atque impotens contumeliæ, quo ſæpe noſtri maiores in maxima bella exarſerunt? metum nobis prædatorij lintres, & Myoparones incutient? At enim graue, periculoſumq; bellum cum Auſtriæ Archiduce, cuius nefarij prædones incolunt terras, atque adeò cum vniuerſa potentiſſima Auſtriaca Domo, & cum ipſis Hiſpanis, quorum circumfuſa noſtris ditionibus arma, ſtatim ex mutuo fœdere, cognationiſq; debito in noſtros ingruent dominatus, noſtraque in Carnis bellantium terga ab Inſubribus fodient; ſi piratas de ſuis receptibus, immaniſſimaſq; feras de ſuis luſtris admotis terreſtribus armis, & à mari claſſibus deturbare tentabimus. Quidquid futurum ſit, noſtra iura tuemur, iniuriaſque propulſamus; non eos Principes, ſed infeſtos nobis latrones bello perſequimur: is erit noſtrorum ſenſus armorum, & bellici conatus finis, & meta crudeliſſimis Harpyis mare detergere, amoliriq; infenſiſſimam peſtem, vt liber, & innoxius non tantum noſtris præſtetur, ſed etiam exteris nauibus curſus. Hoc vno maris dominos agimus; idq; exteræ gentes tamquam iure à nobis debitum ſibi repoſcunt; atq; hoc vnum à condita Republica enixè contendimus, vt tutam, ſecuramq; ſinus Adriatici nauigationem omnibus faceremus. Quocirca ſi Tunetanæ, Iuliæq; Cæſareæ Piratarum claſſes in noſtra maria prædatum procurrerint; ſtatim illas concitato remigio, diſploſis prius tormentis, aggredimur; iniectiſq; harpagonibus cruenta ſæpe pugna, cum audaciſſimis latronibus dimicamus. His fortiſſimis auſis Maris imperij dignitatem, apud Chriſtianos Principes, maieſtatemq; tuemur. Hoc auget nauticæ virtutis gloriam, noſtrorumque exiſtimationem armorum. Quorſum enim tantis impendijs alimus claſſes? & in ſociorum naualium, nauarchorum, Epibatarum ſtipendia tot theſauros, ac pecunias effundimus, ſi infame hominum genus inquinamenta mortalium toto Adriatico ſinu impunè graſſantur? ſpretaq; huius Reipublicæ maieſtate, potentiaq; ex noſtris prædas nauibus agunt? Noſtri Nauarchi omnium gentium præconijs ornantur, ſi pyratica nauigia, ſi prædatorias triremes oppugnatas, lacerataſq; tormentis vndis obruerint. Neq; hoc inſto, vt immiſſo in nefarios latrones aliquot triremium agmine, illos maris nauigatione interclusos in ſua receptacula compellamus; ſed vt penitus deleamus inuiſiſſimam gentem, & quotidianum malum radicitus conuellamus; nam ſi eos à mari tantum inuadimus; illi ſanè ad noſtrarum triremium aſpectum ſe intra ſua latibula continebunt; ſed ſtatim, ac retrò carbaſa explicarint; ex antris ferociores, & infenſiores exilient. Neque è Reipublicæ dignitate, & commodo eſt contra exiguam latronum manum tantis impenſis noſtras naues in anchoris ſtare. Impellendi ſunt igitur ſimul à mari, & continente, eaque mortalium illuuies penitus euertenda, ne amplius ſinum infeſtet, ne mercatorum nauigia diripiat, & ea moleſtiſſima cura Rempublicam expediamus.

Concitata tam grauis Senatoris oratio omnium patrum animos ad bellum capeſcendū accenderat; cum Aloyſius Mocenicus pacatioris animi, ſedatioriſq; ſenator bellū ſuadenti hac leniori ſententia dicitur refragatus.

Eadem,

Eadem, qua tu, Laurenti, immanibus latronibus ira ſuccenſeo, eodem vindictæ ardore flagro in moleſtiſſimam mortalium labem, & in omnia ſupplicia meritos iuſta arma ſtringenda decerno. Verum illud belli nomen, comparandiq; in piratas ſpeciem exercitus reformido: non quod effuſiſſima impendia, quæ in alendis copijs, ornandaq; claſſe neceſſariò facienda ſunt, magnopere perhorreſcam; ſed diuturnam Reipublicæ pacem ſuſcepto bello rumpere; tranquillitatemque armorum fragore turbare me terret. Ad equitum, peditumq; authoramenta, ad cogendam copiarum molem, quantæ in Italorum, exterorumq; Principum aulis turbæ, ſuſpitioneſque excitabuntur? qui motus animorum cientur? Verum, & hæc ipſa deſpicio, cum enim non ſua peti, ſed aliò conuerſum belli impetum cernent, fortaſſe quieſcent: illud ex animo timendum reor, quòd non eadem facilitate arma condi, qua ſtringi poſſunt. Pro arbitrio ſanè licet armare exercitus, copias in campos emittere, aggredi deſtinata, bello quatere prouintias; ſed irritatos armorum incuſſu pacare animos, milites exauthorare, inducta pace motos belli turbines tranquillare pro voluntate non poſſumus. Laceſſiti ipſi quoque in arma audaces iniurias vlturi conſurgent; aſperatiſque mutuis cladibus animis, bellum ſæuius, ac ſæuius indies recrudeſcet; tantæq; hinc, inde difficultates orientur, vt maximè arduum futurum ſit, ijs ſublatis in mutuam gratiam redire, pacemq; componere. Citò ſigna explicantur, alacriter itur in arma; ſed aduerſante plerumq; etiam iuſtis cauſis, votiſq; fortuna, citò etiam, ſed tamen ſera pœnitentia præceps ſuſcepti belli conſilium, decretumq; damnamus: & cogimur inuiti in armis durare ad exiſtimationem in ipſis cladibus retinendam. Incaleſcunt ſanè animi ad tubarum cantus, tympanorumq; fragores, & martio ardore ſuccenſi rapimur in pugnam; ſed vbi ille primus calor reſedit; illa prius ferox animoſitas torpet: maximè ſi reflante fortuna, primi conatus ad vota non cedunt. Feruida conſilia, quæ ſuggerit ira, damnanda, cum nihil ſanum, & vtile, ſed damnoſa iratis mentibus ſubijciat. Non bellorum principia, ſed exitus attento animo reputandi. Cedo, Laurenti, cum decreto in Piratas bello, & dicto copiarum imperatore, efferentur in continentem bellica ſigna; armatæ æquitum turmæ, & peditum legiones in ſuos quæque ordines digeſtæ procedent; cum muralia tormenta trahentur, quò infeſta incumbet hæc noſtra copiarum moles? quas terras hæc conflata arma pulſabunt? quatuor inopes piratas? ferarum luſtra? latronumq; latibula? Hoc certè è dignitate, maieſtateq; Reipublicæ non eſt, in paucos, omniumq; rerum egētiſſimos graſſatores exercitus ſcribere, cogere agmina, armatas copias immittere, quos facili Marte de ſuis ſedibus pulſos poſſumus debellare. In Auſtriæ Archiducem igitur acuimus tela, & ſtringimus arma, eiuſq; terras inceſſimus bello. Hoc me adeò mouet, vt ſi omnium veſtrum animos dicendo in meam ſententiā poſſem impellere, efficerem profectò, vt omnes huius pernicioſi belli cogitationes penitùs abijceretis. Quibus enim tandem irritati iniurijs illum vltrò bello perſequimur? nullas noſtras terras inuaſit, non vrbem, non pagum, non caſtellum aliquod occupauit: nulla Germani equi vngula noſtra hoſtiliter confinia pulſauit: an quia ad noſtrorum preces, obteſtationeſq; legatorum

nequiſſimos piratas de ſuis terris non expulerit? vel tot latrocinijs infames punire, vel ſaltem coercere contempſit? Atqui ille fortaſſe iuſſit Gratianæ, Seniæque præſides votis obſequi Reipublicæ, piratarumq; compeſcere audaciam: illi Principis, hi præſidum imperia forſitan detrectarunt, vt eſt omnis alieni rapiendi libido inſolens, & contumax, vel ipſas ſuppliciorum minas, imminenteſq; ceruicibus ſecures diuitiarum voluptate ſpernẽte. Non igitur video, cur ſit bellum in Archiducem Auſtriæ decernendum, rumpendaq; in hoc tranquilliſſimo Italiæ angulo pax, qua ſola ſtat huius florentiſſimæ Reipublicæ ſalus, omniumq; ciuium fortunæ, opeq; ſeruantur. Verum iſta mota arma aliò ſecretiori ſenſu deſtinentur, quàm vt mendici Piratæ de ſuis mapalibus depellantur, detergaturq; ſceleſtiſſimis latronibus mare; piratarum excidium bello titulus præferatur; noſtra arma maiora moliantur. Quid tum? nullum agnoſco huius belli, tanti impendij, incommodi, periculi, curæ, laborum operæpretium futurum. Expugnetur Gratiana, Senia occupetur, latronum domicilia capiantur, intra Germaniæ fines noſtri imperij limites proferantur: ſcilicet Auſtriaci Principes tot Germaniæ Ducum, procerum, dynaſtarum affinitatibus, clientelis firmi, ac validi deſides, & inertes nos ſuis terris potiri patientur: ignauoq; otio ceſſantes, inulti hoſtilia arma ſua loca prædari, diripere, occupare caſtella ſpectabunt. Ad primos moti belli impetus, armorũq; fragores ſuas ditiones pulſantium, exilient alacres in arma, valida Germanorum agmina, & bellicoſiſſimæ gentis torrentes in Foroiulienſes terras effundent, vniuerſam Germaniam, quam partim Imperij iure, partim fœderum vinculis, conſanguinitatiſq; nexibus, & populariũ ſtudijs amplectuntur, cient in bellum, ruent inopinato bello laceſſiti efferatis animis in Italiam, & vtinam ſua tueri contenti noſtris terris abſtineant: iureq; belli barbara feritate nõ omnia peſſundẽt. Sanè conſtat aliud bellici vigoris robur, aliãq; bellandi peritiam, firmioremq; diſciplinã militibus Germanis ineſſe; atq; tyronibus Italis. Illis ad bella natis, duratiſq; in armis, tãtum ab omnibus ſummis Ducibus tribuitur, vt in eorũ phalãge ſuo tuta robore, ſtipatiſq; ordinibus impenetrabili, prætenta haſtarũ ſegete formidanda totius exercitus vis, robur, victoriæq; ſpes collocetur. Nulla bellatorum tam firma acies eſt, vt illius grauẽ incumbẽtis impetũ poſsit ſuſtinere. Noſtri verò milites Itali iam obſoleta antiqua illa Martis inuicti gloria, ab aratris, & ligonibus ad arma tractãda adſciti, mollioribus vitæ rationibus aſſueti, tyrones militaris diſciplinæ rudes vix trucẽ hoſtium intuitũ, ne dũ irruentiũ pondus, impreſſionẽq; ferẽt, & ſi alicuius aduerſi fortunæ prælij quod ne ſciuerit, Deus, hoſtili ferro noſter concidetur exercitus; quid tum nobis futurum cenſes? ager vaſtabitur vniuerſus, villæ, pagi ſubditis ignibus cõflagrabunt: diripiẽtur ab inſolentibus victoribus vniuerſa, caſtella repẽtina obſidione ſepientur. Tũ pacis ab inclemente victore expreſſa neceſſitas coget eas leges accipere, quas victoriæ minus ſemper moderatè imperanti ferre libebit. Verũ Archiduci nõ modò fortiter obluctemur, ſed etiã in ipſius ditionũ vlteriora victricibus armis inuecti formidãda arma circũferamus; certè ille noſtræ virtuti ſuccũbens conſanguinei Cæſaris, Hiſpanorumq; opem trepidis nuntijs expoſcet: ille Cymbrico bello veteranas cohortes, et turmas ſubſidio mittet. Sic ab Inſubribus

in Cre-

in Cremenſem, Bergomenſemq; agrũ copijs inductis, à Carnis noſtra arma ad eas Veneti dominatus partes tuendas auertent. Neq; enim Allobrogũ Ducis quãuis acerrimi bellatoris viribus ita fidendũ eſt, vt illũ omnino Hiſpanica arma in ſe conuerſa diſtenturum ſperemus. Pugnabit ille fortiter aduerſus Hiſpanos, irrequieto armorũ incuſſu laceſſet; verum illi dimidiatis copijs altera virium parte Duci bellanti reſiſtent, altera noſtros fines inuadent; qui præſidijs nudati, vrbibus tantũ ſuis tutis munimentis, populantium iniurijs obnoxij incolarũ fuga, cęde, direptioneq; vaſtabũtur: præter id quod Vrſonis Dux Neapolis prorex nobis infeſtiſſimus hoſtis immiſſa in ſinum Adriaticũ claſſe, vrbẽ vrgebit à mari, & ecce periculoſiſſimo Republica implicita bello, vndiq; circumuẽti, impulſiq; hoſtilibus armis, vel iniquis cõditionibus pacẽ petere compellemur; ſancieturq; ſequeſtris agẽtibus, ut ęquiori lege, ſicut inter Chriſtianos Principes, ut ſua cuiq; ablata reddãtur. Hæc ſunt noſtrorũ bellorũ per vulnera, & cædes, ſtrageſq; mortaliũ quęſita cõpendia: hi fructus ex tot curis, laboribus, impenſiſq; percipiũtur; vt tandem poſt mutuas clades, prouinciarũ excidia, agrorũ vaſtationes, Incolarumq; ruinã, redditis occupatis, arma condantur, atq; inter bellantes pax cupita sãciatur. Dominatus euertimus, theſauros effundimus, vectigales pecunijs emũgimus, prouincias delectibus exhaurimus, fata innumeris mortalibus properamus, vt tandẽ in belli exitu in priſtinũ habitũ cuncta reſtituantur, nullaq; terrę gleba tot laborũ pretium, impenſarumq; ſit. Quãdo ita futurũ certiſſimè diuinamus, quid Rempublicã bellicis negotijs, inutilibus curis, vanis impenſis, & pernicioſis periculis implicamus? Fruamur pacis cõmodis, quãdiu illã propitia Numina nobis impertiunt, pacis magis, quã cruenti Martis beneficio hanc feliciſſimam Rempublicã habemus. Omnibus circum pacatis nulla hoſtilia obſtrepunt arma, nulla bellica, nulla claſſica ſonant: vt quid altiſſimam quietẽ vltra turbamus? plurimis exitio fuit ſpontè bellũ accẽdiſſe. Annibalis in Romanos odiũ illatumq; illis bellũ exciſa funditus Africa punicũ euertit imperiũ. Crœſo Lidij, iactura Regni ſtetit vltrò bello prouocaſſe Cyrũ Perſarũ Regẽ. Cãpſon Aegyptiũ cõuulſit imperium intẽtatis dumtaxat Selymo Turcarũ Imperatori armis; præter alia, plurima recẽtiorum euentuum documẽta, quibus abundè inſtruimur, et monemur, ne primi bello aliquem Principem prouocemus: ne iniuriæ eiuſmodi ſint, vt bello vlciſcendæ videãtur. Piratarum audaciam alia ratione magis quã bello, fauẽte Numine contudemus. Præpotẽti Reipublicæ modi non deerunt delendæ fœdiſſimæ gentis; abſque eo quòd omnia belli tumultibus miſceamus. *Vrſinus.*

Nihilominus allatis nouarum iniuriarum nuntijs aſperati animis patres bellum in latrones decernunt. Marco igitur Lauredano, & Benedicto à Lege in Iſtriam, & Dalmatiam iuſſis claſſe tranſmittere. Franciſco Ericcio cum alijs copiarum Ducibus in forum Iulium ducere ingens bellum bipartito hoſtes aggredi parant: quò tempore ad acerbandos grauioribus offenſis animos, prouocandaq; Veneta arma Therſaci comes in Verucæ agrũ excurrens hoſtilibus latrocinijs, incendijs cũcta fœuiſſimè deſędarat. *Mõfalcone.*

Forum Iulium exigua Italiæ Regio ſterili magna ex parte, alpeſtrique agro ad ſexaginta paſſuum millia in longum procurrens, totidemq; patens Iulijs alpibus terminatur; qui Italiam à Germania interſepiunt. Pluribus *Fori Iulij deſcriptio.*

vrbibus, caſtellis, uicisq; frequens, vtpote qui ad nongentos cenſeantur. Reipublicæ Venetæ paret imperio, excepta Gratiana, Noreia, & aliquot paucis villis, quibus domus Auſtriacæ Principes dominantur. Vrbs Vtinum regionis caput iura cæteris dare ſueuit: debili muro vallatur, nullis propugnaculis munitur: cum Palmam ſuum antemurale, munimentumq; hoſtibus obijciat: & Veruca, Maranumq; inter ipſa maris Adriatici æſtuaria illi vallum obtendant. Nobiles viri, Patricij Sarmatarum, Gallorumq; more in ſuis caſtellis, & villis vtplurimum ruſticantur, vrbanos luxus pertæſi. Ipſa ſolitudine ſyluescunt, efferanturq; animi, atque inde vitæ licentia, exleges veluti in mutuam perniciem armantur. Natiſo fluius regionem interluit: qui vbi longo curſu montiũ rupibus hinc, inde coercitus fluxit; Noreię planitiē rapido curſu ſuperfuſus in maris æſtuaria ad Aquas Gradatas euoluitur, in cuius litore ad occidentem, immò inter ipſas fluminis aquas Gratiana ſurgit exiguum caſtellum, cuius circuitus non plus mille paſſus amplectitur; munitiſſimum tamen non ſolum Natiſone circumfluo, ſed etiam octo ingentium turrium propugnaculis in ipſa firmiſſima caute extructis, arce imminente, ex qua tormentorum vndique hoſtes poſſunt miſſilibus peti. Quibus de rebus totius circum tractus clauſtrum, munimentumq; cenſetur, in quod à Ducibus Venetis primi belli turbines deſtinabantur; ratis ea arce expugnata, prona ad victoriam cætera fore, omniaq; in Venetorum fidem, poteſtatemq; ventura, quæ citra montes ab Auſtriacis tenebantur.

Gradiſca. Goritia. Mõfalcone. Foroiulienſium dotes. Lizonzo. Goritia. Grado. Gradiſca. Gratianæ deſcriptio. Gratiana petitur à Venetis.

Ericcius itaque Gratianæ exercitu circumfuſo poſitis caſtris, obſidium inſtituit quarto idus Decembris, attonitis regionis accolis, quòd importuniſſimo tempore, iam aſperante ſe bruma, atq; in dies magis ſe rigore hyemis intendente, cum in hyberna ſtatiua eſſet deducendus exercitus, de repente militare opus aggreſſus, munitiſſimam arcem oppugnare pararet. Sed tum maximè moliendæ ſunt bellicæ expeditiones cum aduerſa tempeſtas, & cæli intemperies ab earum ſenſu hoſtes auertit: quo nihil tale metuentes improuiſo impetu obterantur. Occupatis igitur circum oppidis, eorumq; incolis dubiæ fidei, atque in Auſtriacos, quàm in Venetos propenſioribus aliò traductis, ne arcano conſenſu hoſtibus conſilia proderent: circa Natiſonis litora pluribus per interualla eductis propugnaculis, quæ obſidionem arctarent: paulatim Auſtriacos Veneti vrgent. Pompeius Iuſtinianus Genuenſis patritius miles veteranus ex Belgica diſciplina expertæ, notæq; virtutis omnibus copiarum Ducibus imperabat; ita tamen, vt à Marco Antonio Mauroceno eius excepta mandata tranſmitterentur ad cæteros Duces: quo cum ſua bellica exiſtimatione præclarè agi cenſerent, ſatiſq; conſuli dignitati; ſi Ducis aduenæ non ſubijcerentur imperio.

Pompeius Iuſtinianus

Vbi Archiduci Ferdinando à Venetis ſuas terras iuſto prope exercitu inuadi allatum eſt; Terſacci comite cum mille, & quingentis peditibus, & trecentis Vſcocchis Noreiam, & Adamo Trautmendorſo ſummo copiarum

Auſtriaci vim parant repellere.

rum Duce cum valido peditum, & equitum agmine in Forum Iulium maturare iuſſis, Gratianam, cæteraq; oppida aduerſus Venetorum impetus firmat: quæ ſi expeditiori, ſolertiorique conſilio primo copiarum acceſſu animoſiùs Veneti repentina impreſſione facta, cum adhuc imbecillo præſidio tenerentur, inuaſiſſent; exiſtimabant plerique futurum fuiſſe, vt facili Marte opprimerentur. Noreiam certè nullis cinctam mœnibus ſecum ſuis tantum aſſeclis Marcus Antonius Manzanus Foroiulienſis abrepturum clandeſtino aggreſſu promiſerat; quinimmo, & ipſa Gratiana hoſti inuadenti ceſſiſſet, cũ à Ricciardo Straſoldo, & paucis præſidiarijs cuſtodiretur. Sed timor, aut incuria opportunitatem eripuit, expeditionemque in maximas difficultates iniecit: validioribus ſubſidijs oppidi vtriuſque aucto ita præſidio, vt Venetorum minas ex tuto ridere Auſtriaci poſſent. Ad muniendas itaq; militum ſtationes, firmandaq; nouis ſupplementis propugnacula Veneti Ducis cura deflexit. Iam enim ad octo peditum, & duo equitum millia Petro Barbadico Duce, qui Ericcio ſucceſſerat, aucto exercitu poterant fidentiùs maiora tentare. Tormentarijs aggeribus educendis, efficiendiſq; cuniculis, magnus foſſorum numerus inſudauit. Nonis Martij tormentorum pulſibus ceptum eſt oppidum verberari; excurrentibus interim quaque verſum peditum cohortibus, & equitum turmis, vt non ſolum hoſtiles terras populationibus infeſtarent; ſed etiam circumiectis villis, caſtelliſq; potirentur; ne inde aliquid commeatuum obſeſſæ Gratianæ à ſuis popularibus inferretur. Stetere tamen aliquando magno Venetis raptæ ex hoſtico prædæ. Agreſtes ſiquidem intra ſuas campeſtres ædes cũ ſuis conſanguineis, viciniſque clauſi, ſubitarijs munimentis obiectis, maioribus ſclopis agendo, ſe ſtrenuè tuebantur. Franciſcus Iuſtinianus cum Corſis cohortibus Dobram, & Vipulzanum profectus, hoc fortiter repugnante, repulſoq; hoſte, ex dedita Dobra ſpolia, & prædas abripuit; quæ tamen ab Vſcocchis in itinere intercepta cæſis plauſtrorum ductoribus, & cuſtodijs, Venetorum cupiditatem fefellerunt. Caparettum quoque incolume ſtetit Venetorum delectuum ignauia, atque formidine; qui incerto authore vulgata fama Vallonum cohortes præſidiarias ibi curare, ac ſi aliquo fulmine de cælo petiti fuiſſent, deſertis fœdè tormentis, nullo hoſte tergis inſtante, è medio itinere panico terrore perculſi in fugam ſe coniecere Ducum imperia cauſati, quibus ſe ab ea expeditione recipere iubebantur.

Venetorum Ducum error.

Veneta copiæ augentur.

Venetis perniciosæ populationes.

Venetorum trepidus receptus.

Crebra inter vtroſque in Gratianæ planitie leuia certamina ferebantur: quotidie ſe velitationibus prouocantibus. Inſigne fuit illud, quo Daniel Francolus Tergeſtinus ab arce cum paucis egreſſus, vt quaſdam prædas Venetis eriperet; cæſus ipſe cum ſuo manipulo eſt, non ſine ingenti etiam ipſius Straſoldi præſidij præfecti vitæ diſcrimine; qui è mœnibus Francoli audaciam, ac temeritatem intuitus è porta ſolus, & quaſi inermis erumpens, vt illum ab eo periculo reuocaret; ad certaminis, vel potius cædis locum ſeruandi ardore ſodalis abreptus tantum non cæſus à Venetis eſt,

Leuia inter Auſtriacos, & Venetos certamina.

eſt, illum equi pernicitas abſtulit hoſti, atq; intra oppidi portas conſtituit incolumem. Auolanti tamen duo audaciores equites ſtrictis gladijs inſtiterunt, quorum alteri vultum genæ impacto in decuſſim vulnere deformauit; alteri gladium infixum ventri reliquit. Omnes Auſtriaci eo certamine internecione deleti vno excepto gregario milite Tergeſtino à Pompeo generoſo animo ſeruato, quod ingenti auſu deſtinato in eius pectus ictu maiorem ſclopum exploſerit; irrito tamen vulnere, nullo à tormentario puluere igne concepto. Ita perſæpe belli audaciſſima conſilia ſalutem afferunt perituro.

Straſoldi virtus.

Iuſtiniani clementia.

Intra caſtra deinceps magis continuere ſe milites, & parciùs in hoſtes procurſum ab vtriſq; eſt: cum turbata res Veneta, confuſaq; Tyronum Ducum imperia tyrone milite detrectante, nihil in Auſtriacos ſineret audere, & omnes in luxum, & compotationes effuſi, affatim ſe vino eius pretioſitate illecti prolucrent, vel alearum ludo dediti militarem negligerent diſciplinam. His addebantur incommodis inter minores Duces certamina dignationis exorta, ſcortorum inquinamenta, ſolitę copiarum peſtes, crebra militum ad hoſtes transfugia; vt etiam integræ cohortes, deſertis ſtationibus, ad Auſtriacos ſpreta ſacramenti religione, tranſirent; adeòq; frequens perfidos is furor inuaſerat, vt nocte media mutanda à Ducibus teſſera eſſet; alijſq; ſubſtitutis cohortibus, relicta munimenta firmanda. Eadem tamen labes hoſtium quoque mentes infecerat; nam ſiue commeatuum penuria, ſiue quod nimis durè, aſperèque à Trautmendorſo habiti trucem Imperatorem odiſſent; exuta fide, ad Veneta ſigna integris aliquando cohortibus transfugiebant: quorum nomina ad perpetuæ infamiæ notam Noreiæ, & Gratianæ patibulis à ſummo copiarum Duce iubebantur affigi. Verum nihil æquè Veneta caſtra fœdauit, quàm militum contumacia, & refractaria ingenia: Ducum mandata non minus proteruè, quàm ſuperbè reſpuentia: ex quo fiebat, vt res in incertum, turbidumq; ferrentur; nec ſatis ſibi milites, Duceſq; conſtarent: & quamuis Senatus, Supremiq; Duces ſumma ope niterentur, vt eos intra militaris diſciplinæ limites coercerent; ij nihilominus à ligonibus, & ſarculis, ſtiuiſq; ex popularium delectibus ad militiam adſciti, nec in ordines ire, nec laxatum denſare agmen, nec ferri in hoſtem certis tympanorum pulſibus eruditi, nec excipere nouerant Ducum imperia: tolerabile tamen niſi in omnem licentiam ſolutiori vitæ genere defluxiſſent. Perdit exercitus vigorem, & robur militum contumacia, atque in maxima diſcrimina rerum ſummam, Principumq; negotia protrudunt. Nam cum violenta, & ferocia plerumq; ſint, procaciaq; militum ingenia: vbi ſemel timorem, reuerentiamq; erga miniſtros abiecerint, cuncta ſubuertunt, confuſiſq; ordinibus expeditiones vanas, atq; irritas faciunt, ſeq; ipſos in exitium cum totius exercitus ruina præcipitant. Promptum, expeditumq; ad imperia obeunda magni Duces inter prima militaris diſciplinæ rudimenta à militibus obſequium exigunt; quo ſolo ſtant cætera belli, & fœlicia expeditionum

Veneta copia vitiantur.

Crebra Venetorum militum trāſfugia.

Eorum contumacia.

Militum contumacia rebus agendis maximè noxia.

num

num euenta: nec vnquam aliquid magni geſſere primæ famæ Duces, quos militum obedientia defecit. In Venetis copijs militum contumacia ex cohortium Ducum imperitia manabat. Nam cum in nupera militia hæc praua conſuetudo inoleuerit, vt cohortium, turmarumq; præfecturæ non veteranis, expertiſque bello militibus, & diuturna ſtipendia in ſuperioribus bellis emeritis; ſed Adoleſcentibus, quos vel opes, vel nobilitas, clarumq; genus, aut affinitas maioribus Ducibus cōmendat, nullo conſilio traderentur, quod nunquam tubæ clangorem, aut bellici cantum audierant, molliter, delicioseq; habiti militarium rerum penitus rudes fiebant; vt neq; imperia ſcitè explicare, neque aptè militaria diſponere, neq; moderari cohortibus poſſent nulla authoritate apud milites validi.

Praua nupera militia conſuetudo.

Quare incerto caſu, temereq; omnia agebantur: contumacia, atque inſolentia bellica munera perturbante. Abundè compertum eſt nihil opis, & roboris in tumultuarijs militum delectibus eſſe, qui nullo bellandi vſu exerciti nullo militiæ poſito tyrocinio, ſacramento adiguntur. Miſcebat magis Volonum turbæ peruicax arrogantia, quos in arma non bellicæ cupido gloriæ, ſed prædarum amor, auaritiaque trahit; cum nullius Ducis imperium pati, ſed libera militia nulli addicta imperio ſe fungi poſſe contenderent; immo illis ſibi eo beneficio Princeps obſtrictus videbatur, quòd nulla mercede conducti ipſius arma vltrò, ſponteque ſequerentur. Progredi igitur pro arbitrio, ſubſiſtere, extra ordines ire, in ſtatiua diſcedere, æſtiuari, vbicunque placeret. Quamuis authoritate Senatus compreſſa Volonum audacia eſt, iuſſique indicta capitis pęna ſupremi Ducis imperio parere, atque explere mandata.

Agreſtium delectus inutiles.

Volonū militum licētia.

Inter hos rerum turbines excito quoque fœda de cauſa inter duos cohortium præfectos tumultu tantum non ſciſſa in partes agmina inter ſe commiſſa infenſis animis concurrerunt, eliſis laqueo faucibus Duci, qui tumultum conciuerat, exercitus ira defedit. Auſtriaci Venetorum diſſidia rem ſuam eſſe rati, Gratiana valido agmine greſſi in Venetas ſtationes dato impetu, facile tormenta, vel abducturi erant, vel ſaltem adactis ſpiramento clauis occęcaſſent; niſi Pompeius Iuſtinianus ad hoſtilium armorum fragorem, certantiumq; fremitum opportuno occurſu iam illatos in media caſtra Auſtriacos propu iſſet. Eorumdem paucis poſt diebus in Venetos pernicioſior eruptio. Chinſchius namque nocte illuni ſilenti agmine hoſtium ſtationibus ſuggreſſus, cum nullæ excubię extra munimenta poſitæ, nec vigilum cuſtodiæ copijs obtentui eſſent; quadringentos alto torpidos ſomno in ipſius Iuſtiniani oculis momento concidit, qui ſtationes de more inuiſens cum paucis fortuitò cęde bacchantibus Auſtriacis opportunus aduenerat; atque inter aggerum anguſtias ſui pectoris obiectu munimenta propugnas, ne hoſtis vlteriùs inuectus maiorem ſtragem daret, ſuos animabat ad pugnam; ſed tandem hoſtium multitudine obruente ſe recipere compulſus ira fremens acerbiſſimo dolore ſuorum cladi concuſſus ingemuit. Ipſi pro angoris auctario obtrectatum quoque

Auſtriaci in Venetos erumpunt.

Venetorum cædes.

à cæteris copiarum Ducibus eſt; quòd ab eo retentos in obſtinato certamine milites, cædendos hoſtibus obieciſſet; quando in huiuſmodi inſuperabili impetu ſalubriùs fuiſſet, laxare oppreſſos ad fugam, vt ſecundiori fortunæ incolumes, ac ſuperſtites ſeruarentur, & minor militum clades acciperetur, & illatæ fortaſſe cædis opprobria maiori damno Auſtriacis repenſo, Veneti delere potuiſſent, ex æquiori camporum ſitu in hoſtes in depreſſa munimentorum foſſa, in quam ſe demiſerant, ſupernè pugnando. Miſera ſanè exterorum Ducum in alieno exercitu imperantium conditio, quorum à minoribus Ducibus ſemper geſta carpuntur. Ille in prima hoſtiũ eruptione dum in Auſtriacos fortiter pugnat, dum ſuos ſtare in certamine cogit, ſummum adijt vitæ diſcrimen ſclopulo à proprio milite gregario.

Iuſtiniani virtuti obtrectatur.

Iuſtiniani vitæ diſcrimen.

Laxata rota in aduerſum eius pectus diſploſo, confoſſuſq; tormenti ictu fuiſſet, niſi Comes Hieronymus Pompeius Veronenſis cito auſu temerarij militis latus adacto enſe hauſiſſet: in hac verò cum paucis irruentes hoſtes infatigabili pugna ſuſtinuit; & tamen eius inuicta virtus detractionibus proſciſſa, obloquentium querimonijs lacerata, vix ſe ab inuidorum criminationibus apud belli peritos, Senatumque purgauit: ſi milites aliquandiu in pugna retenti non fuiſſent; hoſtem vlteriùs in ſtationes illatum non ſolum maiorem militum ſtragem daturum, ſed etiam munimentis, apparatuque tormentorum potiturum fuiſſe.

Tentata quoq; infęlici ſucceſſu parmula Gratianæ portæ prætenta, à Venetis eſt; impetuſq; in eam factus maiori dedecori, quàm detrimento aggreſſoribus fuit. Ad eam enim expugnandam Horatio Baleonio cum octoginta cataphractis equitibus, & ſtatore maiori cum aliquot peditum cohortibus profectis, iniecto effoſſo cuniculo igne, qui parum munimento proſciſſo, aditum ad inuadendum Veneto patefecit: octo pedites Galli, reliquum agmen anteuertere iuſſi, demum aureorum pretio ſe primos per ruinas in parmulam enixuros polliciti, cæteris præſens vitæ diſcrimen horrentibus, ingenti auſu per munimenti ardua reptant: ſed poſt breuem pugnam haſtarum cuſpidibus deiecti ridiculum quoque ſpectaculum hoſtibus præbuere: popularium militum delectuum ignauia; qui timidiſſimi, immo gladiorum ictibus, & vulneribus coacti ad inuadendam parmulam progreſſi, vix tumultuaria inita pugna, tanto pauore correpti attoniti hęſere; vt neque ad ſe recipiendum animus foret, ſed trepidi fluctuarent; atque inde per crura, & veſtes ab animoſioribus correpti fuerint retrahendi. Verum copiarum dedecori, ignauiæque labi commodum Senatus iuſſa conſuluere; quibus Ducibus imperabatur, vt à Gratianæ obſidione copias abducerent, obnitente in id maximè Pontificis Legato, quò faciliùs inter bellantes pax conueniret, de qua in Principum aulis ardentibus ſtudijs tranſigebatur. Quare Barbadicus tertio Kalendas Aprilis refixo vallo, amotum Gratiana exercitum Merianum traduxit, ſummo angore eius animum lacerante, quod illud exiguum caſtellum expugnare tantis

Gallorum militum audacia.

Veneta copiæ à Gratiana oppugnatione diſcedunt.

Digitized by Google

tantis viribus nequiuiſſet. Cæteri quoq; cohortium Præfecti de aduersò illius expeditionis euentu querebantur: qui re geſta in Supremos Duces culpa, ſuam excuſabant inertiam. Pompeium Iuſtinianum præcipuè criminabantur, actaq; eius dictis mordacibus vellicabant; quòd Carnicum Iulium, & Luciniſium ante Gratianæ oppugnationem præcipere neglexiſſet; quòd imperitè eductis planiformis malè tormenta librasset; quibus obtrectationibus præſtrictus Iuſtinianus ſuam exiſtimationem iniquè, malignèq; ratus ab inuidis lacerari, apud Venetum Senatum literis grauiter conqueſtus inſtitit ad obiectas criminationes diluendas, vt belli periti Duces mitterentur in caſtra exploratum, an à ſe omnia ex militaris diſciplinæ præceptis acta fuiſſent: an aliquid in metandis caſtris, in propugnaculis, munimentiſq; extruendis, & moliendis tormentarijs aggeribus peccatum. Ad hoc munus obeundum Ferrantes Rubeus, & Franciſcus Martinengus à Senatu miſſi, qui expenſis ex fide matura, diligentiq; cura omnibus Iuſtiniani molitionibus, retulerunt, nihil ab eo niſi ex militaris rei peritia, prudentiaq; admodum ſcitè actum. Quibus Senatus teſtibus acquieſcens Iuſtiniani incorruptam fidem, fortemq; operam literis commendauit: vniuerſi exercitus ſummi caſtrorum præfecti eum titulo honeſtauit: quamuis militum vulgus eius omnibus dictis, & geſtis obloqui non ceſſaret; magnis viris inuidorum calumnijs ſemper obnoxijs: aut quia ex mortalium mentibus praua de alicuius moribus exiſtimatione ſemel imbutis, ea difficilè euelli, extirpariq; poteſt. Auſtriaci varijs artibus defluxa, dubiaq; Iuſtiniani fide ſuſpicionem de induſtria augebant, vt eius inſignis viri virtus ſibi minus officiens, parum rem Venetam promoueret.

Goritia. Iuſtinianus à cæteris Ducibus vellicatur.

Iuſtinianus à iudicibus commendatur.

Interim pacis tranſactiones vtriuſq; partis obſtinatione diſcuſſæ, pugnantibus Auſtriacis, vt Sæniæ Vſcocchi perſiſterent; id verò Venetis recuſantibus, veluti præcipuum eo bello petitum. Reditum igitur in arma infenſioribus animis eſt. Venetus Senatus percuſſo cum Allobroge Duce tũ in Taurinis cum Hiſpano Rege bellante, miſſoq; in Batauos Soriano à ſecretis ad eius gẽtis pecunia milites cõducẽdos ad bellicos apparatus totus incubuit: & vt tutiùs, honoratiùſq; bellum adminiſtraretur, Supremum totius exercitus Ducem Antonium Priolum grauiſſimum Senatorem, qui poſtea Princeps Reipublicæ præſedit, renuntiauit, cui, reuocato Superiorum bellorũ more, ſex Senatores aſſidere iuſſit, ſcilicet Ioannem Baptiſtam Foſcarenum, & Franciſcum Ericcium legatos, qui eo abſente, copijs cum ſuprema poteſtate imperarent. Inſtaurantibus vtriſq; bellum per exploratores nuntiatum eſt, Trautmendorſum tranſmiſſo Natiſone, Luciniſium cum valido agmine progreſſum de inuadendis Venetorum ſtationibus conſilia agitare, quo inexpectato nuntio commoti Veneti Duces conſilium cogunt, vt de ea re vtiliora decernant. Duo potiſſimum referebantur, primum in arctius cogenda eſſe caſtrorum munimenta, ſparſaſque ſtationes militum committendas, vocandaſq; in caſtra equitum turmas è circumiectis pagis, & villis: ſic aiebat Foſcarenus hoſtium conatus fruſtratum

Iterum itur in arma pacis turbati tranſactionibus.

Antonius Priolus copijs Venetas præficitur.

Varia Venetorũ Ducũ ſentẽtia.

tum iri, munimenta tot bellatorum millibus propugnantibus. Rubeus verò ſuadebat in Palmæ agrum continuò exercitum abducendum; vbi in laxioribus, pinguioribuſq; ſtatiuis reparatis viribus recreatus additis nouis militum ſupplementis ferocior, & acrior rediret in bellum, Merianumq; exactis hoſtibus, cæteraq; deſerta loca reciperet. Quod conſilium vt turpe, & timidum, ita ab omnibus damnatum, & pudendo ferociter ſucclamatum, tot Ducum bellicam gloriam, & Reipublicæ exiſtimationem, & decus labefactum iri, ſi fędè aduenientis hoſtis rumorem deſtitutis ſtationibus aufugerent. Petrus Barbadicus animoſius ſenſit occupanda hoſtium conſilia, præreptaq; occaſione, Auſtriacos in ſuis ipſis ſtationibus aggrediendos; quo à cæteris quoque Ducibus probato, nemine repugnante, eadem nocte ſtatutum eſt exequi deſtinata. Sub quartam igitur noctis vigiliam totus exercitus quinque peditum millibus, & equitum mille quingentis validus tacito agmine ad hoſtium munimenta prouectus, repentinoq; impetu ſtationes adortus, duo Archiducalium receptacula, cæſis quinquaginta propugnatoribus, cepit; profeciſſetque vlterius, niſi peditem Epirotarum ſpoliorum cupiditas victoriam interuertiſſet; dum enim, deſerta pugna, hoſtium cadauera ſpoliant, commilitonumq; primum agmen remirantur; tumultus fragore è ſomno exciti hoſtes raptis armis accurrunt, quò pugnantium fremitus euocabat: Triuiſanumq; Patritium Venetum, qui primus ſtationes inuaſerat, & Baleonium in præcipuum hoſtium munimentum inuectum ferocibus, imp auidiſq; animis aggrediuntur. Hic terris nocte obſcuriſſimis tenebris incubante, in cohortem ingreſſus cum manibus cæcorum more pertentans portam ad alias ſtationes ferentem inuenire non poſſet; qua reperta maiorem cladem hoſtibus attuliſſet; inter ipſas quęrendi, circumeundiq; moras Itanderus, & Ermeſtainus cum paucis haſtatis adueniunt, oppilantq; haſtarum vallo fores, atq; ita aggeſtis trabibus muniunt, vt Baleonius ſtipatus maiori militum numero per illam iam repertam perrumpere conaretur, ſtrenuè repulſus ab hoſtibus celeri gradu è cohorte exire pro acceptiſſimo habuerit, ne altera clauſa porta, medius ab Auſtriacis interciperetur. Albeſcente iam Aurora, militum clamoribus, & certantium ſtrepitu totis campis multiplici ſono reboante experrecti hoſtes ab omnibus ſtationibus ad pugnæ locum peditum cohortes, & equitum turmæ conuolant. Ipſe Trautmendorfius ſemiamictus altera manu chlamydem vinciens, altera ſtrictum gladium vibrans pugnantibus ſuperueniens ſe inter prima certaminis pericula miſcuit. Mirum eſt quantum ſuo aſpectu, minis, hortationibus roboris ſuis addiderit, quantū pugnātes firmauerit, animarit. Iuſtinianus, qui tres ipſas horas per ſulphureorum miſſilium grandines, telorumq; iactus equo vectus impunè volitauit, ſpe fęlicioris euentus abiecta, cum ſtipata hoſtium agmina, confertaque robora militum denſata phalange eſſent quoslibet, quamuis violentiſſimos impetus cum inuadentium ſtrage fractura, iuſſit tympaniſtas receptui canere, plus centum ſuorum ea expeditione amiſ-

Veneti Duces Auſtriacos aggredi decernũt.

Auſtriaci Venetos inuadunt.

Inter Venetos, & Auſtriacos pugna.

fis;

ſis; parta tamen eo auſu non exigua Venetis armis exiſtimatione, eo maiori, quo in receptu animoſior cum toto agmine aduerſus hoſtes ſubſtitit in campo crebro tympanorum ſono ad pugnam ciens Auſtriacos. Trautmendorfius tamen, ſeu timore, ſeu ſano conſilio milites, detrectato certamine, intra munimenta continuit. *Veneta parta bellicæ virtutis exiſtimatio.*

Interim ſummus copiarum Dux Priolus cum Eſtenſi Principe, & ſplendido equitum agmine, venit in caſtra: quorum aduentu, & militum mercede conductorum cohortibus, & exulum manipulis, quos Reſpublica ea de cauſa reuocauit, firmato, & aucto exercitu, adeò abiecta eſt omnis recipiendi eius cogitatio, vt etiam cępta perficere munimenta, crebra per campos circa Gratianam educere propugnacula, vt vndique vrgeretur obſidio, accuratiùs inſtiterint Veneti Duces. *Veneti aucti animis.* Auſtriaci inter ſuos milites peſte graſſante, deficientibus ad reſiſtendum viribus, Luciniſio abire coacti, totum fere agrum citra Natiſonem hoſti ceſſere. *Auſtriaci ſe recipiũt.* Faræ quoque propugnaculum obſtinatiùs à Germanis ante defenſum paucis diebus in Venetorum poteſtatem pactione venit. In tumuli dorſo erat extructum triplici munimentorum ordine vallatum. Sibillus, præſidijque Præfectus illud cum trecentis veteranis bellatoribus propugnabat, & loci iniquitate, eminentique ſitu fretus ſe poſſe tueri: ſed à Venetis in vicino altiori colle libratis duobus ingentibus tormentis, adeò ictuum frequentia, miſſiliumque procella quatiebatur, vt quamuis plures foſſas ad ſe aggerum obtentu tegendos obſeſſi effodiſſent, tamen multi ſingulis horis telorum iactibus petiti lacerabantur, abſq; diſſilientibus munimentorum fragminibus vulneratis. Itaq; cum ſupernè ab hoſtibus deſtinatis quaſi ictibus inceſſerentur, nec potis eſſet citra cędis, vulnerumq; diſcrimen alicubi tutos conſiſtere, quidam propugnantium è munimentis lapſi per funes in Veneta caſtra fugerunt, maiorq; numerus, immo omnes, eiurato Archiduce ad hoſtium ſtipendia tranſiſſent, niſi ſupplicii terror fugam continuiſſet, plerique enim cum obeſi corporis pondere valli altitudinem tranſilire nō poſſent, & ſudum cuſpides induiſſent, in ipſo fugæ conatu deprehenſi, Præfecti iuſſu pedibus intra munimenta attracti iugulabantur, quo illato terrore caſtigata paucorum perfidia, plures à transfugendo cohibuit: *Auſtriaci in Veneta caſtra trãſfugiunt.* ſed ad vltima, vrgentibus Venetis, redactum præſidium ipſius Trautmendorfii iuſſu ſalutem pactum victori dedidit propugnaculum, cæteris Ducibus id factum ſugillantibus, quod terreum munimentum non ſe victoris tradidiſſet arbitrio, ſed fuiſſet pactione receptū: ſed Ericcius conuenta probauit, & deditis inſuper egredientibus panem, & vinum præberi iuſſit, cuius humanitatis, & munificentiæ vulgata in Auſtriacis copijs fama, plus ſexcentos pedites, & equites in Veneta caſtra pellexit. *Ericcij Ducis clementia.*

Pontebam nobile, & frequens emporium mercibus vltrò, citròq; in Italiam, Germaniamq; commeantibus, vtpote ad vtriuſq; Prouinciæ confinia poſitum Ioãnes Baptiſta Foſcarenus actis ditibus ſpolijs, & prędis Reipublicæ reddidit. In duas partes oppidum diuidit amnis interfluens, quarum *Ponteba à Venetis recepta.*

altera Venetis, altera Archiducibus Auſtriacis paret: qui Venetis ſuo indormientibus malo, cum ob mutua negotia, quæ inter vtrãque gentem exercentur, nunquam hoſpitalem fidem ab ijs fractum iri putaſſent; furtim repentino impetu ſuam partem Venetis abſtulerunt. Tritianus quoq; Caporetum propria induſtria occupauit. Nam cum Dalmatarum peditum agmina ſub imperio ſuo bellantia, circumfuſis reliquis copijs circumdata coegiſſet animosè hoſtibus inferre ſigna, illi, vt eſt agreſte, feroxq; ac robuſtum militum genus, tanta virtute, ferociaq; in Auſtriacos dimicarunt, vt quamuis maior longè propugnantium, quàm aggredientium numerus foret, nihilominus munimenta, depulſis defenſoribus ſupergreſſi in oppidum irruerint, atq; inde eodem victoriæ impetu Antonini ductu ad Telminum, vſq; direptionibus incendijs cuncta ruentes cucurrerint. Ibi militum regionis populariũ delectus Dechio Duce obuios offendere, à quibus veluti integris viribus fuſi, disiectiq; fuiſſent, niſi inopinatus caſus eos ab imminente diſcrimine vindicaſſet. Dechius parabat in Venetos impetum, ſed audita Dalmatæ cuiuſdam peditis voce, qui ex arbore, in quem aſcenderat, moſchettarios Germanos equitum agmen ponè ſequentes intuitus, elatis clamoribus ſuos admonebat Germanorum peditum cohortes propiùs accedere, frenum cohibuit ratus eam vocem Venetos pedites in Antonini ſubſidium accire: quo moræ interuallo Veneti recepto ſpiritu, denſata acie Germanorum impetum expectabant. Sed Tritonius Antonini legatus ſolerter hoſtis errore, inaniq; metu vſus, ſuos elata voce inclamauit, vt peditum manipulos admouerent: quibus clamoribus ſuſpicati Germani validiora militum robora ad ſe inuadendos accerſiri: non auſi ſunt vlterius progredi, ſed in eodem gradu ancipites ſubſtitere: quo animaduerſo Veneti in gyrum actis ſæpius equis ſpatium telluris adepti in vicinum ſaltum ſe in tutum incolumes receperunt. Tanti eſt interdum momenti in bellicis expeditionibus aliquis effuſæ temerè vocis ſonus, aut fortuitus militum motus, ſeu perperam acceptum Ducis imperium; vt perſæpe iuſtos exercitus velut panico terrore concitos agat in fugam, ſubuerſiſq; repentè rebus, iam inclinantem victoriam eripiat.

Dalmatarũ peditũ virtus.

Hoſtium error Venetorum ſalus.

Venetorum tutus à diſcrimine receptus.

Verum hos proſperos Venetorum euentus Pompeij Iuſtiniani cædes corrupit: qui in Natiſonis litore hoſtium conſilia exploraturus obequitans maioris ſclopi adacta eius vtero ex aduerſo litore glande, vulneratus paucis poſt horis interijt: intrepido tamen animo ſemper de rebus bellicis, & militaribus negotijs vſque ad extremos ſpiritus aptè diſſerens. Dux erat impauidi animi, & fortitudinis eximiæ, vtpote qui inermis altero brachio mulctatus, naſo impoſitis perſpicillijs inter ingruentium vndiq: telorum, miſſiliumq; procellas, ſcloporumq; glandium tempeſtates equo infidens milites animare ſoleret, nullum pauoris indicium conſtanti vultu præferente. Erat peracris, grauis, triſtiſq; ingenij: ſeuerè admodum à militibus exigens bellicæ diſciplinæ obſeruantiam, cuius cædi nullus ignauus, & meticuloſus ingemuit: vtpote qui magnitudine, audaciaq; animi timidioribus

Pompeij Iuſtiniani cædes.

Iuſtiniani virtutes, et dotes.

Digitized by Google

dioribus pudorem inijciens, arguebat ſuis ingentibus auſis inertiæ. Moleſtiſſima verò Veneto Senatui fuit, decreuitq; ad perẽne bellicæ virtutis decus & ornamentum, quàm magnificentiſſimos ſupremos honores ei poſita in Diuorum Io: & Pauli delubro equeſtri ſtatua, publicaq; funeris pompa parentare, & panegyrica prius oratione laudato: annuis quoq; prouentibus eius filijs addictis, vt gratia defuncti Parentis meritis referretur. Pompeo mortuo Comes Frãciſcus Martinẽgus Brixianus ſuffectus à Senatu eſt: qui præceſſoris cõſili, quæ eo viuente d. mnarat, ſequutus cœpta propugnacula perficere inſtitit, vt circa Gratianã planities vndiq; clauderetur, & cũ potiri colle aduerſus Gratianæ pontẽ ſurgẽte non poſſet; illũ tamẽ diuturna è muralibus tormẽtis miſſilũ iaculatione diſrupit: quo priuati cõmodo oppidani flumen multa iuncta rate conſtrarunt: quam reſtibus, catheniſq; ferreis litori ligatum ad tranſitum cum neceſſitas exigeret, relaxabant.

Ei equeſtris ſtatua ponitur.

Veneti Senatus gratitudo.

Martinengus Iuſtiniano ſubſtituitur.

Suadebat Martinengus, quo faciliorem Gratianæ expugnationem faceret, omnes copias in Carnos, vltra flumen propè agros Noreiæ adiacentes, eſſe traducendas: ſic pronum fore inde expellere Auſtriacos, diſſidijs, pecuniæ inopia, peſte, alijſq; incommodis afflictos, atq; proſtratos: vel ad pugnã ferendam inferiores longè numero, & viribus poſſe compelli, Gratianamq; vndequaque obſideri: quo cõſilio poſt varias dictas ſententias improbato, Senatui ſatius viſum inſeſſa citra Natiſonẽ loca ſtationibus militum ſeruare, cum exercitus, & numero, & viribus imminutus peſte quotidie plurimos abripiente, quæ prius in equos cæde bacchata in homines irrepſit, & multorum fuga, ipſorumq; cohortium Ducum, qui ad ſua domicilia dilapſi, ſpreto militari Sacramento, vt prædis, & ſpolijs auectis incubarent, caſtra turpiter deſerebant, maiora audere non poſſet.

Peſtis copias Venetas affligit.

Quare cum nihil in rerum ſummam vtrinque moueretur: diripiendo agro tantum, populandiſq; villis mutuis incurſionibus certabatur: quo fœdo bellandi, immo latrocinandi genere ſæpius Veneti maiora detrimenta ab hoſtibus patiebantur: tum eorum ferocia, virtute, & audacia, tum popularium perfidia, qui Venetorum Imperij pertæſi iugum eorũ nomini in arcano maximè infenſi hoſtiũ res conſilio, opere, & delationibus promouebant: non ſolũ enim quiquid in caſtris Venetis agebatur, & maiorũ Ducũ deſtinata, ſi quæ coniectare poterant, Auſtriacis aperiebant, ſed etiam cõmeatus, & pabula ſufficiebant: quæ vſus proprij empta prætextu in villis abducta à procurrentibus hoſtibus ex compoſito poſtea erepta Gratianã inferebantur: & quorumdam perfidia, atq; iniquitas eò exceſſit audaciæ; vt etiã Palmã vrbem, aliaq; loca per inſidias furtim Venetis eripere agitarint: inter quos Gregorij Fauotti eminet fraus; qui Franciſci Ericcij explorator Tolmezij oppidi comiti Spitolo Germano tradendi curã ſuſcepit: cuiuis perfidiæ fortuna ſucceſſũ eripuit: quòd Balthaſſar Mandolferius regionis præfecti filius ancipitẽ fraudẽ, duppliceq; perfidiã, et proditionẽ ſuſpicatus, aut alia de cauſa eũ à ſtruẽdis inſidijs regredientẽ vulneribus cõfodi iuſſit.

Venetorum vectigaliũ perfidia.

Foroiulienſium patritiorum plures vtriuſq; partis, ea belli acerbitas, &

calamitas ſupremo exitio afflixit, qui in populares ſuos violēti, & iniurij cū plurimis offecisſent ſuæ iniquitatis meritas pœnas abundè luerunt. Oppreſſi namq; locorum periti inexpiabili conciti odio, vt eſt illius tractus accolarum ingenij, adductis ad ſuorum hoſtium domicilia militibus tectorum incendijs, habitantium cœdibus, fœminarum inceſtu pudoris, fortunarum direptionibus ad ſatietatem ſuas vlti iniurias acerbiſſima odia expleuerunt: ſicuti alij ex aduerſo cumulatiùs in ſe nobilium, affiniumq; meritis referre gratiam potuerunt, cædes ab eis, rerum direptiones, cæteraq; bellorum incommoda deprecando. Aduertendum ſanè violentam, iniuriamq; vitam agentibus documentū, nam cum perpetua viciſſitudine humana verſentur: accidere poteſt, vt abiectiſſimi, atq; vltimæ ſortis homines aliquando potentiorum colla proculcent, ipſorumq; ope, ac ſtudio nobiliores indigeant.

Foroiulienſium patritiorum calamitas.

Rerum humanarum viciſsitudo.

Aſſiduis Agreſtium querelis, in quos milites Auſtriaci quotidianis populationibus ſæuiebant, & ſuorum iuxta, ac hoſtium latrocinijs obnoxij promiſcuè à procurrentibus agrum diripiebantur, Senatus commotus, vt ſuorum pariter, ac hoſtium compeſceret inſolentiam: Petrum Foſcarenum ſupremi Conquiſitoris titulo miſit in caſtra, vniuerſiſq; copijs Ioannem Mediceum Coſmi magni Etruriæ Ducis filium ampliſſima cum poteſtate præfecit, cuius bellica virtus, militariſq; peritia magnum Venetis rebus allatura incrementum videbatur, expectabantq; ab eo omnes, quæ à magno Duce bellis exercito, & diuturnæ rerum bellicarum experientiæ ſperari ſolent: nec conceptam de ſe opinionem fefellit, nam conſilijs, & rebus ſepius oſtendit, quanti interſit à quo Duce exercitibus imperetur. Præcipuè cum Traumendorſius vna cum alijs pluribus Ducibus, & maiori copiarum parte Natiſone amne ſuperato, rectà ferebatur in Venetos. Equites Epirotæ contra Germanicum equitatum animosè prouecti cum grauium equorū incubitum, atq; impetum ſuſtinere non poſſent; conuerſo agmine, ſe poſt loricatos equites ſtatuerunt: qui nec pene hoſte conſpecto, vt id genus equitum in pugna facere cōſueuit, præcipiti ſe fugæ mandarunt, reuolutiq; in peditum agmina ipſo turmarum incuſſu ipſa quoq; ſecum rapta in eādem fugam auertunt, illataq; fuiſſet ab hoſte aliqua clades: niſi Mediceus cum promptiorum manipulis opportunus adueniens hoſtem facto valido in Germanos impetu, repuliſſet: ſicuti quoq; in fugam acti ab Agreſtibus Auſtriaci vlterius audaciori excurſu in hoſtile ſolum illati. Ruſtici enim in mōtem vicinum denſato agmine ſubducti pulſato inſtar tympani cophino tātum terrorem eo inani ſonitu hoſtibus iniecerunt, vt rati properare Venetum Meriano ſubſidium, relicta paſſim præda, inde protinus aufugerint.

Ioannes Mediceus Veneti exercitus imperator.

Inter Auſtriacos, & Venetos certamen.

Nec prætereunda ſilētio eſt Comitis Dampierij equitis Galli indomita ferocia, an inſana audacia, qui etiam ſi diuturna febri inualidis, imbecilliſq; viribus, pugnam tamen anhelans in equi ephippio firmat ſe funiculis, tranſmiſſoq; flumine, Romanſi ſtationem inuaſit, cæſiſque pluribus militibus centum, & triginta equos victoriæ trophæum abduxit: quod damnum vt

Dampierij Comitis audacia.

hoſti

hoſti reponeret Camillus Triuiſanus, traiecto amne Vallonum munimenta aggreſſus plus terroris incuſſit, quàm cladis intulit hoſti. Nam totius exercitus ſubito accurſu, redire, occiſis tamen, eius gentis plurimis, ne multitudine affluentium obrueretur, compulſus, ingentis animi ſpecimen exhibuit. Eadem prædæ cupiditas Dampierium iterum paucis poſt diebus Venetis caſtris impegit, ſed inani euentu, impariq; ſucceſſu, hoſte in armis expedito, atq; ad impetum excipiendum parato. Qua ſpe fruſtratus, Triuiſanum ad ſingulare certamen prouocauit, vt ferro de bellico decore, vtri cederet maius, militariq; virtute decerneret: verùm prouocationem recuſauit Triuiſanus, pugnam indignatus cum eo, qui aliorum Principum vectigalis, aliena ſtipendia mereret: ita quoq; ſupremis copiarum Ducibus imperantibus, non è dignitate patritiorum Venetæ Reipublicæ natis, ſi cum priuato bellatore concurreret. Maradium quoq; laceſſentem ad pugnam eadem de cauſa repudiauit.

Dampierius Taruiſinū prouocat ad ſingulare certamen.

Idem belli incendium, quo Foroiulienſis flagrabat ager, Iſtriam quoq; & Dalmatiam magno incolarum detrimento corripuit. In eas prouincias trangreſſi ſiquidem Auſtriaci, omnia incurſibus proruebant: quę damna mox à Venetis in hoſtis caput regeſta, vaſtato prorſus Tergenſtenſi agro, euerſiſq; Zaulis ſalinis. Eodem vindictæ impetu abrepti Veneti, intercepto Antignano, Galignanoq; occupato, ad Zeruinum vſq; ferociter procurrerunt. In Dalmatia quoq; erepta Auſtriacis Moſchenizia, & Seriſſia, cum auctario, accepta damna hoſtibus abundè remenſi, præcipuis horum militarium geſtorum Ducibus Natali donato, Aloyſio Georgio, & Marco Lauredano.

In Iſtriam & Dalmatiam belli repit incendium.

Mediceus vt aliquo inſigni facinore Reipublicæ ſuam fidem, virtutemq; probaret: nocte ad Diui Martini, Cruſchæ oppidum cum ſcalis, & aſtiochis ſilenti agmine ſuggreſſus tentauit repentino impetu occupare: ſed irrito auſu, quòd pedites illum turpiter, fędèq; deſeruiſſent; territi enim equi fugientis incurſu, ſolutis ordinibus in tam ſe præcipitem fugam diſiecere, vt ipſo quoque Mediceo humi alliſo, vix pluribus horis in ordines cogi potuerint; qua mora iam rubeſcente Aurora, detectis inſidijs, aliquid vltra Venetos conari prohibuit. Huius turpis fugæ culpam Mediceus in panicum terrorem regeſſit exercitus ſolitum ſæpius inuadere, quos vel perperam accepta vox, aut aliquod ſignum præcipitem compellit in fugã. Sed crediderim illum voluiſſe, hoc commento ignauiam ſuorum militum excuſare, quos vel ſolus minax hoſtium aſpectus, velut rudes, inſuetoſque bellandi terrebat.

Medicei auſus.

Panicus terror exercitus ſolet inuadere.

Animoſiùs, & fortunatiùs egere Auſtriaci; nam Dampierius Craulij munimenta, Maradius Chiopim villam, inopinato facto impetu, occuparunt. Præſidij Craulij Præfecti culpa, inertiaq; Dampierio faciliorem fecit expugnationem; cum enim procul à ſua ſtatione in cuiuſdam ſcorti domicilio laſciuiret, vt ſuam tegeret turpitudinem, noluit Germanorum aduentum, illac ante domus fores ſub ſuis oculis tranſeuntium, Venetis in-

Auſtriorū fœlix conatus.

dicare. Quare illi ad munimenta nullo aduertente, progreſſi, ſuperato facilè vallo, Legatum cum aliis quadraginta militibus peremerunt, triginta captiuis abactis, inter quos Thomas à Claris agris Brixienſis villa, cui perpetua muralium tormentorum tonitrua, fragoreſq; aurium, & mortis terror imminentis linguæ vſum abſtulerant; cum enim in quodam leui certamine Germanus quidam ei fugienti ſtricto elato gladio percuſſurus inſtaret, illicò elinguis obmutuit, amiſſa prorſus loquendi facultate, ideò memorandus, quod idem horribilis mortis metus linguam hactenus mutam ſoluit in querelas, humanaq; verba reſtituit, cum ſiquidem raperetur ad ſupplicium capite truncãdus in ipſo ruentis in ceruices ſecuris articulo repentè vocalis, vitam ſupplex ab hoſtibus deprecatus obtinuit repentinum caſum, naturæq; arcanum mirantibus Barbaris.

Mirus euiuſdam Brixienſis euẽtus.

Terror elingui loquelæ vſum reſtituit.

His ferè diebus Hiſpani, vt Venetos à Carnico bello, & ab infeſtandis Archiducis Ferdinandi terris auerterent, vel ſaltem coactis partiri copias eorum vires infirmarent; in Cremenſem agrum, Venetæq; ditiones fines ab Inſubribus ſignis illatis vicinos pagos, & vicos prædati, Venetorum ad propulſandas iniurias, frænandoſq; Hiſpanorum incurſus eò arma traxerunt. Hieronymus igitur Cornelius Senator illuſtris cum valido exercitu ad tuenda confinia miſſus: cuius Ducis virtutis obiectu cohibiti Hiſpani non ita licentiùs, & audaciùs in Veneti Dominatus terras excurrebant. Dum hìc coercendis hoſtium populationibus perſtrepunt arma, ecce maior terror Senatus animos turbat, Hiſpana claſſis vnde viginti triremibus, & duodecim ingentibus nauibus potens in Adriaticum ſinum inuecta, ſummis Nauarchis Petro Leua, & Alphõſo Ribera, atq; in Sanctæ Crucis portũ ingreſſa aliqua eius oræ maritimæ Reipublicæ arcem inuaſura, vel ad Tergeſtum, ad Ferdinandi ſubſidium expoſitura militum agmina videbatur. Senatus Hiſpanæ claſſis nuntio perculſus imperat, vt Laurentius Venerius veteranus Dux Venetæ claſſis Supremus Nauarchus in omnes hoſtilium nauium motus intentus Dalmatiæ litora tueatur. Verum ille longè Hiſpanis, & Epibatarum virtute, & nauium numero inferior, cum quindecim ſolis triremibus, & aliquot onerariis nauibus claſſis vniuerſa conſtaret, ſe intra Phariæ inſulæ portum continuit. Hiſpani è ſua ſtatione in altum prouecti ſe in eius Inſulæ conſpectum dedere, atq; aliquot è tormentis in portum contra Venetas naues iaculati miſſilia, eas ad pugnam laceſſendo trahere nitebantur. Verum Venetus Nauarchus ſpretis hoſtium incitamentis certamen imbecillior viribus detrectauit. Quare Hiſpani conuerſis proris Brunduſium vela dederunt, vbi à Duce Orſonis Neapoli prorege maiori Epibatarum, nauium, triremiumq; numero firmati, tribus & triginta triremibus, & duodeuiginti magnis nauibus valida claſſe ſummo Præfecto Octauio Aragoniæ Duce, curſum Phariam iterum intenderunt, quo etiam nauigarat Ioannes Iacobus Zanius vniuerſæ claſſis Venetæ Præfectus cum vna, & triginta triremibus, & quindecim ingentibus nauibus partim Batauis, partim Anglis mercede, & naulo conductis, additis

Hiſpani in Cremenſem agrum incurrunt.

Hiſpanica claſſis in Adriaticũ mare decurrit.

Leſina.

Hiſpani Venetos prouocant ad pugnam.

Hiſpanica claſſis receptus.

Oſſuna.

Leſina.

additis inſuper ad totius claſſis robur, & firmamentum ſex magnis ſeptiremibus, Duce Antonio Bragadeno, maximi in pugnis naualibus adiumenti, vtpote quibus ingentium tormentorum miſſilium iactibus fulminans lacerata, diſiecta, depaſtaq; Turcica claſſi Actiaca pugna ad Echinadas inſulas eam memorandam de ſuperbiſſimo hoſte victoriam Chriſtianis Principibus tradidere. Hæ magnæ ſeptiremes quondam vehendis mercibus addictæ ad vſus bellicos à Ioanne Andrea Baduario traductæ magno ſanè profectu hoſtilium claſſium terror, & laniena, formidandum Venetorum fecerunt mari concurſum.

Venetæ claſſis [illegible]ientia.

Hoc nouo Hiſpanorum inſultu Veneti irritati Nauarchi claſſicum conclamant omnes eundum aduerſis proris in hoſtem, non ferendam eſſe Hiſpanorum audaciam, & arrogantiam, nec tanto cum Reipublicæ auitæ bellicæ gloriæ dedecore diſſimulanda contumelia, vt in proprijs ſtationibus Venetis nauibus inſultarent: certatim circumfuſi omnes Zanio ſuadebant, vt educta claſſe, impauido animo hoſtem robore nauium, & numero præſtantior, ſecundis quoque ventorum afflatibus inuaderet, pronam fore victoriam, Hiſpanoſq; tantæ audaciæ, temeritatiſq; pœnas daturos. Zanium æquè animi, ac corporis vrgebant anguſtiæ maris nauſea, vtpote nauigandi inſuetum, languentem, inutilem in ſtromate cubare compulſum. Accepto tamen hoſtem non abire, vt vana de eius metu exiſtimatione, creditum fuerat, immo ſe certamini expedire: inuicti vigore animi imbecillitatem corporis excitante, in Prætoriam nauim Præfectis accitis conſulit, an nauali pugna ſit cum hoſtibus dimicandum.

Veneti Epibatæ pugnā depoſcunt.

Res magni conſilij videbatur nullo alio maiori irritamento, quanta inani claſſis oſtentatione certamini ſe periculo obijcere. Variæ dictæ ſententiæ, alij cum hoſte protinus pugnandum ſentiebant, ita Reipublicæ dignitatem, ad retinendum Adriatici maris imperium, poſtulare, pauciores, à certamine abſtinendum, atque intra portum continendam claſſem ſuadebant; ne vllo alio operæ pretio, fructuq; certaminis, quàm amittendæ claſſis diſcrimine pugnaretur. Qua ſententiarum varietate magis in ancipiti hærens ſummus Nauarchus, conuerſo in Iuſtum Antonium Belenium ſibi aſſidentem obtutu, & tu inquit, Beleni, quid de ineundo, aut vitando certamine ſentis? cui ille

Venetorum conſultatio an ſit cum hoſte dimicandum.

Ego ſemper audacia, & præcipitia conſilia ſolitus improbare, cautiora, moderatioraq; ſequi adeò non cum hoſte nauali pugna decernendum puto, vt etiam pro viribus fugiendum certamen exiſtimem. Quid enim aliud ſuæ audaciæ, temeritatiq; prætexunt committendi certaminis authores, quàm ſpecioſum belliti decoris, gloriæq; titulum, quàm Hiſpanici faſtus, arrogantiæq; vltionis animoſi auſus laudem? non aduerto, hanc florentem claſſem, qua nititur Reipublicæ ſalus, & ſinus Adriatici dominatus: immo ipſam, quam iſti quærunt maritimæ rei exiſtimationem in diſcrimen adduci. Ruent in pugnam audacioribus animis Hiſpani ſuarum rerum ſecuri, nullius amittendæ ditionis, præter illa nauigia, periculo: quidquid fortuna ferat, pretium certaminis habituri,

Belenij oratio pugnæ conſilium damnantis.

bituri, locumq; certiùs, quàm iacturam facturi; concuſſis enim, laceratiſque ipſo nauium concurſus impetu claſſibus, id aſſequentur, vt nos maritimis exu- .: viribus, nomine tenus, potiamur maris imperio, & multis menſibus, ingenti impenſa reparata claſſe, tardiùs in ſinum regreſſi, nouos hoſtium timidiùs propellamus inſultus. Quod ſi penes illos victoria ſteterit (quod Reipublicæ Numina tutelaria malum auertant) quæ ruina, quæ calamitas patriam oppreſſura eſſet? volitarent illi inſolentiùs toto mari victores; onuſtas mercibus naues, quibus ſtant plurimorum ciuium fortunæ, nullo certamine interciperent; Zacynthum, & Cephaleniam Inſulas, noſtræ cladis fama perculſas, Hiſpanicum iugum ſubire compellerent, immò in ipſa ſuburbana æſtuaria victrici claſſe inuecti, ipſi regiæ Veneti imperij ſedi ferociter inſultarent. Meminerint audaculi, in quatuor continentis locis periculoſis bellis Rempublicam diſtineri, ſufficienda eſſe quotidie militum ſupplementa, pecunias, commeatus. Hactenus Hiſpani præter aliquot miſſilia, oſtentatæq; claſſis minas, & ſuperbam ad pugnam prouocationem, nullis nobis grauioribus iniurijs offecere, vt ad res noſtras aſſerendas, vindicandumq; Imperium præcipites feramur in prælium. Illi de gentis ingenio ſuperbo faſtu producta in conſpectum claſſe, magis tument, quàm pugnam exoptant: ſi enim tantoperè cuperent dimicare, nullam facerent moram, quin vos extra portum conſtitutos inuaderent, nec expectarent, vt digeſta in cornua, in mediamq; aciem claſſe, accolis fieret pugnandi facultas, ſed ſtatim infeſtis proris in noſtras naues incurrerent. Sed pugnam depoſcant, certamen exoptent; an nobis hoſtium voluntati obſequendum eſt, & cupiditatibus indulgendum? amentes eſſemus, quod iniquo, infenſoq; animo hoſtis ſuadet, male ſano, pernicioſoq; conſilio ſequeremur. Terrendus igitur tantum iſtius potentis claſſis aſpectu, proculq; arma intentanda, vt & ipſius inſolentiam coerceamus, nec hoſtilibus minis territi videamur, & hoc nauium agmen ad maiora Reipublicæ commoda reſeruemus. Hæc eſt mea de re præſenti ſententia, quam ad publicam ſalutem tuendam, retinendumq; maris Imperium, & bellicum decus, eſſe vtiliorem exiſtimo.

Belenij ſententia probatur. Summus Nauarchus Belenij perorantis ſenſus excipiens, (*ita inquit, eſt, & ego pugnæ ancipitem aleam fugiendam puto, eſſeq; magis è Republica hanc claſſem, & tot fortium Epibatarum vitam incolumem, etiam cum aliquo inanis bellicæ exiſtimationis detrimento ſeruare, quàm illam in caſum dare, & incertis præliorum euentibus obijcere*. Quare dato receptus, diſploſo maiori tormento, nauigijs inſigne, iterum in portum prætoriam triremē reduxit, cæterique deinceps Nauarchi redeuntem ſequuti, ipſe Venerius, *Veneta claſſis ſerò tutum recipit.* qui iam aduerſus hoſtem intra tormenti ictum ſuarum nauium agmen explicarat in pugnam, ſe recepit in portum. Hiſpani, oneraria naui à reliqua claſſe palante intercepta, ad interiora ſinus intento curſu, inter Iaderæ *Zara.* ſcopulos anchoras iecere. Verita Reſpublica, ne ad Iſtriæ litora expoſitis *Pola.* copijs Iuſtinopolim vrbem hoſtis inuaderet, aut etiam audacius nunquā, niſi cum aggredientium internecione tentatam vrbem Venetias impeteret, ingenti cura, ac ſolicitudine eius conſilia explorans, omnia expedie-

bat,

bat, quæ ad retundendam hoſtium audaciam magis opportuna fore videbantur. Sed reuera Hiſpani in anchoris expectabant, donec Alexandri Spinoſæ Romani, foſſæ Clodiæ Gubernatoris, inſidiæ matureſcerent, eaq; vrbs ſibi à perfido proditore traderetur, ſed proditionis ſtructura detecta, appenſoque laqueo ad patibulum proditore, de ſua ſpe deiecti, ad alia ſe vertere conſilia. Subijt animos, impetus claſſem ipſis Venetijs incutere, vt pote eius vrbis ſitus ignaros, imperitoſq; loci, cuius iniquitate acceſſu prohibitis hoſtibus, licet magis è longinquo ditiſſimam prædam ſuſpirare, anhelareque opulentiſſima ſpolia, quàm ſperare, nedum potiri. Libet hìc ad exterorum cognitionem, qui non pedes extra ſuas prouincias, vt alias terrarum orbis plagas, gentiumq; mores inuiſerent, extulerunt, huius admirandæ vrbis ſitum, poſitumq; graphicè exprimere, vt, quamuis notiſſimum ſit, ac celeberrimum totius terrarum orbis emporium, paucıq; admodum ſint mediocris fortunæ, quos non huius vrbis magnificentia, pulchritudo, opulentia, mirabilitas, frequentia, ab vltimis terrarum oris ad ſe intuendam non traxerit. Italiæ tamen rudibus rerum longinquis hæc legentibus innoteſcat.

Chioza. Hiſpani Foſſæ Clodiæ inſidiātur. Sumitur de proditore ſupplicium.

Benè ſanè Vates vrbem Venetias Deorum laborem, Diuinæ potentiæ opus induſtrium, Superum conatum, ingenioſum Numinis opificium cecinere. Quæ enim regum, quæ Imperatorum potentia, quæ Architectorum ſolers induſtria in limoſo ſalo, paluſtriq; ſitu vrbem ordiri, laborioſiſſimiq; operis fundamenta moliri fuiſſet auſura? vbi cœni profunditas veſtigio cedentis, fluenſq; labes pondera reſpuens, ſubſidente vbique diluta humore ad patienda ſaxorum onera tellure, vbi omnia ſcirpis, & arundinibus obſita, circumquaque latè reſtagnantibus aquis, vbi ſitus ingenio graue cœlum, olentem mephitim refluo mari exhalante limo, vbi ad palatiorum moles ſtruendas in ponendis fundamentis integræ extirpādæ ſint ſyluæ, vbi maximis impendijs procul à continenti ſaxa, & marmora conuehenda, quæ vbi attuleris affatim ingeſta, hauſtura ſit paludis ingluuies, vbi inſuperabiles loci difficultates, quem nulla vnquam prudentia elegiſſet, ab audaciſſimo deſperati cœpti conatu artifices deterrebat. Hæc tamen omnia iure metus, ſiue neceſſitas rerum mirabilium effectrix, fato ita impellente peruicit. Nàm cum innumera barbarorum examina alia ex alijs circumfuſæ vomerent Alpes, efferataſq; gentes in Romanum Imperium totus Boreas armatus effunderet, & quaquauerſum immani bellorum impetu tota Italia quateretur, in illa æſtuaria velut in tutam à procellarum iactatione ſtationem, totius Italæ nobilitatis florem cum rerum chariſſimis trepida compulit fuga, vbi latè vagata bellorum flāma ſe in continentis litore interfuſa palude continuit. Plurimis ab æſtuario emergentibus exiguis inſulis, vrbs impoſita admirabili ſtructura conſurgit: crebri ſinuoſis meandris interfluentes euripi totam interſecant; quorum maximus nauium quoque ingentium patiens mediam interluit: qui ſaxeo mirabilis molis iungitur ponte, alijs verò plurimis maioribus, aut minoribus

Venetiarū laus, & deſcriptio.

Extruendi Venetias difficultas.

pro

pro pōtibus Euriporum amplitudiue vniuerſa committitur, tàm pedibus, quàm cymbis poſſunt omnia percurri, adiriq; loca eminentibus longo excurſu lateritijs ad Euriporum latera ſpatijs; in longum ad orientem ſolem protenſa anguſtior coit, ad occidentem longè latior patet. Quadraginta ſtadia vt minimum circuitus vrbis amplectitur. Vrbis dignitas, maieſtas, frequentia, domeſticus luxus, & fulgor, ædium magnificentia tanta eſt, quantam ſi quis oculis non ſubiecerit, animis concipere nequaquam poſſit. Verum hæc nihil ad repellendam furentis Martis violentiam faciunt, quinimo ad ſe prædanda efficaci illicio irritant magis. Quod plurimi arbitror æſtimandum, eſt ſitus imperuius per ſyrtes, & breuia, niſi quà fixi longo ordine ſtipites vadum oſtentant ad vrbem, circumfuſa per quinque, & triginta paſſuum millia æſtuaria, quæ vrbem ita muniunt, vt ſi totus in illam armatus orbis irrueret, poſſet ex tuto inanes minas periculi ſecura ridere: cum vadoſa, paluſtriſq; nauigatio ad vrbem ſit, nec niſi per quoſdam euripos vrbs poſſit adiri, quos per interualla fixæ ſudes nauigantibus ſignant, quas ſi refixeris, occæcato itinere ruribus naues impinges. Ad orientem ſolem, & meridiem natura contra pelagi furentis impetus, procellarumq; concuſſus eminentem, latumq; aggerem telluris obiecit, cui vndarum rabies illiſa in ſe ipſam fremens, ſpumanſq; relabitur. Octoginta paſſuum millia in longum procurrens illa terrea lingula, æſtuaria ab alto mari ſecludit, quæ tamen ſeptem faucibus apertis influentes ſinus aquas admittunt, magno ſanè naturæ beneficio, & dono, vt puris ex alto, & limpidis ſuccedentibus putres, limoſaſque, & plurimis ſordibus vitiatas aquas ſecum refluus æſtus abripiat: quæ in Euripis perpetuo ſtagnantes corrupto fœdis humoribus cęlo, peſtem efflarent. Septem palus explicat portus, Metamauci omnium latiſſimus, ingentis quoque claſſis capax ipſius vrbis curuatæ ſinus alterum pandit, anguſti admodum oris, in quem inuehi naues, niſi peritis nautis curſum regentibus poſſunt. Ad portus fauces munitiſſima arx impoſita libratis ad aquæ ſuperficiem tormentis, ingentique tranſuerſa cathena, nauigia ad arbitrium ingreſſu prohibere, & admittere poteſt. Litus quoque mari prætenſum multis extructis munitionibus adeò firmatur, vt quamuis hoſtes, nihil claſſes morantibus ſyrtibus, copias contra tormentorum ictus exponerent, facili Marte multa cum ipſorum ſtrage repellerentur. Deniq; Venetę vrbis ſitus huiuſmodi eſt, vt Græci, Hunni, Galli ſua clade didicerint, non eſſe bello tentandum, documentoq; poſteris fuerint ab eius oppugnatione abſtinendum. Poterunt igitur Hiſpani procul à claſſe inhiare prædæ, non de munitiſſima vrbe ſpectare victoriam.

Venetiarũ ſitus munitio.

Malamocco

Venetiæ oppugnantiũ ſe gentium victrices.

Venetijs tum impatientiſſimè ab omnibus ciuibus expectabatur vtriuſque claſſis certaminis, nuntius cum ſpe ſuæ non dubia victoriæ, cum Veneta claſſis nauium numero, & ingentium ſeptiremium robore, & firmitate hoſtili præcelleret. Sed cum omnino aduerſus nuntius eſſet allatus, tres longas naues priuatorum ciuium fortunas, & merces efferre Venetijs, infer-

Digitized by Google

inferreq; ſolitas ab Hiſpanis interceptas fuiſſe, difficile dictu eſt, quàm iniquo animo ciuitas omnis hanc iacturam, ſuorum ignauia, ſucceſſumq; tulerit. Pleno ore ordines omnes non minus Hiſpanorum audaciam, & arrogantiam, quàm ſuorum inertiam, deſidiamq; acerbiſſimis querelis lacerabant, quòd alearum ludis commeſſationibus, crapulis, & popinis intenti, in ſuis oculis ea nauigia ab Hiſpanis capi ſiuiſſent: quòd hoſtilem claſſem longè minorem viribus toto Adriatico ſinu inſolenter currere paterentur, per quem tot annos nullus vela, ſignaq; explicare, inuita Republica, auſus fuiſſet. Quamobrem Senatus de ſibi illati dedecoris labe ſollicitus alias ornari, inſtruique triremes, Batauas, Anglicaſq; naues conduci iuſſit, dicto omnium ſummo Nauarcho Leonardo Mocenico, cui recuſanti claſſis Imperium Laurentium Venerium ſubſtituit. Nauibus Franciſcum Maurocenum rerum naualium apprimè peritũ prefecit. Hi omnibus, & nauigationi, & certamini rebus inſtructi vela ſecundis intendentibus ventis felici curſu ſe reliquæ claſſi iunxere: nec mora; proris in hoſtem conuerſis in Hiſpanos toto mari feruntur infenſi, qui auecta Brunduſium præda, in ſinum iterum vela ſoluerant duodeuiginti ingentibus nauibus validi. Veneti verò trium & viginti triremium, & quinque magnarum ſeptiremium, & vndeuiginti nauium bellicarum claſſe, cum ſeptem, & viginti alijs onerarijs hoſtem ſe recipientem toto mari ingentibus animis perſequuntur, cumque ad medium ſinum nocte adepti, ſtatim diſploſis maioribus tormentis inceſſunt: nullo tamen hoſtium damno, quia Veneti nautæ ſolutis ordinibus, vlterius, quàm iuſſi fuerant, prouecti, ita ab Hiſpanis, qui taciti ſubſtiterant, viciniores acceſſus occaſioni imminentibus, horribili tormentorum miſſilium procella concuſſi, laceratique fuere, vt retrò naues longiùs extra ictum reducere compulſi totam aciem turbarint, creſcenteq; magis, ac magis trepidatione, terrore, fuga, vniuerſam claſſem poſtremo diſiecerint. Venerius incenſus ira, fremens ſuos inclamans imperat miſſis quaquauerſum phaſelis, & lembis, vt in pugnã iterum regrediantur, ne hoſtium concurſum formident, excuſſa tormentis miſſilia eodem impetu Hiſpanis ferire. Verùm perculſa pauore pectora nulla hortamenta animare, nullæ minæ concitare ad certandum poſſunt, nihil Venerij Imperijs moti Nauarchi eodem ſe veſtigio tenuere: certam victoriam interuertente ipſorum ignauia. Miſſilibus tantum è tormentis emiſſis eam noctem, totoq; ſequenti die eminùs dimicatum eſt, ſub veſperam regia claſſis Apuliam verſus curſum intendit. Laurentius flagrante animo, decreto omnino, quocũq; diſcrimine cum hoſte certare, triremium agmine retrò relicto, cum ſolis ſeptiremibus, & nauibus toto, quem dabant venti, curſu inſtitit recedenti, ſed inani conatu; nam tumeſcente fluctibus mare, mox atroci profundum ab imo cientibus nymbis, tempeſtate, retrò vertere proras compulſus, poſt oberratum longo, periculoſoq; circuitu pelagus, ad Actium nauibus ſubductis, ibi miſerabilem quoque triremium caſum accepit, quas vndarum pulſibus dehiſcentes

Tres oneraria naues Veneta ab Hiſpanis intercepta.

Veneta claſsis in Hiſpanicã fertur.

Veneta claſsis Hiſpanicã laceſsit ad pugnam.

Veneti malè ab Hiſpanis accipiũtur.

Fœda tempeſtas quinque triremes Venetas obruit.

Digitized by Google

tes eadem procella hauſit, ſic qui ſedè pugnam mortis metu abiectis animis, horruere inglorij, indecores, abſorpti fluctibus perierunt. Venerius de rebus geſtis, ſuaque nauigatione, & nauarchorum contumacia admonito Senatu, ſuos illius anni labores abſoluit, parta maiori militaris audaciæ laude, quàm felicitatis euentuum, bellicæq; peritiæ gloria.

Literis inter vtroſq; dimicatur.

Libero tunc Hiſpanorum incurſibus Adriatico ſinu, nouo pugnæ genere vtrinque dimicatum eſt: mutatis in litteras armis, ſcientiarum pugnæ armorũ certamina excepere. Hiſpani Veneto nomini infenſi, iiſdem conciti odijs per Neapolitanos Iuriſperitos vulgatis ſententijs Reipublicæ inueteratum Adriatici maris Imperium, velut iniquè, iniuſtèq; vſurpatum conuellere nitebantur, obliti ſuum ipſum Regem Philippum Quartum, & litteris, & legationibus Mariæ ſorori ſuæ Vxori Ferdinando Tertio Imperatori deſtinatæ, per ſinum Adriaticum tranſitum à Republica popoſciſſe, Iuris etiam ciuilis rudes, quo iubente immemorabilis temporis poſſeſſione bona etiam Eccleſiaſtica præſcribuntur, nedum maris tractus dominatus tot de Neapolitanis, Siculiſq; Regibus, & ipſis Imperatoribus naualibus pugnis ſuperatis, victorijs, belliqùe iure æquiſſimè partus, præter id quod etiam ipſorum hoſtium expreſſa confeſſio, videlicet Federici Tertij Imperatoris, Ladiſlai Neapolitani Regis, & Matthiæ Pannoniæ Regis ſupremum in Adriaticum ſinum Venetæ Reipublicæ ceſſit Imperium, præternauigandi per ipſum à Senatu facultate petita. Quare nonniſi riſu ſupplodendæ erant illæ ſententiæ, quæ poſt tot ſecula præiudicata iam cauſa Reipublicæ iura abolere conarentur.

Adriatici maris Imperium penes Venetos eſt.

Veneti in hoſtico caſtrametari decernunt.

Dum hoſtiles claſſes eminùs tormentorum tonitruis, miſſiliumq; iactibus ſe magis, quàm iuſto certamine terrent, in Foro Iulio crudelius bellum terreſtribus operibus ſæuiebat. Solita Veneti educere munimenta, moliri aggeres, propugnacula excitare, quibus iam tandem ſumma cura perfectis, decreuit Mediceus, id quoque Senatoribus ſuadentibus, traducto vltra flumen exercitu, in Noreiæ planitie caſtrametari: hoc eſſe potiſſimum ad expugnandam Gratianam opus, neceſſariumq; ad potiendam victoriam tentamentum. Sequuti igitur nocte Kalendas Apriles condictum eſt, vt equites cum peditum parte ſupra, & infra Gratianam bipartito, flumen tranarent, eodemq; tempore ad terrendos, auertendoſq; ab eius rei ſenſu hoſtes in Diui Floriani munimentum in Gratianam, ſtellæ ſaltus propugnaculum, quo ſolo citra Natiſonem muniebantur Auſtriaci, à reliquis copijs impetus fieret. Quæ conſilia prudenter, & ſalubriter in tabernaculis inita, in ipſo conatu, decepta Ducum ſpe, inanibus, aduerſiſq; ſucceſsibus vanuere. Nam quamuis Equites Epirotæ Gratianenſes aſsidua pugna, obequitandoq; mœnia diſtinuiſſent, & Comes Nicolaus Gualdus Vicentinus, proſtrata Aſtiochi violentia porta, Diui Floriani propugnaculum occupaſſet; cætera nihilominus tentamenta parum proſperè, nulloq; fructu ceſſere, vt fieri plerumq; in huiuſmodi expeditionibus ſolet; in quibus fortuna vni Duci ſecunda, alteri aduerſa, bene deſtinata conuul-

Venetorum conatus malè cedunt.

ſit.

ſtit. Comes Montius Stellę munimento ſucceſſit, vbi cum ob denſiſſimas, obſcuriſſimaſq; noctis tenebras ab Aſtiochi magiſtro numquam porta reperiri potuiſſet, re infecta, redeundum militi in caſtra fuit, euitato tamen feliciter tormentario puluere pleni diſcrimine cuniculi, ad Venetorum perniciem, & ſtragem effoſſi: fortuito offenſo ſui militis ad funiculum pede, ad eos cuniculi vſq; perductum, applicitoq; opportuno tempore igne inflammandum, quo pedis impulſu diſrupto, mortis periculum milites euaſere. Nec magis propitiam fortunam ad ſaltus propugnaculum ſenſere milites Corſi: dum enim importunis fabulationibus tempus terunt, Auſtriacis ſpatium dedere, vt ſe ad impetum excipiendum armis inſtruerent, quos ſi repentina, celeriq; impreſſione, nulla facta mora, inuaſiſſent, cum intra munimenta non amplius quatuor maiores ſclopos haberent: ea facilè deturbatis inermibus propugnatoribus, occupaſſent. Verum Auſtriaci in Venetos ſubeuntes, & trabibus, alijſq; ponderibus deuolutis, diffractis ſcalis, reſupinatiſq; in foſſam hoſtibus, fugere compulſis egregia pugna tutati ſunt munimentum. Equites etiam, qui iam flumen vado tranſmiſerant, regredi pudore ſuffuſi, triſteſq; coacti fuerunt à peditatu deſerti, qui vlteriùs obſiſtente acriter hoſte, penetrare non potuit. *Corſorum militum error.*

Crebra militum, commeatuumque ſubſidia arborum truncis in Americarum Canoarum ſpeciem, excauatis impoſita obſeſſo oppido ab Auſtriacis inferebantur: aliquando etiam ratibus aduecta, quarum vna in medio flumine vado hærens horrendum, ac lachrymabile Germanicæ feritatis ſpectaculum, vtriſq; copijs toto litore prætentis exhibuit, quæ cum armatis onuſta propius Venetas arenæ impacta illis ſe deditura videretur, à quibus ingentibus promiſſis, vt ad ſuas partes transfugeret, ſolicitabatur: Auſtriaci hoc indignati quamuis miſeri genibus flexis, & manibus iunctis ſupplices precarium ſpiritum ab iratis commilitonibus poſtularent eos omnes necquicquam contubernalium pietatem inclamantes maiorum ſcloporum ictibus confoderunt. Paradiſus tamen cohortis Præfectus ſæuientem barbariem euaſit incolumis, qui deſperato, ſed fęlici auſu ſe totum armatum coniecit in flumen: ex quo nec armorum pondere oppreſſus, nec vorticibus hauſtus tutum in aduerſum litus natandi euentum habuit, illum ſecundiori fortunæ Numine ſoſpitante. Duos poſt dies Chinſchius, & Erbeſtainus traducto vltra flumen ſeptingentorum peditum agmine, tam furenti impetu Plumæ ſtationem, quam præter equites, trecenti ſexaginta pedites tuebantur, adortus eſt, vt eodem tempore è ſaltus munimento erumpente in Venetos præſidio, propugnatores primo impulſu in fugam egerint, qui trepido, concitoq; curſu in Corſas cohortes ſubſidio accurrentes illati, turbatis ijs incumbentiſque fugæ pondere, humi proſtratis, intra maius Plumæ propugnaculum profugerunt, in quo nihil remittente pauore, quamuis ibi Franciſcus Iuſtinianus curaret, plurimi proiectis armis, effuſoq; humi pyrio puluere, ſe de munimentis preci- *Germanorum ſæuitia.* *Cohortis miſerabilis cædes.* *Auſtriaci Venetos inuadunt.*

pites

Venetorum pauor, & fuga.

pites dedere Luciniſium eodem fugæ impetu procurſuri, peſſundato etiã ipſo in itinere Triuiſano eis ſubſidio cum Epirotis equitibus equis ſuccuſſantibus feſtinante. Nullis in caſtris vnquam tanto terrore trepidatum eſt, milites impotes ſui attoniti Duces, confuſi Chiliarchi, turbata, deſperataq; omnia. Ipſe Iuſtinianus expes acribus verbis ignauiam increpans militum hunc, & illum brachijs præhenſum ſiſtere nitebatur, vt in munimatis tuẽdis animis fortibus perſiſterẽt. Sed hos terrores opportunus Medicei aduentus omnino diſcuſſit: nam Germani ipſius venientis nomine audito, primo tenuere gradum iam ipſis munimentis illatum, deinde melius rati ſuis rebus conſultum iri, ſi loco cederent, in ſua caſtra territis nullo fructu tantum Venetis, redierunt.

Germanorũ receptus.

Per eos dies Chiliarchus Vaſenoſenus cum mille peditum Batauorum legione peruenit in caſtra, à quibus mox pernicioſiſſima ſeditio excita eſt, ex intercepta ſingulis à Duce ſtipendij parte: cum enim ſepteni aurei in menſem à Republica militibus ſoluerentur, non amplius quinos illis Chiliarchus metiri volebat, quòd in legione Venetias vſq; ducenda de ſuo plus aliquid impendiſſet:

Batauorum militum ſeditio.

verum ſeditio Medicei authoritatis interuentu ſubſedit; nam ad eorum ſtationem progreſſus lenibus verbis molliendo militum ferociam, tam diu contumaces animos benignè tractauit; donec reliquæ copiæ cum tormentis accitæ veniſſent, quibus Batauis circumfuſis, eos compulit, vt quatuor ex magis ſeditioſis traderent; quos ad ſupplicium protinus eliſis laqueo faucibus, necari iuſſit, cæteris in varias ſtationes translati, vt alienis nationibus immiſti, ipſa diuiſione debiliores tumultus concitare non poſſent.

Seditioſi ſtipendio necati.

Paulò poſt Erneſtus Naſſauius cum quatuor Batauorum millibus, & quingentis ſe cęteris copijs adiunxit; quorum aduẽtu, & numero, & robore, atq; animis aucti Veneti maiora conari, hoſteſq; in ſuis ipſius ſedibus traiecto flumine adoriri agitabant, quod antea Martinẽgus ſuaſerat.

Batauorum ſubſidia in Veneta caſtra perueniunt.

Conſiliũ nõ dãnabat Mediceus, immo, & bellicæ exiſtimationi fore & rebus Reipublicæ profuturum pollicebatur, dummodo in Batauos ſibi traderetur Imperium: idq; ardentiſſimis officijs inſtabat quòd vbi plures imperant Duces, & copiæ non vnius auſpicio reguntur, omnia confundi, miſceriq; neceſſe ſit, iuſſuum varietate turbante, ſibiq; non ſatis animi eſſe ea ratione bellare, nec ſine ſumma in omnes copias poteſtate, Senatus ſtipẽdia ſe velle mereri: & quia Venetus Imperator ſubiecerat Naſſauo nemini, niſi ſibi parendũ eſſe, nec alterius, quam ſua iuſſa facienda: addidit Mediceus, non è Republica futurum, diuiſis Imperijs, tranſmiſſo flumine, in hoſtiles terras copias traducere.

Mediceus totius exercitus poſcit Imperium.

Subiratus Venetus elatiori voce, inquit, flumen omnino Senatus iuſſu tranſeundum, ſic ſtatutum, decretumq; eſſe. Mediceus vlterius reluctari non auſus acquieuit: hoc tamen indicto, vt ſibi ſcriptis tranſeundi mandatum daretur, vt quocumq; euentu ſe apud Rempublicam purgare poſſet, & à ſe aduerſi caſus culpam reijcere: quo libenter à Veneto Duce conceſſo, ille traijciendis copijs opportuna, neceſſariaq; mandata deprõpſit: condicto inter

Illi negatur.

Duces,

Duces, vt Batavi longò circuitu per Carnos in Noreiæ campos euaderent, & eodem tempore reliquæ copiæ flumen tranarent, vnaq; iunctæ ſociatis viribus, hoſtium ſtationes inuaderent. Statuto igitur die Batavi Martinengo ductore cum aliquot equitum turmis præeunte, propugnaculo Imperiali occupato, Noreiam verſus pergere inſtiterunt: tunc quoque Mediceo, Camillo Triuiſano, & Oratio Balleonio cum quinque peditum millibus, & octingentis equitibus tranſeuntibus flumen, vnaq; omnes ſtipatis agminibus in hoſtium munimenta feruntur, qui trepidi, exangueſque metu, deſertis cæteris munimentis, in Rubiæ propugnaculum agmen cogunt, ea mente, vt ſi Veneti acriores inſtarent, Nauportum profugerent, quò etiam Trautmendorſus ſua argentea vaſa, pretioſamq; ſuppellectilẽ præmiſerat; ſubſequutiq; fuiſſent, niſi importunæ Medicei cautiones, adiecta cæterorum Ducum mora, ac ignauia, decreti conſilij profectum abſtuliſſent, dato temporis hoſtibus commodo in rebus bellicis inferiori parti maximè vtili, vti aggredientibus pernicioſiſſimo, colligendi animos, ponendiq; metus, & Rubbiæ ſaltum validioribus firmandi præſidijs, qui antea ab illis deſertus nullo negotio occupari potuiſſet. Baleonius, Camillus Triuiſanus, & Nicolaus Cõtarenus Mediceum circumſtantes vrgebãt, ne pernicioſas traheret moras: ſed Vipaco amne ſuperato, hoſtes ſolutos fugam magis circumſpectantes, quàm pugnam auſuros inuaderet: ſed nec inſtantium authoritate, nec precibus motus Mediceus ſui tenax propoſiti, obſtinatoq; animo, nouis dubijs actus, quaſi arcana quædam moliretur, agmina in medio itinere ſiſtere gradum iuſſit, contemplatuſq; locorum ingenium, inanibus diſertionibus tempus fallens parum ad eam expeditionem obeundam propenſus animo videbatur, indignabunduſque aliorum Ducum pugnandi ardores incautos, iuuenileſq; impetus amarè ſugillabat. *Vanam eſſe de Germanorum timore fiduciam, quos non temnendo bellatorum numero, veteraniſq; Ducibus validis eſſe conſtabat. Illud hoſtium totis caſtris ſilentium non metum præferre, ſed aliquid pernicioſi coquere. Altiſſima flumina minimo ſono labi, non ſtrepere ſanè hoſtium caſtra inani fremitu, vt aſſolet, vbi militum multitudo tendit; ſed magis ipſa taciturnitate metuendos. Reipublicæ exercitum inter duas munitas hoſtium arces teneri, à fronte ſtantibus eorum copijs armatis in omnem benè gerendæ rei occaſionem intentis. Quid rei Venetæ fieret, ſi quid incommodi acciperetur, quod facile eſſet ab exercitu diuiſo, tyroneq; milite?* Quibus omnibus nimis meticulosè expenſis, & quia Naſſauius ſuos milites madidos cauſatus vlterius gradum proferre recuſauit: eo die ceſſatum eſt, nihilque militare actum, Mediceus tantum Rubbiæ propugnaculum obſidione ſepſit: vbi Batavi campeſtris tormenti ictu Trautmendorſo lacerato, & exteriori parmula capta ſtrenua, fortiq; pugna cæſis plurimis hoſtium conceptæ de eius gentis opinioni virtutis egregijs auſis reſponderunt: quamuis ibi quò bellica virtus enixa eſt, ſubſiſtere diu non licuit Mediceo Italorum peditum, vt condictum fuerat, non ſufficiente ſubſidium, ex quo inter

Veneti flumen trajcere parant Goritia.

Lubiana.

Medicei cautela nimis pernicioſa.

Medicei error.

Medicei rationes, quibus inuadẽdus hoſtis non ſit.

Batauorum militum virtus.

ipſum

Digitized by Google

ipſum Naſſauium acerba exarſere diſſidia. Creditus eſt Mediceus dedita opera deſeruiſſe Naſſauium, recuſaſſeque ei ferre ſuppetias, in vltionem ſui detrectati ab illo imperij Medicei parere præfractè iuſſibus indignante, ne ex illo magnanimo auſu, initoque certamine Naſſauius bellicæ virtutis ſibi exiſtimationem acquireret. Infelix ſanè Principum bellantium conditio, quorum res penes ſunt ſuorum miniſtrorum arbitrium, qui etiam ſi munifica manu theſauros profundant, ſuos Duces ad ampliſſima militiæ efferant miniſteria; nulla tamen certa, fida, ſyncera ab ijs poſſiit ſibi obſequia polliceri, vt nō futili qualibet de cauſa ſuo aliquo minimo commodo, ea negligant, quæ per magni ſuorum Principum, & Rerumpublicarum interſunt, eorumq; officia ex obſtricta militari Sacramento fide, & collata dignitas poſtularet.

Obſeſſi fame argentur. Gratianenſes iam commeatuum pati penuriam paulatim ad annonæ anguſtias redacti cœperunt: crebris propugnaculis, & aggeribus præcipuos aditus Venetis claudentibus, impedito etiam frequentibus defixis ſudibus flumine, quibus ad oppidum rates, excauatiq; trunci prohibebantur acceſſu. Sibi tamen non deerant Auſtriaci, quin obſeſſis alia ratione, quæcumque poſſent, auxilia ſufficerent: præcipuè Stellæ propugnaculi ope, quòd etiam ſi exiguum in aduerſo litore excitatum exigui momenti videretur, nihilominus cum quatuor tantum ſtadia Gratiana recederet ad montium radices varios viarum anfractus, tortuoſoſq; calles incolis tantum notos aperientibus vallibus, maximè ad inferenda ſubſidia Auſtriacis vtilitati erat: fuitq; potiſſima illius arcis ſeruandæ cauſa: non ſolum enim per eos tramites pyrij pulueris cadi, & commeatus à regionis aggreſtibus furtim allati, ſed ſæpius etiam iuſta militum ſupplementa, ſubſidiorumque omnis generis copia inſigni audacia per media hoſtium propugnacula vecta in obſidentium oculis introducebantur in oppidum. *Vrbi ſubſidia inferũt Auſtriaci.* In hoc ſedulo, ingentiq; ardore auxiliorum ductor Princeps Valſtainus laborabat, à quo Horatius Balleonius cum quingentis, & eò amplius peditibus cæſus eſt, incauto conſilio in eas montium anguſtias prouectus, vt Valſtaino ſuorum militum obiectu iter obſtrueret. *Horatius Balleonius occiditur.* Senatus tanti viri bellicæ virtutis memoriam gratiſſimo animo laude proſequutus eſt, ei equeſtri ſimulacro in Diuorum Ioannis, & Pauli templo Venetijs poſito, cum cœnotaphio ipſius Ducis virtutes, & dotes graphicè exprimente. *Eius equeſtris ſtatua.*

Parum proſperi Carnici belli ſucceſſus multo cum dolore, angoreq; animi à Venetis ciuibus audiebantur, ſummaq; cum impatientia iuſtiſſimis querelis de ſuorum Ducum inertia, atq; in adminiſtrando bello imperitia Senatores expoſtulabant: quòd cum tot theſauros in illud bellum contuliſſent, & gratiſſima laborum compenſatione ſuos milites, beneficijs, atq; opibus augerent; nullum tamen ſuorum armorum profectum aduerſus debiliores, pauciòreſq; hoſtes experirentur; immo illi vltrò illatis frequentibus cladibus, Venetis inſultarent: nec tam numeroſæ copiæ, expeditis ſtipendijs animatæ plus viginti propugnaculis vallatæ prohibere non poſ- *Senatus Veneti querela de ſuorum Ducũ inertia.*

ſent,

ſent, quo minus Auſtriaci pro arbitrio commeatuum, militumq; ſubſidia obſeſſis afferrent; atq; ad ipſa Veneta caſtra, ad prætoria, Ducumq; tabernacula non ferenda audacia procurrerent. Nec minor erat Medicei querelarum acerbitas ob militum contumaciam, & quorumdam Ducum ipſius indignantium imperium ſui contemptum, implebatq; crebris Senatorum queſtibus aures, *militarem diſciplinam nihil penſi eſſe, ſua iuſſa etiam à gregarijs militibus negligi, Reipublicæ obſequia nulli curæ eſſe: omnia perperam agi, inſtabatq; precibus, vt ad ſui exiſtimationem, & publicum commodum militum, minorumq; Ducum inſolentiam, & peruicatiam indicta pœna capitis coercerent: ſe in tam turbato rerum ſtatu, confuſioneq; copiarum non ex dignitate ſuum poſſe munus explere, quam & vtilitas Reipublicæ, & ſummi Ducis authoritas poſceret; proinde Senatus aut ſe exhauthoraret, aut ſuam augeret poteſtatem, qua poſſet oblato ſupplicij metu, intra ſuetos militaris diſciplinæ rigores milites continere: & ad exequenda quemlibet mandata cogere.* Mitibus alloquijs Senatores eius acerbitatem animi lenierunt; *iiſdem curis affligi Rempublicã, & doloribus angi deprauata in caſtris, corruptaq; militari diſciplina, in qua reſtituenda ſuo officio non defuturam: non illi aduerſis rebus eſſe dolendum reflantis ſępè fortunæ ictibus aſſueto; quod non ad ſua vota res cederent: eſſe mortalium varijs curarum æſtibus fluctuare: res bellantium plerũq; incertis caſibus ferri: in exercitibus militum furorẽ, multitudiniſq; inſolentiam prudentum Ducum ſalubria conſilia ſubuertere, cum in iis caſus, fortunaq; dominetur: miram ſemper ipſi extitiſſe virtutem ad duros quoſq; militiæ labores perferendos expeditam, & qualibet ſubeunda diſcrimina promptam Reipublicæ dignitatem, maieſtatem fulciſſe: æternum ipſius memoriam meritorũ Senatus heſuram mentibus, vlla vnquã temporis diuturnitate delẽdam. Pergeret porrò in eo ampliſſimo militaris dignitatis gradu perſiſtere æmulorum calumnijs eadẽ animi magnitudine proculcatis; qua ſępius hoſtiũ fregerat audaciam: Senatũ ſibi ab eius ſtrenua virtute abundè ſatis factum putare: præbiturumq; propediẽ ſui gratiſſimi animi ſignificationem.* Ex quibus verborũ obſequijs, & officijs Mediceus cognita Reipublicæ volũtate, adeò nõ augendæ ipſius authoritatis, vt etiam illã minuere cogitaret; non vltra loquutus quietiori animo ad ſuũ munus curãdum incubuit, in quo mirum in modum in omnibus periculis, & expeditionibus præſenti ſemper animo gregarijs militibus immiſtus excelluit, & vt boni Ducis eſt, arcanũ aliquod ſemper moliri, excogitareq; ad nocendum hoſti inuenta noua ſemper ad victoriam facientia machinamenta ſolerti ingenio meditabatur: inter quæ ad bellicos, militareſq; vſus aptatũ eſt, tũc quoddã tormenti genus quinq; pedes longũ, ſed duplo maiori, quã cętera pondere, ob globi ferrei magnitudinẽ, quẽ iaculãtur, ne ipſa horribilis ictus violentia rumpatur (Salta Martini Itali vocant) non lõgius Sagris eo deſtinata feriũtur; ſed maiori explodentiũ cõmodo, cũ altioribus rotis innixũ vnico axe libretur ad eorũ arbitriũ in quãcũq; partẽ verſatile, vt emiſſo globo, nullo negotio librator verſo ad ſe tormenti ore, atq; ad ſe reducto, tectus ab hoſtium miſſilibus poſſit ſueta ingerere farcimenta.

Medicei queſtus de militũ contumacia.

Senatus Medicei acerbitatem animi lenit.

Nouum militare machinamentum.

Petri Barbadici Procuratori Lando ſuffecti cum militum ſupplementis

Venetæ copiæ purgantur.

aduentus in caſtra firmauit exercitum: plures Senatus iuſſu Duces, aut dubiæ fidei, aut nulli frugi exautorauit; copijſq; ad meliorem, obſeruantioremque diſciplinam adactis, circa Natiſonem omnia, ſic crebris aggeribus ſepſit, vt obſeſſi vndique commeatibus intercluderentur: quocunque ſublato aditu in Gratianam ferente, niſi quà per Stellæ propugnaculum oppido aduerſum pauci admodum obſeſſis ratibus ſubuehebantur: ſed magno ferentium periculo, ac difficultate tum impedito crebris fixis

Gratiana arctius obſidetur.

ſtipitibus alueo; tum Venetis celocibus militum manipulis armatis toto flumine procurſantibus. Interim nihil ab vtriſq; à populando frequentibus direptionibus agro temperatum eſt: refuſis in Agreſtium capita belli malis. Crebra etiam leuia certamina ferebantur, & aliquoties etiam inter magis ſtrenuos ex prouocatione certatum. Inter ſingulares pugnas ea inſignis effulſit; quæ inter Petrum Vaſquez Hiſpanum, & Ioannem Du-

Duellũ inter Hiſpanũ, & Corſum præfectum.

zam Corſorum peditum cohortis præfectum, qui Arciducalium captiuus cum ab Hiſpano iniurioſis verbis acceptus ſibi videretur, grauareturq; ſecum non ex militaris ſui muneris dignitate actum, è Venetis caſtris miſſo caduceatore Hiſpanum ad ſingulare certamen prouocauit, vt minori tantum rotato ſclopulo, gladioq; armati nullis præter ſubuculam indumentis amicti equeſtri pugna decernerent. Ad tubę clangorem vtrinq; ſpectātibus copijs, citra Natiſonem in campo infenſis animis concurrerunt. Diſploſis primo ſclopulis, ſtrictis gladijs aliquandiu ęquo Marte ab vtroq; fortiter dimicatum eſt: tandem Hiſpanus equi Maradij, cui inſidebat agilitate, ac robore aduerſario præcellens Corſo impacto eius ori mucrone intulit vulnus; cumq; punctim, cęſimq; & in decuſſim enſe citiſſimè fulminaret; Corſus nulla ſalutis cura in Hiſpanum irruens gladium eius vtero adegit: quo

Par vtriuſque dimicantiũ virtus.

lethali vulnere accurrunt. Patroni, diremptoq; certamine litem abſolutam eſſe pronuntiant, iunctiſq; vtriuſq; mutua pace dextris, in ſua quemque caſtra æquali gloria, pariſq; virtutis laude exultantes adducunt.

Gradiſca.

Gratiana interim ad omnium rerum anguſtias compulſa clauſo flumine, circumiectoq; agro crebris propugnaculis impedito, Idranſinæ quoque aditu poſtremum validis militum cuſtodijs obſeſſo, per quem Valſtamus, & Maradius frequenter Gratianenſibus ſuppetias attulerant; deditionem propediem factura videbatur: quando ex inſperato conciliatæ Pariſijs à

Pax inter Venetos, & Auſtriacos conſtituta.

Principibus pacis aduitente maximè Ludouico Decimotertio Galliarum Rege, & Allobroge Duce, & Octauiano Bono, & Vincētio Guſſono Reipublicæ legatis agentibus inexpectatus nuntius allatus in caſtra bellandi animorum ardorem extinxit in Ducibus: ſed Venetijs Senatorũ pectora indignatione ſuccendit, quòd legati de pace non ex iuſſu, præſcriptoq; Reipublicæ tranſegiſſent, quæ vllis eos ineundę pacis cōditionibus vetuit aſſentiri, niſi onerariæ triremes ab Hiſpanis interceptæ redderentur. Verum illi Regis authoritate compulſi rati id quoq; è Republica fore; omiſſa nauium reſtitutione, quod maximè illa inſtabat, hæc pacis conditionum capita de-

cimo

Digitized by Google

cimo quinto Kal. Octobres tulere, accepereque inuicem.

Senia, & ex alijs maritimis locis Auſtriacæ domus Vſcocchi exigerentur, illi ſcilicet, qui piraticam exercere, prædariq; toto ſupero mari conſueuerant: cæteri ſua quiete agere ſoliti cum ſuis vxoribus, & liberis habitarent. Exules quoq; Venetæ ditionis, & profugi, qui ſe latronibus adiunxerant, amandarentur: piratici Myoparones ſubditis ignibus vrerentur, bini Conquiſitores vtriuſq; partis ea omnia perficienda curarent. Seniæ Germanorum præſidium imponeretur, quo in illam ingreſſo Veneti vnum ex occupatis oppidis ad Imperatoris, aut Archiducis Ferdinandi arbitriũ reſtituerent; cætera deinde redderent; cum omnino ab Auſtriacis conuentis ſtatum fuiſſet. Imperator, & Archidux ſuam obligarent fidem ſe nunquam in poſterum in ſuis terris vllum piratarum genus, minimè omnium Vſcocchos excepturos, nec ſuorum quemquam Venetæ Reipublicæ Vectigalibus moleſtiæ eſſe paſſuros. Maritima, terreſtriaq; commercia inuicem à finitimis haberentur: in aliud tempus de Adriatici ſinus nauigationis contentione reiecta, captiui liberi dimitterentur: in gratiam bona fide mutuã rediretur: bona item publicata vtriuſq; partis perduellibus, & transfugis, qui contra ſuum Principem militaſſent, illicò redderentur. *Pacis conditiones.*

Egerrimè tamen Senatus tulit, quod ſui legati de pace, ſe inconſulto, huiuſmodi conditionibus conueniſſent, eo præſertim tempore, cum iam iam Gratiana ad vltima redacta in Reipublicæ poteſtatem ventura erat; nec diutiùs differenda deditio, tracturaq; ſecum omnia loca, quæ ab Archiducibus citra Alpes in Italia tenebantur. Quare cum perniciosiſſima ijs legibus pax eſſe videretur, Reſpublica decreuit ea generoſo animo repudiata; in legatos animaduertere, quod tam iniquis conditionibus nullo conſilio, & publici commodi reſpectu, pacem cum iam victo hoſte ſanxiſſent. Miſſo igitur in Galliam Simeone Contareno, qui legatis diceret diem, vt vadimonium obirent, criminationeſq; coram iudicibus diluerent. Ardentia tamen Galli Regis officia Legatorum innocentiæ fauentis Senatus iras, indignationemque lenierunt, præter efficaces rationes ab ipſis ſcripto vulgatas; quibus ſe omnino à culparum labe purgabant: ſe benè Senatus functos eſſe mandatis; nam, cum ab eo duo exequi iuſſi fuiſſent; alterum, vt in tranſactionibus pacis quacunque ratione Regis ſocietatem, amicitiamque Reipublicæ conciliarent; dummodo ab Hiſpanis oppidò diſſideret; alterum minus præcipuum, & veluti additamentum, poſcerent, vt triremes reſtituerentur: ſe nullatenus exigui conſilij argui poſſe ſi primo Reipublicæ rebus, & cõmodis vtiliori pluris æſtimato, alterum minus præcipuum neglexiſſent: quod ſi obſtinatiùs petere inſtitiſſent: verendum erat, ne Regis odium contra Rempublicam, iraſq; laceſſerent; obteſtabatur enim ille diſertis verbis triremium negotium prorſus aliud eſſe à rebus cum Ferdinando componendis; ſibique apertam fieri iniuriam, ſi hoc poſcere Veneti perſeuerarent: ac proinde à ſe optimè ſuæ legationis obitum munus; laudandoſq; potius eſſe prudentiæ, quàm inſitiæ damnandos. *Venetus Senatus pacẽ reſpuit.* *Legati ſe purgant.*

VRSONIS DVCIS NEAPOLIS PROREGIS

AFFECTATI REGNI SVSPICIO

NARRATIO TERTIA.

QVando huius viri incidit mentio, operæ pretium erit cognoſcere quomodo in affectati regni ſuſpicionem venerit. Petrus Vrſonis Dux ex clariſſima Gyronum Familia in Regia Hiſpana aula Procerum amicitijs, atq; affinitatibus potens Siciliæ primum præturam adeptus cum Philiberto Allobrogum Ducis Filio, & Philippi Tertij Hiſpani Regis ex ſorore Nepote Summo Regiæ claſſis Nauarcho orto de iuriſdictione diſſidio, graues ſimultates exercuit: multaque in adminiſtranda prouincia ſuo impotenti animo indulſit, vir ſanè peracris ingenij ſuæ ſortis impatiens, vaſtiſque votis ſuæ fortunæ metam excedere cupiens. Mox Prorex Neapolis dictus nihil induſtriæ, laboris, atq; operæ prætermiſit, quo clanculùm plebis ſtudijs innixus ad eius Regni faſtigium adreperet; quòd quamuis arduum, ac difficile videretur; tamen ſe aſſequuturum ſperabat, ſi gliſcentia inter patritios, plebemque diſſidia omni ſtudio foueret, vt ciuibus diſcordiarum fluctibus æſtuantibus, ipſe nouas res moliri nemine aduertente ſine periculo poſſet. Plebei ordinis patrocinio ſuſcepto, optimatibus adeò erat infenſus vt plurimi in rerum ſuarum deſperationem acti ab vrbe profugi rura ſua receſſerint, patria extorres magis exilio contenti, quàm impotentis dominatus diro ſeruitio premi. Neapolitani Patritij contemptim, ac crudeliter habiti Patrem Laurentium Brunduſinum ex Patrum Capuccinorum familia, tùm eruditum, cùm probum, eximiæq; pietatis virum ad Hiſpanum Regem, clàm ſubmittere parant oratum, *ne fidiſſimos vectigales ſuos ab impio Prorege amplius affligi, vexariq; pateretur, eiq; præfectura amoto alium ſufficeret, qui æquiori, moderatioriq; imperio incolis dominaretur: id intaminatam erga Regem vectigalium fidem mereri, id regni ſalutem, atq; incolumitatem exigere; cui ſenſi ſi cautum vellet, tam impotentem Proregem magiſtratu abdicare maturaret.* Prorex ſagaci preſagiens animo Neapolitanos Optimates omni ſtudio curaturos, vt inuiſum a ſuis ceruicibus ſui regiminis iugum excuterent: Patrem Laurentium à proficiſcendo in Hiſpania auertere conabatur; ſed Summi Pontificis prudentia, atque induſtria factum eſt, vt ille nequicquã reclamante, obnitenteq; aduerſum Prorege Hiſpaniæ litoribus appulerit

Ducis genus, & potentia.

Neapolis Prorex creatur.

Regnum affectat.

Patritijs infenſus.

Neapolitani Patritij proregi infenſi.

apud Summum Pontificem Reipublicæ Venetæ legati ædes, atque adeò in ipſius ſenſim conſuetudinem irrepſit: eiuſq; interuentu Senatui ſuam operam, ſuorumq; aſſeclarum obſequium cupidè obtulit, qui etiamſi eius dubiam, ancipitemque fidem primò veritus, quod eius conſobrinus Tazzij dynaſta adhuc Proregis ſtipendia facere perſeueraret; tamen Galli Regis legati efficacibus officijs, & precibus, militum quoque, & Ducum ea turbida tempeſtate caritate cogente, ad ſua ſtipendia admiſſum cum aliquot nauibus ducentenis aureis in menſem conduxit, illum etiam Nicolai Rinaldi promouente ſolertia eius bellicam virtutem, militaremque peritiam pluribus laudibus extollente, qui ad tegendas magis inſidias, litteras ipſius Vrſonis Ducis manu ex compoſito ſcriptas Iacobum Petrum ſex aureorum millibus menſariorum ſchedulis collybiſticis Venetias traductis ad ſuum obſequium reuocantis exhibuit. *Proditorum ſimulationes, & artes.*

Quibus de rebus, & quia Prorex indignatus, quod ille ſua ſtipendia recuſaret, eius vxorem Meſſanæ in carcerem conijci iuſſerat, eò gratior Senatui, acceptiorque fuit velut Proregi ex animo infenſus: quotidie quoque ad ſuam augendam fidem apud Patritios in Hiſpanorum inuiſam ſuperbiam acri oratione inuehens, de varijs eorum perdendæ claſſis, potiendiſque arcibus rationibus diſſerebat: dum interim noctu cum cæteris coniuratis conueniens conſilia patrandi facinoris maturabat. Optimum ijs principibus documentum, explorandæ, expendendæque accurato examine eorum fidei, quibus ſua arma, dominatuſq; cuſtodiam credunt: præcipuè cum exteros mercenarios, ad ſua emerenda ſtipendia acceſſunt, qui cum plerumque fluxæ fidei ſint, & ad nutum pluris licentium circumferantur, iniquis, auaris, perfidis nihil minori curæ eſt, quàm Principis, pro quo militant, ſalus, & eius incolumitas vectigalium. *Ad Principes documentum.*

Compoſitis cum Ferdinando Auſtriaco rebus, expulſiſque è Dalmatia, Carniſque piratis, atque exauthoratis copijs, ſolutaq; obſidio Gratiana ex pacis conditionibus ſancitæ Pariſijs, Hiſpani quoque ſuam claſſem ab Adriatico ſinu Neapolim ſubduxerunt; qui ijſdem in Venetos conciti odijs iterum aperiente ſe anno, ſummo Nauarcho Neapolitano cum validiori claſſe ſinum inuecti vbicumque Venetas naues prædæ cupidi venabantur: ſed Petri Barbadici virtute quadraginta ingentibus nauibus, & totidem octo ſupra triremibus, & quinqueremibus potentis fugati, diſiectique ſunt, atque in inferum mare compulſi; qui victor Brunduſij quōdam Reipublicæ iuris, litora circumuectus cumulatiſſima gloria eorum inſultus ſuperioribus menſibus Reipublicæ inſolenter illatos depreſſis, captiſque aliquot hoſtilis claſſis nauigijs, pari offuſo illis dedecore, & pudore ſarcinit. Reſtitutæ etiam poſt aliquod tempus onerariæ triremes ab Aragonio ſupremo claſſis Nauarcho abreptæ. *Hiſpani iterum in ſinū Adriaticū inuehūtur.* *Clades Hiſpanis à Venetis repoſita.*

Vrſonis dux, qui maiora ſua fortuna vaſto animo complexus ſceptra, ac diademata anhelabat, affectati Neapolitani Regni apud Hiſpaniarum Regem arceſſitus, ſolicitatæque varijs artibus plebis, & vulgi, vt in eius

Tibur primum, ac inde Caietam delatus nulla occurrentium pompa, nulloq; honore exceptus eſt; quippe Prorex omnia Procerum officia, cultuſque prohibuerat, quæ ad excipiendos non Proceres modo, ſed etiam Principes ex antiquo humaniſſimæ vrb.s more obiri ſolent. Cardinalis Proregem de ſuo Caietam aduentu litteris monet, domeſticos ſuos, qui illum ſuo nomine ſalutarent, Neapolim miſit; atq; omnibus officijs, ne quid ad eius animum leniendum, conciliandamq; beneuolentiam deeſſet, perfunctus eſt. Ille nihil penſi habitis Cardinalis obſequijs, palam profeſſus eſt; *ſibi nihil cum Cardinali rei eſſe; monuitq; omnes, ſi quid Borgia de rebus ad imperium pertinentibus ſcriberet; ſi quid iuberet, ſanciretq;, nihil ſacramenti memores mouerentur: ſibi præfecturam eſſe commiſſam, regia mandata ſibi quotidie afferri; cogi aliquando reges aulicorum vota, poſtulataq; ſecundare, à quo in dies litteræ expectabantur, quibus ſibi liberius imperium affirmaretur: ſed quidquid ſors latura eſſet, ſe non ante Octobrem menſem præfectura, prouinciaq; abiturum, nec arma aduerſus inuidos defutura.* *Proregis cōtumacia.* Cæterum Borgia Caietę morante, quaſi ſuæ audaciæ ſucceſſoris in regni foribus hærentis iniecto fræno remiſſiùs, cautiùſq; agere viſus; ſed mox tum ipſe, tum eius aſſeclæ procaciores in omnem licentiam inſurgunt. Tanto iactata malorum turbine ciuitate ab Optimatum conſilio crebræ litteræ, preces, queſtus, obteſtationes Caietam ad Cardinalem feruntur; illum nonnulli etiam clam Prorege ex vrbe elapſi conueniunt: vt præſentes acriùs, efficaciùſq; vrgeant, quo ad præfecturam, regniq; adminiſtrationem capeſcendam ire maturet. Cardinalis communicatis cum fidis, & ſapientibus viris ſui animi ſenſis, omnium hortatu Prochytam nauigare decreuit Tyrrheni maris inſulam, quam ſeu verum, ſeu mendax Poetarum commentum ſit; ingenti olim terræ motu concuſſa Inarime inſula portentoſo partu diciturcffudiſſe. *Naturæ miraculum.* Borgia per domeſticos nuntios Proregi ſignificat, ſe Prochytam accedendi conſilium cepiſſe, quo propior vrbem, ne quid in tanta rerum perturbatione incommodi accideret, communi cum illo authoritate, conſilioq; proſpiceret: proinde triremium aliquot inſtructarum numerum mitteret; quibus Prochytam veheretur. Prorex cum hoc negare ſine manifeſto iniuriæ, contumeliæ, inurbanitatiſq; nota ſe non poſſe, facilè intelligeret; tria nauigia ad illum excipiendum miſit. Sic ille Caieta ſoluens decimo nono Kal. Iunij Prochytam appulit. Prorex vbi æmulum ſuum in regni veſtibulo hærentem vidit, animi impotentia abreptus quidquid dolor, indignatioq; ſuggerebat, ſibi tentandum, audendumq; propoſuit. *Proregis angores, & impatiētia.* Angebant immodici ſpiritus virum, quòd nondum rebus ad ſua vota conſtitutis, nec expeditis deſtinatis, aut conſilia omnia dimittere, aut certè in præceps dare cum ſummo diſcrimine cogeretur. Milites igitur in Belgium mittendos detinuit, aliquot Gallos etiam, atque adeò ad triremes damnatos armauit: Prætorianas cohortes auxit, quibus ſe aduerſus ſucceſſorem, optimateſq; firmaret. *Eius conatus.* Pridie Kal. Iunij cum annonam laxari, minoriſq; venire iuſſiſſet, congregata

gem litteris de rebus grauiſſimis monuiſſe, quarum reſponſa ſibi erant omnino expectanda. Cum Alburquequio Regis apud Pōtificem legato, quo cum illo vetus neceſſitudo interceſſerat, interim egit, vt Cardinalem ab ineūdæ præfecturę propoſito efficacibus hortamentis abduceret, aut ſaltem ab eo extunderet, ne ante Maium mēſem Neapolim proficiſceretur; ea ſpe ſibi temporis beneficio imperium prorogatum iri. Cæterū ſi Cardinalis ire Neapolim pergeret velle; diſertis verbis obteſtatus eſt, ſe minimè illi prouinciæ regimen traditurum; Albæ Ducis Belgij præfecti exemplo, qui ſucceſſorem iam præſentem ad Philippum Secundum Regem impunè remiſit, ſibi prouinciæ adminiſtratione retenta; quòd nullum Regis Imperium, ſed paucorum tātum authoritas ſibi præfecturam adimeret. Prorex nulla re ab Rege impetrata, Borgiam ſimpliciùs, ac molliùs agentem pluribus vltrò, citroq; miſſis litteris plures dies, & menſes, quamuis à Neapolitanis optimatibus eius aduētus accuratiſſimè ſolicitaretur, deluſit. Interea nulla repulſa animo concidens in id omnes ſuos conatus, cogitationeſq; conferebat; vt ſibi regni præfecturam continuaret, adeò impotenti effrenìq; deſiderio, vt affectati regni ſuſpicionem præbuerit; quòd effuſis largitionibus, populari comitate, ſibi plebis animos demereri conaretur; quod ad idem aſſequēdum Manlius Capitolinus, & Spurius Mellius feciſſe traditur. Carolo Spinello Populi electo tribunitiæ poteſtatis Reipublicæ cauſa in Hiſpania apud Regem agenti ſine populi ſuffragio Iulium Genuinū ſuffecit: reuerſoq; & munus ſuū repetenti interceſſit; ſeq; eo magiſtratu abdicare coegit. Genuinus cōſilio, manuq; promptus ad omnia expeditus Proregis obſequia obeūda, omnium eius particeps cōſiliorū præfractæ audaciæ Proregis iuſſu coacta ſicariorū, decoctorū, egentiū, oberatorum manù tuēdę aduerſus patritios multitudinis ſpecie prodiēs in publicū eo infami ſtipatus ſatellitio terroribus vrbē, & tumultu miſcebat. Frācilcus Coſta vir ferox, & inquies ad omnia audenda proiectæ animoſitatis Proregis obſequijs, & Genuino totus addict⁹ partes egregiè iuuabat. Huius hortatu, & Proregis pollicitis plures populariū centuriæ armatæ tota vrbe volitabant illius dignitatē ab inuidis oppugnatā cū Regis cōmodo, Regniq; ſalute cōiunctā defenſuræ. Perſuaſerat enim per ſagaces quoſdā ſubmiſſos ad populū multitudini, ſe optimatū fortunæ ſuæ inuidentiū artibus, & ſalſis criminationibus ſibi imperiū abrogari, regniq; adminiſtrationē clerico cedere cogi, quo nemine deterrēte, in plebē ſęuire pro arbitrio poſſent; & quo ſua flagitia, & ſcelera tegerent, ſe grauiſſimis calūnijs apud Regē ab ijs oneratū, ſeq; in has anguſtias eſſe cōiectū, quod plebē aduerſus optimates mordicus defendiſſet. Largiorē in poſterū copiā annonæ futurā, vectigaliūq; leuamentum pollicitus populariū animos ita ſibi deuinxit, vt plebs palā negaret, ſe paſſurā Proregē à Regni adminiſtratione, præturaq; amoueri: ſiquid aduerſi inuidi, inimiciq; molirētur iniuriā armis vlturā. Genuinus turbis excitandis intētus præfectos viarū, regionūq; vrbis Duces turbidiſſimos quoſq; elegit: Coſtā cęteroſq; aſſeclas tāquā ad cuſtodiēdā vrbē progredi iubet armatos. Affluētibus vndiq;

Proregis conatus ne ſibi ſucceſſor detur.

Prorex ſolicitat plebis animos.

Per malas artes continuare præfecturam curat.

Plebis ſtudia erga Proregem.

alieno

tur. *Plebem enim ſumma ope inſtare, ne ipſe priùs magiſtratu abiret; quàm diſſidia pacata fuiſſent, ſi ſecus aliquid tentaretur ab armis aduerſus obluctantes præſidium quæſituram.* Hi vltrò, citròque nuntiatis Prorex prætorio egreſſus multitudine iam ſeditionem ciente ſedata, rurſus proiecta in circunfuſam turbam ingenti pecuniarum ſumma, ardentiora populi ſtudia promeruit: quod illi poſtea ab aduerſarijs perduellionis crimini datum eſt. Ad prætorium reuertenti plures è nobilitate obuiam progreſſi, eadem flagitante Conſtantio inſtant: *eius authoritate, prudentia, ſalutemque publicam niti, nihil illi eſſe expectandum, niſi iam exarſuræ ſeditioni, quàm celerrimè occurratur, quàm flammas incendia, vrbis populationem, & excidium. Nullam Regi præberi gratiorem operam poſſe, quàm ei incolumes populos reddere, cæteras ſuas gratulationes, & laudes hoc inſigni decore cumularet.* Prorex inopinato nobilium acceſſu, occurſuque perculſus amplo verborum ambitu, emendicatis excuſationibus, perplexaque oratione, malorum imminentium ſe cauſam non eſſe diſſeruit; ita tamen perorauit, vt animum mordacibus, dubijſq; curis anxium, fluctuantemq; proderet; ſubtexuit tamen iratior *multos ad Borgiam ſalutandum ſe inconſulto, abiiſſe, magiſtratus ad eum in vrbem excipiendum eſſe dictos: ſe interim à Patritio ordine deſtituto; non id ſuam præteritam Regni adminiſtrationem omnibus æquam, munificam, mitem, iuſtamq; mereri. Genuinum ne populares ageret conuentus prohibitum, immo illi imperatum, vt debita patritijs obſequia, officiaq; perſtaret. Quod reliquum eſſet Patritij in publicum prodire ne formidarent, vt communibus conſilijs affectis rebus remedia veſtigarent; ſe illud ſedulo curaturum vt, ſublatis diſidijs concordia inter ciues iterum coaleſcat, nec paſſurum ſeditioſos aliquid in vrbe moliri, donec ad ſe Hiſpani regis mandata ferrentur.* Conſtantius reſpondit *ſe omnem daturum operam, vt in dictis nobilium conuentibus in ſolitis ſubſelijs de publicis cõmodis in cõmune conſulerent: quãuis publicũ maximè auerſarentur.* Cæterum Prorex omnes ſuas curas, conatuſq; eò collimarat: ne ſucceſſor admitteretur in vrbem, aut ipſe magiſtratu abire cogeretur. De omnibus, quæ à Prorege, eiuſq; aſſeclis agebantur, certis, fidiſq; nuntijs monitus Cardinalis æſtuabat animo neſcius ea inire conſilia, quibus res ſine tumultus, ſeditioniſq; periculo peragi poſſet. Eũ talia ſolicita mẽte agitantem primates ex vrbe tanquam officij cauſa conueniebant. In his præcipui erant Achaiæ Demarchus, Alexander Montius, Lelius Brancatius, qui venerationis, vrbanitatiſq; officio perfuncti ex compoſito ad labantis Reipublicæ ſtatum explicandum ſermone deflexo, multa de ærumnis, & periculis, quibus ciuitas, atq; adeò totũ Regnũ Seditioſorũ licẽtia, audaciaq; iactabatur, loquuti Borgiæ ſuaſerunt, vt ſine vlla cunctatione malis irruentibus opportuno, citoq; occurſu proſpiceret: in vrbis conſpectum modò ſe daret, eo præſente omnium turbinum iras difflatum iri; prǽter hoc, nihil eſſe reliqui ad ſalutem. Borgia eodem accenſus deſiderio ſic Optimatibus dicitur reſpondiſſe.

Acta inter Proregem, & Nobiles.

Ego

Cardinalis Borgiæ, ad Patritios alloquium.

Ego viri fortes, vt nunquam hanc prouinciam à Rege mihi demendari optaui, ſic poſtquam in tanta rerum perturbatione ab eius clementia meæ fidei credita eſt; nihil intentiùs mihi enitendum eſt, quàm vt illi ſpiritum ipſum in eius obſequia pro tam eximio honore, ac beneficio rependam, regnumque meæ cuſtodiæ commiſſum auguſtiſſimo Regi de toto Chriſtiano orbe optimè meritò integrum, incolume, ſaluumq; reſtituam: id ſi vel ipſius meæ vitæ impendio conſequi poſſem, hanc libenti animo pro Regis commodo, bonoq; profundam. Quæ propterea officia erga Proregem cum meæ quoque exiſtimationis, dignitatiſque iactura obiuerim, vt illum ad ſaniora conſilia mitiùs agendo compellerem, vos non latet: ille tamen Regis, officijq; ſui, & fortis oblitus omnes vias ſepſit, omnes aditus interclufit, ne mihi vllus ad præturam pateret acceſſus; in me interim omnium malorum, quibus premitur ciuitas, ingerit culpam: hac inani, falſaque publici commodi ſui deſiderij ſpecie fidem ſuam Regi probat, meam labefactare contendit: ſed vos omnium veraces, fidiq; teſtes, meaque cōſcientia tutū aduerſus omnem calumniam munitis; nec mihi verendum eſt ne machinamentis huiuſmodi ipſa Regis prudentia, ſolertiaq; expugnetur. Quod ſi ad interitum Reſpublica ruet, cuius adminiſtrationem adire prohibeor; nulli mihi ſanè culpæ vertendum erit. Vis me ab ineunda præfectura arcet. Cum Prorege milites, factioſi, multitudoq; facit; pauci admodum nobiſcum ſentiunt. Hìc ego prope exul, atque adcò in cuſtodia detineor ſi certa, expeditaq; rei benè gerendæ ratio mihi ſubijcietur (nam tentare aliquid ſine firma boni exitus ſpe pernicioſum prorſus exiſtimo) omnia fixum meæ inſidet menti mala experiri potius, quàm hìc diutiùs eſſe, alienaſque miſerias ſegniter intueri. Vos oro, atque obteſtor pro veſtra erga Regem fide, vt omnia in hanc rem conſilia, vires, curaſq; conferatis, quò communis ſalus, meaq; dignitas aſſeratur. Veſtræ fidei labori, induſtriæ Regni ſalus, vrbiſque incolumitas à Rege vobis accepta referetur.

Nobilium conſilium.

Viri Primarij claritas, diuturnus rerum vſus, exactaq; prudentia fidem præſtruxerant orationi. Varijs dictis ab vnoquoque ſententijs, in eam tandem conuenere, vt accitis magiſtratibus Borgiæ preturę poſſeſſio in ipſa Prochyta inſula, quàm occultiſſimè traderetur, eique proceres, & Senatus dicerent ſacramentum. Hic inſolitus tradendę Proregi preturę adminiſtrationis mos, cuius nullum extaret exemplum, omnibus curam inieceerat; ſed hoc quoq; vitandi tumultus, fugiendęque ſeditionis neceſſitas excuſabat. Deferendę preturę poſſeſſionis conſuetudine, quantum fieri poſſet, ſeruata, reliqua ad vota facile proceſſura. Illi Neapolim regreſſi, & re cum collegis, amicis, præcipuè cum Biſſiniani Principe, atq; adcò cum ipſis magiſtratibus communicata, probataq; omnium conſenſu, occupatis etiam quorundam Centurionum, arciumque præfectorum animis, quos ſeu recti amor, ſeu Proregis odium in partes trahebat: vt ſatis pro temporis anguſtijs conſultum eſt, quid in hac rerum difficultate agendum eſſet, Carolus Grimaldus, alijq; regentium; quorum id mu ıeris intererat, condicta hora, varijs ſuæ profectioni titulis prætextis, in Inſulam

Nobiles Cardinalē conueniunt.

ſulam conuenerunt. Conſtantius Neapoli ſubſtitit, ſuam tamen collegis ſententiam ſcripto teſtatus, ſpecie quidem, ne tanti viri ab vrbe diſceſſus deſtinati ſuſpicionem iniiceret; reuera tamen, vt quemcumque exitum res ſortitura eſſet, parem apud vtroſque gratiam mereretur. Ibi omnibus vna coactis regium diploma profertur, quo Borgiæ Neapolitani regni præfectura, ac regimen tradebatur. Nec mora perfecto celeriter negotio, Proregis authoritas, & dignitas in Cardinalem transfertur. Huius rei quamquam in arcano peractæ, inditium tamen ad Proregem tum maximè ſuſpicacem, omnia ſolicito animo curioſè rimantem manauit; qui obuiam maturè eundum, feſtinandumque ratus omnes cuiuſque fori Decuriones Genuini domum acciri iubet: atq; in eo populari conuentu tranſactum communi ſententia eſt; vt Cardinalis Regni præfectura excluderetur: pleriſq; rei indignitate, atque iniquitate ſuam negantibus operam, deterrimi quiq; ſuffecti. Ex eo terrore, conſternationeq; tota vrbe concuſſa, direptionis, incendiorumq; metu omnium animis occupatis, nõnumquã clamore ſublato ad arma concurſum eſt: plures fuga, alij latebris ſaluti ſuæ periclitanti conſuluere. Augebant terrorem atra cęlo obducta nubila. Nonis præcipuè Iunij vltimum ijs terris excidium minatia. Cęlum malignè per eos fulſerat dies; ſed tum adeò tenebricoſum inhorruit, vt aeri nocturna ferè offuſa caligo prorſus diem abſtulerit. Crebris tonitruis, & fulgetris cęlum dehiſcere videbatur. Horribilis erat omnium rerum facies. Decius Cardinalis Caraffa Neapolis Archiepiſcopus ad auertendas cęleſtes iras Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum proponi in omnibus templis ad adorandum iuſſit; ſupplicationibus furente armata multitudine ſatiùs abſtinendum ratus interim Agrigenti Antiſtes nomine Brauus, atq; ipſe Conſtãtius à Prorege legati ad Cardinalem miſſi oratum, vt tantiſper ſubſiſteret, aduentumq; differret, donec tabellarij cum Regis reſponſis, ab Hiſpania redirent. Erant cum Cardinali Borgia viri Primarij conſilij, de quo diximus, authores. Hi feſtinandum vel cum periculo, tentandumq; aliquid rati perficiendi deſtinati huiuſmodi rationem inierunt. Cardinalis Borgiæ venatum per inſulam progredi ſimularet; vbi longiùs ab Aualorum ædibus, in quibus habitauerat, prouectus fuiſſet, de recta in cuiuſdam agreſtis domum tãquam neceſſitate compulſus deflecteret, ſellaque geſtatoria, ſe ædibus inferri iuberet; duobus tantum fidis domeſticis arcani conſcijs ſecum retentis, reliquos omnes ablegãret. Ipſe depoſita purpura Didaci Saiauedri alterius ex domeſticis veſtes indueret, pulloq; amictu priuatum hominem mentitus, alteri, cui Nantoiæ cognomen, iniecta purpura, à geſtatoribus non agnitus ſella ijſdem pro ipſo Cardinali Aualorum ædibus inferretur. Ita propemodum ex ſententia acta ſunt omnia. Brauus Antiſtes, & Conſtantius, qui ad Cardinalem Proregis legati lintribus aduecti Inſulæ litori appulerant; eius cubiculi foribus aſſidebant illum opperientes, vbi quem putabant Cardinalem tanto ſilentio ædibus illatum viderunt, rem admirati, admitti ad eius

Cardinali Regni præfectura defertur.

Proregis vana conſilia.

Rerum omnium horribilis facies.

Cardinalis ſagax conſilium.

Legati à Prorege ad Borgiã mittuntur.

Digitized by Google

eius alloquium poſtularunt; cubicularij varia cauſati, clauſis cubiculi foribus adſtantes, neminem ſe poſſe ad Cardinalem admittere responderunt. Illi nequicquam plures horas in procoetio morati ad veſperam Neapolim regredi deſtinarant; verùm ſublatis pontibus, intercluſiſq; omnibus vijs, in Inſula eam noctem agere compulſi ſunt. Nam capite ſanxerat Cardinalis, neque Inſula abire domeſtici paterentur multa ira fremente Conſtantio, atq; acerbiſſimè querente, *vim ſibi immerenti afferri; non poſſe ſe à Cardinali quamquam Proreye in cuſtodia haberi, nemini in ſe regium Senatorem ius eſſe, niſi ipſi regio purpuratorum conſilio in Hiſpania ſedenti*, aliaq; huiuſmodi ira concitus exclamabat. Sed quia nulla reſponſa referebantur, aleina menſa inuitus exceptus, alienæ quoq; domi indignatione præferuidus pernoctauit. Verùm mox eius ira deſedit, re tota ex ordine cognita. Borgia interea ſecundo maris æſtu ad vicina Neapoli litora expeditis lintribus aduectus ſub ingruentis noctis tenebras in litus deſcendit.

Cardinalis Neapolim tendit.

Aderant Principes viri, quorum fidei ſua exiſtimatione, ac ſalute commiſſa audacter, & fidenter ſe in medios rerum turbines proruebat. Duæ bigæ ibi in expedito erant, altera Principis Biſſiniani, altera meritoria. Hanc ſpecie vilem, & quaſi vehendis tantùm ſarcinis deſtinatam aſcendit, rectaq; Pauſylipi via, compoſita iam cum arcis Pręfecto re, in caſtellum nouum ingreditur: idq; ſtatim Sancti Hermetis, Megariſq; arcium pręfectis iam rei conſcijs nuntiatum eſt; ſimulq; condictum, vt in primam poſteri diei lucem Cardinalis aduentus tormentorum fragoribus ciuibus ſignificaretur. Didacus Sarmientus, qui Hiſpanicæ militiæ imperabat, & Octauianus Loffedus Italorum cohortium Præfectus totius conſilij participes eadem nocte copias omnes in Borgiæ fidem, tanquam mox acceſſuri concedere compulerunt. Hæc omnia ignaro Prorege quamquam per-

Proregis decepti ira.

ſpicaciſſimi iudicij tranſacta. Vbi Auroræ primus candor illuxit, arces omnes feſtis tormentorum tonitruis militaribus acclamationibus, tympanorumq; fragoribus Cardinalis aduentum aperuere. Prorex rei nouitate attonitus, impoſq; ſui tantùm non in furorem actus, conſternatuſque inſanijt. Verùm nihil impatientiùs ferebat, quàm quod ſibi militi, expertoq; rerum, ſagaci à Sacerdote illuſum, ludibrioq; habitus fuiſſet. His curis anxium, æſtuantemq; Sarmientus Borgiæ iuſſu conuenit, redditſque Cardinalis literis, docuit illum ineundæ clanculum vrbis cepiſſe conſilium; quòd eo diſceſſum Neapoli in Hiſpaniam parante, differenteq; profectionem, non è Regis obſequio viſum eſſet, vrbem tanto rerum turbine iactatam ſine moderatore relinquere. Vulgata re, ſummis laudibus Cardi-

Ciuium de Cardinalis aduentu lætitia.

nalis in cęlum ferri, ciues mœrore, metuq; depoſito, exuto deformi iuſtitio, ad ſolita negotia obeunda ædibus exire, frequentare fora, officinas aperire; & quaſi procelloſo nimbo diflato, ſolitæ tranquillitati omnia reſtitui. Ingreſſo in vrbem Cardinali, Geminus, & Coſta cum reliqua ſatellitum, ſicariorumq; turba clam ex vrbe dilapſi alij aliò conceſſere. Quorum trepida ab vrbe fuga magnam Vrſonis Duci affectati regni ſuſpicionem

tionem conflauit. Genuinus nunquam apparuit. Coſta ſeueris contra ſuperiorum authores malorum edictis agitatus ſuperueniente lictorum manu, in Attellano agro acerrimè dimicans vulneratur, & capitur. Ingens pecuniæ, armorumq; modus domi eius inuentus. Quæ de perduellionis ſcelere quæſtioni ſubiectus faſſus eſt, adhuc incomperta ſunt: mox ex vulneribus expirauit. In eius, Genuiniq; ſatellites paſſim animaduerſum; quæ perduellionis criminis ſpeciem præferebant, omnia integra Regis arbitrio, iudicioq; reſeruata. Cæterum Cardinalis Ducem liberaliter habuit, neq; eum Regia exturbare ſuſtinuit; quin etiam illi cum prætorianis cohortibus in publicum prodire indulſit. Dux ſe quacunque ratione, factumq; purgare apud Regem, conſiliumq; conatus eſt; multumq; eius affines, & amici eius crimina eleuabant. Poſtridie quàm hæc acta ſunt, Tabellarius ex Hiſpania regreſſus regias litteras attulit; quibus Duci ad Octobrem vſq; menſem prorogabatur Imperium. Verum ille paucis poſt diebus relicta tanquam ſuæ creditoribus fidei pignote vxore; Neapoli diſceſſit, & ſex triremibus Octauio Aragonio ſupremo nauarcho Italię oram celeriter præteruectus Hiſpaniȩ litoribus appulit; in vicinis tamen ſubſtitit pagis, donec quæ in regio conuentu hac ſuper re ſancitum fuiſſet, agnoſceret, conſilium è renata capturus. Inde mox, ſeu conſcientiæ fiducia, ſeu amicorum pollicitationibus confirmatus ad aulam proceſſit, vbi perduellionis reus actus è vinculis cauſam dixit; quorum etiam diuturno ſqualore maceratus anima chriſtiano ritu ſumma pietate procurata nimio mœrore dicitur extabuiſſe.

Digitized by Google

VOLTVRENÆ REBELLIO

NARRATIO QVARTA.

POpulorum arbitrio precariò regnare Principes, & impotentibus dominantium imperijs acerbatos, aſperatoſque vectigalium animos inuiſæ iugum ſeruitutis exuere, durèque nimis, atq; auarè habitas prouincias ſuis Reges ſceptris euertere, non ſatis modò, ſed ſuper etiam innumera experimenta docuerunt. Exacti Roma procerum conſpiratione Tarquinij, & vna cum illis omnino Regiæ potentia Maieſtatis excuſſa, confoſſi coniurantibus purpuratis Perſarum Tyranni, pulſus regno in litterarum ludum Dyoniſius, & tot Romani Imperatores horrenda ſæuitiæ, feritatis, libidinis portenta, alij ex alijs à primatibus, vel militibus iugulati, crebri allati è toto Chriſtiano orbe nuntij, vel diù aſſuetas ſeruitij frenis, tumidas, contumaceſq; gentium ceruices à diutiſſimè lato reſilijſſe iugo, apertè declarant, neminem poſſe inuitis populis Principem dominari, nec dare ſuum imperium aſpernantibus iura. Indidit ſanè Regibus Deus ad eorum venerationem populis exprimendam, neſcio quid arcanæ maieſtatis humano faſtigio maius; ſed niſi, cum ſedent vitæ mortalium, neciſque arbitri in regiam fortunam clementiam, lenitatemq; proferant, facilè ab illo ſolio vectigalibus rebellantibus deturbantur. Verum nihil potentiùs populos à ſuorum Regum diuellit obſequio; nihil fœdiùs regna, ac prouincias euertit, quàm diuerſæ Religionis cultus, contrariaq; ſacra; ſicuti nihil ex aduerſo popularium animos arctiori nexu conſtringit, quàm communis operandi ritus, eædemq; aræ: quaſi pietas rerum humanarum vinculum ſit, quo ſimul populorum animi conglobantur. Lacerata ad ſupremum exitium Gallia, aſſiduis bellis exciſa Germania, fœdatum diuturnis cladibus Belgium, atq; alia Prouinciarum buſta. Principibus Catholicis documento ſunt, non aliam, ab ea, quam ipſi profitentur, Religionem catholicam in ſuis ditionibus tolerandam, atq; hæreſes omnium bellorum, calamitatum, rebellionumque fontes funditus eruendas. Vidimus paucis ante annis Volturenam ſuorum incolarum cruore magis, quàm interfluentis Abduæ fluctibus redundaſſe. Furialibus armata facibus hæreſis eas cędes, & ſtrages, Caſtellorum, villarumq; ruinas promiſcuè in omnem ætatem, & ſexum bacchata edidit; quod frequentibus contumelijs, & iniurijs Catholicorum pectora in ſui exitium iuſta ira indignationeq; inflammauit. In exiguo anguſtæ vallis ſpatio, paruoque ambitu feritas paria regnorum, quæ bello quatiuntur, calamitatibus auſa eſt. Hi arduis montium iugis clauſæ velut in arena feræ, mutuis ſe morſibus lancinarunt. Nec ſatis fuit ſuorum vallem indigenarum ſanguine maduiſſe; eò enim aliorum quoq; principum arma bellantium fragor acciuit, qui in partium ſtudia ſciſſi; dum pro alteris ſtant, ſeq; pugnan-

Hæreſis omnium populorum calamitatũ radix.

Digitized by Google

gnantibus adglomerant, ab exigua rebellantium contumacia maius opinione bellum exarſit, cuius expectatio exitus ob ingentia maximarum rerum momenta, quæ ſecum victoria ferebat, præcipuorum Chriſtiani orbis Principum non tam vires in ſe, quàm animos, oculoſq; conuertit: tantumq; non ab eo vix noto Italiæ angulo effuſus belli turbo Inſubres, cæteraq; vicina concuſſit: qui tamen intra illas rupes, & cautes præliantium tantum cęde detonuit: quæ p ugnis, leuibuſq; prælijs frequentibus mira, & euentuũ varietate conſpicua, lectu quoq; iucunda arbitror fore, ſi minutim, vt acta ſunt, ſingula proſequemur.

Rhetica gẽtis ingeniũ. Ouid. de Triſtibus.

Rheti, ferox, & agreſte hominum genus, vt plerumq; ſunt Alpium accolæ locorum aſperitatem ſequente eorum ingenio, quondam etiam Romanis formidandi, Rhetica nunc præbẽt, Thraciaq; arma metũ, populari ſe regimine moderãtur; quòd Gręci Democratiã vocãt. Diuites, & tenues nullo diſcrimine comitia, magiſtratuſq; obeunt, feruntq; ſuffragia: prędident tamẽ ampliori poteſtate Reipublicæ Optimates, & Senatores; qui in ordinem ad populariũ arbitriũ rediguntur. Exulant illa inuiſa nobiliũ, obſcurorũq; nomina, ſed omnes familiæ eodem habentur loco: cum firmiſſimũ publicæ libertatis fundamentũ ſit populariũ æqualitas, immo hoc excubãt diligẽter, vt magiſtratus mediocris fortunæ ciuibus deferantur, præteritis potẽtioribus, qui clientelis, cognationibus, diuitiarũq; ſplendore cæteris antecellunt; ne ſuis opibus freti, vel opprimant libertatem, vel tenuiores ſuperbo faſtu deſpiciant. Vniuerſi colũt Alpes, quę Italiã à Germania, & ab Heluetijs obſepiũt: ſterili vtplurimũ ſolo, maior vbertas, & feracitas vallibus, quarũ fructibus vtcũq; alũtur. Generoſo vino affluit, quo ſummopere delectatus eſt Cæſar Auguſtus. Ducenta, & triginta paſſuum millia tota regio ambit nobilibus pagis, vicíſq; frequens. Mirum in modum ſoboleſcunt, vt cũ regionis anguſtiæ multitudinem capere nequeant, alijs terrarum oris ſuperfundant.

Eius ratio regiminis.

Rhetorũ mores.

In tres Pagos diſcedit vniuerſum Rheticum nomen, ex quibus Senatores, & Optimates promiſcuæ conditionis aſſumuntur: qui ad octoginta Curiæ gentis Principe vrbe reſideãt: populariũq; cauſas cognoſcant; & Reipublicæ ſalutaria decernant. In maioribus verò trepidationibus rerum, cũ agitur publica ſalus, magnum conſilium cogitur, in quod maior confluit multitudo: ibi ſuprema Reipublicæ authoritas dominatur; ibi fędera, bella, pax, & maxima rerum momenta communibus ſuffragijs ſanciuntur. Turbę maior pars tenuis, magiſtratuum cõpendijs alitur. In alias quoq; terras extra Rheticos fines eius gentis dominatus excurrit. Vallem Clauennã, & Volturenã veluti ſupremi Principes moderantur; cuius indigenæ cũ ſuperba, auara, iniqua Rhetorũ imperia amplius pati nõ poſſẽt, præſertim cũ catholica ſacra, Religionẽq; auitã conuellere niterẽtur; cõiuratione facta, in cõmunẽ ſalutem conſpirantibus animis rebellarunt: ex quo maxima bella concitis eò Chriſtianorum Principũ armis, oborta toti Italiæ terrori fuere, ne clauſa inter Alpinas cautes ad ſuam perniciem ex illis anguſtijs erumperent.

Volturenæ deſcriptio.

Volturena exigui ſanè telluris ſpatij, atq; ambitus, ſed fertilitatis eximiæ, amæniq;

amæniq; ſitus vallis quondam Inſubrum Ducum imperio ſubiecta, à Martino Vicecomite ex eorumdem Principum genere Curiæ Epiſcopis vna cum Valle Clauenna, & Bormij comitatu dono data; cuius cauſa cum Mediolanenſibus Ducibus diuturna bella geſſerunt: quamuis hoſtium potentia prohibiti ea munera aſſequi, poſſidereque fuiſſent. Extincto poſtea cum Ludouico in Galliam captiuo abducto, penitus Sfortiano nomine, Galliſq; fuſo ad Ticinum ab Hiſpanicis copijs eorum exercitu, captoq; Rege Franciſco, tota Italia exactis, Curienſis Epiſcopus hoſtium excidium ſui vſurpati muneris repetendi occaſionem ratus ſociatis cum Rhetorum agminibus armis, in Volturenam, Clauennamque vallem magno belli impetu decurrit, ijſque nemine ferè obſiſtente potitus à Gallis quoque Regibus ad præteritorum nomina ſtipendiorum expedienda conceſſam pluribus annis nullo poſſeſſionem turbante, obtinuit. Magiſtratus, Iudices incolis præficiebat; à quibus mille aureorum annuum vectigal Rhetis ex fędere pendebatur, qui vſurpato vallis dominatu, Curienſem Antiſtitē eius poſſeſſione euerterant, donec Volturenenſes dominis quotidie iniquiora extorquentibus aſperati, ex occaſione Rheticæ Reipublicæ diſſidiorum accitis in ſuum ſubſidium Hiſpanis, à tam crudeli imperio deſciſcentes, ſe in libertatem aſſeruerunt.

Volturenæ calamitatũ cauſa.

Duæ præcipuæ factiones tunc in Rhetia ſibi inuicem aduerſabantur. Altera Catholica Rodulpho Planta illuſtri opibus, potentia, affinitatibus populari Hiſpanorum ope ſubnixo: altera ex Caluiniſtarum colluuie conflata Hercule Saliceo Senatorum præcipuo, & aſſeclarum multitudine, & Rhetorum ſtudijs præualido præfecto: moderata tamen, atq; intra verba tantũ feruens partium ante cõtentio hoc anno exijt in acerba diſſidia. Prima potentiores, ditioreſq; fulciente, altera tenuioribus obſequente: quòd cuiuſdã magiſtratus duo candidati fratres Auguſtinus, & Ioãnes Antonius Trauerſij, quorum alterum Rodulphus Planta, alterum Saliceus promouebat; à ciuil s ambitus, prehenſationiſq; certamine ad arma ruiſſent: quibus Planta ſuperior, & victor competitore campo cedere compulſo, ſuum aſſeclam ad id muneris extuliſſet. Quo exemplo in alijs quoq; comitijs in magiſtratuum creatione maiora exarſere diſſidia, gliſcentibus vtrinq; odijs, & rixis. Nam cum à multitudine competentium officijs, atq; ambitu eblandita ſuffragia magiſtratus gratioſioribus darent: paſſi repulsã, quaſi illata ſibi iniuria, ira præferuidi tumultus, ſeditioneſq; ciebant.

Caluiniſtæ Catholicis indignantur. Prædicãtes in Catholicos concionibus inuehũtur.

Caluiniſtæ grauiſſima indignatione commoti, quòd Planta, & Catholica pars magno ſuæ factionis dedecore, & detrimento maiorem exiſtimationem, & auctoritatem apud populares adepti omnia pro arbitrio moderarentur: vocatis Saliceæ familiæ primoribus, ſuiſq; factionarijs, & ſectarijs prædicantes in Engedinos ad vicos, & villas legarunt, qui de ſuggeſtu in Plantam, eiuſq; ſocios velut ſeditioſos, & rebelles, ac cum exteris Principibus conſentirent contra publicam libertatem inueherentur, atq; acerbiſſimis cõcionibus in Catholicos multitudinē cõcitarēt. Horũ efficacis authoritatis

ritatis impulſus, quæ apud Hereticos plurima eſt, effecit, vt ſupremum tribunal communi plebiſcito iuberent, quòd illos pari facinori mulcta puniret: multiq; eorum raptis armis ſequuti Prædicantes Cernetium verſus vbi Plãta morabatur, ira conciti properarint; datis interim ad alios vicos querimonijs plenis de Rodulphi prauo in Rempublicam, rebelliq; animo litteris, quibus enixè ſocios orabant, vt ipſi quoq; eum conuentum inirent. Pagorum præſides ſuæ authoritatis interuentu tumultum, ne magis in orientem perniciem Reipublicæ gliſceret, ſedare conati ſunt in Engedinos ipſi profecti: ſed cum multitudinis animos aſperatos magis, quàm putauerant, offendiſſent, neq; precibus, neq; minis, aut vllius authoritatis interceſſu efferatam Iudicantium oratione barbariem mollire, aut, ad ſaniora conſilia vertere potuerunt. Nam quamuis Planta, qui dum de conueniendo cum hoſtibus tranſigebat, ſe intra ædes ſuas, & Vildemberghi turrim vallare, munireq; properabat, ſe quibuſcumq; magiſtratibus ſiſtere, vadimoniũq; promitteret; nihilominus ad arma conſternati nihil Plantæ oblatione leniti ferocibus clamoribus inſtant; vt illicò ſuo ſe tradat arbitrio, comitatq; poteſtati, quòd cum ille facere recuſaret, ne ſe eorum fidei crederet; qui ſui ſanguinis ſitibundi interficiendi acerrimi hoſtis ardore acti eò cõfluxerant; vim parant afferre tectis, excidiumq; omnium terribili voce minantur, ni ſe protinus dedat. Præſides cum furenti multitudini obluctari periculoſum eſſe, iuſtamq; Plantæ petitionem conſpicerent, nullis ſubiectis, Curiam regreſſi Georgium Salutium, & Stephanum Gabrielem conſpicuæ apud populares authoritatis in Engedinos miſerunt, qui turbam illam tumultuantem, & barbarè inſanientem mitibus alloquijs delinitam ad conuentum Curiæ indictum inuitarent; ea mente, vt cum duo concilia ſibi inuicem aduerſantia agerentur, alterum conſternatæ multitudinis Curienſi maioris authoritatis, & dignitatis honore habito cederet. Verũ prudenter deſtinata furentis multitudinis peruicacia ſubuertit, quæ ſpretis ſalutaria ſuadentium grauiorum Senatorum monitis, iam Cernetium rapido curſu p rouecta, Plantæ ædibus circumfuſa acerbiſſima quæque, ni ſe ſubito dederet, intentabat. Monebant illum domeſtici, familiareſque ſui, vt ab eo minacis periculo turbæ declinans feſtinaret in tutum: ille tamen aut tantam ſuorum popularium non veritus audaciam; aut ſe viribus firmum, atq; ad repugnandum ſatis munitum ratus ibidem perſiſtere auſus eſt: tantumque non ſuorum hoſtium violentia oppreſſus interijt. Elatis vocibus Caluiniſtarum lymphata rabie turba, dum fores perfringere parat, proditorem illum, patriæ hoſtem identidem inclamabat; adeſſe tempus, quo latrocinia, ſcelera, proditiones, illata pauperibus damna ſuo capite lueret. Quibus minis territus Rodulphus eò fortaſſe magis, quòd à ſuorum pluribus deſertus præſentem formidantibus necem grauiſſimo vitæ diſcrimine vrgeretur: paucis comitibus domo per poſticum egreſſus conſcenſo ſine calcaribus, ſine pileo equo, terrore mentem auferente, ſe celeri curſu in Valderam montem abripuit; vnde mox

Planta ab Hereticis obſidetur.

Heretica multitudinis furor.

in Germaniam ſuorum hoſtium ſe ad necem quærentium vota elapſus eluſit. Proſtratis impacta trabe foribus domus, momento direpta ſupellex, & in rem domeſticam furentium rabies effuſa, quando in dominum ſæuire feſtina illius fuga prohibuit. Prædicantes tumultus præcipui authores propero ad potiora diſcurſu ſcripturas omnes diligentiſſimè conquiſitas abripiunt; quibus poſtea plures ſuos aduerſarios reos agere apud Iudices, perduellioniſq; deprehenſos damnare potuerunt. Nihil horum authoritate fuit ad irritandam multitudinem efficacius: quod apud plebem religionis veneratione plurimum poſſent, & eloquentia maledictis, conuiciiſque in Catholicos redundante populo acceptiſſimi facilè quæcumque libuiſſent, pietatis obtentu imperitæ multitudini ſuadebant, quæ ad illorum nutum, & arbitrium circumacta impijs concionibus doctrinæ rudis applaudit. Hæc potiſſimum inſtabant prædicantes fulciendam, promouendamq; & augendam totis viribus reformatam Religionem,& Catholicam deprimendam. Patres Ieſuitas in exilium eijciendos eſſe, totaq; Rhetia deturbandos, velut publicæ quietis oſores, & libertatis Reipublicæ hoſtes acerrimos: prohibendos eſſe Rhetos, ne in Romani Pontificis, exterorumq; Regum fidem concederent, aut annuas penſiones ab ijs acciperent. Diuitum, & opulentiorum, optimatum que Hiſpano Regi obſequentium ſternendam potentiam. Æquandam pauperum, diuitumque fortunam, quibus ſicuti par erat, ferendi ſuffragia facultas; ita quoq; par dignitas eſſet, & ad magiſtratus, & publicos honores eadem pateret via; paucorum potentiorum regimen tolleretur; quaſi plurium rudium agreſtium inſaniens turba melius, rectiuſq; imperatura foret.

Prædicantium apud populos authoritas.

His conſtitutis ſeditioſi Toſanam vno agmine conuenerunt, quo etiam Ioannes Zambra Senator illuſtris, & Nicolaus Ruſca Iondrij Archipreſbyter, alijq; plures ducti captiui nouo dicto Senatu, poſitiſque Iudicibus quæſtioni ſubijciuntur. Primum omnium decernunt, vt fœdus cum Veneta Republica renouarent; liceret cuique ſuis ritibus operari, liberque eſſet cuiuſcumque Religionis cultus: populares exteris Principibus annuas penſiones remitterent, grauiq; pœna ſancitum eſt, vt in poſterum nullus cum ijs iniuſſu Reipublicæ quicquam ageret. Nemo Principum legatorum perpetuas in Rhetia ſedes, & domicilia haberet: & Iacobo Iodeco Iudicum præſide renuntiato, cui duo, & viginti Primores, tres Cancellarij, & nouem prædicantes aſſiderent: de contrariæ ſectæ hominum criminibus ex legum præſcripto inquirere inſtiterunt.

Varia Rhetici ſenatus decreta.

Primus omnium damnatus Zambra ſeptuaginta annorum ætate longæuus podagra mulctatus membris, qui vt in patriæ proditorem dicta ſententia eſt, vt viuus cæderetur in fruſta præter bona ipſius fiſco addicta, ædiumq; ruinam; quamuis multorum precibus mitiùs in eum animaduerſum ſciſſis tantum ſecuri ceruicibus. Obiecta crimina fuere pecuniam ab Hiſpanis, & Gallis accepiſſe; legatum Mediolanum a Republica miſſum, vt arcis Comitis Fontium ſtructuram impediret, ad Senatum retuliſſe,

Iudicia in plures catholicos exercita.

Produ-

Producem nequaquam ceptum opus proſequuturum; neque in eo loco, in quo arcis fuerant poſita fundamenta, neque cęmenta, neque lateres ad eam perficiendam humi iacere; quibus nuntiatis milites Rheti, qui illum montem verſus ad eam armis interpellandam, diruendamq; properabant, ad ſuas ſedes iterum rediere: quaſi nullo certamine opus eſſet, vt illud propugnaculum tolleretur. Hiſpanis interim ad faſtigium educendæ per otium arcis ſpatium fuit. Dicitur ſenex acerbiſſimæ ſubiectus quæſtioni crimina infracto animo tacuiſſe; ſed filiarum ſuarum magiſtræ compoſitus præſentia mulieris, & criminationibus conuictus omnia confeſſus; cum enim quædā earum ad ſuam præceptricem domi inuentam epiſtolam ad rempublicam ſpectantia continentem attuliſſet; hæc quamuis centum aureorum remiſſo nomine, Zambræ vxori litteras reddidiſſet; nihilominus fœminæ ſordibus indignata, quod accepta epiſtola, ſuos aureos auarè nimis, inurbaneq; repetiuerit; Iudicibus rem totam irata retexit; epiſtolæ exhibito exemplari, quàm Ioſaphat vir ſuus curioſiùs exſcripſerat. Egregium certè omnibus documentum, quanam ratione res magni momenti agendæ ſint; eorumq; beneuolentiam perpetuis meritis retinendam, quos vel caſu, aut ſponte noſtrorum arcanorum ſecimus çonſcios. Ad ſupplicium cum ſe affatim vini largioribus hauſtibus proluiſſet, benèque epulatus tendebat identidem clamitans, ſe non eſſe Reipublicæ peſſimum ciuem; ſed ſanè infęliciſſimum, ad futuros propediem ſuæ necis vltores, cum perditiſſimus ille Geuaſius, eiuſq; nefarij aſſeclæ illum diem vidiſſent, quo veterum ſuorum ſcelerum, inſidiarumq; molitionum ſupplicia expendiſſent. Poſt Zambram Pompeo Plantæ, & Rodulpho eius fratri aqua, & igni interdictum, horribilis necis pœna eis ſtatuta, ſi in iudicum poteſtatem venirent, vt viui in quatuor fruſta ſecuribus ſcinderentur. Summa eorum criminum fuit, cum exteris Regibus in perniciem Reipublicæ arcanis tranſactionibus conueniſſe. Pari ſæuitia, iraq; in Antonium Ioerium actum eſt, inſimulatum à Mediolani Præſide obtinuiſſe decretum; quo Inſubres cum Rhetis commercia habere vetabantur, maligno conſilio, vt inter Rheticos pagos diſſidia ſereret. Falſumque propoſuiſſe edictum; quo omnes Rheti iubebantur interfici, qui ad Venetorum ſtipendia merenda tranſiſſent. Eadem iudicij ſeueritate proſcripti, Lucius à Monte, Antonius Riconella, Andreas Geuius, & Theodoſius de Propoſitis omnes, & opibus, & potentia inter populares, clientelis, & affinitatibus conſpicui Senatores, habitæ cum exteris Principibus conſuetudinis poſtulati, delati quoq; in Rempublicam inſidiarum, quod regimen populare conuellere tentaſſent, illudq; ad paucos præpotentes, & diuites Hiſpanorum ope transferre. Inuiſos illos tenui turbæ diuitiarum affluentia faciebat, & tumidus faſtus, inceſſuſq; ſuperbus, & pauperum contemptus illis conflabat inuidiam; qui quamquam deſpicatiſſimæ ſortis, egentes, horriduli, eundem tamen ſibi honorem haberi, & obſequijs, & ſalutationibus coli graui paſſu effuſo ſpectantium riſu cupiebant. Ambitioſæ certamina di-

Arx à Comite Fontiū ad Rheticis fines extruitur.

Politicum documentū

Alijs aqua & igni interdicitur.

Rhetorum popularium ridēda ambitio.

gnationis Rhetos populares eò egerunt inſaniæ, nimiaq; partium ſtudia ciuilium ita in obliquum rapuere, vt quo alijs excellerent, vel à ſociorum ſe impotentia, contumeliaq; tuerentur, propria patria nefariè prodita, ſuas familias inſani perdiderint.

Franciſcus Pallauicinus inter optimates inſignis nihil eius iudicij rigore territus ad conuentum profectus flagitauit, vt ſibi patrono liceret Antonij Mariæ ſui filij cauſam dicere; quod cum Notarij facere recuſarent, & ille efficacioribus precibus vrgeret, inſtaretq; vt ſinerent ſuum filium ex naturæ lege, paternoq; iure tueri, eum ipſum exploratores perduellionis criminis, homicidijque deferunt; quo à lictoribus raptus in vincula, quamuis ſeptuaginta natus annos ſenili ætate, infirmaque valetudine poterat ad miſericordiam Iudicum animos commouere, ne ad exprimendam rei veritatem torqueretur; tamen ea barbaries præſentis viri graui aſpectu nihil affecta, tormentorum illum vim pati coegit; ſubdito pedibus igne, & fidiculis torculo conſtrictis manibus, in quibus cruciatibus partim obiecta crimina negando, partim memoriæ defectum cauſando gratia ei vitæ facta mille quingentis aureis mulctatus eſt. Blaſio Plantæ plurium homicidiorum criminum, agitatique conſilij omnes trucidandi Proteſtantes, dum Tillij ad concionem conuenirent, arceſſito ſecuri caput abſciſſum. Ioſephus quoq; Regnarus veluti perduellionum, ſeditionumq; conſcius eodem ſupplicij genere conſumptus eſt. Nec Danieli Plantæ, & Auguſtino Trauetſio, Frãciſcoq; Schenardo multorũ gratia, quã illi ſolicitis obſequijs, & officijs demeriti erant; quicquam ſuffragata eſt, quin omnes cum pluribus alijs eorumdem criminum reis in exilium pellerentur.

Eorum barbara ſæuitia.

Verum ſontes æquis iudicijs occiderint, iuſtas de noxijs ſumpſerint pœnas, nocentiores ciues in exilium eiecerint, non improbandi, quamuis id priuata authoritate, inuitis Curiæ primatibus egerint: at in Religioſos viros integræ vitę, & conſpicuę probitatis, innocentię, morum cãdoris, famę, diuerſæ tantum Religionis odio barbarorum more ſæuire, hoc enim vero omni eius iudicij æquitate fędata acta iudicũ labefecit. Eadem diri iudicij ſæuitia in Nicolaũ Ruſcã Sondrij Archipresbyterũ virum ætate graué infirmæ habitudinis, & intaminatæ vitæ exercita eſt: de quo adeò crudelẽ quæſtioné Iudices habuere, vt vinctis poſt terga manibus, fune in ſublime ſuſpẽſus alligatis ad pedes ſaxorũ ponderibus, inter horribiles cruciatus expirauerit. Tales de Caluini ſchola prodeunt iudices religioſæ probitatis carnifices, antequã tortores, nec enim impietas efferata miſerationẽ patitur ſociam, hæreſi omnẽ humanitatẽ exuente. Arguebatur, quòd Volturenæ indigenis ſuaſiſſet, vt Reipublicæ excuſſo iugo, ſe Hiſpani Regis fidei cõmitterent; quòd prauis ſtudijs ſibi incolarum obſeruantiã, beneuolentiã, authoritatẽq; in illos demeruiſſet, quorum tamen criminũ nullã ei cõfeſſionẽ vis tormentorũ extorſit. Eò temeritatis prouecta eſt iſtorũ audacia, vt Ioanẽ quoq; Flugiũ Curiæ Epiſcopũ Imperij Principẽ nullo tãtæ dignitati habito honore, epiſcopatu mulctatũ, publicatis eius bonis, perpetuo è tota Rhetia exilio

Rheti Hæretici in Religioſos Viros ſæuiunt.

Coira.

In Curia quoq; Antiſtitem ſæuiunt Hæretici.

exilio damnarint, quòd cum Hiſpanis, Romanoque Pontifice conſenſiſſe opulentiorum ſtudioſum, populariq; regimini infenſum eſſe delatores arceſſerint:iuſſis eodem tempore Cathedralis pagi incolis, & Curięſibus Canonicis alium Epiſcopum illi ſufficere.

His diebus ingenti ruina in Plurium ſubiectũ vicũ excelſi mõtis proruta ab imo fundo moles vniuerſa procubuit:quã quia in Germanicis bellis breui in Volturenã excurſu deſcripſimus, hìc eamdẽ repetere ſuperſedemus. *Plurij montis ruina.*

Extorres patria, & profugi partim Mediolanum,partim in Heluetios à iudicum rigore elapſi ab ea Republica,nequicquam Toſanæ conuentus legatis repugnantibus,impetrarunt, vt eorum nomine à tribus pagis efflagitaretur,quo aliud tribunal ex viris non ſuſpectæ, ſinceræq; fidei in loco tuto poneretur; quòd acta Toſanæ Iudicũ expenderet,ſententiaſq; iuſto examine trutinaret,nec diu exules diſtulere,quin in patriam clam regreſſi plurimos tàm proteſtantium,quàm Catholicorum ſui ſtudioſos ſimul cogerẽt Balthaſſaris à Monte,& aliorum primatum ductu, vt de vlciſcendis iniurijs reſtituendiſq; ſuis ſedibus eiectis popularibus in medium conſulerent; qui aliorum ciuium manipulis aucti numero validiores Curiam armati nullo aditu prohibente, ineunt, publicumq; prætoriũ aggreſſi,in quo tunc Senatus de rebus præſentibus cõſultabat,ſibi fores reſerari iubent:quibus apertis,inde Iacobũ Ioderium Toſanæ Tribunalis iudicum præſidẽ, quod iã ſatiata Catholicorũ pęnis iniquitas ſoluerat,per omnes cõtumelias foras obtorto collo trahunt; Engedinoſq; ex vrbe eijciunt, qui paulò poſt conflato ſuorũ tumultuario agmine,Senatus ſubſidio maioribus animis,quã viribus redierunt;vrbe tamẽ excluſi in agro tãdiu ſubſtiterũt,donec aliæ auxiliares cohortes venirent,iãq; hoſtibus pares dum expeditis ad pugnã agminibus mutuo ſe inuicẽ metu formidãt, primatũ interuẽtu de pace his legibus cõuenere. Vt populares omnes carceribus clauſi liberi dimitterentur. Nulli fraudi eſſet ſuã auitã colere religionẽ, patrijſq; ritibus operari Sondrij gymnaſiũ, in quo adoleſcentes Caluiniſtarũ placitis imbuebantur, clauderetur. Fędera cum exteris principibus inita ſeruarentur. Nouũ tribunal inſtitueretur,apud quod agerẽt iniuriarũ iniqua iudicia paſſi. Poſitũ igitur Curiæ Iudicũ tribunal ex primatibus plerũq; Hiſpani nominis ſtudioſis,quorũ ſententia exules in patriã illicò reuocati,atq;in eaſdẽ dignitates, bonaq; reſtituti; & ex aduerſo Engedinis velut ſuperiorum tumultuũ, ſeditionũq; authoribus quatuordecim aureorũ milliũ dicta mulcta,qua pęna illi irritati,alijs hæreticis populis in ſocietatem accitis, ira perciti Igenſium conueniunt; vbi in apertis campis Sarmatarum more nobilium ruſticali habito concilio,plura ad libertatem ſpectantia, vt illis videbantur, ſecuritatemq; Reipublicæ ſtatuerunt.Primũ omniũ vt binis quibuſq;annis creetur cenſorium tribunal, quòd Toſanæ Tribunalis, & Curienſis iudicia iuſta trutina ponderaret: vt nullus ciuis à quoquam extero Principe annuas penſiones poſſet accipere. Nullis Regum legatis perpetua habere in Rhetia domicilia liceret:eodemq;impetu acti Curiam rapido agmine cõuolant,atq; inde

Catholicorũ fuga.

Catholici Curiam armati ingrediuntur.

Catholici,et Hæretici inter ſe pugnaturi.

Pacem ineunt conditiones pacis.

Nouum Tribunal conſtituitur.

Exules in patriam reuocantur.

Rhetorũ decreta.

Galli

Acta noui tribunalis reſcinduntur.

Galli Regis Legatum Guffierem, qui arcanis de cauſis cum Hiſpanis ſua conſilia ſociauerat, pepulerunt; coactis cæteris ciuibus, vt ſuo ſe adderent agmini, ſuaſq; vires animoſq; coniungerent, promitterentq; ſe conuentum Taui habendum adituros. Nec mora eodem impetus ardore magiſtratibus iuſſis Curienſis tribunalis iudices punierunt: omnibus exulibus, vno excepto Rodulpho Planta, alijſq; ſeptem interpoſita fide publica reditum in Patriam conceſſerunt. Dieteganum Artemanum ad Galliæ Regem legarunt; qui etſi Franciſci Baſumpierij Heluetiorum Chiliarchi in eo regno ſtudijs, & opera adiutus, tamen cum Gieffieres de eius gentis petulantia, qua ſecum actum eſſet, Regem præmonuiſſet, inauditus dimiſſus à regia curia eſt. Inter hæc Paulus Quintus Pontifex Maximus decimo octauo Pontificatus ſui anno deceſſit eximiæ ſanè pietatis, probitatiſq; Pontifex, in quo nihil deprehendas, quod vel ipſa malignitas criminetur. Illi Cardinalis Ludouiſius Archiepiſcopus Bononienſis omnium ferè Patrum conſenſu ſuffectus eſt.

Rhetica gētis diſſidia.

Continuis altercationibus, diffidentium, iurgijs, & clamoribus perſtrepebat Taui tribunal Hiſpanorum ſequacibus cum Gallicæ partis ſtudioſis, & Hæreticorum turba, cum Catholicis, potentiorumque magnagnatum cum plebe ingenti tumultu, atq; impatientia rixantibus, ira omnia miſcente, vt in popularibus rebus, quæ nullo capite, & Principe reguntur, fieri ſolet. Erat verò omnino libero populo non ferenda illius tribunalis violenta Iudicum inſolentia, qui præter aliquot capite damatos, plures in exilium exactos, & pecunia mulctatos, ipſam Curiam gentis Principem vrbem inaudita temeritate plectere auſi, ſe inuiſos, peroſos non tam catholicis, quàm ipſis hæreticis indiſcreta ſententiarum petulantia fecerunt. Erat omnibus ſummo terrori illa barbara Iudicum ſeueritas, nullus ſe domi ſua innocentia tutum, nullus ſatis ab ea ſæuitia immunem putabat. Diſcurrebant quaquauerſum lictorum, ſatellitum globi inſontes iuxta, ac ſontes venatum; capitale erat malè de eo tribunali ſentire, aliquid contra Iudices iratius effari: quos profugos latere in ſuis, aut affinium ædibus per exploratores didiciſſent, miſſis eò militibus comprehenſos in vincula duci iubebant. Audaciùs, crudeliùſq; in populares illa Iudicum barbaries furere inſtitiſſet; niſi Galli Regis litteræ minaces allatæ inſanientis conuentus temeritati interceſſiſſent. Quærebatur ille de nouis plebiſcitis, quæ in ſui contemptum, nullo facto Regiæ Maieſtati honore, ſanxiſſent: poſtulabat, vt vulgatum ab ijs diploma expungerent, ac penitus abolerent; illum conuentum popularium tumultus, ſeditioneſque concitantem dimitterent. Quibus de rebus turbantibus ſe inuicem, vt inconditæ multitudinis eſt, & confundentibus Rhetis, quoſdam metu, alios rerum turbine compellente, pluribus pecunia corruptis, ruſticalis ille conuentus, tribunalq; ſolutum eſt omnibus in ſua domicilia dilapſis.

Alterius tribunalis ſeueritas.

Rex Gallus Iudicibus intercedit.

Dum Proteſtantes, Saliceorumq; factionarij cæco acti furore Catholicos, & Hiſpanorum ſtudioſos tam publicis, quàm priuatis iniurijs acerri-

mè

n . inſectantur, Catholici profugi non ceſſabant, ſed in varijs Italorum, Germanorumq; Principum aulis extorres vindictæ ardore incenſi ſoliciti non modo in patriam reditum moliebantur, ſed etiam rationem inibant, Volturenæ ab eo grauiſſimo Rhetici Imperij iugo in libertatem aſſerendæ, cuius iam diu indigenæ cupidi apud Summum Pontificem, Mediolanique Præſidem egerant; vt ſibi rebellantibus auxiliaribus equitum turmis, & peditum cohortibus præſto eſſent: non enim potis eſſe ampliùs Catholicos duriſſimum Hæreticorum dominationis iugum pati: qui ſibi rerum chariſſimis per omnem contumeliam ademptis, vitæ quoque arcanis molitionibus inſidiarentur: duriùs in ſe ab hæreticis conſuli diuerſæ tantum religionis odio: quàm vellent omnino ab ea valle conuellere. Efficaciſſimè omnium apud Summum Antiſtitem Catholicorum cauſam egit. Antonius Maria Pallauicinus, qui ſic dicitur peroraſſe.

Profugi Catholicorum Principum contra Hæreticos opẽ implorant.

Antonij Mariæ Pallauicini oratio ad Summum Pontificem.

Non tolerabilis amplius Rhetici Imperij diritas, duriſſimum Caluiniſtarum dominantium iugum, infenſiſſimæ Catholicis gentis iniquitas, diuturna aſſiduis malis victa patientia nos patria exactos tuis aduoluunt pedibus, Beatiſſime Pater; Cuius enim alius opem, conſilium, authoritatem potentiam ſui ſecurior leuaminis inclamaret hæreticorũ impietate afflicta religio? niſi tuã, qui vt Catholicis Sacris in ſupremo rerum humanarum faſtigio præſides; ita illorum acerrimus vindex veram religionem, & fidem ſumma ope, ac pietate tueris? Filij tui omnium mortalium miſerrimi te adimus, tuum nobis ſupplices poſcimus auxilium; qui Catholicæ fidei in noſtris ſedibus cura ſtudio ſolicitudine patrio ſolo pulſi in alienis terris cogimur exulare nullius omnino criminis rei, niſi quod Catholicæ tenaciſſimi Religionis prauis hæreticorum doctrinis à recto cæli tramite abduci non ſinimus, hoc ſcelus in noſtra damna efferat Rhetos; hoc noſtris dominis nos facit inuiſos, hoc nos exilio, fortunis, vitaque mulctat: neq; tot malis vllum finem factum iri ſpes vlla ſupereſt; niſi deſpicatiſſimæ gentis tyrannidi tua authoritas intercedat; pellaſq; ab Italiæ finibus grauiſſimam peſtem. Sæuiunt in Catholicos crudeliùs in dies, noſtraq; templa impijſſimis Caluini ritibus, ac ſuperſtitione profanant; quòd nos omnium calamitatum moleſtiſſimum acerbiſſime pungit. Iam iam paulatim latius hæreſeon ſerpente veneno, vallem vniuerſam Caluiniſticis placitis imbuerunt, Inſubrum quoque finitima correpturi, niſi fœdiſſimæ peſtis nefarij, veteratoris ſerpigine valida amuleta Catholici Principes obmoliantur. Italiæ præcipua laus, & gloria cenſetur, nullis hæreticorum dogmatum ſordibus inquinari, nulla de Caluini, Lutheriq; cœno infici labe, omnium errorum ſordibus defæcatam in ſuo primo intaminato candore fidem Catholicam religionemque ſeruaſſe; atqui Italiæ limina, & confinia de Caluiniſtica ſchola hauſta inquinamenta defedant; magna ſanè Catholici nominis ignominia; vt vbi Petri ſedes noſtræ Religionis antiſtita imperat, ſacratique ſolij fulgurat maieſtas; ibi abiectiſſima cerdonum manus in ipſius contumeliam audeat hæreticis ſcitis Catholicæ Prouinciæ veſtibulum non corrumpere modò, ſed etiam Catholicos crudeliter, auarèque habendo in ſuos ritus obliquo inpulſu, ſacraq; cogere; quinimmo aſylum, [illegible]iumque effugium religioſis

giosis

gioſis viris noſtræ fidei perduellibus aperire; atq; omnibus obſequijs, amoriſque ſignificationibus amplecti quotquot catholica eiurata fide, cupiunt ſacris Caluiniſticis initiari. Geneua inter Allobroges perditorum ſentina, in quam ex vniuerſa Italia, ſi quæ putreſcunt vlcerum ſanies ſceleſtorum hominum defluit: ferenda equo animo eſt; quòd abſterſa ex cæteris locis hæreſum illuuies, quæ fœdo attactu vicina quæque vitiaret; vel certè virulenta errorum peſte afflaret, in vnum receptaculũ collecta, reliqua integra, atque intemerata relinquat. At in ipſis Italiæ foribus, in ipſo Catholicæ fidei domicilio, Apoſtolicæque religionis ſacrario huiuſmodi nefariorum hominum purgamenta, labeſque deſidere, ibi hæreticorum conuentus haberi, enuntiarique de ſuggeſtibus Caluini, Lutherique falſiſſima dogmata, miſeros Catholicos impotenti hæreticorum dominatu premi, cruciari, angi; hoc enim verò ferendum non eſt. Diuus Carolus quondam clariſſimum ſuperioris ſeculi Antiſtitum iubar. Catholicæ fidei vbique in Italia retinendæ ardoris impulſu, comparato ſuis impenſis exercitu, conatus eſt noſtram patriam hæreticorũ peſte detergere, fæcemque illam extra Catholicæ prouinciæ fines exigere: ſed quonam arcano Dei conſilio, irrito niſu, in cuius pia caſtra è cæleſtibus ſtatiuis affluere debebant beatarum mentiũ armatæ legiones; quò eam vallem ab imani hæreticorum ſeruitio, ac tyrannide vindicare, ſublatoque vicino Apoſtatarum effugio, latibuloque nebulonum, à dilectæ Deo terræ finibus pernitioſæ ſuperſticionis immunditias poſſet eluere. Non tamen pijs votis damnari potuit beatus Antiſtes; quod tibi, credo, hanc potiſſimam laudem, aſſertęque vallis, ac liberatę hæreticorum erroribus prorſus Italiæ ſibi integram Superi reſeruarent; quò excatis, deturbatis, expulſis Italiæ finibus hæreticis præ cæteris Pontificibus glorioſior effulgeas. Nullius fere negotij, laboriſq; erit viliſſimæ gentis è noſtris ceruicibus decuſſo iugo paſtorias montanorũ agreſtiũ manus in ſuas cautes, ac ſaxa retrudere nullarum arcium frænis indigenæ, neque oppida coercentur; aperta, patentiaque ſunt omnia. Vbi Pontificia fulgurare ſigna conſpicient; trepidi in ſuas latebras, antraque fugient. Nos certè quæcumque fortunarum iacturæ, vitęque diſcrimina potius ſubire parati ſumus, quàm ſæuiſſimi hæreticorum imperij amplius iugum ferre. Vltima paſſi carceres, cędes, exilia, bonorum direptionem, quocumq; res cadant, in peius ruere ſanè non poſſumus. Verũ ſicuti nobis aut tota valle tyrannos exigere, aut fortiter mori certis pronum erit vno impetu rebellantibus incautos, atque inopinantes opprimere; ita maximè arduum noſtris tantum viribus partam libertatem tueri, ruentiũque in ſuorum popularium vindictam, vallẽque armis repetentiũ Rhetorum agmina ſuſtinere, Catholicorum tantulam manum furentium multitudine obruente; niſi tua benignitas, & clementia nobis rem longè clariſſimam audentibus expedita militum auxilia ſufficiet. Aderunt quoque ab Inſubribus implorata in hanc rem Hiſpanorum feſtina ſubſidia, cum quibus communicatis defectionis conſilijs, obtinuimus vt nobis tumultum cientibus, paratis ad vallis fauces peditum cohortibus, in vallem immiſſis belli rudes catholicorum incolarum manus immiſto veterano milite firment: occupatiſque montium anguſtijs impoſitis propugnaculis perpetuo

abie-

abiectiſſimum populum vallis imperio ſummoueant. Auſtriaci quoq; è Tiriolo noſtros auſus, conatuſq; iuuabunt. Supereſt tantum, vt tua authoritate, auſpicio omnia deſtinata nitantur, quo ſacrorum Principi expeditionis Duci Diuina auxilia adeſſe ſueta noſtra quoq; iuſta arma fęlicitent. Neque eſt de optimo rei euentu verendum, non alicuius Regum, & Principum tę potentię committimus, aut aliquo periculoſo bello implicamus; nobis erit cum barbara ſanè, ſed cum timida etiam, ignauaq: gente bellandum. Ecquando enim aliquid bello præclari, litterarumq; monimentis dignum geſſit? Exiguo labore aſſertis ab hæreticorum ſeruitio catholicis ingens gloria ſtabit. Ne nos tuos filios optimè de Catholica meritos Religionē, quā in medijs Hæreticis tot malis afflicti, oppreſſique inconcuſſam, inuiolatamque ſeruauimus, in crudelium dominorum deſere poteſtate; ſed fauore, ſtudio, auxilio impotenti crue dominatu. Sed minus honorificè, moderatèq; fecerim, ſi tuam maieſtatem iteratis precibus ad ſacrum in hæreticos bellum capeſcendum coner accendere, quàm tua pietas, clementia, bonitas, tantiq; faſtigij munus ad hoc omni oratione efficaciùs, validiùſq; proclinant. Ita Pontificis animum Pallauicini mouit oratio, vt deſciſcendi probato conſilio, ſua ſubſidia promiſerit. Subierat enim illum à Carolo Borromeo Mediolanēſi Antiſtite Sāctiſſimo Viro id olim, inani tamē conatu, tētatū, non temnendo bellatorū agmine ſuis impenſis authorato in Volturenam ad vindicandos ab hæreticorum tyrannide Catholicos inducto. *Catholici de excuciendo Hæreticorū iugo conſulunt in cōmune.*

Alij profugi in patriam clanculum in amicorum ædes illapſi Iacobi Robuſtelli equitis domum conuenere conſulturi, quid ſibi in tam perditis rebus decernendum foret, vbi cum varijs ſententijs diù pugnatum eſſet; Robuſtellus facundior cæteros ſic dicitur aloquutus.

Robuſtelli Oratio rebellionem ſuadentis.

Huius aduerſæ fortunæ æſtus, quo iamdiu immeritò vſquequaq; iactamur, extorreſq; patria per alienas terras errare compellimur, nullius alterius criminis rei, niſi quòd Catholicā Religionē profitemur; vt cętera ſileam, ſatis arguit, quā iniquè, durè, crudeliter Rheti Volturenæ indigenis dominentur, quàm grauè, aſperum barbaræ gentis imperij iugum omnium gentium miſerrimi attritis nimio pondere ceruicibus perferamus. Alios aliò Catholicorū præcipuos extra patrias ſedes crudeliū dominorū excuſsit iniquitas. Vagi, profugi proprijs domicilijs, & fortunis euerſi precariā vitā viuere cogimur: nec ſpes vlla mitioris imperij, aut reditus fulget: quæ pernicioſa in Catholicos temerè ſanciunt; æternum immota manent, impia decreta nulla ętas expungit: nulla immitem gentem ſuorum infęlicium vectigalium afficit miſeratio. Delerent prorſus inuiſam noſtrorū filiorum ſobolem, extirparentq; radicitus genus; niſi metuerent, ne ſe infamis ſęuitiæ totus Chriſtianus orbis argueret, Melius cum Thracis Regis vectigalibus actum puto, quos ſuis legibus vti, ſua ſacra facere, ſuam Religionem nulli fraudi eſſe nemini violenti, in nullum iniurij liberè ſinunt, annuo tantum tributo contenti nihil pręterea à Chriſtianis iniquè contendunt. Rheti verò nos expilare, deglubere ſuſtinerent, niſi animoſè aliquando, & fortiter repelleremus iniurias, atque audacter tyrannicę iniquitati obluctaremur, ſed ſępius noſtro malo experti ſumus eos, ſi Catholicę Religionis no-

mine

mine nos perdere non audent, fictis criminibus nefariè ſubuertere. Hæc omnia tamen quamquam acerbiſſima non ita iniquo animo pateremur; niſi Catholicis infenſiſſimi noſtra templa impietate Caluiniſtica prophanarent, niſi ſacras ædes identidem nobis adimerent, noſtraq; delubra perditiſſimis nebulonibus cedere cogeremur; in quibus ſacris intereſſe, ſacramentis animas procurare, expiareq; diuinis cultibus crimina à pueris conſueuimus. Prædicantes impiorum purgamenta perduellium, iniquorumq; fœdiſſimam fœcem in vallem inducunt, vt de ſuggeſtibus non in ſcelera, ſed in ſacroſanctam Summnrum Pontificum maieſtatem, in Religioſas familias, in Catholicos Sacerdotes, noſtræ Religionis firmiſſima propugnacula, maledicis declamationibus tonent; vt Catholicæ fidei ſectatoribus allatrent (totæ enim eorum impiæ conciones irriſionibus, conuicijs, & criminationibus abſoluuntur) vt iniquiſſimi falſæ Caluini doctrinæ placitis rudes imbutos, à recto cæli calle deflectant, & impiam Religionem tota valle propagent. Nec ſatis eſt populos, è pulpitis hæretica ſcita docere; niſi etiam puerorum ſeminaria, adoleſcentum collegia, quò altiores radices in teneris mentibus Caluini impietas mittat, inſtituunt, addictis ad eos alendos Catholicarum Eccleſiarum prouentibus: & quò inſanæ ſerpenti latiùs doctrinæ omnes prorſus oppoſitus tollant; & libero furialis hæreſis, & improbitas campo perſultet, Patres Capuccinos, alioſq; Religioſos viros tota valle exegerunt; nec Nouocomenſem Antiſtitem noſtrum ſua munera in valle obire patiuntur; ne quod Catholicæ pietatis candoris incolis lumen effulgeat. Nullum laborem, operamq; intermittunt, quo Catholicam Religionem è valle prorſus extirpent. Sed nota eſt implacabilis in nos Catholicos rabies, qua inflammati noſtrum nomen penitus abolere nituntur. Nos verò timidi, inertes vix tot contumeliarum, offenſarumq; dolorem querimonijs inanibus demuſſamus, & immanium tyrannorum ad necem cędentium ſilentes verbera toleramus (non enim Dominos appellabo, qui paulatim, in vallis integrum imperium irrepſerunt, plena ſibi vſurpata in indigenas poteſtate; quibus deditionis legibus cautum erat, ne Voltureneuſes Rhetorum vectigales, ſed fœderati, publiciq; regiminis participes cenſerentur, & tertio loco in gentis comitijs, & conuentibus aſſiderent). Prætores, Præfectoſq; locorum de tenui plebe iubent; qui per omnia auaritiæ, iniquitatis, iniuſtitiæq; genera corraſis opibus, extortiſq; pecunijs, ditiores domum exuti vltimæ fortunæ ſordibus regrediantur. Hi nummarij iudices, accipitres pecuniarum omnia humana, diuinaq; iura confundunt; ſpretiſq; legam decretis, ferè nunquam debitis ſupplicijs delicta coercent: iuſtitiam venalem proſtant; appenſo cupidis auro grauiſſimorum rei ſcelerum abſoluuntur. In loculis moneta ſonet, perditiſſimis ſicarijs ſtatim carceres reſerantur. Nullus Rhetorum iudicum eſt, quem non pecuniæ fames execrabilis angat: nec à Conquiſitoribus tanto conſulitur malo, aut collegarum occurritur ſceleri, ſuas inuicem tegentibus labes; nec ad ſuperiores magiſtratus noſtris iuſtiſſimis querelis aditus patet: repellimur à conſilij foribus tanquam ſeditioſi, perduelles, Rheticæ gentis hoſtes infenſi. Nullæ leges à mortalium nequiſſimis, nulla iura ſeruantur; niſi quæ ad abiectiſſimæ gentis incrementa, augendaſq;

gendaſq; familias opibus faciunt. Quare omnia violenter malignè, doloſè, ſuperbè, auarè à Iudicibus peraguntur. Nam cum quilibet Rhetus, vel deſpicatiſſimæ ſortis ſe principem ferat, cuncta ſibi licere, tanquam in ampliſſima fortuna, potentiaq; arbitratur; nobiles viros contemptui habere, conuicijs, contumelijſq; lacerare, per vim aliena latrocinari, fœminas rapere, & vectigalibus ſuis tanquam non è Rhetico, patritioq; ſanguine inſultare: & quomodo tantam fœdiſſimæ plebis barbariem, ſæuitiam, violentiam indigenarum fortunis, bonori, vitæq; inſidiantis vlterius poſſumus pati? quomodo in tot miſerijs, calamitatibus, anguſtijs, animiq; ſemper omnia pauentis, angoribus viuere? Vrgemur, opprimimur, peſſundamur impotenti Rhetorum tyrannide. Noſtra diuturna nimis ſupina, ſocordique patientia abutuntur: noſtræ ingraueſcunt quotidie magis ærumnæ: non ferenda mala nullum finem inuenient, niſi quem animorum magnitudo, ac generoſitas fecerit. Si viri fortes, ſi auitæ Religionis, noſtræque ſalutis amantes erimus, hoc duriſſimum tyrannicæ dominationis iugum ſtrenuè à noſtris ceruicibus depellemus. Aderunt nobis vicina Hiſpanorum auxilia: Summus Pontifex pro Catholica fide pugnantibus ex ſanctiſſimæ dignitatis munere ſubſidia ſubmittet, cæteros Principes noſtræ duriſſimæ ſortis miſereſcet: conſenſus bonorum omnium hoc audax ſanè, ſed neceſſarium conſilium ab vltima rerum deſperatione ſumptum probabit; Deus ſuæ Religionis aſſertorum arma, conatuſq; fortunabit. Nullum eſt ab hac ingenti auſu incommodum metuendum; quæ enim peiora ijs, quàm ferimus, poſſumus formidare? Vltimis miſerijs, & anguſtijs oppreſſis nihil timendum. Eò omnium malorum ventum eſt, vt acerbiora pati, atq; in peius ruere nequeamus. Agite igitur viri fortes, ab ipſa malorum ſumma colligite animos, atq; rem omnium longè pulcherrimam fortiter audete.

A Catholicis decreta rebellio.

Pronum fuit ſponte Rhetis infenſos ea acri oratione ad vltionem exulum animos inflammare; proclinantibus quoque miniſtris Hiſpanis, ipſiſque profugis Rhetis enixè ſuadentibus. Itaque ſtatim decernunt, vt ipſo Robuſtello Duce decimo ſeptimo Kal. Auguſti ab vniuerſa Catholicorum multitudine excito tumultu, conclamaretur ad arma: & ex condicto campanarum ſono ſe inuicem monentibus pagis, in Rhetorum, Proteſtantiumque necem Catholici agmine vno conſurgerent; excuſſoque tyrannorum iugo, ſe in libertatem fortibus animis vindicarent. Neque tamen præſtituto die fuit commota ſeditio, ſed citiùs maturanda deſtinata fuere; quod Rheti clanculum de Catholicorum conſilijs moniti, Michaele Federico coniurationis conſcio in vincula rapto, aliquot peditum cohortes in vallem iuſſerant feſtinare, vt ſe tumultuantibus Catholicis obijcerent. Robuſtellus vbi inſidias Rhetis patuiſſe vidit, ne occuparetur, anteuertendum Hæreticorum conſilijs ratus, biduo ante, quàm condixerat, Groſſetti ſuos aſſeclas, factionarioſque coegit; eo etiam plures ab Inſubribus, & Veneti exules, facinoroſi, ſicarij conuenere: quos vbi concionator è Capuccinorum Patrum familia concitata, grauique oratione in Proteſtantium necem accendit: nocte Tirianum Iuris Periti Venoſtæ do-

Seditionem maturant.

mum

Digitized by Google

Catholici Hæreticos aggrediuntur. mum tacito agmine properarunt: poſtero die manè armati domo egreſſi ſtrictis enſibus in Rhetorum ædes, Proteſtantiumque ruunt: plurimos improuiſo malo attonitos, nihil tale metuentes obtruncant; neq; ſuis affinibus (tanta rabie in hæreticos ferebantur) & conſanguineis pepercere: Andream Cattaneum precipuè, qui in Mariæ Robuſtellæ vxoris ſuæ Iacobi Robuſtelli;ipſiuſq; Venoſtæ conſobrinæ amplexus trepidus confugerat, inde abſtractum de feneſtris in caput precipitem dant; grauiq; caſu humi alliſum, & ſeminecem circunſtans turba fuſtibus contuſum interemit. *Catholici Hæreticos trucidant.* Pari in Michaelem Lazaronum Cancellarium rabie ſeuitum, qui cum ſe in flumen Abduam conieciſſet, vt ſe à perſequentium furore liberaret, vetulæ tamen cuiuſdam indicio inuentus, ex aqua ſub qua amplius tres horas latuerat; in litus extractus inter illudentium ludibria, & opprobria interficitur. Hic circumfuſæ percuſſorũ turbæ genibus prouolutus precarium ſpiritum humillimis precibus poſtulauit; vt tot ſuorum filiorum miſerti, ſe viuere paterentur: ſed cum reponſum fuiſſet, nullum eſſe amplius precibus tempus, & locum; orauit, vt ſaltem ante necem ſe Numen precibus propitiare, ſuoque ritu litare ſinerent; quo etiam negato, immo flagitato, vt Caluinum, atque hæreſes eiuraret, illeque recuſaſſet, quidam preſentium elatũ enſem, ah perdite, inquiens, neque in hoc extremo vitæ articulo tuæ animæ ſalutem curas? capiti mortifero ictu impegit; cæteris punctim, cæſimque ferientibus vulnera iterantibus confoſſus eſt. Pretorij deinde foribus exuſtis, captum Ioannẽ Capualem Prætorem, eiuſque vxorem cum filijs multis gladiorum ictibus conci derunt: direpta momento ædium ſupellectili. Quidam prædicantes ſe inter fæminas condiderunt, vt pallarum obtentu ſe à perſequentium gladijs occulerent: ſed ſpes illos vana feſellit; quia coniurati emiſſis ex domicilio fæminis, mares omnes infixis in viſcera enſibus occiderunt. Cuius primarij prædicantis caput auulſum in ſuggeſtu, de quo in Catholicos docens hæreſes declamauerat, ſtatuerunt: vt ibi ſilens cæteros erudiret impietatem non ſemper incolumen vindicis Numinis manus elabi. Ioannes Antonius Gallus Brixianus excellens minorum tormentorum artifex, qui ſe in eam vallem ſubduxerat, vt liberiùs procul metu Caluini impietatem exercere poſſet, ſe fortiter, & ſtrenuè domi ſuæ duos aſſiduos dies ab oppugnantium circumiectâ multitudine de feneſtris miſſilibus, telorumque iactibus dimicans tutatus eſt; ſed cum tantis obſidentium viribus impar, futurum eſſet, vt perſequentibus citò ſuccumberet, ſi diutiùs domi conſiſtere perſeueraret, per medias hoſtium cuſtodias elapſus, dum itineris labore feſſus vires à quiete collecturus paululum obdormiſceret, à Catholicis inſectantibus inuentus occiditur.

Cætera Volturenæ oppida rebellant. Eodem die ex conuentis Sondrij incolæ rebellarunt; vbi elatis vocibus claſſico populi, campanarũq; ſonitu conclamatum, moriantur Tyranni, & Hæretici; plurimi proteſtantium Rhetorumque crudeliter cæſi in ſuorum quoque popularium Volturenenſium capita ira effuſa, quos veluti lym-

lymphati ſenes,mulieres,pueri ſaxis,bacillis,ſudibus inceſſebant;donec animas inter verberũ cruciatus efflarent;miſerorumq; calamitatibus,ludibrijs, irriſionibus inſultabant,iactabundi ſe tādē illatas iniurias egregiè vltos eſſe, conuitiorũ alij,alij occupati ſibi agri,vſurpatæq; poſſeſſionis, quidā boum, æquorumq: raptorũ iniurias plures retētas ſibi pecunias,abreptas per vim mulieres,atq;inflicta verbera vindicaſſe gaudebant , præteritis detrimentis crudeliũ dominorũ nece ſācitis. Eodē furore cōciti cōiurati ī Morbonij,Berbennę Cidraſchi Proteſtātes,& Rhetos graſſati omnia cędibus,rapinis,maximo incolarum terrore,& plāctu ruebant. Tei præcipuè ipſorũ ira in Proteſtātes efferbuit:vbi Actius Beſta ſeptus militũ globo delubrũ aggreſſus,in quo Proteſtātes ritu Caluiniſtico operabantur ; eorũ plurimos de feneſtris maiorũ ſcloporũ ictib. iuſſit occidi,mox pręfractis dolabris valuis,in ędē toto agmine irrũpēs omnes internecione peremit,eos etiã,qui cũ vxorib.& liberis in phani turrim,vt ab ea percutiẽtiũ laniena,ſęuitiaq; fugerēt,ſe trepidi feſtinato receperāt;ſubditis tēpli ſcāmnis,& ſedilibus iniecto igne obrutos fumo cōbuſſit. Tumultuatum deinde tota valle eſt eodē vltionis ardore Catholicis correptis:qui per omnia loca veluti torrēs litorib. ſuperfuſus cũcta aquarũ vorticib. proruens , celeri vagati agmine Proteſtantiũ alijs igne cōſumptis,alijs ſecurib. in fruſta cōciſis,plurib. obſtructo laqueis ſpiritu pręfocatis,multis in aquas cōiectis,omnib. varijs mortis generib. interēptis,abundè iniurias,cōtumelias,cōtēptus,fortunarũ,honoriſq; detrimēta his Proteſtantibus illatis cladibus benè penſarunt. Aduenę quoque Brixiani , (pudet me popularem patrię dedecora memorare,ſed veraci cuncta hiſtorico proſequenda,) & Vicentini eadem paſſi ſupplicia deſertæ perfidè Catholicæ Religionis meritas pœnas dederunt.

Catholicorũ Vltiones in Hæreticos.

Robuſtellus Hęreticis,& Rhetis ad vnũ cęſis, ſe vallis pręſidis titulo inſigniuerat,rebuſq; ꝑarbitrio alia ratione cōpoſitis,mutatoq; ī pręſtātiorē formā ad vota regimine,& cũ Bormij oppidanis percuſſo fędere,ad Mediolani Pręfectũ, & Archiducē Leopoldũ populariũ nobiliores ad implorāda, ſolicitādaq; cita ſubſidia legauit, ꝙ nũtiatũ fuerat Rhetos coacto Curiæ totius gētis cōuētu,cui ēt Petrus Vicus Venetus legatus interfuit:Fortunato Sprechero,& Iacobo Schemidio iuſſis copiarũ Ducib. plura armatorũ agmina,è Clauēna valle in Voltureną demiſiſſe:q̃ primo belli impetu recepto Sōdrio Tirianũ quoq; tũc propugnatorib. vacuũ ſuetũ ſubire iugum coegiſsēt, ſi Rheti Duces nō importunis,pernicioſiſq; altercationib. cōcertātes eiuſdē cōſpiratione cōſilij bene gerēdę rei occaſionē tenuiſsēt. Interim ſiquidē auxiliariũ ab Inſubrib. cohortiũ,& equitũ turmarũ aduētu excluſi tēpore nullos maiores profectus prolatis vlterius armis facere potuerũt;à receptis inſuper abire,retroq; in interiora vallis copias reducere cōpulſi. Hieronym⁹ Pimētellius opportunè vſus hoſtiũ metu, vicũ Mezolā Lario lacui obtentũ admoto agmine occupauit;īgēti ſanè cũ optimatũ doloris ſēſu, ꝙſeu verè, ſeu falsò vulgatũ eſſet;Guſſierē Gallũ legarũ Retis inſēſũ,quia ſecũ à Toſanę tribunalis iudicib. cōtumelioſè,inſolēterq; actũ eſſet:id paſsũ fuiſſe,q̃ idcircò publicis gētis cōuētib. abſtinuit, ne q̃d incōmodi ab irata multitudine pateretur.

Rheti ſe ad propulſandas,rebelliũ iniurias expediunt.

Rheti repelluntur à Catholicis.

Hiſpani Mezolam occupant.

Nec minorem Reipeblicæ curam iniecit à Monaſterij Vallis Profugis in Rheticas terras impetus datus, qui cũ Batauorũ peditum cohortibus è Leueſteini legione nuper à Venetis exauthorata, alijſq; militũ manipulis ſocia tis viribus Rheticę ditionis aliquot oppida Imperatoris, Auſtriacæq; domus nomine repentinis impreſſionibus rapuerunt; quòd antiquum ſibi in eas terras ius eſſe contenderent. Aloyſius Baldironus eius agminis ductor, miſſis Curiam nuntijs, ea improuiſa hoſtilia quaſi ludibrio optimatibus illudens purgauit, ſe eos vicos infelicis indigenarum ſortis miſertum in deditionẽ, fidemq; recepiſſe; quòd malè à Rhetis Gubernatoribus haberentur: cęterum hæreditario fęderi inter Auſtriacos, Rhetoſq; percuſſo ſtatum iri: neq; aliud à Planta, cęteriſq; profugis flagitari, quàm vt ſibi liceret apud nouos Iudices ſuam cauſam dicere. Quibus inteſtinis, exteriſq; malis, & inſultibus cum Primates eò ſe rerum recidiſſe conſpicerent, Reipublicæ dominatus, & libertatẽ in extremum diſcrimen vocari; niſi præſentibus animis irruentibus in ſuã perniciem vndiq; malis occurrerent: eloquentiores optimatũ ad Gallũ Regẽ, Venetos, & Heluetios extẽplo legarũt, qui nõ ſolũ eos Principes de miſero ſuarũ rerũ ſtatu docerẽt; ſed etiam ſubita poſcerẽt auxilia, quòd ſua ruina omnes quoq; Italiæ Principes inuoluerentur: ſuuſq; caſus Auſtriacæ domus hoſtes eſſet oppreſſurus. Ita legationis Princpes Venetos proceres dicitur alloquutus.

Profugi terras Rhetorum occupant.

Rheti legatos ad Principes mittunt rogatum auxilium.

Rheti legati ad Venetos oratio.

Volturenenſiũ non minus audax, quàm perfida, & repentina defectio, ſubitus in eã vallẽ Inſubrũ auxiliorũ ad firmandos, fouendoſq; perduelles accurſus ſatis docent, quò callida Hiſpanorũ conſilia tendãt, quid eorũ obliquæ petitiones, arcanaq; vota præſtituãt, & quò ſe, quæ diù tacitis coxerũt animis iactent. Excutiẽdus omnino ab oculis, atq; adeò ſtolidis mentibus lethalis sõnus, veternũ ſatius appellẽ, quo vos, cęteriq; omnes Itali Principes obruti iam iã in ſua capita ruẽs exitiũ nõ aduertunt. Hoc ſtudent, hoc inſtant maximè omniũ Hiſpani, vt impactis Italiæ cõpedibus exteris pręcluſæ ſubſidijs, catenatiſq; dynaſtis, & Regulis adamatã prouinciã ſub iugũ mittãt, & quòd diutiſſimè anhelarũt, omnes Italos in ſuã fidẽ concedere cogãt. Potiora Italiæ tenent, florẽtiſſimis prouincijs omnes Italos dominatus obſepiunt, hærẽt in omniũ ditionũ lateribus. Hinc Inſubrũ opulentiſſimũ imperiũ, illinc Neapolitanũ regnũ mediã inter iacentẽ Italiã coercẽt. Taurini ad eorũ circũferuntur arbitriũ. Quid ſi, quòd iã diù moliũtur, Voltureña ſubacta, Germanicas Auſtriacæ domus ditiones cũ Inſubrũ dominatu cõtinuẽt, & clauſis firmiſſimo quaſi vecte Italiæ foribus, obſeſſiſq; Alpiũ clauſtris ipſi ad manus habeãt Germaniæ ſubſidia, cęteros exterorũ auxilio prohibeãt; cõplexæq; ſe inuicẽ potẽtes Hiſpani Regis, Imperatoriſq; dexteræ ſuas vires tot terrarũ diuiſas interiectu cõmittãt; quã gentẽ vos bello petiti ſupplices auxilia poſcetis? Quis vobis exterus Princeps periclitãtibus poterit ferre ſuppetias? quas auxiliares cohortes vndiq; circũuẽti ex prouincijs finitimis conducetis? Ab oriẽte Chriſtiano Principi nefas à perfidis Thracibus pernicioſa accerſere auxilia; ab Aquilone latè Auſtriaci dominãtes ſuarũ ditionũ obtentu ſubſidia Germanorũ arcebũt: à cadẽte ſole tãtũ potis eſt ſubſidio Gallos acciri; at ea auxilia vt

longin-

longinqua,ita ſera, (prater id quod tranſgreſſis Alpes auxiliaribus cohortibus lõgo itinere feſſis,et lãguidis ſe Inſubrũ agmina obijciẽt)per infeſta omnia,perq; hoſtiũ trãſitura frequẽtibus velitationibus,& leuibus prælijs detrita vix dimidia perenient: ad Auſtrũ nihil ſe vobis,quã inutiles mediterranei maris fluctus oſtẽtãt: veſtros circũquaq; volnite obtutus,omnia oppilata,obſerataq; vobis occurrunt. Vnus veſtris auxilijs Volturenæ aditus patet; quẽ ſi ab Hiſpanis vallo ſepiri ſinetis,et propugnaculorũ obiectu claudi patiemini; quæ vobis veluti quad ĩ indagine circumcluſis. ſperanda ab exteris gentibus auxilia? Nota nimis eſt Hiſpanorum cupiditas,quã nec alterius pene totius orbis imperij amplitudo,nec tot regnorum,prouinciarumq; multitudo explet; adhuc etiã maioribus inhiat, ampliorum æſtuat deſiderio. Nihil ſibi habere vidẽtur, niſi etiã toti Italiæ dominẽtur. Nunc iã diù cogitato admouent operi manus. Inuectæ in Volturenã Hiſpanicæ cohortes, & turmę,demiſſę eodẽ ab Archiduce Leopoldo Germanicę copię iã cuncta frequẽtibus propugnaculis,& munimẽtis impediunt: iã validis, firmiſq; repagulis,& ſeris Germania ab Italia ſecluſa,omnia ab ea parte, qua ſola expectari,haberiq; poſſunt,ſummouẽt auxilia. Quorſum igitur pernicioſas Itali Principes,voſq; præcipuè nectitis moras? quin illicò raptis armis ingruẽti in veſtrum exitium occurritis malo? & cõmunium hoſtium cõpeſcitis audaciã? Impellimur vndiq; & perduellium perfidia, & Hiſpanorum potẽtia, trudimur ab antiquo Voltureną poſſeſſu, exuimur oppidis, vicis, & arcibus Reſpublica tã viriũ, quã conſilij in repẽtino malo, exitioq; inops, quid ſibi in tãta rerum cõfuſione, tumultuq; rebellãtium, & hoſtiũ aſſultibus ſit decernendum, ignorat: veſtris aduoluta genibus ſubitã opẽ efflagitat: vt veſtris innixa viribus inuadẽtiũ impetũ ſiſtere poſsit. Niſi feſtinato admoto exercitu, de occupati poſſeſſione hoſtes ſubito deijcietis, antequã ſe firmiùs vallẽt, validiùſq; montium anguſtias propugnaculis muniãt, elapsã occaſionis deturbãdi à valle hoſtis opportunitatẽ nequicquã queremini, veſtroq; malo diſcetis, in bello, cũ de rerum agitur ſumma, non eſſe cunctãdũ. Noſtra Reſpublica ancipiti bello diſtracta hinc vrgente Hiſpano, illinc pulsãte Leopoldo ſuis duntaxat natiuis, patrijſq; viribus freta hoſtium potẽtiæ impar maiorem ſuæ ditionis partẽ ad deprecandum à ſe bellum, pacẽq; nundinandã cedere hoſti cogetur; quòd ſi acciderit, quid vobis, quid cæteris Principibus Italis fiet? quid toti Italiæ futurũ cenſetis? Viderint ipſi immodicã Hiſpanorũ potentiã peroſi, an expediat noſtrã opprimi libertatem, potioraq; Rhetici dominatus in eorũ poteſtatẽ venire; & Gallica, Germanicaq; auxilia, obſeptis Alpib. clauſtris, in Italiã ingreſſu prohiberi. Certè illi ab exterarũ gẽtiũ ſubſidiorũ metu ſecuri in vos animoſiores bello cõuerſo, quas leges ipſi dederint, vos accipere compellent.

His, & id genus alijs in aulis principũ peroratis, id aſſequuti sũt Rheti legati, vt pręter ingẽtia pollicita, Rex Gallus, & Venetus Senatus cõmunis periculi metu cõmoti propera ſubſidia expedieriut. Heluetij primi omniũ, vt viciniores finitimorũ ſociorũ miſerti tria peditũ millia Rhetis feſtinare auxilio iubẽt. Ioãnes Gulerus Rhetici agminis ductor Helueticis auctus virib. firmior Catholicos, qui mille quingenti numero Ioãne Mediceo Duce ſe in Pedinuccia valle munierãt; aggreſſus poſt diuturnũ, cruẽtũq; certamẽ ab ijs munimẽtis, ipſoq; Bormio deiectos egit in fugã. Inde in Volturenã ſeptẽ bel- *Veneti, & Heluetij ſubſidia Rhetis mittunt.*

latorũ millib. validus, alijſq; inter eũdũ ad glomerãtibus ſe militũ agminibus auctior copias traduxit. Ibi nouis auxiliaribus cohortibus à Veneto Camunorũ Duce Nicolao Barbullio, & Ioãne Grãgeo præfectis, acceptis Tirianũ ab Hiſpanis aſtructis propugnaculis, & munimẽtis vallatũ celeri gradu animosè contendit. Præſidiarij audito Rhetorũ aduẽtu, oppido egreſſi aciẽ explicant in pugnã, tumulis quibuſdã prius in circũiecta planitie ſurgentibus æquatis, vt equitatus, cuius virtute maximè nitebãtur, expeditiùs circũagi, flectiq; poſſet, liberiuſq; in hoſtẽ procurrere: impedita etiã trãſuerſis aggeribus latiori militari via, qua venturus Rheticus exercitus credebatur.

Valcemonica.

Tiriani præſidiarij prodeunt in pugnam.

Rheti Mazij frequẽti vico ea nocte ſubſtitere, in quo generoſi vini ingẽti copia reperta, eo affatim vigiles ſe plenis triẽtibus proluerũt. Manè nondũ edormita temulẽtia, pridie idus Septẽbres ebrij furore potiùs, quàm militari, prudentiq; cõſilio acti nullo pedites equitatu tegẽte, nullo tormentorũ apparatu ad inuadendos Catholicos cõcito gradu tripartito rapiũtur. Heluetijs in primo agmine ſolita via, Rhetis per inferiores calles, cęteris ꝑ mõtiũ ſemitas gradiẽtib. Repẽtè in ipſo copiarũ appulſu initũ aduerſa primo Hiſpanis fortuna certamẽ. Eorũ ſiquidẽ equitatu in Sedunorũ legionẽ inuecto primis ſtatim ictib. Octauius Cuſtos copiarũ ſupremus Cõquiſitor maioris ſclopi frõtẽ glãde perculſus ex equo defluxit exanimis; tãtũq; nõ ipſe Pimẽtelius miſſiliũ procella obrutus perijt. Verũ pedites promoto gradu, cũ equitatu cõſerti in hoſtes acri impetu facto, tũ exiguo numero, tũ loci iniquitate nõ ex ęquo pugnãtes horribili data latè ſtrage, ad vnũ ferè cõcidũt: vix hoſtile ferrũ elapſo Bindero, & quos gladius nõ hauſit, aquæ Abduæ fluminis obruerũt; copiarũ Duces omnes abſũpti, capta impedimẽta, quorũ cupiditas victoribus exitio fuit. Dũ n. cõfuſis ordinib. equites iuxta, ac pedites ad ea prędãda diſcurrũt, rapiẽdis ſpolijs intẽtis aliud Rhetorũ, Tigurinorũq; improuiſũ agmẽ adueniẽs, qui ſociorũ cędẽ feſtino paſſu vltũ ire ꝓperabãt, in incõpoſitos hac, illacq; diſperſos ſtipatis ordinib. ruũt. Leuioris Martis fuit, eo inopinato impetu metu attonitos fundere, deq; munimẽtis, atq; ea ſtatione decutere. Sic nimia bellãtiũ cupiditas, prædæq; amor victorias nõ modo corrũpit, & fędat, ſed ẽt interuertit, repẽtèq; victi victorib. inſultãt. Hiſpani deſerto tormentorũ apparatu, abiectaq; pręda, quã nulla belli decoris ratione rapuerãt; Tirianũ ſimili fugæ receptu agmẽ abducũt, tãto ſuo, Volturenẽſiũq; terrore, vt deſperato meliori pugnæ ſucceſſu, inde ẽt fugere cogitarẽt, ꝙ proculdubio præceps, meticuloſũq; cõſiliũ exequi maturaſſent; niſi iã expeditos ad fugã Ioãnes Orilianus, & Frãciſcus Bulla, qui Plãtamala trecẽtorũ militũ ſubſidiũ adduxerãt, trepidos detinuiſſet, ipſiq; Rheti, ab aggrediẽdo oppido cui iã ſuceſſerãt, deſtitiſsẽt: tũ potiſſimũ, cũ iã datũ in munimẽta cõtinuaturi impetũ credebãtur; recepto Maziũ exercitu, cęſiſq; Ducib. tumulatis, pręcipuè Florio Sprechero populari illuſtri, qui dũ animoſiùs propè hoſtiũ munimẽta diſcurrit, auratis armis, & caſſidis pẽnis pugnãtis cõditionẽ prodentibus maximi ſclopi globo fęmora traiectus vix ſupremis compoſitis, ſuo ritu anima procurata, inter nepotum brachia, & lachrymas expirauit. Militares ornatus, pinnarum coni, clamydes auro diſtinctæ, equorum Phaleræ, vt bellatoribus inutilia, ita perſæpe maxi-

Rheti Catholicos inuadunt.

Valeſani.

Inter Hiſpanos, & Rhetos pugna.

Victoria penes Hiſpanos Rhetis cæſis.

Cupiditas Hiſpanis victoriam eripit.

Aurea arma, & militares ornatus bellantibus noxia.

mè

Digitized by Google

mè noxiā, quòd vnum inter ſua agmina aureis amiculis promicantem miſſilibus hoſtes inceſſant, niſi fortaſſe hoc nomine laudanda, quia non ſolum validis, ſed etiam nitidis armis dimicandum eſt, vt ipſe telorum fulgor hoſtes terrore percellat.

Hiſpani Rhetici agminis receſſu grauiſſimo perfuncti diſcrimine, (ſi enim Gulerus in Tiriani oppugnatione perſtitiſſet, communi omnium, ipſorumq; hoſtium ſenſu præſidiarios ad vltima adegiſſet.) nouis aggeribus, loricis, & parmulis ſe magis contra hoſtiles impetus vallare, munireque inſtiterunt: miſſis prius ad Mediolani Producem ſolicitis nuntijs ad poſcenda maiora, ſubitaque militum ſubſidia; quæ illicò plurium veteranorum militum ductu eò properare iuſſa aduentu ſuo animos ſociorum præteritæ pugnæ aduerſo ſucceſſu fractos firmarunt. Rhetis tantundem ſuorum iactura popularium mœſtis, quantum parto ſuorum turpi fuga hoſtium bellico decore lętis, ſuadebat Binderus, vt poſtero die ante lucem in Tirianum impetus repeteretur; vnde facilè Hiſpanos deiectum iri ſperabat, ſi maiori exercitus niſu, valida facta impreſſione vniuerſæ copiæ hoſtes adhuc heſternæ pugnæ infelici euentu territos, ac debilitatos inuaderent; ſed cum varijs ſententijs inter Duces diù pugnatum eſſet, & Rheticum agmen tot ſuorum popularium nece, & vulneribus imminutum exiguo admodum ſuppetente pyrij pulueris apparatu, nouum congreſſum formidaret; Gulerus ex maioris Ducum partis ſententia Bormium verſus receſſum edixit, vt ibi ſubſidia, quæ Venetijs, & ab Heluetijs mittebantur expectarent, auctioriq; exercitu firmiores tutiùs poſſent Hiſpanos rurſus in ſuis munimentis inuadere. Poſtera die motis caſtris agmen iter ingreditur. Interim dum Rheti pernicioſa cunctatione tempus terunt: Volturenenſes perduelles præciſis pontibus, obſeſſiſq; montium anguſtijs, preclusiſq; vijs, per alios callium anfractus agmen rapere coacti ſunt. Quacunq; tranſirent ſupernè inceſſentibus miſſilium iactibus, à montium iugis ſaxorum grandine, ſcloporum globulis petebantur: infeſta habebant omnia, lethalis erat quicunq; greſſus, ſeu redire, ſeu vlterius progredi iuxta periculoſo. Quare plures moleſtiſſimis hoſtium inſultibus, & præſentis necis horrore territi abiectis paſſim armis, turpi per auia fuga dilapſi, deſertis ſignis, exercitum eneruarunt. Reliquiæ Bormium progreſſæ ſubito inter ipſas exorto tumultu, ob commeatuum, & tormentarij pulueris defectum, deſerto ſupremo Duce Gulero, ad propria domicilia nullo militaris ſacramenti reſpectu rediere. Heluetij tantum ſocialis fidei tenaciores cum aliquot eius tractus indigenis in oppido perſtiterumt; ſed ibi ſe non ſatis tutos rati ipſi quoq; paulò poſt ſociorū degenerē metū, ignauiāq; maledictis, cōuitijſq; deteſtati inde in ſua rura propero agmine receſſere; hoſtium arbitrio valle relicta; qui oppidum propugnatoribus vacuum ingreſſi cætera omnia eius ditionis nullo ampliùs ancipitis Martis diſcrimine ſubiecere; impoſitis vbiq; regijs præſidijs, quamuis ciuilium rerum arbitrium penes eſſet populares Hiſpani Regis fidei, tutelæq; commiſſos.

Hiſpani, Mediolani Producem rogant auxilia.

Rhetorum pernicioſus receptus.

Rebelles recedētes infeſtant.

Rheti ſua ſigna deſerunt.

Hiſpani Rhetorū oppida occupant.

Digitized by Google

Sed non magis extera bella Rhetos, quam inteſtinæ diſcordiæ tumultuſque vexabant; mox enim nouæ exarſere ſeditiones, Catholicis Griſi pagi à cæteris ſecedentibus, arcanis Galli, Hiſpanique legati ſuaſionibus motis, Helueticarum etiam aliquot cohortium impulſu. Hi vno animorum ardore indicto Toſanam popularium conuentu, actis omnibus, & decretis Proteſtantium reſciſſis; ſtatuerunt, ne in poſterum Reipublicæ officia venalia eſſent: Gallo legato fieret ſatis, iubendumque tribunal, ad quod omniũ querelis,& expoſtulationibus liber aditus foret. Illanzij illud erectum, ad quod reliqui quoq; pagi, ſatagente id maximè ipſo Guffiere legato,profecti plura ſanxerunt,præcipuè ne cum aliquo principe aliquod fœdus percuteretur,niſi ad Galli Regis placitum, & arbitrium; quod alias pernicioſiores ſeditiones, diſſidiaque ſeuit inter pagos; Catholici enim Griſi hoc decretũ maximè indignati, ſe pro Hiſpanis futuros liberè, apertèque profitentur: cæteri duo pagi ſe à Gallo rege ſtaturos edicto, componendæ litis Mediolani Producem arbitrum recuſarunt; quod Catholici ſuadebant; qui poſtea miſſis in Inſubres legatis,fœdus cum Hiſpano Rege octauo idus Februarias cæterorum quoque nomine pagorum quando eo ſe amplecti fęderе voluiſſent, his legibus inierunt: vt Rex millenos quingentenos aureos pagis ſingulis penderet annis: Rhetos vrgente bello, vt rei neceſſitas poſceret, militum ſubſidijs, & pecunia iuuaret; in Mediolani, Ticiniq; Gymnaſijs certum Rhetorum iuuenum numerum aleret: è contra ipſi polliciti ſe liberum, & innoxium Regis militibus per ſuam ditionẽ in Germaniam,ſeu Belgium ituris tranſitum conceſſuros:hac tamen addita conditione, vt ducenteni armati per Volturenam, exermes per Rhetiam nihil malefico agmine graderentur: poſſet inſuper Rex non plus ſex peditum millia, nec minus tria ex Rhetica gente conducere. Volturena Rhetis, euocatis inde Regijs præſidijs, redderetur, ijs tamen, qui fœdus ratum haberent, neq; pręſcriptas conditiones reſpuerent. Omnes arces, etiam Ripæ propugnaculum regijs præſidijs per aliquot annos tenerentur; quibus elapſis, ab electis vtriuſq; partis ſequeſtribus decerneretur, an inde abducenda eſſent, an relinquenda:ab iiſdem etiam de diruenda Fontium Comitis arce ageretur. Bormij, in Clauenna valle, & Volturena nulla Lutheri, Caluiniq; ſuperſtitio, ſed duntaxat Catholica Religio coleretur, nullaſque ibi Proteſtantes ſedes habere poſſent, quibus tamen permiſſum foret, vt ſua prædia, bonaq; venderent. Nouocomenſis Antiſtes ſuum in eas terras ius Eccleſiaſticum retineret. Volturenenſes ſuis auitis legibus, & conſuetudinibus viuerent.

Inter Rhetos diſſidia Rempublicam euertunt.

Alij Rheti ab Hiſpanis, alij à Gallis ſtãt.

1621

Catholici Rheti fędus cum Hiſpano Rege pãgunt.

Pacti fœderis conditiones.

Rheti legati cum his fœderis conditionibus domum regreſſi earum exẽpla typis impreſſa per omnes pagos, & vicos extemplo vulgarunt. Varię eius gentis fuere ſententiæ alijs alia ſentientibus: diuerſiq; animorum habitus erant in pagis; an illæ reſpuendæ, an accipiendæ. Plures Cathedralis pagi vici fędus vtile, honeſtumq; rati, fortaſſe ab Hiſpanis pecunia corrupti ſe illi vnanimes ſubſcripſerunt; ſed maior Proteſtantium pars,qui ſuam factio-

Heretici Hiſpanicu fędus reſpuũt

factionem in iis vallibus deprimi, eijci, aboleriq; moleſtiſſimo animo patiebantur, illud fędus vt iniquum, fraudolentumq; auerſati populares ſuos patriæ proditores, rebelleſque inclamantes adeò non illi aſſenſerunt, vt etiam raptis armis, ſimul conglobati ad nongentos ex Engedinis necem eius authoribus minarentur. Addidere ſe furenti ira agmini ex Monaſterij valle alij indigenarum manipuli, omneſq; ſimul Rhetzanium verſus contento gradu feruntur. Ibi ſcaramuccia Vicecomes Mediolanenſis Patritius aliquot peditum cohortes regia pecunia Mediolani Producis iuſſu authorabat; quo inde fugato, ad fallendos Hiſpanos iunxere viribus dolos, ad ſuos quoſdam ſocios fictas dederunt litteras, quibus nuntiabant ſe illam expeditionem, & Catholicos inuadendi conſilium omnino abijcere decreuiſſe, quòd, ſicuti ſperauerant ſe nulli in arma prodeuntibus aggerarent: deſertiq; à ſocijs domum regredi cogerentur. Quæ litteræ ab Hiſpanis interceptæ ita callidum Rhetorum aſtum iuuerunt: vt auerſis à fraudum cognitione mentibus, ſecuri nihil loco moti nullis militum ſtationibus, & præſidijs, vt militaris diſciplinæ prudentia poſcebat, montium aditus intercluſerint. Catholici Rheti, qui nondum Ranzio deceſſerant, Proteſtantium ad arma conſternatione audita, aduerſuſq; ſe infeſto agmine, infenſiſq; animis feſtinare, dimiſſo properè conuentu, in ſua quiſque domicilia per viarum compendia fugerunt; ſed adeò feſtino gradu Proteſtantes recedentium veſtigijs inſtiterunt, vt quamuis eos non ſuderint; omnia tamen tormenta, & maiorem impedimentorum partem relinquere in via coegerint. Quare Proteſtantes libero campo, nullo iam repugnante, potiti Pagi Griſi Catholicos ſubactos, pecuniaq; mulctatos ſacramento adegerunt, ſe in poſterum ſuo dicto audientes fore, neque cum aliquo extero Principe fędus, præcipuè cum Hiſpanis, & Venetis percuſſuros. Meſolcinæ quoq; vallis accolas ſubegerunt: quamuis Vuatemuillius dynaſta mille Vallonum ſubſidium adduxiſſet, qui cum alijs Catholicorum cohortibus cum irruenti vndique agreſtium multitudini obſiſtere nequaquam poſſent, Berinſonam in tutum ſe celeri agmine receperunt.

Hæretici in arma conſurgunt.

Catholicorũ Rhetorum fuga.

Belinzona.

His nouis Rhetorum tumultibus, & diffidijs factum eſt, vt celerius de pace conueniretur, quæ Gregorij XV. opera per Gallum legatum in Hiſpani Regis aula agebatur: vbi Philippo Tertio defuncto, Philippus Quartus eius filius in regno ſucceſſerat: à Sequeſtribus Mantuæ Carpetanorum ſeptimo Kal. Maij fuit his legibus conſtituta; mirantibus ſanè ijs, qui Hiſpanorum conſilia, votaq; norant.

Pax inter Hiſpanos, et Rhetos ſancitur. Madrid. 1621

Volturena, Bormium, & Clauenna vallis iterum ad fidem, atq; in Rhetorum ditionem, poteſtatemq; redirent. Omnia decreta in Catholicorum detrimentum ab anno decimo ſeptimo ſupra milleſimum, ſexcenteſimum in Rhetorum ſancita conuentibus prorſus abolerentur, rebus in priſtinum vſum, conſuetudinemq; reſtitutis. Hiſpani, Rhetiq; à Volturena, alijſq; locis præſidia deducerent; ſolitæ tamen militum ſtationes Inſubrum fines tuerentur. Tres pagi ſe iure iurando coram Summi Pontificis

Pacis conditiones.

Digitized by Google

Hiſpani, Galliq; Regis legatis obſtringerent, ſe his pacis conditionibus

Valleſani. ſtaturos; Heluetijq; & Seduni ſe eorum fidei prædes conſtituerent; Hiſpani tamen nulla tam diù præſidia ab arcibus, & propugnaculis auocarent; donec Rheti ſe ſacramento obligaſſent, & Hiſpanorum ſecuritati Heluetijs prædibus caueretur.

Lucerna. Nullum tamen hæc conuenta ſucceſſum habuere. Nam cum Lucoriæ Nuntius Scappius, & Montobonus Gallus, & Andrianus Tomaſinus Archiducis Alberti legati conueniſſent curaturi, vt initæ pacis conditionum capita ſeruarentur: tot hinc inde difficultates exortę res ita turbarunt; vt pręteritorum laborum, Regumq; ſolicitudinis fructus in nihilum euaneſcerēt.

Pax turbatur. Engedinis ſe perduellionis criminis pœnam rebellibus condonaturos recuſantibus, Apoſtolico Nuntio plura ad Eccleſiaſticā iuriſdictionē ſpectātia pro Nouocomenſi Antiſtite cōtendente: Rhetis omnium arciū, munimētorū excidiū in Volturena poſcētibus; alia, atq; alia profugis, & Volturnēſibus pro ſua incolumitate, ſecuritateq; flagitātibus, qui męſtiſſimi, quòd inuiſiſ-

Volturenæ incolæ de pace inita mæſtiſsimi ſimæ gētis iugū rurſus ſubitui eſſent; paſſuriq; Barbarorū dominantiū imperiū, nihil intētatū reliquerūt; vt cōciliatæ pacis legū obſeruantiā euerterent: & quòd potiſſimū Volturenenſiū bono conuenta dificcit: Heluetij ſe Rhetorū fluxæ fidei prædes futuros negarūt, à quibus nullā meritorū gratiā præter turpitudinē ingrati animi retuliſſent; magnos Principes negotiū curare, ipſorū etiā eſſe res ex regia authoritate cōponere. Quare vel obnitente maximè Apoſtolico Nuntio, qui eius Reipublicæ potentiā Pontficis rebus profuturā ſperabat: rē omnē integrā perficiēdā dimiſſis ſequeſtribus Regibus reliquerūt. Exiſtimarūt pleriq; Hiſpanis miniſtris ſuadētibus, pręter natiuū gētis ingeniū aliena negotia ſuſcipere auerſātis, Gallorū quoq; impulſu Heluetios eius rei trāſactionē repudiaſſe: implicitis ſanè regū conſiliorū anfractib. qui turbatā Rheticā Rēpubl. in ſuas partes ſe ꝓclinaturos quiſq; ſperabat. Reſignatę ēt Mōtobonis Galli legati litterę ei⁹ arcana Regis retexerūt. Heluetijs .n. Catholicis ſuadebat ne quicquā pollicerētur, niſi Catholicę Religioni res in Rhetia in tuto poſitę, cultoribuſq; ei⁹ cōſultū fuiſſet.

Rupta pax. Spe itaq; omni pacis amiſſa, quāuis tum in Rhetiā Iulius Cæſar Cicerus Feriæ Ducis nuntius ad eam ſanciendā veniſſet: Senatus tamen opportunū ratus armorum violentia Volturenæ recipiendæ Galli Regis Subſidiorum pollicitis motus: Iacobum Ioderum, Artemanum Plantā, & Ioannem Petrum Gulerum iuſſos copiarum Duces ſeptem peditum millibus, in Volturenā, Bormijq; ditionē miſit:

Rheti ad recipiendam Volturenā copias mittunt. qui primo ſtatim acceſſu oppido potiti, ab oppugnāda arce abſtinuerūt; quòd nec tormēta ad deijciēda munimenta, nec cōmeatus ad arcis obſidiū, nec neceſſaria ſuppeterēt. Ibi aliquot dies nō ſolum nullo fructu, ſed etiam cū exercitus pernicie morati, quòd pugna cum Ioāne Brauo Hiſpano Chiliarcho cōmiſſa plures milites amiſiſſent: ingruētibus vndiq; & Ferię Ducis, & Leopoldi Auſtriaci Principis copijs, re infecta

Rhetos rupti belli pænitet. retro redire cōpulſi nullo alio operæ pretio; quā incepti inſano cōſilio belli accepta labe: immò grauiſſima ſuarū rerū iactura, nā recrudeſcente in dies

magis

magis bello; omnes eius clades in ipſorum capita reuolutæ documenta fecerunt, non eſſe potentiores bello ab inferioribus viribus laceſcẽdos. Feriæ Dux iratus, iuſto ſanè prętextu vſus, quòd Rheti iuratam Mediolani ſanciti fœderis fidem rupiſſent: in Clauẽnam vallem ſex peditum millibus, & equitibus quingentis irrumpẽs inopinato impetu omnem earũ terrarũ tractũ in poteſtatem redegit, cum nullibi pares bellanti vires occurrerẽt. Eodem tempore quaſi ex condicto Archiducis Leopoldi iuſſu Baldironus cũ octo peditũ millibus in Rhetiã inuectus Engedinos populos ſubactos ereptis iis armis, in Auſtriacæ domus verba iurare coegit. Curiã quoq; vrbẽ adeptus Epiſcopũ, ſũmo Rhetorũ terrore reduxit: qui ad vltima cõpulſi, ne penitus res ſuas excinderẽt; ad Ferię Ducẽ Legatos Mediolanũ miſerũt, vt cũ eo de pace, immo de Volturena Hiſpanico imperio ſubijciẽda trãſigerẽt. Ita decimo octauo Kal. Februarij ſcriptis fœderis legibus inter vtroſq; conuentũ. *Rhetis Clauẽnam vallem occupant.* *Rheti legatos ad Feriã mittunt.* 1622

Rheti Volturenam liberam ſinerent; nihil ampliùs in eam iuris haberẽt: quinq; tamen, & viginti aureorum millia in annum libertatis conceſſę pretium Rhetis illis perpetuo incolæ metirentur; ſeque Rex Hiſpanus fidei iuſſorem præberet; Archidux Leopoldus præficeret valli prætorem, qui ius Indigenis diceret. Præſidium annum integrum etiam Meſolæ perſiſteret, donec Saxi Corbari munimenta perficerentur. Fędus inter legem, duoſq; pagos ea ratione feriretur, qua ſuperiori anno ictum fuiſſet. Nulli noxiũ eſſet in tota Rhetia ritu Catholico operari: Concilium Tridentinum, Kalẽdariũq; Gregorianũ hactenus recuſatũ acciperetur. Duo Pagi fęderi cũ Engedinis ſancito renuntiarẽt. Archidux Leopoldus Curiam pręſidio duodecim annos teneret ſuis impenſis alendo: fœdere cum Auſtriacis antiquitus conſtituto hæreditario durante. *Pacti fœderis cum Hiſpanis conditiones.*

Quæ deditionis cõditiones dũ acerbè nimis implentur; nimia Baldironi Cõquiſitoris ſeueritas, qua Engedinos Proteſtãtes habuit, effecit, vt tã perniciosa, quã ſubita cõſternatione exciti turbatis animis irarũ Prędicãtibus ſubdẽtibus faces, correptis armis in Germanos milites impetu facto è ſuis terris eiecerint. In vico Aceri primũ concitus tumultus, vbi plurimi proteſtantiũ conglobati, mulieres quoq; ferratis ſudibus armatæ vno agmine in Germanos irruẽtes plus centũ momento confoderunt. Eodẽ tumultuãtiũ furore, eodẽq; die Locuprati, Cruzij, & in alijs locis in præſidia ſæuitũ. Poſt eã cędẽ alijs, atq; alijs ſubinde aggregãtibus ſe Proteſtãtiũ manipulis, feruidis côcionibus Caluiniſtis prædicãtibus aggerãtibus iras, illos patriæ libertatis aſſertorũ, ſpecioſoq; Machabęorũ titulo honeſtãtibus; cõferti, dẽſatoq; agmine Curiã iras efflãtes Rodulpho Saliceo populati illuſtri Duce ferũtur. Primo impetu in vrbẽ inuecti, Baldironẽ, qui in illã cũ Catholicorũ reliquijs perfugerat, ſe dedere cõpulerũt, cui neq; à Comite Serbellonio, neq; à Pezenio, ab Hiſpanis Ducibus cũ expedito agmine laborãti ſubſidio accurrere iuſſo potuit ſubueniri; q lẽto gradu tẽdẽs, importunaq; moras in itine re trahẽs, niſi poſt deditã vrbẽ eò potuit peruenire; & quãuis repẽtina facta impreſſione, nullius negotij futurũ eſſet incũ ditã illã, tumultuariamq; agreſtiũ turbã bellicæ diſciplinæ imperitam fundere, & ex vrbe illata clade *Rheti, Heretici repudiato fœdere ruunt in arma.* *Curiam inuadunt.* *Catholicorũ irrita ſubſidia.*

Digitized by Google

depellere; eodem maximè Ioanne Mediceo cum aliquot peditum cohortibus à Tribocibus abductis rapido agmine feſtinante; præterito tamen euentu pauidi, vlteriùs progredi non auſi Bormium, Volturenamq; diuertunt ignauia, metuq; vt ab inertibus militibns fieri ſolet, prudentiæ, cautelæq; obtentu contecto.

Baldironus contumelÿs acceptus.

Baldironus cum mille peditum, & equitibus ducentis Curia egreſſus inter medios Rhetorum hoſtium ordines vtrinq; in longum pretentos iiſdem etiamnum ad ferociam oſtentandam, inſultandumq; victis perticis, & ſudibus armatos, quibus paucis ante diebus eorum ſocios contuderant, non ſine ingenti pudore tranſire compulſus eſt; adiecta alia inſuper contumelia, captis Duce Capello, & Conrado Planta, qui ſe Salicei aduerſarijs prodeuntibus cohortibus inſeruerant. Poſtera die Capellus ſtipiti alligatus maiorum ſcloporum ictibus traiectus occubuit. Planta in vincula Maienfeldij coniecto, qui nihilominus paulò poſt eluſis cuſtodibus, aufugit. Ea expeditione inter cæteros Guleri, & Enderlini virtus emicuit; qui terribiles, tremēdiq; viribus, atq; animorū audacia formidādi ſoli plus quinquaginta Germanos ex Raitnoueri legione peremiſſe dicuntur, qui maiori militum numero validior eos innaſerat. Stephani quoq; Tiſij fortitudo effulſit, qui ſeptingentis peditibus Baldironum viribus inferior aggreſſus egerat in fugam, deſertis victoris arbitrio tormentis, præcipiti furentis multitudinis impetu in bellis veteranorum militum, peritorumq; Ducum experientiam plerumque vincente. Ab hac pugna ſimile portento fuit, omnia Catholicorum cadauera, è ſcrobibus, in quibus defoſsa fuerant, brachia, & manus exeruiſſe: quòd inſanum, ſuperſtitioſumque vulgus eorum pœnæ ſcelerum tribuit: violata ab ipſis in Caſtro vico erga Rhetos fide: ſed terræ humore veriùs intumeſcentia corpora, diſtenta cute, alia manus, & pedes, alia crura, brachiaque protulerunt. Neque hìc reſedit ira victorum; ſed Curiæ renouato inter pagos antiquo fœdere, erectaque è ſordibus Republica, Catholicorum domicilia populati iterum Baldironum congredi auſum illata maiori clade fugarunt; atque in Monteſuri vallem eodem impetu victoriæ prouecti, Auſtriacis terris latè dato terrore, tantum non ipſos finitimos populos cæciderunt. Verum Saliceus tantundem in vincendo fœlix, quantum in capiendis victoriæ fructibus iners, vlterius agmen promouere contempſit; contentuſque præda in inferiores Engedinos tranſgreſsus à Sulzij Comite, ipſoque Baldirono, mortalium rebus, votiſque illudente fortuna, pugna victus, fugatuſq; eſt: qui nouis ſubſidiarijs cohortibus aucti, amiſſis arcibus, opidiſque receptis, pau cis diebus à clade victores Curiam, totamque Rhetiam iterum Auſtriacis ſubegerunt. Lindaniæ Rhetorum legati Archiduci Leopoldo dixere fidei ſacramentum his potiſſimum legibus.

Guleri, & Enderlini prodigioſa bellica virtus.

Cadauerū Catholicorum porten tum.

Heretici in Catholicos ſæuiunt.

Lindō: Rheti in Leo poldi uerba iurāt His legibus

Duo Pagi Maienſeldijque dominatus viua voce, & ſcripto ſuperiorum noxarum veniam ab Archiduce precaretur. Ipſius oppidum Mauſfeldium, Engedini Rhetico imperio parerent: cætera in Archiducis ditionem venirent:

Digitized by Google

nirent: cuius tanquam legitimi domini iuſſa facerent; neque cum aliquo Principe, aut cum duobus pagis fœdus paciſci poſſent; inſcijs Auſtriacis: alioquin annua ſexcentorum penſione aureorum:qui illis ab Auſtriaca domo ſoluebantur non pręſtitę fidei mulctæ nomine priuarentur,non reuocatis tamen initis cum Apoſtolica ſede, Romano imperio, Gallo Rege, & Heluetijs fœderibus, dummodo Auſtriacis rebus non officerent. Engedini in Maienfeldij ditionem ſua iura retinerent: qui etiam poſſent ciuitate donari, & in numerum Senatorum adſcribi, dummodo honeſtæ conditionis eſſent; ſeque à ciendis tumultibus temperaturos iurarent. Liberum foret Auſtriacis, quotieſcumque neceſſitas poſceret, in Rhetia milites centuriare, ac per eam impunè traducere,hac tamen lege, ne plus centũ equites, & pedites trecenti in diem tranſirent; & iter procul vnius diei alij ab alijs hoſpitarentur. Auſtriaci ab omni Rhetia, exceptis præſidijs, copias abducerent, nec ſinerent aliquem ex ſuis vectigalibus Reipublicæ obeſſe. Rhetis arma omnia erepta,ſi quæ reperiri poſſent, reſtituerent; qui tamen Caſtellum Retzunum reficere tenerentur. Omnia Toſanæ, Tauijq; decreta reſcinderentur. Religio Catholica in duobus pagis, Maienfeldijque ditione liberè coleretur: vbique Cœnobia, templa, Sacræ ædes excitari poſſent: expunctis omnibus plebiſcitis, quæ in ipſius, Apoſtolicæque ſedis præiudicium conſtituta fuiſſent. Neque Eccleſiaſtici,neque Princeps ſe rebus Reipublicæ immiſcerent, quas de Proteſtantibus illa ſanciret: niſi in Religionis Catholicæ detrimentum ſtatuerentur. Plexaui templum ritu catholico dicaretur; aliud ſibi pariter Proteſtantes extruerent. Curiæ, Antiſtes de omnibus poſſet Germaniæ gentibus inaugurari. Denique ereditarium cum domo Auſtriaca fœdus à Republica ictum ratum, affirmatumque eſſet.

Quarum conditionum tranſactione in Curiæ ſolemni Rheticæ gentis conuentu probata penè ſe domus Auſtiacæ vectigales fecerunt: amariſſimis ſuorum diſſidiorum fructibus de plebeia inſolentia collectis;qua publica rerum adminiſtratione corrupta,fœdatoque aduenarum immiſſione regimine, acerbiora ab ijs pati, quam à ſuis mitiora paucis popularibus maluerunt. Paucis poſt diebus Maienfeldium oppidum excepta arce ſubito exarſit incendio, omnium prędarum iactura, quas ſuperioribus menſibus vndique ex oppidis direptis auectas Auſtriaci milites tanquam in tutum in illud oppidum contulere: vix è feneſtris, lapſi per funes Baldironus, alijque duces flammarũ incẽdia euaſere:cuius incommodi authores quia fuiſſe Rhetos fama vulgauerat; in vltionem ab Italis quibuſdam, & Volturenenſibus Senſij,Guſchæque tectis ſequenti nocte iniectis facibus conflagrarunt: & ſicuti malorum illuuies, cladiumque congeries ſequi bella ſolent; plurimos milites ingruens violentia luis abripuit, ſoluto cum viſcerum torminibus aluo, ex nimio muſti hauſtu, ſemicoctarumque carnium eſu; Acerbiſſimi inſuper capitis dolores integras ſtrauere cohortes. Tantis malis, quibus conficiebatur exercitus, addita fames abſumpſit innumeros: quaſi

Maienfeldium oppidum incendio abſumptum.

Rhetica duo oppida incendio deflagrant.

Milites peſte tolluntur.

Digitized by Google

quaſi non ſatis eſſet vno mortis genere interire, niſi tot conglobata ſimul incommoda in necem militum conſpirarent: ſed perſæpe accidit, vt Martis ſtudia ſequuti, cum ſuam ſæuitiam, auaritiamque aliorum cędibus, & prædis expleuerint; ipſi quoque, ſi non enſibus hoſtium, fame, febri, lue varijſque afflicti morbis intereant. Ereptis agreſtibus armentis, adeſiſque arua aratro ſubigi, & ſeri non poterant: ex quo orta annonæ caritate; ad Venetos, & Inſubres confugere coacti ſunt, vt commeatuum ſubſidia, ad pellendam famen ab ijs impetrarent.

Fames Rhetos affligit.

Interim dum peſtis, & fames pari cæde in Rhetos, & milites graſſarentur: Volturenenſes nullo cohibēte fræno in mutuam perniciem priuatis odijs acti præcipites ferebantur. Plurimi ſiquidem ſicarij, Myrmillones, decoctores, qui adeſis omnibus fortunis per dedecus viuere, alique ſoliti publici tutamenti ſpecie prætenta, armati in ſuorum hoſtium exitium, nulla imperij, quod nullum erat, reuerentia, inſolentiſſima licentia ruebant. Fumabant continentibus incendijs villæ, abigebantur armenta, diripiebantur ædes; omnia latrocinijs habebantur infeſta: præter innumeras cędes, quibus in ſe inuicem bacchabantur. Plurimi inſidijs excepti per ſummam ſæuitiam interēpti: inter quos Pompei Plantæ conſpicui popularis miſerabilis caſus omnium elicit lachrymas. Hunc domi ſuæ meridiantem apertis foribus nullas metuentem inſidias ipſis eius conſanguineis iuuantibus ſcelus, hoſtes aggreſſi multis inflictis vulneribus confecerunt. Marcinum quoque Camenum diuitem virum fugam in Germaniam meditātē à proprijs neceſſarijs,& ijs, quos ſui corporis ſtipatores domi ſuę aluerat, occupatum ferro in mortem adfectum faber poſtremo adacto capiti candenti ferro adhuc ſpirantem prorſus extinxit.

Volturena diripitur.

Pōpei Plantæ miſerabilis caſus.

Rhetica depreſſa republica, adeptaque ei ferè libertas, & domus Auſtriacæ, in ijs partibus, Hiſpanorumque profectus; quemadmodum Gallos equè, ac Venetos ingenti perculit metu: quòd impleta eorum principum deſtinata: quibus tantopere intercedere contendiſſent: votorumque damnatos eſſe conſpicerent; ita animos excitauit, vt repenti in communem perniciem malo, atque ad certum ſuum exitium euaſuro, præſentia remedia quærerent: quibus oppreſſis Rhetis erectis impendentia diſcrimina auerterent. Quare icto inter ſe ad ſalutem tuendam paucis poſt menſibus fœdere, aſcito quoque Allobroge duce, cui nimia Hiſpanorum erat ſuſpecta potentia: vires ſimul, armaque conferunt, vt communi conatu Rheticæ Reipublicæ in priſtinum reſtitutæ Volturena ab Auſtriacis vſurpata redderetur. Nec mora in Gallia, Taurinis, Venetijs in id fremunt bellici apparatus, Rhetis legatis ad ſolicitanda ſubſidia in ea loca profectis, vrgentibus. Hanc Principum conſpirationem in ſuum exitium gliſcentem Auſtriaci maximè grauabantur; non tam icti fęderis deſtinatis, quam principum ineuntium conditione: quorum vna ſociatis viribus ſe maximo, periculoſque bello implicitum iri animaduerterent. Eorū angebāt animos plura: primum retinendæ in Volturena Catholicæ Religionis, extur-

Galli, & Veneti vna icto fœdere in Auſtriacos arma capiunt.

Digitized by Google

exturbādæq; ab eá prorſus Caluini ſuperſtitionis reſpectus: quẽ etſi fortaſſe
poſtremū, Principes tamẽ ad tegendā alieni cupiditatẽ plerūq; primū ſuis
rebus obtendunt: quod ſuam dignitatẽ dedecere arbitrabātur, Catholicorū
tutelā in Volturena deſerere; ſinereq; coſiterū iugum Proteſtātiū induere:
beneficium quoq; ingens, quo Volturena poſſeſſa, domus Auſtriaca fruebatur:
vbi firmis Germanorū ſtationib. præcluſis mōtiū anguſtijs, ab ea parte
Galli in Italiā arcebātur ingreſſu: Auſtriaciq; dominatᵘ cū Inſubrib. cōmittebātur;
Hiſpanos, Archiducẽq; eò proclinabat, vt totis viribus anim ɔriūq;
vigore niterētur eius vallis ditionẽ, vel fœderatis Principibus oppugnantibus,
retinere: et quācūq; vel grauiſſimi belli aleam ſubire. Verū alia nō minora
ab eo conſilio Auſtriacos auertebant, ſuadebantq; vt componēdæ rei,
declinandiq; inſtantis belli rationem inirent: nam prȩter Principum odium,
ex Volturenæ poſſeſſione conflatum, maxima quoque in ea tuenda, retinēdaque
impendia ab eius belli cogitationibus deterrebant: præter id quòd
pluribus in locis diſtractis viribus, & armis perniciosū omninò videbatur,
noua circum maiora diſtentos bella ſuſcipere: & quod fortaſe magis Hiſpanos
angebat: Galli ferox, & inquies gens in Italiam eo irritamento trahebatur.
Quarum cogitationib. rerū cōfuſæ Principū mentes, Cōſiliarijq; in diuerſa
diducti, quid magis expediret, decernere, intueriq; in ambiguo erant.
Excogitata tamẽ miniſtrorū ſagaci ſolertia extrema, ſibiq; inuicẽ aduerſātia
in ſpeciẽ cōciliādi ratio; nimirū, vt Volturenȩ munimenta, & propugnacula
in Sūmi Pōtificis m nib. deponerētur: & Archidux Leopoldus prȩſidiū
Curia deduceret: vt omnis bellādi occaſio à fȩderatis Principib. tolleretur,
quorū aſſenſu oblatione probata, veluti ſuis rebus, quā Hiſpanis vtiliori, Sūmo
etiā Pōtifice annuēte anno ineunte miſſo in Volturenā ſuo Fratre Fiani
Duci ab Hiſpanis omnes arces, & munimenta, tradita fuere ea lege, vt ex
ȩquo, & bono de cōtrouerſijs, & iurgijs inter Volturenēſes, & Rhetos trāſigeretur.
Eo tamen depoſito fȩderati Principes ſuo voto fruſtrati, nec id, ꝙ
maximè inſtabāt, aſſequuti ſunt, Pōtifice Religionis reſpectu, & Volturenēſiū
precib. Rhetis vallē reſtituere recuſāte: videbantq; omnes conatus, & officia
apud Pōtificẽ f. uſtra futura ſi id ab eo cōtenderet: ꝙ in ea re ex animo
cū Hiſpano Rege ſentiret; videbatur à ſūmo Sacrorū Antiſtite alienū Catholicos
Caluiniſtis omniū hȩreticorū peſſimis ſubijcere, qui à rebellib. acerbiſſimas
pȩnas expeterēt, ſi iterū in eorū ditionẽ venirēt. Quamobrem, etſi
Gallus legatus ingenti animi ardore, omnib. artib. vſus fuerit, vt Pōtificẽ iu
ſuā ſentētiā impelleret, nihil tamẽ eius ſui tenacẽ propoſiti animū legati ardētia
officia, flagitationeſq; mouerūt. Poſtremò retulit, ſuū Regẽ Volturenā
quartū pagū trib. cȩteris additurū, beneficiarijq; Ludouiſiȩ gētis iuris eſſet:
ratus eo ſe oblati principatus illicio Pōtificẽ in ſua vota tracturū: iterū ille
Catholicȩ Religionis venerationẽ cauſatus conſtanti animo oblata reiecit.

Volturenæ poſſeſſio Auſtriacis opportuna.

Decernitur vt in Summi Pontificis manibus Volturena deponatur.

Summus Pōtifex negat ſe hæreticis Volturenā redditurū.

Dum hæc agerentur, Pontifex Gregorius, vbi duos annos Eccleſiæ prȩſedit,
repentino animi, corporiſque omnes artus ſtupentis deliquio deceſſit:
ſua tamen eo exiguo temporis interuallo ampliſſimis, inuidendiſq;

Gregorius XV. extinguitur.

diuitijs

diuitijs aucta, honeſtataque familia. Nam opulentiſſimis Romanæ aulæ purpuratis per eos dies extinctis, omnes eorũ diuitias, & opes in Nepotum ſinus nimis prodiga fortuna congeſſit; quaſi ad Ludouiſios ditandos frequentia Cardinalium funera, illis propitia, & amica denſaret. Gregorio Maffeum Barberinum omnium ferè Patrum ſuffragia, vnanimi conſenſu, ac lætiſſimo ſufficerunt: Heroem ſanè omnium virtutum concurſu inter prima, ingẽtiaq; ſummorum Antiſtitum nomina recenſendum: quo admirari licuit celeſtis Numinis in moderandis mortalium rebus prouidentiã; quæ iniquiſsima mox fore tempora præcauens eam virum fluctuaturæ propediem Eccleſiæ præfecit, cuius maxima cunctarum rerum prudentia, inter vndarum æſtus, pelagique furentis horrores ſecuram Eccleſiæ ſeruare nauim; atq; in tuta ſtatione ſiſtere poſſet. Vrbani Octaui ſibi nomen aſſumpſit.

Maffeus Barberinus Gregorio ſubſtituitur

Nouo Pontifici ſe protinus Federatorũ legati Principum circũfundunt, ſpe ducti illum æquè propenſo animo in utramque partem inclinaturum, neque alterius magis fore ſtudioſum. Summa ope nituntur, vt Galli Regis votis indulgens, eius iuſta, Venetorumque deſideria communis Pater impleret. *Quærebantur ſe Volturenæ munimentorum, & arcium depoſito alacres aſſenſiſſe, ratos ea antiquis Dominis redditum iri; ſed hactenus ſe irritos ſpei fuiſſe, Volturena adhuc reuera ab Hiſpanis ſtante, & ſi in ſpeciem præſidijs Pontificis teneretur. Ipſius eſſe vniuerſi omnium Parentis litem componere: Itaq; ab eo ſupplices flagitare, vt quàm primum iuſto arbitrio de ea controuerſia decideret: vt mox exarſuri belli inter Chriſtianos Principes cauſa tolleretur. Ex ſua igitur Paterna miſeratione, ſummaq; ſapientia pernicioſa Chriſtiano orbi diſſidia pacaret, rariſſimæ de ſuis clariſſimis virtutibus in omnium mortalium mentibus concitatæ expectationi reſpondens. Fœderatorum Principum vota expleret: ſuique Pontificatus exordia hoc præclaro pietatis, prudentiæq; opere inſigniret, reddita ſuis dominis Volturena: alioquin nulla ratione poſſe prohiberi, quin totam Italiam cruenta bella inter Reges oritura concutiant.*

Principes ab Vrbano flagitant, vt Volturenam Rhetis reſtituat.

Quibus Pontifex *ſibi culpæ non eſſe dandum ſi de Volturenæ rebus, ea ratione, quàm æquitas poſceret, non decerneretur: à ſuo Præceſſore plures eius pacandi diſſidij excogitatas eſſe rationes; quæ ſi hactenus eſſent infectæ, non Pontifici, ſed Gallis, alijſque fœderatis vitio vertendum eſſe; qui nimis Rhetorum ſtudioſi immodicis deſiderijs accenſi omnem in ea re Catholicæ Religionis, Apoſtolicęque ſedis reſpectum negligerent. Suo omninò inſidere animo Volturenenſes, quantum ad Religionem pertineret; liberos in eorum auita pietate firmare; ita diuinq, humanaque iura à Pontifice poſtulare: ſe citra Dei offenſam, Pontificiæq; Maieſtatis labem tam honeſtæ, iuſtæque cauſæ patrocinium deſerere non poſſe. Ipſi incolumi, indemnique Religione finiendæ litis rationem meditarentur: ſe non modò veluti ſequeſtrem, ſed etiam auctorem polliceri.*

Pontificis reſponſio ad Principes.

Subiecere Galli *ſe Catholicam Religionem ſemper ſaluam, atq; incolumen voluiſſe, eamq; aliarum omnium rerum reſpectibus prætuliſſe: verum ſi Hiſpani*

Rationes quibus Rhetis ſit Volturena reddenda.

ſpani

ſpani ſuę cupiditati Religionis titulo prælato, Volturenam Rhetis eripere, eorumquè montium clauſtris potiri, atq; anguſtiarum alpium arbitri eſſe contenderent; illud enim verò minimè neque à ſe, neq; à Summo Pontifice ferendum: ipſum quoq; præter Pontificium ſacrorum cydarim, humanarum rerum Principem eſſe; etiam, atq; etiam ei videndum eſſe, ne nimia Hiſpanorum potentia, præcluſis in Germaniam aditibus, Italos Principes aliquando eſſet oppreſſura. Volturena itaq; Rhetis ſalua Religione Catholica redderetur: cui omninò cautum vellent, ne iterum eius contemptus diſſidia conciret.

Verum Hiſpani Pontifici obteſtabantur, ſe nullatenus velle, Volturena in Rhetorum ditionem, poteſtatemque rediret: ne barbaræ gentis ſæuitiam proditi à ſe turpiter indigenæ experiri cogerētur: Non Hiſpanici decoris eſſe, ſemel ſuſceptum miſerorum ſuam opem poſcentium, Catholicæque religionis patrocinium fœdè deſerere: inſtabantque alia, quibus in dies nouis ſubinde exorientibus difficultatibus, turbata adeo tranſactio eſt: vt componendæ litis ſpes omnis effluxerit. Rex itaque Gallus ſibi illuſum ratus, eò magis, quòd poſtremò Volturenæ munimenta, ac propugnacula Rhetis reſtituere recuſarit; ſicut ille ad fugiendum cum Eccleſia bellum artificiosè contenderat: decreuit, vna cum Principibus fœderatis armis repetere, quæ tranſactione ciuili obtinere non poterant. Strenuè igitur in bella conſurgunt, Fœderatos ad arma maximè ipſis vrgentibus; qui etiam ſi Archidux Leopoldus ſuum præſidium Curia abduxiſſet, Hiſpaniq; nudatam ſuis Volturenam ſtationibus reliquiſſent; alijs tamen de cauſis ſe ita opprimi querebantur: vt etiā ijs indultis, ſe parū ſubleuari ſentirent: immo grauioribus aggeſtis in vltionem, farciendaque damna rapi. Leo poldus ſiquidem in eam curam incumbens, vt ſe in captarum terrarum poſſeſſione firmaret; ex ijs Prædicantes Caluiniſtas expulerat; erectis vbique propugnaculis, & munimentis, acceptis quoque obligatæ fidei pignoribus à tribus pagis obſidibus, petebat, vt ſuum Conquiſitorem in ſuos populares conuentus admitterent: pollicerenturque militum aduerſus alios Rhetos auxilia: ſi qui à ſe deſciſſerent; traderentque ſibi eos omnes, qui aduerſus Principes Auſtriacos obloquuti nouas res molirentur: quemadmodum etiam Nicolaus à Balneis à Summo Pōtifice Valli præfectus, vir exactæ prudentiæ, & magnæ authoritatis ex ea Prædicantes omnes Lutheranos, & Caluiniſtas eiecerat; id ſolum ſtudens, vt vbique Catholicam Religionem induceret: pulſis, cæſis, laqueo ſuſpenſis ingenti populorum applauſu Caluiniſtis. Alexander etiam Scapius Apoſtolicus nuntius ſuum munus ſedulò, ac ſolerter exercens in Rhetiam, atq; adeò in ipſam Curiam ingreſſus Proteſtantium licentiā frænarat; addictiſq; Patribus Capuccinis, aliſque religioſis familijs cenobijs, & templis, Michaeli Luffero, Sebaſtianoque Caſtelbergo Rheticę gentis primaribus opulenta Sacerdotia, quæ diu tenuerant, eripuerat: & Sebaſtiano ad viri ludibrium barbam vmbelico tenus promiſſam totonderat: obtinerique à Senatu Caſati Comitis Hiſpani legati precibus motus; vt prędicantes è ſuggeſtibus

Hiſpanorū contentiones.

Galli, & Veneti in bellum armantur.

Leopoldus Rheticarum terrarū poſſeſsionem affectat.

Bagni.

Nicolaus Hæreticos inſectatur.

Digitized by Google

Quales prædicantium hæreticorũ conciones.

geſtibus in Pontificem, & Auſtriacos Principes inuehere prohiberetur: ſicuti eorum moris erat inter concionandum eos maledictis inceſſere.

Ad flagrantia Rhetorum ſtudia, promptaque vltionis deſideria, Germanorum quoque proteſtantium Principum hortamenta incentiua cumulabant; qui Vangionum iactura, depreſſiſque ſuis non minus turpiter, quam perniciosè partibus, Auſtriacæ potentiæ infenſiſſimi, eam varijs bellis affligi, implicarique turbulentijs ſuum profectum, reſque ſuas promoueri putabant. Quare hortationibus, pollicitis, precibus ſumma animorum contentione apud fæderatos Principes, & Rhetos egerunt: vt tam honeſtam cauſam totis viribus tuerentur: ſed ſe ipſos excuſſo fortiter Hiſpanico iugo, armis aſſererent. Rheticus ſenatus ad tot impulſus animos ſumens amiſſi recipiendi cupidus ſpretis Auſtriorum officijs, bellum decreuit; reiecta in Pontificis duritiem, obſtinationéque culpa; qui Catholicæ religionis cauſa ſinere nollet iterum Volturenenſes in Rhetorum poteſtatem redire; Hiſpani quoque Regis aſperitatem cauſatus, qui Volturenenſibus receperat numquam ſe illis Rheticam Rempublicam dominari paſſurum. Sanè maligno quorundam inuento exijt in vulgus, ad ferenda inter Hiſpanum Regem, & Pontificem diſſidia illum cum Gallo, Danoq; Angloq; Regibus, & Batauis, arcano fœdere aduerſus Auſtriacos cõſpirare, ea potiſſima de cauſa, vt Neapolitanum Regnum antiquiſſimum Eccleſiæ beneficarium armis repeteret; quod conſtabat plures ipſius anteceſſores ab Hiſpanis teneri impatientiſſimo animo tuliſſe. Nam cum paucis ante diebus Auenione Romanæ ditionis vrbe, ab eorumdem Principum miniſtris priuatorum nobilium habitu in diſſimulationem ſui compoſitis, ne cultu corporis proderetur; in quadam caupona ictum eſſet fœdus ijs legibus, vt non ſolum communibus viribus, & impenſis efficerent vt Vangiones Palatino, & Volturena ſuis dominis redderentur; ſed etiam vſurpati Eccleſiæ dominatus Hiſpanis erepti Pontifici reſtituerentur; videbatur, cum id in Eccleſiæ vrbe tranſactum eſſet; nonniſi conſentiente Pontifice, ea fuiſſe conuenta. Quibus de rebus Hiſpani quoque inſidias ſuſpicati, eumque conflari turbinem in Auſtriacæ domus excidium; non tam principum dubiam aliorum fidem verentium, alienaque opera non boni conſulentium more, quàm quibuſdam in Volturenæ rebus agendis euentis (Sicuti fieri non poteſt; vt in magni momenti negotijs, in quibus varia occurrunt ingenia, diuerſaque commoda, atque incommoda intercedunt; contentiones, diffidentiæ, ſuſpicioneſque vitentur) non æquè ſecum actum rati, verebantur, ne Pontifex in Gallos propenſior eorum vota ſecundãs fœderatorum molimina promoueret, vel ſaltem conſilijs in arcano aſſentiret: quamuis ille in neutram partem ſe inclinare; neque magis vni, quàm alteri Regi adhærere dictis profiteretur; nihilonimus metuens nimiam Hiſpanorum in Italia potentiam, indignatus quoque eorum in Vrbinatis ditionis mox ad ſedem Apoſtolicam deuoluendæ rebus ſecretis interceſſionibus, & ſi deinceps, ne Põtificis animum à ſe alienarent, ſaniori conſilio,

Rheti ad Volturenã repetendam arma expediunt.

Auenione arcanũ fædus percutitur contra Auſtriacos.

Hiſpani auerſum in ſe Põtificis animum ſuſpicantur.

ſilio, ab ijs abſtinuiſſent: in id efficaci cura excubuerat; vt aliquem Hiſpanorum cupidini poneret modum, rigoremque moderatione temperans, aſperitatemq;, & facilitatem alternans Regis miniſtros anxios, ac dubios de ſui ancipitis animi fide vexabat. Quare illi perpetuis officijs, & obſequijs eum demereri, & à Gallicis partibus auellere ingenti ſolicitudine conabantur.

Hiſpanorũ cura in trahendo in ſuas partes Pontifice.

Verum citò inanis, malignaq; Pontificis cum ijs Regibus fœderis ſuſpicio euanuit; quòd omninò abſurdum, atq; ridiculum videretur, ſummum ſacrorum Antiſtitem cum Caluiniſtis, & Lutheranis in Catholicæ fidei, ſuamq; ipſius perniciem iniquo, impioq; fœdere conſentire: immo conſtat ex animo ſuccenſuiſſe Gallis, quòd Volturenam nullo Apoſtolicæ Sedis reſpectu, immiſſis peditum cohortibus, inuaſiſſent: expedieratque pecunias, & copias ad eam tuendam, niſi pax inter bellantes conſtituta fuiſſet. Quamobrem Hiſpani ſinceri Pontificis animi certi eum impenſiùs venerari, colereq; ſolito magis veluti ſummæ dexteritatis virum, miræque prudentiæ cœperunt: quòd in eo diuturno negotiorum difficilium curſu ſe alterutri parti ſtudentem exhibuiſſet, atque inter duos Reges medium ſe ferens in id ſolum intentiſſima cura incubuerit; vt eiectis omnibus è Volturena hæreſum ſordibus, Catholicæ fidei candorem intaminatum in ea ſeruaret; ne paulatim Caluiniſtica lues, & virus in Inſubres, atq; adeò in totam Italiam irreperet.

Pontifici ſ dexteritas, & prudẽtia.

Fœderati Principes, vt ſuas poſtulationes, & preces, fruſtra eſſe, atq; irritas vident; nec minas, intentataq; arma Pontificem, & Auſtriacos poſſe ad reddendam Volturenam impellere, belloq; id aſſequendum eſſe, quod pacatè concedi, nulloq; incommodo potuiſſet; ad arma vniuerſi proſiliũt: miſſiſq; ad Rheticos fines peditum cohortibus bellum communibus viribus auſpicantur. Ad belli Rhetici famam plurimi profugi patriæ repetendæ deſiderio in fœderatorum caſtra conuenere; quorum aduentu auctus exercitus, cum ijs, quos Reſpublica conſcripſerat, validior quodlibet bellicum facinus poterat audere, & Curia Auſtriacos, Rhetiaq; omni, & Hiſpanos Volturena depellere. Heluetij Rhetis finitimi aliena pericula quieti ex tuto ſpectabant. Siquidem vbi parum proſperè prima tentamenta ceſſere, retractis, quæ miſerant, peditum ſubſidijs, poſitis tantum ad montium anguſtias cuſtodijs, intra ſuas terras pacati ceſſabant. Hos Rhetis, & populorum multitudine, & bellica virtute, & dominatus amplitudine longè maiores, ferocioreſq; fœderati Principes in belli ſocietatem trahere nitebantur, rati gentem viribus præpotentem, ſi in partes impelleretur, maximũ momentum ſuis rebus additurum. Miſſa igitur honorifica legatione ſolicitant, vt ſi eodẽ ſe fœdere obſtringere abnuant; ſinant tamen validas peditum cohortes de ſuis pagis authorari. Duce Demarcho Coureo, qui legati nomine è Gallia in Heluetios nuper aduenerat; reuera tamen, vt vniuerſi exercitus imperator illud bellum adminiſtraret. Heluetij habebant ſolemnem Soliduri conuẽtum; ad quem ſe Miro Galli Regis, Hieronymus Cauaccius Venetæ Rei-

Fœderati bellum in Hiſpanos incipiunt.

Heluetij à Rhetis rogãtur auxiliũ.

Heluetiorũ conuentus.

Digitized by Google

publicæ,Rodolſus Trauerſius, & Iacobus Schemidius iuris peritus Rhetorum legati ad poſcenda in id bellum ſubſidia,vocandoſq; in ſocietatem fœderis contulerunt.Schemidius ſuæ gentis ita cauſam egit;vt quamuis Apoſtolicus Nuncius, Hiſpaniq; miniſtri omnibus pedibus obnixi ſtuduerint Heluetios à iuuandis Rhetis auertere, illi tamen vicino ſociorum periculo, miſerationeq;moti,& ſi non apertè in eorum fędus iuerunt:agmina tamen militum à Coureo ſcribi de ſuis popularibus ſiuerint, qui ab Heluetijs ſecurus cum iam octo peditum millia, & equites ſexcentos præter duo Rhetorum exulum millia ſub ſignis haberet, Nouembri ineunte in agrum pagi Cathedralis cum vniuerſo exercitu tranſgreſſus Curiam recta properè duxit:ex qua Archiducis miniſtris tam inopinatum Gallorum impetum minimè metuentibus expulſis, ſummo omnium Rhetorum applauſu Senatum in libertatem aſſeruit;inde feſtinato in Volturenam agmine demiſſo,eadem celeritate Pontificios præſidiarios inuaſit. Tiriani tunc Demarchus à Balneo exiguo militum numero ceſſabat; vtpote qui nihil tale auſuros Gallos veritus nullis ſe firmioribus munimentis, & militum præſidijs obſepſerat: exauthorata etiam Pontificis iuſſu nimias in alendis copijs faſtidientis impenſas,dimidia exercitus parte,cognitis tamen fęderatorum conſilijs,contracto,quòd erat,militum ſe ad excipiendos eorum impetus expediuit.Raptim coactis in ordines cohortib. exploratiſq; oppidi propugnaculis, iiſq; omnibus ex militari diſciplina conſtitutis, quæ hoſtium feſtinatio, & temporis anguſtiæ fieri patiebantur,præcipitibus,vt aſſolet,nuntijs,ſubita ſubſidia Hiſpanorum acciuit. Ad Coureum quoq; Bernardum Taſcam,& Iuriſperitum Quadrum legauit oratum, vt à tentandis bello arcibus Summi Pontificis fidei commiſſis abſiſteret. Nihil tamen Courei animum Pontificij Ducis obteſtationibus irridentis poſtulata affecerei immò promoto ad mœnia exercitu cęptis ardentiùs inſtitit.Quare Pontificij ſe in arcem recipere trepidè compulſi, oppidanos deditionem pactos, & Hiſpanos à Volturena Serbellonio Duce,deluſis Demarchi votis, profectos accepto nuntio, ſe contra Gallorum vim infractis animis parant. Coureus circunfuſo agmine arcis oppugnationem, necemq; minatur,niſi ſe protinus dedant. Hiſpani ad Gallorum Tirianum obſidentium nuntium regreſſi Berbenum vſq; penetrauerant, eo conſilio, vt Gallos ab ea oppugnatione depellerent, vel ſaltem arci ſubſidium inferrent. Verum cognito Volturenenſium plurimos, aut largitionibus, aut præmiorum ſpe corruptos in fœderatorum partes tranſiſſe, & à Venetis noua hoſtibus aduentare auxilia, ſexq; ingentia muralia tormenta per montium ſalebras atque iniqua, etſi ægerrimè, trahi, cum & Dux Pontificius cum ſuorum militum diſcrimine illis ſeruare propugnacula, quod magis inſtabant, recuſaret, veriti pugnæ aleam retro redire decernunt. Demarchus cum ſe deſertum, atq; in anguſtias adductũ videret,nec operæ pretium futurum,eas arces,& oppida propugnãdo,ſuos milites incerti Martis periculis obijcere,domeſticum ſuum à ſecretis emiſit ex arce, qui cum Gallo Duce de deditione tranſigeret; de qua extemplo

Coureus Auſtriacos inuadit, & in Volturenam inuehitur.

Coureus Demarchi Pōtificij Ducis poſtulata cōtemnit.

Hiſpani mouent in Gallos.

Eorum receptus.

con-

conuentum eſt, ijs præcipuè legibus, vt præter omnium libertatem, Pontificij panſis vexillis, ſtrepentibus tympanis, quatuor muralibus tormentis arce prodirent, in repertorio bellici apparatus in arce relicti ad Pontificem ſpectantes ſcriberentur illi ad eius arbitrium reddendi. Dux Pontificius Morbinium, tradita Gallis arce, deducto agmine permiſit duas Hiſpanorũ cohortes in Mezolæ ripa, circũiectiſq; locis diuerſari, cuius occaſione ſtationis aliijs, atq; alijs ſubinde ſe aggregantibus eius gentis manipulis, integrum eorum locorum dominatum aſſequuti ſe contra Fœderatorum Principum vires, armaq; firmarũt. Coureus Tiriano potitus ſociatis cum Aloyſio Valereſſio ſupremo Veneti agminis Duce viribus, Sondrio ſucceſſit; vbi Ricciardus Scottus cum aliquot peditum cohortibus curabat.

Demarchus Gallis dedit arcem.

Primo die Gallus fixis tentorijs per tubicinem denuntiat, vt oppidũ dedat; qui miſſilium tormentorumq; iactibus ſtrenuè ſanè, ſi perſeueraſſet, reſpondit. Nocte foſſores educere aggeres, admouere mœnibus vineas, aperireq; ad oppidum militi aditum: cuius acceſſus occaſione aliquot velitationibus obſeſſi opus remorati Ducis Maſſouij nece eam inſignem fecere pugnam: qui cum luna maximè pernox clariſſimè fulgeret; incautè nimis promoto ad mœnia gradu maioris ſclopi telo ictus illicò expirauit. Summo mane luce adhuc dubia libratores collineatis in muros tribus ingentibus tormentis tonare fulminibus in oppidi munimenta, ac tecta cęperũt; obſeſſi remiſſo priſtino animorum vigore, rubeo ablato vexillo, quòd ad oſtentandam ferociam in mœnium lorica erexerant; ſublataq; candida ſyndone deditionis inſigne, tubicine ad paciſcendam deditionem ad Coureum miſſo, hoſtibus oppidum reliquere.

Galli Sondrio ſuccedunt.

Præſidiarij Gallis oppidum dedũt.

A Sondrio arx Bormij tormentis cępta pulſari. Præſidio præerãt Cęſar Scottus, & Ioannes Baptiſta Cantus: qui arcano alloquio cum Rodulpho Saliceo de deditione conuenit, hac tamen lege, vt ad dignitatẽ bellicam retinendam tres dies fictis tormentorum verberationibus oppidum quateretur; quibus elapſis decederent arce. Ita prorſus actum non ſine ipſorum ingenti dedecore, ac labe: qua Cautus æmulorũ contumelijs proſciſſus paulò poſt nimio dolore Bononiæ extabuit. Bormiũ tota repẽtè ſequuta vallis in fęderatorum poteſtatem venit: quæ omnibus quinq; ante annos ictis ſęderib. renũtiato, in Regis Galli fidẽ partim coacta, partim ſpõte cõceſſit. Ille ad demerẽdos populariũ animos, vt Gallicũ iugũ libentiorib. animis paterẽtur; pollicitus eſt ſe nunquã Rhetis arces, & propugnacula traditurũ, electurumq; arbitros, qui eorũ controuerſias, & iurga componerent.

Bormium quoq; Gallis cedit.

Bormij fortunam tota ſequitur vallis.

Voltutenenſibus exarmatis, Coureus Clauẽnam toto agmine properauit; qua paucis diebus potitus, acceptis nouis militum ſupplementis, Antonino, Barbullio, aliiſq; Venetis Ducibus, firmior ad lacus litora tendit, vbi Hiſpani Campo, Nouato, & Mezolæ ripa munitis, ſe Gallorum victricibus copijs obijcere expedierant. Hæc loca Hiſpani non terreſtribus tantum viribus, ſed etiam myoparonibus Genua à nautis peritis aduectis ſtrenuè tuebantur, quibus traductis vltrò, citròq; facilè commeatibus, militumque ſubſidijs, fruſtratis hoſtium conatibus, periculi ſecura præſtabant. Fœderati

Coureus in Clauennam vallem ingreditur.

Galli Hiſpanos in [illegible]propugnaculo oppugnare aggrediuntur

ijs ſitus difficultatibus præpediti, arduis ſe montium per interualla tollentibus iugis, præciſumq; continentem crebris lacus interfluentibus euripis, cum difficile admodum nocere hoſtibus poſſent, Aloyſius Georgius Dux Venetus ſummæ virtutis, qui Valereſſio febri tentato ſucceſſerat, accito Venetijs rei maritimæ,conſtruendarumq;nauium peritorum artificum numero,compactis protinus celocibus, æquata altera virium parte, non exigua incommoda hoſtibus attulit. Coureus Campum primò aggredi ſtatuit;miſſaq; per Clauennæ viam copiarum parte, quæ oppidi muros inuaderet:reliquum agmen à Volturena munimenta ſubire iubet. Hiſpani inuadentium impetum ſtrenuè repulere; ſed tamen peruicax Gallorum virtus effecit;vt Sarbellio præſidij præfectus diffidens ſe diù oppidum poſſe tueri, ſi iterum Galli muros inuaderent;nocte ſilenti agmine,eo deſerto, Nouatū præſidium abduxit. Galli verò locum hoſtibus vacuum ingreſſi vicinū mōtem ſuperare, ſuaſque copias ſocijs in Clauenna valle bellantibus iungere moliuntur; vt conglobatis ſimul viribus validiores ab omnibus locis Hiſpanos violentiori impulſu deijcerent. Sed antequam vlterius prouehamur, quædam præcipua oppugnationis campi exequenda ſunt. Succeſſere mœnibus ex Gallis Granpreus, & Rondacchus ex Venetis cum ſuis cohortibus Duces: alijs peditum agminibus in Hiſpanos immiſſis, vicino montis inſidentes iugo. Arriſere primi aggredientium conatus: Hiſpani ſiquidem eruptione facta, cum Gallorum, Epirotarumque vim diutiùs ferre non poſſent, acti in fugam inſtante ferociter victore, fœdiorem cladem accepturi erant, niſi repentinus Granprei maioris ſclopi miſſile traiecti interitus prementium hoſtium terga curſum, cędemque tenuiſſet. Qua perſequentium mora Hiſpani, vt eſt gens ſubiti, certioriſque conſilij, ſalubriora momento temporis aduertenris, diſiectis cohortibus in ordines coactis, animoſiores pauore hoſtium redeunt in pugnam. Burcardus Heluetius Baſilienſis Granprei ductum ſubijt, ſed non meliori euentu; nam dum milites recedentes inclamat, vt ſiſterent gradum, pedemque conſerti Hiſpanis iam ſuſis inferrent, in incertum è maiori ſclopo contortum telum ignauiam ſuorum increpantem adactum illius viſceribus interemit. Quare Hiſpani æquiori pugnæ fortuna conſpecta ſe mutuis hortationibus animati, vt ea profligandi hoſtis opportuna occaſione vterentur, in Gallos, & Venetos ſtipatis ordinibus acerrimo impetu inuehuntur, illatoque haſtatæ cohortes gradu, quibus hoſtes carebant; plurimos cuſpidibus confoderunt, cæteris vſque ad montis crepidinem pulſis; ibi repentè, magno ſanè fortunæ luſu, Martiſque variantis ludibrio, res mutata victores iterum perculit: offenſo Petro Gulero, Milanderoque cum quadringentis Heluetijs, & Rhetis, atque alijs cohortibus, qui ſuis ſubſidio accurrerant. Itaque rurſus victi, fuſi, cęſique Hiſpani, vndique à monte, a plano, in latera, & frontem in illos incurrentibus fœderatis. Gulerus per agmina diſcurrens elatis vocibus imperabat,vt ibi ſe,preſſo gradu,munirēt:id à Supremo copiarum

Campi oppidi oppugnata.

Granprei cædes.

Burcardi interitus.

Galli, & Veneti funduntur ab Hiſpanis.

Hiſpani victi,fugatiq.

Duce

Duce iuberi, ſed ſurda imperantium Ducum vocibus auaritia, & prædæ cupiditas ad ſpolianda hoſtium cadauera milites vſquequaque diſiecit: quo animaduerſo Hiſpani, diſſipati hoſtis opportunitate vſi, nouis recentium cohortium ſubſidijs acceptis, compreſſa fuga, ſumptiſq; animis, in ſparſos impetu facto, nullo negotio in fugam pulſos ad ſatietatem cędunt: digna profectò auaritiæ pœna; nam dum prædas quærunt, ſpreta militari diſciplina, vicini hoſtis, vt victi, contemptu, ſpoliorum cupiditate abrepti diſſipant ordines, mortem inueniunt.

Hiſpani mox victores hoſtes cædunt.

Sequentibus diebus nihil remittente Martis ſæuitia, inter illas rupes, & cautes, montiumque anguſtias, vtrinque ferociter non tam ſcloporum miſſilibus, quàm ſaxorum iactibus, & fuſtibus pugnabatur. Hi ab Hiſpanis in Gallos non ex belli legibus ſęuitum; plures enim eorum in montis faſtigio captos, vna funibus vinctos præcipites per eos rupium deiectus, abſciſſaſq; rupes egerunt, contuſis, fractis, crebro ſaxorum eminentium alliſu corporibus ad ima proruti humanæ figuræ ſpecie prorſus fœdata, lacerata tantum viſcera ingenti ſpectantium horrore oſtentabant. A Gallis quoq; audita hoſtium barbara feritate, captis redditæ vices, repenſaq; ſęuitia. Pari in aquis, atque in continente feruore Martis inſania furebat, cruentis hoſtilium nauium occurſibus, & vt ſunt crudeliora naualia certamina fugam intercipientibus vndis, cum vincendum eodem ſtantibus gradu, aut moriendum ſit; ita ab epibatis ferociter certabatur, vtriſq; aduerſarios vincere nitentibus; vt miſerrima pugnantium cedes, ſtrageſq; oriretur: ferè ſemper tamen Hiſpano ſuperante, qui Clauenæ obſeſſis anguſtijs, liberum ad lacum aditum, apertamq; ſubſidijs, quæ ab Inſubribus mittebantur, viam tenebant. Courei nihilominus milites propugnaculum loderam, vel Hiſpano fortiter propugnante, ceperunt: ſarcita tamen illata hoſtibus ad Nouatum clade iactura, vbi poſt varios iteratos vtrinq; impetus, fluctuante pugnæ fortuna, Galli tandem, Rhetiq; pulſi, fugatiq: ſunt, Vaubecurſi ſocordi incuria, cui cum eſſent ſuis velitantibus ſubmittenda ſubſidia, diſtulit tormentorum hoſtilium metu, quæ ad criminationem, culpamq; purgandam contra ſe librata fuiſſe affirmabat.

Sæuum mortis genus ab Hiſpanis in Gallos exercitum.

Naualia certamina inter Hiſpanos, & Gallos.

Galli, & Rheti fugātur ab Hiſpanis.

Fœderati, quamuis noua militum ſupplementa, & militi admetienda ſtipendia à Venetis miſſa, quorum pręcipuè impenſis illud bellũ gerebatur, in caſtra perueniſſent; ceſſare inutili, dãnoſoq; otio in ſuis ſtationib. cogebãtur Coureo ira fremente, qui ingenio iracundus, & acer ſeipſum continuis querimonijs, alioſq; torquebat, iniquam fortunam, Rhetos, Volturenenſeſq; ipſos incuſans; quos malè à Gallis acceptos, iniurijs militum aſperatos parum in ſuas partes propenſos, immo à ſe auerſos experiebatur: quodque illum magis pupugit, Proſperus Quadrus iuriſperitus, cui maximè fidebat omnium arcanorum conſcio, adeundi Robuſtelli, alioſq; popularium ſpecie, vt in fœderatorum traheret partes, profectus è caſtris ad Hiſpanos transfugerat, apud quos de iniurijs, à Gallorum inſolentia popularibus ſuis, ſibique illatis acerbiſſimè queſtus, calamo quoque litteratorum telo,

Volturenenſes Gallis, & Venetis infenſi.

Digitized by Google

Galli libellis lacerantur. vulgato pleno contumelijs libello Gallorum ſcelera, perfidiã, impietatem, templis, ſacriſq; rebus prophanatis, rapinas ignominioſiſſimè lacerabat; ipſumq; Coureum dementiæ, nullius Dei metus, præfracti, violentiq; ingenij infamatum, in omnium Volturenenſium odium inducere, Gallorumque latrocinijs, ſacrilegijſq; memoratis, eam gentem inuiſam populis facere conabatur: manante, noxarum, facinorumq; militum in Ducum ignominiam, & dedecus labe; quòd ſui muneris negligentes eorum ſcelera non debitis ſupplicijs coerceant. Nec Quadri criminationes futiles extitere, puncto acriter Conreo, qui ad eleuandam gentis Gallicæ turpitudinem, minuendamq; infamen ſuorum militum exiſtimationem, aliquot *Gallorum ſupplicia reorum.* ſacrilegij deprehenſos ad aliorum documentum alligatos ad ſtipites maiorum Scloporum deſtinatis ictibus interfici iuſſit. Eodem ſupplicij genere in copiarum legatum, & cohortis ſtatorem, memorabili ſanè abruptæ ſententiæ animi decreto, animaduerſum, delatum in plectendis ſuis militibus negligentiæ, qui ædes quaſdam ſacras expilauerant: ratus militum noxas in Ducum capita refundi, eorumdemq; ſcelerum reos eſſe, niſi militum inſoleſcentium contumaciam, iniquitatemq; merita pœna caſtigent. Non enim tantum cohortibus præficiuntur, vt milites ex bellica diſciplina in acie ducant, erudiantq; ſeruare ordines, atq; in hoſtes perita ſtrenuitate pugnare; ſed etiam, vt in officio contentos ab iniurijs in populares violentia, ab audendis ſacrilegijs, ac ſceleribus frenent. *Præfectorũ munus.*

Hæc mutua armorum Regum ſe inuicem laceſcẽtium irritamenta Summi Pontificis animum ingenti cura coquebant: quòd ijs offenſis acerbatis inuicem animis leuia certamina in maximum bellum eruptura erant, niſi maturè comprimerentur, eaſq; exiguas Volturenenſis belli ſcintillas ad totius Chriſtiani orbis perniciem horribile fuſuras incendium, vt inter potentiſſimos Principes vaſtis animis imperij, maieſtatiſq; deſideria verſantes fieri poterat: niſi ſubito accurſu extinguerentur.

Quare non tã de cõmuni populorum quiete, quàm de Religione Catholica in ijs locis ſeruanda ſolicitus Franciſcum Barberinum Cardinalem nepotem ſuum ſummæ indolis Principem pacis ſequeſtrem ad Gallum Regem legauit; vt eius in terris maxima, quàm agebat, authoritate perſonæ, ſuiq; ingenij ſolertia Regum diſſidia componeret. Pontificia, Etruſcaque claſſe in Galliam aduectus Maſſiliam auſpicato appulit. Ibi à Proceribus Gallis omnibus humanitatis, honoris, venerationiſq; ſignificationibus exceptus eſt. Nullam tam ſplendidam, pariſq; magnificentiæ, ac dignitatis legationem ſuperioribus annis in Gallias miſſam à Romanis Pontificibus meminerant Galli. Franciſcus ſiquidem Pontificiæ maieſtatis magnitudinis ijs populis cupidus oſtentandæ præter nobilium, atq; eruditione, & doctrina inſignium virorum frequentiam, aulicorumq; nitidam multitudinem, quos ſecum adduxerat, ſagaci quoque induſtria doctiſſima volumina, egregiaq; artis, ac naturæ opera, quantilibet ſtarent, diligentiſſimè conquirebat, vt ſuum Muſeum vndiq; pretioſiſſimis, rariſſimiſq; *Cardinalis Barberinus legatus ad Gallum Regem mittitur.* *Eius magnifica legatio.*

rebus

Digitized by Google

rebus congeſtis ornaret. Rex ipſe nullam beneuolentiæ, honoris, declarationem, nullum tam priuatum, quàm publicum prætermiſit obſequium, quo acceptiſſimi legati conditiones, & dotes, ac Pontificis maieſtatem, à qua mittebatur, impenſiori animo honeſtaret. Quamobrem etſi à Barberino ad aliquam ſtabilem tranſactionem, trahi non potuit, neq; cum eo de re vlla circa Volturenenſe bellum conueniri: Rege Reipublicæ Rheticæ arcanis de cauſis cupido demerendæ, recuſanteq; eius valli, propugnacula, ac munimenta, iterum in ſequeſtris Pontificis fide deponere: niſi ea funditus ruere, Rhetiſq; de manu reddere polliceretur: obtinuit tamen, vt de Pontificis animi decretis monito Rege, edoctoq; viciſſim de Ludouici ſenſis, & cogitationibus patruo, ad ſtatuendam pacem aditus muniretur, de qua paulò poſt fuit Montione conuentum.

Honorificè excipitur à Gallo Rege.

Legati cum Gallo Rege tractatus.

Monzone.

Interim ad Mezolæ ripam ab vtriſq; copijs leuia certamina ſerebantur; magno tamen militum ibi ſtationem habentium tedio, quòd in montanis, ſalebroſiſq; locis non bellicæ virtutis experimenta fieri, nō militarem peritiam exeri liceret; ſed quòd fortaſſe veriùs, quia inter illas ſteriles cautes, nudaque ſaxa nec prædas agere, nec ſpolia auehere, aut miſerorum tenues fortunas poterant populari. Ijs tamen velitationibus plures ex promptioribus cęſi. Inter hæc Comes Papenahimius ex Germania cum veteranorum militum agmine ſubſidio Hiſpanis aduenit: quorum ope, retro labi res Gallorum cœperunt. Nam cum hoſtium numerus creſceret, fœderatorumque è contra crebra transfugia, & varij in militum vulgus repentes morbi, & leues pugnæ copias minuerent; nec ducum incuria cohortes nouis conſcriptis militum manipulis ſupplerentur: eorum res ad vltima reciderunt, etiam ſi ibi Candalis dynaſta, alijque inſignes Duces diuturnis exerciti bellis malis occurrere laborarint. Omnium tamen incommodorum culpa ipſos auertebatur in Rhetos; qui etſi eorum res præcipuè ageretur: ſupina tamen, ſocordique negligentia commeatus copijs, & militum ſupplementa malignè admodum ſufficiebant. Coureo infenſi, quòd Volturenæ arces ſibi tradere recuſaret: vna Valle Clauenna, Bormioque excepto, verborumque officijs tantum, non rebus ipſis Rheticæ Reipublicæ obſequi maluiſſet. Galli enim ſeu ſibi Volturenam ſuis armis partam retinere agitarent, ſeu metuerent, ne Rheti, ea recepta, cum domo Auſtriaca conuenirent: varijs artibus Rhetorum ludificati vota vallem reſtituere euſque diſtulerant. Magis autem Senatus indignationem accendit Iſaacus legatus Anglus ad Venetos, qui Curiam ingreſſus ardentibus officijs cum Rhetis Primatibus egerat; vt in icto cum Gallis, & Venetis fœdere conſtanti, atque integra fide perſiſterent: ratus in ſui ludibrium Gallorum impulſu, atque opera id illum optimatibus ſuaſiſſe.

Varia circa Ripa propugnaculum velitationes

Fœderatorū res labi retro incipit.

Gallorum conſilia de Volturena retinenda.

Legatus Anglus ad Rhethos.

Arduam magis in dies, ac difficilem Mezolæ Ripæ oppugnationem Galli ſentiebant. Quare Coureus de eius fœlici exitu expeditionis deſperans decreuit exeunte menſe Septembri, Verceis, Campo, Saxoque

Galli cogitant de receptu. Corbeo oppid's præſidio firmatis, in Volturenam copias recipere; vt ibi diuturnis incommodis, ac laboribus fractos, laſſatoſque milites recrearet grauiora in illis alpeſtribus locis, montaniſque ſalebris paſſos. Cuius ſaluberis mora conſilij, opprimendi fœderatos Pappenahimio attulit occaſionem. Is enim per exploratores edoctus, facile poſſe hoſtilia munimenta expugnari, ſi traductam vltra vicinos montes copiarum partem hoſtes aggredi à tergo iuberet; dum ipſe frontem pulſaret: expeditam mille peditum legionem per Coderam vallem Verceos exeuntem miſit: quę nullas inſidias metuentes hoſtium ſtationes inuaderet: ipſe interim nauigijs, & biremibus copiarum promptiſſimis impoſitis, ad munimenta per lacum aduectus, tanto impetu hoſtes adortus eſt, vt ipſo ora feriente, & ſocijs inexpectato aſſultu vulnerantibus terga, hoſtes vix aliquantulum obluctati, deſperatis rebus, iniecto tormentario pulueri igne, in Volturenæ vlteriora diffugerint: relictis Hiſpanorum arbitrio vndecim muralibus tormentis, nauibus, commeatibus, varijſque bellicis apparatibus. Vlyſſes ſaliceus cum paucis moſchettarijs aliquandiu incūbentium hoſtium impetum ſuſtinuit, ea maxima interdum laude parta, quòd omnium poſtremus profligatis cæteris, aufugerit. Pappenahimius non ea contentus victoria, in Volturenam feſtino agmine trangreſſus propè Coureum caſtra locauit. Ex ea hoſtilium copiarum vicinitate cruentum citum iri prælium putabatur: initūque certè fuiſſet; niſi Pappenahimius, & militum numero, & loci iniquitate fœderatis inferior reductas retro copias per Bormienſem agrum, Clauenāque vallem ad ſtatiua effudiſſet: eluſis hoſtium conſilijs illum inuadere nocte molientium. Muniebant per otium vtrique parta, Coureus Volturenæ propugnacula, ac munimenta firmabat: Pappenahimius deditas arces nouis adiectis ex Germanorū bellica diſciplina aggeribus ſepiebat. Rhetos Gallorum mores, ingeniaq; pertæſos ſuos populares aſſiduis rapinis, iniurijs, contumelijſque vexantium iam accerſiti eius gentis ſubſidij pęnituerat; quòd acerbiora à ſocijs quàm ab hoſtibus paterentur: & cum militum arrogantiam, & inſolentiam liberi populi animorum elatio, & tumor ferre non poſſet, ſæpius in iurgia, mutuaque conuicia feruebant. Telis inuiti temperabant, ne irritata potentiora Gallorum arma opprimendæ Reipublicæ libertatis, retinendæque Volturenæ vltionis protextu occaſionem arriperent.

Papenhaimius Gallos inuadit.

Galli fugātur.

Pappenahimius in Volturenam ingreditur.

Rheti Gallis infenſi.

Pangendæ pacis difficultas. Dum ferro bellatores de Volturenæ poſſeſſione decernunt; marteque iudice, vtri cedat, à ducibus dimicatur: in bellantium Principum aulis proceres laborabant, vt aliquam componendi diſſidij rationem inirent: cuius & ſi vtraque pars ſe in ſpeciem & vocibus cupidam fateretur: numquam tamen ingenti cum ſummi Pontificis dolore inter bellantes potuit conueniri. Non enim ſolum de reddenda Rhetis Volturena agebatur, quàm illi conſtantiſſimè contendebant: ſed etiam plures eius vallis indigenæ ſuper varijs rebus ſua iura promebant: præter Archiducis Leopoldi, Auſtriacæque domus auitas vindicias, aſſerentis eam ſibi vallem hæreditario iure deberi.

deberi. Emerſerunt etiam Curienſis epiſcopi antiquā iura illam ſibi ex veteribus tabulis vindicantis; qui in eo turbido rerum ſtatu ſuam cupiens augere fortunam, eam Vallem non eſſe Rheticæ Reipublicæ, ſed Epiſcopi vectigalem affirmabat. Quare tot ſtrepentia vndiq; litigia Regibus faſtidientibus, & feſſis aſſiduis actionibus miniſtris, conciliandæ pacis ſpes omnis defecerat. Iamq; militum ſupplementa in caſtra vtrinq; mitti, nouos haberi delectus, conſcribi peditum cohortes, congeri commeatus, arma ardentiùs acui. Ipſe Vrbanus Pontifex veritus ne magis recrudeſceret bellum, recentia peditum, atq; equitum agmina Torquato Comite Duce in Inſubros miſerat, in omnes bellantium motus intentus: ſed dum bellici fremunt vndique apparatus, ſedula Pontificis cura, ac ſolicitudine factum eſt: vt cum omninò deſperata pax crederetur: miſſo in Hiſpaniam Nepote ſuo Franciſco Barberino Gallia regreſſo Montioni in Aragonia à Nicolao Ageneſio Galliæ Regis legato, & Comite Oliuario Hiſpani Regis gratioſiſſimo, purpuratorumque in ea aula facilè Principe arbitris, & ſequeſtribus: in has leges, quantum ad Volturenenſe bellum ſpectaret, ſanciretur.

Plures Volturenam ſibi vindicāt

Bellum renouatur.

Monzone.

Pax conſtituitur.

Omnia Rhetiæ, Volturenæ, Bormij, Clauennæ in eum habitum reſtituerentur, quo ante annum milleſimum ſexconteſimum decimum ſextum erant; exceptis iſs, quæ in hac pacis tranſactione decernerentur. In Volturena, Bormio, & Clauenna Valle nulla alia Religio, præter Catholicam Romanam Apoſtolicam coleretur. Magiſtratus ex iiſdem populis, ſiue Rhetis, ſiue Volturenenſibus Catholicis tamen crearentur: quos Rheticus Senatus ratos haberet; quòd ſi hic id facere recuſaſſet tribus annis pro contumaciæ pęna, ſuo iure perpetuum cecidiſſe cenſeretur. Hi magiſtratus cauſas cognoſcerent, iudiciaque pronunciarent, à quibus ad nullum Superiorem prouocari poſſet. Tributum perpetuum Rheticæ Reipublicæ dictæ Valles ad eam ſummam penderent, quæ poſtea pro earum opibus præſcriberetur: quo tamen priuaretur, experſque foret, ſi aut harum conditionum capita repudiaret; aut Volturenenſibus bellum inferret, aut res Religionis turbaret: quo caſu Rex Hiſpanus, & Gallus ſe in fidem acceptos Volturenenſes armis defenſuros recipiebant: eadem mulcta illis indicta, ſi his conuentis aduerſarentur, atque has leges accipere recuſarent. Omnia Volturenæ, Bormij, Clauennæ propugnacula, munimenta Pontifici depoſiti nomine traderentur. Rheticæ copiæ inde faceſſerent; nec Rheti iſs Vallibus præſidia imponerent: nec numeroſioribus militum, firmioribuſque cuſtodijs ea loca, quàm ante ſolerent, tenerentur: idem ad Inſubrum fines Hiſpani ſeruarent. Cætera omnia concepta fœdera abolita, atq; irrita cenſerentur: cum huic tantum ſtandum eſſet: proquo ſeruando duo Reges ſe fideiuſſores futuros mutuò pollicerentur. Difficultates omnes, ſuper hac tranſactione orituræ, à Regibus, de Religione verò à Pontifice deciderentur. Quibus omnibus ex fide ſeruatis, omnia Volturenæ propugnacula, nūquam deinceps extruenda diruerētur.

Conditiones pacis.

His

Varia de cõſtituta pace iudicia. His vulgatis fęderis conditionibus plures nimiam Galli Regis facilitatem carpebant, quòd in ſuum, Fęderatorque detrimentum nimia Hiſpanis indulſiſſet. Prudentiores tamen, acri, iuſtoque iudicio res Principum, & commoda expendere ſoliti illum rectè, ſapienterque feciſſe putabant, quòd temporibus obſequutus, neceſſitatique inſeruiens quædam remiſiſſet; quæ potioribus ſaluis, retineri non poterant; vt Hiſpani quoque de aliquibus contentis à ſe, petitiſque decederent. Idcircò quamuis Rheti, (vt commune mortalium eſt vitium propria duntaxat commoda ſpectare, curareque) grauibus quærimonijs de Gallis expoſtularēt: cęteriq; Principes fœderati huius pactionis leges iniquè admodum ferrent: Rhetica debilitata Republica, & ex aduerſo Hiſpanis ferè Rhetiæ adituum, anguſtiarumque montium arbitris, authoritate, potentiaque auctis: nihilominus Reges, ita ſuis ferentibus rebus, ea poteſtate vſi, quæ ſe maioribus ſociantibus omnino toleranda eſt: voluere illa conuenta firma, rataque eſſe, prſęcripto Vallis ſoluendo Rhetis annuo quinque, & viginti millium nummum aureorum cenſu: etiamſi ex magiſtratuum probationis occaſione inter Rhetos, & Volturenenſes nouis ſubinde gliſcentibus iurgijs, recēs in ijs locis turbatum eſſet, depoſita tamen apud Pontificem propugnacula ex conuentis funditus demolienda fuerunt.

Rheti de Gallo Rege queruntur.

Monzon. Rheti malè ſibi conſultum pactæ Montione pacis conditionibus rati: nec illis vnquam acquieſcere, nec annuum vectigal accipere, aut dictos à Vulturenenſibus ex conuentis magiſtratus probare, confirmareque voluerunt: quòd nobiliori, vberiorique ſui dominatus parte mulctati, omne in Volturenam imperium penitus amiſiſſent. Non magis illis erat in votis quàm iterum valle recepta, tantam ſuarum rerum ſarcire iacturam. Aſſiduis quærimonijs, & precibus Galli Regis, purpuratorumque aures fatigabant: quos, etſi eius tranſactæ pacis authores non aduerſis callidis Hiſpanorum conſilijs, huius Rhetorū incommodi cauſa fuiſſent; ſuæ tamen nimiæ tædebat indulgentiæ: quod ſocijs ægrè feciſſent, conceſſo Hiſpanis tanti ad cætera momenti Vallis arbitrio, per quam vltra montes, vbi libitum eſſet, copias in Germaniam traducere, & inde auxiliaria agmina in Italiam per aperta Alpium clauſtra, nemine prohibente accerſere poſſent. Quare non minus in ſecretioribus purpuratorum conſeſſibus, quàm in Rheticæ gentis conuentibus in eam curam omnium animi excubabant; vt non violato pacis fœdere, aliqua honeſtiori ratione damno conſuli poſſet, dum omnia mentem ſubeuntia accurato examine expendunt: quidam acrioris ingenij ſingula earum conditionum capita profunda commētatione diſcutiens dubias fecit, an earum virtute Volturenenſes Rhetorum imperio omninò liberi cenſerentur: an idem illis iuris eſſet in vallem: quod ante rebellionem tenebant. Hæc omnia Gallorum commenta eò collineabant; vt Hiſpanos Volturenæ tranſitus commoditate priuarent; pro qua indigenarum rebellionem adiuuerant, atque omnibus viribus, & cogitationibus fouerant, Non enim pugnare cum æquitate videbatur, nec conſtitutæ pa-

Rheti paci non acquieſcunt.

Gallos initæ pacis pœnitet conditionum.

tæ pacis legibus aduerſari, ſi penes Rhetos etiamnum eſſet Vallis imperium; cum eo fœdere ſancitum à ſequeſtribus eſſet, vt res in eum ſtatum reſtituerentur; quo decimo ſeptimo ſupra milleſimum ſexcenteſimum annum fuiſſent: eccui dubium erat tunc non fuiſſe Volturenæ dominos, atq; idcirco ipſorum, non Volturenenſium eſſe exterorum Principum copijs montium aditus, atque Alpium clauſtra reſerare, & claudere: & adhuc durare eorum in eam Vallem dominium: cum in ſupremæ Rhetorum in Volturenam poteſtatis argumentum, & clarum inſigne ex pacis conditionibus ab incolis pendendus eſſet illis annuus cenſus?

Rhetorum iura in Volturenam.

Volturenenſes è contra infirmatis Rhetorum iuribus ſuis, cum illis rationibus confligebant. *Nullum Rhetis iuſtum, non æquum, ſed violentum, ſed tyrannicum, vſurpatumq; fuiſſe in Volturenam imperium, eiuſque incolas non vectigales, ſed fœderatos, & ſocios Rheticæ Reipublicæ quondam fuiſſe, ſe repetiſſe armis, aſſeruiſſeq; libertatem, Tyrannorum violentia ademptam; quàm ipſi quoq; ex pacto cum Feriæ Duce Mediolani fœdere conceſſiſſent: eos imperio in Volturenam liberè renuntiaſſe, ſuoq; in eius indigenas iure perpetuo cecidiſſe. Ipſos annuum cenſum ad deprecanda bella, incurſus, violentiamq; Rhetorum declinandam metiri, non debito aliquo, iuſtoq; nomine, aut vectigalis, tributiq; imperij cauſa. Rhetica Republica armis Auſtriacis ferè tota ſub iugum miſſa, iterum abductis à Rhetia victricibus copijs, priſtinæ reddita libertati, antiquam Volturenenſium ex æquo libertatem penſari. Ineptum verò, atq; omnino abſurdum eſſe duos Reges, quorum alter conſilijs, viribus, & armis pro Volturenenſium libertate pugnauit; eam poſtea Montione tranſactionibus opprimere voluiſſe: alterum iniquiſſimos tyrannos, violentoſq; ſociorum, fœderatorumq; libertatis vſurpatores, raptoreſq; alieni promouere, iuuare, fouereq; contendiſſe: qui tota Gallia acerrimo bello hæreticos perſequutus eorum latibulis, & arcibus nudatos vel regno expulerat, vel domitos humili, abiectoq; ſeruitio aſtrinxerat: quo alienum prorſus ab ipſius mente fuiſſe Catholicos populos hæreticorum ſubdere dominatui, qui ſuos Gallos eorum exuerat iugo. Exemptam igitur Rhetorum imperio Montionis pactionibus Volturenam, non in priſtinam ſeruitutem iniquè, ac violenter adductam putandam eſſe, pro qua à ſuis ceruicibus decutienda vltima auſi ſuam vitam, liberorum, vxorumq; ſalutem fortunas omnes, periculoſiſſimo bello patria implicita, maximis periculis obieciſſent. Quem fructum à ſua defectione ſuſciperent, ſi iterum crudelium dominorum pati ſeruitium cogerentur?*

Volturenenſium ius in ſuam Vallem.

Montione.

Volturenenſium querela, & rationes.

Dum de difficili controuerſia in aulis Principum diſceptatur, nec ſatis liquet, pro quibus pronuntiandum ſit; Rex Gallus experimentis edoctus, quantum ſuis in Germania rebus traiectæ primum per Volturenam Feriæ Ducis, deinde Cardinalis Infantis copiæ detrimentum attuliſſent, prorſus ſua deſtinata aliæ deinceps traducendæ euerſuræ, niſi firmis poſitis militum ſtationibus in montium anguſtijs eius vallis in Germaniam aditus, & clauſtra ſepiret. Serio de occupanda Volturena ſolicito cœpit animo agitare;

Galli Regis de Volturena occupanda conſilia.

tare;

tare; ſibique addicere, controuerſiam, litemq; in ſuam rem vertere. Statuit igitur ad eam Vallem expugnandam exercitum mittere. Præferebatur expeditioni titulus vindicandæ Volturenæ libertatis, cuius ſe patrocinium ſuſcepiſſe profitebatur, quam aiebat tantum non frequenti Hiſpanorum per eam tranſitu armorum interceptam. Se innocentium populorum, quos iniuſta ſeruitus premeret, vindicem eſſe; ideò ſicuti ad Germaniæ fines eductis propugnaculis, excluſiſq; Germanis, Rheticæ Reipublicæ libertati cauiſſet; ita periclitantem Volturenenſium totis ſui Regni viribus ſeruaturum.

Galli iterũ Volturenã inuadunt.

Rothomagenſi itaq; dynaſtæ, ſupremo huius expeditionis Duci à ſe iuſſo mandat; vt Gallorum agminibus, & Rhetorum cohortibus, quas illi in hoc bellum ſufficerent; Volturenam ab Hiſpanorum manibus vindicet. Rhotomagenſis primordia generis ſui ex antiquis proauis Normaniæ Regibus afferebat: Dux acris, feruidiq; ingenij, exactæ, inueteratæq; prudentiæ ab ineunte ætate arma ſequutus vitam omnem belli, militiæq; traduxerat.

Rhotomagẽſis Ducis animi dotes.

Religione non hæreticus modò, ſed etiam omnium hæreſum in Gallia acerrimus propugnator: perpetua contra Catholicos, ipſumq; Regem bella geſſerat: cui tandem, ſua contuſa, deiecta, proſtrata Regis fœlicitate, ac virtute factione, omnium eius partis Principum vltimus contumaces ceruices ſubmiſit: factaq; ei perduellionis reatus, hoſtiliumq; gratia, Regno faceſſere, exulareq; apud Venetos iuſſus eſt: vbi aliquot annos moratus, eiuſdem Regis imperio migrauit in Rhetiam; vt ibi Dulandem dynaſtã Gallum legatum propugnacula ad Germaniæ confinia extruentẽ conſilio, atq; opera adiuuaret. Inde in Germaniã tranſgreſſus Gallica arma promouit, multũq; Regis profuit rebus, qui illũ deſtinato Volturenenſi bello apprimè opportunum ratus, vtpote eius gentis ingenij, gnarumq; locorum; quæ ante ſedulo explorauerat: Gallicis copijs ſumma cum poteſtate præfecit.

Rhotomagẽſis Dux bello Volturenenſi præficitur.

Neq; eius bellica virtus, experientiaq; militaris ſpem Regis, expectationemq; feſellit, ob plures partas inſignes præclaraſq; de abiecto hoſte victorias.

Nondum Hiſpano Regi erat bellum indictum, cum iam in Volturena arma Gallica fulminabant. His ferè diebus Hiſpani Archiepiſcopum Treuirenſem per inſidias interceptum captiuum abduxerant; a quo rupta pace, omnium inter duos Reges bellorum labes effluxit.

Treuirenſis Archiepiſcopus captiuus.

Rothomagenſis igitur à Tribocibus Galli Regis iuſſu cum exiguo militum numero perrexit in Rhetos; quos ingentibus ſpebus inflauit; veniſſe tandem ab ipſis ardenter optatæ, atq; à Rege promiſſæ Volturenæ receptionis tempus; hanc Regis mentem eſſe, vt ea Vallis iterum Rhetorum iugum acciperet; pararent igitur arma, & milites expedirent; ſecumq; ſociatis viribus, rem ſtrenuè aggrederentur, non defutura iuſtiſſimæ cauſæ cæleſtis Numinis auxilia pro æquitate pugnantium fortunatura conatus.

Rhotomagẽſis in Volturenam ingreditur.

Rheti eius dictis plena habita fide, vnluerſi claſſico populi ad arma conclamant: habitiſq; popularium delectibus, momento ferè non temnenda agmina cogunt. Erant Rhotomagẽſi pauci admodum milites Galli; ſolis penè Rhetorum viribus

auſpi-

auſpicatus eſt bellum: à Venetis tamen maximè cupidis, Volturenam in Rhetorum ditionem redire de induſtria exauthorata duo Gallorum peditum millia in eam vallem tranſgreſſa ſe Rothomagenſi iunxerunt.

Sub Martij tamen menſis finem validas cohortes ad Bormium, Clauennamq; vallem obſidendam progredi iuſſit: vt illo obtento, Germanicis armis clauſtris montium obſeptis; hac verò Inſubrum ſubſidijs intercluſa Volturena; vtrinq; petita cederet aggredientibus vndiq; prohibita auxilijs. Prudenter deſtinatis felicior reſpondit euentus, demiſſum enim in Clauennam mille quingentorum ferè omnium Rhetorum militum agmen cũ quatuor Gallorum equitum turmis Duce Gallo legato, nullo accepto vulnere, nec milite amiſſo, eã contigit cum Mezolæ Ripæ ſtatione potiri; quę protinus firmiùs extruere, peritiùſq; munire adiectis ex nupero militari muniẽdarum arciũ vſu ſedulus inſtitit. Impedita quoq; vltra Meram, erecto propugnaculo, via in Inſubres ducente, cui Franciſcæ nomen, vt illinc vallis Hiſpanicis ſubſidijs intercluderetur: interceptis etiã mercatorijs nauigijs ad Ripam inuentis milites impoſuit; vt ſuperiorem lacũ ab eorum excurſibus tueretur. Bormium eadẽ celeritate per montes adhuc prealta obſitos niue ſexcentos milites feſtinare iuſſit: qui primo impetu malè cuſtodito Balneorum clauſtro, (ſerram incolæ vocant) quòd montem Bormio imminentem Tiriolo conterminum claudit, cum tota, vſq; ad Volturenæ fauces, deiectis paucis præſidiarijs, militibus, occupato, omnem eum montium, valliumq; tractum, nullo occurrente, ſubegerunt. Fauces illę, ſiue Serræ ſunt quædam ingentia ſaxea oſtia arcuata, quæ antiquis ſurgentibus ad latera turribus ligneis foribus ex firmis compactis aſſeribus clauduntur: nullus alius præter ea in eam vallem ingredientibus, aut exeuntibus aditus patet. Adeo ſunt anguſti earum regionũ tranſitus, & viæ: vt non ſecus ac vrbes, priuatæq; ędes foribus claudantur. Primo oſtio Germani, altero excluduntur Hiſpani.

Montium clauſtra occupat.

Varij Rothomagẽſis Ducis progreſſus.

Montium Rhetorũ anguſtiæ.

Rothomagenſis his feliciter actis, è Rhetia Maio menſe ineunte Volturenam cum quatuor peditum millibus, & equitibus quingentis ingreſſus totam nullo prorſus enſis ictu, aut vllius exploſione tormenti Gallorum imperio, ditionique ſubegit. Eos populos immani barbarie Caluini rabie in Catholicos ſurente, acceptos cogere tentauit, vt exuta erga Hiſpanos fide, in Galli Regis verba iurarent. Inde Morbinium traductum exercitum in finitima Inſubribus oppida in ſtatiua dimiſit, exarmatoſque incolas acerbiſſimis pecuniarum exactionibus preſſit: omniaque alia verſari animo, molirique videbatur, quàm Volturenenſium libertatem tueri; ſicuti illi Regijs patentibus litteris mandabatur; & ipſe Volturenenſibus ſcripto, & voce receperat: quo non minus illorum, quàm Rhetorum animos aſperabat; quibus non Rex tantum, ſed etiam ipſe Rothomagenſis, vt ab illis ad hanc expeditionem militum, & commeatuum exprimeret auxilia, multa affirmatione promiſerat, ſe à Rege iuſſum eſſe, Volturenam antiquo eorũ imperio ſubigere, atq; in priſtinã fidẽ impellere. Cuius deceptionib. & dolis obſtrictę iuramẽto fidei aduerſãtibus offenſi

Rothomagẽſis Volturenam ſubigit.

Rothomagẽſis fallit Volturenẽſibus fidem.

nimium

Decipit Rhetos. nimium Rhetorum animi de eius perfidia coram acerbiſſimè queſti flagitarunt, vt pactam reſtituta Volturena, redderet fidem: quibus ille parta confecto bello redditurum reſpondit, ſi ab ipſis belli ſarcirentur impenſæ. *Rheti amaro ſunt in Gallos animo.* Quo reſponſo illi magis attoniti, irritatique ferè omnes eo deſerto, ſuperatis montibus, in ſuas ſedes inſenſiſſimis in Gallos animis redierunt.

Hiſpani, & Auſtriaci repentinis Gallorum in eo locorum tractu inſultibus, armorumque violentia graui indignatione commoti, intolerabili ob ingentia rerum inde ſequutura momenta, profundiùſque adacto ad *Auſtriaci in vltionem exurgunt.* communem perniciem vulneri præſentiſſima, efficaciaque pro ſe quiſque admouere medicamenta decernunt. Verum ab Inſubribus quanto maior neceſſitas vrgebat, eo debiliora, infirmioraque ſperari poterant auxilia: bellatoribus, & pecunijs exhauſtis traducto in Germaniam militum flore, & quod erat virium, & roboris, Feriæ ducem in Germanica bella ſequuto: vixque ſupererant ſuetà arcium perſidia, ad eius dominatus cuſtodiam exigua, ne dum ad extera bella ineūda, exigendoſque Volturena Gallos valida. Cardinali Infāti, qui in Belgiū profecturus venerat in Italiā Cardinalis *Albernotius Cardinalis Mediolano præficitur.* Albernotius in Inſubrum rerū adminiſtratione ab Hiſpano Rege ſuffectus nihil belli expertus ad Gallici nuntium belli, ad eos fines tuendos Comitem Ioannem Serbellonium cum paucis peditum cohortibus protinus miſit; qui ante omnes alios belli conatus recipiendum primùm Ripæ propugnaculum ratus, vt pote ad cætera expugnanda opportunum; triremem ex Comenſi Nauali ante eos bellorum tumultus contextam educi iuſſit: quā nō ſatis aptā ad molimina perficienda arbitratus artificibus Genua rerum naualium peritis accitis, aliam maiorem, firmioremque extruendam *Serbellonius ad Inſubrū fines mittitur.* curauit. Interim conſpectis Gallis aducere propugnacula in Volturenam aditum obſtruentia, alia ex aduerſo eorum impedientia conſilia, profectuſque cepit extruere: verum cum nihil Gallorum opera moratā, nihil etiā eorum deſtinatis officerent: munimenta Morbinium vſque, Tirianumque producta præcipua vallis oppida alterum læuo Abduæ litori, alterum dextro prętentum firmabant. In inferiores propè lacum vicos quadringentos equites, & ſeptem & viginti Gallorum peditum cohortes in æſtiua partitus Rothomagenſis ab ea parte in Volturenam aditus claudere, ad arcenda Hiſpanorum agmina in circumiectis arci Comitis Fontium locis diuiſa, *Fuentes.* ſed irrito euentu conabatur. Gallorum fortunam Serbellonij valetudo languentis iuuit: qui decumbens eorum molitiones non poterat impedire. A Germania aliquantò fortiùs Gallis, potentiùſque repugnatum: quod ſi ita irruentium Germanorum ferociam, virtutemque fortuna ſecundaſſet, ſicuti feſtina in Volturenam, ac valida eorum agmina ad coercendos Gallorum impetus procurrerunt: profectò tot illius regionis ærūnis populationibus, excidijſque finem feciſſent.

Germani cōtra Gallos in Volturenam irrumpunt. In Tiriolum ad Volturenæ fines ſeptem peditum millia Dynaſta Fernamontio Duce à Cæſare miſſa, cui inſignis illius, munitiſſimæque vrbis Philisburgi in Rheni litore expugnatæ receptio bellicæ virtutis decus, glo-

riamque

Digitized by Google

riamque auxit: in vicinam Monaſterij vallem deſcenderunt: ibi vt omnia à tergo tuta præſtaret; propugnaculum ſupra Diuæ Mariæ vicum excitato, ad Ombrallium montem, vt inde in Bormij ditionem agmen demitteret, iter intendit: verum Rothomagenſis ſedula cura obiectis propugnaculis, ſibi aditum interceptum aduertit. Ille enim magnos armorum motus à Germania præſentiens, imminentemque procellam ſuos omnium operum, laborumque fructus corrupturam diuinaus firma munimenta furenti Germaniæ obmolitus, Bormium contento agmine, Morbonio properauit: cumq; Balneorum clauſtrum per quod trita, militarique via è Germania in Volturenam itur, & ſitus ingenio, & valido præſidio, firmiſq; munimentis imperuium, atque inſuperabile vidiſſet; veritus ne Germani per Engedinos inferiores ſibi panderent viam; relicto Bormij maiori copiarum parte, cum aliquot peditum manipulis eò protinus aduolauit: eoſque indigenas Germanorum infenſiſſimos hoſtes animauit, vt ſecum iunctis viribus eos tranſitu prohiberent. Non illi admodum adnitendum fuit, vt Engedinos in ſui obſequium contra communes hoſtes impelleret. Summo omnium feruore tranſuerſis aggeribus, obiectiſque munimentis, illæ montium fauces, & anguſtiæ præſeptæ, poſitæq; eorundem populatium firmæ cuſtodiæ: data fide ſe cum ſuis copijs celeri ſubſidio protinus affuturum, ſi à Germanis inuaderentur. Inde Bormium, mox Morbinium profectus eſt, vt ea munimenta nondum in iuſtam ſtructuram ad ſecuritatem perficeret: feſtinaretque opus, ne a Serbellonio interciperentur. Verum ipſius eluſa conſilia, cogitationeſque fruſtratæ. Nam Fernamuntius, valido diuæ Mariæ propugnaculo impoſito præſidio, Ombrallio monte tranſmiſſo, ſimulans ad inuadenda Balnea ſe copias immittere, conuerſo illicò in Fraellas ſtationem impetu, adeptuſque momento per inuios calles, & ſemitarum anfractus, locorum peritis ducentibus agmen, ad quemdam ſitum cohortes adduxit, à quo Balneorum clauſtri præſidium deſtinatis in latera tormentorum ictibus patens, ne ibi impunè periret, propugnatione abiens oſtium illud Germanis vndiq; miſſilia iaculantibus ceſſit. Cuius iactura clauſtri Galli demiſſioribus animis non eas tantum ſed etiam inferiores anguſtias, totamq; Bormienſem ditionem Germanorum arbitrio reliquerunt: qui fœlicibus auſis animis erectiores nihil victoriæ immorati in mediam vſque Volturenam Tirianum nullis obuijs hoſtibus cucurrerunt.

Rothomagenſis omnes Germanis aditus claudit.

Germani Rothomagenſis conatus eludũt.

Galli Germanis aditus cedunt.

Rothomagenſis ingruentis Germanorum bellici turbinis impetum ferre ſe poſſe deſperans; Volturena quoque deſerta, Morbinio cum vniuerſo agmine fugiens in Clauennam vallem recepit exercitum; exuſtis à tergo relictis ad tutiorem fugam Abduæ pontibus, ne ſe inſtantes hoſtes aſſequi poſſent. Fernamontius Tirianum nullo obſiſtente prouectus, cum ad debellandũ Rothomagẽſem iter proſequi debuiſſet, pernicioſo ſanè ad rerum ſummã errore, in Louinij vallem deflexit exercitum; quod

Courei trepidus receptus.

Fernamontij error.

ab exploratoribus accepiſſet, ibi Montoſij Comitem cum mille peditum legione curare: veritus, ne inde Bormium progreſſus Germaniæ clauſtra à ſe aperta ſibi à tergo poſitis Gallorum cuſtodijs, obſtrueret, Louinium promoto agmine, totam eam vallem à Gallis pariter deſertam inuenit; qui in montium faſtigia, iugaque alpium, atq; inde in ſuperiores Engedinos reductam legionem cum Rothomagenſi ſociarant; qui eo quoque à Clauenna perfugerat.

Galli Germanorũ fælicitate territi.

Territi, atque attoniti Galli Auſtriacis fœlicibus armis incerti conſilij ſubſtiterant, triſtes, quòd tot laborum, victoriarumq; fructus vnus Germanorum impetus abſtuliſſet. Profligatum ſanè fuiſſet bellum, ſi Fernamontius continuato per Volturenam victoriæ curſu, neglecto Montoſio, ad Mezolæ ripam, Clauennamq; victorem rapuiſſet exercitum; aut ſi comes Serbellonius eodem tempore, quo Germani Bormium demiſſo agmine, Gallorum latè fecerant fugam, ſuas cohortes Tirianum, Ripamq; promouiſſet: quo nemini dubium erat, quin omnia iterum facilè depulſis Gallis, in poteſtatem ventura fuiſſent. Verum ſicuti tuendi Bormij clauſtri neceſſitas Fernamontij purgat erratum, ita ſegnis, pernicioſaq; Serbellonij cunctatio excuſari non poteſt. Expedita, prudentiaq; imperantium conſilia magis ad victoriam, quàm armorum impetus faciunt. Vis conſilij expers mole ruit ſua. A Fernamontio quoq; in eo bello adminiſtrando ſecundo peccatum eſt grauius: cum à Montoſij fuga, nullum à tergo imminere periculum, ſed cuncta tuta vidiſſet; poterat in Volturenam reducto agmine, iunctiſq; cum Serbellonio viribus, Ripæ propugnaculum, Clauennamq; debili præſidio cuſtoditam inuadere, iiſq; deiectis propugnatoribus, nullo labore potiri. Poterat per Louinij vallem in Rhetiam ingreſſus fugientem per auia Rothomagenſem Germana formidantem arma celeri agmine perſequi, aſſequutuſque profligare. Poterat per eamdem Rhetiam in Clauennam vallem deſcendere, mediamq; inter ſuas, Serbellonijq; vires clauſam adipiſci: ſed his omnibus ſalubribus damnatis conſilijs, amiſſa quoque victoria, quam quodlibet eorum ſequutus facilè peperiſſet; Louinij copijs relictis in Tiriolum cum paucis profectus eſt, non alia de cauſa, niſi vt commeatus ad copias alendas congereret; qui in ea ſalebrarum ſterilitate difficilè admodum poterant expediri.

Germanorũ erratum.

Gallorum fuga.

Rothomagẽſis Dux Rhetos hortatur ad arma capeſcenda.

Rothomagenſis Fernamontij diſceſſu, relictis ſine capite copijs audito, Curiam profectus vocatum Senatum, populiq; frequentiam apta, ardentiq; oratione hortatus eſt: vt iterum Volturenenſe capeſſerent bellum, rebellemq; vallem, ac contumaces perduellium ceruices antiquo, collatis ſtrenuè ſimul viribus ſubdere inſiſterent iugo. Si enim Volturenam Germanorum arbitrio, ac poteſtati deſererent: nullam poſtea eius recipiendæ ſpem futuram, quàm ipſe communibus armis domitam ſe protinus Reipublicæ redditurum pollicebatur. Sic igitur affatus eſt Rhetos.

Rothomagẽſis Ducis Oratio ad Rhetos.

Feciſſent vtinam Superi, vt quemadmodum ego hunc primæ Rhetica gentis nobilitatis conuentum inter hæc ſubſelia de Republica in ſenatorio pallio conſulen-

ſulentem intueor; eundem armatum in campis in militari ſago audacter vadentem in hoſtes, ademptamq; à rebellibus Volturenam bello repetentem viderem: quòd neque rebelles de excuſſo iugo, neq; Auſtriaci de vſurpata valle, neq; Hiſpani de ſuis votis expletis ſe tam ſuperbè, inſolenterq; iactarent. Exultant illi libero campo, ferociunt nullo hoſte obuio; partis incubant à Rheto ſecuri, veſtra incuria magis, quàm propria virtute metuendi. Maiora ſanè, quàm illa ſaxa, & cautes cupidis animis meditantur. Neſcit partis acquieſcere alieni cupido; alia, atq; alia ampliora ardentiùs anhelat. Ex illis vallis anguſtijs erumpent cætera correpturi. In hanc ipſam Regiam hoſtilium armorum incuſſus, atq; impetus expectate: ni protinùs collecto quidquid eſt in Republica virium, vniuerſæ claſſico gentis ſupremos in hoſtes conatus edideritis. Quòd prima malè verterint; quòd reſtante fortuna parum proſperè ceſſerint; vos reductis à ualle agminibus, in ueſtris domicilijs inani metu torpetis. Inſtandum fortiter cœptis, ſola improba audacis Martis pertinacia uincit. Num igitur hoſtem impunè tota ualle graſſantem inulti ex tuto ſpectabitis? Auitum Volturenæ dominatum à veſtris maioribus vobis de manu traditum ab hoſtibus inſideri, uſurpariq; patiemini? Quò abijt illa egregia inuicti Martis indoles, qua quondam Romanis totius orbis domitoribus metuendi illatis ſignis, imperij finitima terruiſtis? Audio eiuſdem uocis, atque idiomatis ſonum, eumdem corporum cultum, ac mores intueor, non eandem uirtutem, atque habitum animorum agnoſco. Num expectatis, ut ueſtro metu hoſtis animoſior ipſis Curiæ portis inſultet? Inſultabit autem, ni extemplo ſolita gentis ferocia, uniuerſi in arma impauidis animis proſilientes, hoſtium compreſſa audacia, illum tota ualle fortiter exigatis. Si quid eſt, quòd aliquem populum in arma trahere, ad bella compellere, atque in certaminum pericula agere debeat: nihil certè potentiùs, aut acriùs hoc eſſe reor; quòd ueſtros uix animos metu attonitos, ac torpidos mouet: rebellium inſolentia, atque immanitas, ſpreta dominantium maieſtas, proculcata humana, diuinaq; iura, vallis adempta, hoſtium acerbitas, bellicæ exiſtimationis decus amiſſum, illatę iniuriæ, acceptæ grauitas contumeliæ. Quæ omnia, vel ſingula, ignauos, ac timidos efferare, atque in vltionem acuere ipſam inertiam deberent. Impunè igitur veſtra ſocordia rebellibus erit, per omnia feritatis exempla, immanitatiſque debacchatos ſui principis exuiſse iugum, accitiſque in ſocietatem Hiſpanis, ruptis quaſi aggeribus, torrentem totam, qua in longum vallis excurrit, veſtrorum popularium, immo etiam, ſi Dijs placet, noſtræ religionis Antiſtitum cędibus funeſtaſſe? Tantula Perduellium incondita turba validę gentis bellicæ virtuti citra pęnam illuſerit? Vos tota valle exacti, expulſi, paucorum conſpiratione rebellium ceſſabitis inertes, tantæ patientes contumeliæ? Inſident ſanè Auſtriaci vallis potioribus locis, tenent præcipuos aditus, montiumque clauſtra; ſed ſi veſtræ auitæ virtutis memores, gnari locorum valido in illos irrumpentes exercitu, armis veſtrum dominatum generoſis, ac conſtantibus animis repetetis; eadem facilitate hoſtem ab occupatis locis illato impetu, deturbabitis, quæ vobis ab eo adempta fuere. Non illos Humano ſa-

no faſtigio maiores, indomitos, viribus, inuictæ virtutis bellatores inani, fallaciq; æſtimatione metiamini. Non plus hominibus ſunt, vos eadem illis mortalitatis conditio æquat, ni animus, audaciaque deſit. Veſtra ne ſunt hebetiora Auſtriacis, Hiſpaniſque tela? veſtra arma non ferient, eademque vulnera infligent? ſi robuſtis lacertis ſtricta vibrentur? Cauſæ iuſtitia, Numina pro æquitate facientia animos addent, librabuntque veſtras pugnantium manus, vt certiori ictu in hoſtes excuſſa caſſo non incidant vulnere. Neque veſtra duntuxat veterano hoſti agmina obijcienda ſuadeo: aderunt Gallica, aderunt Veneta auxilia, quorum permagni intereſt huius vallis aditus, montiumque clauſtra in Belgium, Germaniamque ferentia ab Auſtriacis non teneri, occludique exterorum auxilijs in Italiam deſcenſum, ſed liberum tranſitum vltrò, citròque commeantibus eſſe. Meus certè Rex quamuis alijs grauioribus bellis implicitus non minori de Volturena, quàm de Belgio, Germaniaque cura, ſubductas bellantibus copijs peditum legiones, & equitum turmas in hanc expeditionem extemplo tranſmittet: & iam audio à Venetis authorari cohortes, bellatorum agmina cogi, omniaque ad bellum ſedulo expediri: vt ſi verborum officia, preces, flagitationes Auſtriaci, Hiſpanique reſpuerint, quò ſuis agminibus à Volturena deductis, liberos in Germaniam, Italiamq; aditus, locaq; vobis omnia occupata relinquant; illos ab inſeſſis oppidis armorum violentia decutiant. Hoſtis fit aduerſantium indulgentia validior: agit firmiores cunctatione radices, veſtræ ſunt illius incrementa moræ. Ruendum ſubito in arma, non hoſti ad ſe magis muniendum ſpatium timidè, ignauèq; dandum. Quin igitur vno agmine ad veſtra repetenda in vallem irrumpitis? Quis vos detinet timor? quæ vos cauſa retardat, rerumq; reſpectus? Non ita validi, numeroſiq; ſunt hoſtes, vt ueſtræ iuuentutis conſertis ordinibus de eorum ſtationibus deijci, fundiq; non poſſint. Audendum citò, nulla mora in hoſtes eundum, ne firmioribus munimentis ſe uallent; ne ualidiora cogant militum agmina: ne quòd modo minimè arduum celeritas inueniet; ſit ut inerti cunctatione poſtmodum difficiliùs. Rebelles Catholicorum Principum ambiunt regias, religionis titulo ſuæ perfidiæ prætento, contra ſuos Dominos hæreticos. (hoc nos Catholici nomine dehoneſtant) valida ad aſſerendam libertatem auxilia depoſcunt. Non eſt expectandum vt maioribus congeſtis viribus redeant validiores. Conclamatum erit omnino vallis imperium, ſi ad Hiſpanorum, Auſtriorumq; agmina, aliæ auxiliariæ Italorum cohortes acceſſerint. Hiſpani quoq; religionis cauſa ſuæ cupiditati prætexta; quandoquidem ad demerendos Catholicorum animos, nulla niſi pro Catholica Religione ſeruandæ bella ſuſcipere videri volunt; robuſtiora cogunt vbiq; peditum, & equitum auxilia, vt vſurpatum vallis imperium armorum violentia retineant. Dum igitur nõ adhuc ita firmi viribus ſunt; dum munimentorum ſtructura non hactenus ad iuſtã altitudinẽ educta ſurrexit, raptis armis ite ualenter in hoſtes; Volturenamq; ditionem perduellium perfidia nobis ereptã à rapacis hoſtis manibus uindicate.

Rhetis nihil moleſtiùs erat, nihil odioſiùs, quam in ea valle Auſtriacos dominari. Quare minùs pernicioſum arbitrati, ſi ad eã è Germanorũ manibus

nibus

nibus vindicandam, cum ijs ipſis Gallis feſtinarent, qui ſe illius retinendæ, vſurpandæq; tam cupidos declararant: coniunctis cum Rothomagenſi copijs, in Louinij vallem feſtinato agmine ante erumpentis Auroræ candores improuiſi Germanos non huiuſmodi hoſtium auſum metuentes, nondum excuſſo ſomno, immo pluribus altùm dormientibus, acri impetu aggrediũtur. Non cędes vix ſui compotum facta, ſed data fuit ſtrages. Superſtites cũ temerè iniectis amiculis ſeminudi, neq; in ordines ire, nec ſtipiare cohortes, nec vndiq; ferientibus Gallis, & Rhetis obſiſtere poſſent, effuſa fuga ſe Molinam verſus abripiunt propè Bormium ad montis pendicẽ vicum, vbi eſt aditus, clauſtrũq; Balneorũ: ibi collectis viribus, & animis ſubſtitere, donec Fernamontius mille quingentos pedites à Tiriolo cum aliquot equitũ turmis ad Mazzij pōtem, quo iungitur Abdua, paucis millibus paſſuum Tiriano recedentem occupandum mitteret. Verum Rothomagenſis præſenſo hoſtis conſilio, nulla interpoſita mora, per Poſclaui vallem eundem pōtem verſus celeriter duxit: quò cum eadem ferè hora vtriq; conueniſſent, illicò ferocibus animis, nulla ſalutis cura fuit de eius poſſeſſione certatũ: anceps vtrinq; ad noctem vſq; pugnæ fortuna pependit, ſequuturo matutino certamine inclinatura, quò eam pertinax virtus, & indomita pugnãtium fortitudo traxiſſet. Interim in ſuæ partis intenti pontis cuſtodiã innoxij vtriq; quieuere. Nocte eadem Fernamontius cum primo agmine ſubſidio Germanis aduenit; qui ponte, atq; hoſtium in aduerſa fluminis ripa excubantiũ viribus exploratis, Bormium regreſſus inde cæteris copijs adductis, auxit ſuorum militum animorum vigorem, & robur. Quare Rothomagenſis dubius ne ſe à tergo, dum à fronte committeret prælium, Serbellonius inuaderet, deſerto ponte, Tirianum agmen recepit. Verum cum ab exploratoribus nuntiatum eſſet à Serbellonio adhuc imparato nihil motum iri; decreuit quamuis inferior militum numero, virtute tamen, optimèque armati equitatus ferocia ſuperior Germanos in vico Mazzio vicino ſtatiua agentes inuadere. Ita acri, ferocique impetu Galli in Germanos illati certarunt; vt poſt diuturnam pugnam, cum ampliùs incumbentium Gallorum pulſum ſuſtinere non poſſent, in manifeſtam ſe fugam cōiecerint: Duo Germanorum millia partim ferro cæſa, partim Abduæ inter fugiendum fluctibus obruta perierunt. Maiorem victis cladem intulit, conſternationemque auxit, pugnæ tempore intumeſcentis fluminis vndis pons diiectus, abreptuſq; aquarum impetu, per quem in aduerſam ripam ſe fugientia Germanorum agmina recipiebant: quòd illi, qui nondum tranſierant, à circunfuſis victorum cohortibus obtruncati ad vnum illuſtriorem fecerint Gallorum victoriam.

Rheti cum Gallis arma coniungũt.

Germani cæduntur à Gallis.

Galli cum Germanis pugnant.

Fernamontius Germanis ſubſidio accurrit.

Galli ſe recipiunt.

Germani fugantur à Gallis.

Fernamontius tanta clade accepta, Volturena decedens cum fuſi exercitus reliquijs in Tiriolum ſe contulit; ibi conſcriptis recentibus, & validioribus copijs, belli fortunam iterum tentaturus, Balneis tamen, ſuperioriq; clauſtro, validiori præſidio firmatis.

Huius accepti incommodi omnis in Serbellonij tarditatem, & moram

Serbellio carpitur.

K 2 culpa

culpa reiecta, qui non eodem tempore ex condicto in Volturenæ interiora progreſſus Gallos vulneraſſet à tergo, dum à Germanis quæterentur à fronte; medij enim hoſtes intercepti ancipiti pugna conciſi plenam victoriam cum Volturenæ poſſeſſione ceſſiſſent. Nihil fœdiùs, & turpiùs in bello Ducum ſegnitie, & mora, quæ ſępiſſimè victorias, vel corrumpit, vel penitus interuertit. In armis omnia violenter, & celeriter peragenda: tarda molimina rarò fœlices ſucceſſus habent. Mars gaudet animoſitate, violentia, feſtinatione. Sed aut ſerò expediti ſunt Serbellonio bellici apparatus ad illud facinus aggrediendum, aut debiles, & eneruės admodum pro eo auſu fuere, vel maturiùs, & celeriùs, quàm conuenerant; ſicuti ad eleuandam culpam Serbellonius aiebat, Germani in Volturenam irruerant. Subuerſis deſtinatis, fuit vallis Gallorum poteſtati, atque arbitrio deferenda. Serbellonius enim poſt Mazzij pugnam ad Diui Petri pontem cum valido agmine, tormentiſq; prouectus, audito infœlici prelij euentu, & militum numero, & virtute Gallis impar, ſatiùs duxit retrò, vnde venerat, incolumis regredi, quàm cum certæ cladis periculo cum victoribus adhuc ſociorum cęde calentibus dimicare.

Violẽta belli fœlices plerumque ſucceſſus habent.

Serbellonius ſe purgat in Germanos culpa reiecta.

Eius ſalubre conſiliũ

Rothomagenſis iterum Volturenam eiectis, cæſiſque hoſtibus adeptus, Inſubrum metu armorum ſolutus, ad plenæ victoriæ gloriam animum exturbandis omninò ex ijs regionibus Germanis adiecit. Ab ijs ſiquidem etiamnum Balneorum propugnaculum, clauſtrumque firmo præſidio tenebantur: quòd aperto in Volturenam Germanicis armis aditu, dubiam vallis poſſeſſionem, incertamq; faciebat. Relicto igitur ad Inſubrum fines equitatu, vt terga ab hoſtibus tueretur: cum reliquis peditum copijs ad Balneorum clauſtrum contendit, quòd trecenti duntaxat præſidiarij Germani propugnabant. Rothomagenſis primum mitibus, & mollibus verbis, honeſtiſſimis oblatis conditionibus, ad propugnaculum dedendum pellicere conatus, vbi ferociter ab ijs ſuauia inuitamenta repulſa, immo miſſilium effuſa procella ſibi reſpõſum vidit: facilitate in iram, indignationemq; conuerſa, iubet ſuas cohortes inuadere munimenta. Illę denſata ordinum fronte, pleno gradu in aggerum ardua enituntur: impigrè Germani, atq; animosè ſubeuntes excipiunt; reiectaſq; miſſilium grandine haſtarumq; ictibus vulneratas per prona deuoluunt: maiori, concitatioriq; conatu, atq; ira Galli iterant impetum, inſtantq; ferocioribus animis, quibus tãdem victa propugnantium virtus, ſed magna cum aggredientium cęde ſuccubuit: Gallis opportunè ſanè eo clauſtro potitis, antequam oppugnatis ſubſidium à Fernamontio miſſum adueniret.

Rhotomagẽſis Dux Germanos, & Inſubres Volturena expellit.

Galli Germanorum propugnaculum aggrediuntur.

Rothomagenſis non adhuc etiam Germanos ab eo propugnaculo decuſſiſſe contentus in Monaſterij vallem demiſſo agmine, Diuæ Mariæ propugnaculum ſubit infeſtus, quòd cum vicinorum montium ſub ictu haberetur, malè à Germanis præſidiarijs poterat propugnari, ideò ab ijs deſertum Galli funditus diruerunt; ab Hiſpanis amiſſo Balneorum clauſtro acerbiſſimè queſtis: quòd eo à Gallis detento à Volturena Ger-

Rothomagẽſis Dux alia Germanorũ propugnacula inuadit.

mani

Digitized by Google

mani prorſus excluderentur: recipiendæ iterum vallis ſpes omnis abiecta Rothomagenſis è contra bellica auctus gloria de proſtratis, victiſque Germanis, triumphans Tirianum inijt, redacta ingenti virtute, in Gallorum ditionem, poteſtatemq; Volturena, inſigni militaris decore peritiæ, ac diſciplinæ conſpicuus.

Rheti ſuarum rerum acerrimum vindicem Rothomagenſem Ducem effusè venerati ſperabant illum ab his vltimis conatibus obſtricta ſibi liberata fide, Volturenam ſuæ priſtinæ poteſtati ex pollicitis redditurum; at vbi Gallicis armis obſtinatiùs eã retineri, ſuaq; poſtulata ab eo varia ludificatione fruſtrari vident; non facilè dixerim quanta ira in Gallorum fluxam fidem, cupidoſq; animos excanduerint. Immo ſi regia aula Rheti legati de reſtituenda Volturena mentionem intuliſſent; vel eorum precibus procerum aures obſurduerant, vel Rex Volturenenſium libertati patrocinatus aiebat, ſe vallem reddere non abnuere, dummodò Religio duntaxat Catholica abſq; vllis prorſus immiſtis hæreſum inquinamentis in ea coleretur: iuriſq; ciuilis, & criminalis dicundi poteſtas penes Volturenenſes eſſet, ex Montione conuentis. Nihil erat Gallo Regi optabiliùs, quàm eã vallem ad facilem in Italiam tranſitum obtinere; ſed magni id futurũ laboris, impendij, curæq; ſentiebat: quam ſi tamen reſtitueret Rhetis, armis protinus Auſtriacis eripiendam, ſuaſq; iterum partes fore rurſus immiſſis exercitibus, ab ea decutere Auſtriacos; ac proinde perpetuo circuitu iactura, receptioneq; eius ſibi inuicem ſuccedentibus, continentibus bellis, & periculis Galliam implicandam, deque eius poſſeſſione vallis æternis certaminibus dimicandum.

Rhetorum ira in Gallos ob falsã fidem.

Galli Regis conſilia de Volturena retinenda.

Ab his igitur tricis ſui cupidus expediendi, demerendique Volturenenſium animos pollicetur, ſe illis ampliora longè, quàm ab Hiſpanis expectare poſſent, conceſſurum, dummodò ſibi partam libertatem acceptam referrent, atq; in fide ſua perpetuo futuros promitterent: quòd Regis cõſilium vbi Rhetis innotuit, prorſus à Gallis eorum animos alienauit, nec Volturenenſium demeruit, quòd hi nunquam adduci potuerint, vt Galli Regis oblatis, & pollicitis fiderent: cuius etiam ſi ſe tutelæ, fideiq; commiſiſſent, à finitimis Auſtriacis prouincijs, ſe magis infeſtos, quã à Gallicis tã lõginquis habitũ iri ſciebãt. Rheti verò ad reſpõſa Regis omninò ſperatis ex inexpectato aduerſantia, atq; integro in Volturenenſes imperio, ab ipſis expetito cõtraria altum demiſſa indignatione compreſſa, Gallorum fraudũ vltionem tacitis coquebant animis. Propugnacula inſuper validis præſidijs in Rhetia à Rothomagenſi detenta vincula illis publicæ libertatis, & compedes videbantur, quàm arctari in dies, fieriq; minorem videbant. Gallicis in Volturena dominantibus armis. His publicis curis priuatæ quoq; ſolicitudines addebantur: aliquib. primaũ non dimenſæ annuæ penſiones; quæ à Rege ſolui ſolebant; vt ſua authoritate, ac potentia ſibi ſuorũ popularium animos conciliarent. Antiqui igitur pacti cum Gallica gente fœderis pœnitebat; defectionemque moliebantur. Sed omnibus diligenter excuſ-

Rheti alienantur à Gallis.

Volturenenſes Galli Regis patrocinium repudiant.

 ſis, cum

Gallorum iugum Rhetis inuiſum ſis, cum id fieri ſine magni alicuius ope Principis nequaquam poſſet, cuius ſubſidio, potentiaq; nixi inuiſum iugum exuerent: conceptam in præſens diſſimulant iram, tacita iniquæ conditionis patientia, arcanos angores alicuius opportunæ excutiendæ Gallorum tyrannidis occaſionis expectatione mollientes.

Recuperanda Volturenæ difficile Hiſpanis. Hiſpani verò Regis proceres, & purpurati, Italiæque miniſtri non minus neceſſarium, quàm difficilem Vulturenæ recuperandæ laborem videbant; horum maximè temporum iniquitate, quà Iuſubres continentibus anguſtijs, & calamitatibus vrgebantur, præter Italorum Principum odia nimiam Hiſpanorum in Italia potẽtiam ſuſpicacibus animis auerſantium; quæ,ſi deturbatis ab ea valle Gallis, iterum Volturenenſes ſuo imperio ſubigerent, in ſe concituros certiſſimè nouerant. Malè enim eius vallis penes Hiſpanos eſſe arbitria patiebantur, ne exteris ſubſidijs aditu clauſo, quidquid eorum voluntas imperaret, ferre cogerentur. Illi quoque perpetua bella, ingentia impendia, militum iacturam in ea valle retinenda horrebant. His igitur cogitationum æſtibus fluctuantibus Hiſpanorum *Iſpruch.* animis, accidit, vt eodem tempore in Oenipontis aula Federicus Enriquezius Hiſpanus legatus cum quodam Rheticæ Reipublicæ Conquiſitore, cui Ianazzæ nomen, inter loquendum de Volturenæ rebus meminerit; quòd fortuitum alloquium quaſi ſparſum temerè ſemen mox pullulauit in *Rheti fœdus cum Hiſpanis ineunt.* fœdus. Iterum enim intentiori cura congreſſi optimè expenſis, digeſtiſq; inuicem rebus, in hæc conuenerunt, vt communibus Hiſpani Regis, Rhetorumq; armis,& viribus è tota Volturena Galli pellerentur, vt conceſſo Indigenis vnius Catholicæ Religionis cultu, abſq; vlla hæreſum admixtione, iterum antiquo Reipublicæ imperio ſubijcerentur: quòd ſi iugum ſubire recuſarent, nullo contumaces Hiſpani auxilio fulcirent. Percuſſum quoq: æternum cum Hiſpano Rege fœdus ea inuiolabili lege, vt regijs copijs per eandem vallem, & Rhetiam in Germaniam liber tranſitus foret; liceretq; militum cohortes de Rhetica gente in Inſubrum bella conducere. Annuæ tamen pecuniarum penſiones à Rege primatibus ſoluerentur. Quę ſemicocta magis, quàm conſtituta, ita iam abiectos Rhetorum animos *Rheti in Gallos inſurgunt.* erexere, vt Gallorum ſocietatem pertęſi, ac impatientes imperij præcipites ruerint in arma; acerſitiſque ex Inſubribus auxiliaribus peditum cohortibus, & equitum turmis,eiectis improuiſo impetu Gallis, Volturenam receperint, & Rheni propugnacula, ipſumq; Stainis munimentum *Rothomagẽſis Dux Rhetorum captiuus.* adepti; vniuerſa gente in Gallos concita Rothomagenſem Ducem captiuum abduxerint; à quo omnium arcium, propugnaculorumq; reſtitutionem, confecta pactione, extuderunt: cum auctario, vt tota Volturena, Rhetiaq; excederent omnes milites Galli: poſito ei vnius menſis, & dimi*Hiſpani pecunia Rhetorum animos captãt.* dij tempore, quo Regem de his rebus admoneret: cum hac lege,vt interim eſſet in cuſtodia, donec pollicitis extaret fides.

Hiſpani veriti nequid incommodi ea pareret, mora, conuentiſq; intercederet, miſſis in Rhetiam exactæ prudentiæ cum pecunia miniſtris, eam

gentem

gentem omninò à Gallorum ſocietate, atque obſeruantia auertere conabantur. Opportuna fuere Hiſpanorum obſequia;nam Gallus Rex omiſſa armorum violentia, vt nimiæ impenſæ, periculoſèque diuturna, pecuniarum largitionibus,laxioribus promiſſis Rhetorum verſabat animos, vt damnato nouo cum Hiſpanis fœdere, in antiqua erga ſe fide perſiſterent. Volturenã ſe nulla adiecta religionis pactione,redditurum. Sed nihil Galli Regis officia,promiſſaque ſemel deceptos, expertos fluxam Gallorum fidem Rhetorum animos molliere; quin conſtantiùs, & firmiùs Oenipontis pactionibus ſtarent: & eorum ſocietatem peroſi nouæ amicitiæ fortunam periclitari mallent; quam propitiorem, ſecundioremq; ſibi futuram ſperabant: præter id quod longè tutiſſimum foret, Volturenæ poſſeſſionem, huius tranſactionis negotiorum ſummam ab Hiſpanis magis, quàm à Gallis obtinere; quòd rerum ſuarum ſecuri Hiſpanico fędere ſeruarentur, bellorumque metu liberi, quæ à Germanis, atque Inſubribus finitimis imminerent: cum nec arma Gallica ob locorum diſtantiam formidare, nec ſubſidia, ſi vicinis Auſtriacis premerentur, aut vllam opem ſperare poſſent.

Rheti Gallorum ſocietatẽ reſpuũt Iſpruch.

Præſtituto igitur tempore elapſo,Rothomagẽſis,qui ſe non ſemel cuſtodia fuga ſubtrahere tentarat; coactus eſt omnes arces, ac propugnacula Rhetis protinus tradere, iubereque omnes Gallos Volturena, ac Rhetia excedere. Læta proſpero auſu, tentamentoque Reſpublica legatos in Inſubres mediolanum miſit, qui cum pręſide fœdus, Hiſpanoque Rege ferirent: Volturenenſes, quoque ſuos eòdem legauere Conquiſitores vt præſentes ſuam agerent cauſam. Cum frequentibus diſceptationibus rem difficultates inexplicabiles præpedirent: nec eas ſoluere produci animus eſſet; vtrique ad regiam Hiſpanam aulam miſſi, vt ibi ſacramento contenderent.Benignè excepti à Rege; atque optimè habiti, duos annos ea lis difficilis tenuit. Volturenenſium legationis princeps ita Regem,& procerum conuentum affatus eſt.

Galli Volturena à Rhotomagenſi Duce diſcedere iuſſi.

Si de re dubij, atque ancipitis iuris coram te, Regum maxime, & vobis inclyti proceres, diſceptandum foret; mihi totis viribus adnittendum eſſet, vt, accerſitis vndique legum placitis, & iuris prudentium ſcitis, atque ex occultioribus ciuilis ſcientiæ adytis rationibus erutis, noſtram cauſam communirem, & iura tuerer. Sed cum nihil medij cum patentiſſima veritate confligat, nihil pugnet aduerſi, nullæ tenebræ illius claritatem obſcurent; non nobis verendum eſt, quin lis ſecundum nos ab æquiſſimis iudicibus detur, & cauſam veſtra ſententia obtineamus.Non hìc diſputationum opus eſt labor, vt ad eam probandam legum arcana depromam. Liberi ſumus, noſtrique iuris, nullius addicti imperio, etiamſi violentæ Rheticæ tyrannidis impotentiæ ſuccubuerimus. Veteres tabulæ conſulantur, initi quondam cum Rhetis fœderis capita trutinentur: erit vobis luce clarius Volturenenſes Rhetorum ſocios, fœderatoſque, non vectigales eſſe, rerumque adminiſtrationem, magiſtratus, dignitates, officia illis iuxta, atque nobis eſſe communia. Illi vt potentiores

Volturenenſis oratio ad Regem Hiſpanum.

noſtram obruere libertatem; paſſi ſumus inuiti, tacitè frementibus animis diu iniquum Barbaræ gentis imperium; nihil obluctati violentiæ, dum non adhuc ab ea tam auarè, & crudeliter haberemur: immo diutiſſimè incredibili patientia tulimus duriſſimum immanium dominorum iugum: donec perditè in miſerorum tantum fortunas eorum rapacitas graſſaretur: at cum noſtræ ſaluti, vitæ, honori mortalium cariſſimis, potiſſimiſq; bonorum inſidias ſtruere, Catholicam Religionem, inductis Caluiniſticæ ſectæ inquinamentis, è tota valle eos conari conuellere, atq; in dies magis ſæuire eorum tyrannidem vidimus: nullum barbaricæ licentiæ facturam modum, donec Catholicos indigenas penitus ſuſtuliſſet; ſumptis ab vltima deſperatione animis, deſciuimus à Tyrannis, è noſtris ceruicibus grauiſſimo fortiter iugo depulſo, ademptamq; per ſummam iniuriam nobis libertatem ſtrenuè aſſeruimus; quã nos humanitas, & fortuna, atq; ipſa natura donauit. Proferãt porrò ipſi tabulas, quibus in nos æqua ſibi vindicẽt iura, iuſtèq; Volturenenſibus dominentur: nihil ſanè niſi meram violentiam alieni furacem, diuturnæq; tyrannidis præſcriptionem producere poterunt. Quis nos eorum tradidit poteſtati? quis noſtram Rhetis largitus eſt vallem? non bello domitos ſubegere, neu ius vallis pactione aliqua vſurparunt; non in eorum ditionem ſpontè conceſſimus. Cur igitur totam Galliam, Hiſpaniam, ac Venetos miſcent; cur extera auxilia ad repetendam, tanquã ſuã vallẽ accerſunt, atq; armis aliena repoſcunt? Cur nobis natiuam libertatem vindicare non licuit, & quacumq; ratione noſtram patriam tyrannide barbarorum eximere? Suum cuique iura repetere, iniuſtèque ablatum eripere ſinunt. Non igitur perduellionis, perfidiæque labem contraximus, aut poſſumus rebellionis infami ſugillatione præſtringi, ſi fortibus animis, noſtræ libertatis amantes ſtrenuè tota valle tyrannos exegimus. Catholicæ Religionis deſiderium, quam hactenus inter tot hæreſum purgamenta incorruptam, intaminatamq; ſeruauimus, fidum, & conſtans in Hiſpanos, atq; Auſtriacos ſtudium, & veneratio in hos generoſos auſus impulere. Tuam ſubeat Maieſtatem, te noſtræ libertatis vindicem, tutoremq; futurum recepiſſe, patrociniumq; miſſis ſubſidijs regia fide ſanxiſſe. Tuæ innixi potentiæ viribus, auxilijſq; freti rebellauimus: nos inconcuſſa erga te fide ampliſſima Regis Galli promiſſa reiecimus: maluimus vitam, ſalutem, fortunaſq; omnes efferatiſſimorum hoſtium arbitrio permittere, atque vltima experiri, quàm obſtrictam tuæ Maieſtati fidem tantulum inquinare. Spectauimus ſiccis oculis, conſtantibus animis noſtra diripi bona, vxores ad probra rapi, liberos obtruncari, tecta incendijs ardere, patriam euerti, omniaq; mala, quæ ſecum trahit militum inſolentia, noſtros pati populares, hac tantum de cauſa, quòd tui ſumus, quòd in tua fide quieſcimus; quòd tuas ſequimur partes. Tantam dedeceret maieſtatem ſuſcepti ſemel noſtri patrocinij pænitere, tibi ex animo addictos, tuos fidiſſimos vectigales tyrãnorum impietati, ſæuitiæq; per omnia crudelitatis genera lancinandos deſerere. An noſcis infida Rhetorum ingenia, fallacia, doloſa, venalia, qui ſuam ſocietatem pluris nundinantium vendere cõſueſcunt. Statim ac eos voti damnaueris, renouato cum Gallis, ac Venetis fœdere, à te deficient, atq; tuis hoſtibus adhærebunt, ſi pluris ſuam amicitiam licitabuntur. In auro, pecuniarumq; largitionibus eorum toti animi ſunt; non in con-

ſtantis

ſtantis,firmaq; fidei laude : compendia,lucra,non gloriam ſpectat ea barbaries. Montionis memineris tranſactionis,quibus tuorũ ſequeſtrum authoritate noſtrę libertati cauetur,immuneſq; Rhetici præſtamur imperij.Regia ſancita pro iuſtiſſimis cauſis facientia mutari non licet.Quid eſt quod in tuo ampliſſimo imperio, in tot tuis prouincijs,& regnis nullius hæreſis pateris ſordes, nullũ malè de Catholica Religione ſentientem conſiſtere ſinis? & tamen tu hæreticis imperares, tuamq; illi tremerent Maieſtatem:tui illis, non illi tui dominarentur Hiſpanis: & cur nos populi Catholici hæreticorum iniquiſſimo tyrannorũ imperio parere cogemur? Si Catholici Regis nullius pietas cauſæ,certè Catholici populi tuã fidem obteſtantis miſeratio animum mouere debet;ne barbarorum feritati in innoxios ad ſatietatem ſęuituræ, miſeros tradas;ne tot labores, bonorum populationes, exilia,cędes,incendia, clades pro Catholica Religione, pro ſeruanda erga te fide nullo fructu necquicquam ſe tuliſſe querantur.

Monſon.

Hæc perorantis dicta cuiuſlibet Regis animum impuliſſent, ne Volturenam iterum Rhetorum ditioni ſubgi pateretur: niſi grauiora, maioraque regnorum quietem, atque Inſubrum commodum reſpicientia Regis aliò mentem, & Procerum auertiſſent: ne iuſtiſſimis Volturenenſium votis, poſtulatiſque aſſentirent. Poſtremis igitur conuentis omninò ſtandum erat: quibus ſatis cautum Volturenenſium incolumitati, ſalutique promiſſaque Regis, & fides impleta videbatur his duabus præcipuè conditionibus: altera vt Religionis tantum catholicæ ritibus ſacra fierent: totaq; valle Apoſtolica Romana fides ab Indigenis coleretur, nullis hæreſum admiſtis erroribus: altera, vt duorum authoritate prudentiaque, ac probitate inſignium virorum tribunal conſtitueretur, quorum alterum Mediolani Produx,alterũ Rheti ſeligerẽt;ad quorum patrociniũ, & opẽ cõfugerẽt incolę,ſi Rhetorũ iudicia tã in ciuilib.quã in criminalib.cauſis grauarẽtur:ſic Hiſpani,& Catholicæ Religionis cãdoris puritati,& Volturenẽſiũ indemnitati ſatis conſultũ putabãt.Neq; enim tanti erat imaginaria Volturenenſiũ libertas,vt pro ea cõſtituẽda,eſſet tota Italia,& præcipuè Inſubres bellorũ cõcuſſibus euertẽdi.Nã ſi Hiſpani patrocinij ſpecie eã vallẽ tenere pręſidijs mõtiũ anguſtias, & alpiũ clauſtra firmis impoſitis cuſtodijs pergerẽt obſidere:nũquã Galli,& Veneti,cæteriq; Principes fęderati,à bello quieſcerẽt; donec vltimo ipſorũ Volturenẽſiũ excidio, illos ab ijs anguſtis aditibus decuſſiſſent;ne intercluſa exteris ſubſidijs Italia Hiſpanicæ potẽtię tãquã rerũ arbitræ ſeruire cogerẽtur.Immo ipſis Volturenẽſibus futurũ eſſet exitio, ſi in Hiſpanorũ tutela libertate,quã tãtopere ſuſpirãt,Rheticæ immunes imperij Reipublicæ fruerẽtur:aſſiduis enim Rhetorũ,Gallorũ,aliorũq;Principũ de eius vallis poſſeſſione,aperiẽdiſq; montiũ clauſtris bellantiũ copiarũ excurſibus,& recurſibus agitati,afflicti, direpti grauiora incõmoda paterẽtur,quã ſi vel graue Rheticæ ditionis iugum ferrent.Edictũ igitur Volturenẽſibus,vt Regis placitis acquieſcerẽt,& qualicũq;parta patriæ libertate cõtẽti,moderato,iuſtoq; deinceps futuro Rhetorũ imperio audiẽtes eſſent; ipſos nihil acerbiùs, & grauiùs in indigenas conſulturos, ne violata fide irritato Rege,maiora,amiſſa valle,ſuperiorib. mala pati cogerẽtur.

Grauiora negotia Volturenẽſium votis intercedunt.

BEL-

Digitized by Google

BELLVM LIGVSTICVM

NARRATIO QVINTA.

Regibus Reſpublicæ inuiſæ.

MVltorum dominatui Principum cupiditas fuit ſemper infenſa, mortalium libertatẽ ex ingenio Regibus auerſantibus, qui humanas res verſare pro arbitrio vellent; quaſi vnius moderantis iugum homines pati, coronataque capita vbique ſibi dominari naturæ lex iubeat; cum neque duobus ſolibus regatur orbis; vnuſque tantum det rebus mundi Arbiter iura. Vnius enim imperio regendæ prouinciæ videntur: malèque agi cum regnis, quæ plurium ambitioni, ac libidini parent; ſiue patritij, ſiue plebei promiſcuè imperio perſideant; cum Priuatæ fortunæ ſceptris gerendis non aſſuetæ manus ſint plerunque moderandis populis ineptiores; quòd tarda conſilia in plurium conuentibus in rebus difficillimis explicentur; quæ præſentiſſima remedia ingruenti malo depoſcunt. Præter id quod Reſpublicæ ſunt finitimorum Principum iniurijs magis obnoxiæ, qui earum terras, & loca, ac ſi nullius iuris ſint, vel iniquè vſurpare conantur, ægrèq; ſtant contra inuadentium hoſtium vim, niſi alicuius validioris clientela Regis, ac patrocinio nitantur; vel oppreſſa libertate potentiorum ciuium dominandi libidine lacerantur, raró ætatem æquant. Sed intra quina ſecula, vt quàm diutiſſimè effętæ ſeneſcunt. Ex quo Venetæ Reipublicæ ſœlicitatem mirari licet; quæ vel toties regum armis oppugnata, periculoſiſſimis bellis glorioſè defuncta quatuordecim durat.

Venetæ Reipublicæ decus.

Antiqua Genuenſis Reipublicæ gloria.

Reſpublica quoque Genuenſis pręcipuum Italici nominis ornamentum quondam ſormidandis claſſibus potens, quæ Mediterraneo mari, atque adeò toto oriente victricia arma circumferens, captiuis regibus actis pluriès de ſuis hoſtibus triumphauit; nunc Gallorum Regum, nunc Allobro-

gum

gum Ducum armis, & pernicioſorum ciuium inteſtinis inſidijs petita ęgrè ſuam libertatem tuetur; egregia tamen virtute ſe aſſerit, iniqua bella, iniuſtaq; arma ab eius finibus repellentibus Superis. Vtinam ſicuti olim maritimarum rerum ſtudijs, nauigationiſque prouentibus ad inuidendas opes, eamque potentiam exceſſerat, qua inſurgentes in ſe reges, & principes non fręnare modo, ſed etiam obterere poterat; nunc quoque abiectis colybi, menſarumque compendijs vni nauticæ arti addicta inſtructis claſſibus curreret mare; ſuaque viuida, ac ferocia ingenia in parandis Ionij, Ægeique maris inſulis, Thraciſque regis prouincijs impenderet, certè nulli ſecunda potentia auitum ſplendorem, decuſq; reciperet: nec inter anguſtos ſterilis oræ limites clauſa quieſceret. Sed opulentiſſimi ciues immania auri, argentique pondera, & ingentia ex mutuis pecunijs lucra, quæ ad Genuæ litora de Hiſpani Regis Mexicanis, Peruaniſq; theſauris aduehuntur, in feudis, latifundijs, dominatibus comparandis inſumunt; in quibus otioſis receſſibus inter tranquilla vitæ ſilentia degunt domeſtico luxu, ac nitore contenti nihil de paranda bellica gloria, augendoque armis imperio ſoliciti. Sed ipſi viderint, an Reipublicæ ſaluti, incolumitatiq; expediat iuuentutem bellicis artibus exercere, militarique inſtructam diſciplina alere inter arma, an inter ciuiles curas, molliora que ſtudia domi delicijs otioſam morari. Hoc ſanè conſtat ad arma, bellaque minantem ex Apennini faucibus Gallum, & Allobrogem adeò tota vrbe trepidatum, totiſque compitis fluctuatum eſſe, ex diuturnæ pacis otijs timidioribus animis bellicæ prorſus imprudentibus diſciplinæ; vt attonitis ſimiles, neq; aptè in mœnibus librare tormenta, neq; tumultuarias in ſuos ordines partiri cohortes, neque tympanorum pulſibus obedire, nec Duces opportuna imperia explicare, non locare militum ſtationes, neque in murorum lorica diſponere propugnantes ſatis noſſent. Cuius maximi belli periculum, niſi ablata Gallis Ducibus mente, amica Liguribus Numina diſcuſſiſſent; procul dubio ſuam conclamaſſet Reſpublica libertatem. Verum huius rei politicorum peritis diſputatione relicta, noſtri operis inſtitutum, bellumque Liguſticum proſequamur. *Quid rebus publicis expediat.*

Parta Genuenſibus Andreæ Auriæ ſalubri conſilio, virtuteque libertate, qui eiurato Franciſco primo Gallorum Rege, exutoq; ſacramento, atq; excuſſo eorum iugo, omnia ſecum ad Carolum Quintum Patriæ tranſtulit: vbi Reſpublica in Auſtriorum Principum, Hiſpanorumque Regum fidem, clientelamque conceſſit; mutuis officijs, & meritis, ſocietatem, amicitiamque adeò conſtantibus animis coluere; vt quamuis inter eos diſcordiarum ſemina ſerere plerique malignè tentauerint; non tamen arctiſſimis beneuolentiæ nexibus coniunctiſſimos animos, oblatis etiam ampliſſimis præmijs, & honoribus dirimere potuerint, quin ſe inuicem beneficijs maioribus prouocarent. *Andreæ Auriæ beneficio Genuenſibus parta libertas.* *Mutua inter Hiſpanos, & Genuenſes beneuolentia.*

Rex Hiſpanus Genuenſes patritios proreges præficit regnis, prouinciaſque adminiſtrandas eorum fidei, poteſtatique committit. Animoſiſſimum

mum

Digitized by Google

mum quemque imperatorijs paludamentis, ſupremiſque armorum imperijs honeſtat: cohortium, legionumque præfecturis, equitum magiſterijs, regiorum prouentuum, vectigaliumque quæſturis illuſtrat: ſuarum triremium Duces, ſummoſque claſſium Nauarchos iubet; in arcana, penitioraque rerum maximarum conſilia prudentiores admittit: nulla dignitas in regia aula, nullum in prouincijs, & Regnis amplitudinis faſtigium adeò eminet; ad quod Genuenſium virtus eniti non poſſit; quos in ſuorum procuratione negotiorum, veluti ſolertioris ingenij omnibus præfert. Denique eodem loco, ac numero Genuenſes, ac ſuos populares habet: nihilque intereſt Hiſpani natiui ne ſint, an Genuenſes, qui ad ciuilia, militariaque munera ſeliguntur. Habet tamen ſuis in Regnis perpetuæ fidei ſeruandæ pignora, ampliſſimos ditiorum Genuenſium pecuniarum aceruos, dominatus, ditiones, tetrarchias; quibus veluti nexibus in eius obſequio deuinciuntur.

Genuenſiũ in Hiſpanos Reges obſequia.

Genuenſes Hiſpanum regem viciſſim omnibus officiorum generibus venerantur. In Belgium in arma ad eius merenda ſtipendia turmatim, vel etiam ſuis impenſis authoratis popularium manipulis proficiſcuntur: qui ſacramento militari aſtricti ita Hiſpanam rem curant, vt nulla fidelior, fortiorque opera in ijs bellis ab alia gente expectari poſſit. Fidam ſtationem, ſummotis omnibus alijs, in portubus ſuis regijs claſſibus præbent: immo validiùs triremium agmen, ad Neapolitani Regni, Siciliæque cuſtodiam deſtinatum, quæ momento peruolant, quò neceſſitas vocat, totum ferè annum in Genuenſi tutiori portu in anchoris ſtant. Militum ſupplementa ab Hiſpania identidem nauibus longis aduecta in Inſubres per ſuarum alpium clauſtra, valliumque aditus ire permittit; quæ omnia Regi Gallo conſtanti in Hiſpanum fide recuſat. Nullus Mercator aduena regia crebriùs Genuenſi frequentat emporia; ſuas merces Neapolis, Siciliæ, Hiſpaniarum litoribus magno regiorum vectigalium compendio meliores exponit; inde in patriam ſuis nauibus exteras reuecturus. Inter omnia verò propenſiſſimæ in Hiſpanum regem voluntatis obſequia, potiſſimum reor præſentium pecuniarum vſum, & commodum, quæ quocunque terrarum in Hiſpanicarum copiarum ſtipendia a pecunioſiſſimis menſarijs Genuenſibus litteris collybiſticis tranſmittuntur. Nam cum Hiſpano Regi in Belgio, in Italia, in Germania iuſti propè exercitus ſint alendi; & validæ in Oceano, in Mediterraneo mari claſſes ingentibus ſumptibus ſuſtentandæ, variæque in diuerſas terras expeditiones ſuſcipiendæ, & regia æraria, quamuis quidquid theſaurorum ad Hiſpaniæ litora regerunt Indi, eiectantque Mexicanæ, ac Peruanæ fodinæ, vorent; tot tamen impenſis, metiendiſque tot exercitibus ſtipendijs haud quaquam ſufficiunt: vel ſi etiam pecunia ſuppetit, non ea in prouincias à piratis, vel ab hoſtibus tuta poteſt, vel opportuna obeundis expeditionibus celeritate perferri; quin illã hoſtes, qui cupitæ imminent prædæ, identidem populentur; magno copiarum, atque expeditionum detrimento, quæ ſine præ-

Præcipuum Genuenſiũ in Hiſpanos Reges obſequium.

ſentis

ſentis pecuniæ ope ruere, atque intercidere neceſſe eſt. His omnibus incommodis ditiorum Genuenſium theſauri, opeſque proſpiciunt: qui in celeberrimis totius Europæ emporijs merces, pecuniaſque negotiantur. Ita Rex Hiſpanus, & Genuenſes ſibi inuicem porrigunt manus, mutuiſque auxilijs, atque opibus fulciunt; ac ſi perpetuum, & inuiolabile ſocietatis fędus inijſſent, alterique in alterius verba iuraſſent. Cum igitur Hiſpanorum, Genuenſiumque res multis nominibus ita ſimul implicitæ, connexæque ſint; vt ſibi mutuò firmiſſimè innitantur; & vnæ ruere, ſine aliarum caſu non poſſint; Hiſpanæ æmuli potentiæ, qui eam ab imo conuellere ſumma contentione nituntur; hanc ſolidiſſimam baſim illi ſubducere admotis totis viribus tentant; rati ſapienter, Republica Genuenſi euerſa, laboraturum quoque Hiſpanorum imperium, cui præſentiſſima, ac valida pecuniarum, virorumque ſubſidia ſolet in rebus difficillimis ſumma alacritate ſufficere.

Hiſpanorũ Genuẽſiumque commoda ex mutua amicitia, & ſocietate.

Henricus quartus Galliarum Rex, cui magno nomen rerum geſtarum magnitudine Gallorum conſenſus dedit, atrox contra Hiſpanos bellum, Auſtriorumque principum deiectionem potentiæ animo coquens primum armorum fulmen Genuenſi Reipublicæ deſtinauerat, veluti præcipuo tantæ Monarchiæ fulcimento; cuius collapſi pondus in reclinatam recubiturum ſperabat: niſi mors, quæ vana humanarum mentium deliramenta ſoluit, iam iam furentem cruentiſſimi belli turbinem in liquidum aerem diluiſſet. Eadem tamen perdendæ Genuenſis Reipublicæ conſilia in ſuccedentium Regum, purpuratorumque animis adhæſere: quibus ob ardentia illius in Hiſpanos, æternaque ſtudia, Genuenſes pluſquam natiui Hiſpani videbãtur; quòd nimiũ ab illis pertinaciter ſtantes cõmunibus eorum hoſtium conſilijs intercederent; & ſuorum corporum, fortunarũque obiectu Hiſpanos conſtantiſſimè tuerentur. Quo circa Galli Genuenſi inuiſo nomine eius euertendæ Reipublicæ animos adiecerunt: hac mente, vt occupata Liguria, oppreſſiſque Genuenſibus, Inſubria maritimis auxilijs intercluſa, terreſtrium copiarum opportunior incurſibus foret; cum ab Hiſpania quàm remotiſſimæ diſſita aliunde, quàm à mari ſubſidia recipere nullatenus poſſet. Neapolis inſuper, Siciliæque regna, ijſdem inuoluta difficultatibus eadem de cauſa ruitura. Illud tamen potiſſimum agebatur, vt præciſis Genuenſium pecuniarum neruis, quibus Hiſpana res ſtabat, eorum moles imperij tota concideret: Eò igitur omnia molimina, conatuſque intenderunt, vt Rempublicam communibus viribus ſtatim impellerent. De hoc tamen tentando in vltimo Auenionenſi fœdere nihil fuerat in conſilio prouiſum; ſed exorta ob Zuccarelli Marchionatum inter Genuenſem Rempublicam, & Allobrogem Ducem ſimultas, hoc vtile ad rerum ſummam eorum animis conſilium ſubiecit. Parum ad bellum cum Republica hac leui de cauſa rumpendum Dux Allobrox inclinabat; quamuis eius pertinaciam in eo marchionatu in ſui contemptum retinendo ferret iniquiùs, & promiſſæ litteris vltioni temperare, multum de

Henricus quartus Galliæ Rex Hiſpanis infẽſus Genuẽſium excidium molitur.

Gallorum conſilium.

Belli rumpendi cum Genuẽſibus cauſa leuiſſima.

de ſua dignitate remittere videretur; nihilominus, quòd de Philiberti Principis, cum Principe Mantuana coniugio iungendo ſedulò cum partibus ageret; ſperaretque ſe ea de re Montem Ferratum ſuis ditionibus additurum, vel ſaltem ſua in eas terras aucturum iura; frœnabat iram in ſui vltionem exilientem: ne Hiſpanum Regem laceſſeret, quem certò ſciret pro Genuenſibus eſſe facturum; & ne importunis armis illius ſpem coniugij abrumperet. Itaque mitiùs, ac molliùs agendum ratus, vt illis ſe tricis aliquo honeſto nomine explicaret; cum miniſtris Hiſpanis egit, vt aliquam tradendo Zuccarello interponerent moram; ea lege, vt niſi intra paucos dies in aula Cæſarea conteſtata lite, edito ſupremò ſuorum iurium conatu, ſibi à Cęſare non addiceretur; Genuenſes ſibi illud haberent: neque ampliùs de eo interpellarentur. Hiſpani miniſtri veriti, ne de illius exigui caſtelli exorta de poſſeſſione contentio alicuius periculoſi in Italia belli flammam accenderet; obſequendi etiam ducis cupidi voluntati, ſedulò interceſſerunt, vt Reſpublica in ea re necteret moras, Caſtellique poſſeſſionem cunctaretur adire. At Reſpublica dubia, ne tandem iura omnia, Ducis authoritas prægrauaret, indulgendoque aliquid ipſius minas metuere videretur; ne ſuũ ius in dubiũ vocaret; quod ſibi leges omnes addicerent; ea conſtans perſtitit in ſententia, vt ſibi illud ſtatim feudum traderetur; ſicut à Cæſaris Quæſtoribus numerata pecunia fuerat nundinata; quod tandem à Mediolani produce aſſequuta, in illiuſque poſſeſſionem inducta, Allabrogum Dux & Genuenſium pertinacia, & ſuis minacibus litteris ſibi omninò iniuriam vlciſci viſus impelli, irato agitabat animo contra Rempublicam bellum. Opportuno cupitæ vindictæ Philiberti principis interitu, quem Panormi ſummum regiæ claſſis nauarchum fœda luces abripuit, aditus patuit, omni Mantuani cõiugij ſpe prorſus abſciſſa; quòd reliquos duos fratres in Gallos propenſioribus animis ab eo Rex Hiſpanus excluderet; & Cardinalis Mauritius apertum ferè ſe Mantuani Ducis hoſtem profeſſus manifeſtis odijs ab eo, inſenſoq; animo diffideret.

Allobrogũ Ducis non inferendi Genuenſib. belli reſpectus.

Genuenſis Reſpublica generoſa cõſtantia.

Dux Allobrox Genuẽſibus iraſcitur.

Aliud quoque belli incentiuum re ipſa ioculare, ſed ducis opinione, æſtimationeque maius ad aggerandas, quærendaſque iuſti belli cauſas, honeſtandaque arma, dubium adhuc animi arietauit in bellum. Accidit, vt aliquot de abiectiſſima plebecula pueri, authorari milites, centuriari cohortes, agminaque bellatorum luſtrari, atque tota ciuitate procedere ternos, aut quaternos ad temperatum tympanorum pulſuum modum procedere, ventilantibus vexilla ſigniferis intuiti, vt illa tenera ætas ſemper ludibunda eſt ſimiorum inſtar omnium imitatrix, ipſi quoque papyraceis thoracibus, loricis, & arundineis telis armati inſtructis ordinibus tota vrbe diſcurrentes certaminum ederent ſimulacra. Euenit vt in quadam ludicra pugna altera alterius cohortis fuſæ Ducem Allobrogis Ducis perſonam agentem captum per compita duceret in triumpho. Senatus quamuis de hac re habita quæſtione ob eas pueriles nugas authores ne, Ducis animus eo con-

Alia belli cauſa.

Puerorum ludicra pugna.

eo cõtẽptu, & ludibrio magis aſperaretur, verberibus cæcidiſſet; res maior tamen quàm erat, iniquiori ſemper fama grauiora vulgante, Duci quoque innotuit. Qui cupidus iuſtioris cauſæ, quàm de Zuccarello vindicando belli, quòd parabat, apud Principes prætexendæ. Ipſe quoque per iudices quæſtionem exercuit; cognitaq; ad Principum curias querelarum plena à ſuis internuntijs iuſſit exponi; in quibus teſtium confeſſione conſtabat, etiam ipſius ſimulacro varijs ludibrijs illuſo, tandem aliquot quorundam nobilium conſenſu fuiſſe ſubditas faces; quò ſe inuitum trahi ad bellum, iuſtaq; arma induere videretur, quibus ſui contemptum, ſpretamq; dignitatem vindicaret. Antiquæ etiam de finibus contentiones, pro quibus diù ſacramento certatum erat; ſed nuper ſubmiſſa clam in Montisferrati bellis, Mantuano Duci ſubſidia, veteraq; odia, quæ quò diutiùs comprimuntur, eò vehementiùs in vltionem erumpunt, Ducis iras acuebant. Galli cupidè eius infenſi Genuenſibus occaſionem amplexi; vt Carolum firmiùs in icto fœdere detinerent; iterum Seguſij pago ad Alpium radices, quæ Taurinos ab Allobrogibus multo iugo ſeiungunt, Dux Carolus, Mariſcallus Diguiera paucis ante annis magnus Galliarum comeſtabilis à Rege creatus. Demarchus Crequius eius Gener, Claudius Marinus Galli Regis apud Ducem legatus, & Venetus orator, alijq; federatorum Principum internuntij conuenerunt. Ibi Dux Carolus de Genuenſium prius iniurijs acerbiſſimè queſtus; ſuaſit *ſalubrius eſſe, utili uſque conſilium, antequam ſigna Inſubribus inferrentur, bello perſequi Genuenſes, eom nuniaque arma uertere in Liguriam facilem ſubigi ob parum firma ciuitatis Principis munimenta, qua domita cætera quoque nullo negotio acceptum iugum: Genuenſes exteris auxilijs prorſus exermes; diuturnæ pacis ſtudijs, & otijs aſſuetos, inualidaſque ad reſiſtendum popularium uires, ex tumultuarijs delectibus conſcriptos milites bellicæ ignauos prorſus, imperitoſque diſciplinæ, omnes exercendæ potiùs mercaturæ, quàm tractandis armis idoneos facilè vinci poſſe: ac proinde ereptis Hiſpano Regi Genuenſium pecuniarum auxilijs, neceſſario in manus Inſubres ruituros; qui quamquam obſepta Volturena, communibus viribus aggredienda, Germanicis copijs auxiliaribus intercluſi minus validi ad obnitendum futuri eſſent; nihilominus niſi à mari quoque omni ſubſidio prohiberentur, Neapoli, & à Sicilia firma recepturos pecuniarum, ac militum auxilia; quæ occupata Liguria, clauſoque mari litoribus exponi nullatenus poſſunt, vbique toto litore prætendente ſe hoſte: bellum facile, compendioſum, incruentum, cuius opulentiſſima præda, & ſpolia affatim exercitum ditatura præterquam plurima commoda ex ſubactis Liguribus profectura.*

Varia offenſa Ducis animum aſperant.

Inſa.

Legatorum Principum conuentus Seguſij.

Quibus rationibus bellum ſit Genuenſibus inferẽdum.

Commoda ex Liguribus ſubactis proferũt

His rationibus à Duce irato, incitatoque animo peroratis adducti Galli dynaſtæ communi conſenſu bellum in Genuenſes decernunt; gnari ſine hac expeditione ſummopere à Carolo Genuenſibus infenſo expetita, illum à fœdere receſſurum, quòd in Rempublicam potiſſimum irarum pleno animo ferebatur. Non tantum itaque in Liguſticum bellum, Genuenſiumque perniciem totas ſimul vires coacturos pollicentur; ſed etiam Maſſilienſem,

Bellum in Genuenſem decernitur.

lienſem, Anglicanamque claſſem, contra Hiſpaniarum maritimas vrbes inſtructam, ad Liguſtici maris litora vela daturam, commeatuſque, & militum ſupplementa, tormentorumque farta copijs terreſtribus ſuffecturam. Et ne quid fœderis conuentis deeſſet, futuræ victoriæ ſpolia, & præmia inanibus concepta votis, vt fama diſtulit, antequàm conuentus dimitteretur, ex æquo partiuntur. Scilicet vt Genua cum tota Maritima ora vſque Sabatiam Regi Gallo contingeret; reliqua Allobrogum Duci cederent. Rex Gallus in id bellum decem peditum, & equitum mille conferret; Dux Carolus quindecim peditum, & duobus equitum millibus suppleret exercitum; commeatuſque omnes, tormentorumque apparatus exercitui miniſtraret. Vnus Venetus Legatus hanc decretam in Genuenſes expeditionem non probauit; quia cum in icto Auenionenſi fœdere, hac de re nihil relatum, ſancitumque fuiſſet; non poterat ſuæ Reipublicæ iniuſſu nouo fœderi aſſentire. Huius mutuo partium conſenſu deſtinati belli, cui alij ad fallendos Genuenſes tituli præferebantur, apparatus pro viribus contegebant; ne vulgata conſilia eos, in quos præcipuè armorum impetus collineabant, de ſua ſalute trepidos, ſuorum diſcriminum prudentes armarent. Galli bellicis molitionibus aliàs à veris cauſas prætexebant. Se nihil in Volturena moturos, ſed omnibus Summi Pontificis arbitrio permiſſis, nihil Italiæ pacem turbaturos recipiebant. Eadem in Regia Hiſpana aula efficaci oratione obteſtabantur. Summus Pontifex Gallorum pollicitis fidens nihil rebus ſuis, valliſque incolumitati in tanto armorum, apparatuumque ſtrepitu conſulebat. Rex quoque Hiſpanus de Gallorum fide ſecurus periculis ſuis indormiens quieſcebat; quòd ingenti ære alieno, ob Germanica, Italica, Braſilianaq; bella, quibus alendis æraria auro, prouinciæ incolis erant exhauriendæ, oppreſſus adduci non poterat, vt nouis ſe nominibus implicaret, quo imaginarij belli inſtrueret apparatus. Appetentis quoque hyemis importunæ rebus bellicis tempeſtatis, brumaliumque dierum tædia iuuabant inertiam: nec aliud ex illo Seguſiano conuentu pridie idus Nouembres inito, quàm minarum fragor erupturus videbatur; nec aliud eo quæri, quàm vt honeſtiores, æquioreſque pacis conditiones exprimerent. Verum tantæ molitionis fremitus amplius premi non potuit; quin eorum quoque, qui potiſſimum petebantur, auribus obſtrepuerit.

Rex Hiſpanus Genuenſes varijs honoribus inſigniti.

Gallorum, & Ducis Allobrogis inania vota.

Fœderatorũ Principum ſimulationes.

Belli conſilia, decretaque deteguntur.

Demarchi Courei in Heluetios repentina profectio arcanæ petitionis ſuſpicionem iniecit: qui quamuis ſubducendarum cum ea gente Galli Regis nominum rationum ſpecie eò profectus eſſe videretur: tamen cum Veneti, Allobrogeſq; legati, Rhetiq; aliquot exules perpetuo ipſius lateribus adhærerent; illeq; ſolicitè arma ferocis gentis conſcriptis cohortibus expediret; quotidie rurſum, prorſum tabellarij ad fœderatos inuicem Principes peruolarent; aliud agi, quàm quod præferebatur, vel incurioſè res metientibus apparebat. Venetorum quoque bellici in Camunis, in Bergomatum finibus militum, commeatuum, ac tormentorum aggeſtus

Gallorum bellici apparatus.

Valcamonica.

Venetorum bellici apparatus.

exarſuri

exarſuri alicuius belli indices erant. Iam ex Alpibus conſcripti in Liguſticum bellum milites deſcendebant. Dux Allobrox etiam in Taurinis habitis militum delectibus, vndiq; bellatorum agmina congerebat; quos vna cum Gallis in remotioribus Alpinarum vallium receſſibus, quàm occultiſſimè contegebat. Comeſtabilis Diguera in Allobrogibus Narbunenſi Galliæ finitimis, quos nunc Delphinatum vocant, milites authorabat, certiori didita fama, ipſum cum vniuerſis copijs Alpes tranſmiſſurum; ſed quo ardentiores, ſolicitioreſque erant in parando bello, inſtruendiſque copijs fœderati; eò remiſſiùs, ſegniùſque in Inſubribus ingruenti malo conſulebatur, tunc omnibus ferè præſidiarijs cohortibus exarmatis.

Hiſpanorũ in tanto diſcrimine negligentia.

Quòd Rex Hiſpanus, vt Italorum Principum tumultus pacaret; non tantum à Volturenæ vallis propugnaculis, & ſtationibus ſua agmina deduxiſſe contentus, ſed etiam quò omnem ſuorum armorum timorem, bellique ſuſpicionem ab eorum animis omninò depelleret; iuſſerat Feriam Mediolani producem iam ſcriptas militum cohortes, & equitum turmas, quàm plurimas poſſet, in Belgium properè mittere. Ille Regis protinus obſequutus imperio ſex peditum millia, & equites octingentos paucis ante ſe Seguſianum fœdus menſibus in Belgium traduci à ſuis Ducibus iuſſit; & quò penitus Inſubres militum præſidio nudaret, & diuturnis, inuiſiſque ſtatiuis incolas leuaret; equitis Pechij legionem in Sardiniam in hyberna tranſmiſit.

Hiſpanorũ inanis fiducia.

Verum Feria animaduertens nihil ſe his ſtudij demonſtrationibus pacis, fœderatorum lenire feritatem, infenſoſque animos emollire; immo illos deſtinata eò feruentiùs exequi pergere; quo ſe mitiùs agere conſpiciebant; de omnibus Hiſpanum Regem, aulæque proceres docuit; mandata, auxiliaque ad imminentem declinandam, frangendamque procellam enixiſſimè deprecatus. Sed quamuis aliunde quoque de arcanis Gallici, & Allobrogici molitionibus belli nuntiaretur; nihilominus Hiſpani proceres quaſi fuiſſent Gallorum obteſtationibus, & pollicitis de ſana mente deiecti, nullam fidem Produci Feriæ, eadem efficaciùs inculcanti, quaſi falſa nuntiaret, habebant; quòd Volturenæ turbas ſuo proprio conſilio belli magis, quàm pacis cupidus excitaſſet.

Feria belli imminentis Hiſpanum fruſtra Regem admonet.

Feriæ quoque minuit fidem Genuenſium oblata ab Hiſpano Rege ſubſidia repellentium vana ſecuritas. Nam cum vndique in Regiam aulam motura in Genuenſes Gallica arma nuntiarentur, & Rex de eorum incolumitate ſolicitus ſuarum terreſtrium copiarum, & claſſium præſentia auxilia celeriter obtuliſſet: ipſi, ſeu quia potentiſſimi Regis valida ſubſidia ſuam domum recipere vererentur; periculoſumq; putarent ſe vel amiciſſimi Principis arbitrio, armiſq; committere, explicatis ex ordine apparatibus, quibus abũdè inſtructi nullũ Gallorũ impetũ pertimeſcerẽt; actis Regi de eius eximijs in Rẽpublicã ſtudijs, optimaq; volũtate maximis gratijs opẽ exhibitã repudiarunt. Ex quo Regij proceres coniecerunt Italiæ miniſtros meticuloſiores maiora verò nuntiare, grauioraq; pericula,

Rex Hiſpanus ſua ſubſidia Genuẽſibus offert.

Genuenſes Hiſpanica auxilia reſpuunt.

quàm re ipſa eſſent, afferre. Sed Feria maius, ac maius fieri in dies periculum, euidentius, viciniuſque conſpiciens, deſperatis Hiſpaniæ ſubſidijs, ſibi omninò ingruenti malo occurrendum ratus ſtatuit vndique firma peditum, & equitum auxilia ad eludendam Gallicorum armorum procellam contrahere, atq; Inſubrum fines validis ſtationibus roborare.

Feria Inſubrum fines munit.

Pechij igitur legionem ex Sardinia properè reuocauit, aliam cum aliquot equitum turmis iuſſit à Comite Serbellonio conduci: à Parmenſi, Mutinenſique Duce ſingulas ex fœdere pactas, petitaſque legiones obtinuit. A Neapolitano Prorege perexiguus militum numerus miſſus; quod Inferum mare currente Anglica claſſe non exarmandum omninò ſuis præſidijs regnum putaret. Habito copiarum cenſu adnumeratis etiã præſidiarijs Inſubricæ

Inſubrum copiarum numerus.

ditionis cohortibus, vix ſexdecim peditum, & duobus equitum millibus vniuerſus conſtabat exercitus; debilis ſanè bellatorum ad tuendos ſimul Inſubres, arcendoſque Volturena Gallos, ſubueniendumque Genuenſibus ſumma. Ad extera itaque auxilia conuerſus, quòd ex Hiſpania Gallici rumores belli ridente nulla ſuffici poſſent, auectis inde in Indos decem peditum millibus ad Braſilienſem prouinciam à Batauorum tyrannide vindicandam, nec à Belgio ſperanda eſſent Demarcho Spinula Bredam, minori expeditionis magnitudine militum numero oppugnante, valida Germa-

Extera acceſſuntur auxilia.

norum agmina authoranda curauit: trecenta aureorum millia in prima militum ſtipendia, Genuenſibus admenſis.

Nemini dubium erat, quin Volturena eſſet primos belli impetus exceptura; quòd ad eius fines maiores ſtreperent apparatus, promptioreſque hoſtes ad inuadendum forent: & à Venetis in Camunos Volturenæ

Volturenæ periculum.

finitimos à Brixienſi, Bergomenſique agro commeatus omnis generis ducerentur. Mariſcallus quoque Coureus duas Heluetiorum legiones, & è Sedunis vnam numerata pecunia conduxit; præter quatuor peditum mil-

Valeſani. Bierneſi. Breſſa.

lia, & equites ſexcentos, è Gallia per Cuquenorum terras adducta. E Sebuſianis, & Heluetijs pronis fluminibus copiarum alimenta deuehebantur. Quare cum iam diù malè tantum bellum ampliùs diſſimulari poſſet; Feria per citatos nuntios Demarchum è Balneo ſummum in Volturena Pontificiarum legionum Ducem impendentis periculi admonet, miſſique

Feria de Gallico bello ſolicitus Volturenã explorari iubet.

etiam, qui militaris diſciplinæ periti, veteranæq; virtutis omnes illas munitiones, & propugnacula explorarent; ſi quid minus validum ad hoſtem arcendum foret, opportunaque munimenta obmolirentur, præſentiaque bellatorum ſubſidia ad tuendam vallem offerrent. Ille Summi Pontificis mandata cauſatus, quibus prohibebatur exteri alicuius præſidia Principis intra munimenta, atq; arces admittere, oblatas auxiliares cohortes impauido animo recuſauit. Nec minus pręfractè Summus Pontifex ea Hi-

Demarchus è Balneo Hiſpanica auxilia recuſat.

ſpanorum auxilia reiecit: à quo cum Peſtanæ Dynaſta Hiſpanus legatus ſui Regis, Feriæque nomine iſtud idem enixiſſimè flagitaret, ne Galli ijs maximi momenti Vallis aditibus potirentur; nunquam adduci

potuit;

potuit; vt Hiſpanica ſubſidia reciperet; ne Gallica arma quieſcentia irritaret; eorum ſibi obſtricta fide ſubnixus, qui ſe nunquam Pontificia ſigna ituros contra promiſerant; inania pericula, vanumque Hiſpanorum metum ſugillans omnia Legati hortamenta excuſſis auribus reſpuebat veluti maximè noxia, quòd plagam, cui medicamenta quærebantur, eò attractis humoribus aſperarent. Etenim ſi Galli intra Volturenæ munitiones Hiſpanos à Pontificijs induci vidiſſent, erant eò arma aliò fortaſſe deſtinata hoc prætextu, ac nomine conuerſuri, vt Hiſpanos hoſtes inde depellerent, motaque arma excuſaſſent, quòd non contra pontificia vexilla, ſed in alieni vſurpatores bellarent; quibus contra depoſiti leges ea munimenta traderentur. Quare Pontifex virus, quod erat amuletum, ratus ſuæ fretus ſacroſanctæ dignitatis Maieſtate, quam Galli ſubmiſſiùs venerari conſueuerant; omnia Hiſpanorum auxilia reſpuere perſeuerauit, ſubtilia eorum commenta cauillans. In Taurinis interim bello fremente, Pontifex nunquam de ſuæ mentis propoſito deijci paſſus eſt, quin in Gallorum tantum polliciti fide quieſceret: immo cum iam ſuperatis Alpium iugis, numeroſa Gallorũ agmina Diguera Duce ſe in Taurinenſes campos effudiſſent; grauiaque Genuenſi Reipublicæ imminerent, ad tam vicinum periculum trepidè ipſius opem inclamanti, vt ſuæ interiectu Maieſtatis, vel Allobrogem Ducem pacaret, vel ad amoliendum bellum aliqua præberet militum auxilia; vtrumque negauit, medium ſe, æqualemque bellantium partium amicum profeſſus. In hoc tantum Reipublicæ incolumitatem cupere viſus propoſito ad mutuum tutamentum inter ſe, magnumque Etrutiæ Ducem, & Rempublicam fœdere; quòd honeſtæ ſpecies repulſæ videbatur, vel aliquod Pontificis tentamentum, vt Genuenſes eo inuento ab Hiſpanorum ſocietate diuelleret, quæ ſi quando alias, Genuenſibus vtilis fuit, tum erat illis apprimè neceſſaria, quòd ab ea præſentiora, certiora, maioraque auxilia, quàm ab alio Principe poterant expectari. Præter id quòd fuiſſet maximè pernicioſum, cum Pontifice fœdus inire, tunc ipſo, Hiſpanoque Rege infenſis animis inuicem diſſidentibus, violareque antiqua amicitiæ iura, quæ cum Hiſpanis per tot annos inuiolabilis interceſſerat. Reſpublica cum Pontifice iiſdem artibus agens reſpondit, *ſe cum eo fœdus libenti animo percuſſuram; dummodò Rex quoque Hiſpanus in id ſocius adſciſceretur*: quo à Pontifice recuſato, cum pro neutris facere, nec in alterum ſe propenſiorem ferre decreuiſſet; propoſiti fœderis tranſactio euanuit. Immo ne à ſe fœderatorum animos alienaret, mille peditum, quos ab eo Reſpublica in tanta rerum difficultate flagrantiſſimè flagitauit, in ſuis Prouincijs vetuit centuriari; eoſdemque magno Etruriæ Duci, ſuis tutiſſimè acquieſcenti rebus conceſſit. Eos etiam Corſos, qui ſedis Apoſtolicæ ſtipendia merebant; & ab Inſula pacis tempore ad eius præſidium à Pontifice abduci permiſit: præfractè negauit; ne quid contra Gallos, quorum arcana conſilia illi innotuerant,

Cur Hiſpanica ſubſidia reſpuũtur.

Galli ſe in Taurinos demittunt.

Summus Põtifex percutere fœdus cum Genuẽſibus cupit.

Genuenſes iiſdem artibus cum Põtifice agunt

Pontifex Genuenſibus negat auxilia.

L 2 ſentire

ſentire videretur. Abiecta nihilominus Pontificiæ opis, & auxilij ſpe, Reſpublica ſuis innixa viribus ſe poterat ſuſtinere. Quia cum Seguſij conflatos turbines in ſuam perniciem propediem procellam effuſuros ti- muiſſet; ſe ad propulſandum bellum inſtruere, parare copias, auxilia vndique cogere inſtiterat. Pecunia in Germaniam miſſa duas eius fe- rocis gentis legiones alteram duorum, alteram trium peditum millium conducere feſtinauit: triginta cohortes ducenum peditum patritijs ditio- ribus imperauit. Deductis inſuper ſexcentis ex Corſica peditibus Spiræ dynaſtam cum octingentis peditibus, & equitibus ducentis ad ſua ſtipen- dia vocarunt. Quadringentorum quoq; peditum à Lucenſibus miſſa ſubſi- dia; totidem ab Auriæ Principe ex ſuis hæreditarijs oppidis ſacramento adacti: veteranis etiam Ducibus in Belgicis bellis exercitis copiarum præ- fectura mandata; præter plures alios opulentos ciues, qui in tanto patriæ communis diſcrimine, ſponte peditum cohortibus proprio ære conductis, Reipublicæ nomina dederunt. His viribus cum anni ſuperioris copijs an- nexis, & montanæ robuſtiſſimæ iuuentutis delectibus ad frangendos quoſ- cunque potentium hoſtium impetus ſatis valida, ſuaq; freta potentia elu- ſura Gallorum conatus videbatur: quamuis hæ vires adeò in expedito non eſſent, vt in tempore vnà cōglobatæ ſe aduētantibus hoſtibus poſſent obij- cere, erat tamen octo millium in promptu bellatorum robur, & equites ducenti mercede conducti, præter domeſtica popularium delectuum ag- mina, quæ tamdiù bellando hoſtem poterant diſtinere; donec maiora ac- currerent peditum, & equitum auxilia.

Suſa.

Genuenſes ſe ad bellū expediunt.

Bozzolo.

Eorum validi bellici apparatus.

Genuenſis ſiquidem dominatus, quà ad Taurinos pertinet, perpetuo A- pennini iugo, rupibuſq; ſepitur, per quorum anfractus, inaceſſaſque ſalebras ſi Galli in Liguſticam oram numeroſo exercitu deſcendiſſent; horrentium nudis rupibus montium ſterilitas, & cautium, teſquorumque anguſtiæ, per quæ neq; tormenta trahi, neq; vehes commeatuum duci, neq; grauioris alicuius agminis impedimenta ferri, niſi quàm difficillimè poſſent, eos ad famem breui compuliſſent; cum ingentia agmina, magnam quoque com- meatuum, omniſq; generis apparatuum vim neceſſario depoſcant. Si verò exiguo numero per aſperrimos aditus alpes tranſmittere auſi fuiſſent: Reſ- publica iiſdem montium, locorumq; difficultatibus adiuta ſuis promptis viribus, paratiſq; copijs ſe nullo negotio tueri ab hoſtibus potuiſſet. Gallis inſuper quacunque ratione Apennini anguſtias ingreſſis erant à tergo In- ſubres relinquendi; qui etiamſi exiguis præſidijs tenerentur, nihilominus adiectis tam vaſtæ ditionis indigenarū delectibus, poterant Gallos obſeſſis vallium anguſtijs, mōtiumq; clauſtris commeatibus intercludere; inſtareq; à tergo, medioſq; cędendos Liguribus obijcere; vel ita incurſibus, & aſſulti- bus infeſtare, vt diutiùs in vrbis oppugnatione perſiſtere non poſſent; ma- iora vniuerſæ cladis diſcrimina ſubituri, ſi ad conſtitutum numerum ex Se- natus iuſſibus Ligurum copiæ creuiſſent; & hinc decem nauibus longis, & Neapolitana, Siculaque claſſe obſeſſo mari, illinc Apennini rupibus clauſis,

Locorū difficultas per quæ erat ducendus hoſtilis exercitus.

Genuenſes hoſtes nō timent.

Genuenſiū firmitas virium.

clauſis,abſq; vlla commeatuum ſubſidiorumq; ſpe erat prorſus fame pereundum. Quare niſi multa meditatione excuſſo diſcrimine, erant Gallicæ copiæ in illas aſperrimas locorum anguſtias prouehendæ, ne in ſummum immiſſæ periculum cladem, quàm Liguribus parauerant, ipſæ poſtmodum paterentur.

Verùm has omnes difficultates vnus Gallorum prouiſus eludebat, ſi vt condictum erat, Maſſilienſis, atq; Anglica claſſis, iunctis ſimul nauibus in Liguſticum mare maturè prouectæ militum ſupplementa, commeatus, tormentarioſq; apparatus, deterſo Hiſpanicis, & Liguſticis nauibus mari, litoribus expoſuiſſent, atq; vrbem aduerſis proris tormentorum pulſibus verberaſſent. Sed magna molimina, ingentes quoq; difficultates inuoluunt, nec ardua deſtinata ſperatos ſemper, præfixoſq; exitus habent; quinimmo ea plerumque inopinatum, improuiſum ſuperueniens aliquid interpellat; nec omnia præſertim belli ad vota ſuccedunt. Nuſquam amicæ vela pandere eo mari viſæ ſunt claſſes; & Gallicæ, & Allobrogicæ copiæ Apẽnini ſalebras oberrabant,quã m mox in orã Liguſticã deſcenſuræ; ſi nauales ſocios currere mare vidiſſent. Nec multũ à tergo Inſubres metuebãt, quos ſcirent Hiſpani Regis iniuſſu nihil contra Gallica ſigna moturos.; ne conſtitutæ inter vtrunque Regem pacis fœdus abrumperent, & perniciofum bellum importunis armis inconſultò cierent; præſertim cum Genuenſes nihil ad Hiſpanum Regem ſpectarent; immo Mariſcallum Digueram regia ſigna explicantem veneraturos potiùs, quàm oppugnaturos putabant; cum eſſent prorſus inermes; nec ijs copijs inſtructi quibus cum Gallicis, Taurinifque agminibus ex pugnaciſſima gente conflatis magni nominis ſummæque virtutis imperatoribus ex æquo poſſent bellare. Et ne accitæ è Germania auxiliariæ cohortes Genuenſibus ſubſidio irent; cum Heluetijs Rex Gallus ſedulò egerat, vt aduentantes tamdiu ſuarum rupium clauſtris poſitis firmis ſuæ gentis ſtationibus, prohiberent, donec bello ſubacti omnes Ligures eſſent, vel ſaltem expeditio parum abforet à victoria.

Erat adeò tunc formidabile Gallorum nomen, vbiq; Chriſtianum orbem eorum potentibus impellentibus armis; vt Heluetij quoq; qui de ſua trepidi libertate ſumma cura, ac ſolicitudine ſuarum anguſtias vallium, rupiũq; cuſtodiunt;nec exteris gẽtibus per illas ingreſſum, niſi numero paucis, palantibus,& inermibus,nullatenus verò militum agmini armato permittũt; Gallicas copias explicatis vexillis, inſtructiſq; ordinibus, ſiuerint pertranſire: quaſi primis belli conatibus eſſent Inſubres obtrituri, vtpote nullius robore exercitus,nullis copiarum viribus validos. Quare Heluetijs Gallos veluti certo victores veneratis, præpotentia eorum arma aſperiùs aliquid, aut acerbiùs agendo laceſſere non auſis eorum montium clauſtra Gallicis agminibus patuerunt. Eadem Dux Allobrox, & Diguera inani æſtimatione vaſtis animis metiebantur; quaſi ab Inſubribus iam domitis, nihil in Liguribus oppugnandis victoriam moraturum eſſet; cum tumultua-

Optimum Gallorũ conſilium ſucceſſus irritũ

Fortuna magnis deſtina tis aduerſa.

Gallorũ ab Inſubribus ſecuritas.

Genuenſes ab Hiſpanis deſerti, et auxilijs interclufi.

Inſubrum diſcrimen ?

Heluetij Gallis ſuas montiũ pandunt anguſtias.

rij popularium cohortium, aggreſtiumq; montanorum delectus tyrones omnes militaris diſciplinæ rudes, nullo perito, expertoq; belli Duce militibus imperante, in quibus ad tuendos fines, & vrbem, nihil virium, nihil roboris erat; ſoliuſq; Gallici æſtimatione, terroreq; nominis in latebras trepidos recurſuros putabant. Spem non dubiæ victoriæ augebat; quòd Comeſtabilis Diguera identidem venditabat; ſecum plures claros ciues patritijs infenſos ingenio turbidos in arcano in Patriæ perniciem conſpirare: qui ſimul ac è mœnibus fulgurare Gallica ſigna vidiſſent; excitatis in vrbe tumultibus, patefactis portis, Gallos in vrbem protinus admiſſuros; qua occupata, Inſubribus intra vires ad arbitrium clauſis, Italiam omnem ſub iugum ituram.

Diguera ſpes inanes.

Galli in Ligures mouent.

His ſpebus, quas, & vindictæ, & prædæ cupido faciles cupidis animis figurabat, impulſi arma è ſtatiuis in Ligures mouent. Iam Coureus ex amico legato repentè armatus copiarum ductor hoſtis exeunte Nouembri menſe, octo armatorum millibus, & ſexcentis equitibus validus in Volturenam irruperat: eodemq; tempore Comeſtabilis Diguera duodecim peditum millibus, & equitum mille quingentis, in quibus veteranæ aliquot ſtrenuorum peditum cohortes cenſebantur, in Taurinos tranſgreſſus, iunctis cum Allobrogum Duce uiribus, qui quatuordecim peditum, & duo equitum millia quingentos ſub ſignis habebat; formidando muralium tormentorum apparatu per Montemferratum Mantuano Duce conniuente, ex Taurinis in Ligures prodierunt. Digueram Crequius gener, Ducem Princeps filius commilitones ſequebantur. Aſpirabat etiam hoſtium conatibus commodæ tempeſtatis aliàs plerumque pluuiæ, & crebris imbribus lutulentæ ſerenitas, & clementia. Nullus à Gallis moti belli titulus prætexebatur; nec vlli Lutetiam Pariſiorum ad regiam aulam ad belli cauſas inquirendas à Genuenſibus feciales miſſi: nec Gallorum aliquis vllam obijciebat offenſam; aut, quid ijs armis Rex ſibi animo deſtinaſſet, aperiebat. Aliquæ tantum militum voces exceptæ, ſe armatos ad Genuam ab Hiſpanorum graui ſocietate eripiendam proficiſci; aliqui tamen acerbiùs oblocuti Gallum Regem Allobrogi Duci ſuo affini, & amico illatas à Genuenſibus iniurias vltum ire iactabant. Verum in Genuenſem dominatum inuecti occupatis oppidis præſidijs regio nomine impoſitis, ea veluti antiqui Gallici regni iuris poſtliminiò aſſerere inſiſtebant.

Coureus Volturenã inuadit.

Galli, & Allobroges ſigna iungunt.

Nulla moti Gallia belli in Genuenſes cauſa.

Galli Ligurum oppida occupant.

Erat Ducis, & Digueræ conſilium Regiam ipſam vrbem Ligurum caput primis belli ictibus quatere: qua exiguo labore domita, cætera quoq; facilè ceruice receptura iugum, ac ſicuti truncum ſine nomine corpus exanime tam formidabilis exercitus impetum non latura. Paucis antè diebus Dux Guiſius claſſem Maſſiliæ adornabat; primuſque omnium ſe hoſtem profeſſus centum quinquaginta aureorum millia exiguis nauigijs Genuam ab Hiſpania aduecta interceperat; famaq; vulgauerat eandem claſſem cũ Anglica propediem in Liguſtico mari futuras. Genuenſes nunquam ſibi perſuaſerũt hoſtes tam altè collimato Genuam ipſam primis expeditionis cona-

Inuadendæ Genuæ conſilium.

Gallica claſſis in Genuenſes inſtruitur.

conatibus petituros; ſed in occidentalem oram copijs immiſſis, aliquo oppido expugnato, ibi belli ſedem habituros, donec opportuniorem maioris profectus occaſionem aliquis belli caſus afferret, paulatimque Genuæ mœnibus ſuggreſſuros. Idcircò veteranis peditum cohortibus, firmiorique copiarum robore Sabatiam, Albingaunum, Albium Intemelium muniuerant, vbi primos hoſtilium armorum pulſus formidabant; ſed de eorum conſilijs edocti gerendi belli rationem mutarunt. Valido præſidio Sabatia firmata, militum reliquum à tota ora reuocatum ad montium aditus cuſtodiendos properare iubent.

Oram præſidijs firmāt Genuenſes. *Sauona.* *Albenga.* *Vintimiglia.*

Duæ viæ ab Inferiori Monteferrato Genuam ferunt: altera Roxilionis, quà Apennini ſuperato iugo, Voltros ducit frequentem vicum mari prætentum decem paſſuum millibus ad cadentem ſolem Genua recedentem: altera Gauij, hæc quoque tranſmiſſo Apennino in Pociferam vallem excurrit, inde in Diui Petri Arenæ ſuburbia. Hæc latior, & planior, vtpote quæ continuo iumentorum merces ferentium, vltrò, citròq; commeantium in Inſubres aduenarum attritu alpium margines vtrinq; carpēte, mortalium etiam induſtria æquatis ſalebris, patet. Gauium in huius viæ faucibus ſurgit amplus, & frequens, vt in montibus, pagus; cui caſtellum in edito antiqui operis imminet, cætera parum contra vim munitum. Per vtraſque impeditas tortuoſis anfractibus, & cautibus vias, ac præcipites deiectus, niſi quàm difficillimè poſſunt tormenta trahi; illa verò Roxilionis bellicis machinis penitus inuia. Reſpublica ne pluribus in locis diſſipatis viribus, potiora deſereret; inſtitit Nouis, & Ouada præſidijs abductis, Gauium firmioribus munimentis ſepire, ibi ad cuſtodiam duo peditum millibus locatis. Vltra Roxilionem præterea ad anguſtos Apennini aditus propugnacula educere properauit; quæ aggerum obiectu clauderent callem; tuendaque duobus peditum millibus, & quingentis attribuit; quibus & ingenio loci, iniquoq; ſitu artem iuuante Ducum peritorum iudicio, ille aditus inuius, atq; inſuperabilis videbatur. Interim longiores moras hoſtes tracturos rata ad muniendam validis propugnaculis vrbem diligentiùs, & accuratiùs incubuit; quæ quamuis firmis vallata mœnibus per interualla procurrentibus in latera propugnaculis, ſatis tuta ab hoſtiū impreſſionibus videretur; tamen cum circum è propinquo ſurgentium montium, tunc tota ſub ictibus eſſet; per ſumma eorum iuga longo circuitu continuatis ab arce Pharo portum ad occidentem claudente, enormi ad orientem flexu Feritorem, & Carinianum vſque poſtrema ſuburbia ductis aggeribus ad diſtinendum longiùs hoſtem, vrbem non tam mirando, quàm pertinaci labore muniuit. Deerat in tanta rerum trepidatione, periculoſoq; bello militaris diſciplinæ peritus moderandis tyronum cohortibus imperator; cuius prudentiæ, expertæque belli virtuti armorum deferretur imperium. Hieronymum Auriam diù Belgicis, & Gallicis bellis exercitum vniuerſis copijs præfecit; ſed cui effeta ætate iam ſeni multum de illo iuuenili vigore deceſſerat; quo in Belgio, & Gallia bellando,

Locorum deſcriptio. *Ponceuera.* *Gauium oppidum frequens.* *Noui.* *Genuenſes locorum difficultates munimētis augent.* *Loca muniunt.* *Genuā muniunt.* *Biſagno.* *Vniuerſis copijs Auriam præficiunt.*

Hieronymi Auriæ ſalubre conſilium.

pro Catholica Religione, Hiſpanoque Rege, glorioſa plurima geſſerat; Carolo verò Auriæ tuendæ vrbis cura mandata. Hieronymus in Senatum vocatus, vt de potiori, tutiorique adminiſtrandi belli ratione diſſereret; ſuaſit *in eo ſalutem Reipublicæ ſtare, ſi vltrà Apenninum, quàm diutiſſimè poſſet, hoſtis diſtineretur; quia cum ciuitas ad imminentium vndique montium radices ſita inceſſentium supernè tormentorum iactibus tota ſubiecta pateret; & Dux Carolus ingentia muralia tormenta ponè trahens oppugnationē exorſurus à baliſtarum iaculatione videretur; imbellis mulierum, vulgiq; turba horrendis tormentorum tonitruis, furentiſq; globorum procellæ mugitibus non aſſueta totam vrbem planctibus, tumultibus, & clamoribus miſcuiſſet. Quare Nouarū, & Ouadæ hoſtis arbitrio deſerendæ damnato conſilio, eorum locorum defenſionem iterum ſuſcipiendam ſenſit; quæ quamuis ad repellendum diutiùs hoſtem parum valida fore viderentur, aliquam tamen facerent eius conatibus moram; donec munimenta circa montium iuga ad iuſtam propugnationem excitarentur; & Neapoli, & Mediolano expectata, & promiſſa ſubſidia venirent.*

Genuenſes vltra montes hoſtem diſtinere moliuntur.

Reſpublica vtiliſſima ſuadentis Auriæ amplexa conſilium Georgio Centurione, & Henrico Franco Sabatiam rei bellicæ vniuerſarum rerum procuratorum titulo miſſis: Auriæ ipſi ditionis vltra Apenninum tuendæ negotium datum; atque omnibus illud militum robur attribuit: quòd nihil vrbe idoneo præſidio nudata, poterat in tanta bellatorum penuria tribuere. Auria ſuperato Apennino, Georgio Auria nepote ſuo Nouas cum aliquot peditum cohortibus feſtinare iuſſo, ipſe Ouadam tuendam ſuſcepit.

Hoſtis Ouadam de deditione interpellat.

Nullibi etiamnum hoſtis in conſpectum ſe dederat; ſed tantum tubicen Ouadam progreſſus edito clāgore, præſidiarios de deditione interpellauit. Pauca admodum hoſti ad tormentorum, ſarcinarumque vecturam iumenta ſuppetebant; vt neceſſum eſſet eorum parte per aliquot paſſuum millia pertracta, ad alteram ducendam eadem retro remittere, quod tardiùs graui agmini incedenti longiorem etiam attulit moram. Augebant hoſti procedendi difficultatem cęnoſę, & præalto limo lutulentæ viæ, & ob aſſiduos imbres opportunè cadentes fluminum auctus. Ambo Auriæ neutrobique nec commeatus, nec tormenta, nec aliquem bellicum apparatum, aut firmum munimentum ad ea loca tuenda repererant: quòd ea incolæ à Republica deſerti in munitiores arces abduxerant; eaque iterum reduci tam hoſte propinquo non poterant. Quare Hieronymus intra Roxilionis munimenta ea quoq; ad repellendos hoſtes inualida ſe recipere compulſus Senatum admonuit; vt inde eas cohortes auocaret, nè nullis aggeribus, loriciſque tecti perirent: & cum fieri non poſſet, vt tormenta ab hoſte per eas cautes, & callium anfractus Genuam traherentur, omnes in Gauio propugnando virium conatus impenderet; quà neceſſariò cum tormentis erat hoſtibus tranſeundum; ſe quoque eò cum omnibus cohortibus conceſſurum. Vcitarium igitur progreſſus putabat ſe inde Nouis, &

Genuenſiū rerum difficultas.

Gauium ſolum contra hoſtem tuēdū ad claudendam viā otaggio.

Gauio

Gauio ſubſidia promptiùs, faciliùſque ſuffecturum; quæ certiſſimè erant omnium prima ab hoſtibus inuadenda, eorumq; locorum oppoſitu ab vrbe imminentis belli clades, & diſcrimina prohibere.

Vix Ouada pedem extulerat Auria, cum primum hoſtium agmen vlteriùs in pagum prouectum nullo munimenta propugnante, loco potitum eſt: Oueniæ pariter Comes Gallici equitatus magiſter Gauianam viam ingreſſus in occupatis Nouis, quas Georgius Auria nullis bellicis apparatibus inſtructus dediderat; ſubſtitit, donec reliquæ copiæ cum tormentis, & commeatibus aduenirent; quæ per difficiles viarum ſalebras ęgerrimè trahebantur, Duce Allobroge interim Cremolini in Montisferrati oppido cum firmo bellatorum agmine commorante. Ille ad Gauium, cui Benedictus Spinula ex Belgica diſciplina ſtrenuus, perituſque bellator cum mille quingentis peditibus, & Inſubrum equitum turma præerat; hic verò ad Roxilianas anguſtias adiecerant oculos. Spinula raptim eductis circum aggeribus, defoſſoque vallo, & propugnaculis erectis, ferocem Gallorum impetum oppidum ſurripere repentina impreſſione cupientium, nullis tamen tormentis admotis, multa cum aggridientium cæde ſuſtinuit: coegitque hoſtes non ſolum incœpto diſcedere, ſed etiam tumulos, quos inſederant, feſtinato deſerere. Non diſſimilem exitum habuit alius impetus ab Duce Allobroge in Roxilionis munimenta, ac propugnacula datus. Nam Iacobus Spinula quingentorum peditum è Feritoris delectu præfectus Allobroges ferociter aſſilientes egregia virtute cum eorum ſtrage ſummouit.

Primum hoſtium agmē Ouada potitur.

Varia fœderatorum cōſilia.

Varij fœlices Genuenſium conatus. Biſagno.

Cum Reipublicæ milites tyrones omnes, & collectitij præter ſpem hoſtem bello acrem, veteranumque ſtrenuè funderent; minor iam in dies eius terror, æſtimatioq; fieri, horribiliſq; hoſtium aſpectus deſijt ampliùs formidari. Ipſa Reſpublica de ſuorum quondam virtute dubia, & qualia in aliqua pugna natiuæ daturi eſſent experimenta virtutis, cum fœliciora expectatione, ac proſperiora ſuccederent; hoſtileſq; copiæ hàc, illàc per vicos, pagoſque diſperſæ nihil dignum tanto armorum ſtrepitu, minarumque magnitudine deſides auderent; meliora de ſua ſalute, reſumptis animis, exutoque hoſtium metu, ſperare, alacriùs in arma prodire, animoſiùſque defenſionem parare, & magis montium anguſtijs, & locorum difficultatibus fidere. Quamobrem Auriæ repudiato conſilio, Roxilionis munimenta tenenda, firmandaſque præſidijs eas anguſtias putauit; rata futurum, vt hoſtes Alpinis iniquitatibus territos, ſe in eas inconſultò conieciſſe pœniteret. Augebat ſpem fœlicioris eius exitus belli Hieronymi Pimentelij Inſubrum equitum magiſtri cum quatuor peditum millibus, & equitum mille Dertonam aduentus; vt inde exploratis hoſtium conſilijs, poſteriora agmina, ſi ſe vlterius in Ligurum montes inueherent, infeſtaret. Nullis hactenus inter Hiſpanum, Galumq; Regem hoſtilibus pax inita fœdata fuerat; niſi quatenus interceptis à Duce Guiſio illis centum quinquaginta aureorum millibus, vt ſupra meminimus, Rex quoque Hiſpanus ad detri-

Genuenſes animoſiores in bellum conſurgun.

Gallos non timent.

Pimentelius ad Inſubrum fines res Genuenſium promouet.

Conſtans inter Hiſpanos, Galloſque pax.

detrimentum ſarciendum, omnia Gallorum in Hiſpania mercatorum bona prehenderat; atq; idem quoq; Gallus Rex, vt rependeret vicem, Hiſpanis in Gallia agentibus opes eripuit. Nihil tamen ab Allobroge Duce, & Comeſtabili contra bonæ, ſynceræque amicitiæ iura aduerſus Hiſpani Regis vectigales auſum eſt; & ſi quid fuiſſet militari inſolentia peccatum, non in ipſos Duces, ſed in militum audaciam culpa reiecta, offenſæ, quàm ſeueriſſimè plectebantur. Quinimmo veluti animis coniunctiſſimi mutuis beneuolentiæ officijs, amicitiæq; certabant; fide viciſſim obligata innoxia vtrunq; arma futura, nec quicquam hoſtile actum iri. Non enim Mediolani produx inermis, nullis bellicis apparatibus firmis Inſubribus, omniq; prorſus præſidio deſtitutis præpotentem Gallorum, & Allobrogum exercitum in finibus minitantem laceſſendum putauit: ſed Gallis Apennini iuga tranſgreſſis in Ligures, vbi non eſſet de militum numero, damnum magis, quàm commodum allaturo magnopere metuendum; non intra eaſdem moderationis, ſimulatiq; obſequij metas ſe cohibiturus erat. Nam cum Inſubrum ſalus omninò à Genuenſium incolumitate penderet, fierique non poſſet, vt Liguribus amiſſis, Inſubres ſe tueri ab hoſtibus poſſent; perſpicuum erat, Hiſpanos ſe pro Genuenſibus in quemcumque Regem ſuſcepturos bellum, qui eorum ditiones ſibi armis vſurpare tentaſſet.

Hiſpani Gallica arma irritanda non cenſent.

Hiſpani ſubuenire Genuenſibus ſtatuunt.

His de cauſis, & Hiſpanorum cogitationibus ſtudij, nexu quodam implicitis inuicem eorum, Genuenſiumque rebus, etiamſi vndique validi hoſtes arma Liguribus minarentur; nullo tamen terrore ciuium concuſſa pectora trepidabant; & eò minus, quòd nuſquam intentatæ Gallicæ, atque Anglicæ claſſes in mari Liguſtico viderentur. At Dux Allobrox Roxilionis aditus clauſtra cupidus perrũpẽdi, decreuit illa die cœnæ Domini ſacro omnium copiarum uiribus aggredi. Præſidiarij aliàs hoſtibus pugnis omnibus ſuperioris ad tanti hoſtilis agminis intuitum territi, demiſſis animis nullam auſi propugnationem, nec intra maioris ſclopi iactum prouecto Allobroge, deſertis munitionibus, alij aliò turpiter diffugerunt: vna excepta Corſorum cohorte, quæ in vlteriori, viciniorią; hoſti ſtatione locata, aliquandiu ſtrenuè obſtitit hoſti: ſed aduerſo caſu in tormentarij pulueris cadum cadente fauilla, horribili, violentoq; eius accenſi flammarum afflatu viginti eorum ambuſtis, ſocijs omnibus à tergo fuga dilapſis, ipſi quoque Roxilionem animoſo ſe gradu receperunt.

Genuenſes ad hoſtium minas impauidi.

Genuenſiũ fuga à montium anguſtijs.

Corſorũ miſerabilis caſus.

Dux Allobrox primo felici belli tentamento lętus victoria vtens promoto vlterius greſſu, munimentis mox etiam ipſo Roxilione à præſidiarijs deſtituto potitur; qui ſociorum effuſa pauidi fuga, trepido recurſu in viciniora mari loca, pacatumq; refugerunt. Allobrox cum Roxilione eius tractus armamentario bellicum apparatum, commeatuſq; omnes, & pecuniam in copiarum ſtipendium eò conuectam nullo obſiſtẽte adeptus militibus in vlteriora proceſſum edixit. Quædam fugentium manus, cæteris ad maris oram vſque continuata fuga palatis, Maſone ſubſtitit; vbi ob loci anguſtias, & ſitus ingenium munimentum propè Roxilionem mare

Dux Allobrox Roxilione potitur.

Cohortium Ligurum fuga.

verſus

verſus quindecim paſſuum millibus ſurgit; in quo tantum duo exigua muralia tormenta ad arcendum tranſitu hoſtem vię aduerſa librata erant; quo etiam Genua militum, & armatorum ſubmiſſa ſubſidia. Hoſtes Roxilione Campum vicum tria paſſuum millia propè Maſonem progreſſi ibi vniuerſo agmine conſtiterunt; leuibuſq; certaminibus propugnantium virtutem experti, miſſo caduceatore, tubæ cantu, vt deditionem facerent, poſtularunt. Verum repulſis hoſtium illecebris, fauces illas egregiè pro numero defenderunt.

Ligures ſe ab Allobrogibus tuentur.

Genuæ interim vix ſupra obiacentium montium iuga educi cœperant munimenta; nulli in exteriori pomærio mœnibus aggeres, nullæ parmulæ obtendebantur: tormenta, & numero, & magnitudine formidanda adhuc in armamentario alia ſuper alijs ſtruis in modum iacentia nullis impoſita rotis, vt in altiſſima pace latebant: nulli periti ad ea collineanda libratores, vtpote qui diuturnis pacis otijs obſoleto eius artis ſtudio deſtinato ictu ſcopum ferire dedidicerant: exigua admodum moliti tritici copia, tenuiſque turba, quàm ex vicinis pagis, & villis in vrbem tanquam in tutum terror belli compulerat, ad incredibilem frequentiam exceſſerat. Erant compita, viæ agreſtibus, montaniſq; accolis, & promiſcua mulierum, puerorum, ſenum turba ſtipatæ: milites tanto ſtudio, & de publico, priuatoq; annum aſſiduum admenſis ſtipendijs aliti pauci admodum cenſebantur, crebriſq; transfugijs è varijs villarum ſtatiuis, in quas Reſpublica ad eos faciliùs alendos partita fuerat, penè omnes dilapſi cuſtodias deſeruerant: illi pauci, qui in fide perſtiterant, inter Gauij, & Roxilionis præſidia diuiſi: reliquos in diuerſa heſternus pauor, ac trepidatio diſiecerat: nulla Mediolano, quò ad conducendas peditum cohortes trecenta aureorum millia tranſmiſſa fuerant, expectata diù ſubſidia veniebant. Duę tantum centenum militum Neapolitanæ cohortes Hieronymi Pimentelij iuſſu ad Ianettini Spinulæ familiariſſimo ſuo, quàm enixiſſimè flagitante; dum Dertona paucis ante Roxilionis caſus diebus inconſultiùs nullo hoſtium metu Genuam ſubſidio properant, à Gallis internecione deletæ: qua auxiliorum mora nutare cœperat multorum conſtantia, multumque de priſtina fiducia remittere; & cum maximè præſenti opus eſſet auxilio, inter vltima deſtituta ciuitas videbatur: variæ de dubia Feriæ Producis fide Genuenſium animos cogitationes ſubire. Quare cum inexpectatus Roxilionis euentus popularium terror, & fuga inſuper nuntiaretur; adeò tota vrbe trepidatum eſt; vt fluctuante per vrbis fora, & compita plebe, vt ſi præſens hoſtis admotis machinis mœnia pulſaret, grauiori certè metu ciuium animi quati non poſſent. Intendit poſtera die timorem fœminarum ſenum, puerorumque Genuam refugientium multitudo; qui Reipublicæ milites Roxilione per montium decliuia ad mare currentes hoſtium agmina rati Maſonem captum, Gallos pauidis vocibus appropinquare vrbi nuntiabant. Non tantum ad Punici exercitus, & acerbiſſimi hoſtis Annibalis in ipſis ſuburbijs tendentis aſpectum Romæ turbatum eſt; quantum

Genua nullis munimẽtis firma.

Genuæ rerũ difficultas.

Genuenſes à ſtipendiarijs militib. deſeruntur

Neapolitanæ cohortes à Gallis deletæ.

Genuenſis vrbis trepidatio.

Genua

Genua ad vltimos compulſa metus ſuum poſtremum caſum formidauit: quòd integrum, & eo ampliùs ſeculum inter alta pacis ſilentia, delicijs, & voluptatibus aſſueta tranquillos egerat dies; cuius auribus nullus tubarum, tympanorumq; fremitus obſtrepuerat. Aliquot ab vrbe Matronæ de rebus ſuis, ſaluteq; ſolicitæ, & plerique alij ex magis imbelli turba exportatis Liburnum rerum cariſſimis diſceſſerunt.

Liuorno.

Senatus turbatio.

Senatui in tanto æſtuantis Reipublicæ turbine iam iam inſtantis vicinitas periculi mentem, & conſilium abſtulerat: quid pararet, quid obmoliretur, quid conſuleret perditis rebus confuſis, turbatiſque formidine animis, ignorabat. Satius viſum Gauio, ac Sabatia præſidia ad ipſam Regiam caput Ligurum propugnandam euocare, ad cuius ſalutem ſeruandam omnium cogitationes, ac curæ conuerſæ. Eodem itaq; die, quo morienti Domino parentamus, Roxilionis militum nuntiata fuga, miſſis Sabatiam aliquot è patritio ordine Conquiſitoribus cum ijs triremibus, quæ fortè in portu ceſſabant, imperatum eſt, vt eodem veſperi illud præſidiũ Genuam deportarent. Auria quoque Caſtrorum præfectus iuſſus eſt, omnes Vcitario, eiuſque tractus, Gauio quoque præſidiarios milites Genuã propere ducere, quò in vnius cordis ſalute tuenda, cæterorum etiam mẽbrorum incolumitas ſeruaretur. Verum Auria bellicæ ſcientiſſimus diſciplinæ, atq; armis expertus præceps, ac nimis pauidum Senatus decretum ratus ita Patribus reſcripſit. *Fieri non poſſe, vt hoſtis abſq; tormentis copias mœnibus admoneret, quæ per Roxilionis ſalebroſos viarum anfractus trahi nullatenus potis erat; & ex aduerſo certum adiri diſcrimen, ſi Gauio deſerto, præſidiarij tam hoſte propinquo, Genuam ducerentur, ne inter vallium anguſtias à procurrentibus vſquequaque Gallorum turmis cõciderentur: ſuadebatque, vt Gauij venienti hoſti reſiſterent; quòd defenſum ad vrbem aditum clauderet, deſtitutum verò eundem hoſtibus aperiret.* Auriæ conſilio, vt maximè ſalutari vniuerſi patres vnanimes acquieuere: ſed cum in tam difficili tempore multum ipſius, Benedictique Spinulæ Gauij præfecti virtuti, prudentiæque tribueret; illis vrbis defenſionem committendam putarunt. Ioanne itaq; Baptiſta Meiazzia Ticinenſi Inſubrum equitum turmæ præfecto Gauio præeſſe iuſſo, ambos Genuam reuocarunt: iis quoq; militibus Sabatia nauibus longis auectis, vt eodem redirent imperatum. Erexit aliquantum attonitæ, territæq; vrbis animos Ludouici Guaſchi cum duobus peditum millibus, & equitibus ducentis inopinatus in vrbem aduentus, qui à Mediolani produce ſubſidio miſſus, relicta Gauiana via ab hoſtibus obſeſſa, ſe Dertona in Iriæ vallem demiſerat; nulloque accepto prorſus incommodo, vtpote procul ab hoſte profectus Genuam Paſcatis peruigilio vrbem adhuc ex præterito pauore tumultuantẽ integro agmine inierat. Omnibus lætitiæ, hilaritatiſq; ſignificationibus ingenti patrum, & plebis applauſu exceptus eſt; non tam ob validam armatorum manum in tanta rerum difficultate adductam, quàm quod ex omnium animis de Feriæ ancipitis in Ligures fidei ſuſpicionibus abſterſis, maiorem etiam ſpem

In vnã Genuam ſeruandam cura conuerſa

Ottaggio.

Auriæ reſponſio ad Senatum.

Auria, & Spinula Genuam auocantur.

Subſidia territos Genuẽſiũ animos firmat.

Seriuia.

Digitized by Google

ſpem auxiliorum iniecerat. Quamobrem diluto in ſerenum nubilo, aliqua inter tot offuſas malorum tenebras ſpei lux ſalutis oborta, eò clarior, quòd hoſtes per Roxilionis viam nihil vlterius progredi nuntiaretur. Pauidis itaq; ciuibus redeuntibus animis, Senatus capite ſanxit, ne quis vrbe diſcederet; neve res aliò, aut ſupellectilem ſuam aueheret. *Vrbis hilaritas ob ſubſidij aduētum.* *Senatus decretum.*

Maxima deinceps cura, ac ſolicitudine in extruendis munimentis, deprimendiſq; foſſis, curulibus tormentis rotarum lapſibus imponendis ab omnibus ciuium ordinibus, religioſis etiam viris laboratum eſt, in communem ſalutem, libertatemq; tuendam, quàm ardentiſſimè ciuibus conſpirātibus. Senatus autem veritus ne occidentali oræ maritimę Allobrox immineret, præſertim cum Taurini Saxellum Reipublicæ pagum ſupra Sabatiā occupaſſent; & Auria confectus ſenio ob locorum diſtantiam eodem tempore, & vltra Apenninum terris, & occiduæ oræ conſulere non poſſet; Thomæ Caracciolo ſupremo caſtrorum præfecto electo bellici negotij vltra Apenninum cura mandata. Iiſdem diebus Frāciſcus Barberinus Cardinalis Summi Pontificis nepos legatus à latere ad Gallorum Regem, vt Genuenſiū res, Volturenæq; cōponeret, Pontificijs, Etruſciſq; triremibus aduectus portum intrauit, irrita tamen de vtroq; bello pacādo legatione, qui quāuis omnibus amoris officijs à Republica impēſiſſimè coleretur, exhibita tamē obſequia repudiauit Patrui mandata cauſatus, quæ præterire vt omnibus, ita præcipuè nepoti nefas eſſet. Quòd de Pontificis in Rempublicam voluntate dubios fecit animos patritiorū. Poſt aliquot dies Sabatiā Genua ſoluit; inde Pamphilium ſummæ prudentiæ, ſapientiæq; virum, nunc verò Summū Pontificem in Hiſpanias legatum deſtinatum ad Ducem Allobrogem miſit, vt ab eo aliquot dierum inducias impetraret. Dux ſubiratus, quòd non ipſe Barberinus induciarum ſequeſter aduenisset; Pamphilium duriuſculè habuit; *effatus ſe Regis Gallico bello militem tantum armorum properantium motum ſiſtere non poſſe.* *Cinium in tuenda vrbe cōcordia.* *Valtellina.* *Barberinus legatus ad Gallum Regem.* *Pamphilius ad Ducem Allobrogē legatus mittitur.*

Paulò poſt Roxilionis euentum Dux Allobrox, & Comeſtabilis omnem belli impetum in Gauium, Vcitariumq; conuerterunt. Genuenſes de hoſtiū conſilijs edocti iam animis à præterito terrore cōfirmatis, omnibus viribus ſe hoſti obijcere, eamq; partē toto niſu tueri decernunt, non ſolū vt eum in Reipublicę exitiū ruentē morarētur, & primos impetus, conatuſq; cunctādo fruſtrarent, ſed etiam, vt ſubſidijs, quæ Mediolani, Neapoli, & Sicilia ſūma ſolicitudine parabantur, Genuā perueniendi ſpatium darent; & ſicuti vnanimes in eo conueniunt; vt hoſtem vltra Apenninum velitationibus diſtinerent; ita in hoc obeūdo conſilio aduerſis ſententijs inuicem diſſidebāt. Alij nouis peditum cohortibus Gauij præſidium firmandū, quò etiam Auria quingentos iuſſerat feſtinare, vt Gauio amiſſo, tam diù hoſti obſiſterēt, donec promiſſa ſubſidia venirent; alij vniuerſas Hiſpani Regis, & Reipublicæ copias ad Vcitarium, vicinaq; loca hoſti opponendas cenſebant; vbi locorum iniquitate, & montiū anguſtijs iuuātibus, Gauienſi præſidio animos augerent; palanteſq; hoſtes intra eorum munimenta, caſtaque coercerent. *Ottaggio.* *Genuenſes ſe contra hoſtes tuentur* *Diuerſæ in tuenda Republica ſententiæ.* *Ottaggio.*

Inter

Caracciolus et Vuātemil lius Genuā ſproecti.

Inter hæc Thomas Caracciolus, & purpuratus Vuatemuillius Mediolano Genuam profecti nullius ante ſententiam probare, aut reſpuere voluerunt, quàm ipſi ſuis oculis, & locorum ſitum, & Regionis ingenium intuerentur; vt ſalubrius, & opportunius conſilium admitterent. Eo igitur, cum Guaſco, & eius legione, Auria verò Sabatiam ad decutiendos Saxello hoſtes directi: Camillus quoque Cataneus Belgicis bellis diù exercitus Melitenſis eques è Sicilia euocatus per eos dies portum inuectus protinus cum duobus peditum millibus Maſonem Patrum iuſſu inde Vcitarium profectus eſt; qui omnes cum eo præſidio, cæter.ſque paucis horis eò venturis, quinque peditum millia, & octoginta æquites cenſebantur. Caracciolus Guaſchi agmen anteuertens Vcitarium ſubcadentes noctis tenebras prouectus ſtatim cognouit Ducem Allobrogē numeroſo peditum, & equitum agmine validum Caroxi exiguovico in media via Vcitario quàm Gauio viciniori conſidere; nec hoſtem protinus aggreſſurum oppidum ratus, nihil prouidit, quod ad illum ſuſtinendum, parandum videbatur; nec pluuiæ noctis obſcuritas locorum poſitum explorari ſinebat; aliquot tantum exiguæ militum manus ad cuſtodiendos vicinorum collium aditus miſſæ: & cum Genua certiſſimi nuntij afferrentur hoſtem Vcitarium prius quàm Gauium aggredi ſtatuiſſe, vt ibi congeſtis commeatibus frueretur, atque inde Liguribus deiectis, nulli oppugnanti poſtea Gauio moleſtiæ eſſent: nihil tamen ea nocte actum eſt: niſi inter varios cogitationū fluctus poſteri diei lux anxiè expectabatur, quæ hoſtium conſilia aperiret, & vtiliora facienda ſuggereret. Diſertum tātum à Ducibus eſt, an ſatiùs foret, ſi propius gradum Allobrox promoueret, in apertos campos illi cum omnibus copijs occurrere, an intra oppidi munimenta ipſius impetum opperiri. Thomas Cataneus intra propugnacula expectandum, Caracciolus hoſti obuiam prodeundum cenſebat.

Dux Allobrox Vcitarium tēdit.

Caraccioli negligentia

Variæ de pugnando cum hoſte ſententiæ.

Vcitarij deſcriptio.

Vcitarium vt plerunq; ſunt Ligurum pagi, eſt incolis frequens ad Apennini radices Inſubres verſus in leuo exigui amnis litore poſitum, qui à mōte decurrens in planitiem pago obiacentem effunditur: parum munitum & ferè apertum, quod antiqua mœnia temporis diuturnitate conſumpta, atque exeſa vix ſua veſtigia, ne dum natiuam ſtructuram oſtentant. Arx tantum exigua in collis faſtigio ſedet penè diruta vetuſtate: opibus nihilominus florens, quippe in regia ſitum via, qua Genua in Inſubres itur, & merces rurſum, prorſumque traducuntur: perpetuaque illud aduenarum, popularium, mercatorumque hoſpitia ditauerant. Ibi poſſe diù ſuſtineri hoſtis, propugnarique pagum, ſi firmioribus munimentis vallaretur patres arbitrati; varijs in partibus propugnacula excitanda curarunt: non tam ad viam hoſti interſepiendam, quàm vicinum montem tuendum; quorum obiectu ſe difficiliorem, productioremque Vcitarij expugnationem fore, & ut os aquæ hoſtes tranſitu repulſuros putabant; non animaduerſo quacunq; ſibi exercituum violentiam aditum pandere poſſe.

Vcitarium munitur.

Dux Allobrox, qui tormenta breui in caſtra ventura expectabat; quam

nam

nam diem vlterioris proceſſus decerneret, neſciebat. Ea mora poterant Reipublicæ Duces firmiora munimenta, ad interſepiendam viam extruere, ſed vbi alicui deſtinata belli clades à Superis eſt, nequit vllo conſilio peruerti, mentem aduerſo fato auferente. Prima luce Allobrox Diuæ Annæ dynaſtam cum aliquot armatorum agmine, ad iter explorandum, & Ligurum munitiones cognoſcendas emiſit, qui occupatis ferè priùs, quàm cognitis primis Fraxi pontis propugnaculis, turpiſſimè ad ſolum Allobrogum aduentantium intuitum à militum cuſtodia, ac ſtatione deſertis, ſtatim de fœlicibus ſuorum armorum auſpicijs per celerem nuntium Ducem admonuit. Ille anceps animi, an cum copijs omnibus ſequeretur, an ab occupato ponte retraheret, pugnantium fremitum, clamoremque certantium audit. Dux Gallus cum quadringentis peditibus Vcitario ad recuperandum pontem miſſis cruentum certamen inierat, qui penè ab hoſtibus circumuentus, oppreſſuſq; trepidis nuntijs Ducem Allobrogem ſui diſcriminis edocet ſubita bellatorum ſubſidia depoſcens. Ille contra ſua iuſſa dynaſtam pugna implicitum dolens omnibus copijs edixit, vt ſubſidio ſocijs periclitantibus feſtinarent. Læti milites cupito Ducis imperio audaci fiducia pleni has voces ingeminant. *Hic dies victoriæ eſt.* Allobrox in campum vniuerſo agmine educto, militum ordines in fronte contra Genuenſes explicuit; parteq; copiarum amnem iuſſa traijcere, quæ pagum à tergo aggredi ſimularet, in ipſo fluminis alueo ſtatuit equitatum; cæteris citra amnem retentis; porrectaque ordinum fronte, in planitiem, & colles inuehitur. Non minori virtute, ſed minori diſciplina, fortunaq; ſe defenſioni Ligures expediebant. Siquidem eo ſubito, inopinatoque caſu Caraccioli authoritate cæterorum Ducum ſententiam prægrauante, in apertum progreſſi ita aciem, dum quadringenti illi milites ad recuperandum pontem miſſi Allobrogem velitando vtcunque diſtinent, inſtruxerũt. Planitiem inter Fraxum pontem, & Vcitarium iacentem media vtrinque procurrens interſecat via; in cuius læuo latere collibus ſubiecto pedites cũ Guaſchi legione, quæ tum maximè eo pugnæ articulo pluuijs imbuta, madida, & feſſa peruenerat, vt erat, locarunt; in dextro verò in quatuor exiguas turmas diuiſos octoginta equites poſuerunt. Colles etiam, qua hoſtis vlterius ſe intrudere poterat, validiori præſidio firmarunt.

Genuenſiũ incuria cladis cauſa.

Ducis Allobrogis armorum fœlicitas.

Ligurum, et Allobrogũ pugna.

Allobrogũ fiducia.

Ligures in pugnã prodeunt.

Ligurũ ordo in pugnam.

Interim Allobrox Fraxo ponte retento, non ſolum quadringentorum Ligurum repulerat impetum; ſed etiam paulatim pugnando cedentibus inſtans in vicinam Vcitario planitiem prouehitur; vbi Reipublicæ copias vix dum in pugnam inſtructas, paranteſq; arma circumſpicit. Allobrox gradum tantiſper ſuſtinuit, donec copiarum ordinibus tutiùs, peritiùſq; denſatis opportuna victoriæ mandata proferret: deinde cantato claſſico, vndiq; ſuas copias in Ligures iuſſit incurrere, prima ante omnes collium præſidia terga dedere, quæ maiori hoſtium numero perurgente, planitiem verſus trepida recedentia in ſociorum ordines reuoluta turbarunt aciem, quæ ab amicis iuxta, ac hoſtibus pulſa prementium pondus

Pugna inter Ligures, & Allobroges feritur.

Ligurũ equitum fuga.

ampliùs ſuſtinere non potuit. Equites quoque vix hoſtium turmas intuiti nullum auſi certamen conuerſis habenis, fœda inde fuga auolarunt. Tota itaque Ligurum acie diſſipata, atque diſiecta maior fuga, pauor, confuſio, quam pugna fuit; dum vnuſquiſque ſuæ ſaluti proſpiciens oppidum verſus deſerta planitie recurrit. Caracciolus autem cum Auguſtino Spinula dum ferociùs impauidis animis inclinatis haſtis inſigni virtute

Allobrogũ victoria fuſique Ligures

ſummouent hoſtem à circunfuſa Allobrogum multitudine oppreſſi capiũtur. Miſerabilis de Liguribus fuſis edita ſtrages præcipuè ad ligneum ſepimentum, qua pagi ædes incipiunt; nam cum eius clauſtra perfringi non poſſent, eòque fugientium, inſtantiumque hoſtium multitudo confluerent, premerentq; ſe inuicem, atque in ipſo limine eliderent Genuenſes, & retrò, intercluſa ab hoſtibus via reſilire non poſſent; ad ſatietatem inter

Ligurum ſtrages.

anguſtias deprehenſi ab Allobrogibus conciduntur. Mox tamen à Liguribus hoſti repoſita clades; nam cum tandem vrgentium impulſu proſtrata tranſenna victores in prima ſuburbia irrupiſſent; vndique à fronte, à lateribus ab ædium feneſtris maioribus ſclopis petiti cadebant; quinimmo ac-

Allobrogibus reponitur clades.

cenſis opportunè duobus tormentarij pulueris cadis, ipſo flammarum impetu abrepti plurimi Allobrogum perierunt; inter quos aliquot ſpectatæ virtutis, notæq; nobilitatis clari præfecti.

Dux Allobrox ne ſpiritum, aut à pauore animos recipiendi ſpatium Liguribus daret; protinus ab occupato ſuburbio ipſi oppido victrici acie

Mutua certãtium cædes.

ſuccedit. Hìc enim verò & propugnantium virtute, & aggredientium ferocia cruentiſſima oritur cædes: cadunt vtrinque plurimi denſa ſulphurearum glandium procella traiecti, ſed Allobrogum plures ea peſtis abſumit: quippe nullis aggeribus, aut munitionibus tecti, nuda ferientibus præbebant Liguribus latera. Tres horas amplius pugnatum contra oppidanos ab Allobrogibus eſt; in quos à tectis, feneſtris, ædium angulis miſſilia omnis generis ingerebantur. Creſcente tamen magis, ac magis numero oppugnantium, falſoque inſuper inter præſidiarios didito rumore hoſtes aliunde in oppidum irruiſſe, præfecti, ac Duces inopinato pauidi nuntio, cum penderent animis, quid potiſſimum ſibi in tam repentino malo

Ligurum receptus in arcem.

conſulerent; pago deſerto, in arcem ſe celeri gradu recipiunt; ſpe per auerſam montem verſus partem Genuam incolumes euadendi. Verum illos hæc cogitatio fefellit, montis ſiquidem crepido, inferioraque latè ab hoſtibus tenebantur; nec vlla ad ſalutem patebat via. Eorum diſceſſu ardor pugnæ deferbuit, remiſſaque alacritas propugnantium: ac proinde oppidum Ducis præſentia noua ſubinde recentium cohortium inuadentibus

Vcitarium hoſti ſuccũbit.

ſubſidia, animoſque ſufficiente, hoſtium impreſſioni ſuccubuit. Mox arx quoq; à Garaſco, ac cæteris Ducibus, quòd in ea nulli commeatus, nulla tormentarij pulueris copia ſuppeteret; & à vicinorum collium eminentia ab hoſtibus peteretur, victori dedita eſt; omnes captiui abducti, quod

Allobrogis Ducis cautium.

voce duntaxat, non ſcripto de deditionis legibus tranſegiſſent; quibus aiebat Allobrox vitæ ſolum, non libertati cautum eſſe. Suam purgabat rupt-

ptam

ptam fidem, quòd à deditis priùs fides violata iniecto in pulueris cadum igne, qui plures vtriuſque partis flammis exuſtos, præfocatoſque peremit; inter quos maximè eminebat Flandes dynaſta præcipuus hoſtilis exercitus ſummæ virtutis, exiſtimationiſque præfectus, qui rumpendi, quoque deditionis fœderis cauſam potiſſimum præbuit. Hic fortuitus euentus cum Liguribus fraudi daretur, Dux nullis ſe teneri deditionis pactionibus affirmabat; vt amiſſi acceptiſſimi, ac ſtrenuiſſimi bellatoris iram ijs retentis, expleret; & Reipublicæ extremo diſcrimine conflictanti exercitus capita, ac Duces adimeret.

Eius ſolertia.

Ingreſſi in oppidum milites nullo repugnante, cuncta militari licentia diripiunt. Auaritia, libido, ſæuitia, ad ſummam immaniſſimorum ſcelerum fœditatem in miſeros oppidanos bacchata eſt; non ſolum diuites prædas ex ædibus agunt; diſcurruntque toto pago ad ſpolia, fortunaſq; incolis eripienda; ſed etiam inaudita barbarie ſtrictis gladijs in obuios inſaniunt. Opulentiſſimam prædam, ditiſſimaſque manubias longa pace oppidanorum induſtria congeſtas vna infœlicibus abſtulit dies. Allobrogum belli incommodis, & laboribus fatiſcentium inopum egeſtatem affatim ea præda ditauit; & commeatibus ibi ab annonæ curatoribus in exercitus alimenta conuectis, non leuata ſolum, ſed etiam ad ſatietatem ſaturata hoſtium eſurientium fames. Plures inſignes viri capti, inter quos decem primæ nobilitatis Genuenſes Patritij, præter alios Duces, & copiarum miniſtros. Septem militaria ſigna Liguribus adempta. Fuit omninò clara victoria, quòd ibi præcipuum exercitus robur, & flos vniuerſis penè viribus dimicarit.

Vcitarium diripitur.

Ditiſsima præda hoſtis potitur.

Allobrogũ victoria claritas.

Expugnato Vcitario, partaq; victoria, Dux Allobrox cum equitum globo ad Apennini fauces, faſtigiumque prouectus, vnde in ſubiectam Pociferam vallem, quà longiſſimus patet proſpectus; Genuamque tortuoſis tramitibus itur, propinquum mare latè patens, vicinaq; vrbi loca auidis oculis luſtrans, (nam interiecti colles eius intuitum intercipiunt) illi prædæ vltionis cupidus inhiabat; quam rapere auido animo feſtinans, illum diẽ ſibi videre videbatur, quo inimicam vrbem triumphans iniret, neſcius à Deo immortali Apennini iugum eius vaſtiſſimis votis poſitam metam; ibiq; ſuarum victoriarum curſum finiri. Non tamen ille omninò lętus Allobrogi certaminis exitus fuit, amiſſis quibuſq; fortiſſimis, probatæq; virtutis copiarum ducibus. Gaudium etiam corrupit capta ad Leriuam Inſulam cum ſupremo trierarcho, imperatorioque vexillo prætoria triremis, eodemque die, quo ab eo proſperè dimicatum eſt, in portum pertracta.

Allobrogis Ducis immania vota Genuæ imminet.

Capta à Genuenſibus Allobrogis Ducis prætoria nauis.

Vcitarij clades, & ſi non eum metum, trepidationemque Genuenſibus, quem ſuperior pugnæ Roxilionis euentus incuſſit; vt pote animis ad bellica magis infortunia firmatis, atque huiuſmodi aduerſis caſibus aſſuetis, prudentiores tamen eius iacturæ magnitudinem accuratiori æſtimatione dimenſi in ſummo diſcrimine verſantem Rempublicam, atque ad vltima propulſam videbant; ſi Allobrox aſpirantis ſibi ad vota for-

Allobrogis Ducis error in proſequẽda victoria.

tunæ fauoribus vtens, Apennini faſtigium tranſgreſſus vrbis mœnia victori exercitu ſubijſſet; quòd cæſis eo prælio copiarum promptiſſimis, pluribuſque Ducibus cum ipſo Caracciolo captis, cuius inſigni virtute, militarique peritia innixa Reſpublica ſecura quieſcebat; cui propugnandam crederet, quem ferè perditis rebus præficeret, ignorabat. Quare

Genuæ vrbis diſcrimen.

tam graui clade perculſi conſternatis animis æſtuabant; quanam ratione poſſent imminentem ruinam, inſiſtentiumque hoſtilium armorum impetum ſuſtinere. Senatus cum pluribus copiarum Ducibus, ipſoque Hiſpano legato Demarcho Caſtagneda de Belgica ſchola veterano milite,

Senatores in ea rerũ difficultate ſalubriora cõſilia venantur.

quem bellicis præceptis armorum diuturna exercitatio erudierat, & Tureſio Duce frequentes in conſilium coeunt. Varijs ſententijs de præſentibus rebus diſceptatum eſt, alijs alia ſentientibus. Quibuſdam perniciosum prorſus conſilium videbatur contrà præpotentia Gallorum, Allobrogumque arma in inualidis locis fruſtrà tuendis potiores copiarum vires obterere, quæ eſſent in ipſa regia propugnanda, atque Ligurum capite impendendæ: quòd in maiori, viciniorique periculo verſari non poterat. Suadebant, vt Gauio deſerto, præſidium ad Genuam tuendam properè accerſeretur. Quidam priſtinam ſententiam ex animo ſequuti contendebant, *hoſtem quacunque ratione procul ab vrbe, quàm longiſſimè diſtinendum; eiuſque vires locorum obſidionibus, oppidorumque oppugnationibus infirmandas, ac proinde ad ipſam vrbem bello pulſandam debiliorem faciendum. Ipſius interim telorum aciem crebrò dimicando retundi, atq; impetus frangi, donec Neapoli, ac Sicilia promiſſa militum ſubſidia adueherentur. Vrbis ſaluti ſatis eſſe conſultum: vtiliùs eſſe Gauienſis preſidij iactura Allobroges vltrà Apenninum morari; quàm præpropera deſperatione inde deducto, quaſi ruptis aggeribus, hoſtium irruituro torrenti in vrbis perniciem liberum aditum patefacere. Iam Germanas legiones mercede conductas in Inſubres ingreſſas mox affuturas bellicum ſtrepere.*

Diſtinendi vltra Apẽninum hoſtis ſalubre conſilium.

Duci Feriæ permiſſum arbitriũ de bello adminiſtrando.

Contrarijs ſententijs Ducum pugnante conſilio, Feriæ Duci de hac ancipiti re permiſſum arbitrium, decerneret ipſe, quòd futurum eſſet è Republica. Dux interea Allobrox parta victoria animo elatior copias omnes Apenninum traducere, ipſamque vrbem obſidione quatere parabat; niſi Comeſtabilis Diguera eius præcipiti, nimiſque animoſo conſilio interceſſiſſet, qui Gauium munitum caſtellum, valido præſidio defenſum, ſubſidiorum ianuam à tergo minimè relinquendum ſentiebat; neque vlteriùs, niſi eo expugnato, progrediendum; quo in fortuitis, aduerſiſque belli euentibus tutus copijs foret receptus, & commeatibus vehendis in caſtra, militumque ſubſidijs liber, nemine aduerſante, aditus panderetur. Durum, & graue Allobrogi videbatur tam fœlicem victoriæ curſum ſiſtere, ſuppreſſaque ira, tacitus muſſabat; ſibi importuna mora paratam, cupitamque eripi prædam, Comeſtabilis ſequi conſilia, eiuſque abripi authoritate ægerrimè paſſus eſt; quòd abſque Gallici exercitus ope, ſuis tantum viribus exequi deſtinata non poſſet. Gauij itaque oppugnationi opportuna

Diguera ſanius conſilium.

Dux Allobrox Gauiũ inuadere ſtatuit.

Digitized by Google

portuna ſollicitè expediuntur. Erigi tormentarios tumulos, aggeres circumduci, propugnacula excitari, omniaq; ex recentiori oppugnandarum arcium diſciplina parari; ne temerè agendo ſtolida ferocia nullo munimentorum obtentu exercitus, ſicuti nuper ad Vcitarium, aggreſſores aliquod incommodum paterentur.

Meazzia præſidij præfectus intentiſſima cura muniendo propugnaculis oppido, crebriſque eruptionibus carpendo hoſtem tantum concepit animi, vt Senatui miſſis litteris pollicitus ſit, ſe ad decem, & eò ampliùs dies obſidionem fortiter producturum, & quoſcumque hoſtium impetus procul dubio laturum, fidemque ſanè præſtitiſſet ſuam, niſi quidam nuntius clanculum per vigilum cuſtodias Gauium illapſus Feriæ conſilia à Stephano Spinula miſſa attuliſſet. Cõſultiùs videri illud præſidium ad cætera tuenda ſeruare, quàm vtrumque abſque vllo opere pretio temerè perdere; quòd contra validum hoſtium exercitum defendi non poterat. Incolumes igitur ab oppido deduceret præſidiarios, eoſque vtcumque poſſet, ſaluos Genuæ ſiſteret. Iam Senatus iuſſerat Meazziam Feriæ conſilia exequi, quæ Mediolano à Spinula ſcriberentur; ſiue illi oppidum tueri, ſiue deſerere placuiſſet. Hoc mandato Meazzia nocte concubia nihil de diſceſſu monitis oppidanis, Gauio cum tribus peditum millibus Serauallem verſus inde quinque paſſuum millibus recedentem Inſubrum pagum abierat: ſed cum vbique paſſim abrupta, perfoſſaque itinera comperiſſet, ægrèque per impeditas tranſuerſis arboribus, & ſcrobibus vias traheret agmen; veritus ne ſuperueniente euntibus luce in medio itinere ab hoſtibus deprehenderentur, eodem, quo diſceſſerat ſilentio, idem remenſus iter Gauium iterum rediјt; poſteraque die tutum præſidio pactus cum hoſte diſceſſum oppidum dedidit. Hic tertius aduerſus belli ſucceſſus ſuperiorum vulnera refricuit; terruitque rurſus vrbem, ad quam pridie oppidi deditionem Meazziæ litteræ allatæ fuerant pollicentis, ſe decem ſaltem dies in Gauio tuendo hoſtiles impetus moraturum; intra quos à Sicilia, & Neapoli ventura ſubſidia Genuæ affore certiſſimè ſperabantur; antequam hoſtis deſcenderet Apennino. Verum hac ſpe, & ſecuritate fruſtrata, cum nuſquam promiſſa auxilia latiſſimo nauigantia pelago viderentur; atque è propinquo Gallica, & Allobrogica fremerent arma, vnuſquiſque ſuam vicem trepidus ingemiſcens, vltima metuebat; cum & hoſti fœlicia omnia ſuccederent; nec aliquid conanti vnquam fortuna reſtaret. Aſperauit quoque vrbis vulnus arcis feſtinata deditio. Nam Dux Allobrox omnes cauſas à Comeſtabilis animo cupidus remoliendi, quæ illum ab aggredienda Genua deterrerent; prolatis maioribus tormentis, arcem quatere properabat; quibus cum mœnia tantiſper pulſata dehiſcerent; arcis præfectus quamuis munito ſitu vallatus, & opportunis oppugnationi trahendæ bellicis rebus, & apparatibus abundè inſtructus hoſtem diù in obſidione morari potuiſſet; nihilominus, & ætate

Feriæ conſilio Gauium deſeritur.

Dux Allobrox Gauio potitur.

Nouus terror Genuenſes inceſſit.

Gauij arx Allobrogi deditur.

M 2 iuuenis,

iuuenis, & bellicæ artis rudis tormentorum horribili boatu territus trium dierum pactus inducias, quibus de ſuarum rerum ſtatu Senatum moneret; cum nuntio ab hoſte intercepto, nihil illo triduo eſſet allatum; arcem Allobrogi tradidit. Nihilo igitur, quàm ſalebroſi itineris aſperitate, victoris exercitus Genuæ ſucceſſum morante, Dux Allobrox, & ditiſſimæ prædæ cupidine, & opulentiſſimæ vrbis ſubigendæ ardore incenſus Comeſtabilem adit: enixiùs orat, obſecrat, efficacique oratione ad continuandam victoriam conatur accendere; ſuadereque, vt abſque mora, ne animos à conſternatione recipere Ligures poſsent; extemplo iuberet copias cum muralibus tormentis Genuam verſus iter inire.

Allobrogis Ducis ad Diguerram alloquium.

Quid ampliùs, ait, inutiles trahimus moras? damnoſaque cunctatione victoriæ curſum præcidimus? Iam expugnato Gauio, cuncta pacata à tergo ſunt, atque ſecura: Inſubres nullo copiarum robore firmi noſtra victoria, præpotentiaque arma laceſſere verebuntur: nec hoſtes alijs, atque alijs cladibus fracti metu attoniti, atque exanimes quid acciſis rebus conſulere, quid expedire in ſupremo rerum articulo, quid tanto irruenti obmoliri malo confuſis pauore mentibus ſcient. Iam de ſua imbecillitate conſcij ſuam ſalutem oblatis ingentibus pecuniarum aceruis paciſci, immaniaque auri pondera polliciti bellum à ſe trepidi deprecantur; iam fortunas ſuas à victoribus pretio inſtituunt nundinari. Quas vires amiſſo cum militum fortiſſimis copiarum imperatore, cuius ſe virtuti, militarique experientiæ commiſerant; noſtro victori agmini obijcient? Nulla adhuc, vt ab exploratoribus didicimus, Neapoli, & Sicilia militum ſubſidia Liguſtici maris litoribus appulerunt: quod copiarum roboris, quod floris erat, vna, aut altera pugna concidimus. Dum Hiſpani intra fines Inſubrum continentur, dum inualidi, nudi, deſtituti, meticuloſi noſtra vicina trepidant arma; quin audentem victorijs exercitum pauidæ vrbis mœnibus admouemus? Vix noſtrorum micantium cruentùm vexillorum intuitum, & turmalium ſignorum explicata volumina, ne dum horrendos tormentorum mugitus trepidi ſuſtinebunt. Scilicet vrbs per tot annos mercaturæ negotijs addicta, ſubducendiſque nominum rationibus, & menſarum ſupputationibus aſſueta, quibus quidquid vbique terrarum auri, argentique eſt, in ſuo auida ſinu congeſſit, diuturnæ pacis otijs mollior, & delicatior terribiles noſtrorum armorum pulſus, ac vulnera feret. Nemo enſe præcinctus prodit in forum, nemo telo armatus gladium ſtringere, non minora tormenta diſplodere, nemo agere aliquid militare peritus bellicam callet diſciplinam: mutuis ſymposijs, & conuiuijs indulgent. Exulant omninò à foro, à curia, à priuatis ædibus martiales curæ. De fuga magis, ſeruandiſq; theſauris, atq; aliò intutum ferendis, quàm ad mœnium progreſſi loricam de communi patria propugnanda conſultant. Si diutiùs importunis conſultationibus immorabimur, pecu-

niarum

Digitized by Google

niarum prȩda, quam nobis certam celeritas pollicetur, ignaua tarditas adimet. Nihil in bellis pernicioſiùs mora, prȩſertim cum fortuna fauet. Non cunctandum, cubitalibus litteris Cæſar ſuis præferebat in ſignis. Cum primis aſpirat fortuna conatibus, ſequendum pernici curſu, quò illa vocat. Martius ardor, & bellicus furor reſpuunt nimis circunſpecta conſilia. Vt ardua quæque animoſitas ſuperat; ita pauentem omnia formidinem, vel vmbrarum obſcuritas fugat. Nihil aduerſi in hoc bellum ingreſſi hactenus ſenſimus: vel temerè nullis aggeribus tecti ad Vcitarij munimenta prouecti, quamuis nos miſſilium nimbo obruerent hoſtes; repetitis tamen acriter impreſſionibus, propugnatores ſtrauimus, vel in fugam coniecimus: quantò magis Genuam, puerorum, mulierum, ſenum, imbelliſque turbæ clamoribus, & planctibus tumultuantem vix tantulo præſidio defenſam admoto ſolo præſentium copiarum terrore vincemus? ſi libratis in collium circumiacentium faſtigijs muralibus tormentis, totam ſubiectam vrbem ictibus patentem pilarum tempeſtate quatiemus? non tormentorum concuſſu labefieri ædium magnificentiam, non palatiorum ſtructuram fœdari, non vrbis dirui pulchritudinem patientur. Superba colla, vel inuiti in noſtrum inſerent iugum. Si nec dum nobis Apenninum tranſgreſſis, & exercitu adhuc procul minante, tantus pauor ciuium animis offuſus eſt; vt nobilium pleriq; cum rerum chariſſimis in Etruriam profugerint: plurimæ in pacatum dilapſæ matronæ opes aliò ſecum extulerint; quanto maiori terrore quatientur, cum propè mœnia ſubeuntes copias, collineari tormenta, parari oppugnationem aſpicient? Metus hoſti ſuccumbit, terror deiectis animis obſeſſos oppugnanti ſubſternit. Itaque non ad pugnam, ſed ad certam victoriam, & prædam ducemus exercitum iam diù immenſas Ligurum opes, ac theſauros anhelantem. At quis per Deum immortalem pudor, quòd dedecus, & ignominia noſtrorum armorum erit, ſi hac formidabili copiarum mole tantis impenſis, cura, & labore congeſta, tanto bellicarum rerum apparatu, & ſtrepitu tormentorum, vbi tantus belli motus exciuimus, & à Taurinis valido agmine in Ligures duximus; vix Apennini conſpecto iugo, retrò illius quaſi eliſi cautibus, aut territi altitudine reſiliemus? Hucuſque ne prouecti ſumus, vt tantum ex Alpium faſtigijs ſubiectum mare, & Liguſtici maris oram deſpiceremus, & inanem auram ore auido carperemus? Si primi auſus infȩlici euentu ceſſiſſent; ſi aliqua clade contuſi potiorem exercitus partem amiſiſſemus; ſi hoſtes nobis militum numero, & virtute firmiores occurrerent; honeſtum receſſui titulum præferremus, & aliqua cauſa receptus tegeret turpitudinem; at hoſtibus iteratis cladibus fractis, pauidis, imbecillis nullo copiarum robore, nulla auxiliarij agminis ope ſuffultis, quàm labem celebratȩ noſtrorum armorum dignitati, fœditatemque inferemus? Exſibilabit nos totus Chriſtianus orbis; noſtra arma meritò, ac iure ſupplodet, vanoſque deludet noſtros belli conatus; ſi nullo obſiſtente, nulla montium fauces obſtruente cuſtodia, libero aditu, libera via, vix tentatis leui pugna hoſtibus, recedemus; neque ſaltem in vrbis bello petitȩ conſpectum veniemus. Quis panicus terror obruit mentem, vt

hoſtes mœnibus clauſos metuamus? Video te ancipiti animo hærentem, neque de bello proſequendo, victoriæque curſu magnopere laborantem. Caue, precor, ne tantæ tuæ bellicæ gloriæ per tot annos militaribus laboribus partæ inexpiabile dedecus quæras. Incanuiſti copiarum ductor in armis: meruiſti fortibus factis inter ingentia huius ſeculi Ducum nomina recenſeri: vna hæc timidi turpitudo receptus rerum à te geſtarum claritatem fœdabit: teque ex albo fortium bellatorum expunget.

Duorū Ducum æquata authoritas perniciosa.

Iam Dux Allobrox à Diguera minoris cœperat æſtimari, vel non præſtita ab ipſo promiſſorum fide, vel iuncti æmulatione imperij. Raró enim vbi duo Duces æquata authoritate imperant copijs, alter alterius ſe regi conſilijs, ac placitis ſinit; ne minoris virtutis, bellicæque peritiæ videatur, ſuamque alterius prægrauare ſententiam obſtinatè contendit. Sic itaq; Duci Allobrogi peroranti reſpondit.

Digueræ reſponſio ad Ducem Allobrogem.

Fruſtra ingeris hortamenta, & ſtimulis vrges ſua ſponte currentem. Me mei Regis obſequium, & bellicæ cupido gloriæ his grauibus annis ætate longæuum iam ſenem mediæ hyemis rigore ſæuiente, citra Alpinas cautes, & niues hoc Liguſticum traxit in bellum: meo ipſius ingenio feror in arma, nec eſt quod magis, quàm Martis ſtudia, me teneat: neque me inimicæ vrbis altitudo, & firmitas mœnium, nec propugnantium numerus, & frequentia terreret; cum ſæpiùs minoribus viribus fregerim validiora; & huius veterani exercitus virtus facilem de proſtrato hoſte victoriam polliceretur; ac difficilia quæque perninceret; ſi fœderati Principes in Seguſiano conuentu decreta facto ſancirent; atque rerum exitus verbis accederet. Sed tantum abeſt, vt aſtrictæ ſacramento fidei ſtent; vt etiam nos hucuſque progreſſos in medio rerum gerendarum curſu fœdiſſimè deſerant: ſuſcepti magno animorum ardore in Ligures belli prorſus obliti. Subductis fundamentis omnis ſuper extructa ſaxorum moles ruat neceſſe eſt. Gallicam, atque Anglicam claſſem præcipuum huius expeditionis robur, & nerui, quibus claudendum mare, & commeatus, militumque ſubſidia à Liguribus prohibenda, obſidendaq; litora forent; vt faciliùs nobis à continente, & à mari oppugnantibus ancipiti bello diſtenti ſuccumberent; nec inſtrui, parariq; vllus nuntius affertur, ne dum portubus egreſſas in hæc maria curſum intendere. A Gallia nulla militum ſupplementa mittuntur: quibus laceras Vcitariano prælio cohortes, turmaſque ſarciamus: nec aulici proceres fœminarum amoribus, vrbaniſq; delicijs, & voluptatibus irretiti, nos vnam in his belli periculis nō prorſus abiecerint, certè parū de nobis ex incurioſo gentis ingenio laborant. Tormentarij pulueris, & globorum copia defecit. Tu ipſe quantum de obligata fide decedas, & de pollicitis deteras, vides. Non eſt in Pociferam vallem demittendus exercitus; vt ibi inter ſteriles ſalebras, nudaque ſaxa fame conſumptus, quas hoſti leges dare contendit; ab eo cogatur accipere. Dij meliora, quàm vt has copias ſine commeatuum affluentia in ſummas omnium rerum difficultates immittam. Quid quòd munitæ vrbis mœnia ſine tormentorum apparatu rui non poſſunt? Atqui per hos præcipites rupium deiectus, impeditoſque ſaxis vallium anfractus ea poterunt

trahi,

Digitized by Google

trahi, quæ difficile admodum in plano molimur? Hoſtili igitur urbi erit ſine tormentis, ſine commeatibus ſuccedendum? Quid nobis fiet, ſi non ſtatim in urbem primo impetu irrumpemus? ſi triduo circa mœnia erit hærendum, cum hinc ab Inſubribus, qui diù malè ſimulatam amicitiam abrumpent, noſtris copijs in Liguſticam oram demiſſis, metu uacui tecta uerborum officijs odia illicò pandent; illinc à mari commeatibus intercluſi, obſeſſi, fame enecti in hoſtili ſolo omnibus circum infeſtis durare cogemur: ad ultima breui neceſſario propulſi in hoſtium arbitrium concedere compellemur. Quid ſi, ut fama eſt, Neapoli, & Sicilia militum ſubſidia, quæ ſolicitè parari, atque in expedito eſſe nuntiantur; in ipſo rei conatu improuiſa nobis aduenient? non video quà certam cladem, copiarumque internecionem vitare poſſimus. Nec mihi ciuium trepidationem, bellicæque imperitiam diſciplinæ, conſternatos præſentis diſcriminis magnitudine hoſtium animos obtrudas: neceſſitas metum excutit, & robur addit inertiæ. Cum de ſumma rerum agi, de patriæ filiorum, vxorumque ſalute, de fortunarum iactura ſeriò conſpicient, excitabit ſe in audaciam timor, induetque fortitudinem trepidatio. Et credimus nos populum ingenio ferocem, & acrem in tanto communi periculo ceſſaturum, quin raptis armis vltrò ad mœnia frequentiſſimus ruat, fortiaque pectora nobis inuadentibus objiciat? Nimirum nobis patriæ vrbis portas timidi pandent; qui oppidulum antiquæ ſtructuræ nullis munimentis obſeptum, nullis firmum propugnaculis tam magno noſtri exercitus promptiorum ſanguine vendiderunt. Adde ardua mœnia, aſcenſu difficilia, quamuis innumeræ ſcalæ ſuppeterent, quas nullas hìc video, per ſe ipſa aggredientium impetum repulſura, ac fruſtratura conatus. Neque turbulentorum ciuium arcanæ inſidiarum molitioni fidendum: raró admodum fœlices ſucceſſus habent iniqua conſilia; in vulgus manant, in lucem erumpunt pluribus nota. Mutuus timor, ne ab aliquo conſcio prodantur cautiores ad ea aperienda compellit. Repentinus alicuius inopinati caſus intercurſus, parricidij formido, præſidum diligentia huiuſmodi molimina momento diſcutiunt. Iniquitas ſemper eſt pauida, raròque fortiter audet deſtinata ſuæ metuens ruinæ. Præterea qui bellicis negotijs cum poteſtate præſunt, in tanta rerum trepidatione pro patriæ ſalute excubant ſolito vigilantiùs, arcanos exploratores in fora, compita, priuatas ædes, cœtuſque ſubmittunt, qui ciuium geſta, voces, nutuſque rimentur. Tot venaticos canes, atque odorum ſagacitatem quæſita præda elabi non poteſt. Quid, quòd ipſi ſceleris conſcij, vt præmium cæteris delationis præripiant, impunèque ſint, à cogitato parricidio, coniurationem Magiſtratibus detegunt? Conſpirant certè magno ardore plures initio patritiorum faſtoſo tumori infenſi; ſed mora deferuet ille primus calor, & inſtructi facinoris pœnitentiam migrat. Erit igitur plures dies nullis aperientibus portas, in obſidione durandum. Nam antequam tormentarij aggeres educantur, & propugnacula, parmulæ, munimenta ſolita oppugnandarum vrbium diſciplina ſtruantur; affluet ampliùs hebdomada, at vbi vel iſtius tantulæ moræ exercitus alimenta? vnde per infeſta omnia militibus ad-

uehentur, intercipientibus itinera Inſubribus, & Hiſpanis? vbi tormenta ſola efficacia diruendorum mœnium inſtrumenta? Ne te igitur nimia vlciſcendæ iniuriæ libidine, non gloriæ prædæque cupiditate, aut proferendæ ditionis ardore in certam perniciem, & cladē trahi ſinas. Sicuti magni animi eſt in vltionē ſui iuſta bella ſuſcipere, ita aprimè prudētis certa ſalutis pericula declinare.

Dux Allobrox inſtat vt Genuam copiæ ducantur.

Iterat preces, inſtat, vrget obſecrationibus, atq; obteſtationibus Allobrox, vt Digueram in ſuam ſententiam trahat turpis victricium armorum receptus dedecus obijciens; quæ tanto fragore, ac ſtrepitu mota, niſi aliquem profectum tanta dignum belli, atq; exercitus mole habuiſſent ſe deridendos erant apud omnes Principes traducturi. *Saltem ob ſuſceptæ maximæ expeditionis exiſtimationem progrediendum eſſe, neq; à cępto ob inanes metus, & futiles cauſas reſiliendum; eò iam eſſe proceſſum; vt inde retrò niſi cum fœdiſſima ſit ignominia, infamiaq; redeundum. Inſubres pecunia inopes, viribus enerues, quamuis rupiſſent fidem, adeò non Liguribus ſubueniendo idoneos fore; vt etiam à Lario lacu in Mediolanenſem agrum irruentibus Gallis, & Venetis ab Abdnæ glarea inferentibus ſigna tantæ hoſtilium armorum procellæ ferendæ nequaquam pares futuri ſint. Mediolani Producem in ſuis magis, quàm in alienis tuendis laboraturum. Victoriæ calore, ſecundæq; famæ momentis vtēdum; quibus plerunq; mortalium opinione inuicta, deſperataq; ſucceſſu fęliciter abſoluuntur. Non omnes aduerſos caſus, malorumq; occurſus nimium meticuloſè metiendos; quidquid magnanimis auſis improſperi intercedere poteſt, nō diù formidoloſa cautela pēſandum; ſic enim nulla vnquam glorioſa facinora patrarentur; cum nulla ſit expeditio adeò auſpicata, ſagaci conſilio, prudentiq; circūſpectione ſuſcepta; quàm non aliquod improuiſum intercurrens infortunium, aut repentinus aliquis caſus poſſit euertere: in quæ ſi Duces mentis obtutus nimis cautè figere vellent; quodnam vnquam bellum aggrederentur? Fortunæ arbitrio aliquando armorum auſus committendos, quæ ſicuti in humanis omnibus pro libidine dominatur; ita bellorum præcipua moderatrix animoſiſſima quæq; ſecundat, atq; audaciſſima ex ſuo more fęlicitat. Non diutiùs ſocias claſſes moraturas, quin in Liguſticum mare decurrerent; quarum vſum non eſſe adeò neceſſariū, vt ſine illarū ope Genua expugnari non poſſet. Pergeret igitur arma in Ligures ferre, iuberetq; Gallica agmina in maritimā orā promoto vltra Apēninū gradu deſcēdere, vno, aut altero die, cōſternatis nimio pauore hoſtiū animis debellatū iri.*

Variæ Allobrogis Ducis rationes, quibus Genuam eundum ſit.

Diguera Duci reſponſio.

Diguera cum ampliùs importunis Ducis Allobrogis precibus obniti non poſſet, nec tamen ipſius cupiditati indulgere animum obſirmaſſet; ad eam expeditionem obeundam in tres menſes cōmeatus Allobrogem poſcit; qui cū expediri, atq; aduehi nullatenus poſſent; & iam Genuæ litoribus Neapolitana, Siculaq; ſubſidia appuliſſe certiſſimè nuntiarentur; tanti illati Liguribus belli minæ, ac terror euanuit. Quare Dux ſua immodica frenare deſideria compulſus; ne omninò fruſtrà arma cepiſſe in Ligures videretur, iuſſit Victorium Principem filium in occidentalem oram, quæ ex Seguſiani fœderis legibus ei obuenerat, copijs traductis, omnia belli turbine demoliri? Ille quingentis equitibus, & ſex peditum millibus validus, omiſſa

Saba-

Digitized by Google

Sabatiæ oppugnatione, in Plebem primum Genuenſium ad Taurinos fines vicum grauis incubuit.

Mondoui. Oneglia.

Duo prius Taurinorum millia ex Montis Regalis, Cebæq; delectibus in occidentalem oram delapſa, Dianiæ auxilio accurrerant, nondum cōperto iam à Genuenſibus expugnatam teneri. Apenninū itaq; trāſgreſſi, quà Nauæ anguſtias Incolæ vocant, aditu difficillimas, ac penè inuias, ſed à Genuē ſi præſidio deſertas, vbi ſe nec ſubſidio Dianiæ in tempore, nec propugnationi opportunos vident, cōuerſo repentè in Prælum Caſtellum agmine, ab eius oppugnatione Genuenſes nullo ferè certamine depulere: cum ex tumultuarijs montanorum agreſtium delectibus conflatæ cohortes militaris diſciplinæ penitus rudes, abſq; rei bellicæ perito Duce, ad hoſtilium tantum ſignorum proſpectum inde pauidæ, nec tētato hoſte diffugerint. Eandem facilitatem, felicitatemq; per Nauæ anguſtias, nullo Genuenſi præſidio obſeſſas reditus experti Victorium Principem perpulere, vt eamdem æmulatus audaciam maiores copias per illa Alpium inaceſſa clauſtra traduceret. Nullis firmis cuſtodijs ea muniri, nullis hoſtium cohortibus inſideri, faciles vltra patere, nullo obſiſtente proceſſus. Nunquam ſanè turpiùs, aut damnoſiùs in bello adminiſtrando peccatur, quàm difficiles aditus, quos natura hoſtium irruptionibus obmolita eſt, nullis præſidijs obſtruere; vt primi irruentium impetus, quaſi ſcopulis illiſi frangantur: quibus clauſis, facilè foret cætera quoque tueri.

Taurini in occidentalem orā deſcendunt. Ligures Tralo depelluntur.

Genuenſiū errata.

Princeps Victorius, & ſuorū hortationib. & maritimæ ſubigendæ oræ, & felicis ſpe ſucceſſus adductus, comparatis omnib. & prælio, & itineri opportunis, Alpina verſus iuga ducit infeſtus. Nullis ferè, inualidis certè præſidijs montiū inſidebantur anguſtiæ: quibus nullo certamine de cuſtodia deiectis, copijs per Alpium prona ad maritimā orā demiſſis, Plebem nobilē, opulētumq; finitimorū cōmercijs, atq; nundinis pagū, ſed parū contra hoſtilē vim munitū primo belli impetu aggreſſus oppugnat. Illū paulò ante nūtiato Genuā eius oræ periculo, non ampliùs mille militū Auria Caſtrorū præfectus Patrū iuſſu firmarat; quāquā diſertè priùs obteſtatus fuiſſet, tam exiguam bellatorū manū, ſeq; ipſum perditū ire; raptim tamen collectis ab eius tractus locis mille, & quingentis militibus, ne in tanta rerū trepidatione Rempublicam deſerere videretur, oppidū animoſus intrat; ratus ſine muralibus tormētis, quæ per Alpinas cautes, & præcipites ſalebras nō difficilimū modo foret moliri, ſed etiam prorſus vires humanas excederet; mœnia quati, ac proinde oppidum capi non poſſe. Ideò animi iam fidētior excauari foſſas, rudera purgari, interiora munimenta erigi, loricis, atq; aggeribus circumuallari, cæteraq; propugnandis oppidis opportuna parari ex militari diſciplina ſubitario opere iubet. Patrum Capuccinorum, Diuiq; Auguſtini cœnobia, eductis circum parmulis munit: eadem ad quaſdam anguſtias, quas Mortis vocant accolæ, hoſti obijcit munimenta, quæ ſine muralibus tormentis peruinci non poterant. Quare ſe aduerſus hoſtiles impetus abundè validum arbitratus Taurinorum aduentum iam animo erectior expe-

Princeps Victorius mouet in Ligures.

Plebem oppugnat.

Plebs contra hoſtes munitur.

Taurini Ligurum munimenta inuadunt. expectabat: qui tandem in conſpectum progreſſi hæſere nequicquam per aliquot dies circa Diui Auguſtini munimenta, quamuis ſæpius dato impetu ea ſuperare tentaſſent; nullis quippe tormentis adductis, parum proficere ſolis impreſſionibus poterāt. Verū quinto poſt die cū præter omnem propugnantium expectationem tormenta in caſtra aduecta, librataq; contra cęnobiam, atque exploſa fuiſſent: ſacra turri iteratis pulſibus proſciſſa, proſtrataque, ac pluribus defenſorum eius ruina oppreſſis, tantum præſidiarijs incuſſere terrorem, vt deſertis munitionibus effuſa in pagum *Ligurum fuga.* Plebem fuga eundem metum ſocijs intulerint.

Princeps Cęnobia adeptus Pago circunfudit exercitum: in quo cum inopinato belli euentu, caſuque ſociorum omnia abiectis animis turbarentur; nec imminenti malo vlla ſpes eſſet occurrere, mœnibus præterea ad ferendam tormentorum violentiam inualidis, de deditione à quodam duce Coſta cum Taurinenſis cohortis præfecto agi cęptum eſt; tutumque pactus cum eo diſceſſum, imprudens quis fidem interponeret ſuam, ſtatim porta egreſſus captus eſt: didito interim inter oppidanos, & præſidiarios rumore, ne tranſactio interpellaretur, tormentarios extinguendos *Taurini Plebe potiūtur.* eſſe funiculos. Quare Taurinis liberum, tutumque fuit pagi muris citra omnem ſuorum offenſam accedere; proſtrataque trabis impactæ ſæpius impulſu arietis more porta, reſeratoque ad maris litus oſtiolo, per quod vicini quique de ſua trepidi ſalute ſe ſe effuderant, vtrinque in pagum irrumpunt; ſed hic maior quàm alibi fugientium edita ſtrages. Siquidem occupato ab hoſte effugio, dum alij de muro ea parte breuiori ſe præcipi- *Ligurum fuga, & clades.* tes dant, ipſo graui ſaltus caſu attriti, vel ab hoſte maioribus ſclopis petiti perierunt. Ad ducentos ea clades abſumpſit. Cęteroqui oppidanorum ſanguinis, & Principis clementia, & militum auaritia pepercit; nam cum inter paciſcendum de deditione captus eſſet pagus; barbarum videbatur, & inhumanum non incolarum ſaluti proſpicere, & miles cui potior præda, quàm innocentium cædes erat, ædibus diripiendis intentus, quæ affa- *Oppidum diripiunt.* tim inſatiabilem cupiditatem ditibus ſpolijs explere poterat, oppidanorum ſanguine abſtinuit. Plures nobiliorum capti, præcipui ipſe Auria, & quatuor Genuenſes Patritij.

Eodem victoriæ impetu reliqua ora maritima ſuis præſidijs nudata, venturique ſubſidij expes in Taurinenſium iura ſponte conceſſit. Omnes *Omnem orā maritimam ad occidentem occupāt* pagi, villæ, oppida, caſtella portarum claues, deditionis inſigne, certatim venienti Principi offerebant: ſuarum rerum direptione pluris, minoriſue pro cuiuſque opulentia redempta; ſic enim Senatus ſuorum vectigalium incolumitati proſpiciens, vt ſe ſe hoſti vltrò ſubderent, imperauit; ne temerè validiori imparibus viribus repugnando ſuo ingenio ſæuientem amplius efferarent. Albingaunum, Alatrium, Portus Mauritius, Sanctus *Alaſſo, Vintimiglia.* Remus, Albium Intemelium potiora eius tractus loca, cæteraq; per multa Allobrogum iugum accepere; in arcano tamen ſeruata ſuo natiuo Principi obſeruantia, obſtrictaque ſacramento fide. Triora nihilominus Caſtellum,

lum, & ſitu, & natura munitum quippe præalti montis impoſitum iugo Taurinorum conatus eluſit. Arx quoque Intemellij aliquandiu oppugnantibus obluctata eſt; ſed cum tormentis adductis violenta cœpit pilarum verberatione pulſari, præſidij præfectus militaris imperitus diſciplinæ octauo poſt die arcem Principi dedidit. Itaq; nullo ſe ampliùs opponente, omnis ora maritima, quæ à Finario ad Monœci portum ſeptuaginta paſſuum millia protenditur, ſe hoſti ſubiecit.

Intemellij arx Principi deditur.

Omnis ora maritima Taurinis cedit.

Eodem tempore Dux Pater, Diguera nequicquam eius præceps damnante conſilium, aggrediendæ Genuæ expeditioni inſiſtens Gauij commeatus à Taurinis ſubmiſſos, militum ſupplementa ſedulus congerebat. Tormenta Vcitarium verſus trahi, ſcalas ad ſcandenda mœnia pangi, cæteraque tanto operi perficiendo neceſſaria parari iubebat. Aderat expedita ligonibus armata exequendis imperijs foſſorum multitudo; quæ Alpium ſalebras, quà ducenda tormenta erant, itinerumque aſpera complanaret. Omnibus vltra Apenninum imperialis iuris oppidis occupatis, in quibus plures Genuenſes Patritij beneficiarij dominabantur; Fœlicem filium Spurium ad expugnandum Sidelencum cum promptiorum militum agmine miſit: frequens oppidum nòn plus ſex paſſuum millia Genua à Septentrione recedens; quo potitus libero aditu poterat in Feritoris vallem copijs inductis, vrbi ſuccedere ea parte non admodum altis mœnibus debiliori. Omnia ad vota nullius Genuenſis cohortis occurſu Fœlici feliciter ſucceſſerunt. Reſpublica nãque in ſummas rerum anguſtias, ac difficultates adducta: principi vrbi muniendæ dumtaxat intenta alia loca negligere cogebatur; vt incolumi capite, in quo omnis ſtabat ſalus, ſaniori conſilio ſeruato, imminens diſcrimen auerteret; quod maius, ac maius quotidie ingruere, fierique cernebat. Itaque deprimere altiùs foſſas, propugnacula ſtruere, loricas, ac planiformas educere, debiliora loca fixo vallo ſepire, circum mœnia tormenta librare ſedula ſatagebat. Tanta erat mentium populi, atque omnium ordinum conſternatio, vt ad vltima acta vel nullo viſo adhuc circa mœnia hoſte, ciuitas videretur: cum exhauſto ærario, nulla metiendis militi ſtipendijs pecunia ſuppeteret; & aliquot triremes ad eam ab Hiſpania auehendam miſſæ, ne à Maſſilienſi hoſtili claſſe interciperentur, in patriam regredi formidarent; nullumq; ſubſidium à mari, nec à continente prorſus appareret. Quare ad cudendam pecuniam priuatorum argentea conflata vaſa; vt in præſens aliquantum leuaretur inopia; ſed quamuis aliquid neceſſitati conſultum fuerit, cum tamen ingens auri, argentique pondus ſingulis menſibus alendo militi, numerandiſque ſtipẽdijs profundendum eſſet: immodicis impẽſis longè minor erat è priuatis fortunis extracta pecunia. In Inſubres nondum conducti, & iam diù expectati Germani deſcenderant: & aliquot cohortes cæteras prægreſſæ Arci Ripæ ad Larium lacum Mediolanenſis ditionis propugnaculum ſubſidio feſtinare iuſſæ Genuenſium fruſtrauerant ſpem. Sed quòd magis eorum animos perculit, fuit ſubitus Hieronymi Pimentelij Dertona Ale-

Ottaggio.

Dux Pater Genuæ arma intẽtat.

Sauignone.

Biſagno.

Omnes curas in vna ſeruanda Genua intendunt.

Genuenſiũ cõſternatio.

Eorum difficultates rerum.

Variæ Genuenſiū curæ, ac ſolicitudines.

na Alexandriam munitiorem vrbem cum ſuis copijs diſceſſus. Cuius metu Ducis ingens cura Genuenſibus Patritijs inceſſit; cum ille longiùs ab vrbe agmen abduceret, tum maximè cum ei propiùs ſubſidio accedendum foret. Heluetij inſuper in Italiam tranſitum Germanis irati negabant; quòd Hiſpani ſibi debita annua ſtipendia pecuniarum inopia non ſoluerent. Nō parum quoque Patritios angebat, quod ſuorum popularium nummulariorum omninò exiſtimatio conciderat; nam cum Rempublicam tot armis præpotentibus impulſam euerſum iri timerent, priuatorum quoque fortunas eadem ruina inuoluendas putabant. Gallicæ quoque Anglicæq; claſſis, quas mox in Liguſticum mare vela daturas conſtans fama vulgauerat; metus Patrum curas intenderat: ingentes certè naualium rerum apparatus Maſſiliæ, aquæ in Anglia fieri nuntiabantur. Pecuniam ſanè à Principe Victorio tum Intemellium oppugnante Guiſio duci ſummo Gallicæ claſſis Nauarcho numeratam conſtabat, vt quam primum exornatam claſſem in Genuæ conſpectum daret.

Genuenſes ſibi vndiq; perniciē formidant.

Quadraginta præterea bellicæ naues ex Batauis portubus in altum prouectas ſe hoſtilibus claſſibus additura nimia formido ſubiecerat. Nam cum incertum eſſet, quò verterent curſum; vt metus ſibi omnia ſuſpicatur infeſta, in Genuæ perniciē, in qua totius Europæ figebātur obtutus; illæ quoque naues venturæ putabantur. Certè, vt minimum, Corſicam inſulam, vel aliquem Reipublicæ portum ab hoſte interceptum iri timebatur: in quibus arce, vel propugnaculo excitato, inde prædatum in tranſeuntes ſocias naues infeſti decurrerent.

Dubios quoque de Italorum principum in ſe animis cura coquit.

Nec minori ſolicitudine de dubijs Italorum principum animis Reſpublica angebatur: quibus cum integrum relictum eſſet in idem contra Genuenſes fędus ire, ſeque hoſtibus ſociare; latebat prorſus quos erga Rempublicam gererent animos, & quo ſenſu præſentium armorum motus aſpicerent. Verebantur ſanè Patres ne illi ſibi ſaltem auxilia negarent; vt abſtinerent offenſis, ne in ſua capita, mittendis ſubſidijs, alieni belli pericula verterent: vel in arcano Hiſpanorum nimiæ potentiæ infenſi Genuenſes quoque eius in Italia præcipuè firmum fulcimentum perditos vellent; vt eo ſubtracto, ipſa quoque labaret, vel iam minor ſe ipſa concideret. Alij ſpe Reipublicæ caſu ſe aliquid profecturos, eius excidium expectarent.

Hetruſci Ducis bellici apparatus.

Sarezzana.

Golpho della Spetia.

Piſis enim armamentario belli deſtinatis milites, commeatus, tormenta ſulphurei pulueris cadi, cęteraque bellicis expeditionibus neceſſaria ſolicitè expediebantur: quamquam omnia tuendorum Hetruriæ finium, quemcumque belli exitum fortuna daret, ſpecie cupiditati prætenta, titulo pararentur. Non deerant tamen Nobiles Genuenſes, qui magnum Hetruriæ Ducem ad Sergianum oculos adiecіſſe ex antiquo Florentinæ Reipublicæ iure, ſuſpicarentur.

Falſus rumor de Ducis etruſci petitionibus.

Hoc ſanè manauit in vulgus illum cum Feriæ Duce Mediolani præſide enixiùs egiſſe, vt inter hos Liguſtici belli tumultus eam vrbem cum Segeſtæ Tigulliorum ſinu ab Hetruſcis armis ſineret occupari: reſponſumque abſciſsè à Præſide fuiſſe, nec Hiſpanum Regem, nec ſe vlla ratione permiſſu-

miſſurum, ne vnum quidem terræ palmum ex Genuenſium ditione aliquo nomine vſurpari.

Harum inſidiarum, occultiq; principum odij metus Rempublicam in varias curas,cogitationeſq; diſtraxerat; cum ad eos fines tuẽdos eſſent bellatorum ablegandæ cohortes,ac proinde à principis vrbis tutamento, præſidioq;remouendæ. A Mantuano Duce Gallicarum partium ſtudioſiſſimo, & ſi minus periculum impendebat;cum tamen liberum Fœderatorũ principum copijs per Montemſerratum tranſitum conceſſiſſet,alieno à ſe animo eſſe,ſuiq;exitij cupido videbatur:eò magis,quòd ſuam operam Reipublicæ eo bello arcanis nuntijs obtulerat, ſeq; in hoſtiũ perniciem cum ea ſocietatem initurum: atq;in Gallorum copias iam tranſgreſſas ſex peditũ millibus, & equitum mille impetum daturum pollicitus, ſi ſibi ad illud agmen cõducendum, alendumq; in campis pecuniam Reſpublica numeraret. Cuius Ducis oblationes,vt eius actibus aduerſæ extemplò non abſq; indignatione reiectæ. *Mantuani Ducis ad Genuenſes oblationes.*

Eò rerũ recidiſſe Genuẽſis Reſpublica putabatur; vt cõclamata prorſus ipſius incolumitas videretur: ſed Cœleſte Numen, cuius potentia inſanis mortalium conſilijs irridet, ac diſſipat deſtinata, tum maximè cum proximè exitium ventum eſt, ſoſpitat aliquando vltima metuentem,& iam iam perditum ex inſperato reuocat ad ſalutem. Sic Genuenſem Rempublicam extrema trepidantem, diſcuſſis, diſiectiſq; hoſtium conatibus,confluentibus vndiq;quaſi ex condicto pecuniarum,& militum auxilijs,ſaluam à proximo diſcrimine vindicauit. Non eſt idem ſiquidem & Superum, & mortalium in humana proſpectus. Rem Genuenſem, quam aliquot Italiæ Principes eius inuidi libertatis perditam, atq; exciſam cupiebant; illi ad eam leuandam compulſis ex Sicilia, Neapoli, Inſubribus auxilijs ex inſperato ſoſpitarunt. Dum enim tota ciuitas, ſuburbana litora hoſte pulſante, trepida in preces effuſa in maiori delubro litans, operantibus Myſtis; Numina propitiaret: en ex Hiſpania triremis portum inuecta decies centena aureorum millia attulit, opportunum ſanè egenti, deſperantique rebus ſuis Reipublicæ auxilium: eò potiſſimum è cœlo miſſum, quòd eadem triremis in altum prouecta, vt hoſtilis claſſis declinaret occurſum, in Hiſpaniam curſum intendens repentino ventorum turbine in Corſicam abrepta ibi detineri iiſdem ventis furentibus crederetur, quibus tamen ſub eo cœlo ponentibus, commodam nacta nauigandi tempeſtatem ſecundiſſimo curſu Barcinonem tenuit; atque inde pecuniam in expedito inuentam, ſublatamque Genuam eadem curſus fœlicitate auexit. Mox aliæ triremes quaſi ex compoſito ab eadem Hiſpania ſexies decies centena aureorum millia attulerunt. Quarum maxima pecuniarum affluentia ſuis potuit neceſſitatibus ſubuenire, & Mediolani Produci ad conducendos ex Germania milites, expediendaque bello gerendo, ac proferendo ex ſtatiuis exercitui opportuna pecunias abundè ſufficere: immo in Belgium ad alendas Hiſpanicas copias, ex eo argenti pondere partem rege- *Dei benignitas, & clementia in Genuenſes.* *Auxilia vndiq; Genuam confluunt.* *Genuam ingens pecuniarum modus inuehitur.*

regereret; quarum victoria erat magnum momentum rebus præſentibus allatura.

Genuenſiũ portentoſa fęlicitas.

Hæſit ſtupore attonita Italia, quod ex ſuis ferè cineribus, buſtiſque Reſpublica non ſolum ſeipſa potentior, & maior rediuiua reſurgeret; ſed etiam eius vigoris, virtutiſque eſſet, vt ſuis opibus exteros exercitus animaret; eoſq; in ſuorum hoſtium Genuenſium excidium anhelantium damna, cladeſque moueret. Ipſe hoſtis, qui ad rapiendam opimam prædam ſubito decurſurus videbatur, obſtupuit, quòd verſa repentè fortuna, ab vltimo metu pecunia, milite, auxiliaribus copijs validior, fortiorque proſiliret. Itaque cum inſtructo exercitu ipſi mœnibus ſuccedendum foret; paulatim cępit eos fœlices belli ſucceſſus, quos ſibi cupido animo figurauerat, deſperare. Omnem ſpem verò prorſus abiecit, cum varia, ac valida militum auxilia in vrbem immiſſa fuiſſe accepit. Nam præter ea peditum agmina, quæ Mediolano Guaſcus adduxerat, Gauio, Victorioque Allobroge potito, eques Pecchius tum ex ſua, tum ex Parmenſi, Mutinenſiq; legionibus promptiorum expeditis cohortibus ſubſidio venerat, quæ circiter tria millia peditum cenſebantur. Demarchus item Sanctæ Crucis trium, & triginta triremium claſſe ad quatuor bellatorum millia aduexerat, inter quos duo Hiſpanorum millia veteranæ virtutis ex diuturna belli Belgici diſciplina, bellandique vſu rei militaris peritia hoſtibus formidandæ. Neapoli quoque ingentibus nauigijs mille quingenti pedites Genuenſe litus appulerant. Siculum quoque triremium agmen ſexcentos Hiſpanos à Cardinale Ianettino Auria eius Inſulæ prorege ſubſidio patriæ miſſos attulerat. Spiræ etiam Demarchus cum tribus fratribus Reipublicæ ſtipendia merentibus cum octingentis peditibus, & equitibus ducentis in vrbem intrarat; præter peditum agmina, quæ alia, atque alia deinceps quotidie Neapoli mittebantur. Omnes auxiliares peditum cohortes, & equitum turmæ, cum Germanicis Legionibus, quæ cęteris tardiùs aduenerant, quindecim bellatorum millium ſummam implebant. Aderant quoq; plures veterani experti bello duces, vndique opulentioribus ſtipendijs acciti. Populus, qui quondam ferox, & indomitus Patriæ viſcera lacerarat, ardentiſſimo ſtudio pro communis patriæ ſalute laborabat. Ligurum quoque delectus robuſtum, durum, aſperum velitum genus ex alpinis cautibus accolæ auxilio imperanti vrbi accurrerunt: quibus exterorum, populariumque militum agminibus firmata Reſpublica iam in tuto poſita, ſecuraque ab hoſtium aſſultibus videbatur, paulò ante in ſummum diſcrimen adducta, rebus omnibus periclitatura. Pontificia præterea, Etruſcaq; claſſes ſuorum principum iuſſu expoſito prius ad Maſſiliam ad Gallum Regem Legato, inde remenſæ Liguſticum mare Genuam vela verterunt. Nec mirum, quod à magno Etruriæ Duce Auſtriacæ domus ſtudioſiſſimo ſua claſſis iuſſa fuerit Genuenſibus auxilio redire. Magnum verò fuit à Summo Pontifice falſa communi omnium opinione Hiſpanicę Auſtriacæque potentiæ infenſo, cum Gallo Rege conſentiente, ſuam claſſem, nequic-

Valida militum auxilia Genuam intrant.

Genuã vndique ſubſidia bellatorum accurrunt.

Boz.Zolo.

Genuẽſium copiarũ numerus.

Pontificia claſſis ſubſidio Genuẽſibus nauigat.

quicquam acerbiſſimis querelis reclamante Gallo legato, in belli ſocietatē Genuēſibus miſſam. Ad auertendam credo, vanā mortalium ſuſpicionem, illum cum Rege Gallo communicare conſilia, atq; in Gallos ſuopte ingenio propenſum eorum partes in arcano fouere.

Coacto Ducum in Prætorio conuentu primum omnium de adminiſtrādi belli, tuendæq; Liguriæ ratione propoſitum eſt. Omnes in hanc ſententiam pedibus conceſſere, propulſandum eſſe tantum bellum ex præſenti rerum ſtatu, defendendamq; vrbem Liguriæ Regiam, & Sabatiam eius potiſſimum membrum; donec frequentibus hoſtium militum diffugijs belli incommodis enectæ morbis tentatæ copiæ hoſtiles effluerent; & Feriæ Dux producto ex ſtatiuis in campos exercitu, fęderatos aggreſſus à Ligurum oppugnatione decuteret. Nec aliquid afficiebat Ducum animos maritimæ oræ iactura, quòd eius amiſſio nihil ſummæ rerum officeret; vt pro ea recipienda vrbis præſidium tam è propinquo hoſte minante, infirmandum foret, ac proinde Princeps vrbs in extremum diſcrimen danda; cuius perdendæ occaſioni imminens hoſtis, eam præſidio nudatam potuiſſet inuadere; qua nihilominus ſeruata, pronum fore amiſſa recipere; quòd ora maritima vndique patens nullis caſtellis, nullis arcibus munita propugnari non poſſet: primum occupanti prædæ ceſſura, redituraq; citò propulſo Genua hoſte, ad antiquam fidem, quòd eius incolæ eſſent in Rempublicam propenſiſſimæ voluntatis moderato eius imperio aſſueti, & ex eadem Ligurum gente per tota litora, quà in orientem, cadentemq; ſolem protenduntur, effuſi. Præter id, quòd cum penes Genuenſes eſſet maris imperium, malè contra incurſantium claſſium vim ea loca aperta defendi ab inuadentibus poterant. Verum etſi tot præſidijs, & auxiliaribus peditum cohortibus, & equitum turmis firmata ciuitas, ſub peritorum Ducum imperijs ſatis contra hoſtium potentiam munita non ſolum propulſare bellum, ſed etiam inferre poſſet: tamen tantus terror patritiorum animos inuaſerat; vt de ſua ſalute etiamnum anxijs mentibus dubitarent, latè omnia populante, tenenteq; hoſte. Erat omninò hoſtilis exercitus ab Inſubribus expectanda depulſio; quam ſicuti multa interuenientia impedimenta morabantur; ita Genuenſes ingens cura coquebat, nec aſſiduis terroribus agitatos quieſcere patiebatur. Militum paucitas, qua Hiſpani laborabant, nec dum Germanicis legionibus apparentibus, Ripæ etiam munitiſſimi contra Gallicos impetus propugnaculi defenſio Mediolani Producem a ferendis Genuenſibus ſuppetijs auertebant. Non enim ab ea tanti momenti arce, circum frementibus Gallis erat miles in tanto diſcrimine abducendus: qua tamen ſæpiùs à repetitis Gallorum impreſſionibus egregiè defenſa, vt alibi dicemus, potuit Dux Feriæ bellicas curas ad tuendos Genuenſes conuertere. Nihil aliud huic expeditioni intercedebat, quam Germanarum legionum tardus aduentus.

Ducum de adminiſtrādo bello conſilium.

Eorum ſalutare decretum.

Cur ora maritima non curanda.

Genuenſiū terror.

Fœderati ſolicitabant Heluetiorum animos, ne patefactis Alpinis anguſtijs, Germanos in Inſubres Hiſpanis auxilio deſcendere paterentur. Id eſt Helue-

Fœderatorū Principum officia apud Heluetios ne Germanis aditum pandant.

Heluetica regionis ſitus deſcriptio.

Heluetica regionis ingenium, vt paſſim rupes, & cautes, editaque cælo montium iuga (niſi qua valles interiectæ procumbunt, & vix ſingulis per- uios in Italiam, & Germaniam aditus pandunt) abſciſſa, præruptaq; cun- cta præſepiant. Nulli per ea montium clauſtra inuitis Heluetijs, tranſitus patet. Penes eos ſunt Italiæ, Germaniæque portarum vectes, & feræ. Eſt ipſorum arbitrij eas anguſtas fores, poſitis validis ſtationibus, claudere, & reſerare. Ad retinendum alpium imperium firmis cuſtodijs ijs clauſtris in- ſident: magno ſanè eius gentis compendio, quòd tranſeundi copiam chri- ſtiani Principes magno mercentur. Nihil igitur ægriùs factum eſt, quàm vt ab ijs montium aditus Germanicis legionibus panderentur, quòd ſupra Gallorum, & Allobrogum Ducis officia, debitas etiam annuas penſiones ſibi ex fœdere non admetirentur Hiſpani; nec illi aliter per ea clauſtra Ger- manis tranſitum concedere decreuiſſent; niſi ea pecuniarum ſumma ſolu- ta; quæ tamen à Mediolani Produce ante triremium Hiſpanicarum appul- ſum non poterat expediri, diuturnis bellis, & copiarum ſtatiuis Inſubri- bus pecunia exhauſtis. Ille verò cum re ipſa non poſſet contra hoſtes ex hybernis copias educere, omnes bellicos apparatus præuertēs Mediolano Ticinum perrexit; vt mox in campos prodituri faceret ſpeciem: didito conſultò rumore, ſe Genuam propediem ſubſidio cum omnibus copijs itu- rum. Ticini idcirco ingenti ſolicitudine, ac cura aggeſtis vndique com- meatibus, & rebus ineundo itineri neceſſarijs Germanicas cohortes, quæ tandem Heleticis patefactis anguſtijs, in Italiam deſcenderant, collige- bat. Hic Producis Mediolano Ticinum ſimulatus aduentus incuſſo hoſti- bus metu, eorum progreſſus opportunè cohibuit. Siquidem cum illi iam iam ſubſidio Genuam eum proditurum formidarent; non poterant citra manifeſtæ copiarum cladis periculum in occupatis locis hærere, ne dum de inuadenda Genua cogitare.

Aegrè impetratur Germanis aditus in Italiã ab Heluetijs

Feria ſimulatio ad terrendos hoſtes.

Inſubrium motus hoſtium profectus cohibuit.

Aliud quoque rem Genuenſem iuuit, corrupti in Anglica claſſe com- meatus. Dum enim in ſtationibus inutiles trahit moras; nec ex condicto in mediterraneum nauigat mare, carnes ſalitę vitiantur, in quibus ite- rum reponendis, diù cunctandum fuit, eaque mora Genuenſibus ſalubris Fęderatorum potiora deſtinata diſiecit. Gallorum præterea Hæreticorum tumultuantium audacia militum ſupplementa in Italiam à Rege decreta remorata eſt; erant enim in Gallia retinenda ad bellorum ciuilium præfo- candum incendium, coercendâque perduellium inſolentiam, ne in totius regni, vt ſępius acciderat, gliſceret excidium. Guiſius inſuper Dux ſummus Gallicæ claſſis nauarchus, qui Maſſilia ex conuentis in Liguſticum mare ad ſubuehendos Socijs bellantibus commeatus, & militum auxilia, verbe- randâque tormentis è mari Genuam decurrere debuerat; ſegnis admo- dum, & lentus in ornanda claſſe, parandiſque bello maritimo neceſſa- rijs magno ſuſceptæ expeditionis incommodo fuit; quamuis ei cuncta abundè ſuppeterent, interceptis Reipublicæ centum quinquaginta aureo- rum millibus, & alijs ab Allobroge Duc ſuffectis, vt iam tandē Maſſilia Ge- nuam

Multa Genuenſes iuuant.

Guiſij Ducis incuria in parandâ claſſe.

nuam ſolueret. Quare cum Fœderatos præcipua totius belli fundamenta deficerent, & in dies alijs, atq; alijs ſuperuenientibus auxilijs, Genuenſes creſcerent animis, & viribus inualeſcerent; de propria illis ſalute tuenda, quàm de aliorum excidio agitandum erat.

Hoſtiliũ copiarum diſſicultates.

Turbauerant etiam hoſtium res copiarum incommoda; dum enim inter Gauium, & Vcitarium nullis bellicis diſtentæ negotijs in ſterili terra ſegnes otiantur; commeatuum penuriam pati cœperunt, qui neq; ab Inſubribus valido exercitu firmatis, ſperari, neq; à Taurinis afferri poterãt propter itinerum difficultatem, & longitudinem, latè omnia Montisferrati accolis populantibus, infenſis maximè militi Gallo, quòd ab eo ex tranſitu peſſimè habiti fuiſſent. Præter id quòd milites quoq; palantes, atq; à caſtris dilapſos per auia errantes crudeliter trucidabant. Nec minorem moleſtiam Pociferæ vallis incolæ hoſtibus afferebant: velox certè, robuſtum, ſtrenuum, ferox hominum genus, qui vicinos hoſtes crebris incurſibus infeſtabant. Si namq; ſicuti ſtatario certamini minus idonei ex militari diſciplina præliari prorſus ignorant; ita velitationibus, ſparſiſque pugnis ciendis acerrimi ſunt, agilioreſq; Pardis nunc à tergo, nunc à fronte, atque à latere hoſtes adhorti vulnerant; peritique locorum veluti ſyluestres feræ, qua ſe alpinæ cautes aperiunt, montium iuga poſitis cuſtodijs oppilant. Hi in plura agmina ſe inuicem partiti, in hoſtium cohortes, quacunq; in conſpectum ſe darent, pernices inuolabant; & quos aut fames è caſtris, aut prædæ cupiditas procul egerat, venabantur: atq; obuios quoſque veluti quadam indagine captos, vel inflictis vulneribus occidebant, vel captiuos inde pecudum more in ſua mapalia abigebant. Horum ferocitate, atq; indomita audacia territi hoſtes nemo longiùs à caſtris abſcedere, aut à ſuis ſtationibus procul errare inſidiarum, certæque mortis metu audebant. Quibus preſſi anguſtijs Allobroges, & Galli, in proprijs caſtris obſeſſi fame, incommodis, morbis enecti vſque ad vltimum ſpiritum perſiſtere cogebantur. Diffluebat hoſtilis exercitus quotidie magis, & orta inter Allobrogem Ducem, & Digueram diſſidia euerterunt penitus expeditionis euentus.

Pociferæ vallis accolarum ingenium.

Hoſtibus infenſi Pociferæ vallis incolæ.

Gallorum, & Allobrogum incommoda.

Diguera mutatum conſilium.

Diguera in Taurinos Liguſtici belli cupidus Genuenſium excidium anhelans, è Gallia deſcenderat; ipſo Allobroge Duce ardentior arma in Genuenſes capeſcere feſtinabat. Vbi verò ad Ligurum fines conſtitit, refrixit ille primus bellicus feruor, & quaſi illum ſuſcepit belli pœniteret, meticuloſiùs, quàm pugnacem, veteranumque Ducem deceret, belli pericula nimium cautus metiebatur. Quamobrem hæſitans, nutanſque conſilio in alpium tranſitu Allobrogi Duci Alexandriæ oppugnationem veluti magis conficiendo bello opportunam, & ad rerum ſummam, aſſequendaq; vota neceſſariam ante Genuæ obſidium tentandam ex omnibus belli legibus ſuadebat. Hoc erat profectò primis ſubuerſis conſilijs, contra Hiſpanos noua, difficilioraque bella ſuſcipere, & maioribus copias difficultatibus implicare; quòd Dux Allobrox totus in vltionem cõtra

Diguera Alexãdriæ oppugnationẽ ſuadet.

Genuenſes exardens omninò auerſabatur. Sed Diguera intra Liguriæ montes, aſperaq; loca copias immittere renuebat, niſi prius arce munita aliqua occupata, tutum receptum ad incertos belli euentus haberet. Verum Allobrox Vcitario, Gauio, Roxilioneq; potitus, omnibus expeditionis impedimentis ablatis, tacitus Digueræ ſegnitiem metum, inconſtantiam, ſuarumq; victoriarum inuidiam incuſabat; quòd ille, vt Allobrogis fœlices armorum ſucceſſus, gloriamq; eleuaret; eius victorijs identidem illudere pleno ore ſolebat: militum promptioribus in Vcitarij expugnatione amiſſis. Acriter quoq; de Duce Allobroge querebatur; quòd nullo magni Galliarum comeſtabilis dignitatis reſpectu Gallica ſigna præuertens locum primi agminis vſurpaſſet, qui ſibi omninò ſummo Regij exercitus Imperatori debebatur: ſerio obteſtatus, ſi deinceps Gallicas copias in aliqua expeditione præiret, aut aliquod, ſe inſcio bellicum facinus aggrederetur, ſe illum ſubito deſerturum.

Diſsidia inter Allobrogem Ducē, & Digueram.

Diguera de Allobroge Duce querela.

Auxit iras, diſſidiumq; maius accendit Gauij expugnatio, vtroq; præſidium oppido imponere veluti à ſe occupato certante. Allobrox ſibi illud vindicabat, quòd Rex Gallus ſuæ ſorori Taurinorum Principi illud dono dediſſet; Comeſtabilis verò Gallici Regni iuris eſſe ex Seguſiano fœdere contendebat, ac proinde à ſe oppidum præſidio muniendum. Quibus rixis, & iurgijs tantum non vterque in apertas ſimultates erupit. Dux tamen Allobrox irato animo temperauit, ne rerum ſummam hæ futiles contentiones euerterent. Negotium itaque æquali temperamento libratum eſt: vt Comeſtabilis oppidum præſidio firmaret; donec de ea re Rex Gallus miſſis ex compoſito litteris, conſuleretur, atque diſſidium eius reſponſa dirimerent. Reſponſum à Rege fuit, ſed ſecundum Comeſtabilem lis data, magna certè Allobrogis indignatione, qui eò maiori excanduit ira, cum arcanas litteras, præter communi conſenſu miſſas ab eo ad Regem datas accepit; quibus Regem, & purpuratos in ſuam ſententiam trahere conabatur. Verum nihil magis Ducem affecit, quàm conſtans opinio Comeſtabilem Genuenſium auro corruptum expeditionem non remorari ſolum, ſed etiam euertere. Nam vt erat animo ſuſpicaci omnia Comeſtabilis acta ad hoc vnum referre ſolebat, venalem comeſtabilis animum Genuenſium pecunia emptum prima belli inita conſilia damnare. Suſpicionem auxere alia ſuperuenientia indicia, quorum præcipuum erat Stephanum Spinulam vnum ex Vcitarij captiuis à Republica ſubmiſſam eſſe, vt Claudij Marini apud Allobrogem Ducem Regij legati, cuius vxor erat Spinulæ ſoror, interuentu, Comeſtabilis animum ſolicitaret, pactus cum eo ingens auri pondus à belli ſocietate deduceret. Nam pridie Vcitarij expugnationis Spinula impetrata à Comeſtabili publica fide, ſe in Gallica caſtra contulerat, vt cum ſuo ſororio tranſigeret. Nec deerant Genuæ, qui dedita opera, ſimulatis obſequijs, Ducem de hac re arcanis litteris admonerent. Ille prono ad ſuſpicandum ingenio huiuſmodi nuntia quaſi certa, & vera altius in animum demi-

Gauio Gallicum præſidium imponitur.

Allobrox Digueræ ſuccenſet.

Allobrogis Ducis de Digueræ fide ſuſpicio.

Allobrogis Ducis credulitas.

demiſerat; ſibique falſo perſuadebat plures ſui nominis in arcano ſtudioſos, optare fœlices ſuorum armorum profectus. Certiſſimum itaque ratus, quòd ex leuibus indicijs coniecerat; noto ſibi Comeſtabilis genio, congerendi ſine fine diuitias cupido, cœpit liberiùs eius habendi libidinem incuſare, & de dubia, immo corrupta fide acerbiſſimè quæriſſe in ea expeditione à Comeſtabili falli, prodi, circumueniri auro Genuenſium depranato. Suſpicioni fidem aſtruxere crebra nuntia à Taurinis allata, plures milites Gallos manipulatim, impetrata à Comeſtabili miſſione, in Galliam è caſtris dilabi. Hinc ſeu vera, ſeu falſa ab exploratoribus promerentur, prima odiorum, diſſidiorumque inter Allobrogem Ducem, & Digueram, atque inter vtriuſque domeſticos labes; ſibi inuicem obloqui, obtrectare, carpere, conuitiari, auerſos animos profiteri mutuo contemptu. *Allobrogis Ducis de Diguera querela.*

Interim Patribus rerum bellicarum procurationi ſumma cum poteſtate præſidentibus affertur, propè hoſtium caſtra ad quingentos boues trahendis muralibus tormentis addictos errare per prata: quibus abactis, aut poplitibus mulctatis, non potis futurum, vt hoſtis, cum tormentis ad vrbem oppugnandam accederet. Accitis igitur Pociferæ vallis accolis negotium datum, vt ijs bobus tibias ſucciderent. Illi ingentibus animis facinus aggrediuntur arduum ſanè, ac difficile; ſi rei difficultas cautis belli rationibus penſaretur: in bello nulla niſi ardua vincunt. Audaciam propitior fortuna iuuit: nocte ſiquidem concubia hoſtium munimentis ſuggreſſi, primis cæſis excubijs, in ipſas hoſtium ſtationes inuecti paſſim ſtratos obtruncant. Allobroges tam improuiſo Montanorum impetu, audaciaque territi, deſerta armenti cuſtodia, in munitiora caſtra diffugiunt. Quorum fuga per otium Montani non ſolum impactis ſecuribus boues genibus debilitarunt, verum etiam per anios, ſed notos ſibi montium anfractus, & calles Genuam abegerunt; quam triumphantium more præactis bobus, de generoſiſſimo auſu, fœlicique ſucceſſu læti, glorioſique inierunt. Quo factum eſt, vt ciues, tum demum ab hoſtili exercitu tutos, atque ab obſidione ſecuros putarent: cum deficientibus bobus nec ad Genuam pulſandam tormenta trahi, nec in Taurinos poſſent abduci. Erant igitur è Gallia equi expectandi, qui bouum vicem ſubirent; ad quos adducendos nuntij ſtatim celeres miſſi. *Montani agreſtes armenta hoſtium abigunt.* *Genuenſiũ ſecuritas, et lætitia.*

Iungunt de gentis more Galli robuſtiores, grandioreſque equos ad trahenda tormenta, vt pernici ductu, quo deſtinant, ea ſiſtant; quæ lento, tardoque bouum tractu ægrè moliuntur. Verum equi ad bella Italica in Gallia expediti, in alios potiores vſus abducti ſpem Ducis Allobrogis feſellerunt. Bouum iacturæ damnum Sidelenci amiſſio ſubſequuta eſt peculiari Alpinorum illius tractus accolarum opera, ac labore recepti. Huius oppidi ducentorum quinquaginta militum præſidio præerat Fœlix Ducis Allobrogis ſpurius filius; ſed commeatibus, & tor- *Sauignone.*

 menta-

Digitized by Google

Montanorũ agreſtiũ animoſitas. mentario puluere parum inſtructus. Succeſſere mœnibus animosè Montani ſpe maiori adducti, ſe obſeſſos fame ad deditionem, quàm aperta vi, atque impetu compulſuros. Ceſſiſſentque proſperè vota; niſi Dux Pater veritus filij diſcrimen illum quacumque ratione ab obſidionis, ſalutiſque diſcrimine explicare præſenti animo decreuiſſet. Selectis igitur ex omnibus copijs quinque promptiorum millibus cum quingentis equitibus, ſuperatis montium iugis, & ſalebris, obſidentibus adeò improuiſus aduenit; vt illi nihil minus, quàm Ducis acceſſum ſuſpicati, deſertis ſtationibus, ocyores vento diffugerint. Ille eductum filium cum integro præſidio nullo prorſus amiſſo, in caſtra regreſſus, eſt; niſi quòd in recedentis latera ex inſidijs incurſantes Montani, aliquot interceptis, cæteros tardiori gradu ſequentibus extremum agmen ex occaſione carpebant. *Allobrogis Ducis de filio cura.*

Feria animus dubius. Interim Mediolani producem Feriam ancipitem animi Ticini ceſſantem, quamuis maior Germanorum cohortium pars in Italiam deſcendiſſet, pecuniæ caritas nec admetiri ſtipendia, neque in campum progredi ſinebat, non erant enim citra periculum copiæ è ſtatiuis in apertum educendæ ſine ſtipendio. Metus quoque ne cum Gallo Rege rumperet bellum, atq; in ſe eius præpotentia arma laceſſeret incertum, dubiumq; animi diſtinebat; cum inſuper, & ab Hiſpana aula purpurati illum ſeriò ardentibus litteris admonorent, vt in hac re omnia ſedulus, & cautus circumſpiceret. Hæc Feriæ mora Dux Allobrox, & Comeſtabilis rati Hiſpanos nihil ab Inſubribus moturos; abiecta Ligurum rerum cura audaciùs cęptis inſiſtunt, ſpretis Feriæ minis, quæ intra verba duntaxat detonituræ videbantur, neque omninò ſpes euanuerat ſocias claſſes, è Gallia, & Anglia in mare Liguſticum decurſuras. Reſpublica verò prouecto in ſua viſcera, hærenteque lateribus hoſte, cum nec dum hoſtilium claſſium aduentus timor penitus reſediſſet; vicina pericula metuens, ſolicitas de ſua ſalute curas remittere non poterat in Inſubrum ſubſidij diuturna expectatione ſuſpenſa. Quamobrem ſtatuit efficaciùs ſuprema conari ad Mediolani Producem Vicentio Imperiali legato, vt illi tandem ſomnum excuterent; qui & præſenti pecunia omni oratione potentiùs, & precibus illum impelleret; vt rupta mora cum Inſubrum copijs ſubſidio periclitanti Reipublicæ feſtinaret: effecitq; qua efficacibus ſuaſionibus,qua allatis militum ſtipendijs, vt abſciſſo omnium rerum reſpectu, ex hybernis copias in hoſtes efferret. Exercitu itaq;Papia Alexandriam properare iuſſo, ab ea parte in Fęderatos inuehi moliebatur. Sexdecim Germanorum millia in quatuor diuiſa legiones Ducibus Pappenahimio Salmæ, Sulcij, Caroloq; Mansfeldio comitibus, totius ſanè exercitus robur, & firmitas: præter hæc,è Sarmatia, & Liburnia non tam barbarus, quàm ferus equitatus aduenerat; vaſtatione agrorũ,direptioneq; locorum,per quę tranſierat, formidandus, horum equitum ſumma tria millia, cum Neapolitanis, & Inſu-

Boſtiũ inanis ſpes.

Genuenſes Feriam in ſuam opem ſolicitant.

Feria in hoſtes vadit.

Polonia.

Inſubribus quinque millia implebat; ſed quia tantam exteri exercitus molem, non par natiui, patrijq; militis numerus prægrauabat; ac proinde periculum ſubeſſet, ne tot barbarorum millia aliquando conſternata ſeditiones excirent, Feria ſalubri ſanè, prudentiq; conſilio Hiſpanos, & Italos præſidiarios ab arce Ripa in finibus Heluetiorum abduxit: impoſito eorum vice maiori numero Germanorũ, Pappenahimio cum ſua ſex bellatorum millium legione eius arcis commiſſa cuſtodia, cui quingentorum Inſubrum peditum, & equitum cohortes, & turmas adiunxit, euocato inde in caſtra comite Ioanne Serbellonio cum omnibus Hiſpanorum, Italorumque centurijs. *Feriæ copiarum ſũma.* *Feriæ prudens conſilium.*

Ingens cura Duci Allobrogi, & Diguerę de tam vicino potenti Hiſpanorum exercitu, inceſſit. Viginti enim peditum, & quinque equitum millia cenſebantur, præter valida ad arcium cuſtodiam relicta præſidia. Iam ſpes omnis de ſociarum claſſium, & militum ſupplementorum, qui è Gallia expectabantur, abiecta: ſeroq; tandem aduerterunt ſuſceptam in Ligures expeditionem in dies fieri difficiliorem; deq; tuto potiùs copiarum receptu cogitandum, quã fęlicia initi belli euenta ſperanda. Gauio igitur, & Nouis præſidio firmatis, relictis etiam decem nouem ex maioribus tormẽtis, quæ non ſuppetentibus bobus, abduci non poterant; incenſo barbarè Vcitario, eadem, qua venerant, via in Taurinos ſe recipere decreuerunt. Ad octo peditum, & duo equitum millia vniuerſi cenſebantur, inedia, nuditate laceræ, morbis ſemineces, enectæq; copiæ cum aliquot minoribus tormentis in Niciæ agro Principem Victorium cum parte copiarum obuium habuere, vt improuiſum, ita opportunum malorum lenimentum. *Hoſtium receptus ob Hiſpanorũ metum.*

Talem exitum habuit bellum ferociter ab Allobroge Duce in Genuenſes ſuſceptum, immodicis magis vltionis ardoribus, quàm militari prudentiá expeditionem metiente. Verum quò turpis receptus pudori animoſum aliquod bellicum decus obtenderet; inter abeundum Sabatiæ oppugnationem decernunt. Eædem difficultates, quæ à Genua aggredienda hoſtes auerterant, à tentanda quoque bello Sabatia deterrebant; regionis anguſtæ ſterilitas, viarum aſperitas, inuiæ montium ſalebræ, per quas trahi tormenta non poterant; copiarum paucitas, & imbecillitas: noua antiquis, & valida aſtructa munimenta, atq; addita propugnacula, arduæ loricæ, per quas eniti neque integræ, numeroſæq; copiæ poterant, nedum Allobroges, & milites Galli præteritis laboribus, & incommodis fracti; præſidiariorum militum, veteranorumq; Ducum virtus, & copia arduum, magis, ac laborioſum faciebant eius vrbis obſidium. Genua enim ſoluta metu promptiorum, valentiorumq; peditũ cohortes Sabatiam aduolarant in eã tuendam omnibus Reipublicæ viribus, curiſq; cõuerſis. Sed Dux Allobrox vindictam anhelans, in vltionem exardens nihil penſi tam ardua, ac difficilia habebat, turpè nimis, fœdumque ratus, ſe tam bellici decoris, quàm virium minorem incepto abire compelli, nulla tantis minis, & apparatibus, famaq; belli digna rè geſta. Quare in Comeſtabilis Diguerę *Sabatiæ decreta oppugnatio ad tegendum receptus pudorem.* *Expeditionis Sabatiæ difficultas.* *Dux Allobrox Diguerę ſuadet belli perſeuerantiam.*

animum inducere conabatur, vt pro communium armorum exiſtimatione ex Seguſiani fœderis conuentis, ad Sabatiam omninò oppugnandam iretur. Ille antea à ſua conſtans ſententia de Genua non aggredienda omnibus Ducis ſuaſionum impulſibus ſe non paſſus abduci; tunc non potuit Ducis ardoris impetu, & importunis querelis abreptus ipſius conſilia non ſequi.

Diguera ſequitur conſiliū Ducis.

Huius belli ſumma duabus rebus potiſſimum nitebatur. Primum ab Hiſpana aula Mediolani produci diſertè, abſciſsèq; mandabatur; ne vlla ratione cum Gallis bello contenderet, ne tanta ſequeſtrum, internuntiorumq; induſtria, ac labore inter vtrumque Regem iuncta pax fœdaretur: alterum Gallicam claſſem Maſſiliæ portu egreſſam eodem tempore, quo à terreſtribus copijs Sabatia quateretur, affore nuntiabatur; vt è mari conuerſis in prætenta litori mœnia proris, tormentis munimenta pulſaret; expoſituramq; militum ſupplementa, & commeatuum copiam; ſuoque interiectu prohibituram ab oppugnata vrbe ſubſidia, quæ Genua mitterentur: atq; ob id quadraginta aureorum millia à Principe Victorio Guiſio Duci Summo Nauarcho numerata.

Gallica claſsis in Liguſticum mare aductus nuntiatur.

Quare hac ſpe ductis iterum belli fortunam experiri viſum eſt: quàm ſicuti aduerſam ad illam vſq; diem ſenſere; non magis ſibi futuram propitiam ipſis ſperandum erat; ſed credula eſt ſpes vana. Ab iis ſtationibus digreſſi per Montemferratum Aquas vrbem verſus compoſito agmine contenderunt. Genuenſes de tuenda Sabatia magis, quàm de perſequendo hoſte ſoliciti recedentium veſtigijs non inſteterunt. Nec Mediolani produx, quamuis copias expeditas in armis in abeuntes eductus eſſet: iamque conſcenſo equo parata itineri agmina circumiret: potuit hoſtium tergis inſtare: ſalutante enim militari more exploſis maioribus ſclopis exercitum obequitātem quadam Germana cohorte, ſternax equus eius procellæ tonitru territus in arduum erectus ſeſſorem effudit, qui vt erat obeſo corpore, terræ alliſu concuſſus aliquot dies in ſtrato decumbere coactus eſt, interim nullius iactura militis inter binas hoſtiles copias elabentibus Gallis. Accidit ſolum, vt poſterius octingentorum equitum agmen, in quo aliquot minora tormenta trahebantur, plures Hiſpanorum equitum turmas Seſſei in Alexandrini agri pago ſtatiua habentes offendens ſtatim cum prohibentibus tranſitum pugnam iniret; ſtrenuus, acerque vtrinque impetus fuit; atque ingentibus, & fortibus animis pugnatum, Hiſpanus equitatus quamuis inferior numero in Gallos inuectus, immiſtuſq; hoſtilibus turmis, ſtrictis gladijs, impunè feriebat inermes: Galli namq; lorica tantum armati pectus, cætera exermes, ex aduerſo Hiſpani cathaphractorum more totum ferro tecti corpus, nullibi patente vulneribus loco, pugnabant. Galli itaque pluribus ſuorum amiſſis, tandem ſe ab eo certamine explicuerunt, veriti ne laterent inſidiæ, pluresque peditum moſchettariorum cohortes ponè quandam Abbatiam abſconditæ erumperent; cum ſe tam exiguus hoſtium numerus inuaſiſſet.

Genuenſes de tuenda Sabatia ſoliciti.

Feria Ducis caſus.

Inter Hiſpanos, & Gallos equites feritur pugna.

Gallorum à pugna receptus.

Aquas

Digitized by Google

Aquas tandem ab ea pugna Galli, & Allobroges integro agmine peruenerunt, nullo terga hoſte premente, eamq; vrbem parum munitam nullis ſeptam propugnaculis, nec ſolitis vallatam aggeribus, & loricis belli armamentarium deſtinarunt, quo eo munimento omnia tuta à tergo ab ingruẽtibus Hiſpanis haberent. Quare ibi tribus peditum fortiorum millibus ad præſidium relictis, decreta omninò oppugnatione Sabatiæ, atque omnibus ad vrbem oppugnandam inſtructis, cum reliquis copijs octo bellatorum millia complẽtibus Sabatiam verſus ire pergunt. Vbi Spinij medio fere itinere conſtiterunt; Principem Vitorium, & Crequium caſtrorum præfectum cum parte copiarum Carnos maturare iubent: ducentorum, & quinquaginta Neapolitanorum peditum præſidio defenſos; qui prolatis minoribus aliquot ab hoſte tormentis ad duos pulſus oppidum dediderũt. *Spigno. Cairo. Carni Gallis deduntur.*

Mediolani verò produx vbi à caſus alliſu conualuit, nõ ampliùs cunctandum ratus, ne magni momenti ad cætera Liguriæ tuenda vrbs in regij exercitus oculis caperetur, Alexandria egreſſus cum duobus, & viginti peditum, & quinque ſtrenuorum equitum millibus virtute, ferocia, & numero formidandis Aquas Statellonum iter intendit: occupatiſq; celeri opere circum tumulis obiacentibus vrbi ad Capuccinorum patrum Cœnobium in excitato tormentario aggere tormenta librauit. Præſidiarij milites Galli vbi ſe in aperta vndiq; fere vrbe nullis propugnaculis tecti à tam potente exercitu circumſideri conſpiciunt, nec ciues ipſorum cauſa ſe ſe direptionis diſcrimini obijcere vellent, neque vnius expectata emiſſione tormenti, citò petito colloquio tutum pacti digreſſum deditionem fecere, cum hoc tamen dedecore, vt pedites cum ſolis enſibus, & pugionibus, Duces verò cum equis, & impedimentis abſcederent, & in Galliam per Sedunorum vias recta abirent; ne iterum ſocijs agminibus iungerentur. Ad duo millia peditum, & trecenti egreſſi, decem, & ſeptem militaria ſigna capta, & quingenti pyrij pulueris cadi, commeatuum ingens vis, tormentarijque ferrei globi, armorum copia, artificioſi ignes, & quod magis conſpicuum fuit, Ducis Allobrogis promptuarium; in quo varij amictus ſuperbè diſtincti ad pompam ad ornandos pueros, curſores, & à pedibus ſeruos, ephippia auro intexta, equorum phaleræ inſignes; ditiſſima ſupellex, toreumata, anaglipha, omnis generis argentea vaſa, ad triumphalem Genuam ingreſſum, quem parta de Liguribus victoria, ſe facturum animo propoſuerat: in hoſtis poteſtatem venere. Adeò ſibi mortalium ingenia adblandiuntur, vt prona, ac facilia concipiant, quæ maximis difficultatibus implicantur. *Acqui. Feria Aquas aggreditur. Vrbs deditur Feria. Valleſani. Capta ab Hiſpanis opima præda.*

Dux Allobrox, & Comeſtabilis ſua opinione fruſtrati Hiſpanos nihil eo bello hoſtile molituros; vbi Spinij ab ijs Aquas occupatas accepere; attoniti improuiſo Hiſpanorum aduentu, territique vicino periculo, quòd ſibi cladem certiſſimam intentabat: ne medij à circunfuſis vndique hoſtibus deprehenderentur inter anguſtas clauſi cautes, inuiaque ſaxa; Dux conſcenſo equo cum paucis comitibus ſe in Taurinos abripuit; omnium *Hoſtiũ metus. Spigno. Allobrogis Ducis receptus.*

Diguera de Allobroge Duce querela.

rerum comeſtabili cura commiſſa, ſe à Duce proditum, deſtitutum in ea expeditione ſolum querelas ingeminans Allobrogis diſceſſum ſugillabat. Quare accito per celeres nũtios è Carnis Crequio, quo cũ etiã Princeps Victorius cum vniuerſo agmine feſtinauit; omnes coniunctis copijs, ſociatiſque viribus, Beſtiariũ primis caſtris prouecti oppidum primo ſtatim aduentu, nullo propugnante præſidio, occuparunt; ſed cum Feriæ Ducem exercitum promouere, ibique Gallos aggreſſurum, miſſaſque ab eo equitum turmas, & peditum cohortes, quæ ad hoſtium receptum montium aditus occuparent, precluderentq; vallium anguſtias, accepiſſent expedire ſe ab ijs locorum anfractibus, & ſalebris, atq; in apertos Taurinorum campos erumpere decreuerunt. Conſtituto itaq; receſſu, Comeſtabilis, & Crequius primi ſe agminis Duces præbuere, in quo ad duo peditum millia, & vniuerſus ferè equitatus gradiebantur. Summo mane digreſſi contento agmine Canellos nullo à tergo hoſte infeſtante, tenuerunt. Princeps Victorius poſtremi agminis ductor, quòd ex totius exercitus flore conſtabat; preactis in fronte tormentis, & ſarcinis ſtipatis ordinibus, militari gradu, nequaquam trepido, neque feſtino Hiſpanis loco cedebat; qui vix Principe Beſtiario egreſſo, in oppidum inuecti, atque inde nulla mora abeuntem ſequuti hoſtem ſub veſperam in Muniſterij vale ſe ſe in illius conſpectum dedere. Stetere acies aduerſæ intra teli iactum; atque vtrinque paucorum cæde velitatum. Princeps interim anxius de tormentis, quæ ægrè admodum per montis ardua trahebantur; eodem tempore ingenti cura eorum ſolicitabat aſcenſum, inſtantem, prementemque hoſtem ſtrenuè repellendo. Vbi tormenta, ac ſarcinas tranſmiſſo montis iugo, in tuto eſſe didicit; ipſe quoque verſa in hoſtem identidem fronte, cum vniuerſo agmine pleno, generoſoque greſſu nitebatur in culmen; nullam moleſtiam Hiſpanis ſecedenti inferentibus, quòd neque vlteriùs prouehi, neq; cum hoſte pugnare iuberentur. Beſtiarium itaque regreſſi liberum, quietum q; receſſum Principi reliquerunt. A Duce Patre, & Comeſtabili Canellis omnibus effuſæ gratulationis, lætitiæq; ſignificationibus exceptus eſt: quòd viribus impar è tanto diſcrimine, perpotentiſq; exercitus incurſibus incolumis euaſiſſet.

Cairo. Biſtagno.

Galli, & Allobroges ſe in Taurinos recipiũt

Principis Victorij animoſus receptus.

Biſtagno.

Feria oppugnandi hoſtis conſiliũ

Mediolani Produx agitabat animo delendi extremi hoſtis agminis opportunã occaſione vti, dum à reliquis copijs abſciſſum minus ordines per impeditas ſalebris vias eundo ſeruaret; ſed Hieronymi Pimentelij, Aloyſij Cordubenſis, Franciſcique Padilliæ hortamenta, obteſtationeſque à tam commoda parandi bellici decoris occaſione auerterunt: eius fortaſſe inuidi gloriæ, virtutiſque æmuli, vt plerique putarunt, abſciſſa mandata Regis, purpuratorumque voces inculcantes à perſequendo hoſte deterruere.

Pimentelij oratio pugnam damnantis.

Vt quid enim, aiebat Pimentellius, *nullius ſpe fructus, immo cum ingenti cladis periculo, has copias, quibus in Inſubribus res Hiſpana ſtat, in pugnæ diſcrimen adducimus? ſi prælium minùs proſperè cedet, quanta incommoda ex*

temerè

temerè inita pugna præter dedecoris labem, Hiſpano imperio profectura ſunt, nullo fœlicis euentus operæ pretio? Erat duntaxat noſtrorum ſumma votorum hoſtem à Genuenſium ceruicibus, atque à maritima ora depellere; noſtrorum ſola exiſtimatione armorum, aduentantiſque exercitus famæ terrore eiecimus oppidis Reipublicæ incubantem, atque ex Ligurum dominatu extruſimus ſolo copiarum aſpectu. Abit trepidus ſecum præclarè actum ratus, quòd non illum inter has montium anguſtias deprehenſum concidimus. Hanc validi exercitus molem ad hoc tantum conflauimus, vt ſociam Rempublicam noſtræ fidei, tutelæque commiſſam ab hoſtium conatibus tueremur: noſtris damnati votis quid vltra inſtabilis fortunæ iniquitatem tentamus? ſinamus laceras miſeri exercitus reliquias noſtræ continentiæ, mitiſque animi teſtes abire: nullo nos bello prouocarunt Allobroges; Inſubrum terris quamuis initio validi abſtinuerunt, quo nomine eos aggredimur nulla laceſſiti iniuria, niſi quòd ſocios Ligures inuaſerunt? Scitum eſt militaris prudentiæ, ac bellicæ diſciplinæ, cum deſperatiſſimis non eſſe pugnandum: ab anguſtijs enim animum ſumunt vitæ ſuæ prodigi, quàm deſperant, per inuadentium vulnera, & necem ſalutem quærunt, roburque addit, & vires intercepta fuga; & quando ipſis moriendum eſt, plurimo vitam hoſtibus vendunt. Si, quod neſciuerit Deus, clades aliqua accipiatur, in quod diſcrimen Inſubrum imperium damus? quam labem noſtris armis inferrimus? immo in quantam exiſtimationem, & gloriam nunc miſeri hoſtes robuſtiores inſurgent? Circumfuſi fœderati, & Volturenæ Galli, quos noſtrorum armorum intra eorum limites continet metus; ſi aduerſa fortuna pugnabimus, extemplo ruptis veluti aggeribus, in Inſubres inundabunt: opportunam aliquam inferendi belli occaſionem ſuſpirant; quàm omnem abſcindimus, ſi has copias ſeruemus incolumes: præter id quod cæteri quoque Principes Hiſpani nomini ſuopte Italorum ingenio infenſi, qui nos armatos ſimulata amicitia verentur; nullo ampliùs reſpectu in nos clade afflictos conceptas tacitis animis iras effundent. Potentibus armis vallata maieſtas in ſui venerationem, & obſequium etiam in arcano infenſos impellit. Noſtri Regis magis intereſt rerum, hunc exercitum ſeruare, ad perpetuum hoſtium terrorem, quàm vt ob vanum aliquod ſperatum bellicæ gloriæ decus Ligures ſocios vlciſci. Quare vide, ne in pugnæ, cladiſque diſcrimen te rapiat cupido laudis, & mandatorum Regis, purpuratorumq; memor abſtine prælio.

His obteſtationibus Feria ciuilium rerũ magis, quã bellicarum peritus, atq; alijs hortamentis impulſus conficiendi exiguo prælio hoſtis, profligãdiq; vna leui pugna belli occaſionem è manibus ſiuit elabi. Sic perſepè ducũ minorum inuidia, ſubdoliq; animi imperatorum prudenti cõſilio deſtinata ſubuertunt: auſim dicere maiorem belli perniciem afferre nimis cautos conſiliarios, quàm audaces, temerarioſque bellatores, cum ſæpiùs temeritas, & audacia in bellando perculſis hoſtibus inexpectato auſu fœlices ſucceſſus habeat. Eadem nimis cauta Demarcho Sancta crucij *Elapſa debellandi hoſtis occaſio.*

Sabatiæ

Hoſtis tutus nemine perſequente receptus perniciosus Hiſpanis futurus.

Sabatiæ intenta conſilia à perſequendo hoſte à Liguribus recedente auerterunt; quem ſi inter ea loca difficilia, & montium anguſtias clauſum, præceptis aditibus, oppugnaſſet; nullo negotio facili pugna deleuiſſet: & tamen illæ neglectæ fugientis exercitus reliquiæ; quas excindere Hiſpani Duces pernicioſo conſilio recuſarunt, intra paucos dies florentes Inſubrum copias, validaq; eorum agmina proculcabunt; ſic euenit interdum, vt contempta ſcintilla latè fundat incendium. Propediem Hiſpani aduertent, nihil, quamquam minimum, eſſe in hoſte temnendum: cum ab iis ipſis ſpretis reliquijs integræ Hiſpanæ copiæ exiguo interiecto tempore concidendæ ſint. Nuſquam inſtabilior humana, quàm belli fortuna rotat, repenteque mutata vice, ſuis fidentem, exultantemq; viribus, & tumentem potentia à debiliori percellit, & ſubijcit infirmiori.

Nouæ extruſis Gallis redeunt ad fidem.

Genuenſes tam grauibus defuncti belli periculis, exemptiq; metu hoſtilis exercitus receſſu, ad ſuum recipiendum maritimæ oræ, locorumq; imperium, quæ Allobroges occuparunt, animis, curiſq; conuerſis, Nouas primum omnium, in quo Grangeus chiliarchus cum ſua legione curabat, ſtrenua Pociferæ vallis, illiuſque tractus accolarum opera, ac labore ſubegere, extruſiſque Gallis priſtinæ Reipublicæ Genuenſium ditioni reddidere. Hi ad trecentos in Patrum Capuccinorum cœnobio propè oppidum coierunt, diſcuſſaq; re, quà nam poſſent in oppidum clam Gallis irrepere, per quemdam ſubterraneum aquæ ductum nocte concubia in illud illapſi, atq; à rei conſcijs oppidanis excepti, adiutique primo ſtatim auſu cæſis excubijs, in portam, quam vallis vocant, valido dato impetu cuſtodes occidunt, deiectoq; ſecuribus oſtiolo, ſocios in rei euentum intentos admittũt: atq; vno agmine ad portam, cui Stratæ nomen, vbi maior Gallorum numerus excubabat prouecti, nihil minus, quàm hoſtium impetum metuentes interimunt, potitiq; porta, inde feroci per oppidi vias diſcurſu Gallos venantur, excitatiſq; ad arma Nouienſibus, vniuerſi iunctis conſilijs, & viribus, omnes Gallos ſemiſopitos interimunt; deinde arcem, in quam Grangeus ſe cum aliquot cohortibus in illa nocturna trepidatione receperat; ſubeunt, circumfuſiq; munimentis terribili denuntiatione necem intentant, ni ſubito ſuo arbitrio ſe permittant. Galli tam repentino, inopinatoq; rei euentu attoniti, ac pauidi ante ſolis ortum ſe victorum liberæ voluntati, arcemq; tradunt. Is nocturnus tumultus ad trecentos Gallos abripuit, inter quos Grangei filius primæ iuuentæ floris, qui abſimilis Patri præcoci virtute maluit pugnans ferro ſtricto fortiter occumbere, quàm vitam turpi deditione ſeruare. Capti ipſe Chiliarchus Grangeus, illiuſque legatus, Bellagradæ dynaſta cum ſuo fratre equite Melitenſi, Bonæ vallis dominus, purpuratus Latteus, ſigniferi nouem, alijq; per multi. Nouas ſequuta Ouada, Ruſcino, Campus deſerta ab hoſtibus oppida, hac, illac, quà cuique patebat, fugientibus, ne à Liguribus cęderentur, a quibus tamen per illas callium ambages errantes intercepti horrenda laniena, quaſi per iocum ſæuiſſimæ necabantur.

Gallorum cædes Nouis.

Genuenſes ſua recuperant.

Adoleſcentis Galli virtus egregia.

Roſsiglione.

Gallorum cædes, & fuga.

Ægriùs

Ægriùs aliquantò laboratum eſt eripiendo hoſtibus Gauio, quòd mille octingentorum peditum præſidio defenſum præfecto Sanſio equite Gallo diutiùs reſtitit inuadentibus: præter arcem, & opere, & ſitu munitam, quam promptiores militum tuebantur. Per hos dies duo Germanorum millia a Vertema conducta Genuam peruenerunt; qui omnes a Republica vna cum Spiræ dynaſtarum cohortibus, & alijs peditum manipulis Duce purpurato Vuatemuillio ad eijciendum inde Gallum, expugnandumq; oppidum properare iuſſi. Erectis munimentis, eductiſq; planiformis, & librat is tormentis, ſe ſe ad oppugnationem expediunt; ſed antequam opus aggrediantur, præſidiariorum animos tentant, an ſe dedere malint, quàm belli fortunam vtiq; futuram aduerſam experiri; nec mora de deditionis conditionibus tranſigunt ſuæ territi obnuntiatione cædis, atq; oppidum oppugnatoribus tradunt; at non arcem, quæ diù tormentorum quaſſata pulſibus, quamuis ob diſtantiam in munimenta innoxijs ferè incidentibus pilis, nihilominus tamen a præſidiarijs, vbi de tuto diſceſſu conuenere Reipublicæ Ducibus reddita eſt. Sic illud oppidū minori longè labore, & paucioribus copijs, celeriùſque à Republica receptum eſt, quàm Dux Allobrox, & Comeſtabilis Diguera cum ingenti ſuorum cæde militum expugnarunt. Additum victoriæ decus, & fructus decem nouem maiora tormenta, ingens armorum omnis generis vis, tormentarij pulueris cadi, artificioſi ignes, alijque bellici apparatus à digreſſis hoſtibus ibi relictis. Decem, & ſeptem militaria ſigna partim Gallica, partim Allobrogica parta; quæ omnia ſimul cum muralibus tormentis Genuam in triumphi ſpeciem aduecta diu confluenti populo ad ea videnda iucundum ſpectaculum præbuere. Ciues non poterant non ea cum ingenti lætitia captiua conſpicere; quæ ad ſui exitium, & cladem ab hoſtibus fuerant deſtinata. Dux Allobrox, & Diguera inde profecturi præſidiarijs ducibus fidem obligarant ſuam, quotieſcumque à Liguribus peterentur, ſe ſubſidio ſubito feſtinaturos; ignari de Mediolani producis cum omnibus copijs eggreſſu. Verum de poprijs tuendis, quàm de alienis, retinendis magis ſolliciti præſidiarijs ſid em fefellerunt; tanto, & tam inſigni bellico apparatu contempto, qui eos omninò ad ſe è Ligurum manibus vendicandum trahere debebat; ne tam turpi negligentiæ, ſocordiæque nota fœdarentur: verum abiectis cæteris omnibus curis, Canellis feſtino agmine Aſtam cum omnibus copijs progreſſi ibi de gerēdi belli ratione, prohibendoque Taurinis Hiſpano rerum ſuarum trepidi conſulebant.

Gauium à Genuenſib. oppugnatur Bozzolo.

Gauium in Genuenſiū ditione redit.

Captæ de expulſo hoſte manubiæ.

Gallorū, et Allobrogū incuria.

Feria exercitu ad Caſale Diui Euaſij promoto, quatuor paſſuum millia procul metatis caſtris ibi Gonzalem Cordubenſem non pœnitendæ bellicæ peritiæ Ducem vt pote ex Belgica diſciplina, ab Hiſpano Rege in Italiam miſſum excepit; vt ſibi bellanti conſilio, atque opera præſto eſſet. Cęteri nāque Hiſpani Duces vel æmulatione gloriæ, vel inuidiæ liuore à ſanis conſilijs abducti vel intercedebant ſalutaria molienti, aut pernicioſiora ſuadebant. Rerum igitur bellicarum moderatore non ſolum probatæ virtutis,

Feria ad Caſale conſidet.

Hiſpanorū Ducum inuidia pernicioſa.

ſed

ſed etiam ſyncera fidei opus erat, qui Feriam rei militaris rudem quaſi manu duceret, & in difficilibus bellicis negotijs ad vtiliora dirigeret. Huiuſmodi erat Cordubenſis, cui, vt affini ſuo Feria, & ingenuo minimè alienæ laudis inuido fidere, atque occultiora arcana poterat aperire. Diù, multumque ab Hiſpanis Ducibus quæſitum, conſultumque eſt, ad quam nam expeditionem tam florens, & potens eſſet ducendus exercitus; ne otio potiſſima copiarum peſte, militum bellandi tepeſceret ardor, ſtreenuitaſque, ac promptitudo ceſſando feneſceret, & ex tantis in eo alendo impenſis fructus aliquis carperetur. Sed ſinamus Hiſpanos de bello vtiliùs adminiſtrando in commune conſulere. Interim belli Liguſtici ex noſtro inſtituto cætera proſequamur.

Hiſpani Duces de adminiſtrādi belli ratione cōſulunt.

Demarchus Sancta crucius recuſato Feriæ conſilio, vt per Sabatiæ fines duceret,in Taurinos,quà nulla planior ad trahenda tormenta, expeditiorque via patebat; vt Ducem Allobrogum ancipiti bello diſtentum à ferendis, qua incumberent Hiſpanicæ copiæ, ſubſidijs auerteret: decreuit rei magis maritimæ, quàm terreſtris belli peritus primum omnium infeſſa ab hoſtibus loca, ijs eiectis, Reipublicæ reſtituere. Profectus igitur medio menſe Iulio Sabatia vna cum Ioanne Baptiſta Saluzzio, & Auguſtino Centurione ſenatoribus, & Reipublicæ legatis cum octo peditum millibus, & duabus equitum turmis partim ex Regijs,partim ex Liguſticis copijs, omnibus Reipublicæ pecunia conductis, Albingauno ſucceſſit. A triremibus primum tormentis verberari, deinde à continenti cœpta concuti munimenta poſt aliquot ictus; à præſidiarijs copiarum impetum metuentibus, vbi de conditionibus deditionis vtrinque conuentum eſt, vrbs Liguribus dedita: quamuis paucis ante diebus à Gallica claſſe, & militum ſupplementis, & commeatibus firmata diuturniorem, ac difficiliorem oppugnationem facere potuiſſet.Cohortium Ducibus cum telis, & ſarcinis,gregarijs militibus cum ſolis enſibus abire permiſſum,iure iurando aſtrictis,ne contra Hiſpanos, neque contra Ligures ea æſtate bellarent. Albingauno recepto, omnia loca in longum tota ora mari prætenta à Taurinis deſerta tota regione Liguſtica arma fugientibus, vſque ad Mauritij portum cum Diania in Reipublicæ poteſtatem redierunt. Inde ad expugnandum eum portum ab omnibus copijs proceſſum. Arx ſitus arduo poſitu firmiſſima tormentis, commeatibus, & valido præſidio abundè inſtructa. Eminenti ſcopulo ex toto ferè mari circunfluo, in peninſulæ ſpeciem impoſita latè mare ab alto proſpectat. Expoſitis in litore copijs, & tormentis,quæ ęgerrimè per eos abſciſſos, præruptoſque locorum deiectus trahebantur; deficientibus ad tractum machinis, & bobus, & ardentiſſimo ſolis vapore cuncta torrente; verum Thomæ Raggij, Ioannis Baptiſtæ Adurnij, & Iacobi Moneliæ Genuenſium patritiorum, qui peditum cohortes inſigni in Patriam charitate proprio ære conduxerant; diligenti opera, ac labore, ſuo exemplo ceteros animātiū,trahentiumq; proprijs manibus funes,factū eſt, vt tormenta in loco aptiſſimo ſiſterentur. A lateribus, quæ à poſterio-

Sancta crucius in Taurinos mouet.

Albenga.

Albingaunum à Genuenſibus oppugnatur.

Capitur.

Onelia.

à Genuenſibus maritima ad occidentem ora recipitur.

Mauritij portus arx à Genuenſibus oppugnatur.

ri par-

Digitized by Google

ri parte in arcem diſploſa, contraq; obſeſſorum munitiones affabre excitatas iteratis ictibus grandinarunt, duos aſſiduos dies in arcis vallum tormentorum fulmina tonnerunt, dirutaque continuis pulſibus ſatis ampla parte muri, Thomas Raggius, Iacobus Monellia, & Ioannes Baptiſta Adurnius cum ſuis cohortibus ſtabant in armis expediti, vt dato impetu, quà ruinæ aditum aperiebant, eniterentur in arcem; cum propugnatores veriti prædæ iacturam in Vcitarij, & Plebis direptione partæ, diffiderentque ſe arcem à tam alacri, ſtrenuoq; Ligure defenſuros, alloquium popoſcerunt, iiſdem deditionis pactionibus, quibus Albingaunum dediderunt, tertio oppugnationis die arcem victoribus reddidere. Milites Regij indignati, quòd ſperata præda ſibi fuiſſet erepta, quam ſi arcem, impetu facto, cepiſſent, ſe proculdubio conſequuturos putabant: vicinos pagos, & villas, veluti acerbiſſimorum hoſtium, innocentium fortunis abreptis, immani rabie diripuerunt; ingēti ſanè legatorum Reipublicæ ira, qui tam grauia, & iniqua ſuorum vectigalium damna, tantamq; contumeliam æquis animis pati non poterant. Quamobrem vbi regios Duces parum de impudētiſſima ſuorum militū inſolentia, Ligurumq; damnis laborare cōſpiciunt, Thomam Raggium ingentis ſpiritus, magniq; animi Ducem cum firmis cohortibus mittunt, vt regiorum militum impotentiam, auaritiamq; coerceret. Illi audito Raggij aduentu, ne diſſipati vago diſcurſu ab vltionem ſpirante cęderentur, in vnum coeunt, ſalubriq; conſilio Sancta Crucij conſcenſis triremibus, partim Sabatiā, partim Genuā nauigarūt, in medio curſu interpellata victoria, cum nimij æſtus, quib. totus ille tractus prætētus Auſtro maritimus feruet, mōtiū obiectu à tergo ſurgentiū ſolis vaporē augēte illa proſequi prohiberent; quæ tamē paululū adnitente virtute, Liguribus perfecta ceſſiſſet; ſi potior bellici decoris, gloriæq; cura, quā laboris horror bellātiū animos pupugiſſet. Reſpublica nihilominus, abſcedētib. regijs, ſuo milite tātū cępto inſtitit bello, ne fruſtra tēpus efflueret, & magnæ in alendis copijs impēſę nullo operæ pretio profunderētur. In Pignā igitur freqūes oppidū, in quòd ab Albingauno, cęteriſq; locis à Republica receptis, plurimi Taurini cōfugerāt, tot' Liguſtici bellici turbo ingruit, vt inde exigerēt Allobroges; ne Albij Intemellij expeditioni, quā deferueſcēte æſtu, Reſpub. expediebat, moleſtiæ eſſent, violataq; deditionis fide, iterū in Ligures capeſcerēt arma.

Mauritij portus arx deditur à Gallis.

Hiſpanorū inſolentia militum in Ligures.

Hiſpanorū receptus in claſſem.

Genuenſes fortibus animis recipiēdis oppidis inſiſtunt.

Vintimiglia.

Dynaſta igitur Vuatemullius Reipublicæ iuſſu cò cū tribus peditū millibus feſtinauit: euerberatiſq; diù aſſidua miſſiliū tempeſtate munimentis, quæ iuncta pomerij ędibus mœnium, valliq; vice propugnantes tegebant: præſidiarij veriti, ne Ligures in oppidū per ruinas impetū facerēt, interpoſita pactione ſe dediderūt; tradito Vuatemuillio oppido: q; dū ineūt Ligures, miſerrimo caſu in tormētariū puluerē illapſa fauilla horribili tonitru, violētoq; flāmarū ipetu cōcuſſo ſolo, effuſū icēdiū plurimos vſtulauit; pręcipuè Ioānē Antoniū Saulū tormētarij apparatus pręfectū penitus deformauit. Remittēte tādē ęſtatis feruore, adductis quoq; a Philippo Spinula trib. Germanorū millib. ineūte Autūno circa mediū menſē Septēbrē, cū oīb. copijs, & bellicis

Pigna à Genuenſibus oppugnatur

Et deditur.

Albiũ Intemelium à Genuẽſibus oppugnatur
& bellicis apparatibus ad Albium Intemelliũ oppugnãdũ proceſſum à Li-
guribus eſt: eadem facilitate, qua decuſſi vndique Taurini occupata à ſe
loca Reipublicæ Albium quoque Intemellium, non diu paſſi obſidionis in-
commoda rediderunt. Vrbs poſt aliquot tormentorum pulſus ad tegen-
dum pudorem à præſidio deſerta antiquum Ligurum induit iugum: Arx
in quam ſe receperant præſidiarij: aliquantò diutiùs obſidentibus repu-
gnauit; ſed cum Ligures mẹnium interioribus antibus præ actis vineis,
Recipitur à Genuenſib.
ſucceſſiſſent; veriti ne ad excauãdos tormẽtarios cuniculos ſuffoderentur,
poſt octo oppugnationis dies arce dedita exceſſerunt. Ducibus tantum
ſigniferis, & decarchis permiſſum armatis abire, gregarijs verò militibus
ſuis exutis telis.

Zuccarelli exiguus marchionatus, ex quo tot mala deſtuxerant, ſupere-
Zuccarellũ ſubeunt Genuenſes.
rat expugnandus. Mille igitur eo peditum miſſum, quibus ad militarium
tantum ſignorum aſpectum omnia circum loca ceſſerunt; vno excepto
Caſtello veteri; quod ibi opus eſſet tormentorum iactibus: quæ quia ob
ardua iuga, viarumque difficiles ſalebras adduci niſi multo labore pote-
rant; expugnatio opinione diuturnior, laborioſiorque victoriam remora-
ta eſt: pertinaci tamen virtute locorum iniquitate perdomita, attractiſq;
eò per præcipites anfractus, rupeſque tormentis, atque opportunis locis
in munimenta libratis, vbi muros aliquot pulſibus fulminarunt: præſidia-
Allobroges oppidum Genuenſibus dedunt.
rij deditionem honeſtis conditionibus pacti, Ambroſio Caſelæ Republi-
cæ conquiſitori, ac legato in Taurinos, arce tradita, redierunt. Sic pau-
corum menſium interuallo Reſpublica præpotentibus Galli Regis, Allo-
brogiſque Ducis viribus oppugnata; Italorum principum ſubſidijs de-
ſtituta, arcanis molitionibus eius excidium ſtruentibus in ſummum amit-
tendi imperij diſcrimen iniecta, ſola Hiſpani Regis ope, atque auxiliari-
bus armis, occultas inuidorum petitiones, coniurantiumque in ſuam rui-
nã Principũ viribus, ac conatib. eluſis; dominatũq; ſuũ ab armis hoſtilibus
Genuenſes hoſti belli mala reponunt.
vindicauit, ſua natiua retenta libertate, dignitateq; è tot prementibus ma-
lis aſſerta: nec ſuum recipiſſe imperium contenta Reſpublica, niſi eaſdem
clades hoſti reponeret; immiſſis in Allobrogis Ducis oppida copijs, vt erãt
nullis munimentis, nullis præſidijs firmata, facili negotio celeriter occu-
Ottaggio. Onelia.
pauit: pari abacta præda: quàm ex Vcitarij aliorumque locorum direptio-
nibus hoſtes auerterant. Præter Dianiam, & Pignam, ex hoſtili ſolo; Ma-
ro quoque miſſæ aliquot peditum cohortes cum tota Præla valle pro-
Genuenſes Ormeam oppugnant.
no marte potitæ adiunctis cẹteris copijs, Duce Sancta Crucio in Ormeam
Liguribus finitimam incubuere: quod oppidum quamuis amplum, fre-
quens, & diues, nihil tamen ad belli, rerumq; ſummam proficiebat. Nul-
la nondum in caſtra fuerant adducta tormenta; quæ maxima cum difficul-
tate per illas vallis crepidines trahebantur. Sed quid efficax non conatur in-
duſtria? breui continuato labore aduecta in oppidi munimenta horribili
fremitu tonuerunt. Iacet Ormea inter duos montes in valle, quàm Tanarus
amnis interfluit; paulum ſupra è ſuo primo fonte cadens. Quare equitatus
nulli

nulli vſui in illis impeditis vallis anfractibus fuit; quòd procul ob pabuli penuriam, duobus paſſuum millibus ſtationes haberet.

Carolus Allobrogis Ducis Spurius filius cum Sanctæ Trinitatis comite eductis è Gareſio duobus peditum millibus, & equitibus ducentis per Liguſtica circumfuſa caſtra in Ormeam perrumpere animoſo auſu tentauit; ſed cum in Neapolitanorum ſtationes Antonio Tuffio eorum Chiliarcho forte incidiſſent; quamuis validiſſima impreſſione facta, neglecta miſſilium procella, quæ vndiq; in ſubeuntes ingerebantur, munimenta tranſilire conati eſſent; & tantum non deiectis propugnatoribus ſuperaſſent: nihilominus cum duabus equitum turmis ſubſidio accurrente ingentis animi Duce Spataſora, cæteriſq; pugnæ fremitu accitis vndiq; confluentibus; cum cæde repulſi Taurini, retrò, vnde venerant, abierunt: maiorque hoſtium fuiſſet edita ſtrages, ſi totus equitatus cedentium terga premere potuiſſet. Oppidum quamuis diù quaſſatum tormentis proſtrata mœnium parte, inuadentibus pateret, & iuncto popularium ſubſidio, diutiùs Ligurum viribus repugnare non poſſet, nullam tamen ſpem deditionis faciebat. Quare ab vniuerſo exercitu in mœnia impetus datus; qui quia acerrimus, ita cruentus per ſtipatos enim propugnantium ordines, prætentamq; haſtarum ſegetem vicinæ prædæ cupiditate mortis metum adimente, in oppidum Ligures irruerunt. Ingens oppidanorum iuxta, ac militum edita cædes, cum impotens ille furor, quo victores rapiuntur in vrbem, coerceri non poſſit; quin in miſeros quàm ſæuiſſimè debacchetur. Miles oppidum momento diripuit; opimaq; præda potitus abundè opum ſitum expleuit: parque damum in oppido Plebe à Taurinis acceptum diuitibus ſpolijs, prædeq; opulentia rependit. Poſtero die arx quoque in poteſtatem venit, præſidiarijs commilitonum fortunam metuentibus. Sexcentorum peditum præſidium præfecto Braucaccio impoſitam.

Allobroges obſeſsis ſubſidio accurrunt.

Taurini à Liguribus propelluntur.

Ligures oppidum irrumpunt.

Hinc Gareſium copiæ traductæ oppidum opulentum, & frequens in Taurinis, cui Dux Flexeus præerat cum valido præſidio. Verum oppidani Ormeæ infœlici caſu commoti, nec non præſidiarij Ligurum ferocia, acriq; promptitudine territi, nec dum hoſte conſpecto, aduentanti oppidi claues ſupplices obtulerunt. Circa arcem diutiùs à Liguribus pugnatum eſt; nouemque dies, & eò ampliùs, quà verberando tormentis, quà ſuffodiendo cuniculis pependerunt. Interim equitatus, hærentibus in arcis expugnatione peditibus, Cebam vſq; vago diſcurſu montana mapalia populatus terrore, fuga omnia miſcuit. Quare Bagnaſchi oppidani, ne eadem quæ cæteri incommoda paterentur, vltrò in fidem Reipublicæ conceſſerunt. Gareſij tandem caſtellum à præſidiarijs deditum, cuniculorum flammarum impetu funditus erutum à Genuenſibus exciſum eſt.

Gareſiũ Ligures ſubeunt.

Gareſij arx capitur à Liguribus, & exciditur.

Iam exeunte Autumno rigoribus hyemis, brumæq; algorib. appetentibus, ruentibus è cælo pluuijs quotidie magis tempeſtas horreſcens hyberna ſuadebat: certis inſuper nuntijs afferebatur, in circumiectis Gareſio, Cebeſq; locis agmina militum coire, manaratq; in vulgus ipſum Allobrogem

Ducem

Ducem cum omnibus bellicis viribus feſtinare. Certum verò erat Principem Victorium cum valido peditum, & equitum agmine celeri gradu ad eum terrarum tractum à Liguribus aſſerendum properare, qui ſociatis cum Carolo fratre, & Sanctæ Trinitatis Demarcho viribus, ſe Liguribus obijceret, eorumq; incurſus comprimere feſtinabat: ſed in Reipublicæ caſtris diditam de ipſius Allobrogis Ducis aduētu famā auxit Feriæ Ducis à Verucæ malè tentata oppugnatione diſceſſus: quòd maximas curas Ligurum ductoribus iniecit, regreſſumq; copiarum in oram maritimam ab ijs regionibus maturauit, ne inter ea alpeſtria loca deprehenſi circunfuſi prępotentibus Taurinorum viribus opprimerentur. Edictus eſt igitur ex Ducum decreto copijs diſceſſus: quo trepidatum totis caſtris eſt, quòd ſuſpicax militum timor vanis de Allobrogum aduentu rumoribus maiorem, quàm bellatores deceret, fidem daret. Itaq; verum rati, quòd temerè, nullo authore percrebuerat: panico terrore perculſi ſolutis ordinibus in fugæ ſpeciem manipulatim identidem reſpectantes, an Allobrox ſequeretur, inde ſe celeriter abſtulerunt, relicta paſſim præda, & ſpolijs, quæ ex Gareſio rapuerant. Vnum etiam ex maioribus muralibus tormentis feſtinatio, ac trepidatio reliquit, quòd per eas aſperrimas cautes pari fugientum celeritate trahi non poterat. Hos arma Liguſtica in Taurinis exitus habuere, ceſſatumq; ab armis eſt, bellum hyeme dirimente, atque vnoquoque in propria domicilia ſecedente. Interim dum brumalis rigor intra hyberna arma coercet, miſeris populis, quibus iniquitate fortunæ contingit irarum Principum luere deliramenta ſpes aliqua pacis affulſit.

Allobroges in Ligures mouent.

Ligurum receptus.

Ligurū panicus terror & fuga.

Dux Carolus Allobrox coniurationis conſcius, immo præcipuus author putabatur; quā pleriq; regij ſanguinis Principes Nanete contra ipſum Galliarum Regem Ludouicum Decimum tertium immani ſcelere conſpirauerant: quocirca iuſtam veritus eius Regis indignationem, fœdus iungere, reſq; ſuas componere cum Hiſpano Rege cupiebat, vt ſi Gallus armis coniurationem vellet vlciſci, alterius ope Regis niteretur, ſibiq; contra Gallos Hiſpana ſubſidia prætenderet, & ne ab vtroq; infeſto Rege bello premeretur. Mantuæ igitur Carpetanorum à regijs purpuratis contrarijs, pugnantibuſq; ſententijs actum eſt de Duce Allobroge in fidem, tutelamque recipiendo. In hoc vnum tamen omnes conuenere, ne prius quàm cū Genuenſibus pacem iniret; illum Rex Hiſpanus in gratiam acciperet. Adnitente igitur in Primis Caſtagnedæ Demarcho, non pactæ quidem induciæ ſunt, cum illas Dux Allobrox recuſaret, niſi prius occupata ſibi à Liguribus oppida redderentur; ſed quaſi ex condicto vtriq; hoſtilibus abſtinuerunt, iuſſiq; copiarum Duces ita in armis excubare in omnes hoſtium motus intenti, vt hoſtem nullo interim incurſu laceſſerent; donec de pace conueniret. Sic ferè data mutua, acceptaque fide, ſe quiſque intra ſuos limites tenuit. Pacis negotium agi Mantuæ Carpetanorum in regia aula cęptum eſt. Comitem Ducem Hiſpani Regis gratioſorum acceptiſſimum Reipublicæ penes erat arbitrium. Rambollietti Demarchus Gallorum

Nantes. Coniuratio in Gallum Regem.

Madrid.

Dum agitur de pace in Hiſpania induciæ pāguntur.

Regis legatus partes Ducis Allobrogis tuebatur. Verum tot ſubinde oriebantur difficultates; vt arduum maximè inter diſſidentes pacem componere videretur. Reſpublica muralia tormenta, triremenq; Allobrogi Duci veluti iuſti belli iure ereptam reſtituere recuſabat. Galli verò hoc potiſſimum contendebant, quo Ducis animum Mombaſonis pacis conditionibus aſperatum, alienumq; pacarent, vt ea reſtituerentur. Ipſi quoq; Hiſpani, quo eum ſpecie magis, quàm re demererentur, Genuenſibus ſuadebant, vt hoc Duci indulgerent. Hoc vtrũq; Regem ſpectare, atq; in votis eſſe, vt ſecura pax in Italia ſanciretur. Reipublicæ tandem decus, & gloriã, vtilitati, veluti potiora, honoratioraq; præferenti cum rerum reſtitutio bellicam laudem victoriæq; honorem non minuat, nec triremibus, & tormentis muralibus indigeret: obſequi Regum petentium, Ducisq; voluntati placuit: eò libentiùs, quòd ipſe Allobrox tormenta in ora maritima occupata Reipublicæ reſtitueret. Potiſsima erat de Zuccarelli negotio contentio, pugnantibus acriter vtrinq; legatis: Carolus flagitabat, vt illud oppidum à ſe ſoluto ante pretio coemptum ſibi Reſpublica redderet, vel alijs terris, & locis damnum de ipſo retento, penſaret. Vtrumq; verò conſtanti decreto Republica recuſante; hac ratione tãdem compoſita lis eſt, vt ipſius iactutã pecunia ſarciret, verum de eius ſumma quoq; multum arbitri diſſentiebãt; non ſolum integrum pretium, ſed etiam annuos pecunię fructus, prouẽtuſq; Carolo exigẽte; qui ſubductis rationibus ad enormẽ nimis pecuniæ ſummã excreſcebat. Gallus quoq; legatus Regis ſui nomine enixè petebat, vt Claudium Marinum perduellem in priſtinum reſtitueret; cui lęſæ Maieſtatis reo Reſpublica domum è fundamentis euerterat: quo ab ea negato Legatus in Galliam rebus infectis abſceſſit.

Pacis conſtituẽdæ difficultas.

Mombaſone.

Ducis Allobrogis petita.

Dum in Hiſpana aula faciliores iungendæ pacis rationes arbitri commẽtantur, idq; ſolum ſudent, vt ſeruata conditionum æquitate, Ligures cũ Allobroge Duce concilient; in ora maritima, turbatæ hoſtilibus induciæ. Nã Marcus Antonius Brancaccius caſtrorũ præfectus, qui Ormeę præſidio, oppidoq; pro Republica præſidebat cũ ſexcentis militibus mercede cõductis, & totidem ex Ligurũ delectibus, ſui Patrui ſummi copiarum ducis aſſenſu Brigam frequẽs, & amplum Allobrogis Ducis oppidum parum Ormea recedens tacito agmine proceſſit, vt repentino impetu captũ diriperet: vbi ad vicinum oppido pontem conſtitit, quem nullo præſidio firmatum, defenſumq; putarat, inita cum propugnatoribus pugna magna cum cęde repulſus, iterum, atq; iterum repetitis impreſſionibus tandem rem, deiectis pręſidiarijs obtinuit; ſed tam diù certamen extractum eſt, donec ad arma in vicinis oppidis conclamato, integræ Taurinorum cohortes ad pugnæ locũ feſtino agmine prouectæ, nullaq; mora in certamen ingreſſæ, inſperato ſubſidio locijs creſcentibus animis, ſimul innixè Ligures cum ampliùs eorũ centũ militũ cęde fortiter pepulere. Dux Allobrox eas inſidias, inuaſionẽq; Ligurũ rupiſſe induciarũ fidẽ expoſtulans; de fallaci Ligurũ ingenio acerbiſſimè queſtus, ſe armis, vel pari fraude vlciſci minabatur. Sed Reſpub. cuius in

Brancatius hoſtili in Taurinos incurſu rumpit inducias

Ligures à Taurinis repelluntur.

O iuſſu

iuſſu Brancaccius id proprio abreptus bellici alicuius audendi facinoris deſiderio tentarat, ducibus efficaci, abſciſſoq; imperio præcepit, vt intra ſtatiua quieſcerent; ne præferocem Ducis animum his nectendis inſidijs irritarent. Ille tamen impotens contumeliæ,offenſarumq; impatiens, cum Zuccarelli præſidij præfecto arcanis tractatibus proditionis fraudes moliebatur: vt illud oppidum improuiſo impetu Reipublicæ ſurriperet. Miſſis igitur Gareſium Zuccarello finitimum ſexcentis equitibus, totidem moſchettarijs ſublatis in equorum clunes, eo conſilio, vt primis noctis cadentibus tenebris, à coniurationis conſcijs intra portas admiſſi cęſo præſidio, cęteriſq; repugnare audentibus, oppidum occuparent: deinde eadem nocte Albingaunum non plus ſex paſſuum millibus diſtans vno ex proditoribus ducibus præeunte feſtino agmine properarent; vbi ſummus copiarum Ligurum Brancaccius præſidiorum Plebis, & Zuccarelli vigilantia fretus nullo ferè cuſtode, inſidiarum ſecurus, incurioſuſq; morabatur; dum de Zuccarelli euentu, caſuq; nec dum ob ſubitum hoſtium allapſum poterat admoneri: ſollicitoq; portarum vrbis pulſu proditor ductor intrò poſtularet induci;quaſi de re maximi momenti Brancaccium moniturus, vt ad notas voces porta aperiretur, per quam admiſſi Allobroges capto Brancaccio,vrbe potireutur, atq;ad cætera oræ maritimæ oppida,vſq;ad Mauritij portum expugnanda, ſubigendaque ſibi aditum panderent. Structæ inſidiæ ſperatum ſucceſſum habuiſſent: niſi Cæleſtis Numinis ope,quòd ſibi propitium Genuenſes toto eo bello ſenſerunt,detectæ: captoq; authore perduelle,& conſcijs,diſcuſſæ fuiſſent;qui paulò poſt militari ſupplicio haſtarum cuſpidibus confoſſi pœnas tentati parricidij dederunt.

Dux Allobrox Genuēſibus iraſcitur.

Inſidiæ intercipiendo Zuccarello ſtruuntur.

Inſidiæ in irritum cadunt.

Egreſſu quoq; è Maſſiliæ portu cum Gallica ſeptem ingentium nauium claſſe, epibatarum, muraliumq; tormentorum inſtructiſſima Guiſij Ducis turbata quies. Sed dum ille Corſicam præteruehitur ſubito ventorum confligentium turbine excita procella in Genuæ conſpectum compulit claſſem. Reſpublica verita, ne ea inſula a claſſe Gallica peteretur: inſtructis omni bellico apparatu decem nauibus longis, ſummo Nauarcho Carolo Auria, rebus ſuis proſpicere, conatuſq; hoſtilis claſſis eludere nitebatur. Sed eadem tempeſtas Guiſium coegit in Liburni portum eliſam fluctibus claſſem recipere; vt ibi ſemilaceras, conſtrataſq; tempeſtate naues reficeret. Carolus Auria Liguſticæ claſſis eò proras aduertit:ſed Guiſius poſt duos dies prouectus in altum Maſſiliam curſum detorſit, ſequente intra muralis tormenti iactum Auria,donec è Liguſtico mare egreſſus, Maſſilienſiq; portu illatus Genuenſibus vano incuſſo metu illuſit:quibus eam oſtentaſſe claſſem creditus eſt, vt in ſpeciem ſaltem pecuniæ ſuperiore anno acceptæ obligatione Ducis Allobrogis deſiderijs obſequeretur: non vt oram maritimam, aut Corſicam Genuenſis ditionis inuaderet: cum nihil aliud hoſtile conatus ſit; quàm præter paucos muralium tormentorū ictus in irritum tamen incidentibus pilis, in ponè inſectantes Liguſticas naues.

Guiſij Ducis in Liguſticum mare cum Gallica claſſe decurſus.

Gallica claſsis in Maſſiliam receptus.

Sed quemadmodum ſubſidente procella, ponentibus ventis, adhuc flu-

Digitized by Google

ſtra remurmurant, & relinquit tumentes vndarum æſtus ſedatâ tempeſtas; ita quamuis cruenti Martis furor induciarum interiectu vllo aperto bello non ſæuit; tamen accenſæ in infenſis animis iræ identidem feruent: neſciæ pectoribus clauſæ penitus coerceri, quin in hoſtium damna, & cędes erumpant. A Genuenſibus quidem, & Allobroge Duce erat tacita pactione cōuentum, vt vtrinque milites hoſtilibus temperarent; ſed nihilo ſeciùs mutuis ſe inſidijs petebant: lędendi hoſtis, decipiendiq; occaſioni Ducibus imminentibus. Ex quo penè maius, & ſęuius bellum exarſit. Hoc præcipuè impotenti ira Ducis animum inflammauit. Pigna oppidum, vt ſupra retulimus, à Genuenſibus occupatum eorum parens imperio, Genuam iura petebat; quamuis nullo præſidio teneretur, Brancaccio viſum eſt aliquot Germanorum cohortes eo mittere in ſtatiua, vt laxiùs, vberiùſq; habitarent: illi Pignam profecti ad tutius domicilium totum oppidum circunductis aggeribus, loricis, propugnaculiſq; vallarunt: ibi aliquot menſes pacatè morati, quidam priuati negotij cauſa Buſcum exiguum Pignenſis agri vicum procul mille paſſus progreſſi illum Allobrogum præſidio firmatum, comperiunt; re veluti noua, atq; inſolita ad Brancaccium delata, iuſſæ ſunt aliquæ cohortes eò properare, vt Allobrogum præſidium inde eijcerent. Pugnatum ab vtriſq; diu, ac fortiter eſt, ſtrenuè ſe tuentibus Taurinis, ſed tandem Germanorum ſuperante virtute, & multitudine Allobroges obruente, ferè internecione deleti cum promiſcua oppidanorum marium, mulierum, infantiumq; cęde vicum deſerere coacti ſunt. Dux Allobrox fremens ira, atq; indignatione contra Genuenſes infrendens parum abfuit, quin coactis ſubito copijs ſuorum cędem properaret vlciſci: certè tantis querelis terras, atq; Principum aulas impleuit, vulgatis etiam diplomatis, quibus fluxam Ligurum fidem acerbiſſimè criminabatur, ac ſingulis hoſtilibus memoratis eorum incuſabat vehementi obiurgatione ruptâ fidē. Sed Ducis ira reſedit, cum nihil publico conſilio, iuſſuq; actum eſſe accepit. Alia etiam minora iurgia, ac leues offenſę vtriuſque partis animos aſperabant, quibus conſultò ſuperſedeo, ne minima, & memoria vix digna nimis minutè exequendo lectori faſtidio ſim grandia tantum, ac magnifica expetenti.

Ligures, & Allobroges ſe mutuis in ſidijs petūt.

Pignam Ligures muniunt.

Pugna inter Ligures, & Taurinos.

Taurini ceduntur.

Ducis Allobrogis indignatio in Ligures.

Verum, O curas hominum, ò quantum eſt in rebus inane. Hoc bellum ab Allobroge Duce ſuſceptum in Ligures populorum ſtrage cruentum, locorum direptionibus luctuoſum, mutuis militum cladibus formidandum, quòd Principes Italos tenuit ſui exitus expectatione ſuſpenſos, & magnos Reges traxerat in partes, reductis vtrinq; armis, & ad maiora potioribus bellantes vocantibus curis, hunc ſucceſſum habuit, vt occupatis locis inuicem redditis aliquot poſt annos ſancita pace, quicuerit.

Perſ. Satyr. 1.

Pax tādem inter Genuēſes, & Allobroges cōſtituta.

O 2 VACHE-

VACHERII CONIVRATIO

NARRATIO SEXTA.

Compoſitis vtcumq; inducijs, Liguſtica bella ſiluerant; cum Reſpublica ab exteris armis ſecura inteſtinis inſidijs petita, parricidium ipſis molientibus ciuibus, extremum propè adijt excidium. Habent florentes Reſpublicæ ſuos aliquando Catilinas, Lentulos, Cęthegos, quos non patriæ odium, ſed rei familiaris anguſtia, vel rerum omnium deſperatio, aut ſui contemptus agit in ſcelus. Sed nihil æquè Reſpublicas potentiùs euertit, quàm nobiliorum impotens arrogantia, qua humiliores ſuperbo faſtu deſpiciunt. Cui ſi additur matronalis decoris irriſio, honoriſque vxorum contemptus; neſcio an aliquid violentiùs contumeliæ impatientes animos in Patriciorum cędem, exitijque Patriæ molitiones arietet. Exacti Romani Reges illuſo Lucretiæ pudori, ſublati decemuiri plebem, ſuopte ingenio Patritijs infenſam in filiæ vltionem ciente Virginio, abundè docent, in quæ ſuæ ſalutis nobiliores, patriæque ruinæ diſcrimina mulierum contemptus impellat. Genuenſes ex natiua ingeniorum ferocia, exciſa perſæpè Republica, manus ſuorum ciuium ſanguine, mutuiſque cędibus cruentarunt. Nulla Italiæ ciuitas immanioribus ciuilium bellorum procellis concuſſa, atrocioribus cladibus obrupta eſt, quàm Genua: quòd tenues ditioribus ſuis fortunas inuideant, quòd antiqua nobilitas nuperam indignetur; quòd patritij minus nobiles ciues, mercatoreſque faſtidiant: qui ſuis opibus freti non minores ſe nobilibus ferunt, ſeque ab ijs ſperni iniquiſſimo animo patiuntur, ac conceptas animis iras in vniuerſorum ciuium capita cum patrię ruina immani rabie conciti effundunt. Aſperant plebis animos illa ſuperba nobiliorum ſupercilia, ille intollerabilis tumor, & toruus, ac faſtoſus intuitus, maximè tamen irritant animos, ac iras accendunt contumeliæ, quę in præſentis oculis ad eius contẽptum, & irritum vocibus, aut nutibus, vel geſtibus inferuntur: quibus ſicuti nihil amariùs, acerbiùſque animos pungit; ita nihil viliùs, fędiùſq; inſultanti, inſoleſcentique eſt. Cæteris iniurijs, vel neceſſitatis, aut vtilitatis, vel alterius grauis rei excuſatio poteſt, vel prætextus obtendi; hæ ſolæ ſine cauſa ſolius malignitatis impulſu, ſuperbiæque illatæ nullam excuſationem admittunt, atrocioreſque vindictas merentur, quàm aliæ fortaſſe grauiores in arcano non aduertentibus factæ.

Quid potiſſimum Reſpublicas exſcindat.

Huiuſmodi contumelijs à iunioribus patritiorum laceſſitus Vacherius atrociſſimam truci animo deſtinauit vltionem. Sed quia tantum facinus audere non poterat, niſi alicuius Principis ope, ſtudiſq; niteretur: ad Caroli Allobrogum Ducis auxilia confugit; qui vt erat infenſiſſimo in Ligures animo perdendæ Reipublicæ auidè occaſionem arripiens cla[n]culum

Vacherius in Patriam coniurat.

fidos

ſidos homines ad omne ſcelus expeditos, & promptos Genuam Vacherio ſubmiſit, qui illum conſilijs, atq; opere adiuuarent. Ipſius domi, ſicuti plerique alij perditi alebantur, cum ducentis, & eò ampliùs, aureorum millibus diues nullis parceret impenſis,quò ſe vallatum ſicarijs ad terrorem ciuibus oſtentaret. Erat ſanè ex mercatorum ordine, ſed peroſus pari nobilibus ſplendore, ac luxu viuebat, atq; animum ad omne immane facinus efferauerat. Eminebat in vultu ſceleris, quòd moliebatur,atrocitas, in eius lineamentis animi dotes, & mores affabrè explicante natura: oculi præcipuè ſunt certa latentium vitiorum, virtutumq; indices,& qui in pallida facie proceri corporis aliquantum exerti, barba, quæ riget in labris ſuperciliorum tenus retorta patritios ſibi infeſtos truculento obtutu terrebat, cum in compitis obambulans in obuios atrocem intuitum conuertiſſet. Hanc inſitam à natura ſæuitiam plura quidem irritauerant, quòd ſe nullo habito loco,honores humilioribus,ac pauperibus ciuibus deferrentur;de quo querelas ingeminans crudele aliquid minabatur: quòd inter ludendum,ſalutandumq;contumelias à nobilioribus retuliſſet:omnium verò offenſarum potiſſimæ illum in parricidij machinamenta coniecere. Primum,quia in Diui Syri compito,in quod ad alearum ludos ferè tota iuniorum cõuenit multitudo,fuerit bouis ignominioſa appellatione preſtrictus: deinde quòd ipſius vxor matrona illuſtris, & moribus honeſtiſſimis fuerit pudendo conuitio à quibuſdam inſolentioribus,alijſq;turpioribus vocibus proſciſſa,quæ fęda exequi Religioſi viri calamus horret.Quòd ſibi creditori plures nobiles ſua nomina expedire negantes, vulnera etiam eius curatoribus intentarent,ſi experiri auderent. Hæc, & alia grauiora Vacherium perpulere, vt patriæ excidium horrendo, atq; vltimo ſcelere truculentiſſimo animo coqueret;quandoquidem ſe vlciſci eorum nece nõ potuit,à quibus ſibi,& vxori ad Diui Syri probroſis contumelijs fuiſſet illuſum:quãquã ſuorum aſſeclarum, ſicariorumq;agmine ſtipatus ſe eò concitus ira prorripiens illos ad ſingulare certamen prouocauerit:decretum certè erat,quoſdam eorum nocentiores, qui inſolentiùs egiſſent, gladijs confodere, vel exploſis minoribus ſclopulis occidere: verum ipſi maturè de ſalutis periculo moniti,ſe inde in tutum celeriter abſtulerunt.

Eius animi, & corporis dotes.

Cauſæ, quæ Vacherium in parricidij ſcelus impulerunt.

Vacherius vindictam anhelat.

Vacherius à paucis iniurioſis in totum Patritiorum ordinem ira conuerſa, vniuerſis nobilioribus ciuibus neci deſtinatis, nouam moderandæ Reipublicæ rationem pro ſuo arbitrio in vrbem inducere animo propoſuerat: atque idcircò Auguſtam Taurinorum ad Ducem Allobrogem ſe contulit; vt ea de re communicatis conſilijs, tutiorem patrandi ſceleris rationem inirent. A Duce cupidè exceptus, & liberaliter habitus eſt: atque ad perficienda deſtinata promiſſis ingentibus animatus pecunia auctus Genuam redijt: nec mora ſolicita cura expediendis ad tantum auſum neceſſarijs inſtitit, nequid nefario parricidio patrando deeſſet. Congerit arma, aſſeclas cogit, factioſos, æratos, flagitioſos, decoctores deſperantes rebus ſuis, quoſdam munerum captat illi-

Vacherius ad Ducem Allobrogẽ ſe confert.

Auxilia contrahit.

cio, alios profuſis largitionibus demeretur. Sicariorum validam manum ſuis addictam obſequijs ad nutum quodcunq; facinus conaturam habebat in expedito. Quorundam quoque nobiliorum, quis crederet? ditiorum, natalibus, & diuitijs illuſtrium illum ſtudia fouebant: non deerant ex mercatorum, & artificum ordine, vltimæque ſortis homines ſceleris conſcij. Iamque adulta coniuratio in extremam Reipublicæ perniciem eruptura erat: niſi mentem ſceleri auferentibus Superis, quo excidij diſcrimen à pijſſima vrbe depellerent: Vacherius cũctabundus firmiores vires optaſſet, quibus coniurationis machinamenta ſolidiùs, ſecuriùſq; niterentur. Ille itaque, & alia potiora cogitati ſceleris capita ſumma ope conantur alios de fęce plebis audaciores, & extenuiorum turba ſibi ingentibus iniectis ſpebus, & immodicis pollicitis conciliare, in ſuas partes quacumq; ratione pellicere. Stephano de Sauinionum familia negotium datum, vt Pociferæ vallis accolas pręferoces, robuſtos, indomitiq; vigoris coniuratis adiungeret. Gottardo verò ex eiuſdem familia imperatum, vt artificum maiorem copiam pararet: alios in alijs ſparſerat locis, qui plebis animos ſollicitarent ad arma: omnes officioſis oblationibus, muneribus, pecunia munifica manu profuſa in ſua compellebat obſequia: nemini tamen ſuis arcanis conſilijs, animiq; propoſitis detectis, niſi quòd vniuerſis edicebat, vt ſtrenui faciendis iuſſis, quocumque neceſſitas vocaret, adeſſent: ſibi cum quibuſdam mercatoribus, & patritijs intercedere ſimultates.

Coniuratio detegitur.

Varij coniuratorum conatus.

Vacherij ſilentium.

Vrgebat crebis nuntijs Dux Allobrox lõgioris impatiens morę Vacherium, vt quàm primum facinus aggrederetur, ne cunctatio proderet molitiones. Decreuit, itaq; quamuis omnia planè in promptu non eſſent, manus Kalendis Aprilis anni 1628. parricidio admouere, quæ in Mercurij diem maioris hebdomadæ incidebat; condicto omnibus coniuratis, vt quã maximo poſſent numero ad prætorium coirent: cęſaq; Germanorum cuſtodia, in Palatij foribus excubante, ſenatores de feneſtris præcipites darent; alios quoſcunque nobiles obuios occiderent; atque vrbem in libertatem aſſererent: & ſub Allobrogis Ducis auſpicijs, à quo præſtituto die, variæ peditum cohortes palantes, turmatimq; ad vrbem ſubmittendæ erãt, noui regiminis formam ad eius arbitrium inſtituere: cuius ſe caput, vt falsò creditum eſt, & Principem inanibus votis deſtinauerat. Tantum ſe ipſam ſupergreditur humana cupiditas, vt ſibi animo dignitatum culmina ſui oblita originis, & conditionis vana commentatione figuret.

Eius decretum.

Eius ad coniuratos imperia.

Coniurati illum diem ſibi videre videbantur, quo immaniſſimum facinus auderent: ingentibus animis opportuna excindendæ patriæ, euertendæq; Reipublicæ expediebant. Cum immortalis Dei munere, qui humana conſilia deludit, à minus formidata parte coniuratio emerſit; & ſubito coniurantium cęde oppreſſum incendium, patritiorum, ciuium, innocentium cruore, caſuq; Reipublicæ reſtinguendum. Nefarij per duelles non adeò ſe viribus firmos, validoſq; putabant, quin in ipſo ſceleris conatu ciuium multitudine ad arma totis compitis, & vijs conclamatura obruerent-

Coniuratorum deſideria.

Cunctatio omnibus cõſilys perficiendis plerunq; pernicioſa.

uerentur; quare differendum paricidium rati, donec maiora factioſorum ſubſidia contraherent: Ducem Radinum Taurinenſem cum trecentis peditibus pro Republica militantem in ſocietatem ſceleris adſciſcere, remq; ei credere decreuerunt. Ad cœnam igitur inuitato in Vacherij ędibus pluribus coniuratis conuiuis, ſæuiſſima cogitata, arcanaq; coniurationis aperiunt. Ducis Allobrogis litteras coniurationis conſcij, immo authoris ſuper hac re exaratas oſtendunt: precibus illum ſpe ſuæ augendæ fortunæ, parandiq; diuitias, honores, & quòd præcipuum erat, iſtud fore ſuo natiuo Principi acceptiſſimum, perpulerunt; vt ſuam operam fidelem, fortemq; pollicitus, ſacramento fidem ſuam aſtrinxerit, ſe ad conſtitutum diem cum ſuorum militum pluribus adfuturum, propè prætorium ſuarum cohortium luſtrandarum ſpecie, vt ſcelus conantibus coniuratis ſociatis ſuorum manipulis, ſubſidium afferret. Verum ille digreſſus à cœna horrendum facinus animo deteſtatus ſiue rei immanitatis horrore ſimul, ac terrore perculſus, ſiue ſpe ingentium præmiorum adductus, extemplo Lucam Clauarem Reipublicæ Principem adit, impetratoq; priùs vt ſibi impunè foret, ſi quid coniuratis communicando peccaſſet, petito ſimul ſuæ fidei præmio, illi rem totam ex ordine, ſicut audierat, aperit.

Coniurati ſua deſtinata detegunt ingenti ſuo malo.

Principi detegitur coniuratio.

Ad tam horribilem nuntium territus Princeps eadem nocte, nulla interiecta mora, ſenatum cogit: coniuratorum immania decreta, excidij periculum Reipublicæ, omniũ ſalutis, fortunarumq; imminens diſcrimen eorum ſubijcit oculis. Non facile dixerim quantum attoniti atrocitate rei diù hæſerint ſenatores. Poſt varia, ac trepida de immaniſſima opprimenda coniuratione conſilia placuit, non vt pleriſque videbatur, Vacherij domum ad eum vinciendum armatos illicò mittere, ne grauem aliquem tumultum in populo excirent: cum non ſatis liquidò pateret, quanta populi turba perditos ſequeretur: ſed mandare Lictoribus, vt eos ſeorſim in vincula conijcerent. Eodem tempore Laumellinus ſenator ad ſuburbanam quãdam domum iuſſus ſubitò feſtinare, in qua congeſta arma, cunctaque flagitioſorum hominum turba eſſe dicebatur: quibus veris, vt proditum erat, compertis, ſenatus certiori ſtructæ coniurationis cognitione præcipua ſceleris perduellionis reorum didicit nomina. Poſtera die ſatellitibus imperatum, vt Vacherium, atque eius aſſeclas perſequerentur: qui à conſanguineis, & amicis de periculo moniti, ab ipſo etiam Lictorum præfecto, quòd à populariũ partib. ſtaret: fuga ſalutẽ protinus quæſiuerũt. Raro ſperatum exitum ſortiuntur huiuſmodi coniurationes, quæ exiguo coniurantium numero non potis eſt perfici: & conſpirantium multitudine ſiue vltimi terrore ſupplicij, ſiue deceptæ fidei pretijs, & ſpei præmiorum impulſu prodantur, ipſiq; oppreſſi cogitati ſceleris pęnas luãt; qui alios obruere conabantur. Aliquot coniurati inter tumultum elapſi Auguſtam Taurinorum fugerunt: ibique infenſiſſimo in Rempublicam animo, dictis, ſcriptis, conuicijs eam liberè lacerabant: quidam eorum tardiores ad fugam Siluanus videlicet Medicus Zignatus, Iulianus Fornarius eodem fere

Variæ Senatorum de opprimẽda coniuratione conſilia.

Plura coniurationis indicia.

Coniurationes plerũq. deteguntur.

tempore comprehenſi cum ipſo Vacherio coniurationis authore; qui cum ventorum flatibus intumeſcente tempeſtate mari,nauem aſcendere nequiuiſſet, iterum regreſſus in vrbem,inde ruri Iacobi Ruffi domi infelici ſanè euentu delituit:nam Petrus Ruffi parens filio impunitate à Iudicibus impetrata,ſed quatuor aureorum millium pręmio à Republica indicantibus Vacherium propoſito recuſato,illum capiendum ſatellitibus tradidit; atq; ab ijs in vincula detruſo, extēplò à Senatoribus Lercario,& Balbo de reis queſtio inſtituta.Qui Taurinorum Auguſtam perfugerant,vna cum Bartholomeo Conſiliario, quem Dux Allobrox ſexcentis peditibus pręfecerat, ad populandum Liguſticos fines inuecti,& à Genuenſium militibus domi obſeſſi coniculorum flammarum impetu in ſublime excuſſi pœnas tentati parricidij Patriæ dederunt.

Vacherius capitur, & alij coniurati.

Dux Allobrox vbi coniuratos Vacherium præcipuè conſpiratione detecta,in cuſtodia ſeruari,atq; vltimo ſupplicio mactandos accepit: quem lapidem non mouit,quid intentatum reliquit,quas minas, obteſtationes, abſciſſaſq; vltionis acerrimæ obnuntiationes non adhibuit, vt coniuratos decretis ſupplicijs eximeret? Ille ſe authorem coniurationis aperte profeſſus omnem parricidij culpam à reis in ſe reijciebat; inſtabatq; vehementer, vt coniuratis tam deteſtandum facinus cederet impunè: cum in induciarum fędere comprehenderentur:ſe conſcio cęptam eſſe, ſtructamq; coniurationem,vt damna ad Buxum à Republica accepta reponeret; eam verò induciarum interuētu,ſuſpenſam à ſe,interpellatamq; fuiſſe,ſe fidem ſuam obligaſſe coniuratis id effecturum, vt induciarum beneficio vterentur, ſi interim emergeret coniuratio. Querimonijs, acerbiſſimis egit apud Mediolani producem, cæteroſq; Hiſpanos miniſtros, vt reorum ſupplicijs intercederent,efficerentq; vt induciarum fęderi,& cōditionibus ipſis ſequeſtribus initis cum fide ſtaretur,quæ procul dubio violarentur, ſi de coniuratis ſupplicium ſumeretur:& eò vſq; feruidus ira prouectus eſt in eis aſſerendis,vt par ſupplicium captiuis patricijs Genuenſibus intentaret;ſi quid duriùs eſſet in coniuratos a Republica conſultum:quos idcircò è laxiori cuſtodia, in arctiorem carcerem eductos aſſeruari iuſſit diligentioribus excubijs. Si verò coniuratis à Patribus parceretur; ſe cum Republica bona fide pacem ijs conditionibus initurum,quarum ipſam non pœniteret.

Dux Allobrox ſe coniurationis authorē fatetur.

Coniuratos nititur liberare.

Ducis Allobrogis iræ mina vt liberet coniuratos.

Miniſtri quoque Hiſpani omnes ſuos conatus intenderunt: vt veniam coniuratis à Senatu extunderent. Mediolani produx cæteris ardentiùs, miſſo etiam ad Rempublicam legato Aluaro Luſada, & litteris Regis Hiſpani nomine ſubſcriptis, obſignatiſq; regio ſigillo: (quamquam eas expenſo diligentiùs temporis interuallo, quòd neceſſe eſt intercedere, ſi Auguſta Carpetanorum in Italiam mitterentur, apparebat in albo ſcriptas, quæ à Rege ſuis Gubernatoribus in prouincias ituris dari ſolent.) ſumma ope nitebatur, vt Allobrogis Ducis votis reſpublica indulgeret; veritus ne ille inquies, & ferox iterum alienato ab Hiſpanis animo, in Gallorum fœdera iret, nouaq; bella, vel in Inſubres, vel in Ligures moliretur coniurato-

Hiſpani cō iuratorum ſupplicijs intercedunt.

Digitized by Google

iuratorum ſupplicio irritatus, quo pacta induciarum fides procul dubio violaretur. Etſi Ducis Allobrogis poſtulata, nec vera, nec iuſta Senatus eſſe conſpiceret, quòd nec coniurati poſt conuentas inducias à continuãdo ſcelere abſtiterunt; quòd paucis diebus auſuri erant; niſi cæleſtis Numinis munere detectis inſidijs, eos nefarium coquentes perduellibus animis parricidium Reſpublica præuertiſſet: nec Allobrox ſuo iuſſu cęptas deteſtandi facinoris molitiones poſt inducias reuocaſſe conſtaret: cum ipſi rei quæſtioni ſubiecti apertè tranſactiones cum eo Taurini de euertenda Republica habitas faterentur, nec tamen induciarum, nec Ducis iuſſus, vt à parricidio perficiendo ceſſarent, excuſationem ſuo ſceleri obtendebant; nec ſibi ab eo obſtrictam impunitatis fidem, ſi coniurationis conſilia omitterent, afferebant. Conſtabat itaque clarè Ducem, & propria authoritate, & minis, Hiſpanorumque ſtudijs, velle coniuratis veniam à Republica extorquere, induciarum fide ſuæ audaci petitioni prætexta.

Reſpublica, & Ducis immodicis, & parũ iuſtis poſtulatis, inſtanteque Hiſpanorum precum vi, vt par erat, indignata primatum conſilium cogit: in quo a ſenioribus, & prudentioribus patrum de præcipuis Reipublicæ negotijs, & rebus ad imperij moderationem ſpectantibus decerni ſumma authoritate ſolet: atque ad eos de Aluari Luſadæ Hiſpani legati petitione relatum eſt. Variantibus ſententijs, Ioannes Stephanus Auria Senator inſignis de hac re graui oratione diſſeruit. *De coniuratis conſulũt Senatores.*

Miror nos ita timidi, ne dicam abiecti animi eſſe, vt ad inanes hoſtis acerbiſſimi obnuntiationes, & minas, ad emendicatas Hiſpanorum preces, & officia adhuc hæreamus in ancipiti in re grauiſſima Reipublicæ ſalutaria, noſtro imperio opportuna, ciuibus vtiliſſima expedire conſilia. Quid ampliùs exitiales trahimus moras? & fœdiſſima cunctatione nefarijs parricidis viliſſimos ſpiritus, vitamque producimus? quin extemplò tanti cogitati facinoris horrore commoti, iratique in ferali pegmate ceruices illis ſecuri iubemus abſcindi? vel laqueo latrones mortis genere decentiori guttura rumpi? vel ad cæterorum exemplum verberibus laceratos in fruſta concidi? Non cogendus eſt patrum conuentus, vt de Ducis Allobrogis obteſtationibus, ac poſtulatis, (quem tanti ſceleris authorem, ſuique excidij artificem odiſſe æternum Reſpublica debet) de Hiſpanorum hortamentis, & monitis diſceptemus; atque in commune conſulamus, an eorum ſit petitionibus indulgendum, an preces, flagitationeſq; reijciendæ; ſed vt præſentibus, ac fortibus animis, ſpretis Allobrogis minis, ſceleſtiſſimis perduellibus paria ſceleri ſuppliciorum genera decernamus. Quid cum noſtra Republica, noſtriſq; rebus, Duci Carolo, Hiſpaniſq; eſt? quid noſtræ ſe regimini dominationis immiſcent? vt ad eorum vota pro noſtrorum popularium partibus ſtantium plectamus, ſoluamuſq; reos? In ſuis terris pro arbitrio imperẽt illi, noſtris rebus abſtineãt, in quas illis nullũ eſt ius. Ne ſinerint Superi, vt hanc libertatẽ, quã nobis Cæleſtis Numinis munificentia largita eſt, in qua nati, educatique ſumus, quam nobis maioris no- *Ioannis Stephani Auriæ in coniuratos oratio.*

res noſtri vſque ad extremos ſpiritus proprij impendio ſanguinis vindicatam tradiderunt, vllo indecoris rei aſſenſu, nos tantæ virtutis degeneres poſteri labefaciamus. Quam Rempublicam haberemus, ſi nos aliorum Principum nutus, atq; arbitria, circunferrent: ſi nos duci, quò eorum voluntas deſtinat, ſineremus? Vrgent ſanè illi, inſtantq; precibus, & minis, vt coniuratos ſupplicio liberos dimittamus: ſed nec ipſi quidem, qui à nobis tam indigna, tam inhonora contendunt, ſi intimos animorum receſſus, ſi mentium arcana nobis diligentius ſcrutari liceret, hos profligatiſſimos parricidas ſcelere abſoluerent, vel pœna liberarent. Vel ipſa iniquitas immanitate rei perculſa, vt alia facinora ſineret impunita, in hoc certè omnium atrociſſima ſupplicia ſanciret. Subijcite quæſo veſtris oculis huius vrbis, patriæq; cariſſimæ miſerrimam faciem, ſi fatum aliquod nobis aduerſum Coniuratis ſua exequi deſtinata dediſſet. In nos prima Reipublicæ capita Coniuratorum crudelitas ſcelere furentium inſaniens, nullo ætatis, dignitatiſq; diſcrimine deſæuiſſet: nos primos vel ab ædiũ feneſtris in caput præcipites datos, vel vulneribus confoſſos, aut cruciatibus lancinatos Parricidarum immanitas deleuiſſet. Totum Patritium ordinem, in quem præcipua ira, rabieq; ferebantur, alijs domi crudeliter iugulatis, alijs tormentorum ictibus petitis, alijs in vijs, & compitis trucidatis penitus ſuſtuliſſent: plures ex eorum gladijs elapſos patrio ſolo extorres, proſcriptos errare in alienis terris omnium rerum indigos, deſertos, afflictos latronum feritas compuliſſet: Matronalem pudorem, Virginalemque candorem rebellium libido impotens inceſtaſſet. Vrbs, areæ, fora, viæ cæſorum ciuium ſanguine, in quos ferro graſſatus perduellium furor, rabieſq; deferbuiſſet, cruentæ fluxiſſent. Quæ ædes à luctibus immunes, & domeſticorum funeribus euaſiſſent? Vbiq; mulierum, puerorumq: miſtus eiulatus, & clamor, fuga, pauor, horror, deſperatio cęde, ac ſtrage ſuorum. Noſtræ prolis, ac ſobolis, ne ampliùs in ſpem imperij adoleſceret, ſe cruore ad inſaniam bacchata Coniuratorum feritas proluiſſet. Qui luctuoſiſſimus omnium rerum aſpectus? qui tota vrbe ſuis viduata ciuibus ſqualor, mœror, calamitas? Direptæ opulentiorum ædes, ciues, Mercatoreſq; ſuis exuti fortunis, publica expilata æraria, proculcata Diuina, humanaq; iura, peſſundatæ leges, in perditiſſimos nebulones Dominatio traducta: hoc qualecunque imperium prorſus exciſum. Hæc veſtros ſubeant animos certiſſimè futura, niſi perfidorum ſæuiſſima conſilia propitia nobis Numina diſcuſſiſſent. Et adhuc dubij conſulimus, an ad Ducis Allobrogis minas, Hiſpanorumq; poſtulata iniquiſſimis parricidis ſint tantæ ſtructæ coniurationis ſupplicia facinoris condonanda? Maiores noſtri Cyprium Regem, quòd inter Ligures, & Venetos certamine dignationis exorto, Venetos ille Genuenſibus prætuliſſet: comparata inſtructiſſima claſſe, acerrimo bello Regi indicto, euerſa inſula, inde prælio victum, captiuum in hanc vrbem triumphantibus ſimiles adduxerunt: nos hos immaniſſimos ſicarios hanc pulcherrimam patriam funditus molitos excindere inultos abire patiemur? Erat Maioribus noſtris cum Venetis de bellica tantum gloria certamen: ingenti animorum ardore, vt hoſti præcellerent, perpetuo bello cũ hoſtibus terra, mariq; pugnabant,

pluribus

pluribus potiti victorijs perculſis adeò inſtiterunt, vt admota ad Foſſam Clodiam, atq; adeò ad ipſa Venetæ vrbis limina potentiſſima claſſe, eos in vltima ſinus Adriatici æſtuaria compulerint, adempto illis totius maris imperio; nos verò à tanta generoſitate, ad fortitudine deſciſcentes, hanc patriam cędibus, rapinis, incendijs vaſtare conatos, à meritis ſupplicijs incolumes perferem us? Nos ſeros Nepotes, veramq; maximorum Ducum, Heroum, bellatorumque ſobolem, in quam ab auitis illarum ingentium animarum virtutibus aliquid defluxiſſe, cupiditas gloriæ, fortitudo, conſtantia, per natiua ſanguinis incidia deriuata eſſe putanda ſunt; vanæ Allobrogis Ducis minæ terrebunt? Hiſpanorum ardentia officia cogent; vt hoc ordine indigna, Reipublicæ Maieſtati probroſa, ignominioſaq; ciuibus concedamus? Agitur hic de ſumma rerum, de libertate tuenda, retinendaq; Reipublicæ dignitate. Non tam vidi Gallico, & Allobrogico bello Patriam vltimo penè diſcrimine conflictantem; quàm nunc penitus corruentem, ſi coniuratos ad aliorum vota, & poſtulationes impunes eſſe ſinemus. Iidem ipſi, qui veniam Latronibus inſtant, commendabunt Reipublicæ conſtantiam, animorum magnitudinem, ſui decoris, dignitatiſq; retinentem, ſi à nobis in coniuratos debitis parricidio ſupplicijs fuerit animaduerſum. Quis vnquam coniurationis alicuius ſceleris deprehenſos carnificis manus effugit? Fateor quidem aliquos in immanes Reges, & Principes, in efferos Tyrannos auſos conſpiraſſe, non tantum mulcta, pænaque coniurationis exemptos: ſed etiam fortiſſimi facti cruentiſſimis feris patria liberata, laudem, & præmia tuliſſe: ſed qui contra populares ſuos, & Reſpublicas conſpirarunt Deo ſcelerum vltore vbiq; facinus perſequente, prodenteq; inſidias, per omnia ſuppliciorum genera lacerati, pœnas cogitati parricidij dederunt. Quid perdito Catilinæ factum ſit contra patriam conſpiranti, hiſtoriarum monimenta adhuc memoriæ poſteritatis inculcant: quæ Spurius Melius, quæ Manlius Capitolinus ſui ambitus, affectatiq; regni pretia tulerint, ſcimus. Alterum Scipio Naſica nobilium ſtipatus agmine contuſum ſcamni pulſibus interemit, alterum Deùm, hominumq; fidem obteſtantem, Tarpeiamq; rupem, de qua adrepentes ad faſtigium Gallos egregia virtute præcipites egerat, inclamantem per Gemonias ſcalas reuolutum accepimus, & tamen vterq; tantum quòd legibus agrarijs, effuſis largitionibus populi animos ſolicitare videbantur, vt oppreſſa Reipublicæ libertate, regnum vſurparent, appetitiq; obliqua prehenſatione Principatus ſuſpicione præſtricti, patritiorum facto in eos impetu perierunt. Nos autem his perfidiſſimis perduellibus non ambitus, non affectati regni, ſed proculcandæ, euertendæq; Reipublicæ, patritijque ordinis internecione delendi, abbominandi parricidij conuictis, pœnas vltimi ſceleris remittemus? At enim noſtri ciues Reipublicæ cariſſima pignora Allobrogis Ducis captiui in manifeſtum vitæ diſcrimen dabuntur, ſi à Coniuratis pœnas cogitati facinoris exigemus; ſic enim ille interminatus eſt, ſe parem vicem noſtris captiuis ciuibus, quàm coniurati à nobis tulerint, repenſurum. Non video cur inania captiuorum vitæ veſtros animos pericula terreant, vt eorum cauſa ſupplicia nefarijs rebellibus condonemus. Terret ille quidem ciuium noſtrorum ob

nuntia-

Digitized by Google

nuntiatione cædis; ſi coniuratos capitum abſciſſione plectemus. Sed Chriſtianum, piumque Principem ſuas innoxio optimorum patritiorum ſanguine inquinaturum manus, alienique criminis pœnas ab innocentibus expetiturum putabimus? Verum reddat vicem, in captiuos ijſdem ſupplicijs animaduertat; ſuum decus, gloriamque temeret innocentium cruore: illi profectò ſicuti in arma pro aſſerenda Reipublicæ libertate progreſſi in medios volitantium telorum turbines patriæ ſaluti ſuos ſpiritus deuouerunt: ita nunc fortibus animis pro Reipublicæ dignitate, maieſtateque ſeruanda ſuas ceruices carnificum ſecuribus ſubijciunt; recenſebitque hæc ciuitas inter ingentia patrum Ligurum nomina ſuos Curtios, Decios, Brutos præcipua noſtrorum temporum ornamenta; quòd pro eius maieſtate, dignitateque vindicanda ſuas animas ſtrenue, ac fortiter prodegerunt. Sed ne vereamini, vt dux Italus ſingularis clementiæ princeps à barbara feritate prorſus alienus, quamuis indignatione accenſus, & ira in noſtros ciues nullius in illum criminis reos edat huiuſmodi turcicæ feritatis exempla; quæ ei extremum dedecus, & labem, inexpiabilemque infamiam proculdubio conflaret. Non igitur noſtrorum ciuium necis diſcrimen debet à noſtro mactandi impios propoſito deterrere; cum ipſi quoque captiui vitam ſuam odiſſent in tam inhonora Republica trahere; ſi turpi noſtri metu hoſtis, Coniuratis parcendo, illam indelebili macula fędaremus. Quid porrò inanes Ducis minas, obteſtationeſque formidamus? Ob exiguum caſtellum, quod noſtris momentum rebus, fortuniſq; faciebat, nihil ſuperbas Allobrogis minas expauimus, quamuis ſociatis cum potentiſſimo Gallorum Rege viribus, & armis vltimum Reipublicæ excidium illatis in noſtros fines ſignis, intentaret. Promptis animis ſtrinximus arma, quamuis diuturna belli deſuetudine rubiginem contraxiſſent: generoſi noſtrorum pectorum obiectu non modo inuadentis impetus ſuſtinuimus, ſed etiam noſtris finibus eiectum, fuſum, attritum in ſuos Taurinos exegimus: nec ille tantum ſuis viribus nixus bellum nobis auſus fuiſſet inferre. Fortuna, alienique cupido illum montibus noſtris impegit, vt frangeret. Ligurum potentiam, indomitamque virtutem expertus, ſenſit quàm arduum ſit cum ijs bello cõtendere, qui quõdam Romana arma crebris inflictis cladibus exercuerunt. Ille ſcilicet perditorum parricidarum cædem Montis Ferrati, cui imminet, rebus, ac negotijs implicitus vlciſcetur. Maiores illum cauſæ in maiora bella compellunt; quàm vt illi vacet nos iterum bello tentare. Pudet illum, tædetque ſua irrita tela in noſtras cautes conieciſſe. Horret, horrebit æternum noſtrarum terrarum anguſtias, & ſalebroſos alpium anfractus, quibus totus noſter vallatur, impediturque dominatus. Non igitur ob noxiorum ſupplicium bellum eſt aliquod ab Allobroge metuendum; quod ſi nihilominus ingrueret, eadem virtute, ac fortitudine, qua illud propulſauimus, repellemus: quòd ſi parum proſperè cederet, honoratius eſt Rempublicam aduerſo bello concuti; quàm coniuratis ſuperſtitibus, & ſaluis, inuſta Ligurum maieſtati perpetua infamiæ nota, illam ſartam, tectãque ſeruare. Præter id quod pernicioſo inſanæ miſerationis exemplo, alij quoque ſpe veniæ, nullo coerciti ſupplicij metu eadem conarentur. Continua nos trepidatio, ac formido percelleret; ſi rebellibus beneuerte-

Digitized by Google

ret audacia; ſi illæſi à vinculis proſilirent: haberentq; cæteri populares mali, decoctores, ſuis diffidentes rebus, vnde in noſtras opes tutò, fortunaſque conſpirarent. Ego igitur ſic decerno Reipublicæ dignitatis, ſalutis, maieſtatiſq; eſſe, vt quã primũ infames Parricidæ debito tanto facinori ſupplicio mactentur.

Ingenti præſentium patrum aſſenſu Auriæ excepta oratio eſt, perorantiq; totus Senatorum cõſeſſus applauſit. In ſuffragia extemplò itum eſt; nemine diſsẽtiẽte, capitis pena in reos decreta oſtẽdit, neq; eorũ cõsãguineos, quorum aliqui ibi ſedebant vitæ, neciſq; arbitri parricidarum miſertos eſſe; immo fortibus animis pro communis patriæ decore, ac dignitate eos ſiccis oculis vltimo ſupplicio damnaſſe. Quare miſſis qui extremam neceſſitatem rebellibus denuntiarent; nulla temporis conceſſa mora, niſi quam capite plectendis iura præſcribunt; in carcere abſciſſis ſecuri ceruicibus pœnas tanti cogitati, ſtructiq; ſceleris dederunt. Non producti in populi conſpectum in foro erecto in tabulato, ſicuti alij damnati, capite truncati ſunt; ne coniuratorum aſſeclæ, quorum multitudo latebat, aliquem tumultũ cierent. Perduellium bona omnia publicata, fiſcoq; addicta: Vacherij ædes fũditus exciſæ, euerſæq;, vt areę ſqualor æternam coniurationis authoris infamiam intuentium oculis ſubijceret. Militum ductor Radinus, qui ad Principem Lucam Clauarem coniuratos detulerat, & Rempublicam tam execrando excidij diſcrimine liberauerat, decem aureorum millibus donatus eſt: quinq; millia pro dote duæ eius filiæ nubiles virgines accepere, & duorum millium ipſi donec viueret prouentus addictus: duobus item eius filijs quingenteni aurei ſuperſtitibus attributi. Huius quoq; coniurationis ſceleris inſimulatus eſt Vacherij Socer à Grandino velut eius conſcius, & particeps, qui tunc Neapoli in balneis malas affecti corporis habitudines curabat. Hic calumniæ labem eluere feſtinans Genuam aduolauit, vt ſe ante Iudices ſiſteret à ſua innocentia criminationem veris rationibus reiecturus: Iudices ſui ſiſtendi celeritatem mirati, cum nullo alio, quàm ipſius Grandini, quem ipſe Reipublicæ tradiderat, iudicio reus criminis ageretur: omnibus Iudicum ſuffragijs fuit innocens pronuntiatus.

Noxiorum ſupplicia.

Perpetua rebellium infamia.

Indici coniurationis præmia conſtituta.

Ferunt Vacheriũ ferocibus geſtis, deſperatoq; ſimilem, terribili, toruoq; aſpectu morti quodammodo minitãtem ceruices ferientis Carnificis collũ ſubieciſſe ſecuri, tẽtaſſeq; pluries necẽ ſibi cõſciſcere; ne in ora vulgi traductus ferale ſpectaculum ſui faceret: ſed ſatellitum intercurſu prohibitũ ſibi manus inferre. Cæteros verò coniuratos ſuum ſcelus lachrymis deteſtatos procuratis chriſtiano ritu animabus fortib. animis obijſſe. Vacherij vxor incredibili conſtãtia omnibus ſeculis memoranda, neq; intẽtata acerbitate quæſtionis, neq; ſupplicij admoto terrore, neq; ad parentis hortatus, qui ad fidem ſuam erga patriam probandã filiæ ſuadere conabatur, vt quæ de viri facinore ſciret, ſuæ ſecura ſalutis hilariter fateretur; nũquã adduci potuit, vt aliquid exitiale futurũ marito expromeret. Lõgè verò fortiſſimus Angelus Athanaſius de gẽte Greca Vacherij cubicularius, quãuis diutiſſimè reſtis tormẽto, cruciatuq; tortus vt penè animã efflaret; nihil tamẽ ei exprimi potuit

Vacherij vxoris egregia conſtantia.

potuit à Indicibus, quòd ſibi, aut Domino detrimento foret. Alijs coniuratis, quas in alienas terras ſupplicij metus abſtulerat, interdictum, aqua, & igni eſt, bonaque eorum in fiſcum redacta.

Patres verò ad coercendam populi ferocientis inſolentiam, ſoſpitandamque à malè de Republica ſentientibus ciuitatem, varias militum ſtationes in pluribus locis excubias agere iuſſerunt; cuſtodia etiam prætorij addito duplo maiori præſidiariorum numero aucta. Dictus eſt etiam ſeptemuirium magiſtratus, qui de rebus ad Rempublicam ſpectantibus diligenter inquirerent; citra tamen capitis pœnam conuictis reis irrogandam, niſi cæteris etiam aſſentientibus collegis. Alia etiam efficaciora inteſtino malo ſenatus remedia quærebat, cum ab Allobroge Duce popularium rebus ſtuderi, & in Hiſpana aula à pleriſq; purpuratorum eorum negotia promoueri animaduerterat. Qua de re Hiſpanos à ſe abalienatos animis Reſpublica ſuſpicata ijs aures præbuit, qui pacem cum Gallo Rege ineundam ſuadebant; vt quocumque euentu vnius Regis auxilium alterius potentiam, vireſque prægrauaret. Legatos etiam in vrbem Gallos admiſit, qui ſuæ gentis negotia agerẽt; ad irritandos etiam magis Genuenſium animos in Hiſpanos, quaſdam litteras interceptas, quibus pernicioſa Reipublicæ conſilia inter Hiſpanum Regem, & Allobrogem ducem inita continebantur, eorum manibus deferendas curarunt. Quibus de cauſis tandem cum Gallo Rege percuſſo fœdere, & pace compoſita, Codreus primum deinde Sabianus Galli legati in vrbem accepti: acribus querimonijs expoſtulantibus Hiſpanis, quibus ſolis ſcito publico conceſſum erat vt legatione apud Rempublicam fungerentur. Senatus tamen, vt Hiſpani Regis iras leniret, ſanciuit, vt Sabianus, quamuis re ipſa legatum ageret, legati tamen nomine careret; & veluti priuatus internuntius habitaret in vrbe.

Nouus magiſtratus dictus.

Genuenſes pacem cum Gallo Rege componunt.

Mediolani pro Dux, cæterique Hiſpani miniſtri valdè parricidarum ſupplicio commoti, quòd neque Regiæ authoritatis interuentu, neque ſuis obteſtationibus, & precibus flexa Reſpublica ſontes capite mulctaſſet: conceptas infenſis animis iras in Genuenſes pluribus odij declarationibus prodiderunt; non ſolum vt Ducis Allobrogis affectibus inſeruirent, ſecundarentque voluntatem eadem, qua ille, indignatione ſuccenſi, ſed etiam quia tam libero, abſciſſoque mortis in coniuratos Reipublicæ decreto, multum offenſam eſſe Regiam maieſtatem arbitrabantur: cuius authoritate ita ardentibus ſtudijs interceſſerant: vt idcirco Mediolani præfectus coniuratorum aliquos, qui in Inſubres perfugerant depoſcenti ad ſupplicium Reipublicæ recuſarit: quoſdam etiam indictis grauibus pænis, vt citatos non obeundi vadimonij, maior cauſa excuſaret, in Inſubrum dominatu detinuerit. Alios Dux Allobrox ad honoratiora militiæ miniſteria prouectos annuis prouentibus, & honoribus auxit, qui ipſo conniuente contra præſens Reipub. moderamẽ, & habitũ typis impreſſas litteras euulgarunt; quibus cæteros populares ſuos ad ciendas contra patritium ordinem ſeditio-

Hiſpanorũ in Genuenſes ira.

Profugi rebelles cæteros populares ſuos Litteris ad rebellandum ſolicitant.

ſeditiones, excutiendumque durum, ac ſuperbum nobiliorum iugum multis rationibus inflammabant: ad recipiendam libertatem valida auxilia, patrociniumque Ducis Allobrogis habituros. Sed hæc Ducis in rebelles ſtudia nihil Rempublicam afficiebant; at ipſius efficax authoritas apud Hiſpanos miniſtros; qua eos alienare à Genuenſibus nitebatur; ſuadens plures potentiorum ciuium ſecum arcanis conſilijs conſentire; atque à ſe ſtaturos, ſi quid contra Rempublicam moueretur; nec etiam Gallorum ad eos omninò opprimendos defutura ſubſidia: quorum fœderis obiectu Hiſpanos in ſuas partes trahere conabatur: ne iterum eos in Italiam in Liguſtici belli ſocietatem excire cogeretur, ſi ſe Hiſpanorum auxilia deficerent.

His Allobrogis incitamentis, & minis multiplici cura Hiſpanorum animi fluctuabant: Caſalis enim obſidium, quod moliebantur: ipſius ſocietatem, & fœdus, auxiliariaque arma prorſus neceſſaria faciebat, & ex aduerſo eam Rempublicam ſuæ genti, ſuoque Regi fidiſſimam, ex qua veluti ex inexhauſto ærario perpetua militum in Belgio, atque in Italia bellātium ſtipendia deprompſerat, cum ipſius acerbiſſimo hoſte conari euertere, omninò iniquum, damnoſumque videbatur. Itaque in quam partem flexuri animi Hiſpanorum, an Allobrogi, an Genuenſibus hæſuri eſſent ſuſpenſi, incertique obſcura ſpe pendebant mentibus Genuenſes: eò tamen certiùs inclinaturos putabant, vt numquam deſertis amicis, & ſocijs, qui & egregios bello duces, & pecuniarum ſubſidia Hiſpano Regi ſuffecerant; cum bellicoſo Duce ad ſuum excidium conſpirarent; eiuſque potentiam identidem Hiſpano nomini infenſam ruina Reipublicæ augerent: & eò minus, quòd ille additis Montisferrati aliquot oppidis, prolato dominatu, grauior finitimis imminens auctior opibus, & potentia non Genuenſibus modò, ſed etiam Inſubribus terrori, exitioque futurus eſſet. Non deerant nihilominus ex patritijs aliqui meticuloſiores; qui Hiſpanę Regię aulę proceres Ducis vocibus non ſolum aures dedere; ſed etiam poſtulatis, deſyderijſque aſſentire ſuſpicabantur. Verum an animorum propenſionem in Ducem dedita opera ſimularent Hiſpani ad eius retinendam amicitiam, ne Caſalis expeditioni aduerſaretur; atque à Gallorum ſocietate auertendum, non planè conſtabat: diditus certè rumor Hiſpanos, & Ducem inter ſe alienos dominatus, ditioneſque in Reipublicæ detrimentum partitos eſſe acerbiores patribus curas iniecit; eò grauiores, quò fuſo ſub Alpium radicibus Gallorum exercitu, Caſali ſubſidio properante; apud Regem, & purpuratos Hiſpanos maiorem gratiam ſibi Dux Allobrox collegiſſet; verebanturque, ne ad referendam pro eius obſequij, conciliatique animi declaratione, & fęlicis prælij ſucceſſu gratiam Hiſpani eius conſilia ſequerentur. Verum hæc omnia vanæ formidinis nubila Comitis Montis regij Genuam aduentus extemplò diſſlauit. Hic enim legatus ad ſummum Pontificem deſtinatus à Rege, iuſſus eſt Genuæ ad res componendas aliquot menſibus commorari: ibi comiter cum vno quoq; patritiorum agendo, in-

Varij animorum habitus Hiſpanorũ.

Cur Hiſpanis Reipublicæ magis quam Duci Allobrogi adhærendum.

Genuenſium de dubia Hiſpanorũ fide metus.

Genuẽſium animi diſcuſſo timore ſerenati.

Digitized by Google

do nihil ſe rebus publicis immiſcendo; quò animo Rex, purpuratique in Rempublicam eſſent, pluribus moderationis, humanitatis, ſuauitatiſque morum ſignificationibus patefecit. Quare Genuenſes ingenti ſoluti cura contra Ducis Allobrogis inſidias,& odia ſe acuratiùs muniunt: ſeruatis tamen inuiolabili fide inducijs; quas, & ipſe Montisferrati bellis implicitus, quamquam inquies, & ferox non minus religioſè ſeruabat: cum non validæ ſibi ad obterrēdos potentiores hoſtes vires ſuppeterent;& ſuos fines contra irruentes Gallos in Italiam ad ſuppetias Caſali ferendas deſcenſuros tueri cogeretur: cupiebatque ſequeſtrum interuentu pacem magis tranſactione componere, quàm iterum, tot bellis diſtractus ferro decernere: ſed inter hæc belli; paciſq; molimina varia irriquieto animo verſantem violentæ impetus febris abripuit; vt poſtea fuſiùs dicemus, qui totam Italiam proferendæ ſuæ ditionis ardore concuſſerat.

Princeps Victorius Patri ſuffectus minus Genuēſibus infenſus.

Mortuo Carolo Princeps Victorius natu maior hæreditario iure ſuffectus eaſdem Parentis curas cum imperij onere ſubijt. Verum proniùs fuit, cum animo ſedatiori principe pacē cū Genuenſibus conſtituere; cum ipſe nullis offenſus iniurijs non ita implacabili odio in Rempublicam raperetur. Omnia igitur diſſidia ex compoſito in Regis Hiſpani arbitrium conferunt, cui liberum, atque integrum foret de conteſtata lite pro voluntate ſtatuere. Dictæ igitur à Rege pacis leges.

Quibus conditionibus pax inter Genuenſes & Ducem Allobrogē conſtituitur.

Ablata primum ſibi inuicem reſtituerent: Zuccarellum Reſpublica retineret, ſolutis tamen Duci Allobrogi centum ſexaginta aureorum millibus quaternis æquis portionibus: pro ijs omnibus, quæ poſſet ille contendere. Priuata, & publica bona bello fremente, erepta redderentur. Reſtituerentur in gratiam, qui eo bello aduerſis partibus deſeruiſſent. Vacherij coniurationis conſcijs alibi exulantibus parceretur: dummodo tamen nunquam in Genuenſem dominatum ingrederentur, alioquin rei capitis eodemq; quo cæteri coniurati, ſupplicio damnarentur. Genuenſes muralia tormenta Duci ablata Sabatiæ in Taurinos trahenda, Dux verò in vicinioribus Genuæ Locis ſua Reipublicæ ſiſteret. Hæc pacis conditionum capita quamuis vtræque partes ægre admodum acceptarent, immo reſpuerent: tamen Infantis Cardinalis dexteritas, & prudentia à fratre Rege prius inſtructus effecit, vt poſito acceptiori conditionibus modo, ijs tandem pacatis animis acquieuerint.

Digitized by Google

VERVCÆ OPPVGNATIO

NARRATIO SEPTIMA.

ENimuerò Dij mortales omnes ſicuti pilas habent: quos modò in ſublime felicium rerum officioſis manibus iaculantur; modò in ima præcipites actos plano calamitatis allidunt: nunc eorum animos ſpebus ingentibus inflant, mox iiſdem deſertis, miſeris, egentibus illuſuri. Rident certè immodica vota mortalium, fruſtrantque perſæpè audaciora conſilia; quæ mens ſibi nimium fidens ſuarum virium imbecillitatis ignara coquit: magnis Principum conatibus ſemper infenſi, in quibus iactabunda ſibi placere poſſit humana ſuperbia; quos vno difflatu citiùs momento diſcutiunt. Sed magis piè, religioſeq; loquar. Tument ſanè Duces, & Reges validis ſepti bellatorum agminibus terrarum orbem quaſi facile domituri: ſed Deus, è cuius nutu quęcunq; pendent bellorum euenta gentium conſilia diſſipat, Regumq; reprobat deſtinata. Xerſem Perſarum Regem, vbi Greciæ campos decies centenis bellatorū millibus obruit; & conſtrauit claſſibus mare, exiguo fugientem nauigio, magno ſanè regiæ fortunæ ludibrio ſuſpexit antiquitas. Superiori ſeculo Solymanus Turcarum Princeps poſtquam innumera peditum, & equitum in Auſtriæ planitiem fudit examina, vicinorum hoſtium caſtrorum fremitu territus, detrectata pugna, circa Viennam incertus conſilij pependit; nullaque tanta copiarum mole digna re geſta, indecoris, inglorius extabuit; iacuitq; eius quaſi dempto capite exercitus multitudine formidandi corpus exanime. Oſmannus pariter eiuſdem gentis magni ſpiritus, atq; indolis Imperator trecentis peditum, ducentis equitum millibus mouit in Sarmatas totius Aquilonis prouincias immanibus faucibus hauſturus. Quos porrò tanti vniuerſi orientis armorum fragores, & conatus exitus habuerunt? Fruſtra iterum, atq; iterū poſt compoſitam pacem per ſummam perfidiam repentino impetu tentatis hoſtium caſtris, Sarmatarum virtute repulſus, protritus deputauit in lucro, atq; antiquiſſimum habuit, adhuc mutua cęde cruentas inita pace, iungere cum hoſtibus dextras. Nos itidem vidimus paucis ante annis potentiſſimos Chriſtiani nominis Principes in Ligurum perniciem validas armaſſe copias, ornaſſe inſtructiſſimas claſſes, ingenti furore tripartito erupiſſe ex Helueticis, ex Graijs alpibus in maxima bella; & tamen præter pauca, obſcuraque oppida expugnata, & direpta, incolarumque terrorem, & fugam intra famam, nullo fructu, eluſa expectatione mortalium, tam formidandi armorum impetus ſubſedere; alterius Gallici exercitus vigor inter Helueticas, & Rheticas rupes, & cautes nullo operæ

Plaut.

Deus irridet in omni vota mortalium.

Digitized by Google

pretio conſenuit: alterius niſus, vna cum Allobrogicis copijs veluti immitibus Ligurum ſaxis impactus fracto impetu tetro reſilijt. Anglicæ claſſi in bellum Liguſticum comparatæ magnitudine nauium, & multitudine, Epibatarumque virtute metuendæ vix ſolutæ litore alto deſpecto, corruptis commeatibus in portum fuit iterum recurrendum. Gallica verò toto eo bello in Maſſilienſi portu ſegni torpuit otio. Hiſpanici exercitus veteranæ virtutis, atque Inſubrum, Germanorumque militum floris vnius oppiduli oppugnatio vires, ac robur eliſit: quæ ſicuti pœnitenda pro tam validi exercitus impetu, ita inter paucas memorabilis mortales erudijt, non eſſe nimis, præſertim in rebus bellicis, propriæ virtuti fidendum; ſed omnia auſpice cęlo conanda: cum nullibi efficaciùs, aut potentiùs fortuna, quàm belli imperet, clariùſq; ſuum proferat dominatum: quæ, vt alias ſæpè fruſtra ſpes habuit humanas; ita Hiſpanorum niſus in Verucæ oppugnatione feſellit.

Aſti. *Acqui.* *Varia Hiſpanorum conſilia de bello ſuſcipiendo.* Dux Feria decuſſo ſuorum tantum armorum aduentantium fama è Genuenſium ceruicibus Gallo, & Allobroge, qui ne medij ab hoſtibus circumuenti inde ab erumpente Ligure, hinc ab ingruente Hiſpano bello ancipiti cęderentur, Aſtam trepido agmine ſe receperant; Aquis ſtatellonum Oximianum digreſſus, ibi coactis in prætorium copiarũ Ducibus de belli gerẽdi ratione, ne tam validi exercitus ſeneſceret vigor, eorũ rogabat ſententias. Alij alia ſentiebant, varia pro ingeniorum diuerſitate Ducibus ſuadẽtibus. Vercellarum iterum, aut Aſtæ oppugnationem tentare, vt ſibi in Taurinos panderent aditũ, ſicuti diuturnæ, ac difficiles expeditiones, ita vani laboris, incerti exitus, & exigui fructus fore videbãtur; cum illæ vrbes, etiam ſi iure belli Duci Allobrogi eriperentur, nihilominus in pacis ineundæ fędere eidẽ reddendæ forent, conſtante fama, eã mentẽ Hiſpano Regi non eſſe, vt terras ſuo affini Principi belli impetu ablatas, ſuis ditionibus inſereret. Ad quid igitur tanto impendio ſanguinis, atq; enormi impenſarũ iactura per ſummos exercitus labores munitum oppidum quærere, quòd mox reſtituendũ hoſti eſſet? Tutius igitur pleriſq; viſum, opportuniuſq; cõſiliũ vniuerſas copias in

Bellum in Taurinos decernitur. Taurinos effundere, atq; incurſibus, cędibus, incendijs vaſtatione agrorũ, direptione villarũ Genuẽſiũ iniurias vlciſci, Ducẽq; Allobrogẽ ita proterere, inquietiſq; ferociam contundere, vt ſuis cladibus doctus ediſceret; non eſſe minima de re Italiæ tranquillitatẽ importunis bellorũ motib. perturbãdã; nec ſibi futurũ impunè, ſi Regis amicos, & ſocios bello ſuæ prætẽta offenſarũ ſpecie proferendę ditionis cupidini prouocaret. Sic citra exercitus perdendi regiorumq; exiſtimationis armorum amittendæ diſcrimina rem ex tuto geri poſſe, atq; integris, & validis copiarũ viribus omnes Taurinos dari

Sarmatæ, et Liburni equites in ſubſidium deſcendunt. peſſum belli impetu; pręſertim cum Sarmatarũ, Liburnorũq; equitũ numeroſæ turmæ equorũ pernicitate procurrẽdis agris aptiſſimę in hoſtiũ oculis, pũnicã populari, agereq; ex hoſtico pręda nullo Allobrogici exercitus metu cohibente, poſſent, qui mutilus, imminutus, lacerus in apertum contra procurrentem, vaſtantemq; omnia hoſtem prodire non erat auſurus.

Hoc

Hoc Hiſpanorum Ducum conſilium vbi Taurinis innotuit, tanto terrore concuſſa vniuerſa prouincia contremuit; vt ipſi quoq; Auguſtæ Taurinorum ciues, ne dum agri incolæ, non ſe tutos ſatis intra munitæ vrbis propugnacula rati pretioſiſſimis rerum auectis, vicinarũ Alpium latibula quærerent: eãdem trepidationem, pauorem, populariumq; fugam experiente Allobroge, quẽ paulò ante Liguribus iniecerat. Ita perſepè mutata belli fortuna ſuccumbit, qui hoſtibus validis ſeptus viribus fecerat terrorem, & fugam. Verum hoc ſalubre procul dubio conſilium pernicioſa quędam occupandi alicuius oppidi prurigo corrupit: non tam ex bellicis legibus, militariq; diſciplina, quò belli ſedem, armamentarium in hoſtili terra, quàm vt tutum receptum, ſecurumq; aditum ad inuadendos Taurinos haberent. Neq; enim ex Regij exercitus dignitate, exiſtimationeq; videbatur tam firmas copiarum vires in prædandis pauperum agreſtium mapalibus, abigendiſque bobus, & gregibus diſtineri; niſi etiam regijs armis digna expeditione ſuſcepta, oppugnando alicui oppido admouerentur: quod nullo ferè labore primo, repentinoq; exercitus impetu capi poſſet; cum neq; validis præſidijs, neq; commeatibus, tormentarioq; puluere Dux Allobrox ſuas arces ſolitus eſſet inſtruere. Cõiectis igitur in Aſtam, Vercellaſq;, aut in Verucam oculis, Oximiani paribus ferè interuallis ab ijs vrbibus recedentis Dux Feria myoparonum, nauiumq; numerum comparabat; quibus conſtrato põte Erydano, traductis copijs, alicui Taurinorum arci ſuccederet: vulgato ſponte rumore, Hiſpanos Vercellas, aut Creſcentinum oppugnatum ituros, ea mente, vt cum Dux Allobrox copiarum paucitate eodem tempore omnia ſimul oppida robuſtioribus præſidijs firmare non poſſet, omnes ſuas vires in petendum congerendo, deſertioris faciliorem faceret expugnationẽ; quo furtim veluti abrepto, tutiùs, & commodiùs in Taurinorum exitium copias poſſet inmittere. Verum natiua Hiſpanorum tarditas ingeniorum hoc quoq; ſalutare conſilium euertit; quòd feſtinatio in bellis plerumque tutiſſima perfeciſſet. Quamuis enim Erydanus ponte innctus Duci Allobrogi ſuſpicionem inieciſſet, ne Creſcentinum hoſtis eſſet aggreſſurus, & ea de cauſa Aſtæ relicto Principe Thoma, cum duobus tantum armatorũ millib. ipſe cum reliquo copiarum robore ad fluminis litora properaſſet: & Feria illicò Aſtam verſus cum toto exercitu flexiſſet; vt hoſtem ad eam vrbem tuẽdam ſimulato acceſſu, traheret, & in alia parum firma, munitaq; oppida conuerſis repẽtè copijs, Ducis opinione deluſa, grauior incũberet; vel ſi ille ne cętera dereſeret ad Aſtã tuendã ceſſaret accurrere: obſeſſis circa vrbem aditibus, omnib. interclusa ſubſidijs ea facili Marte potiretur; nihilominus ad Albæ Crucis cauponã cũ vniuerſis copijs prouectus, ibiq; aliquot diebus ſegni otio conſumptis, emiſſo tantũ ad populandos agros equitatu, amplũ ſpatiũ dedit hoſti nõ ſolũ eò caſtrorũ magiſtrũ cũ trib. peditũ millib. ſubſidio mittendi; verũ etiã ipſi cũ reliquo exercitu protinus aduolãdi. Ea igitur pernicioſa cunctatione, ac mora eius parũ inſtructæ occupandæ repentino ſucceſſu vrbis Feria ſuę irritus ſpei, alia deſtinata oppida ſubire, quę in Aſtã

Taurinorũ de Hiſpanis metus.

Hiſpanorũ pernicioſũ conſilium.

Feria Ducis aſtus.

Tarditas in bello damnoſa.

Feria Aſtã inuaſurum ſe ſimulat.

Verucæ decernitur oppugnatio.

Mora deſtinata corrũpit.

inductis omnibus copijs,nullis præſidijs tenebãtur,animo moliebatur.Verucæ commodior, opportuniorq; oppugnatio viſa eſt, quæ ab Hiſpanorũ copijs infeſſa,ita Creſcẽtini,Vercellarũq;agrũ ſecludebat ab Aſta,vt mutuo ſubſidio ſibi eſſe non poſſent,nec inuicẽ auxilia ſufficere. Nulli dubiũ erat, quin& paruitate loci,& imbecillitate pręſidij cũ trecẽtorũ tãtũ agreſtiũ cuſtodia oppidũ tueretur,proſperũ, ac fęlicẽ euẽtũ expeditio eſſet habitura, niſi eadẽ tarditas Hiſpanis inſita ingenijs,dãnoſaq;mora deſtinata ſalubriter euertiſſet,in quib. exequẽdis efficax celeritas opus erat.Nihil.n.pniciosiùs belli eſt,q̃ in expeditionib.obeũdis illa incertitudo regẽtiũ copias animorũ,atq;hęſitatio cõſilij,cũ vbi aliquid decreueris,maturè factũ oporteat

Hiſpanorũ erratum.

Veruca erat huiuſmodi, vt nullo circunducto vallo, nullis munimẽtis in obſidiũ erectis primo tã validi exercitus impetu capi poſſet: vel Duce Allobroge ad Aſtã eius vrbis metu amittendæ retẽto,aliquot equitum turmę totidem moſchettatijs equorũ clunibus impoſitis ad eam inuadendã ſubmiſſę fuiſſent.Hiſpani verò Duces quaſi alicui munitiſſimę vrbi firmis propugnaculis,& męnib.vallatæ veterano præſidio,validoq;defenſę ſucceſſuri eſſent;vt tecti contra tormentorũ iactus,telorumq; procellã, quæ nulla ab agreſtiũ pręſidio rerũ militariũ rudi,metuẽda erat,nimiũ cautè omnia metiendo procul ab oppidi męnib.conſedere: fixiſq; tentorijs, atq; excitatis aggeribus contra eruptiones, & iacula obſeſſorũ ſe muniunt. Riſiſſent tã accuratam metationem caſtrorum, & tam diligentem Hiſpanorũ cautelã bello experti Duces; ſi cõtra oppidulum tribus agreſtium centurijs defenſum,nullis ex recenti militari peritia propugnaculis ſeptum,ita tuto,lẽtoq; gradu circumſpectè eos ſubeuntes vidiſſent. Ridicula certè,ac ſuperuacua tam potentis exercitus in ſe tuendo,muniendoq;cura,quòd ſi ſolertium de more Ducum aliquam turmam ad caſtelli exploranda munimenta, laceſſendumq;velitatione præſidium præcurrere iuſſiſſent: cognita vtriuſq; imbecillitate,primis in illud impreſſionibus irrupiſſent.

Hiſpanorũ cautela.

Inter Allobroges, & Hiſpanos pugna.

Mouẽtibus Aſta Hiſpanis,Princeps Thomas, & caſtrorum præfectus cũ octingentis equitibus ſubſequuntur in extremũ agmen auulſum à cæteris incurſuri, qui aliquot Germanorum equitũ turmas procul à reliquo equitatu Lilleo Duce palantes per agros intuiti,in illas laxatis habenis impetu dato,facilè fuſas deleuiſſent:niſi ſocij equitatus pars illis ſubſidio celeriter accurriſſet; quæ in Gallos equites, & Taurinos acriter inuecta explicatis eo diſcrimine Germanis, plures hoſtes occidit: inter quos militari dignitate Hermanſæ dynaſta totius Allobrogici equitatus magiſter eminebat. Quare ea cæde compreſſa hoſtium audacia, potuit Hiſpanus exercitus cępto itineri inſiſtere. Neque tamen hi Allobrogum incurrentium victoriam impetus retardaſſent;aut expeditioni accepta incõmoda magnopere nocuiſſent, ſi quòd vna equitum ala præcurrens poterat obtinere, totius exercitus vires aggredi auſæ in illud ſe oppidulum conieciſſent;cũ neq;maiori pręſidio firmiùs,neq;adiectis propugnaculis munitius,quã cũ ab Aſtẽſibus caſtris profecti illud expugnandum animis propoſuerãt, ſubitã inua-

dentium

dentium impreſſionem ſuſtinere potuiſſet. Nam quamuis dux Allobrox Aſtæ defunctus periculo cum expeditioribus equitum turmis,& peditũ cohortibus prodijſſet in campos, hoſtiũ lateribus obequitans in omnes eorũ motus intentus: attamē quia via,qua gradiebatur Hiſpanus,Cheriũ ęquè, ac Verucā ducebat;non poterat coniectare vtrum oppidum ſibi oppugnãdũ deſtinaſſet. Itaq; incerto animi ſuis quod ammodo librato alis hærendum erat; vt eò protinus aduolaret, quò hoſtis ingrueret. Auxit quoque ſupinæ Hiſpanorum incuriæ notam, & damnum, quòd Duci Allobrogi, conſpectis Hoſtibus Verucam flexiſſe,vt periclitanti oppido ſubſidium inferret, longo circuitu prius Creſcentinũ adeundũ erat, ad quod vltra Erydanum poſitũ traicere nō poterat,niſi per lapideũ pontē:quo apud Taurinorũ Auguſtã flumē cōmittitur:quo remorante Allobrogũ copiarũ curſus celeritatem, poterat Feria opportuna parum muniti occupandi oppidi occaſione vti,antequam Dux Carolus traductis vltra Padum copijs,ſuppetias afferret. Sed cum neq; Dux Feria, neq; Cordubenſis, qui omnibus imperans Gubernatoris nomine bellica procurabat, eam citra cruorem potiendi oppido occaſionem arripere voluiſſent; hac incuria, ac negligentia fęlicitatem victoriæ,proſperumq;ſucceſſum cum totius florētis clade exercitus præuerterunt: qua obſcuro oppidulo claritas parta, cum ex diſiectis, conſumptis Hiſpanicis copijs emerſerit. Mirum eſt quãtum aduerſo Marte tentata Veruca de regiorum exiſtimatione armorũ, ac dignitate deceſſerit:& quãtũ Ducis Allobrogis res penè proſtratæ,atq;acciſæ ſurrexerint. *Hiſpani Allobrogē Ducam dubiũ, atq; animi ancipitem faciunt.*

Veruca exiguum oppidum in dextro Erydani litore nulla alia de re, niſi ſitus poſitu alicuius momenti ſurgit in vertice collis vndiq; abſciſſi, atque prærupti, præterquam ad meridiem, quà modicè decliuis ſubmiſſo leniter iugo,ſe explicans ſuburbium continet;quo tota cliui crepido conſternitur. Ima collis ad dextram aluit Padus,qui rupe ſuis fluctibus verberata, latior inde diffunditur,relicto in medio exiguo plano toto arboribus cōſito.Nullis munimentis ſepitur,excepta exigua arce in cliui dorſo conſtructa; cui ſi antiquam turrim demas, vetuſtarum magis ædium, quàm caſtelli ſpeciem præſefert. Suburbium per collis pendicem ad meridiem procurrens antiquiſſimo, ac debili maximè muro vallatur. Tumulis tota circum tellus extuberat, qui Verucæ collem hemicycli figura coronant. In iis collibus ad orientem ſolem Hiſpani tetenderunt, eo conſilio, vt à tergo Montisferrati iacente agro, & à dextero latere præterfluente Pado, nauigijs, & vehibus commodiùs ad caſtra commeatus ſubueherentur. Inde ad occidentem productis munimentis; cum primo ſtatim copiarum acceſſu eſſet oppidum inuadendum, nullo firmum præſidio, neque bellicis rebus inſtructum, quo vnius cohortis impetus potiri potuiſſet: ſe aggeribus vallare, munire propugnaculis, extruere loricas, & parmulas inſtiterunt: ac ſi in alicuius hoſtilis præpotentis exercitus oculis ſe ad munitiſſimam vrbem oppugnandam inſtruerent. Interim nulla equitum turma,nulla peditum cohorte,ad tētãdũ hoſtē iuſſa muro ſuccedere, intra *Veruca deſcriptio.* *Hiſpani ad Verucam caſtra ponũt* *Supervacuã Hiſpanorũ circumſpectio.*

munimenta commeatus, cæteraq; oppugnandis vrbibus opportuna, quæ lentè admodum afferebantur, ceſſantes expectabant: & quòd fœdius, turpiuſq; ex militari diſciplina bellantibus eſt; nulla militum ſtatione ad aditus poſita, vt oppidum ſubſidijs omnibus interluderent; adeò vt à Duce Allobroge,conuerſis ad Verucam Hiſpanis,Diui Rerani Demarchum cum ſua mille peditum legione eò iuſſum feſtinare, nullus acceſſu, ingreſſuque in oppidum prohibuerit; qui idcircò de medio die ſpectante Hiſpano exercitu, per ſuburbij portam hoſtilibus caſtris vicinam ſubſidium inuexerit, non exigua id ignauè ſinentis infamiæ nota.

Subſidium Verucā ingreditur.

Dux Allobrox Mediolani produce excitandis propugnaculis tantum, ducendiſq; munimentis intento, imperat, vt Mariſcallus, quem Aſtæ cum Principe Thoma ad præſidium iuſſerat ſubſidere, quàm primum inde digreſſus Creſcentini ſecum ſuos milites iungat:ille interea celeri gradu cum expedito equitum,& peditum agmine Verucam feſtinat; quo etiam Mariſcallo cum quinque Gallorum millibus prouecto,ad eius oppidi tutelā omnes vires,cogitationeſq; conuertit, Traiectis vltra Padum copijs, in litore ab Hiſpanis imperitè neglecto, interiacenteq; plano excitatis aggeribus caſtra munit,nullo hoſte repugnante.Mox Verucam cum valida copiarū parte inijt.Suadebant pleriq; Duces, vt deſerto ſuburbio, quòd inualidis mœnibus cinctum nulli ad rerum ſummam momento erat,omnes vires ad tuendam ſuperiorem oppidi partem velut munitiorem accruaret;ſed ſuadentiū repudiata ſententia illud pro viribus tueri decreuit ea mente, vt hoſtē procul,quàm poſſet maximè diſtentum,ea qualicunq; propugnatione laſſaret, niſi vires,& audaciam infringeret:certè primos contunderet impetus,morareturq;oppugnationem;Hiſpanos eo munimentorum obiectu fatigādo, Inchoatam igitur ab oppidanis in ſuburbij fronte loricā abſoluere inſtitit: quæ partim murum tegebat,partim latera tuebatur, impoſitoq; ibi valido præſidio; ipſi muro ex tellure vallū aggeſſit, quo firmior tormentorū ictus reſpueret:triplici poſtea aggerū ordine paribus diſtantiū interuallis totum interſecuit ſuburbiū,vt ab ijs cū collis accliue ſe efferētibus,nō ſolū Hiſpani prima munimenta inuadentes peterētur,ſed etiā vt propugnatores,ſi ab anterioribus aggeribus pellerētur,plures à tergo,tutioreſq;receptus haberēt; è quib.in ſubeuntē hoſtē ex tuto pugnarēt,pretentiſq;haſtarū cuſpidib.precipites reuolutos cōfoderēt.Opportunè ēt in altiorib.partib.collis tormēta librauit,quę nō ſolū munimēta ad ſuburbij frontē, totāq; eius latitudinē abraderēt,ſed etiā Hiſpanos in ipſis caſtris quaſi deſtinatis ictib.lacerarēt.

Dux Allobrox Verucam feſtinat ſubſidio

Ducis Allobrogis conſilium.

Veruca cōtra Hiſpanos munitur.

Quòd verò tutiorem propugnationem,atq;inſuperabilem fecit,pōte ex nauibus compacto,qui inter Creſcentini litora,& Verucæ planū iunxit Erydanum,vt ſe inuicē Allobroges ſociatis viribus adiuuarent, recenteſq; atq; integri,ſi pugna iniretur,in pereuntiū locū ſubirent:minuſq; laborioſā ſuccedentibus ſocijs defenſionē experirentur,diuturnioreq; atq; obſtinatiorē oppugnationem hoſtibus facerent.Neq;hæc tantum munimenta Hiſpanis obieciſſe contentus, ad maius pontis, & præſidij in plano confidentis tutamentum

Padus iungitur ponte.

mentum ingens vallum,latumq; aggerē,inter prominentis ad oriētem collis extrema conſtruxit, qui totum ferè interiacens planum,pontemq;tegebat;quibus ita diſpoſitis,expectabat,vt quam mox Hiſpani munimenta aggrederentur. Sed Feria per otium ad offenſarum apparatus incumbens, de Ducis Allobrogis curis,& artibus non magnopere laborabat, quaſi ſui eſſet arbitrij,quandocunq; vellet, oppidum occupare. Verum duriorem hoſtiū obiectum,difficilioréq;propugnationē, quā ſibi animo figurarat, offendit. Nam quãuis tutiùs forte conſilium futurum fuiſſet,omnibus ſimul virib.oppidum inuadere;nihilominus tot fortiū pro muri corona, munimentorūq; faſtigio ſtantibus millibus bellatorum,nō modo res plena periculi, ſed etiā temeritatis videbatur,ipſius maximè ingenio pugnæ aleam refugiente,præſertim,cum iniqua omnia futura aggreſſoribus eſſent,enitendūq;per ardua collis frequentibus trāſuerſis propugnaculis,atq; aggerib.impedita, & imminentia tormenta è ſublimi ſuccedentes Hiſpanos quatere poſſent; quo futurū erat,vt neq; vlterius inuehi ſine ſtrage,neq;diutiùs in inuaſione perſiſtere ſine cede,cladeq;poſſent:& ſi vltra primos aggeres prouehi, ſuperareq;prima obiecta munimēta belli fortuna,cōſtanſq; virtus daret; maiores difficultates in excitandis loricis,quas ſibi contra propugnatores obtenderent,offenſuri erāt;cū ab eminenti collis ſitu vndiq;tormētis inceſſi,cogiq; poſſunt ea munimenta deſerere,quæ per multū ſuorum cruorem,& cędē,& vulnera occupaſſent. Allobroges verò ab infeſſo Padi litore deturbare, ſicuti ante eductum munimētum nullius fortè laboris fuiſſet;ita poſt munitū aggeribus litus maximè arduum futurū erat, non tam ob recentia militum ſubſidia per pontem ſubinde mittenda, quàm ob telorum procellam, quę supernè in oppugnantes ingeri poſſent. Id ſuo malo experti ſunt Duces Hiſpani; nā tentatis ſemel, & iterum Allobrogū munimētis,quãuis acerrimo impetu illati ea tranſilire deiectis propugnatoribus,conati fuiſſent: tamen ingenti cęde reiecti,tum demū didicerunt,non eſſe cunctandū in bello,neq; hoſti ad ſe muniendū aliquid moræ,vel tēporis concedendum. Pontis vſum Taurinis intercipere,ſicuti vtiliùs fore videbatur,ita ardui operis,laboriſq; erat,cū & collis altitudine,& agere tegeretur, ita vt tormentorum iactibus diſijci, aut ſolui nō poſſet;quãuis è tormentario quodā tumulo à Philippo Spinula Demarchi filio contra illum erecto depreſſis duab. nauib. globorū ictibus abruptus fuiſſet; quē tamen diligēs Taurinorum opera, & cura ſuffectis alijs nauigijs,extemplò ſarciuit;& ne iterum tormentis ab hoſtib. peteretur,Dux Allobrox illū paulò inferiùs reduci iuſſit,vbi plani ſaltus obtētu aſpectū hoſtib. interciperet. Sed paulò poſt, quē quatere Inſubrum tormenta non poterant,Padus effuſis cęlo imbribus intumeſcens aquarum impetu abreptum molendinum in pōtem impegit; quo immani impulſu diſiectus laceratis nauib.verticū voluminibus ſecundo flumine rapiebatur,ſed huic quoq; incōmodo celeriter occurſū eſt,ſubductiſq;alijs nauib. refectus iterum vltrò,citròq; commeandi Allobrogibus ſolitam viam aperuit.

Feriæ nimia fiducia

Inuadendæ vrbis difficultas.

Nullum dandum hoſti tempus.

Pons fluminis impetu abripitur.

Hiſpani ſtrenuè omnibus difficultatibus obluctati magis arduā in dies,

Hiſpani va- *rys difficul-* *tatibus in-* *plicit.* laborioſamque oppugnationem experiebantur: dubijſque pendebant animis, quanam parte eam ordirentur. Tutiſſimum conſiliorum videbatur; (nam de cæteris omninò deſperandum erat) ſuburbium inuadere, quo paulatim, paſſimque potiti ſibi ad collis faſtigium, in quo ſurgit caſtellum, viam munirent. Verum hic quoque maximæ difficultates Hiſpanos ab opere deterrebant; cum & obiecta à Duce Allobroge munimenta, & ardui ſitus ingenium ſubeuntibus cladem, ſtragemque minarentur. Cum enim ſuburbium ob collis eminentis præcipites deiectus vtrinque inaceſſum, ſupererat, vt à fronte tantum poſſet inuadi, quæ cum anguſta admodum eſſet, exiguus propugnantium numerus aggredientium multitudinem poterat amoliri. In frontem igitur ab Hiſpanis librata tormenta, quæ vbi iteratis ictibus tonuerunt; ſuffoſſo aliquantum munimento, tandem Germanicæ legiones Duce comite Sulzio, & Ludouico Cordubenſi ſtipatis ordinibus inclinatis in ora propugnantium haſtilibus audacter munimento ſuccedunt. Cruenta vtrinque pugna certatum eſt; ſed Germani iniquitate loci, cum in arduum ipſis eſſet pedibus, & manibus reptantibus enitendum, & propugnantium virtute ingentibus animis impetus ſuſtinentium repulſi iterum repetita acriori impreſſione, munimento potiuntur. Bis redeuntibus in pugnam Taurinis Germani ab aggeris faſtigio deiecti, tertium tandem iterato impetu, exactis haſtatum cuſpidibus Taurinis, illum obtinuerunt. Verum ſequenti nocte horribili Gallorum impreſſione Mariſcallo Duce Germani ab eo iterum deturbati in caſtra minori numero redierunt.

Germani ſuburbium inuadunt.

Munimento potiuntur & deturbantur.

Hoc exterius munimentum fuit veluti pugnantium area, in qua ſe bellica virtus mutua hoſtium cęde probauit: nam quoties ab vtriſque receptum, toties etiam amiſſum inter ſe vtriuſque exercitus vires æquali ferè belli fortuna commiſit. Sed deſertum ſponte veluti nimis damnoſum ab vtraque parte, nulli alij vſui fuit, niſi quòd in illo ſicuti in theatro, aut arena certaminũ cruenta ſpectacula cum plurima promptiorum militum cęde, ſtrageque edebantur. Ceſſatum interim ab Hiſpano ab aggrediendis munitionibus eſt, cum non eſſet par operæ pretium, longèque minus detrimenta æquaret vtilitas, maioraque damna beneficijs eſſent. Res geri cœpta tormentorum miſſilibus, quæ non in munimenta, ſed in oppidi tecta inceſſante procella ingerebantur: quorum pulſibus proſtratæ ædes deformes areas incolis relinquebant; ſqualor vbique ruentium tectorum, nullibi tutos conſiſtere oppidanos volitantia tela patiebantur ſæuitum in domicilia aliquot dies tormentorum iactibus eſt: ſed cum hæc quoque bellandi ratio nihil ad victoriam prodeſſet, & inani iaculatione tormentarius puluis, & bellica annona nequicquam profunderetur; agere cuniculos, ſuffoſſa tellure, ſubterraneas vias ducere aggrediuntur, ea ſpe, vt nulla militum cęde citra copiarum cladem in oppidum irrepere poſſent. Hos quoque Hiſpanorum conatus propugnantium accurata induſtria irritos, vanoſque fecit; namque ab ijs, aut contrarijs excauatis occurſum hoſtium cuni-

Ab Hiſpanis in tecta ſæuitur.

Aliã bellãdi rationem ineunt.

cuniculis eſt, contraque ipſos authores flammæ retortæ propugnantium induſtria perductis tranuerſis ſcrobibus, alijſque impedimentis obiectis omnes Hiſpanorum labores eluſit. Propugnatores his fœlicibus auſis, certaminumque ſucceſſibus animis erectiores puduit intra munimenta tantum oppidi defenſioni hærere: valida igitur mille quingentorum Gallorum Duce Valencienæ dynaſta eruptione facta, in Italorum ſtationis munimenta à cæteris remotiora ingenti auſu incurrunt: ſed ab Italis non minori virtute hoſtes excepti cum quadringentorum Allobrogum cæde, capto eorum Duce repulſi documento fuerunt, eruptiones nihil obſeſſis, niſi ad oſtentandam animorum ferociam proficere; immo ſæpiùs perniciem afferre, maturareque deditionem, cum pereuntibus præſidiarijs, nudata ſuis propugnatoribus munimenta remaneant. Itaque ſociorum clade coercita Gallorum animoſitate, ad oppidum duntaxat tuendum eminentis ſitus beneficio adiuti acriùs propugnatores incumbunt, non ampliùs auſi in hoſtes erumpere: ſed in omnes Hiſpanorum molitiones intentis ſatis erat procul eos à munitionibus ſummouere. Angebat maximè Ducum obſidentium animos eius oppiduli oppugnandi ſuſceptum ſine conſilio conſilium; quo Regiorum exiſtimatio, dignitaſq; armorum, & tot veteranorum Ducum martius honor, & bellica gloria inſcitiæ, inertiæ, imbecillitatis apud omnes Principes aſperſa labe traducerentur: iamq; eos proſperi exitus, ac fęlicis euenti ſpes deficere ceperat, quòd nec aperta impreſſionum vi, neq; furioſis tormentorum iaculationibus, neq; cuniculorum induſtria, aut alijs bellicis artibus quicquam profectum fuiſſet: cum & Allobrogis Ducis ſolers, & efficax ingenium, militariſq; peritia, & ſitus iniquitas, munimentorumq; firmitas ipſorum viribus longè præcelleret. Eò rerum ventum erat, vt omninò Verucæ expugnatio deſperanda eſſet; niſi priùs hoſtilia ad Creſcentinum caſtra opprimerentur; aut inde hoſte deiecto, Allobrox ea parte ſubſidijs exueretur: quòd niſi diuiſis copijs obtineri non poterat; & hoc maximè Dux Feria, cæterique Duces auerſabantur: ne bipartito Taurinos aggreſſi, exercitus partem in diſcrimen darent. Præter id quòd eius quoque hoſtium ſtationis oppugnatio non minorem difficultatem, laboremque Hiſpanis eſſet allatura; quòd illam à tergo Creſcentinum munitum oppidum tueretur; à fronte Erydanus præterflueret, & in aduerſo litore Verucæ caſtra ponte commiſſa: ad dexteram Duriæ Baltheæ nauali ponte conſtratæ obiectus hoſtem muniret. Ad ſiniſtram, qua maius Dux Allobrox ſibi periculum verebatur; patebatque apertiùs petitionibus hoſtium; ob pontem, quem adhuc Feria ad Aſturæ pontem ad receptum integrum ſeruabat, ducto à Creſcentino ad vſque padi litora munimento, prominentibus in latera propugnaculis, ſe contra hoſtium aſſultus tutiſſimè texerat. Omnes circumquaque viæ pluribus Taurinorum ſtationibus inſidebantur. Quarum inſuperabilium difficultatum oppoſitu ſaniùs futurum erat conſilium nihil penſi habita exiſtimationis,

Irritus Hiſpanorum labor.

Obſeſſi in hoſtes erũpunt.

Hiſpanus pœnitet ſuſcepta Verucæ oppugnationis.

Hiſpanorũ anceps conſilium.

Quod ſanius Hiſpanis conſiliũ ineundum erat.

mationis, belliciq; decoris ratione, ſpretiſque inanibus de turpi receſſu rumoribus, incepto abſiſtere, atque ab ea difficillima oppugnatione abire, dum adhuc integræ copiæ nullis morbis, aut infirmitatibus tentarentur; quæ mox ingruentes exercitum denſatis militum funeribus deformarunt; pergere obſtinato decreto circa ignobile pendere oppidulum, erat procul dubio tam florentem, potentemque exercitum frequentibus cladibus fractum,enectumque incommodis tumulare. Sed amittendæ bellicæ exiſtimationis formido ſalubriora cõſilia capere prohibebat:cogebatq; Feriam, ac cæteros Duces ceptis inſiſtere, atque in oppidi oppugnatione durare; ne tam floridæ,ac validæ, numeroſæque copiæ hàc, illàcque vagæ nullo perito duce, rectoreque raperentur: & ne perficiendę alicuius expeditionis certum conſilium,firmuſque animus deeſſe ductoribus videretur: eoq; fędiorem futurum receptum, quò omnium opinione faciliorem obſidionem elegiſſent. Timor labefaciendi nimis bellici decoris, ſi à Verucæ oppugnatione diſcederent, & ſpes recipiendi propediem recentium militum ſubſidij, qui in caſtra cito venturi ſperabantur, roborabat animos Hiſpanorum: & iam quatuor peditum millia exauthorata à Genuenſibus aduenerant. Neapoli quoque valida militum agmina ſcribebantur ex Regni delectibus: è Germania pariter quatuor veteranorum militum millia cum equitum legione Comite Carolo Mansfeldio Duce in Inſubres deſcenſura erant: quibus ſubſidijs auctus Hiſpanus exercitus poterat in duo agmina diuidi, quorum alterum Creſcentini hoſtium munimenta, alterum Verucam impeteret:quò Dux Allobrox ancipiti bello diſtractus vtrinque impotens obluctari alterius partis deſertæ victoriam cedere cogeretur. Expectabatur inſuper vt Demarchus Sanctacrucius iunctis ad regias omnibus Ligurũ viribus octo peditum millibus, & quingentis equitibus Manfrino Caſteleone præfecto, ab ora maritima ſe per Sabatiæ fines in Taurinos inueheret; vt ibi omnia belli impetu proterendo, nullis munitis locis, & arcibus in tam vaſta Taurinorum latitudine hoſtium incurſus remorantibus ad eam partem ab armis hoſtilibus aſſerendam Duce Allobroge auocato, Veruca Hiſpanorum poteſtati, atq; arbitrio linqueretur. Non enim potis erat illum tripartito aggredietib.hoſtibus eodem ſimul tempore repugnare. His ſpebus Hiſpani freti, totq; auxiliorum expectatione confiſi Verucæ oppugnationi acriùs inſtant. Sed votis non reſpondit euentus, & fortuna vana ſpe luſit Hiſpanos. Etenim Neapoli expectatione lõgè minora ſuffecta militũ auxilia, & Sanctacrucius recipienda pro Genuenſibus ora maritima exitiales trahendo moras ſuas implicans copias tamdiu diſtulit illas in Taurinos ad auertendum eò Allobrogẽ Ducem effundere;donec Hiſpanus exercitus varijs morbis affectus,ac debilitatus effllueret.Gregariorum militum plurimos eæ peſtes abſumpſerant: tres caſtrorum præfecti perierunt, cohortium Duces, decharchi,ſigniferi,chiliarchi febri correpti ſub pellibus decumbebant: in ipſum prætorium lues illa Feriæ domeſticos illapſa proſtrauit: ipſe quoque languore cõflictatus intabuit adeò,vt

Varia ſubſidia in Hiſpanorum caſtra perueniunt.

Hiſpanorũ virium potentia.

Hiſpanorũ ſpes fortuna fallit.

Aſturiæ

Digitized by Google

Aſturiæ pontem ſecundo flumine deuehi cogeretur: commodiùs febrim curaturus: commiſſa cordubenſi exercitus cura, vt potius de tuto receptu, quam de oppugnationis perſeuerantia laboraret: ne in dies magis vrgentibus morbis copiæ accisæ ab hoſte feroci inſuper delerentur. Cęnoſa, lutulentaque circum regio, paſſim Erydani reſtagnantibus aquis, quas imbribus auctus litoribus ſuperfuſus in vicinos campos euoluit; copiis has peſtes afflauit: maligni pariter grauitas cęli, quod æſtiuis ardoribus cuncta vrentibus peſtilens paludibus mephitim exhalātibus hos languores in milites induxit. Penitùs verò miſeros incommoda, aſſidui militiæ labores, annonæ caritas, commeatuum penuria proſtrarunt: qui perſæpè à procurrentibus quaquauerſum Allobrogum turmis intercepti, & qui aduerſo flumine ſubuehebantur, ab hoſtium ſtationibus in litore excubantibus captis, vel retro relabi compulſis nauibus impediti fame pereuntis exercitus expectationem fallebant. Qui autem per Montisferrati vias plauſtris afferebantur, ab ipſis accolis Hiſpano nomini infenſiſſimis, eam expeditionem auerſantibus, quòd equites Sarmatæ, Liburnique barbarè prædati vicos, & pagos, regionem populationibus deformaſſent: alio abductis, Hiſpanas copias in maximas famis, nuditatis, omniumq; rerum egeſtatem impulerant. Pabuli quoque inopia ſtrigoſiores equi vix pedibus ſtabant; quod vicinis exhauſtis fœnilibus, procul cum ſummo diſcrimine identidem cum obuiis hoſtium volitantibus turmis pugnando per vulnera, & cędes parandum erat. Miſerias augebat, angebatque maximè milites, quòd nullus emerita ſtipendia metiretur: exiguam admodum pecuniam ſufficiente copiis Hiſpania: & eam, quam Feria Inſubribus imperarat, in Germanorum legionum, & numeroſi equitatus ſtipendiis ſoluendis abſumpſerat. Quare eò calamitatum, miſeriarumque adductus erat exercitus; vt neque nuditati corpori conſulere, neque ingruens hyemis frigus arcere veſtibus poſſent: quos ſicuti æſtiui ſolis vapores exuſſerant; nunc horidulos hyemalis bruma coquebat. Mala malis aggeſſerat imprudens, & inſcia adminiſtratio belli: maligni omnium rerum apparatus militaris diſciplinæ remiſſio, & contemptus, militum contumacia Ducum imperia proteruè detrectantium: parere ſiquidem negligit, ſeruareque diſciplinam ieiunus exercitus, quem deſperatio concitat in ductores; qui infirmi, afflicti, attoniti, neque expedire conſilia, neque mandata dare, neque cogere imperia exequi milites poterant. His malis impulſus Feria cum nec toties in munimenta impetu dato, nec cuniculis ſuffoſo plurifariam vallo, neque tormentorum iaculationibus in ſuburbium plus duos, & viginti pedes penetrare potuiſſet; imminuto ita copiarum numero, quas variæ morborum peſtes, & incommoda tolerata detriuerant; vt ab oppugnatione diſcedere ſine manifeſtæ cladis periculo, nedum in ea perſiſtere exercitus poſſet: cum itinera ruentibus quotidie è cęlo pluuiis, ita præalto cęno ſubſediſſent, vt nec pedites ingredi pedibus, nec equites ire luto haurien-

te ve-

Morbis Hiſpanicus exercitus tentatur.

Allobroges Hiſpanos infeſtant.

Varia Hiſpanici exercitus incommoda.

Receptũ edicit.

Veruca difficultas oppugnationis

te veſtigia neque tormenta trahi niſi ægerrimè poſſent. Verũ opportunus in caſtra Mansfeldij Germanicæ legionis aduentus his maximis difficultatibus copias explicuit; quæ cum ex veteranis, integris, recentibus viribus, animoſiſque bellatoribus tota conſtaret; ſuo oppoſitu gradientis exercitus latera texit; donec è ſuis egreſſus ſtationibus ſe in tutum, pacatumque reciperet. Abducta etiam in armamentarium muralia tormenta. Feſtini receſſus trepidationem, turbataque inter receptum agmina ſecum animo voluens Comeſtabilis Diguera, qui recepta è graui morbo valetudine, iterum in Taurinos è Gallia redierat, & munimenta hoſtium exarmata tormentis, militibus itineri magis, quàm propugnationi expeditis; ſociatis cum Allobroge Duce Gallicis copijs, tanto ardore animi in primos aggeres inuectus eſt, vt ijs momento occupatis, ad Germanorum ſtationes excurrerit; ijſque etiam eodem impetu potitus fuiſſet, niſi Salmæ comitis legatus Gallorum impreſſionem infatigabili pugna cohibuiſſet, quo ipſo incumbentium pulſu obruto, obtruncatoque, Comes Sulzius eadem animi conſtantia fortiter pugnam ciens cum ſuæ legionis cohortibus non ſolum hoſtium compreſſit audaciam, ſed etiam ita hiſpida haſtarum phalange repulit, vt à primis etiam munimentis eiectis, vlterius in hoſtes inuectus cætera recepiſſet, niſi Cordubenſis cantato receptu procurrentium impetum tenuiſſet: ratus ſuperuacuum, atque inutile fore ea cum tot fortium bellatorum cæde adipiſci, quæ mox deſerere animo propoſuerat. Iam enim bellico decori, atque exiſtimationi, de qua pugnabatur, ſatis à Germanis videbatur eſſe conſultum fuſo, deturbato, cæſo Allobroge.

Germanicæ legionis in Hiſpanica caſtra aduentus.

Hiſpanorũ à Verucæ oppugnatione receſſus.

Allobroges Hiſpanorũ caſtra inuadunt.

Sequenti nocte non ſueto tubarum cantu conclamatis vaſis, ſed ſilentibus tympanis abiri à caſtris cæptum eſt: ſubmiſſus petrarum alliſus, altera alteram primo agmine concutiente, & flammarum iactus ſigni proficiſcendi ſupplebat vicem. At non ita furtim tanto ſilentio ſe Hiſpanus diſcrimine ſubduxit, vt Dux Allobrox hoſtium diſceſſum non aduerterit; qui ſummo mane comperta hoſtium fuga, cum expedito peditum, & equitum agmine tardo, ac lento gradu recedentium veſtigijs inſtans trepidos aſſequutus plures debiliores, qui vulneribus, aut morbo tardati ægrius cæteros ſequebantur, occidit; maioréque cladem recedentibus intuliſſet; niſi Mansfeldius celeri ſuæ legionis occurſu cęde bacchantem Allobrogem compreſſiſſet. Commodum obſidione Verucæ Feria retractũ exercitum ſeruauit incolumen, iam enim militum ſupplementa ad ſex millia Gallorum in Taurinos ſe demiſerant Duce Dynaſta Vignolio, & circa Eporediam poſitis caſtris conſederant. Veritus Feria ne illud Gallorum agmen vna cum Allobrogum copijs per Seſithis vallem, Maſſeranique principis ditionem in Nouarienſem agrum incurrerent, lacerum exercitum Nouariam adduxit, vt eo ſaltem tantulo militum numero hoſtiles inſultus ſfrænans populationes ab Inſubribus prohiberet. Tales exitus florentibus copijs, & militum veteranorum virtute, & multitudine formidandis fortuna dedit;

Allobroges Hiſpanis recedentibus inſtant.

Iurea. Seſia.

Feria Nouariam lacerũ recipit exercitum.

dedit: quæ Taurinos primo impetu obtrituræ videbantur; & tamen in vnius oppiduli oppugnatione contuſæ, fractæ, acciſæ, quòd ſæpius benegerendæ rei occaſiones Duces intercidere nimium ſuis viribus freti ſupina fiducia ſiuiſſent, vix aliquam ſpeciem exercitus præferebant. Sic humanam potentiam, mortaliumque ſuperbiam fata deludunt, qui validis, & numeroſis circumfuſi bellatorum agminibus ipſi cęlo Gigantum more inferre bellum ſe poſſe confidunt: quorum tamen vires non fulminum iactibus, ſed vno tenui ſpiritu cæleſte Numen exſufflat.

PRIMA CASALIS OBSIDIO

NARRATIO OCTAVA.

COmpoſita vtcumque inter Hiſpanos,& Ducem Carolum pace, ſedatiſque Inſubrum, & Taurinorum tumultibus, priſtinæ tranquillitati Italia reddita, quieturique diù belli incommodis feſſi Principes videbantur; cum eadem alieni habendi cupido, quæ bellantium manus armauerat,rurſus Principes atrocioribus bellis impegit. Quemadmodum enim non benè plagæ obducta cicatrix vel leni affrictu ſtillat ſciſſa cruorem, primũq; redit in vulnus: Sic illa frementibus adhuc,recẽtiq;bello calẽtibus animis parta quies neceſſitate, importuniſq; Sequeſtrũ precibus expreſſa magis, quàm pacato animorum arbitrio profecta, vel leui alicuius futuri detrimenti ſuſpicionis impulſu rupta iterum exit in bellum. Dum ſiquidem Hiſpani Niuernenſem Ducem de inuiſa Gallica gente in Mantuana ditione dominantem ægerrimè paterentur: veriti ne opulentiſſimi regni viris, & armis præpotentis aliquem in Italiam dominatum induceret; inueterataeque Hiſpanici nominis authoritatis pondus validiſſimi Regis potentia, vireſque prægrauarent; cum, & finitimi Montisferrati opportunitas, & Niuernenſis Ducis virium imbecillitas nouo adhuc dominatu, ſollicitaret ad bellum, & Allobrogum Ducem eadem ſemper protendendi ſui fines imperij cupiditas raperet in arma: Mantuanuſque Dux tot hoſtibus circunuentus, impetituſque ad ſui tutamentum Gallica auxilia accerſere cogeretur: ſic implicitum,pernicioſumque omnibus eius authoribus concitum eſt bellum; vt Hiſpani, qui Mantuanum ſuis ditionibus euertere concupierant; perpetuis Allobrogum, Gallorumque incurſibus inceſſiti, diuturno in ſe conflato bello, vix ſua retineant. Carolus Allobrox belli appetens Gallicis obrutus armis duriſſimo accepto ceruicibus imminentium Gallorum iugo, inquies regnet, & cum Italiæ alpium clauſtrorum ianitoris titulo, oppida, ac valles amiſerit: Niuernenſis verò, occupato à Gallis Caſale, eorum auxiliaria arma pluſquam hoſtilia expertus in Monteferrato nomine tenus, cætera occupantibus Gallis, tantummodo dominetur: omnes initi conſilij, commotiq; inſanè belli peniteat: Hiſpanos Niuernenſem Ducem adhuc exermem bellum ſubmiſſiùs deprecantem, & pro iuſtiſſima cauſa Superum, hominumque fidem obteſtantem in Mantuano non toleraſſe dominatu: Allobrogum Principes non ſuis contentis ditionibus maiora vaſtioribus complexos votis periculoſo ſe implicuiſſe bello: Niuernenſem autem tot ſe vndique vrgentibus hoſtibus neceſſitate compulſum in ſui tutamentum Gallicis vocatis agminibus,

Dubia inter Hiſpanos et Allobroges pax.

Varij rumpendi belli reſpectus.

Quæ belli authoribus damna euenerint.

nibus cuſtodiendam firmiſſimam totius Montisferrati arcem, ac propugnaculum tradidiſſe, illud perpetuum retenturis. Sic plerumque fortuna noſtris votis illudens conſilia peruertit; vt quæ inani ſpe nobis profutura confidimus, mutatis repentè rebus, maximè perniciosa ſentiamus; ipſiq; noſtri authores mali imprudentes exitium in noſtra ipſorum capita pertrahamus.

Huius fax belli, immo totius Italiæ turbo fuit Ioannes Cordubenſis, accito in ſocietatem Allobrogum Duce; qui ex Niuernenſis Mantuani dominatus hæreditatem adeuntis virium imbecillitatis occaſione communicatis conſilijs, arcanoque conſenſu Montemferratum ſibi diuiſerant. Iamque Cordubenſis cum quibuſdam Caſalenſibus ciuibus arcanis tranſactionibus egerat, vt ſibi aliquam vrbis traderent portam; & præpropera ſpe huius fęlicis inſidiarum euentus regiam aulam totam impleuerat, quæ tamen præteritas Italiæ clades, infęlicesq; bellorum euentus pertęſa non ſolum à Mantuano bello abhorrebat, Niuernenſemq; Ducem in auita eius ditione pati, ſed etiam in fidem acceptum tueri ſaniori conſilio decreuerat. Quidàm enim ex purpuratis exactæ, inueteratæq; prudentiæ propter vtriuſq; fortunæ facta pericula, in ſecretiori regio conſilio ita diſſeruerat.

Vana bellātium Hiſpanorum, & Allobrogū vota.

Omnia bella ab Hiſpanis regibus hactenus ſiue ad ſua Maieſtatis, ac nominis dignitatem, ſiue ad rerum arbitrium retinendum in Italia vſque à Carolo Quinto ſuſcepta ſicuti multæ curæ, difficultatis, impenſæ, ita nullius omninò fructus, compendijque fuerunt; ò Rex. Militum delectibus Neapolitanum Regnum exhaurimus; Siciliam bellatoribus, ac Sardiniam euerrimus, cuncta miſcemus, diuturnis copiarum ſtatiuis affligimus Inſubres; Indicas opes in Italiam regerimus; profligato bello, & pace compoſita: nec terræ palmus noſtris ditionibus additur; nullius acceſſione pagi Hiſpanum creſcit Imperium. Quidquid bellicis laboribus, vectigalinmque ſanguine partum eſt; id totum redditur victo, ne noſtræ nimiæ potentiæ timorem Principibus Italis nimis formidandi faciamus. Ita futurum de Mantuano bello diuino. Expugnabimus Mantuam, Caſale, ac Montemferratum noſtris oppreſſum exercitibus ſubigemus: mox Summo Pontifice, Venetis, cæteriſque Italiæ Dynaſtis pro Mantuano Duce precantibus; vel Gallo Rege bellum intentante, tantis impenſis, laboribus per noſtrorum vulnera militum, ac cædes quæſitum eiecti Ducis miſerti reddemus: vel ſi illud retinere pergemus; Italiam diuturnis, ac periculoſiſſimis bellis implicabimus. Galli, Itali Principes in nos coniurati cientur ad arma; vt Niuernenſem Ducem ſuæ ditioni reſtituant; Hiſpanamque potentiam ſuis ceruicibus imminentem in Italia conuellant: vel ſaltem ſe ſe nimis prouehentem iniecto quaſi retinaculo, frænent. Verum noſtrorum armorum terrore compulſi Itali Principes ſileant; expulſi Ducis miſeriam, calamitatemque demuſſent: Galli certè popularis Principis ſui cauſam non negligent: ſtatim, ac ſe Rupellæ obſidionis negotio, domito Hæreticorum diuerſorio, expedierint: incredibili animorum ardore Italiæ ferentur in bella: nullam opportuniorem illius inuadendi

Oratio Mātuanum bellum damnantis purpurati.

nadēd-

uadendæ prouinciæ, quam diù tacitis votis anhelant, occaſionem neſciſſent optare: nullum iuſtiorem titulum, motique belli cauſam ſuæ cupiditati prætexent. Gens bellorum auida in Italiam vel nullo imperatore ducente, rapietur. Quæ ſi Niuernenſi Duce tradente (tradet autem neceſſitate coactus; vt auitas ditiones Gallorum auxilio retineat) munitiſſimę arci Caſalis inſideat; qua poterit inde armorum potentia depelli? Erit perpetuo Inſubrum finibus, totiquę Italię terrori. Erunt tibi Indici theſauri, atque exercitus conſumendi; vt Gallicorum armorum diſcrimen à tuorum vectigalium ceruicibus amoliaris. Nunc Mantua, Caſale ſuis tantum popularium præſidijs tenentur; nullum noſtris timorem dominatibus afferunt: quieſcunt ſub tua conceſſa ſuperioribus ducibus clientela: ſtatim ac tuorum armorum fremitus audietur: Niuernenſis rebus ſuis timens Mantuam, ac Caſale Gallicas copias inducet: ſe Galli Regis fidei, ac poteſtati permittet: omnes arces Gallorum præſidijs implebit: qui præferoces, & feruidi prædabundi in tuas ditiones excurrent: eritque ſemper ad hoſtiles prohibendos incurſus in armis tuis vectigalibus excubandum; firmandique validis tuarum ditionum præſidijs fines; atque exercitus magnis impenſis alendi. Nunc Dux Niuernenſis ſubmiſſa ceruice noſtrum patrocinium implorat; ſua nobis obſequia æterna pollicitus. Natus in Gallia ſanè eſt; ſed ſanguine, atque origine Italus, ac proinde quietioris, ac ſedatioris ingenij; cui ſi per te in ſuo dominatu ab omni moleſtia ſecuro conſiſtere liceat: quis ambiget hoc tuo ingenti in illum merito, ne non ſit in tuo ære, ac poteſtate futurus? Si Gallorum Imperium in Italiam inuehere cogitaſſet; hæreditarias terras valido armatus exercitu adijſſet; ſicuti plerique ſuadebant; quem ex ſuis, amicorum, conſanguineorumque dynaſtarum prouincijs conflare facile potuiſſet; non in Italiam ignotus cum tribus tantum equitibus itineris ſocijs per Rheticas alpes deſcendiſſet. Quietus rebus ſuis ille fruetur; nullas in ſuum dominatum Gallorum copias admittet; ne potentioris Principis frænum accipiat; ſuaſque terras aliorum tradat arbitrio; niſi à nobis importuno bello cogetur. Quid tantula Mantuanæ ditionis acceſſione opes tuæ creſcent? aut quantulo terrarum incremento tuum augeſcet imperium? Potiora Italiæ, vberioraque tenes: ad orientem, cadentemque ſolem, in opulentiſſima Auroræ Regna, auriferoſque Heſperi, nouique orbis tractus, in Peruana, Mexicanaque imperia ſine riuali tua ſceptra protendis; quid exigua Mantuani Ducis ditio tuis rebus additura momenti eſt; vt pro illa occupanda nullo difficilis operæ pretio, cælum, terramque miſceas; ac tua æraria, theſauris ac pecunijs euacues? præter incertos belli euentus, quibus aliquando potentiores fortuna ad humanæ ſuperbiæ ludibrium à debiliore percellit. Ad illud rerum humanarum faſtigium tua potentia exceſſit; vt vlteriùs progredi nequaquam poſſit. Diutius niſi medioeris ſtare fortuna poteſt; nec fortunatos exitus habet niſi non inuidenda potentia. At enim Mantuani ac Montisferrati dominatus, occupandi caſus datur; quo poſtea contempto, noſtram ſupinam incuſabimus negligentiam. Dum Niuernenſis nullis adhuc auxiliaribus Gallorum

turmis

turmis firmus eſt: dum peſtis incolas oppida graſſata deleuit; cum vectigales nec dum noui Principis beneuolentia, ac veneratione tanguntur: occupari Mantuana ditio nullo negotio poteſt. Atqui eo ipſo tuam continentiam, iuſtitiam Principibus Italis, Galloque Regi probabis, qui tuis regnis contentus aliena non appetis, quamquam finitima, & tuis ditionibus opportuna. Abſtine igitur pernicioſo maximè bello: dona libens nullo tuo diſpendio; quod poſt tuorum vulnera, cędes, impenſas, atque Italiam bello concuſſam omnino daturus es. Sic Niuernenſem Ducem de ſuo ęternum tibi deuincies: ac de alieno omnium eius amicorum Principum obſequia demereberis.

Tam validis dynaſta rationibus Regem, & Proceres impuliſſet, ne eos ſuſcepti conſilij Niuernenſem Ducem in Mantuano dominatu ferendi pœniteret; niſi Allobrogum Ducis, Cordubenſiſque litteræ certam Mantuanæ ditionis obtinendæ ſpem facientium iam ſcripta in Italiam mittenda decreta pernitioſiſſimè diſcuſſiſſent eò faciliùs, quò iniquiori ferebant animo Hiſpani Gallum Principem in Italia dominari, ne in Italorum animis reuiuiſcentibus eius gentis ſtudijs, periculoſiſſimo aliquo bello Inſubres quaterentur: nec enim poſſe fieri, vt patefacto ferociſſimæ nationi in Italiam aditu, ſactoq; in expetitam prouinciam gradu, vt inquies bellorumque auida ab excitandis armorum tumultibus diù quietura eſſet. Niuernenſem Ducem opibus, clienteliſq; validum bello clarum, fortunatumque Ducem iunctis Retelij, Menæque cum Mantuana ditione dominatibus, firmis amicorum, conſanguineorumque Principum auxilijs ſubnixum facile timoris cauſam identidem præbiturum. Vnde autem tanta potētia, & opes Italo Principi in Gallia aduenas inuiſos ſuapte natura peroſa contigerint, non abs re erit, non illepido à tetricis belli rebus excurſu paucis explicare.

Ludouicus Gonzaga eius parens à Franciſco fratre Mantuæ Duce ad ſortis arbitrium miſſus in Galliam paulò maiori priuato equite fortuna vitam tolerans Niuernenſis Ducis ſororem inter Reginæ puellas inuenuſtæ formæ ab alijs aulicis proceribus deſtitutam, nulloque habitam loco propter oris inelegantiam, exiguæque opulentiæ dotem, ſedulo, conſtantiq; ſtudio colere cœpit. Quacunque eunti, amantium more adequitabat, deſilientem de curru, ingredientemq; pedibus porrecto brachio fulciebat, omnibus venerabatur obſequijs. Ipſa ſibi in egregij, nobiliſſimiq; iuuenis officijs læta placebat: alijs venuſtioribus puellis Gallorum procerum ſtudia non inuidens. Illam diù colente Ludouico, accidit, vt Niuernenſi Duce puellæ fratre vita functo, ampliſſimæ auiti dominatus opes ſorori dotis nomine cederent. Tum enimuerò turmatim nobiliſſimos quoſque proceres ad eam colendam affluere, eius ædium limina frequentare, impenſiùs illi omnibus amoris ſignificationibus famulari, procedentem numeroſo agmine comitari. Illa verò auerſata procorum turbam, à quibus non ſe, ſed opes peti ſciebat, nũquam adduci potuit, vel id enixè Rege, Reginaq; flagitantibus, vt illorũ cuiquam,

Vnde Mãtuano Duci Italica, & Gallica opes.

Lepidus caſus, & Mãtuani Principis conſtãtia.

Q niſi

niſi Mantuano Principi nuberet; quem ſibi in humili fortuna obſequentem, ſi fœlicior aſpiraſſet, virum ſibi deſtinauerat. Itaque candidi eius amoris, officijque impenſi præmio illum Niuernenſi ditione dotali ditauit: cuius opibus, ac potentia conſpicuus inter Galliarum Regni primates, quos, Pari, nota voce appellant, adſcitus, additis procedente tempore Retelij, Menæque Principatibus ſuam familiam in eo regno ampliſſima fortuna firmauit; & aulæ nitore, regioque pene domeſticorum fulgore, familiæque pompa, maximam ſibi apud eam gentem amplitudinis, ac luxus amantem authoritatem, exiſtimationemque compararat.

Eius fœlix in Gallia fortuna.

Hiſpanorũ de Mãtuano Duce metus.

Hiſpani itaque Principem opibus florentem belli peritum pugnacem non inani ex toto metu vicinum quamuis Italum genere formidabant, ne Gallicis moribus imbutus cum ſuo Rege aliquando in perniciem Inſubrum conſpiraret. Idcircò etſi ille ab adita ſtatim Mantuanæ ditionis hæreditate legatos in Germaniam, Hiſpaniamque miſerit, qui ſua obſequia Cæſari, Hiſpanoque Regi, perpetuamque obſeruantiam pollicerentur; ſubmiſſa tamen eius officia timore pergrauante, quem omnibus artibus Carolus minuere ſatagebat; non ſolum eius oblata ſtudia vnanimes repudiarunt: ſed etiam iunctis cum Cæſare, & Allobrogum Duce conſilijs, & armis, atrox illi bellum diſertè minantur; niſi, vt obnuntiatum Cæſaris nomine fuerat, Mantuana ditione reſignata, ad Cæſaream aulam feſtinaret, vt ibi ex legum præſcripto conteſtata lite, iura ſua promeret, peteretq; ciuili contentione dominatum.

Eius ſpernuntur in Cæſarẽ obſequia.

Mantuani Ducis virium imbecillitas.

Niuernenſis ſe omni induſtria hoc maximi belli ſibi à potentiſſimis principibus imminentis periculo eximere conabatur; cum nullis omninò ad tantos impetus repellendos bellicis apparatibus eſſet inſtructus; nulli commeatus, nullus tormentarij pulueris modus, nullæque copiæ ſupperent. Idcircò qua ſe purgando, qua ſua iura tuendo, qua ſubmiſſiùs agendo, ſtudebat iam ruentibus in ſuum exitium armis moras inijcere, differreque precibus diem: cum vt ſui muniendi magis, firmandique in eo nouo dominatu ſpatium nanciſceretur: tum etiam vt ex Pontificis, Gallique Regis legatorum ad Cæſarem officijs, pro ſe deprecantium, quo Mantuanæ, & Montisferrati ditionis Imperialia diplomata poſſeſſionem tradentia, abſque vlla depoſiti acerbitate concederet; aliquem fructum excerperet. Verum alienatis ſemel animis, ſeriòque parantibus bellum, legatorum preces conſultò arma morantium magis Auſtriacos aſperabant, quàm mòlliebant, nimio plus cognitis Gallorum miniſtrorum artibus.

Mantuani Ducis officia, & artes pro dominatu retinendo.

Gallica arma in ſuũ auxilium accerſit.

Niuernenſis cum nihil ſe ijs obſequijs, atque officijs proficere; nec Imperatorem, vt ſuis petitionibus aliquid indulgeret, poſſe vllis precibus flecti, remque ad arma ſpectare conſpiceret; ſe contra futuros hoſtium conatus firmare, propulſareque fortiter bellum omnes curas, ac cogitationes intendit. Gonzales enim Cordubenſis coacto valido exer-

Digitized by Google

exercitu, vnà cum Allobrogum Duce, cui optata oppida ſocietatis præmia pollicebatur, in Montemferratum ſignis illatis omnia fuga, pauore, incendijs, incolarumque cæde complebat. Niuernenſis videns, quàm ſibi grauis belli tempeſtas ingrueret; nihilo minori ſolicitudine defenſionem parabat: omnium arcium munimenta diligentiùs inuiſit, vetuſtate fatiſcentia nouis aſtructis propugnaculis auxit; earumque præfectis ad maiorem ſecuritatem fidiores, ſuique magis ſtudioſos ſuffecit. Sex peditum millia, & mille ducentos equites, partim ex ſuis popularibus, & vectigalibus, partim ex ijs Gallis, qui miſſionem ab Allobrogum Duce obtinuerant; & ad huius belli rumores in ſua caſtra vndiq; confluxerant, raptim collegit; exiguam ſanè admodum manum ad illius belli molem, hoſtiumque potentiam ſuſtinendam; ſperabat tamen ipſis tantulis copijs ſe tamdiù hoſtium impetum moraturum, donec maiora ex Gallia, validioraque Venetijs ſubſidio agmina mitterentur: quò Franciſcum Gonzagam auxilia oratum legarat, qui inſtando, ſuadendo vna cum Gallis legatis ſummo ardore pro Carolo deprecantibus, obtinuit; vt Veneti proceres, Niuernenſem Ducem totis viribus aſſerendum ſuſciperent.

Dux Mantuanus auxilia cõtrahit.

Hiſpani quindecim millium bellatorum exercitu, alibi ſeorſim bellante Allobroge, Caſale, poſitis circum caſtris, erectiſque aggeribus, obſidebant. Ea vrbs in dextero Padi litore ſurgens ad ſexdecim ſtadia ambitu murorum amplectitur. Præterfluenti amni ab Aquilone imminet, cuius etiam ab ea parte fluctibus verberatur. Mœnia antiquæ quondam ſtructuræ nunc ad recentis bellicæ diſciplinæ rationem propugnaculis in latera procurrentibus, loricis, planiformis, tota muniuntur. Caſtellum firmiſſimo, præaltoque muro, ac foſſa profundè depreſſa ſepitur; cuius propugnacula interiacente foſſa à ſe inuicem diuiſa crebro plicatili ponte iunguntur; vt vno ab hoſtibus expugnato, rupto ponte, nullus ſit in alterum gradus; eorumque impetus intercurrente inani ſpatio ſiſtantur: & niſi ab imminentibus vicinis collibus ſupernè tormentis peti poſſet, neſcio an aliud munitius Italia poſſet oſtentare. Alia etiam munitiſſima arx, quam Citadellam vocant, ad meridiem excellentis, mirandæque ſtructuræ à Duce Vincentio ad totius Montisferrati propugnaculum excitata vrbem ab omni hoſtili impreſſione tuetur: in qua molienda abſoluta Architectorum deſudauit induſtria, depromſitque abdita totius artis arcana, omneſque ſuos conatus effudit. Sex ampliſſimis propugnaculis circum vallatur: totam vrbem habet ſub ictu, omnemque circumiacentem planiciem tormentorum ictibus verrit, cum ipſa à nullis vicinis tumulis poſſit inceſſi. Aliquo terræ ſpatio olim ſecedebat ab vrbe: ad huius verò belli famam duabus mœnium alis vrbi annexa, protenſis ad obliquos ictus munitionibus, alijſque bellicis ſtructuris, tuendis vrbibus opportunis contra baliſtarum violentiam, inter Italiæ clari nominis arces

Veneti illius patrocinium ſuſcipiunt.

Caſalis deſcriptio.

Arx Caſalis munitiſſima.

Citadellæ arcis deſcriptio.

Q 2 cenſeri

cenſeri poteſt. Circunducti quoque extra foſſam aggeres, ad hoſtium acceſſus prohibendos, primoſque impetus infringendos, difficiliorem mœnium oppugnationem faciunt. Denique, & mœnium altitudine, & frequentibus per interualla propugnaculis, & lata, altiuſque excauata foſſa, aduerſus omnem externam vim ab architectonices peritis munitiſſima cenſetur; & eò magis, quòd ad occidentem illi colles, difficileſq; locorum ſitus obiaceant, quibus commeatibus intercludi, & ſubſidijs minimè poſſe videtur.

Optimum Præfectorū conſilium ſpernitur à Cordubēſe.

Sentiebant præfectorum pleriq; in bellicis conuentibus, qui frequentiſſimi coram Cordubenſe habebantur; primum omnium expugnandos eſſe vicinos colles; non tam quia ex illorum imminentibus dorſis ſubiectæ vrbis tecta tormentorum iactibus dirui facile poterant, ædiumq; ruinis obrui oppidani; ſed etiam vniuerſa cum popularibus mutua tolli cōmercia, arceriq; ſubſidia, quæ ab ea parte ſedulo incolarum, agreſtiumq; labore, ac cura vrbi inferrebantur: ac proinde deficientibus commeatibus ad vltima poſſe propelli: ſed Cordubenſis hac ſalubri damnata ſententia, ratus eam expeditionem diuturni, difficiliſq; laboris futuram, è contra vero in plano nullo negotio extrui poſſe aggeres, obtentiſq; paſſim loricis, nullo diſcrimine vrbi ſuccedi: vel quia ſupremo Duce indignum videbatur alienis aſſentiri cōſilijs: improbant enim pleriq; conſilia, quamuis egregia, & vtilia, quæ ipſi non attulerunt; caſtra in planitie inter vrbem, & amnem procumbente contra nouum murum, qui ab arce ductus longo tractu procurrens vrbis mœnibus iungebatur, metari iuſſit.

Cordubenſis caſtrametatur circum Caſale.

Oppidani primo, & ſequentibus diebus ad velitandum cum hoſtibus valido agmine eruperunt; non ſine ingenti obſidentium cæde; continuatæ ferociſſimæ eruptiones, quia aſſiduis incurſibus hoſte diſtento, nouum murum aggeſta tellure firmare, varias locis opportunis parmulas, & planiformas ad tuenda molendina amni impoſita extruere potuerunt. Nec tamen Cordubenſis, quamuis omnia malè verterent, atque tot incommodis premeretur, potuit impelli, vt colles admoto toto exercitu aggrederetur; ex quibus in ſubiectam vrbem pugnando, facile poterat oppidanos ad deditionem vrgere. Sed inſignium virorum hoc commune vitium eſt ſuo propoſito, quamuis pernicioſo obſtinatiùs hærere, ne ab ijs in ſuſcipiendo conſilio erratum fuiſſe videatur. Quatuor tormentarios aggeres educi iuſſit, ex quibus extemplò vrbis mœnia frequenti pilarum verberatione quatiebat: exigua etiam inſula, è medio Erydano emergente eodem tempore munimentis erectis vallata; vt inde molendina tormentis inceſſeret; ſed inani ſucceſſu, cum flumen aſſiduis imbribus intumeſcens ingentem aquarum molem trahens ſuperfuſis inſulæ fluctibus, pluribus obrutis, Gambacurtam in ea ſtatione curantem in aduerſum litus ſuas cohortes transferre coegerit: vbi etiamſi libratis in planiforma tormentis molendina pariter tormentis diſijcere niteretur; nihil ta-

Obſeſſi in obſidentes erumpunt.

Cordubenſis obſtinatio.

Vrbem oppugnat.

Digitized by Google

hil tamen propter loci diſtantiam ijs ab obſeſſis aduerſo amne longiùs ſeductis, ea tormentorum procella offecit intra ictum innoxia plaga cadentibus telis. *Hiſpanorũ irritus labor.*

Mox Hiſpani Roxilionem exiguum caſtellum inſidens cliuo expugnare de nocte dato repentino in mœnia impetu animis propoſuere; ſed irrito conatu, agreſte ductore per varios viarum anfractus, longioremque viam conſultò agmen trahente; vt iam claro die inſidias aperiente nullus aſtiochi fuerit vſus, quem ad diruendas fores ſecũ attulerant Hiſpani. Decepti itaque ductoris aſtu apertam vim inferre parantes, ſed conuolantibus ad mœnia tuenda, alacriter oppidanis, re infecta in ſua caſtra aliquot amiſſis militibus receſſerunt. Meliori euentu ad Niciam frequens ciuibus amplum Montisferrati oppidum ab Hiſpanis bellatum eſt: nam cum primus factus in mœnia impetus repulſis ſtrenuè per præſidiarios Hiſpanis parum proſperè ceſſiſſet: conuerſa ad ſolita expugnandarum vrbium machinamenta bellandi ratione, cum ex effoſſi cuniculi erumpentes flammæ ingentem mœnium ruinam dediſſent; & oppidani ſe pares futuros Hiſpanis ex æquo pugnantibus deſperarent; ſalutem, fortunaſque ſaluas pacti ſe obſidentibus permiſere; qua vrbe ſubacta, omnis Montisferrati inferior is ager præter Pinzonem, in Hiſpani Regis poteſtatem venit. *Hiſpanorũ irrita expeditio.* *Nizza della Paglia.* *Hiſpani Niciam inuadunt.* *Nicia deditur Hiſpanis.*

Neque tamen hoc infœlici Niciæ amiſſæ euentu, quicquam Caſale propugnantium conſtantia, audaciaque remiſſa refrixit. Sicut enim militi admodum facilè eſt, vnam duntaxat ſui corporis partem mucrone petentis ictus eludere; ſic obſeſſi cum vna tantum vrbis pars ab Hiſpanis, cœteris immunibus peteretur; nullo labore poterant totius vrbis viribus eò incumbentibus aggredientes omni telorum genere ſummouere. Itaque ingentibus animis impauidi, ac feroces Hiſpanorum conatibus illudebant, cauillabanturque dicterijs ignauiam, bellandique imperitiam; addiderat obſeſſis animos nuntius clanculum ad vrbis præfectum illapſus; valida propediem è Gallia ſubſidia laborantibus affutura. Quare Hiſpani ſua opinione difficiliorem oppugnationem experti, libenter pacis Sequeſtribus aures dediſſent; probaſſentque, vt Conquiſitores Mantuam mitterentur, quo cum Niuernenſe pacis admodum cupido, voluntatique Cæſaris obſequendi de rebus componendis coram ſerio transfigerent. *Caſalenſiũ virtus, & conſtantia.* *Obſeſſorum cauilla in Hiſpanos.*

Alba interim Pompeia quatriduo tormentis euerberata Allobrogum Ducis ſeiunctis copijs ſeorſim bellum gerentis inuiſum ſubijt iugum. Maturauit deditionem metus, ne milites impetu captam diriperent. Dux vrbem ingreſſus humaniſſimis verbis, hilarique vultu prodeuntes ad obſequium ciues excepit; repudiata etiam pecunia, quàm pro redimenda vrbis direptione libenter obtulerant: vt ea lenitatis ſignificatione, mite auſpicatus imperium oppidanorum ſibi auerſos animos conciliaret. Inde deducto exercitu ad Tridinum obſidendum *Alba deditur Allobrogum Duci.* *Caroli Ducis clementia in deditos.*

Q 3 conten-

Digitized by Google

Illi quoque Triainum ceſſit. contendit: cuius præſidium poſt breuem oppugnationem, Allobrogi interpoſita pactione ceſsit: violata fide, quam Niuernenſi Duci conſtantem obſtrinxerat, ſe oppidum vſque ad vltimos ſpiritus defenſurum. Præfectus tormentarij pulueris caritatem, commotumque à militibus tumultum cauſatus ſuam purgare ignauiam, vel perfidiam quàm enixiſſimè nitebatur: ſed fruſtra, illum omnium mortalium ſententia damnante; cum magna pyrij pulueris copia, & commeatus abundè ſuppeterent: & oppidani ex gentis ingenio Allobrogibus infenſi, ſummam in patria tuenda alacritatem, ſuamque fortem, ac fidelem operam promiſiſſent: ex quo *Dux Carolus arcem Tridino imponit.* Dux poſtea Allobrox, ciuibus exarmatis, iuſsit arcis iugum imponi, vt rebelliones eo terrore comprimeret. Inde ad alia oppida ſibi ex fœdere deſtinata expugnanda progreſſus ea partim vltrò, partim illata vi, domita in deditionem accepit.

Guaſtalla. Gardiſtalli Princeps Mantuanũ agrum populatur. Nec interea Gardiſtalli Princeps animo ferox magis, quàm viribus potens in Mantuano agro proruendo ab incendijs, rapinis, & cædibus temperabat; ſciſſiſque aggeribus Padi, ſui vltrices vndas in campos immittere: quòd etiam ſi ad belli ſummam nihil proficere videretur, ſummum tamen Niuernenſi Duci incommodum afferebat; tunc maximè quinque peditum, & octo equitum millibus Cremonenſis agri finibus imminenti; vt *Dux Niuernenſis Inſubribus imminet.* inde, vt rumorem diſtulerat, Caſale ſubſidio eo agmine feſtinaret; aut in Inſubres inuectus totum agrum populabundus excurrens ad propria tuẽda hoſtes ab ea obſidione detractos cogeret properare: quamuis hoc à Venetæ Reipublicæ miniſtris damnato conſilio, ab aggrediendis Inſubribus abſtinuerit; non tam, ne ea irruptione aliquã cladem acciperet; quàm ne in Mantuanæ ditionis exitium Hiſpanorum traheret arma; atq; adeò in Venetos verteret bellum. Decreuit itaq; quando hoſti niſi maximo cum *Mantuani Ducis ſalubre conſiliũ.* copiarum diſcrimine nocere non poſſet, duntaxat ſua tueri, maioraque prohibere à ſuis finibus detrimenta.

Dum Niuernenſis vndique hoſtilibus armis impelleretur, vltra montes armorum fragores, bellicorumq; apparatuum ſtrepitus bellantium auribus inſonuerant: luſtrare agmina, equites authorare, centuriare cohortes, *Gallorum bellici apparatus.* tela congerere; commeatuum copiam colligere, coacceruare pecuniam, quibus rebus inſtructi Galli inſolito, inuſitatoq; animorum ardore, tranſmiſſis alpibus, ſubſidio populari ſuo Mantuano Duci properare ſtatuerant. Eo pauidus imminentis belli terrore Dux Allobrox, quòd Rex Gallus de illo præcipuè quaſi concitati Mantuani belli authore acerbiſſimè *Dux Carolus ſe contra Gallos munit.* quereretur: ne primi, vt credi par erat, illius Gallici turbinis impetus in ſuas ditiones ruituri eſſent; Allobroges, Taurinos ſedula cura anxius de impendentibus malis obiectis ad locorum anguſtias propugnaculis, muniebat: acceptiſq; à Cordubenſi bellatorum, pecuniarumque auxilijs, ſe excipiendis Gallicis impreſſionibus inſtruebat: neque tamen interim iniectam à Gallis legatis, & Cæſaris miniſtris pacis mentionem penitus reſpuebat. Mantuam quoque per eos dies Comes Naſſauius, Fuſtenberguſq;

guſq; à ſecretis iuſſu Cæſaris venerat; vt eum Ducem ad aliquod rerum temperamentum adducerent; hortarenturque, vt depoſitis feudis, ſe omninò Cæſaris iudicio permitteret. Niuernenſis non recuſabat ſe ſupremi Domini ſententiæ ſubmittere; atque ab eius nutu, arbitrioque pendere. Sed in eo rerum ſuarum articulo, ad ſuorum hoſtium voluntatem è ditionibus ſuis egredi, ſuoque dominatu, cuius poſſeſſionem tantis periculis, & impendijs quæſierat, ſe priuare, vt futurorum euentuum dubios exitus expectaret; ſibi adeò pernicioſum, difficile, calamitoſumque videbatur, vt quamuis multa ſubinde æſtuanti animo occurrerent, præſentis belli pericula, Cæſaris indignatio, iræ, minæ, atque in ſe è Germania irruentis exercitus detrimenta; Cæſariſque iuſſibus obedire, ad tot vitanda incommoda, aliquantulum initio propenſus viſus fuiſſet: tamen poſtremum omninò ſe detrectare impauido, conſtantique animo declarauit: & eo magis induruit, quòd Naſſauius ſummo rigore cum Niuernenſi agens inſtabat; vt præceptorum quoque prouentuum reddita ratione, ſe in priuatas à prætorio, ædes reciperet; ærariumque, & præteritorum Ducum ſupellectilem, Gonzagæque familiæ tabulas extemplò traderet. Quocirca maiora moliri in arcano animis Cæſarei videbantur; quàm quæ in ſpeciem videri vellent, cum rumor quoque increbuiſſet, Cæſarem Mantuanorum Ducum bona ſibi ipſi veluti ſupremo domino addicturum; vltimorumque Principum ſororem in Montemferratum ius ſibi eſſe contendere. Reiecta igitur feudorum depoſiti conditione, Niuernenſis Cæſareis Conquiſitoribus reſpondit; ſe quaſcunque Cæſar ferret leges, libente animo accepturum; dummodò ne à ſuis ditionibus faceſſere, neque iam initum dominatum relinquere cogeretur; de quibus rebus cum plures dies fuiſſent inuicem altercati; remque Niuernenſis dedita opera extraheret; ea ſpe ſe aliquando Conquiſitorum truces animos leniturum; illique ex aduerſo confiderent, ſe Ducis voluntatem in Cæſaris obſequium impulſuros, neutrum ambobus adeptis, Germani eam indignati moram; præfatique Cæſarem ſua dignitate retenta, non aliter cum ſuo beneficiario poſſe tranſigere, Mediolanum Mantua diſceſſerunt: vnde ad Mantuanum monitoria diplomata tranſmiſere; quibus iubebatur Niuernenſis, intra quindecim dies omnia feuda Cæſareis Conquiſitoribus reſignare. Quæ tamen monitoria interiecta ad Electoralem conuentum appellatione, præcipua apologia nullius roboris, & vigoris eſſe monſtrauit. Sequentibus tamen diebus Mantuam rediere; litteris iterum pacis tractatibus reuocatis, Conſiliarius Fopolus, ipſeque Naſſauius, qui hæc Niuernenſi propoſuit; quando ille ditiones deponere recuſaret; Imperialia ſaltem præſidia in ſuas arces acciperet; aut Cæſarea ſigna in turrium faſtigijs efferret, declararetque ſe omnia oppida Cæſaris nomine retenturum. Quibus conditionibus cum Carolus annuiſſet; cœpiſſetque has conditiones perficere, elatis iam in turribus, & arcibus Cæſareis ſignis: hoc quoque paucis diebus euanuit; Duce Allobroge, & Cordubenſi di-

Germani proceres Mantuanũ Ducem adeunt.

Mantuani Ducis rerum difficultates.

Naſſauij rigor in Mãtuanum ducem.

Mantuani Ducis ad Cæſaris Cõquiſitores animoſum reſponſum.

Cæſarei Cõquiſitores Mantua diſcedunt.

Mãtuanus Dux latis conditionibus acquieſcit.

Hiſpani intercedūt ne conditiones pacis ferantur.

Mantuanus Dux varias conditiones repudiat.

Summi Pontificis hortamenta.

ſi diſertè renuentibus Montemferratum habere depoſiti nomine; quod factu omnes facile futurum putabant; cum nullius iura iis conditionibus læderentur. Hæc tamen iniecta componendis rebus ab Hiſpanis difficultas Niuernenſis animum alicuius profundæ latentis fraudis ſuſpicione pupugit. Quare anceps animi, efficacibus etiam Gallorum ſuaſionibus impulſus alteram quoque conditionem propoſitam repudiauit; vt Mantua nimirum ipſe retenta, cederet Cæſari Caſale cum ea Montisferrati parte, quam nec dum illi hoſtes ademerant. Hiſpani pro Gardiſtalli Principis petitionibus, Dux Allobrox, pro ſuis in Montemferratum iuribus, armis eatenus parta ad litis deciſionem ſibi haberent. Quemadmodum etiam Franciſci Sacchetti Apoſtolici Nuntij conſilium reiectum eſt; vt ſcilicet Venetę Reip. ſiue Summi Pōtificis fidei omnia committerentur: qui etiamſi ſummo ſynceri candore animi pro vtriſque partibus ageret; à Niuernenſi tamen ſuſpectæ fidei habitus eſt, vt in Hiſpanos animo propenſiore, ſibi vero in arcano infenſo. Supremus etiam Antiſtes de communi quiete, ac pace ſollicitus, ardenti ſtudio conabatur Niuernenſi ſuadere; vt Cæſari obſequeretur; ne maximum bellum in Italiam induceret: fieri enim non poſſe, vt ille ſe à ſuo beneficiario contemni, ſuaque iuſſa detrectari æquo animo pateretur: in hoc Italiæ ſalutem, quietemque ſitam eſſe. Etiamſi poſtea hæc anxia Pontificis cura maiori ex parte negotium peruertit; adeo aliquando contrarios ſperatis noſtra conſilia exitus habent; quia cum Niuernenſis ſemper ſuſpicax timeret, ne Pontifex ſuis votis aduerſaretur; nec illius ſedulam in curanda pace diligentiam boni conſuleret, nulla eius conſilia ad aures admittebat; dubia, à ſe habita Pontificium Miniſtrorum fide.

Iterum bellum exardet.

Padi amnis obſequium.

Incolæ agreſtes ſubſidia Caſali inferunt.

Profectò igitur Mantua Cæſareo Conquiſitore, conclamata pace, bellum furere maxima cum Niuernenſis pernicie pergebat: cui amiſſa Nicia; paulo plus in Monteferrato ſupererat, quàm Caſale: cuius præſidiarij ſe fortibus, atque ingentibus animis tuebantur. Erydanus quoque inſolita aquarum mole tumidus ruptis aggeribus, ab amicæ vrbis mœnibus obſidentes excuſſerat; coegeratque Hiſpanos Fraxinetum vſque caſtra reducere, oppidum tuendis meſſibus opportunum iam ad maturitatem flaueſcentibus: in quibus intercipiendis ex mutuo, ac fortuito obſidentium, obſeſſorumque occurſu, cum ſibi quiſq; eas præcipere conaretur, aliquot cruenta certamina pari vtrinque clade inita ſunt. Veruntamen tandem victores Hiſpani, vt pote longè numero ſuperiores, abducta maiori ſegetum parte; reliquas iniectis facibus incenderunt; & ſi obſeſſi per notos calles locorum ſitus periti à ſuis popularibus adiuti, non exiguam frugum, armentorumque copiam in vrbem vel inuitis Hiſpanis inuexerint: nullo in eam rem ſollicita cura excubantium ducum profectu; qui omnes circumpoſitis cuſtodijs clauſerant aditus; ne qui commeatus vrbi inferrentur; exarmatis etiam omnibus circumiectis pagis. Incolæ ſiquidem omni poſtabito obſeſſorum popularium ſaluti diſcrimine, efficaci diligentia milites,

Digitized by Google

lites, aliaque omnis generis ſubſidia ſocijs ciuibus ſufficiebant.

Ad Italiæ interea fines magnis itineribus Gallicus exercitus properabat tredecim armatorum millibus validus ſupremo duce Vſelli Demarcho; maiorem militum numerum Rex in Rupellæ obſidione hærens mittere Niuernenſi ſubſidio non potuit. Ex Gallorum in Italiam ingreſſu, vel repulſu; belli exitus, ac fortuna pendebat. Certatim Allobrogum Ducis animum Galli, & Hiſpani omnibus artibus demereri ſtudebant; illi ne ſibi in Italiam aditum præcluderet; hi vt in initæ ſocietatis fœdere perſeueraret; neglectiſque oblationibus hoſtium, eos ex alpium anguſtijs iterum in Galliam totis viribus ſummoueret. Gaudebat in ſinu Carolus quòd potentiſſimi Reges ſumma contentione ſuam amicitiam, atque ſocietatem expeterent; ex quo ſicuti in immenſum inter Chriſtianos Principes ſuam authoritatem, dignitatemque augeri videbat; ita ingentem ſpem animo conceperat; ſe alterutrius ope, ac fauore ſua arcana deſtinata aſſequuturum. Vtroſque igitur Reges ad ſua vota cupidus inclinandi eorum miniſtros varijs artibus ludificabatur, augebatque nunc immodicis petitionibus in ſuæ amicitiæ pretium; nunc ſuperiores offenſas criminando, obijciendoque facta hoſtilia, nunc ad animorum incitamentum, maioraque elicienda, aduerſariorum ingentia oblata referendo, ſugillandoque tenacium auaritiam, nunc ſuas efferendo vires omnes tenebat mira arte ſuſpenſos. Quocirca vtrique eius veriti aſtum in ancipitia deducti aliquod ſubeſſe arcanum ſuſpicati, multa commentatione, intentiſque animis cum cauto agebant: vt eum in ſuas quiſque traheret partes. Hiſpani tandem, & ampliſſimis oblatis, & præſenti pecunia, prærepta Ducis gratia, ad ſuam ſocietatem ex animo colendam perpulerunt; vt dimiſſis in ſuo exercitu merentibus Gallis, ad tuendas alpium fauces, & vallium anguſtias duodecim peditum, & duobus equitum millibus feſtinaret; quo ea bellatorum agmina Gallis iam in Vraitam Vallem ingreſſis propè Diui Petri oppidum obijceret. Vbi vtræque acies in mutuum conſpectum venere, nulla mora partim in plano, partim in collium faſtigijs audacter conſerunt manus; vtraque irrumpere, tentareque in Italiam aditum parantibus Gallis. In Neapolitanos equites acri impetu inuecti ſunt Galli in plano certantes; ſed duro nimis occurſu offenſi, retro ab hoſtibus denſata acie repulſis, eorum pars internecione deleta eſt, qui à Taurinis ſimulata fuga in iniqua loca deducti repente fronte conuerſa, hoſtes inopinata attoniti audacia omnes ferè protriti, cæſique ſunt ſocijs à longè qui periculi magis ſpectatores, eſſe, quàm participes voluerunt, fœde ceſſantibus.

Gallicus exercitus ſubſidio Caſali properat.

Allobrogis Ducis amicitia certatim appetitur ab Hiſpanis, & Gallis.

Ducis Caroli ſpes.

Eius artes.

Hiſpanorũ ſocietati adhæret.

Pugna inter Gallos, & Taurinos.

Gallorum cædes.

Nec meliori fortuna à Gallis in collium faſtigijs pugnatum eſt, quia Princeps Victorius ventorum auxilio in hoſtium ora flantium opportunè vſus ſubdi faces aliquot mapalibus iuſſit; quorum fumi latiùs fuſi obtentu in hoſtem eius tecta agmina ferebantur; eò verò obcæcati Galli cum Andabatarum more pugnarent; nec quem peterent fumi nebula oculorum vſum

Principis Victorij ſolers conſilium

Digitized by Google

Galli pulſi ab Allobrogibus retro cum ſtrage.

Galli diſiectis ab Allobrogibus inceſſuntur

vſum intercipiente, conſpicerent; Taurinos ſtrenuè impellentibus, fugati, diſiectique ſunt; poſtero pariter die maiori clade conſumpti ſunt. Nam cum iterum tranſitum ſtipatis ordinibus, fruſtra tentaſſent, à Taurinis vſque ad Galliæ fines perpetua cæde propulſi fuere: tanta Principis Victorij, Parentiſque virtutis exiſtimatione; quanto cum Gallorum præfectorum dedecore, ac pudore, qui ſententias impauidos notantes animos vexilis inſcripſerant; ſe omninò tranſire, aut mori velle; neutrum imperitia, metuque adepti retro pauidi regreſſi ſua traducta ignauia ſe hoſtibus exſibilandos præbuerunt, quòd ſolius venti flantis impulſu, vt militari ſcommate, ac dicterio illis ab hoſtibus probro datum eſt, in Gallias reiecti, retruſique fuiſſent.

Mãtuanus Dux iterum pacem petiã

Mãtuanus Dux filium ſuum legatum mittit ad Cæſarẽ.

Huius Gallorum cladis, tentatique nequicquam tranſitus triſtiſſimus nuntius valde Caſalentium animos fregit; qui etiamſi Cordubenſis abſceſſu, aliquantum obſidio remiſerat; ab Hiſpanis tamen cohortibus ad continuandum obſidiũ in caſtorum ſtationibus relictis, identidem vrgebantur. Niuernenſis diſcrimine, quo conflictabatur accuratiùs expenſo, Monteferrato amiſſo, Caſale propè ob hoſtibus intercepto, Mantuano agro à regijs militibus deuaſtato; Cæſareo etiam exercitu in ſui perniciem in Italiam irrupturo; quem in Germania in eam expeditionem conflari didicerat: iterum ad pacis deſideria reuolutus, ita Popolo, Pontificioque Legato ſuadentibus, ducem Retelium filium ad Cæſaream aulam legauit, vt liquidiùs Cæſaris voluntatem, mentemque exploraret; efficeretque, vt ſine miniſtrorum Hiſpanorum interiectu, de quorum nimia apud Cæſarem potentia querebatur, aliquam moderatiorem conſtituendæ pacis cõditionem exprimeret.

Princeps in Germaniam profectus, atque aliquot dies inter aulæ purpuratos, & proceres diuerſatus tandem in intima Auguſtalis conclauia ad Cæſaris conſpectum admiſſus poſt humillimæ venerationis obſequia ita ſuam cauſſam orauit.

Et ſi quàm difficillimum ſentio, occupato iam aliorum officijs tuæ Maieſtatis animo, præiudicata fere cauſa, nobis aduerſantium in hac regia gratioſorum obniti potentiæ: machinamentaque omnia ab ijs contra nos ſtructa penitus demoliri; tuæ tamen clementiæ patrocinio, atque æquitatis innixus nihil ſeri oratoris irriti metuens conatus in hoc auguſtale fidenter noſtram cauſam dicturus adueni. Non enim vereor, ne ita noſtris aduerſarijs tuas aures omninò dederis; quin alteram quoque nobis integram, vt iudex æquiſſimus reſeruaueris: cum totius Chriſtiani orbis arbiter ſedeas eò tuæ ſententiæ fauorem inclinaturus, quò rationum pondera trahent. Nimio plus ſcio in Auſtriacis Regijs eſſe Gallorum nomen inuiſum, quòd implacabiles hoſtes noua ſemper vbique in Auſtriacos bella moliantur. Sed Germani, Itali, Hiſpani oderint pro arbitrio inquies, turbidum, ferox hominum genus: quid nos Italos genere, origine Principes eadem flagramus inuidia? iiſdemque odijs innoxij, immerenteſque laboramus? Fateor quidem Atauum meum à Fratre

ſuo

Digitized by Google

ſuo Mantuæ Duce eius egregiæ, præferociſque indolis metu, ab Italia honoris ſpecie in Galli Regis aulam miſſum; vt à ſuo dominatu Iuuenem imperij æmulum, nimia apud populos gratia metuendum amandaret; non vt ibi iunctis cum Gallica gente connubijs, Gonzagæ familiæ traducibus fixis in Gallicam ſoboleſceret prolem. Propitia fortuna, caſuſque tulit; vt ducta, multum refragantibus purpuratis, Regeque ipſo cum Italo Principe damnante connubium, Retelij, Niuernijque hærede Principe fœmina, quàm ab alijs Regni proceribus ob formæ inelegantiam neglectam diuturno obſequio, ac ſtudio coluerat, eos dominatus dotales adeptus ibi ſuas poſuerit ſedes. Num idcircò deſijt eſſe Italus Princeps, deſijt eſſe Gonzaga? nos poſteri de Italo Principe propagati Galli cenſendi erimus? nos ex Gallico ſanguine putabimur, an Gonzagæ Italæ gentis progenies? Soboles idem cum radice habet ingenium: eædem dotes ex trunco in ſurculos deriuantur: non degener proles ex eodem ſtipite pullulat; nec loci diuerſitas plantas in alíud arborum genus immutat: eamdem vbique retinent naturam, eumdem habitum ſeruant. Nulla nos iura, nulla legum placita Gallos eſſe decernent: quamuis in Gallia nati, alti, educatique ſimus, & prærogatiuis Gallicæ gentis donati. Nos diſertis verbis, ingenuoque ore Principes Italos profitemur; Italicumq; genus glorioſè iactamus, etſi nos illa genuerit terra. At enim Gallicos mores imbibimus: nos diuturna gentis conſuetudo odijs in Auſtriacos imbuit, ex loci genio Gallicum hauſimus ingenium. Non inficior ex diuturno perſonarum vſu, ſociorumque contubernio aliquid de eorum moribus trahi, atque in animos eorum affectus adrepere. Verum quidquid id ſit, nos certè tuos fidiſſimos beneficiarios ante tuam ſiſtimus Maieſtatem: nos perpetuo tuis ſacramus obſequijs imperata facturi, quæ tua clementia, atque æquitas dederit: non minori certe amantium animorum alacritate, quàm quondam maiores noſtri pro Auſtriacis contra Turcas in Pannonia bellarunt. Ex eodem Gonzagi generis caudice nouellæ propagines eandem in Auſtriacos trahimus obſeruantiam, venerationem, beneuolentiam. Illi in veſtra fide, ac patrocinio tuti ab hoſtibus quieuere: nos pariter in veſtro ære toti ſumus, non tam Auſtriaci imperij tua gratia beneficiarij, ſed etiam, quod nobis ſummæ gloriæ eſt, ſummæque claritatis, affines. Quidquid vitæ ſplendoris, potentiæ amplitudinis tenet Gonzaga familia, Auſtriacis Imperatoribus refert acceptum. Illorum munificentia, benignitas maiores noſtros ad principatus honores euexit; auxitque æternis beneficijs ſuos futuros. Cur nos tuorum maiorum donis frui non licet ex eodem Gonzagæ gentis ſanguine propagati? cur noſtris hæredijs euertimur? quos tanquam propinquiores conſanguineos, poſtremus Mantuæ Dux ex aſſe reliquit hæredes, vt pote quibus omnibus addicentibus legibus iure venit hæreditas: an quod in Gallia nati, educatiq; ſumus? Non video quomodo locorum diſtantia conſanguineis hæreditatem interuertere poſſit; aut propinquitatis iura abolere. Venimus in Italiam hæreditatem adituri tuæ Maieſtatis æquitate freti: nullum nobis, iuſtitiæque cauſæ aduerſaturum, nullum contra legum præſcripta, Teſtatoriſque voluntatem iturum ſperauimus. Cum vix illato à nobis in Mantuanum

tuanum dominatum pede, Hiſpanos fremere, in Inſubribus arma parare, minitari bellum tanquam exteris Principibus eam ditionem contra fas, æquitatemque iniquè vſurpantibus, tuæ Maieſtatis iras, quod nos omnium acerbiſſimè pupugit, in nos veluti Gallos aduenas, indignationemque conſlare audimus. Quid in te, quid in Hiſpanos deliquimus, vt nos propterea armorum violenti à auitis dominatibus pellendi ſimus? quæ nobis naturæ iura, legum placita, Teſtatoriſque voluntas ſuprema componentis addixit? Metus fortaſse vrget Hiſpanos natiuo odio Gallicum nomen exoſos, ne gentis inuiſæ Galli principes in Italiam imperium inducant: præferocique nationi ſemper aliquid in Hiſpanos hoſtilis ſtruenti ſedes perpetuas figant, ac proinde æternis bellis illos, ac contentionibus implicent. Dicerem hunc panicum terrorem, niſi cum de imperij periculis agitur, tutior ſit timor, quam ſupina ſecuritas, omniaque ſuſpicacibus principibus præbeant cauſam metus. Verum hos inanes ponant Hiſpani timores. Superiorum Principum maiorum noſtrorum eadem in Auſtriacos fide ſeruabimus inſtitutum, nihil ab eorum conſilijs, & moribus nè latum quidem vnguem deflectemus; eadem obſequia, ſtudium, operam quæ ab ipſis hactenus habuerunt, à nobis expectent; ſocietatem; amicitiam erga illos colemus ex animo. Si hæc quæ Hiſpani ſuſpicantur, turbida conſilia Pater meus animo agitaſset, non quinque tantum deducentibus equitibus, Italiam ſuæ ſecurus hæreditatis iniſſet; ſed ex ſuis vectigalibus, ex amicis, & aſſeclis, ex Regijs oblatis vltrò ſubſidijs valido conflato exercitu, quod per otium, ac commodè poterat, in Italiam irrumpens ſuos auitos, hæreditarioſque dominatus adiſſet. Tuæ maieſtatis veneratio, obſeruantia, pacis amor, finitimis Hiſpanis omnis adimendæ ſuſpitionis, obſequendique deſiderium, cauſæ iuſtitia illum continuit; ne Italiæ ſignis illatis, belli impetu debitam ſibi hæreditatem violenter arriperet. Quod inermes, ſtudioſique pacis amicè petiuimus, id à tua clementia ſupplices enixè contendimus, vt nobis tua benignitas, ac munificentia condonet: quamque cepimus hereditariam ditionem, gratiori diplomate nobis affirmes. Tuorum in nos Maiorum beneficia tuere, ſeruaque dona. Si nos hoc tibi præclaro beneficio deuincies; ſcias nec vllos tibi vectigales, nec beneficiarios nobis fideliores Auſtriacis, obſequentioreſque futuros; Gonzagęque familię officia, ſtudia, vitamque ipſam tibi ęternum, tuiſque poſteris omnibus deuotam fore pollicemur.

Lenijt Cæſaris animum Principis orationis efficacia, & grata iuuenilis dignitas oris, & iucundus aſpectus ad mitiora conſilia proclinauit.

Expugnata à Gallo Rege Rupella expeditur in Italiam Gallorum exercitus.

Quare cũ & Legati quoq; Scappij aliquot difficultates dexteritas complanaſſet; adductique etiam Hiſpani, vt ſe ſuſpenſuros arma reciperent; donec aliquod temperamentum turbatis rebus inueniretur: nulli dubium erat; quin facile exciti armorum tumultus componerentur. Verum Italorum principum conatus, & induſtriam diſcuſſerunt infœlici ſanè euentu, allati ab Gallia nuntij expugnatæ à Rege Ludouico Rupellæ; ſimulque eius apertæ voluntatis, illum in Italiam ingentes copias ipſo Rege, ac Duce, Caſali ſubſidio ducturum. Quo circa inuerſa rerum facie, regreſſo etiam

ex

ex Germania nullo itineris fructu, Duce Retellio; Habitus Ticini de ſancienda pace à bellantium partium conquiſitoribus conuentus nullo ſalubri decreto dimiſſus eſt.

Niuernenſis tranſmiſſuri certa in Italiam Galli Regis fama priſtino vigore animi reuocato; maximo, ſi quando alias ardore ſe futuro bello varijs apparatibus expediebat. Augebat quoque animum Caſalenſium virtus indomita, & obſtinata; qui à Regij exercitus receſſu, plures circum hoſtium ſtationes aggreſſi deiectis inde cuſtodijs, occuparant; minuerant quoque metum ipſorum Hiſpanorum noxia conſilia, alia, atque alia affecti exercitus detrimenta, inutilium impenſarum iacturę, & infortunia. *Mantuanus Dux bellũ redintegrat.*

Per eos dies periculoſa Mediolanenſis ſeditio plebis exarſit; atq; vrbs tota conſternata commeatuum deſiderio in ædilium cædem inſanijt. Die Diuo Martino ſacro ingens inopum, tenuiorumque manus, immiſta etiam fœminarum ſaxis, & ſudibus armata turba inſtitorum prædata tabernas auſos ſuo obuiam ire furori male mulctauit: tantaque fuit plebis furentis ira; vt cum ad eam comprimendam nec primatum authoritas, nec ſatellitum obiecti agminis vis, nec Myſtarum cum Sacerdotalibus trabeis Chriſti è cruce pendentis ſimulacra ferocientibus obtendentium preces lenire truces animos poſſent; magnum Cancellarium neceſſitas impulerit; vt cũ expedita Hiſpanorum cohorte, ad populi compeſcendum furorem accurreret; qui iam in Melzij ſenatoris ædes exarſerat; cuius filius annonæ præfectus depoſcebatur ad necem; inconditam multitudinem perrumpens illum in mediam cohortem acceptum, in arcem ſaluum, & incolumen, deluſa inſanientium turba deduxit. Pacatus deinde poſtero die tumultus, aliquot præcipuis ſeditionis autoribus laqueo ſuſpenſis; expoſitiſque pro tabernis, & officinis abundè commeatibus. *Mediolanẽſis plebis ſeditio.* *Pacatur ſeditio.*

Magis, ac magis in dies deſcenſuri in Italiam Gallici exercitus ipſo Rege Imperatore rumor percrebreſcebat, formidandarumque virium fama, quibus Rex Ludouicus ſubſidium Montiferrato laturus ferebatur; nec mortales vllos vnquam validiores bellicos apparatus maiori alacritate ab ea gente factos meminerant. Quare Cordubenſis illius expeditionis cupidus obeundæ, antequam Galli ſuperatis alpibus, in Italiam irruerent; regreſſus in caſtra, quatuor tormentarijs tumulis eductis, libratiſque æneis baliſtis, frequenti globorum pulſu mœnia inſtituit verberare: ea ſpe ſe vrbe paucis diebus potiturum; ſicuti cohortium præfecti inani iactatione, adulationeque propediem obſeſſos facturos deditionem promiſerant; ex transfugarum dictis, vrbem vltima pati, atque ad ſupremam commeatuum inopiam recidiſſe referentium; & ideo inutilem ſenum, fœminarum, puerorumque turbam extra mœnia eiectam: ne pugnantium annona citiùs conſumpta, ſe hoſti permittere cogerentur: quæ ab obſidentibus non admiſſa palata per agros lurida fame corpora trahens vario mortis genere perijt. *Rumor de Gallici exercitus aduẽtu.* *Cordubenſis inanis conatus, & ſpes.* *Inutiles ex vrbe Caſale eijciuntur.*

Cordu-

Digitized by Google

Cordubenſis tamen ſpes irritæ, vanæque fuerunt; quia iam vicinis Italiæ ſtrepentibus Gallis, erat Dux Allobrox contra præpotentis Regis exercitũ pari virium robore confirmandus; vt alpium anguſtias obiectis validis viribus tueretur; in quarum cuſtodia omnis ex Italia Gallos ſummouendi, expugnandique Caſalis ſpes nitebatur. Quamobrem, & cęptæ expeditionis decus, & ſocij ducis ſalutis ratio impulit; vt expeditior exercitus pars, validioreſque equitum alæ in Seguſij vallem properare iuberet; qua Galli in Italiam venturi dicebantur. Illius agminis diſceſſu multum Caſalenſium labor, & cura reſedit.

Dux Allobrox Alpes tuetur.

Montes, qui Italiam à Gallia interiectis ſuis eductis cælo cacuminibus, interſepiunt; quatuor per anguſtas valles, in Galliam, viciſſimque à Gallia in Italiam aditus pandunt. Horum præcipuus ſe ſe ad Boream inter diui Bernardi Alpes Graias antiquitus appellatas aperit; Græcorum, Annibaliſque tranſitu inclytas: quæ per duo iuga, alterum Iouis Montis, alterum Iouetti in Auguſtæ vallem Eporediam ducentem in Italiam tranſitum præbent: alter in Apenninis, Cottijſque alpibus per Seguſij vallem parum ab Auillana ſecedentem ſubſidit; ad quem duabus vijs, Montis cinerum ſc. quà ad Allobroges vergit; & Carolus Magnus contra Longobardos traduxit exercitum; & Mongineuram Montem aditus in Italiam patet: vbi varij calles, & ſemitæ minus à viatoribus frequentatæ, & Veſuli montis ſpecus Erydani fonte celebre: atque inde in Salaſſios penetratur. Tertius inter Argenteriæ alpes ad Salaſſios vſque pariter excurrit: quamuis per hunc iniquioribus ſalebris, & ſemitarum anfractibus, difficiliem, & confragoſum nullus Gallorum Regum pręter Franciſcum primum, copias traiecit; qui incredibili, atque inaudito omnibus ſeculis auſu, vt Hiſpanos falleret; qui alios aditus obſederant, rupium, ſalebrarumque difficultate per domita, illac, copias, ac tormenta raptauit. Quartus per maritimas alpes, quæ lyguſtico imminent Mari; vbi per Dragonieræ, Cunei, Peroſæque clauſtra in Italiam aditur. Alij prætereà in Galliam aditus ferunt; ſed admodum traducendis vehibus ſalebroſi; qui partim in Taurinos, partim in Ligurum oram ducunt. Ex his omnibus per Seguſij vallem, & Mongineuram elegit tranſitum Ludouicus veluti reliquis æquiorē, per quē Galli à Carolo octauo exercitus traijcere conſueſcunt: & quamuis plerią; Duces varios eodem tempore aditus tentandos, ad diſtrahendas hoſtium vires ſuaderent; quò minus diuiſæ validæ irruenti Gallo ad reſiſtendum forent; nihilominus quia eadem ex agminum diſtractione exercitum imbecillitas afficiebat: decretum communi ſententia, totis ſimul viribus vno duntaxat aditu perrumpendum; quò maior Duci Allobrogi terror ex vna copiarum mole afferretur. Nec tamen dum arma excidium intentant: à demerendo Ducis animo ciuili officio ceſſatum eſt: nam eodem tempore Dynaſta Bellagardus ab eo enixiſſimè contendebat; vt per eius pacatum agrum, Gallicis agminibus ſubſidio Caſali properantibus amicè tranſitum

Quà per Alpes in Italiã aditus pateat.

Suſa.

Moncinis.

Saluz.

Franciſci primi Gallorum Regis animoſus conatus.

Quà Ludouicus Galliæ Rex in Italiam deſcenderit.

Gallorum vtile conſilium.

agrum,

daret. Tunc enim verò Allobrogis Ducis animus varijs curis, ac cogitationibus fluctuabat; atque in ancipitia rapiebant diuerſa conſilia. Hinc in Hiſpani Regis obſequium, ictumq; fedus, atq; ardens bello parta retinendi cupiditas, vt eius inconcuſſa fide initam ſocietatem coleret, impellebat; illinc expediti, atque in limine hærentis Italiæ formidandi Galli Regis exercitus metus, præſentiſq; exitij diſcrimen, quòd ſuis ditionibus imminebat; ſi in Hiſpanico fœdere perſiſteret, venientiq; Gallo iter præcidere voluiſſet, in contrariam ſententiam trahebat. Quare animi pendens varia declinandæ cladis conſilia anxio, ac ſolicito animo volutabat: neq; eius conſiliarij in contraria partium ſtudia ſciſſi opportuna tuendis rebus conſilia expediebant: & cum illi ſomnum curarum moles excuteret, & coqueret incertum vtiliora decernere, ſicuti fieri ſolet, vbi prima quæque dubiæ menti occurrentia damnamus: anxio animo æſtuabat. Primum ſecum tacitus euoluebat; quantæ infamiæ, ac dedecori futurum eſſet, ſi poſt accepta ab Hiſpano Rege pecuniarum, militumque ſubſidia, cum deſertoris labe, ab eo Principe in tanta neceſſitate deſciſcere, cui & conſanguinitatis nexu, & percuſſi fœderis ſacramento, & meritorum debito eſſet obſtrictus; laborum, impenſarumq; in Montisferrati oppidis expugnandis iactura ſubibat, quæ verendum erat, an Galli paſſuri eſſent; vt ea expugnata retineret. Præter id, quòd in Germania præualidum exercitum, pro Mantua expugnanda contrahi, pararique audierat; qui Hiſpanicis iunctus copijs, nulli ambigendum erat, quin toti Italiæ leges daturus eſſet, effecturuſq; vt eos maximè pœniteret; qui ſe hoſtes Auſtriaci nominis declaraſſent. Ex aduerſo oculos oberrabant Allobroges amittendi diſcrimina ſubijci faciles, quòd nullis firmis arcibus munirentur, ipſorumque futurum Taurinorum excidium, ac ſuarum rerum, fortunarumque omnium vicina calamitas. Quò enim anguſtiarum veniendum erit, ſi aperta vi Rex Ludouicus in Inſubres penetraret? & quis de conſtanti Hiſpanorum erga ſe fide certum facere poterat; qui vt quacunque ratione Italia excluderent Gallos, non ſibi maximè noxia ſint cum Ludouico Rege pacturi? & fortaſſe ſuos etiam dominatus, ſicuti quondam in conſilijs eorum miniſtros de hac re diſſeruiſſe cõſtabat equalibus ſibi portionib. diuiſuri? Quarũ cogitationũ aculeis vulneratus animus nullũ impendenti malo remediũ poterat explicare, nec aliquid tutũ in re periculoſiſſima decernere. Quare in arcanis eũ Gallo Legato alloquijs identidẽ variando ſentẽtiã eum de ſua voluntate ſuſpenſum, ac dubium facere ſtudebat; quò ſe nõ magis in Hiſpanos, quã in Gallos propẽſũ eſſe ſimularet; immo quò maiora ſua in Gallicã gentem ſtudia eſſe oſtenderet; illum ſæpius ad ſuum alloquium admittebat. Obſeruatum à pleriſque inſuper eſt, in ſupremo cum Mediolani Præſide congreſſu ſibi militare ſagum adeò aptaſſe; vt in quamcunq; partem verteretur corpori decenti prorſus cultu conueniret; quod olim Caſtruccium Lucæ dynaſtam in non diſſimili occaſione feciſſe memoriæ proditum

Dux Carolus animo fluctuat.

Ducis Caroli ingentes curæ.

Varij Ducis Caroli reſpectus.

Plures Ducis Caroli metus, & reſpectus.

Lepidũ Ducis Caroli inuentum.

Digitized by Google

ditum eſt: eo commento innuens, vt ipſius interpretati ſunt aulici, ſe in expedito eſſe fidem mutare, & cuicunque, vt libuerit, adhærere. Neque tamen ideò ab Hiſpanis ob ſuſpectam Allobrogis fidem omnibus artibus ceſſatum eſt; vt eum pro ſuis partibus facere, ſuamq; colere ſocietatem impellerent. Quia cum illos Gallorum in Italiam ingreſſus acerbiſſime pungeret; qui in Allobrogis Ducis erat arbitrio; adeò non Mediolani præfectus ad tot alienati ab ſe animi argumenta ſuccenſuit; vt etiam aſſidua aſſentatione, demiſſiſque obſequij blandimentis nihil ſe de eius fide vereri præſeferens, omnibus eius, quamuis ingentibus petitionibus indulgebat: ſeuero præterea edicto ſanxit, ne quis in exercitu iam de eius artibus muſſitante, illius dicta, vel facta mordacibus cauillis criminaretur: eique pecuniarum, & militum auxilia ſubmiſit; quibus tandem impulſus Dux; honeſtate cæteros animi affectus ſuperante, ſtatuit omninò ab Hiſpanorum partibus ſtare; dimiſſiſque Gallis legatis, in Seguſij vallem repente exercitum duxit; miſſo interim in Gallica caſtra alias conditiones laturo altero filio; ſed nullo operæ pretio: cum Rex Sciamonem quinque paſſuum millibus Seguſio diſtantem progreſſus Gyuiſio Duce iuſſo cum quindecim armatorum millibus properare, ſeptimo idus Martias primũ exercitus agmen Crequio Duce Seguſium verſus emiſerit; ipſo cum reliquo copiarum robore ſubſequente, ad Allobrogum tranſuerſa in valle munimenta oppugnanda; quæ ingenti foſſorum, operarumque multitudine in arduum educebantur, prætentis in fronte acutis vallis; obliquiſque arboribus muniebantur; Principibus filijs, copiarumque præcipuis ducibus ſedulis inſtantibus operi. Hic vallis anguſtiæ duabus arcibus hinc inde in collium accliue ſurgentibus clauduntur; inter quos trita, vulgariſque via ſubſidit Sciamone Seguſium procurrens; quam ingenti etiam lorica propugnaculis vallatam collineatis contra recta ſubeuntes tormentis, Hiſpanæ, Neapolitanæque cohortes tuebantur.

Hiſpani Carolum Ducem demereri omni arte conantur

Dux Carolus ab Hiſpanis ſtare decernit.

Galli in Italiam tranſitum tentant.

Allobroges vallũ concaua muniunt.

Quocirca cum & aſperi, prærupti que ſitus ingenio, & architectorum induſtria locus maximè munitus videretur, ſperabat merito, ac iure Allobrox, ſe poſſe Regem tranſitu prohibere: certiſſimamq; ſpem litteris fecerat Cordubenſi, hoſtium temeritatem, inſanoſq; auſus cauillatus, ſibiq; omnia proſpera inani iactatione pollicitus, hoſtem aditu ſummoturum: ſed Allobrogis fiduciam Gallorum audacia feſellit; qui numeroſo deuotorum capitum agmine, ad eas munitiones aggrediendas præmiſſo, vt tormentorum ictibus, ſcloporumq; procellæ obiecti primos hoſtium conatus delaſſarent, fatigarentq; aſſidua pugna cuſtodes: plures horas nunquã intermiſſo præliandi ardore ſic repetitis, pertinacibuſque impreſſionibus Allobrogum propugnaculo peruadere inſtiterunt, vt integris ſubinde in morientium ſubeuntibus locum, arduos aſcenſus, propugnantiumq; conſtantiam, Gallorum obſtinata ſuperante ferocia, vt improba, pertinaxq; virtus omnia vincit, Hiſpanis tandem, Neapolitaniſq; cohortibus fuerit irrum-

Caroli Ducis promiſſio.

Gallorum audacia in ſuperandis Allobrogũ munimẽtis.

Digitized by Google

irrumpenti vndiq; Gallo cedendum, arreptaq; fuga ad poſteriora, munimenta, molemque exercitus recurrendum, amiſſis præcipuis copiarum Ducibus, Hieronymo Auguſtino ſupremo eorum Duce ex vulneribus ſeminece, cui maioris ſclopi ictu ſuffoſſo equo, ægrè ſe illo diſcrimine explicuit: & quamuis Dux Pater cum Principe filio Victorio ad ſociorum periculum cum duabus veteranis legionibus accurriſſent; tamen ea capta à Gallis ſtatione, fugatiſq; fœderatis, ipſi quoque retro agmen reduxerunt cum acerbiſsima Hiſpanorum indignatione, ac querela, quòd tantis viribus, numeroſiſq; copijs validi foramen, vt Cordubenſis mordaci dicterio Allobroges ſugillabat, claudere nequiuiſſent, ſe paſſi à tam munitus ſtationibus ab hoſtibus deturbari. *Hiſpani à Gallis fuſi, fugatique.*

Hic fœlix Gallorum ſucceſſus mirum in modum belli habitum, reſque variauit. Nam cum Hiſpani vererentur, ne Galli vlterius eodem proſpero impetu illati pernicioſum aliquid in Inſubres molirentur; pacis conditionibus à Gallis miniſtris oblatis impenſis animis aſſenſerunt; quam cum etiam Dux Allobrox de rebus ſuis trepidus ſolicitaret; in has pacis leges vtrinque conuentum eſt. *Gallorum Victoria.* *Hiſpani Gallorum metu oblatis pacis conditionib. acquieſcunt.*

Vt ſaluis Imperij iuribus, Monſferratus priſtinæ libertati, amotis inde armis, atq; exercitibus, redderetur.

Tridinum tamen eſſet in Ducis Allobrogis poteſtate; verum hac lege, vt commeatus Caſali inferendos curaret: nec vllam deinceps Mantuano Duci moleſtiam faceſſeret. *Pacis conditiones.*

Niciam, aliaque oppida Hiſpani retinerent, Seguſium à Gallis præſidiarijs cuſtodiretur, donec ſancita pacis conditionum capita ſeruarentur.

Sic itaque rebus compoſitis, Ludouicus cum ingenti aſſerti, admoto ſolum ſuorum armorum terrore, Niuernenſis Ducis, pacatæque Italiæ gloria in Galliam regreſſus eſt; relicto ad finium cuſtodiam Cardinali Richelio cum ſex millibus bellatorum; iuſſis cæteris miniſtris hoc maximè eniti, vt initæ pacis conditionibus ſtaretur: quæ tamen, neſcio quo malo fato ad Italiæ exitium turbari cœpit; tum quia Rex Hiſpanus, cui pactæ conditiones moleſtiſſimæ fuerant, ratas facere recuſabat; tum etiam quia Carolus promiſſis fidem non extitiſſe querebatur, circa aliquot oppidorum reſtitutionem; quæ illi ſuperioribus bellis Genuenſes ademerant; Hiſpanique ſimul cum Allobroge ſe Gallorum perfidia petitos eſſe, ac proditos ſucclamarent; quòd illi, ſtruente inſidias quodam cohortis præfecto Corſo, qui idcircò laqueo fracto gutture pœnas cogitati ſceleris dedit; Niciam intercipere tentaſſent; & è contra Galli expoſtularent conuenta in Seguſij tranſactione ab hoſtibus violata, ruptamque fidem eſſe. Ad arma idcircò iterum infenſioribus animis, & bellicos tumultus breui reditum eſt. Hiſpani copias authoritatis nouis peditum cohortibus, & equitum turmis, augere in Inſubribus feſtinabant; *Pax rurſus turbatur.*

R qui-

quibus ſcribendis, cum Hiſpano Regi ob ſuperiorum bellorum impenſas, pecunia non ſupeteret, annuos exterorum prouentus de cenſuum redditibus pendere diſtulit; & aurum, atque argentum ex Indicis fodinis claſſe in Hiſpaniam aduectum in bellicos ſumptus in ærarijs condidit: miſſis etiam ad corradendam vndique pecuniam per omnes prouincias Conquiſitoribus, qui noxarum, exilijque pœnas proſcriptis pecuniarum mulcta remitterent; regia munera ab vrbibus exigerent; & quòd nunquam alias ab Regibus permiſſum fuerat; Americæ præfectis indulſit, vt trium annorum ſolutione prouentuum beneficiarios dominatus, & feuda in ſuos filios poſſent tranſmittere.

Hiſpani vndiq; pecuniã congerunt.

Rex verò Gallus cum accepiſſet Germanas copias ad oppugnandam Mantuam deſtinatas Curiam Rethorum principem vrbem occupaſſe: atque hoſtem pacem niſi reddito Seguſio, reſpuere; omnibus ab Italia in Galliam ſuis militibus reuocatis, pari animi ardore, ſe Italo bello maximis apparatibus expediebat; vndique ex omnibus prouincijs milites, ex munerum venditione, hæreticorumque liberatione pecuniam, vt eo bello mererent, ſolicitè contrahens rurſus armatus in Italiam irrupturus, atque ipſos Inſubres aggreſſurus; quibus moderandis Cordubenſi Rex Hiſpanus Demarchum Spinulam ſubrogarat; vt eo bello clariſſimo noſtri ſeculi duce vteretur: quem Mediolanum ineuntem tota ciuitas tanta hilaritate inter fauſtiſſimas acclamationes excepit: quanta inſolentia, ac procacia Cordubenſem, cum in ſuo munere obeundo plurimos offendiſſet, eiecit. Diſcedentem plebs vniuerſa conuicijs, iniurijs, vſque ad vrbis portas proſequua eſt. Ille tamen ſumma conſtantia eodem vultus habitu ſedati animi indice, veluti alter Focion Athenienſis non ſolum quicquam à corporis ſtipatoribus in inſoleſcentem multitudinem lapides, cęni fragmina, aliaſque ſordes in ipſum, quo vehebatur, currum torquentem grauiùs conſuli prohibuit; ſed nec vllo irrato verbo inſanientem turbam caſtigauit, paſſus eius probri infamiam in ſuorum authorum capita ruere.

Gallus Rex ſe ad bellũ inſtruit.

Demarchus Spinula Mediolanenſi ditioni præficitur.

Cordubenſis conſtantia aduerſus Mediolanẽſis plebis inſolentiam.

Germanicus interea exercitus obſidendæ Mantuæ in Germania conflatus ſe in Rethorum valles demiſerat, in Italiam quam primum iuſſu Cæſaris deſcenſurus; inter eas ſteriles rupes, nudaſque ſalebras commeatuum inopia afflictus, diùque ibi detentus illum diem ſibi videre videbatur, quo in opimos, feraceſque Italiæ campos admiſſus opulentiſſimæ prouinciæ opibus, & annona ſuam ſamen, & cupiditatem expleret. Cordubenſis hactenus, quòd ab earum copiarum ducibus diffideret; Inſubrum ſaluti, rebuſque metuens, ſi illa barbarorum agmina per Mediolanenſem dominatum Mantuam tranſgredi pateretur: conſtanti animo Germanos in Inſubres aditu perſtitit prohibere; ſed Spinulæ tandem amiſſa prorſus ſpe, eas copias per Venetos fines, vt prius

Germanicus exercitus in Italiam tẽdit.

Germanicus exercitus in Inſubres admittitur.

animo

animo propoſuerat, Mantuam traducendi, placuit Germanos in Inſubrum agrum accipere ; vt inde oppugnatum Mantuani tenderent. Certos annonæ conquiſitores, hoſpitijſque excipiendis, quò ſine maleficio incolis innoxiæ tranſirent, præfecerat, apponique affatim commeatus gradientibus iuſſerat; quò militari via vno agmine nullis in agros quæſitum cibos excurſibus raperentur.

Digitized by Google

MANTVANVM BELLVM

NARRATIO NONA.

QUamuis Mantuæ à Cęſareis expugnatæ, ac direptæ in noſtris bellis Germanicis narrationem fusè ſcripſerimus, neque idcircò hic rurſus iteranda videretur: tamen quia fieri poteſt, immo plerunque fiet, vt has Italicarum rerum narrationes habenti Germanica deſit hiſtoria; atq; ideò inter has præcipuum principis vrbis requirat euentum, & mancum ſugillet opus: ne quid lector deſideret, hoc iterum duximus repetendum, eò libentiùs, quò gratior quoddam in illo Mantuano bello offenſum corrigendi obijcitur occaſio.

Germani in Italiam deſcendunt.

Duo igitur, & viginti peditum, tria equitũ millia, & quingenti Rambaldo Colalto Imperialium armorum in Italia ſupremo Duce, in Germanicis, & Pannonicis bellis clari nominis bellatore per Larium lacum progreſſi Leucum, in Cremonenſem agrum deſcenderunt; non Inſubribus ſolum crudelitate, rapinis, direptionibus, populationibuſque pagorum, & pecuniarum acerbiſſimis exactionibus maximè noxij; ſed etiam maiori Italiæ parti funeſtiſſimi, abhominandique ob ſæuiſſimam luem cum ipſis in Italiam ingreſſam; quæ rapidiſſimi torrentis inſtar Taurinos, & Inſubres, Venetos, Flaminiamque viam, ac Tuſcos inundans fœda ſerpigine maiorem mortalium partem abripuit.

Colaltus honorificè a Spinula exceptus, & habitus, poſt arcana colloquia, & diuturnas de Mantuano bello adminiſtrando conſultationes, cum eo conuenit; vt ipſe cum Germanicis copijs Mantuam, Spinula verò, Caſale, & Montemferratum inuaderet. Quare vterque arma expedit in ſuam

Germani in Mantuam feruntur.

prouinciam, quæ ſibi bello petenda obtigerat, profecturus. Cæſareæ copiæ maioribus exercitus ſtatoribus Matthia Galaſſio, Aldringhenoque ducibus (nam Colaltus valetudine impeditus Laude Pompeia ſubſtiterat) Olio flumine ſuperato, occupatoque Volengo in Mantuani agri finibus, Cannetum aliquanto maius, munimentiſque firmius oppidum acceſſerunt. Curabat in illo Angelus Corarius Patritius Venetus ſummæ virtutis, atque impauidi animi Dux oppidum contra Germanica agmina ſtrenuè defenſurus; niſi Mantuani Ducis litteræ illum à tam periculoſo auſu reuocaſſent: vt eas peditum cohortes melioribus vſibus reſeruaret. Angebat inſuper oppidanos tot amiſſarum cohortium iactura; quæ in tot locorum propugnatione diuiſæ, vt ex exteris conflatæ militibus huc, illuc dilapſæ Niuernenſis ſigna deſeruerant. Quare Mantua validiori, meliorique militum numero deſtituta ingens diſcrimen erat aditura: niſi Veneti animaduerſo periculo, mille militum ſubſidium in vrbem protinus immiſiſſent.

Veneti Mãtuæ ſuccurrunt.

Mantua

Digitized by Google

Mantua quaſi è medio lacu pulcherrimo ſanè proſpectu emergit; quem Mincij fluminis aquæ reſtagnantes efficiunt; hic à lacu Benaco defluens aliquot ſtadia ripis coercitus placido lapſu emenſus in depreſſioris ſitus planitiem cadens, latè diffuſis vndis, iterum ſtagnat. Inſula in qua ciuitas ſurgit, aliquod aggeribus longioribus, aut breuioribus pro diſtantia, & ponte committitur continenti. Ad maioris pontis caput iacet Diui Georgij ſuburbium inualidis mœnibus ſeptum nullis aggeribus in pomœrio ea fulcientibus: cui Cæſareis cum tormentorum apparatu accedentibus copijs, Federicus Gonzaga eius præſidij præfectus cum Aldringhero noui Ducis nomine pacis conditiones paciſci inſtituit: pluribus conatus in animum illius inducere Niuernenſem Ducem vt ſua in Imperatorem obſequia, ſeque vectigalem minime contumacem toti orbi teſtaretur: paratum eſſe Germanas copias in illius ſuburbij hoſpitia recipere. Aldringherus explorata ſuburbij mœnium imbecillitate, ad tormentorum violentiam, copiarumque impetus ſuſtinendos inualida, eo nomine ſuburbium in deditionem accipere recuſauit. Quare Federicus ne præpotentia Germanorum arma inconſulto auſu irritaret; cum illud propugnare non poſſet, ceſſit hoſti ſuburbium: retenta tamen exigua arce, ipſa ſcilicet porta; quæ ponte à ſuburbio ducit in vrbem, aliquantum munita.

Mantua ſitus.

Diui Georgij ſuburbium deditur Germanis.

Germanis in ſuburbium ingreſſis, pactæ ſunt aliquot dierum induciæ: quibus durantibus, Niuernenſis cupidus aliqua ſubmiſſioris obſequij ſignificatione hoſtilium armorum furoris temperandi: Colalto, qui vel ægritudine laborans Laude Pompeia in Mantuanum agrum progreſſus in Diui Benedicti Cœnobio prætorium ſtatuerat; eam ſuburbij arcem vltrò obtulit: dummodo voluntariæ, honeſtæque deditionis nomine illam vellet accipere. Sed Aldringhero referente, Ducis oblationem eſſe eius rei, quæ non plus duas horas detentura eſſet impetum Germanorum: reiecta Ducis oblatio eſt.

Repentinus quoque caſus induciarum fœdus abrupit: eodem namque tempore; quo primum Aldringheri agmen Diui Georgij ſuburbium inſtructis ſubibat ordinibus; poſtremum Federici de Saxoniæ familia Principis agmen ad Ceraſorum ſuburbium toto lacus litore prætentum, nullo defenſum preſidio diuertit. In vicino tamen aggere, per quem à ſuburbio itur in vrbem; propugnaculum ad parmulæ modum extrui cœptum erat; quo in vrbem tranſitus claudebatur: propè quod ſe ſe prouehentibus Germanis, à Venetis præſidiarijs deſertum eſt. Hoc munimentum nullius pugnæ diſcrimine Germanæ cohortes adeptæ facilè poterant in vicinam inſulam ab vrbe non amplius ingentis foſſæ ſpatio auulſam facili traiectu tranſmittere.

Hoc non expectato rei euentu territi oppidani Chiliarchum Durantem protinus mittunt; vt nouis aſtructis propugnaculis, eam partem ab hoſtibus tueretur: ratique ſe contra induciarum fœdus inuadi, tormenta ab

 vrbe

Mantuani Germanos exceſſiut tormentis. vrbe in Diui Georgij ſuburbium diſplodunt. Arcis præſidiarij,& tormentorum vrbis fragore, & Cæraſorum Suburbij ſtrepitu audito, ipſi quoque maiores ſclopos in Germanorum ſubiectam in foro ſtationem protinus emittunt: vbi plures præfecti, copiarumque miniſtri induciarum ſecuri pactione Suburbij rerum ignari ſpatiando, fabulandoque tempus fallebant. *Germani arcem capiũt.* Germani rei nouitate, vt par erat, valde commoti,cum ea repentina glandium iaculatione plurimi cecidiſſent;ob violatam induciarum fidem irati, raptis armis,arcem ſimiles lymphatis inuadunt;qua cæſis præſidiarijs,ferè momento potiti vlterius ad pontem prouecti tantum non eodem impetu in vrbem irruperunt;niſi opportunè ſublato plicatili ponte,Mantuani Germanos gradum ſiſtere coegiſſent;qui præcluſo aditu,cum vlteriùs progredi non poſſent;erectis munimentis, ibi ſtatione firmata, adducta eò ex caſtris muralia tormenta in mœnia vrbis exonerant; ſicuti ipſi in ſuburbio, è mœnibus pulſabantur.

Interim aliud mille militum cum decem muralibus tormentis, & centum plauſtris commeatibus,tormentarijſque rebus onuſtis,pręter aliquam pecuniarum ſummam, miſſum à Venetis ſubſidium fęlici auſu in vrbem intrauit. Germani comperto quàm in ferendis Mantuæ ſubſidijs Godium ad Mincij fauces poſitum foret opportunum; vt arctiori obſidione premerent vrbem,atque omnibus commeatibus intercluderent;illud prius expugnandum putarunt. *Germani Godio ſuccedunt.* Galaſſius ad explorandum loci ingenium, ſitumque proceſſit. Oppidum illud validis munimentis ſeptum firmo præſidio tenebatur:quod niualis tempeſtatis,ſæuientiſq; hyemis beneficio ad vernos vſque dies facilè poterat propugnari. Galaſſius cum paucis militum cohortibus eò progreſſus ex quibuſdam indicijs animaduerſa præſidiariorum ignauia, fęlicis futuri ſpe plenus euenti aliquot lembis ad vicina Mapalia litori hærentibus, quorum ad ferendam vindemiam eſt vſus agricolis traiecto Mincio, Godium acceſſit; adductiſque è caſtris duobus muralibus tormentis,oppugnationem minatur.

Godium Germanis dedit propugnantium ignauia. Præſidiarij quaſi totus oppido Germanus circumfuſus exercitus in diruta mœnia daturus impetus foret; demiſſis nimium turpiter animis, cum Galaſſio conueniunt; vt ad tegendam timidiſſimæ ignauiæ fœditatem; deditioniſque turpitudinem honeſtandam, poſt aliquot tormentorum ictus, oppidum dederetur: maximo ſanè Mantuæ rerum detrimento, quòd omni ſubſidijs accipiendis aditu clauſo, nulla amplius Venetis auxilijs pateſceret via. Occupato Godio, cum Germani tormenta in Diui Georgij ſuburbio collineata inanibus,remiſſiſque ictibus, ob loci diſtantiam, quaterent vrbem; nec à Durante Chiliarcho excitata propugnacula vllis impreſſionibus ſuperari poſſent; Portum arcem munimentis,propugnaculis,loricis,ac foſſa vallatam,ex lacus vicinia firmiorem ad quam per molendinorum pontem ab vrbe tranſitus patet; adoriri decernunt.

Promotis igitur vineis foſſam emiſſis aquis, exſiccare, deinde tormento-

Germani Portum arcem aggrediuntur.

mentorum pulſibus, & cuniculis mœnia diruere, ac per ruinas in arcem euadere animis propoſuerunt: omniaque ſibi facilia ob propugnantium ignauiam tot experimentis exploratam futura ſperabant: & iam libratis tormentis ad pulſanda mœnia, opugnationem ordiebantur; cum maiori proſpecta rei difficultate, quam fuerant votis, ac ratiocinatione dimenſi; ineunte maximè hyeme, & vrbs, vndique ab hoſte ſecura omnes vires ad arcem tuendam conuerſura eſſet; cum iam & commeatuum, & pabuli caritas premeret copias, in milites inſuper peſte graſſante, ſatius putarunt, ea expeditione parta tueri; vrbemq; laxiori in hybernis ſtatiuis obſidione ſepire, & continuis equitum procurſibus impedire, ne quid vrbi commeatuum inferretur. Colaltus Regium cum peditum legione, alijq; aliò Duces in hyberna profecti omnibus Imperij beneficiarijs commeatus, pecuniam, ſtatiuaq; militum in eorum ditionibus imperarunt.

Germani à Portus arcis obſidione diſcedunt.

Dum Germani inter hybernorum otia quieſcunt: obſeſſi Carolo, & Principe filio ducibus, circumiectas hoſtium ſtationes perpetuis, & validis excurſionibus fatigabant; quibus repentino impetu oppreſſis, in Veroneñſem agrum reſeratis clauſtris, viam Venetis ſubſidijs aperuere; quæ ſicuti furtiua, ita maligna infra obſeſſorum neceſſitatem deferebantur.

Mantuani Duces contra Germanos prodeũt ex Vrbe.

Summus Pontifex tam propinquis Cæſareis furentibus armis, ad duodeuiginti bellatorum millia in Eccleſiaſticæ ditionis finibus conſidere iuſſit; vt in omnibus belli euentis non ſe inermem exteri exercitus inuenirent; ſuoſq; fines à Germanorum excurſibus tueretur. Cardinalem quoque Antonium Barberinum fratris filium Bononiam legauit: vt pacis ſequeſter Mantuani Ducis res cum Germanis ducibus componeret.

Pontifex ſuos fines munit. pacis ſequeſtrem Cardinalẽ Antonium deſtinat.

Ille igitur miſſo ad Colaltum Ioanne Paulo Pancirolo ſummæ virtutis, prudentiæ, dexteritatiſque viro, aliquot dierum inducias paciſcendas curauit; vt ijs durantibus, poſſet commodiùs aliquid de pace conſtitui: ſed Colalto ob hoſtium ignauiam, & metum, fœlicitatemque ſucceſſuum elato nimium iniqua petente, à Pancirolo de ineundis inducijs fruſtra laboratum eſt: cum neque Niuernenſi Duci præter Mantuam, & Caſale, quicquam amplius ſupereſſet: quo immodicas Colalti petitiones impleret, nec medium aliquid conſtitui poſſet; & iam in Italiæ finibus ad Alpes Gallica fremerent arma; Mantuæ, & Caſali ſubſidio ventura: quæ ſi in fide perſiſterent, repugnarentque ea hyeme vſque ad vernos dies Germanis; ſperabat hoſtiles copias aut peſte, aut militiæ incommodis, inſuetiq; cęli grauitate conſumptas, impares Gallicis viribus futuras à locis occupatis poſſe facilè deturbari.

Ceſſabant inter hybernorum commoda Germana arma; cum ecce, miteſcente iam hyeme, annoque molliori tempeſtate ſe aperiente, viginti peditum, & duo equitum millium validus Gallorum exercitus Cardinali Richelio Duce, & Crequio, à Forzia, & Sombergo Mariſcallis copiarum legatis in Cottiarum alpium limine Italiæ conſiſtit, primoq; quaſi armorum

Gallicæ copiæ ad Cottias Alpes.

acceſſu Seguſio, Pinaroloq; occupatis, in Taurinos irruptionẽ minatur. Trepidis igitur nuntijs à Spinula Colaltus accerſitur; vt contra Gallicas copias Germanicum traducat exercitum. Ille cum expedita veteranæ virtutis militum manu, in Taurinos magnis itineribus proficiſcitur. Sed cum de adminiſtrandi belli ratione à Spinula diſſentiret; eius conſilia pertæſus relictis in Taurinis quatuor Germanorum millibus, Mantuam ad ſua caſtra redijt: vbi in vrbis expugnationem ex cubanti, eius per inſidias intercipiendæ inſperata affulſit occaſio.

Dux Niuernenſis in omnes lædendi hoſtis occaſiones intentus animaduertens Germanos ad prohibenda ab vrbe commeatuum, militumque ſubſidia, circumductis propugnaculis, ſed Godij vallaſſe: ac inde poſſe ſuorum ope deſtitutos expelli; ſi Rodigo pago munito, inter circumpoſitas Gærmanorum ſtationes commercia tolleret: quingentos ex promptioribus milites ad Rodigum occupandum miſit: qui pagum nullo hoſte obſiſtente, ingreſſi munimenta erigere, raptimque extruere loricas ordiuntur. Sed hæc expeditio non ſolum irrita, ſed etiam pernicioſa Mantuanis rebus maximè fuit. Ægra ſcilicet mortalium mens cum de ſua ſalute ſollicita parum ſperet; nulla vnquam, vel ancipitia, ideòq; ſemper nocitura remedia repudiat. Galaſſius ſiquidem exploratis Ducis Mantuani conſilijs, ne hoſtium interiectus mutua Germanorum auxilia præpedirent; eò cum firmo ducentorum equitum, & octingentorum peditum agmine profectus, poſitis circumquaque militum cuſtodijs, Mantuanis deditionem imperauit. Illi cum ſe tueri poſſe, ſubſidiaq; accipere deſperarent; quòd quædam nauigia militibus inſtructa Mantua ad opem ſuis ferendam currentia à Germanis cum cæde repulſa fuiſſent: ſe iniquiſſimis conditionibus, vt omnes captiui eſſent; Galaſſij arbitrio dediderunt. Duci tantum permiſſum, vt Mantuam regrederetur.

Galaſsius contra Mãtuanos vadit.

Mantua in Galaſsij poteſtatem venit.

Simile infortunium aliud Mantuanorum agmen tulit: quod Marchionibus Alphonſo Guerriero, & Carolo de Rubeis ducibus ad Hoſtiliam recuperandam proceſſerat; clades enim alias clades quaſi quodam ſibi nexu catenant; nec duntaxat miſerum calamitas vna percellit. Aldringhenus enim cognito Mantuanorum abſceſſu, eos cum aliquot peditum cohortibus ſubſequutus, quamquam hoſtes numero validiores, quàm putauerat, conſpexiſſet; vlteriùs tamen ſubſidio ſocijs progredi, Mantuanoſque aggredi ſtatuit. Quædam loricæ in media eductæ via præciderant iter; è quibus, & à vicina turri Germani miſſilibus petebantur. Quare Aldringhenus ex occupatis quibuſdam vicinis ædibus Mantuanos viciſſim ſclopis maioribus inceſſebat. Præmiſerat aliquot peditum manipulos, vt à tergo interciſo itinere, medios hoſtes adorıretur. Verum illi animaduerſo Aldringheni conſilio, ne ſe medios circumfuſus hoſtis opprimeret, è munimentis Hoſtiliam verſus fugam intendunt; vt ſe intra Mantuanorum caſtra reciperent. Inſtant Germani fugientibus, interemptiſque pluribus, tantum Mantuanis caſtris attulere terrorem: vt ij quoque ſimili ignauia oppu-

Aldringhenus contra Mantuam proficiſcitur

Digitized by Google

oppugnatione relicta: indè quà quemque rapuit metus, effugerint: ſed paucis admodum ea fuga conſuluit; nam ab erumpentibus Hoſtilia Germanis, & ab aliquot hoſtium cohortibus, quæ traiecto Erydano, ſuppetias obſeſſis laturæ veniebant, intercepti plurimi perierunt. *Mantuanorum clades.*

Quibus cladibus, ſæuientiſque peſtis impotentia acciſæ Mantuanæ res maioribus in dies vrgebantur anguſtijs; & iam defenſores tot difficultatibus circumuenti deſponderant animos; ſpemque omnem ſeruandæ vrbis abiecerant; cum inteſtina mala, quàm externa ſæuiùs vrbem affligerent. Hic timor etiam Venetorum inceſſerat animos; quorum magni illius conſeruatio vrbis intererat; qui tamen exigua admodum pecuniarum auxilia, ac militum ſufficiebant: indignante maximè Mantuano Duce, quod promiſſis fidem non ſubderent, nec re verba ſancirent: Venetijs quoque ab ijs obligatam fidem Gallo exigente legato: qui crebris obnuntiationibus obteſtabatur ſuum quoque Regem Montemferratum Hiſpanorum arbitrio deſerturum: niſi maioribus viribus Mantuæ ſubuenire decernerent. Quare Veneti tot impulſibus acti validiori conatu obſeſſis ſuccurrere ſtatuunt. *Veneti Mātuæ ſuccurrere ſtatuūt.*

Habebant ſub ſignis ex varijs gentibus præcipuè Gallis conducta ad octo bellatorum millia, Valletta, & Candale Gallis dynaſtis præfectis: Zacharias Sagredus ſummum armorum in continente obtinebat imperium. Ludouico Atheſtinenſi dicto equitum magiſtro. Valeſio in Mincij litore, quo expeditiora ſubſidia Mantuæ faciliùs inferrentur; munito oppido belli armamentario conſtituto, Villam bonam, Marengumque verſus Veneti ordines ducunt; vt ibi munimentis erectis, omnes Imperialium conatus, ac progreſſus impediant.

Galaſſius in omnes Veneti exercitus ſolicita cura motus intentus tam valida hoſtium ſubſidia non temnenda ratus, collecto confeſtim decem millium bellatorum agmine, Villam bonam progreſſus iuſſit equites Liburnos ordines prætervectos excurrere ad exploranda hoſtium conſilia: quò verterent ſigna, vbi ponerent caſtra. Illi dum more ſuo veloces volitant campis: aliquot Epirotarum equitum turmas ad agrum ſpeculandum Villa bona emiſſas offendunt: nec mora diſploſis rotatis ſclopulis, ſtrictis enſibus velitantur. Ad fremitum ſerentium manus, prodijt quoque Valletta cum Volonum equitum turma, vt ad leuia certamina ſuos inſtrueret, atque ordines regeret. Acerrima ex gentis vtriuſque ferocia, militarique diſciplina pugna committitur. Epirotæ aliquandiù ægrè tamen ſe Liburnorum equitum ludificati impetum tuebantur: ſed tota Germanorum ad pugnæ locum feroci inceſſu prouehente ſe acie, veriti, ne hoſtiū multitudine obtererentur: conuerſis equis, retro ad ſua munimenta diffugiunt: intra quæ milites inſtructis ordinibus ſtabant Germanorum impetum propulſuri: ſed hoſtium animoſo acceſſu territi, deſerta munimentorum propugnatione, ſe in fugam conuerterant; à Ducibus tamen vtcunque cohibiti, atque in priſtinis ſtationibus conſtituti aliquandiù Germanorum *Galaſſius Liburnos equites in Venetos mittit.* *Germani Veneta caſtra aggrediuntur.*

norum

norum iteratis impreſſionibus reſtiterunt: totis niſibus munimentorum ardua ſuperare, propugnatoreſque inde deijcere fruſtrà conantium. At vbi Germani adductis è caſtris tormentis, perpetua verberatione Veneta munimenta, & parmulas diruerunt: defenſores ea deſerere compulſi Valeſium verſus ſe adeò ſolutis, confuſiſque ordinibus recipiebant; vt ſimilis fugæ receptus, correptis ſubitò pauore militum animis, fuerit. Inſtitit Germanus fugientibus equitatus: velocique curſu Venetos prætervectus medios deprehenſos horribili ſtrage cecidit.

Nunciata Valeſium ad Villam bonam cũ hoſtibus pugna, extemplò duæ equitum turmę altera loricatorum, Epirotarum altera ſubſidio ſocijs properare iuſſæ: quas mox Conquiſitor Antonius cum alijs equitum turmis ſubſequutus ad locum, cui Capitello nomen, prouectus in ſociorum agmen effuſo curſu à Villa bona fugientium incidit. Veneti Duces rati Germanos pauciores numero eſſe, quàm vt eſſent timendi: nequicquam conati ſiſtere ſuorum fugam, eodem veſtigio inſtruunt ordines; quo turmarum obiectu tegerent fugientium terga: Germanoſque inſtantes repellerent. Verum exiguo poſt viciniorem Germanam aciem intuiti validiorem eſſe; quàm conceperant animis, mutato conſilio, intra tormentorum ictus Valeſium equitum ordines reduxerunt. Germani recedentibus inſtant: quibus animosè vertentibus frontem, atrocius primo certamen editur: in quod omnis Venetus equitatus Valeſio egreſſus inuectus Germanorum impetum frangere diù pertinaci niſu tentauit: ſed cum acriùs ab hoſtibus vrgeretur: & maioribus ſclopis è quibuſdam ædibus à Germanis cohortibus occupatis perpetua miſſilium grandine ſterneretur: conuerſis habenis, vſque ad Valeſij foſſas trepida, contentaque fuga recurrit: vbi ab oppidi tormentis ſubiectos campos ictibus abradentibus defenſus hoſtem vndique irruentem aliquandiu ſummouit: ceſſantibus interim præſidiarijs, in Germanos ad ſuorum ſubſidium ex oppido erumpere non audentibus, Capta in ipſorum oculis, ac diruta magna cum incolarum cæde, ſuburbia.

Germani Venetis recedentibus inſtant.

Germani totam noctem in conſpectu oppidi ſubſtiterunt; repetitis tubarum cantibus, claſſicorumque fremitu Venetos laceſſentes ad pugnam: ſed Veneti Duces receptis intra mœnia cohortibus, non ſolùm pugnam detrectarunt: verum etiam trepidi metuebant, ne quàm mox ſe intra ipſa munimenta hoſtes inuaderent: quæ ſe defenſuros deſperabant; ob militum ignauiam, timorem ſuffuſis pallore vultibus præferentium. Meditabantur itaque receſſum: quem dum ſine turbatione, ac incommodo datis opportunis imperijs, ſtipatis ordinibus facere ſtudent: vulgato huius ſuſcepti à ducibus conſilij inter militum vulgus rumore; tantus eos repentinus terror inuaſit: vt fruſtrà ducibus fugientes cohibere conantibus, omnes Piſcariam verſus ſumma trepidatione ceperint fugam.

Galaſſius nequicquam totam noctem, & quattuor diei horas Venetis expectatis, vt ad bellici ſonitum egrederentur ad prælium: nullo hoſte

contra

Digitized by Google

contra prodeunte, ratus eos Germanorum terrore intra mœnia contineri, copias ad ea inuadenda promouiſſet; niſi impenſiùs illi à Cæſare imperatum fuiſſet: vt omninò Venetorum finibus abſtineret, nec fineret vllas Germanas cohortes in eorum agros excurrere. Inter has ancipites cogitationes hærenti Venetorum fugam erumpentium in ſublime ex incenſo ſulphureo puluere flammarum globi, ac fulgetra prodiderunt. Adductis igitur Valeſium copijs, vbi oppidum deſertum ab hoſtibus comperit: ſtatim cum militum promptioribus fugientes inſequitur: atque extremum agmen ex Gallis totum ferè militibus conſtans Candale præfecto adeptus leui pugna fugatum penè deleuit: paucis admodum Piſcariam, aut Caſtrum Nouum ex fuga elapſis, à quibus vlteriùs inſectandis ex Cæſaris imperio milites continuit. *Galaſſius Venetos perſequitur.*

His velitationibus, & prælijs quatuor millium millia ex Venetis cæſa dicuntur: quadringenti partim interfecti, partim vulnerati ex Gallis cenſebantur: inter quos ſtator maior exercitus ex Saxonica familia occubuit.

Tunc parem Germanæ ferocię exiſtimationem Cęſarea arma apud omnes Italiæ populos pepererunt; ſicuti multum de Venetarum virium exiſtimatione deceſſit: cum nullum bellicæ virtutis ſpecimen in tot prælijs, & expeditionibus præbuiſſent. Quare Mantuanæ res Venetis auxilijs innixæ, ijs acciſis, lapſuræ penitus videbantur: cum nullus alius omninò pro Mantuano Duce Princeps in campos ad bellum contra Germanos ſubſidio prodiret.

Deplorata prorſus vrbis ſalus cenſebatur tamdiù duratura: vſque dum pati diutiùs vtrique obſidionis incommoda potuiſſent; quòd oppidanis fuſo, conciſoque Veneto exercitu, quo Mantuana res omninò nitebatur, omnis ſubſidiorum ſpes eſſet extincta: nec ad pellendos ab ea oppugnatione Germanos firmæ vires, nec animus foret: & Germanos ob munitiſſimi lacu circumfluo, vrbis ſitus præſtantiam, illius difficultas obtinendæ terreret. Quocirca ad eam obſidione premendam omnium virium conatibus, ac cogitationibus conuerſis: expectabant, vt fame compulſa, aut obſidionis malis fracta, vel peſte conſumpta Cæſareum iugum ſubmiſſa ceruice reciperet. Nec diutiùs Germanorum vota remorata eſt: cum inter Ducem, & Venetum legatum gliſcentia diſſidia, militum paucitas, quos peſtis, militareſque labores ad exiguum numerum redegerant: & vix agendis excubijs pro vaſto vrbis ambitu ſatis erant, & exigua admodum ad vrbis neceſſitatem pecuniarum, commeatuum, militumque à Venetis ſuffecta ſubſidia vrbis indigentiam legato apud Rempublicam litteris eleuante; ipſius ſeruitutem, direptionemque maturarint. Siquidem cum neceſſe eſſet multum de ſolita, ac debita vrbis cuſtodia remittere; Cæſarei Duces obſeſſorum incommoda, ac difficultates ſagaci coniectura rimari in omnem intercipiendæ per dolos occaſionem vrbis intenti, aliquot à Caſale Maiori Inſubrum oppido nauigia plauſtris impoſita adduci, atq; in lacum iniecta octoginta ſtrenuos milites conſcendere iuſſerunt. *Imperialiũ vigilantia.*

Hi ſub

Digitized by Google

Germani nauibus impoſiti vrbi ſuccedunt.

Hi ſub quartæ vigiliæ finem: ante Auroram ad arcis portam Diui Georgij ponti obiacentem, vbi nullum diſcrimen ob reſtagnantium aquarum profundum metuentibus oppidanis, pauci ad eius cuſtodiam milites excubabant: nauigijs appulſis, admoti aſtiochi violentia proſtratam occupant, nullo ferè militum obſiſtente; cum eodem tempore ad auertendos ab illius rei ſenſu præſidiarios aduerſam vrbis partem magno ardore, ac conatu aliud Germanorum agmen inuaderet.

At quæ aduerſi Mantuanis rebus iniquitas fati? vt non contenta omnes Ducis conatus tranſuerſo impetu perfregiſſe: ad erumpendum in hoſtes quoque aditum omninò præcluſerit? Nám cum aliquot præſidiarij ciuibus immiſti, audito aſtiochi tonitru, ad arcis portam, qua ciuitas initur, celeriter feſtinaſſent: nec ad referandas fores claues, nec ad tympana pulſanda, canendumq; frequenti pulſu claſſicum bacilli inueniri potuerunt. Nullis enim humanis conatibus, & induſtria Diuinæ prouidentiæ fatalis diſpoſitio ſubuerti, refigiq; poteſt. Sed illa abſtulerat quidam inſidiarum molitor, qui clandeſtinis conſilijs cum Germanis de tradenda vrbe conſenſerat. Itaque oppidani veluti torrens, qui rupis obiectu, præſepto exitu, retro repulſus, illiſis cauti vorticibus, inani murmure ſuas deſpumat iras; eodem ſubſtitere veſtigio, qua parte ſe ſe Germanus inueheret, expectantes.

Germani Mantuam ingrediuntur.

Dum ibi raptim ſe muniunt, craſſis aſſeribus in idipſum aduectis, pontis ſciſſura ſarcitur; quem ad aduentantis Germanici exercitus rumorem, rupto medio fornice, abſciderant oppidani: vt Germanicus equitatus etiã cum reliquis copijs in vrbem ingredi poſſet. Omnes peditum cohortes, & equitum turmæ per pontem nullo ferè repugnante, cum omnes præſidiarij ad aduerſam Pradellæ portam ad arcendos à mœnibus Germanos vno agmine confluxiſſent; in arcem inuectæ recta ad Ducum ſedem inſtructis ordinibus tendunt. Illicò ad prædas agendas toto palatio diſcurrunt. Tot annos à ſuperioribus Ducibus collectam omnium rerum opulentiam, ſupellectilem planè regiam, ditiſſima ſpolia quamquam temporum difficultas plura de rebus pretioſioribus minuiſſet; opes immenſas auitas Principum diuitias, tantas, vt ſi quis eas oculis non ſubiecerit; animo concipere nequaquam poſſit; diripit inſatiabilis militum auaritia. Continuo Principes, ne à Germanis cohortibus caperentur; in Portum arcem feſtini perfugiunt: in quam paulò ante ſe Princeps Maria cum tenero infantulo proripuerat.

Datus ad Pradellam impetus vſque ad quartam diei horam, fortiſſimè ibi dimicantibus præſidiarijs, pertinaciſſimè tenuit: ter repulſi cum cæde Germani, ſed tandem propugnantes audito per aduerſam portam in vrbem hoſtium ingreſſu, fracti animis remiſſa pugnandi ferocia de loco deiecti, vſque ad Diuæ Agnetis templum à Germanis vrgentur: atque inde fuga in diuerſa, plures in Portum arcem elapſi in ea parte, quà vrbem ſpectat, vbi Germanorum impetum metuebant; tumultuaria munimenta obmoliuntur. Verum hìc quoque cum abiectis animis, attritiſque viribus, nec ſalutaria conſilia, nec defenſioni continuandæ opportuna in tan-

ta rerum

Digitized by Google

ta rerum trepidatione ſuppeterent: inuitantibus ad deditionem Germanis illius expeditionis cupidis abſoluendæ, Mantuaui animos inclinarunt. Scriptis, conuentiſque legibus deditionis, arx illa Cæſareis deditur. Dux cum filio, & aliquot purpuratis, patritijque ordinis viris, Germanis deducentibus turmis, Ferrariam ex deditionis conditionum præſcripto migrauit. Direptæ per tres dies opulentiſſimæ vrbis exuuię inexplebilem militum ingluuiem ſatiare non potuerunt. Quæ militaris licentia, inſolentia, feritas pluſquam barbara, furioſa libido auſa ſit; quàm effusè libero campo, execranda ſcelera, fœdiſſimaque flagitia per omnia facinorum genera triumpharint; vnoquoque ſuis moribus in ſumma omnium vitiorum libertate nullo Numinum metu, ſeruiente, prætereo: vt turpiſſimarum rerum ſilentio honor caſtis auribus habeatur; & ne miſeranda tragici ſpectaculi acta oculis ſubijciendo Italorum odium in Germanam gentem perpetuum ſtruam.

Arx portus deditur Germanis.

SE-

Digitized by Google

SECVNDA CASALIS OBSIDIO

NARRATIO DECIMA.

QVamuis ſuo malo Montemſerratum inauſpicato tentaſſe bello exitium in ſua ipſorum capita trahi Hiſpani, & Allobroges comperiſſent; motaque in Mantuanum Principem arma in Italię perniciem Gallicas copias excire; neque Ludouicum Regem à tuendo populari ſuo Principe ceſſaturum; cuius maiores optimè de parente ſuo Henrico meriti eum ad Gallici Regni faſtigium ſuis propè humeris extuliſſent; tamen cum humani ſit ingenij ſemel conceptam alicuius maioris boni parandi ſpem ægerrimè abijcere; vix digreſſo in Galliam Ludouico, nihil alieni cupiditatem ſancitæ pacis ſacramento morante, iterum maioribus viribus, armorumque apparatibus fœlici Spinulæ veterani Ducis egregia virtute ſubnixi Caſalis obſidionem decernunt. Coierant Mediolani ſimul Hiſpani, Germaniq; Duces corā Spinula de ratione belli gerēdi cōſulturi; paucis vnanimes conſenſerunt; vt Spinula recta Caſale moueret, expugnaretque more ſuo munitarum arcium domitor inimicam vrbem; dum ab ipſis Mantua omnibus obſidionis malis, telorumque genere quateretur; quo hoſtes duplici propulſando bello diſtracti magis petentium ictibus obnoxij paterent.

Hiſpani iterum Caſale aggrediuntur Spinulæ ductu.

Spinula igitur nihil prohibente ſæuiſſimæ peſtis in mortales graſſantis violentia, coacto valido veteranarum legionum exercitu, Alexandriam, inde in Montemferratum irrupturus, ingentem tormentorum, impedimentorumque apparatum trahens inſtructo agmine proficiſcitur; vt eodem tempore iam Italiæ fines pulſantibus Gallis, & Caſale obſideret, & aditum hoſtibus firmis adpoſitis cuſtodijs, obſcpiret. Caſali Succeſſit ea militari peritia, ac diſciplina; qua ſolent arces munitiſſimæ expugnari; miſſo interim cum valida bellatorum manu ad Aſturæ pontem, vicinaque oppida occupanda Philippo filio impigro iuuene. Ineunte Martio, omnibus militaribus operibus, machinis, & inuentis, quibus Belgicas arces Hiſpano Regi ſubiecerat; vrbem inſtituit oppugnare facilem ſibi, expeditamque victoriam de inuicta alijs ducibus vrbe pollicitus. Præerat tunc Caſalis præſidio Torras dynaſta cum Męnæ Duce Mantuani Principis filio obfirmati animis ſe vrbem ab Hiſpanis vſque ad ſupremos ſpiritus defenſuros.

Hiſpanici exercitus moles.

Spinulæ egregia virtus.

Obſeſſorum conſtantia.

Spinulæ ſtudioſi palam de Duce Allobrogū querebantur quòd illius bellicoſi, egregijque Ducis inuidens gloriæ, aut nimiæ Hiſpanæ infenſus potentiæ pernicioſæ ſibi aliquando futuræ, ſi Caſali Taurinis vrbe finitima potirentur: aut aliquo alio profundiori arcano cum Gallo Rege conſentiens,

Dux Carolus Allobrox cū Gallo Rege conſentit.

tiens, eius armorum in Italiam ſolicitaret aduentum, qui tantum pecuniæ, aliaque difficillima, & iniqua à Spinula flagitabat, vt eius rumpendi deſideria cum Hiſpanis fœderis aperirent. Spinula quaſdam arces fidei pignora à Duce popoſcit; ægre id tamen Hiſpano Rege ferente, qui non grauem, ſed compendioſam Hiſpanorum ſocietatem Carolo eſſe cupiebat.

Rex Ludouicus cum Caſale iterum obſideri, Niuernenſemque Ducem Hiſpanicis ſimul, & Allobrogicis armis vrgeri accepiſſet; obſeſſæ vrbi ferendo ſubſidio Cardinalem Richelium gratioſorum acceptiſſimum cum firmo bellatorum exercitu deſtinauit. Ille Lugdunum anno trigeſimo ſupra milleſimum ſexcenteſimum prouectus, ibiq; vniuerſis copijs in conſpectum datis, ad Italiæ fines contento agmine feſtinauit. Dux Allobrox animaduertens primam huius Gallici belli tempeſtatem in ſuos dominatus ſæuituram, euerſuramque Taurinos, inter ſacrum, & ſaxum deprehenſus opportuna vitandæ cladi conſilia non poterat expedire. Quando itaque illi Cardinalis litteræ redditæ fuere minarum acerbitate precibus immiſtis copijs commeatus, liberumq; tranſitum depoſcentis, ſolitis Gallos artibus deſtinebat, non alienum omninò animum ab aliquo pangendo fœdere ſimulans. Auellanam Seguſio paucis milliaribus recedentem tumultuarijs munimentis vallarat; vt eo obiecto Gallis propugnaculo, illos aditu in Italiam arceret; ſed re accuratiùs expenſa, cum omnes ſuos conatus inanes futuros videret; ſi potentibus Gallorum viribus in parum, raptimq; munita arce pergeret repugnare; Principem Victorium ad Cardinalem legauit, vt res cum eo componeret, offerretque Patris nomine, ſe pro neutris eſſe facturum, commeatuſque regijs copijs præbiturum, ſi innoxium ſuis ditionibus ſe futurum polliceretur: atq; aliquod mutatæ fidei pretium daret. Plura tamen Galli ab Allobroge contendebant; ſed cum ab eo aſſenſum, vel admoto armorum terrore extundere nequiuiſſent; vt deſertis Hiſpanis, Gallorum partes ſequeretur: flagitabant, vt ſaltem ſe medium, atque integrum ſeruans aliquod largiretur pacati in Gallos animi auctarium, documentumque, tranſitum ſcilicet liberum, militum, rei tormentariæ, commeatuumq; ſubſidia: de quibus rebus cum tergiuerſatione varia alia, atq; alia cauſando Gallos ludificaretur, vt eos ea cunctatione fatigaret, conſiliaq; trahendo moras præpediret. Richelius, cui notæ nimio plus artes Allobrogis erant; Gallici exercitus impetum vltra mõtes remorari cupientis duci callido infenſus, aſtum peroſus Principem Victorium ad ſuum conſpectum admittere recuſauit; quòd ille iniquiſſimo animo ferens cum nullum ampliùs ad declinandam Gallorum vim pateret effugium; nec iterum nectendis moris locus eſſet, decreuit tranſitum impunem illi permittere, commeatuſque obſeſſum Caſale prono Pado deuehere; quamuis paulò poſt hoc damnato conſilio, vllam annonam ad illam vrbem ferri prohibuerit, reiecta non abſoluti promiſſi in ſuorum miniſtrorum contumaciam culpa. Richelius de fracta à Duce fide acerbiſſimè queſtus, quòd eius callidę artes, nõ miniſtrorũ contumacia foret, vt Seguſio

Cardinalis Richelius ſubſidiarys in Italia copys præficitur.

Caroli Ducis artes.

Principẽ Victorium ad Cardinalem legat pacis cupidus.

Gallorũ ab Allobroge Duce poſtulata.

Cardinalis Richelius Principi Victorio ſuum negat alloquium.

Dux Carolus Gallis promiſſos negat cõmeatus.

copias

copias auertere cogeretur; Galliq; Hiſpanis,& Germanis agminibus obiecti medij prehenſi internecione delerentur,obnuntiare Carolo Duci diſertis verbis iuſſit; vt Allobrogicum præſidium ab Auellana deduceret; ſeq; Hiſpanorum hoſtem profiteretur; ſin ſecus,maturè ſe ſuis rebus conſulturum. Cui Allobrox, fieri omninò non poſſe; vt percuſſo cum Hiſpano Rege fœderi renuntiaret, ruptaq; obligata ſacramento fide, ſocium, conſanguineum, & amicum deſereret. Quantum verò ad Auellanæ præſidium,ſe illud inde abducturum,vt omnem hoſtilis animi ſuſpicionem auerteret; porrò ſe in Hiſpani Regis fide manſurum. Protinus itaq; præſidiarias cohortes Auellana iuſſit abſcedere, vt Cardinalis votis indulſiſſe aliquid videretur. Neque tamen illud Ducis obſequium Gallorum trucem ferociam emollijt; immo veluti ſibi illuſum à Carolo foret, in vltionem efferati hoſtili impetu in Taurinos parant irrumpere, eo conſilio, vt Riuolo occupato, Auguſtam ipſam Taurinorum repētino acceſſu interciperēt. Cardinalem tamen in ijs rerum anguſtijs, commeatuumque penuria contempſiſſe Ducem, non admiſſo ad colloquium Principe Victorio, pœnituit; quòd ſine opportuno annonæ apparatu ſuperatis alpibus, regijs copijs inter omnia hoſtilia, niſi ab eo præberetur, pereundum erat. Quocirca deinceps cum Duce Allobroge maiori moderatione, lenitateq; agere, initius eius legatos audire, facilem ſe omnibus exhibere; quin etiam Boſſolani propè Seguſium Victorium Principem mollius alloqui, æquioreſque conditiones offerre.

Cardinalis Richelij ad Ducem Allobrogũ obnuntiatio.

Galli in Taurinos irrũpere deſtinant.

Richelius cum Duce Allobroge mitius agit

Verum Dux, aut Richelij ſubmiſſioribus blandimentis inflatus, aut altiùs infixa menti hæreret reiecti filij Victorij à Galli Regis miniſtro contumelia, rigidum ſe ad omnia, aſperum, atque inexorabilem præbuit; cauſatus annonæ illius temporis caritatem; neque ſe ab Imperatore Supremo domino, cui tot feuda accepta grato animo referebat,citra turpem deſertoris labem poſſe deficere.

Duriæ fluminis ripas, quà Gallis ſubſidio Caſali traducendus erat exercitus, eductis aggeribus munijt. Sed Richelius neceſſitate magis impulſus, quàm id vlla diſciplina militaris expoſceret, decreuit traiecto contra tormentorum ora flumine, munimenta Ducis inuadere: quòd tanta animorum ferocia, alacritateque militum peractum eſt, vt perpetuis iteratis in aggeres impreſſionibus, Taurinis tandem fœlici auſu inde deiectis, in camporum plana copias ab illis alpium anguſtijs expeditas effuderit. Nullum enim ſalubrius conſilium, quam quòd audax ſubijcit deſperatio; nec aliquid, niſi audaciſſimi quique conatus, quos neceſſitas exprimit, melius bellantibus cedit.

Galli Allobroges adoriuntur.

Audaciſſimi conatus in bello tutiſſimi.

Duci Allobrogi inter hæc aduerſa, atque difficilia ſolicito animo hærenti affertur, à duobus Crequij filijs Taurini agentibus inſidias vrbi ſtrui, conſentire cum hoſtibus Gallis, ille veritus atrociora, parariq; aliud maius facinus, Taurinum deſertis munitionibus, aduolauit, captoſque proditionis authores, ſceluſque vltrò nulli ſubiectos quæſtioni faſſos conieciit in

vincula.

Digitized by Google

vincula. Quare nullius Gallis laboris fuit abſente Duce torrentis inſtar ruptis aggeribus per Taurinorum agros effuſis Riuolum, aliaque oppida pedemontana diripere. Tunc Dux Gallicis armis impulſus, omni animi ambiguitate ſemota, totum ſe Spinulæ, Colaltique fidei, tutelæque commiſit, ſe aperto Gallorum hoſte declarato. Richelium iterum Ducem Allobrogem offendiſſe,petitæque inſidijs Taurinorum Auguſtæ pertæduit,tentauitq;Regis Galli ſororis interuētu Soceri iras lenire illum in Gallorum obſequia trahere, ſed fruſtra. Ad vltima igitur in hoſtili terra Richellius adductus, cum perniciosiſſimum, inſanumq; foret, ſine commeatibus inter media hoſtium agmina à tergo Duce premente, à fronte Spinula perurgente, Caſale contendere, decreuit retro conuerſo agmine Pinarolum oppugnatum feſtinare, vt illos paucos præſidiarios, quibus oppidum tenebatur, inopinato impetu opprimeret; eoq; munito receptu, ac perfugio ad belli incerta vteretur. Dux perſpicaci coniectura Richelij conſilia rimatus, metuens maximi momenti arci, vtpote exiguo admodum præſidio munitæ, eò validum, expeditumque ſtrenuorum militum agmen ſubſidio properare iuſſit, cuius rei admonitus Cardinalis egredientibus Riuolo Gallis de induſtria rumorem vulgauit, ſe ad Taurinorum Auguſtam oppugnandam ducere, quo falſo nuntio deceptus Dux illas cohortes ad tuendam regiam, ditioniſq; præcordia trepidè reuocauit. Quare Richelius dolos bene ceſſiſſe lætus continuato deſtinato itinere Pinarolum progreſſus illud poſt breuem oppugnationem debili præſidio ægrè Gallorum impreſſionibus reſiſtente decimo tertio Kal.Aprilis obtinuit; paulò poſt etiam arcis præſidiarij tutum pacti diſceſſum Gallis arcem turpiter dedidere. Quæ ingens,& omnium maxima Sabaudicæ domus iactura,acciſis ferè prorſus Ducis Caroli rebus, Allobroges Principes fecit penè Gallis Regibus vectigales,eorum arbitrio certè ſubiecit:duobus enim Italię clauſtris Seguſio, Pinaroloq; potiti, impoſito duplici eorum ceruicibus iugo, apertoq; bifariam Gallis exercitibus in Italiam aditu, poſſunt pro voluntate traductis impunè,tutaq; via copijs Taurinos obruere.

Galli in Taurinos effuſi.

Richelius Pinarolum inuadere ſtatuit.

Richelij militaris aſtus

Pinarolum capitur à Gallis.

Ingens Sabaudicæ domus iactura.

Pinaroli Caſus vt inopinatus, & ſubitus, ita moleſtiſſimus Ducis Caroli animum acerbiſſimè pupugit, at non prorſus Hiſpanis ingratus, quòd eo ictu,mortiferoq;vulnere ille perculſus ſe ſupplicem,auxiliumq;inclamantē totum eorū arbitrio,ac poteſtati credere cogeretur, quod ante pro viribus effugere,horrereq; videbatur. Miſſo itaque Mediolanum Abbate Scalea de Gallorū iniurijs,vſurpatoq; iniquis armis Pinarolo, quàm dolētiſſimè queſtus Hiſpanorum ſubitam,firmamq;opem aduerſus communes hoſtes,deturbandoſq; ab eo tutiſſimo receptu Gallos inixiſſimè flagitauit. Spinula animaduerſo maximo Inſubrum,totiuſq;Italię diſcrimine,& quanti rerum Hiſpani Regis referret,ſi gens inquies,& ferox illud alpium clauſtrum liberumq;Italię aditum teneret;Martinum Aragoniū caſtrorum præfectū cum quatuor peditū millib.& ſexcētis equitib.in Taurinos cōtento agmine properare iuſſit,mox cætera exercitus mole, ipſoq;ſupremo Duce Spinula ſe-

Hiſpanis cur non ingrata Pinaroli amiſſio.

Spinula validâ ſubſidia Duci Carolo mittit.

S quuturo.

ſuturo. Harũ copiarũ aduentu confirmatus animo Dux Allobrox Gallorum victoriæ curſum ſiſtere, irruenteſq; propellere auſurus vniuerſas copias ad alpium radices Gallorum fronti prætendit. Illi in edito, munitoque loco repreſſo gradu, conſtiterant, donec è Gallia firmiora mitterentur militum auxilia, quæ quia tardius, quàm neceſſitas poſtulabat, venire cunctabantur, ipſe Richelius citatis equis in Galliam ad ea ſolicitanda contendit ad Regem, tum validis copijs bello pulſantem, vt obiecta ſibi ab æmulis crimina præſens purgaret, quaſi regia mandata tranſgreſſus ſecus, quàm iuſſus erat, proprio conſilio egiſſet.

Dux Carolus contra Gallos.

Richelius ad Gallum Regem contendit.

Iam Rex Italiæ fores perrumpente Richelio in Allobroges inuectus omnes arces, & vrbes, vno excepto Momiliano, primo quaſi belli impetu ceperat, Senatumque Sciamberij illius gentis Regia ad prouinciæ cauſas cognoſcendas inſtituerat; tanto Ducis Caroli dolore, vt ad atrociſſimæ rei nuntium plures dies publico abſtinuerit, nimioq; mœrore confectus tacitus, & cogitabundus penè extabuerit, acerbiſſimas identidem per crebra ſuſpiria nunc de Gallorum impotentia, modo de Hiſpanorum ſocordia, ſæpiùs de ſuo proprio exiguo conſilio iterans querimonias; quòd ſe aliorum votis inſeruientem, obſequentemque voluntati paucorum Montisferrati oppidorum in ſupremum rerum omnium exitium cupiditas impegiſſet: ſeque, ſuaq; domo, ac ditionibus omnibus in ſummum diſcrimen pernicioſo conſilio protruſis; & ex regiorum diadematum candidato, petitoreq; regumq; arbitro ad ſuorum hoſtium cum rerum iactura ludibrium recidiſſet. Sed praua conſilia non patent, niſi cum infœlices, noxioſq; ſucceſſus habent, eorumque cauſa in res aduerſas incurrimus. Hi ſunt auidi animi aliena appetentis fructus, quo ſæpè propria vel amittimus, vel in caſum damus.

Rex Gallus Allobroges bello pulſat.

Caroli Ducis acerba de ſe ipſo querela.

Alieni cupido malorũ cauſa.

Alia inſuper clade afflicti Allobroges omninò auerſos à ſe ſuperos, fortunamque rebus ſuis reſlantem doluere. Dux Inemorantius Regis iuſſu Italiam verſus cum decem peditum millibus, & equitum mille mouerat ſubſidium Caſali, tum maximè à Spinula omnibus bellicis machinis concuſſo laturus, atq; apud Seguſium in Principis Victorij alpium anguſtias obſidentis agmen incidens conſerto ſubito cruento certamine, vtrinque ferocibus, infenſiſque animis ad mutuum exitium pugnantibus copijs; tandem poſt acerrimum prælium ad Gallos vertente victoria, Allobroges magna clade proſtrauerat; captis Pagano Auria Genuenſi patritio, & Duce Robuſtello è Volturena primate. Neque tamen huius victoriæ fauor Gallis ad Caſale iter aperuit, quia Pinarolum ad ſocios profecti in plana illicò deſcenſuri ipſum Allobrogum Ducem valido ſeptum agmine obuium habuerẽ, qui rebus ſuis deſperans, verſus ad vltimos conatus, & niſus contracto ex ſuis beneficiarijs, & delectibus popularium exercitu numeroſo ſe ſe ad Alpium radices Gallis obiecerat, quàm primum ſi ferret occaſio, vniuerſa acie de rerum ſumma cum hoſtibus pugnaturus, niſi Spinula ipſius nimio, intempeſtiuoq; temperans ardori, qua ſuaſionibus, qua minis, & obte-

Memorantius ſubſidio Caſale mittitur.

Allobroges à Gallis victi, caſiq. Volturena.

Dux Carolus vadit in Gallos pugnaturus.

& obteſtationibus ab eo præcipiti decreto in exitium ruentem ſolicitus reuocaſſet. Saniori igitur Spinulæ conſilio acquieſcendum fuit, atque ad vnum tantum Taurinorum tutamentum totis viribus incumbendum, à quibus facile erat Gallos ſummouere, atque in campos prohibere deſcenſu; cum illis Allobroges militum numero, viriumque robore longè præſtarent; Gallique varijs morbis tentati commeatuum quoque penuria laborarent.

Sed à Spinula deterretur à pugnandi conſilio.

Summus Pontifex incredibili ſolicitudine, ac cura his bellorum incommodis intercedebat, nitebaturque bellantes miſſis legationibus conciliare; non tàm ex ſacroſancto communis Chriſtiani orbis parentis officio; quàm ex metu ob nimia Cæſaris in Italia, Hiſpanorumque incrementa potentiæ; cenſuque militum habito Carolum Barberinum fratrem ſuum ſupremum Eccleſiæ Ducem renuntiatum cum firmo bellatorum agmine, contra vicina bella Romanæ ditionis fines armandos ratus Bononiam miſit; ibique propugnaculum, cui Vrbano nomen, in via, quæ Mutinam ducit, extrui iuſſit. Cardinalem quoque Antonium Barberinum nepotem à latere legatum pacis ſequeſtrem cum Ioanne Iacobo Pancirolo exactiſſimæ prudentiæ, ſapientiæq; viro omnium conſiliorum authori in Inſubres miſit, vt eius belli tumultus in totius Italiæ perniciem aliquando erupturos ſua authoritate, ac dexteritate pacaret, diſſidentiumq; Ducum iras aliqua interiecta pactione ſedaret. Barberinus Alexandriam ſe primum ad Spinulam, quò etiam Demarchus Sanctacrucius, alijque Duces conuenerant, contulit. Omnibus venerationis ſignificationibus, & obſequijs ineuntem vrbem Hiſpani miniſtri excepere: nec mora coiere in conſilium pacis ſanciendæ cupidi Duces de rebus componendis conſulturi. Pronum fuit Barberino eorum Ducum per ſe diſcordias, ac bella auerſantium ad pacem animos proclinare. Promiſere diplomatis, quibus Niuernenſis in Mantuani dominatus, Montisferratiq; poſſeſſionem iure induceretur à Cæſare impetratis, vſurpata loca Rhetis ſtationeſq; reddituros, Germanaſque inſuper, ac Hiſpanas copias extra Italiæ fines abducturos, dummodò Galli capta oppida reſtituerent, atque deſerta Italia in Galliam redirent.

Summi Põtificis de cõſtituenda pace cura.

Vrbanum propugnaculum excitari iubet.

Cardinalẽ Antonium pacis ſequeſtrem in Inſubres mittit.

Habetur de pace ineunda conuentus.

oblata ab Hiſpanis pacis conditiones.

Barberinus Legatus tam fœlicibus ſuæ legationis initijs; Hiſpanorumq; animos ad pacem propenſus ſe offendiſſe admodum lætus ad Richelium feſtinus tetendit ea ſpe fretus tàm æquas conditiones ab Hiſpanis oblatas, neque ab ipſis Gallis ducibus improbatum iri.

Aditum igitur fidenter Richelium ſic affatur.

Ad hos armorum fragores, quibus in Italiæ veſtibulo Gallici fremunt exercitus minæ: imminentiumque Taurinis campis copiarum terrorem, quo non vicina modo, ſed etiam remota quatiuntur: ſummi quoque Pontificis animum timor inceſſit; ne impotentis Martis immanitas, quę adhuc inter has clauſa ſalebras, & rupes cruentum immurmurat, in plana effractis Alpium repagulis, ferocior erumpens in mediterranea quoque ſolita mortalium ſtrage deſęuiat. Idcirco, vt boni Paſtoris eſt, ab ouili ſuo prohibere luporum rabiem

Oratio Cardinalis Barberini ad Cardinalẽ Richelium.

arcereque belluarum incurſus; me ad bellantes Principes, atque ad te præcipuè pacis ſequeſtrem legauit; vt ſi quid Pontificiæ Maieſtatis veneratio apud purpuratum ſuum, ſi quid flagitationes, preceſque valent, reductis ab Italiæ limine in Galliam agminibus, abiectiſque armis, poſita ferocia miteſcas. Affero eiuſmodi pacis conditiones, quas te accepiſſe non pœnitebit. Quidquid tanto armorum ſtrepitu tota Gallia militum authoramentis, & delectibus miſta, contendis, id totum tibi libenter hoſtes indulgent. Cæſarea diplomata, quibus Dux Niuernenſis auiti Mantuani dominatus iure adeat hæreditatem, Germanici exercitus ab Italia diſceſſum, ab inſeſſis in Rhetis oppidis, ac ſtationibus ſe abituros pollicentur: dummodo iſta tua Gallica agmina ab Italia deducas. Id tibi ſupra tua vota crediderim contigiſſe; vt vix ad fulgurantia ad Italiæ fines Gallicæ gentis ſigna, quaſi metu perculſi tuis deſiderijs impenſius etiam, quàm optaueras, obſequantur. Quid ampliùs cupis? quid potiùs repetis armis? aut quæ ampliora ab hoſte valido ſperari, concedique poſſunt? Verebar Hiſpanos Duces aditurus, ne fœliciori belli fortuna animis elatiores pacem reſpuerent; cum Germanici ſocij exercitus auxilijs Mantuano dominatu, & potioribus in Volturena Alpium clauſtris, oppidiſque potiti iam grauiori copiarum mole Caſali imminerent, & cætera Italiæ, vel libero moderarentur arbitrio, vel in ipſorum fide ſuſcepta quieſcerent: quando præter ſpem opinione mea proniores ad pacem inueni. Lætus meæ fœlicibus legationis auſpitijs te adeò fidentiùs, maiorique ſpe me eadem à tua prudentia, pietate, religione aſſequuturum, quæ ab armata, præpotenteque hoſtium ferocia nullis precibus admotis obtinui. Pulſas bello Italiæ fores: Alpium repagula armorum incuſſu perfringis: Allobrogum Duci innoxio, immerenti ſuas arces, atque oppida eripis: cum ipſe interim nullo Galliam bello laceſſat, nullas Regis terras incurſibus populetur; nullis Gallos iniurijs, nullis irritet contumelijs: ſed hoc nomine tantum, quòd in Hiſpanos propenſioris, quàm in Gallos animi videatur; vel etiam quòd pro communi ſalute tuenda, ſeruandiſque à Gallorum violentia dominatibus mutuo icto ſimul fœdere cum illis arma ſociarit. Quid in Gallicam gentem, quid in Regem ab eo peccatur? quod crimen, quæ noxa eſt ſua tueri, auitos ab exteris ſeruare dominatus? armata agmina vaſtitatem, quacumque tranſierint, minitantia, proruentiaque omnia à ſuis finibus ſummouere? neceſſarios ſuis vectigalibus commeatus alienis malignè partiri? vt pro hac inaudita, nouaque culpa, prætextoque crimine ſit ſuis terris plectendus, mulctanduſque oppidis? Te ſubeat Allobrogum Ducem inter ſacrum, & ſaxum hærentem cogi vel inuitum, obluctantemque ab Hiſpano, vel à Gallo Rege ſtare, atque ab vtriſque quaſi hoſtis ab alterutro neceſſario deſciſcentis æque eius latera fodi. Si vobis cum fœdera init, à circunfuſis ſuæ ditioni Inſubribus Hiſpanorum copijs impetitus obruitur; ſi pro Hiſpanis facit, vos protinus in Allobroges, & Taurinos effuſis bellatorum agminibus eius dominatus belli impetu deuaſtatis. Nec illi integro eſſe licet; nec alterutris impunè

obſequi

obſequi datur: iuxta pernicioſo ſiue vobis ſiue Hiſpanis adhæreat. Vide ne collectam per tot annos optimis conſilijs, immo etiam pijs armis in hæreticos gloriam, hoc in Catholicos Principes bello deſędes. Hæreſis iam toto Gallico Regno nullo Superum metu contumaciter ferocientis, Regiumque iugum perduelli ceruice reſpuentis audaciam, qua conſilijs, qua monitis, qua impulſis in perduelles regijs armis memoranda omnibus ſeculis virtute fregiſti. Domitus Santonum Portus, ſubactum Nemauium, Hæreticorum receptacula, effugiaque perduellium ſuo reddita Regi, vbique fugati, victi, exactique hęretici, tota Gallia proſtratis rebellibus in ſui Principis arbitria coacta concedere, in vnius capitis imperium, poteſtatemque compulſa; quod optandum potius, quàm ſperandum videbatur, regnum hæreſi lacerante, vſurpanteque oppida, intercipienteque vectigalia, tuæ erunt maximæ gratulationes, & laudes, quibus ad æternam tui nominis gloriam perpetuo in præſentium mortalium, poſterorumque mentibus triumphabis. Quæ quamuis Regijs acta ſint armis, violentiaque Martis obtenta; attamen omnia tuis regebantur imperijs; tuæque viuidæ mentis vigore conſiliorumque efficacia inſtar animæ corpori moderantis illas rexiſti machinas earum inuentor, & author: Stricta vibrata à te hactenus in hæreticos arma præſentia Numina fortunarunt: adfuere tibi pro ſua cauſa, pro vera Religione, pro Regia ſalute bellanti: at nunc quid iuſtæ cauſæ tuis armis prætexere potes? quem titulum tuæ violentiæ præferre? ſi hoſtes quidquid armorum impetu, ac conatu contendis, oblatis æquiſſimis conditionibus pacis, vltrò concedunt. Importuno igitur, inglorio pernicioſo, indecori bello abſiſte; ne gloriam pijs in hereſim armis egregia virtute partam, iniquis in Catholicos alieni habendi cupidine vities. Hoc à tua pietate ſummus Pontifex, hoc Itali Principes, & boni omnes expectant.

La Rochella. Nimes.

Sed quamuis Richelij animum omni arte verſare, efficacique hac oratione ſtuduiſſet impellere, vt ijs pacis conditionibus aſſentiret, Pinaroloque, ac Seguſio Allobrogi redditis, cum omnibus ſuis copijs remearet in Galliam; nihil tamen munitiſſimæ arci incubantem dudum à Gallis votis omnibus expetitæ, quo libero ad arbitrium in Italiam aditu vterentur, flectere potuit, vt iam diù exoptatum victoriæ fructum amitteret, Pinarolumque conſtanti animo reſtituere recuſauit: quòd Gallici regni iuris eſſe ex antiquis tabulis diceretur, æquumque eſſet illud fœderis retinere fidei pignus, cum Hiſpanis, Allobrogibuſque ſanciendi. Acriùs nihilominùs inſtante legato, iteranteque ardentiùs officia, Richelius ne omninò pacem auerſari, quo aliquid Summo Pontifici indulgere videretur: Pinarolum ſe redditurum recepit; ſed ijs conditionibus, quas pro comperto habebat ab Hiſpanis, & Allobroge Duce repudiatum iri; ac proinde ſi pax non conſtitueretur: non eſſe ſibi, ſed hoſtibus culpæ dandum, qui tam æquas conditiones obſtinatè reijcerent; ſciretque vniuerſus orbis, non à Gallis, ſed ab hoſtibus bellorum cauſas proficiſci.

Suſa. Richelius Pacis conditiones reſpuit. Richelij excuſationes.

Aſtus huius temporis principum conſuetus, nimia ſe mutuò calliditate circumuenire certantium. Promiſit Richelius ſe intra duos annos Pinarolum Duci Allobrogi redditurum; atq; interim Montem Caluum, aliaque Montisferrati oppida fidei ſeruandæ pignora traditurum: ſi Germanæ copiæ à Mantuæ, & Hiſpanæ à Caſalis obſidione diſcederent, quòd ab indignatis Hiſpanis, ipſoque Duce reprobatum eſt; veritis ne ſi Galli earum vrbium liberationem obtinuiſſent: ipſi non eſſent Pinarolum poſtea redituri. Quare Legatus Barberinus cum nihil ſalutare explicaretur, vtriuſque partis ſuſpicaces animos pertæſus, importunoſq; fraudum metus, faſtidiens Bononiam redijt; quæ tunc magno foſſorum, operarumq; numero, ductis circum aggeribus, erectiſq; propugnaculis muniebatur. Verum non ita tuto poterat ab hoſte firmari, quin ab obiacentium, imminentiumq; vrbi collium faſtigijs miſſilibus peteretur. Itaq; de Architectorum conſilio propugnaculum totius Romanæ ditionis antemurale, firmiſſimumq; munimentum ad Bononienſis agri fines, quà Mutinam, atq; in Inſubres itur, Vrbanus octauus Pontifex ædificari iuſſit.

Pacis cōditiones à Richelio lata. Ab Hiſpanis repudiata. Legati Pontificij diſceſſus. Bononia munitur.

Omni igitur ſpe pacis ablata, Hiſpani, Cæſareiq; Duces ad bellicos apparatus ſuas curas, cogitationeſq; conuertunt; vt ab hoſtibus vndiq; tuti ſua deſtinata perficiant; Gallos ſcilicet ab Italiæ finibus prorſus excludăt; adeptiq; Mantuam, ac Caſale reliquę Italiæ impoſito iugo, poſſint eius principes in primis Allobrogem Ducem ſibi ſuſpectum, iniecto veluti fręno, in ſua obſequia coercere. Diſſidèbant tamen inter ſe Duces contrarijs ſententijs de belli adminiſtrandi ratione alijs alia vtiliora ſentientibus. Dux ſiquidem Allobrox contendebat eripiēdum primum omnium Pinarolum, & Seguſium, Galloſq; ex Italia penitus extrudēdos; quòd hac ratione potiſſimum Caſale, & Mantua Gallicis interclusa ſubſidijs facile in poteſtatem ventura erant; ceſſuraque obſidentium violentiæ, ſe ſuaſq; vires omnes ad hanc expeditionem obeundam ex animo exhibere. Promittebat inſuper ſe in Galliam tranſlaturum bellum, quo hoſtes domeſticis impliciti malis de ſuis rebus tuendis, non de alienis occupandis cogitare cogerentur; vel traductum vltra alpes exercitum ad impedienda ſubſidia Galliæ finibus obiecturum, donec obſeſſæ vrbes aut vi, aut fame domitæ darent manus.

Variæ Ducum ſententia de bello adminiſtrādo. Caroli Ducis animoſa conſilia.

Hanc Allobrogis Ducis ſententiam probabant pleriq; præfecti, cū multum illius vegeto, ac animoſo vigori, militariq; peritiæ tribuerent; ſalubreq; maximè fore, ſi Galli in ipſo alpinarum vallium limine oppugnati; primo aditu arcerentur; quòd neceſſario erant in ipſa ingreſſus clauſi difficultate eluctanda crebris certaminibus ſubſidiaria agmina minuenda: atq; idcircò Caſale Gallicis auxilijs deſtitutum ſe obſidentium arbitrio permiſſurum. Sed Spinula ad quem rerum bellicarum ſumma reſpiciebat; aut quia difficillimum putaret Pinarolum munitiſſimam arcem tum maximè à Gallis nouis additis propugnaculis firmatam; ad quam ſubſidijs expedita, tutaq; patebat via, deturbatis inde hoſtibus adipiſci, in eaq; expugnanda iuſtos exercitus conſummendos, aut quia ferox Allobrogis Ducis inge-

Spinula Ducis cōſilium improbat.

ingenium nouis ſemper rebus ſtudens formidaret: qui earumdem ſolum arciũ, aliarumq; rerũ oblatione, ſi maiora mutatæ fidei pretia darentur poterat à Gallis in ſuas partes facile trahi, adduciq; etiã, vt aliquid perniciosũ Hiſpanis copijs pro eo bellantibus moliretur, eius damnato conſilio, in eo ſenſu perſtitit, vt Caſalis continuandum eſſet obſidium, donec fame domitũ ſe dedere cogeretur; vt eo tutiſſimo receptu Gallis eiectis, Taurini, ipſiq; Inſubres, eo appoſito hoſtium exercitibus propugnaculo, firmarentur. *Eius ſalubris ſententia.*

Caſale igitur magno animorum feruore omni machinarum genere quatiebatur; Hiſpanique ita foſſæ crebris acceſſibus loricas admouerant, vt tantum non in illam effoſſis cuniculis penetrarent. Nec tamen obſeſſis deerant animi, aut vllam de Hiſpanis formidinem præferebant: quinimmo frequentibus eruptionibus, miſſilium iactibus, tormentorum diruta ſedula induſtria reparando, difficillimam oppugnationem hoſti faciebant, ſeque impigrè, atq; impauidè tuebantur. Verumtamen nullum in tanto amicæ vrbis diſcrimine apparebat Gallorum auxilium, qui ex Alpibus copijs in plana deductis, Padũ verſus ad Caramanum amnem ponte traiecturi properabant, vt inde faciliori, breuioriq; via Caſale procederent. Subſtiterant in ijs finibus Allobroges ſui exercitus oppoſitu Gallis iter ad fluminis litora præſepturi: dum Carolus Emmanuel ſeptuagenario maior cum indomiti animi impetum effœti corporis imbecillitas ſequi non poſſet; ingentium curarum mole oppreſſus, quòd ſuos dominatus ab ſociorum copijs iuxta, ac ab hoſtibus obrui, occupari, vaſtariq; videret; Sabiniani febri correptus triduo deceſſit. Dux bello acer, & impiger; ſed inquies, & otij ciuilis impatiens; ingenio vario, prompto arcana ſemper, ac profunda moliente difficile coniectari; magnarum virtutum Princeps, in quo ſi vnam demas immodicam proferendi imperij cupidinem, nihil ad regij ſpiritus celſitudinem deſideres: ſua ſponte cathenata laborum, curarumque ferie torquente animum, cauſas bellorum quærens finitimos Principes laceſſebat, ſemper illi reflante fortuna; quam rarò propitiam ſenſit. Sebuſianos Salutijs magno cum ſuæ amplitudinis detrimento mutauit; nimis impotentibus votis ad regiam fortunam aſpirans, ad quam dum ſumma ope nititur, in ærumnarum profundum delapſus multum de auita detriuit; tandem interijt, qui Italiam maximis bellorum difficultatibus implicuerat: & quieuit, qui numquam quieuerat. *Vrbs Caſale vrgetur. Carignano. Galli Caſale ſubſidio feſtinant. Dux Carolus Emmanuel extinguitur. Eius virtutes, & animi dotes.*

Victorius Amadeus primogenitus defuncto parenti ſucceſſit, qui eadem Patris conſilia ſequutus, quamuis minus bellicoſi animi, temperatiorque in ſuis affectibus videretur, conſtanti fide Hiſpanorum coluit ſocietatem; à quibus acceptis pecuniarum, militumque ſubſidijs, in ſua caſtra progreſſus in Padis ripis cum Hiſpanis arma ſociauit, vt iunctis viribus Gallos fluminis tranſitu prohiberent; qui captis Salutijs ad Caramanum propè Padum caſtra locauerant. Allobroges traiecto Pado, ad pontis caput, quà Caramanum ſpectat, propugnaculum condere inſtituunt; vt hoſtiles copias eo obiecto munimento, longè à *Victorius Amadeus Patri ſucceſſit. Carignano.*

 ponte

Galli propugnaculũ capiunt cæſis Taurinis.

ponte propellerent. Dum perficiendo operi ſolicita cura inſiſtunt; Galli animaduerſo eius propugnaculi detrimento, ſi educi ad iuſtam altitudinem paterentur; & quàm pernicioſum ſibi intra alpes, flumemque clauſis futurum eſſet; illud totius exercitus viribus aggredi feſtinant; quòd cum nec adhuc perfectum exiguo quoque præſidio cuſtodiretur, primo impetu, deiectis, cæſiſq; ferè omnibus præſidiarijs, ſuperatiſq; aggeribus, occuparunt.

Galli Auillana arce potiuntur.

Eodem tempore in caſtra allatum eſt, à Sciombergo cum altera Gallici exercitus parte, capta Auellana, arcem quoque continuis tormentorum ictibus verberari, quo triſti nuntio valdè commotus nouus Dux Victorius impotenti ardore animi concitus arci oppugnatæ ſubſidio exercitum rapere properabat; ſed à Colalto cautiori periculorum metu; prælij diſcrimina refugente prohibitus tam præcipiti auſu abſtinuit; ne ſuas ditiones in vnius pugnæ aleam daret. Quare nullo veniente ſubſidio, arcis præſidiarij aquæ penuria magis, quàm hoſtium virtute ſubacti Gallo ceſſere victori, cui Auellanam adepto tam optata in Montemferratum libera patuit via.

Induciæ inter Hiſpanos, & Galles, Taurinoſque panguntur.

Induciarũ conditiones.

Hic inopinatus euentus Hiſpanos impulit mutare conſilium, aliamque inire belli gerendi rationem: veriti enim ne Gallicæ copiæ vlterius prouectæ bellum in Inſubres ferrent; quo caſu, aut à Caſalis obſidione diſcedere, aut impares hoſtibus militum numero ferro cum hoſte decernere cogebantur; ad pangendas inducias ab Allobroge Duce propoſitas inclinarunt; quibus in hæc conditionum capita conuentum eſt.

Vt Galli Caſale, eiuſque Caſtellum Spinulæ dederent, noua tantum arce retenta; cuius præſidiarijs neceſſarij commeatus in diem ſolito pretio præberentur; ceſſantibus interim vtrinq; hoſtilibus; nec noua munimenta veteribus adderentur. Quòd ſi à Ratiſponæ Conquiſitorum conuentu, pax inter bellantes Principes ante idus Octobres non ſanciretur: Gallis liceret ad arcis ſubſidium cum omnibus viribus proficiſci, Hiſpaniſq; eos pro arbitrio, ſuoq; commodo ſummouere.

Spinula morbo extinguitur.

Eius eximiæ animi virtutes, & dotes.

Quarum induciarum fœdus cum dubijs, ſuſpenſis, timidiſq; animis, ne æquiora cederent aduerſarijs, meliuſq; alteris haberentur, ab vtraq; parte tranſigeretur: Demarchus Spinula profluuio ventris, ac fluxæ alienatione mentis tentatus Caſtri noui diem obijt, cum maximo totius exercitus doloris ſenſu, qui ſuo munifico, optimoque parenti effusè mœſtiſſimus illachrymatus aliorum Ducum indignabatur imperia Dux tam charus ſuis, quam hoſtibus formidandus clariſſimis non noſtræ ſolum ætatis, ſed etiam ſuperiorum Ducibus ſi non præferendus, certè æquandus. Ex nobiliſſima Spinula Genuæ familia natus militaris gloriæ cupidus ciuilium otiorum, deliciarumque mollitiem tæſus in Belgium in arma profectus ſub Alexandro Farneſio Parmæ Duce primæ famæ Imperatore militiæ rudimenta depoſuit continuato militarium honorum gradu, egregia tantum ſuffragante virtute, ad Imperialis paludamenti decus euectus in Belgicis contra

Batauos

Digitized by Google

Batauos bellis inclaruit. Mauritio Orangio virtute bellica par, quin etiam maior pluribus arcibus, munitiſq; vrbibus receptis, nullis amiſſis. Belgarum domitor; mirus militarium operum machinator, munitarumq; arciũ acerrimus expugnator. Hiſpanam rem opibus, conſilijs, virtute, manuque promouit; ſummæ apud milites authoritatis, ob incorruptam, ſeueramq; diſciplinam, cuius non tam munificentiam amabant, quàm formidabant imperia, Hiſpanorum Regum potentiam in Italia prouecturus; niſi digna ſua virtute conantem fatum in ipſis niſibus rapuiſſet.

Defuncto Spinulæ Demarchus Sanctacrucius ſubſtitutus eſt; qui etiam ſi imperij militaris initio inducias auerſari videretur; cum tamen Regis Hiſpani rebus eas conducere intelligeret; veritus etiam ne Allobrogem Ducem induciarum authorem, ipſumque Cæſarem alienaret; ſi eas abnueret, ſociorum voluntati indulſit, Caſaleq; vrbem, ac Caſtellum ex pactis conditionibus in deditionem accepit. *Demarchus Sãtacrucius Spinulæ ſufficitur.*

Aduentantibus Octobris idibus, cum nullus de pace Ratiſponæ conſtituta nũtius afferretur; Hiſpani, & pecuniarum inopia, & militum numero minus validi, cum Gallis miniſtris agebant, vt aliquot dies etiam induciarum fœdus proferretur; oblatis etiam æquioribus, quàm quæ pactæ erant, conditionibus. Verum Galli cum validiores in dies eo induciarum tempore melius habuerint; illam opportunam ſuæ prouehendæ fortunæ, arciq; ſuccurrendi occaſionem amittere recuſabant. Quare omnibus conditionibus repudiatis, ex hoſtium timore audaciores Caſale verſus cum quatuordecim peditum, & duobus equitum millibus pleno gradu mouerunt; quibus in orbe per vices ſingulis diebus Mariſcallus à Forzia Sciombergus, & Mariliacus imperabant; ſex tantum minoris formæ tormenta, nec vllos commeatuum vehes, quibus obſeſſorum inopiam leuarent, ponè trahentes. Gallorum conſilium præceps, & arduum, atq; adeò inſanum pleriſq; videbatur: at non erat eadem Hiſpanorum Ducum de ferocis gentis deliberationibus æſtimatio, qui cum militum numero illis longè percellerent, dubijs etiam, ne Allobrogum Dux in arcano cum hoſtibus conſentirent, ne illa munitiſſima arx Hiſpanorũ cederet poteſtati; anxij etiam animis æſtuabant, an Gallorum intra munimenta eſſet impetus expectãdus, an verò patentibus in campis obuiam eundum, confligendumq; acie, antequam propius arcem accederent. Verum hæc vt periculoſa ita pernicioſa damnata ſententia: Sanctacrucius caſtrorum poſitu explorato, auctoq; firmioribus munimentis conſtitit intra caſtra Gallorum ſucceſſum animosè expectãs. *Galli Caſale ſubſidio feſtinant.*

Galli etiam ſi de pace Ratiſponæ inita certi nuntij eſſent allati; nihilominus ſubſidio arci feſtinare ingentibus animis decreuerunt, apud Pontificiũ legatum eos toto niſu ſiſtere conantem abſciſſa Regis imperia cauſati, quibus opem omninò obſeſſis ferre iubebantur; at è contra nihil aliud de pace pro comperto habere, quàm Hiſpanorum litteras, quibus nullatenus fides erat habenda, nec ad illarum dubiam ſpem pacis facientium authoritatem expreſſa Regis mandata temnenda. *Gallorũ Caſali ſubueniendi decretum.*

Ratiſ-

Ineundæ pacis Ratiſponæ difficultas. Ratiſponæ conuentus ob negotiorum intercurrentium difficultates multo cum tædio, & mora plures dies tenuit; cum nihil æquè omnibus acceptum explicari poſſet; nec omnia Principum vota expleri, mutuis altercationibus conſilia inuicem aliena damnantium. Summus Pontifex flagrātiſſimè omnium ex ſacroſanctæ maieſtatis munere, communiſque Parentis officio, contendebat; vt tandem aliquando Conquiſitores diſſidijs compoſitis, compreſſiſque ſimultatibus, bellantibus principibus ſalutare aliquid expedirent; quo ex Italiæ finibus Cęſarea arma ſemper Pontificibus formidanda, pernicioſaque extruderentur. *Summi Pōtificis officia pro pace cōſtituenda.* Mitibus idcirco officijs feroces imperialium, Hiſpanorumque animos deliniebat; multaque moderatione, ac ſuauitate Gallorum feruida tractabat ingenia: Niuernenſiſque Ducis iacentem fortunam ad priſtinum faſtigium erigere nitebatur; multa cum Hiſpanorum indignatione illa Pontificis erga miſerum Principem ſtudia ægrè ferentium, quibus ſua in Italia promouenda magis ab eo; quàm Niuernenſis, Gallorumque incrementa cupienda videbantur; iniuriam ratis quidquid ad eorum vota non ageret. Verum maiori ardore Allobrogum Dux, Niuernenſiſque potiores huius ſcenæ perſonæ cupiebant; *Allobrogū Ducis, & Mantuani Principis vota.* maximè omnium belli incommodis, ac malis finem poni: quorum alter propria domo expulſus, patrio ſolo extorris alienis errabundus in terris pacem quàm dolentiſſimè ſuſpirabat; & dummodo Cæſarea diplomata dominatus poſſeſſionem tradentia à Cæſare obtineret, paratus quaſcunq; leges ferrent victores, accipere: alter verò non tam de Gallorum, quàm de Hiſpanorum iniurijs expoſtulans, à quibus ſuas clades, iacturaſque fluxiſſe querebatur, eodem tempore enixiſſimè flagitabat; vt ſibi erepti à Gallis Allobroges redderentur; petitaque iure ſuo Montisferrati oppida Cæſar addiceret: aliorum tamen diſcordias in ſuum commodum vertebat: neutris illum aſperatum, irritatumque volentibus, ne eorum maioribus deſtinatis intercedere cogeretur. *Veneti quoque pacem cupiunt.* Pacem quoque Veneti miſſa Ratiſponam honorifica legatione, per Sebaſtianum Venerium ex ſenatorio ordine patritium primæ facundiæ efficacibus ſtudijs pronehere nitebantur. Quia cum nimiam Cæſaris, Hiſpanorumque potentiam ſibi aliquando, cæteriſque Italis principibus pernicioſam futuram formidarent: ſicuti prius Niuernenſem ſuis texerant armis; ita eius cauſam tueri ſatagebant, prompti etiam cum Gallis ad eum aſſerendum ſuas vires ſociare; ſi lis non æquis tranſactis conditionibus finiretur. *Galli de Niuernenſis Ducis rebus ſoliciti.* Galli quoque non minus de Niuernenſis Ducis aduerſa fortuna, quàm de Italiæ rebus ſecretioribus deſtinatis ſoliciti, ſumma ope nixi curabāt; vt cōceſſis Niuernenſi poſſeſſorijs Cęſaris litteris, Hiſpani exercitus exarmarent; quæ erat rerum de quibus Ratiſponæ agebatur, præcipua ſumma. *Hiſpani quoque pacem peroptant.* Ardentiora fortaſſe erant Hiſpanorum pacis deſideria: ſi tamen maiori curæ eſt propria ſeruare, quàm inuadere aliena. Quia cum Gallorum in Italiam ingreſſu moleſtiſſimè grauarentur: ex quo in præſens erant, procedenteque tempore maxima incommoda profectura: ſi Mantuæ, Montisferratique ditionum opibus niterentur;

Digitized by Google

tur, pro viribus ſtudebant hoſtium arcana molimina fruſtrare; & quando Niuernenſi Duci auitæ ditionis poſſeſſio negari non poterat, Allobrogum potiſſimum Ducis intuitu, tunc eorum cauſa ſuis dominatibus Gallicis armis eiecti, obtinere ſaltem, vt ſuſpecti Ducis fortunam quàm maximè poſſent debilem, imbecillamque facerent, ac proinde minus nocendo idoneam. Quibus conſilijs cum honeſtatis, charitatiſque erga alios dynaſtas ſpeciem prætexerent; quòd Principum ingenij eſt: hoc ſummo ſtudio contendebant, vt Allobrogum Duci, Gardſtalli Principi, alijſque petitoribus Mantuanæ, Montisferratique ditionis oppida cederentur. Dubius erat Cæſaris animus, qui quamuis ad pacem eſſet ſpontè propenſior, ad aulæ tamen purpuratos plerunque Hiſpanos cuncta referre ſolitus eorum arbitrijs agebatur. Quare incertus animi, conſilijs, reſponſiſq; nutans, nunc pacis, nunc belli deſideria præſeferens ambigebat, quam potiſſimam in partem verteret; ingenti ſanè Hiſpanorum compendio, quorum magni intererat rem differri ob Caſalis obſidium, quòd breui ſe adepturos putabant; præter id quòd malè Gallos habendo ſperabant ab eis ſe æquiores concepti conditiones fœderis expreſſuros. Quibus rebus fiebat in dies difficilior conquiſitorum de pace ineunda congreſſus. Galli tamen ob parum proſperos in Italia ſuorum armorum progreſſus, affecto peſte exercitu, ac penè conſumpto, qui nunquam Caſali ſubſidio peruehi poterat: ſanciendæ paci viam ſublatis difficultatibus complanabant. Cæſarem verò fœlices Sueci Regis bellici profectus, qui tunc fortunato auſu Baltico mari tranſmiſſo, Proteſtantium fretus auxilijs Germaniam contuſis ſecundis prælijs Cæſaris rebus, euertebat, ac proinde ad illum arcendum, compeſcendoſq; Suecorum impetus erant illò omnes copiæ, ac vires euocandæ; veteranarumq; legionum, quas ad Mantuanum bellum miſerat robora, accerſenda ad pacem, vel nolentem vrgebant. Quibus de cauſis facto aliquo petitionum acerbitati modo, tandem diſſidijs, altercationibuſque ſublatis, tertio idus Octobres in hæc pacis conditionum capita conſenſere.

Solers Hiſpanorum conſilium.

Anceps Cæſaris animus an pacem bellũne mallet.

Cæſarem ad pacem cudendã Sueci Regis fœlicitas impellit.

Ne Rex Gallus vllatenus ſineret Imperij dominatus, quæq; illius iuris eſſent, a ſuis vectigalibus infeſtari, quod pariter Gallo Regi erat à Cæſare reponendum. Duci Allobrogi Tridinum, aliaq; oppida ad duodeuiginti aureorum nummum annui prouentus millia pro plena petitione debiti ſolutione cederet; nec aliquid Montisferrati terrarum poſſet amplius ſibi depoſcere.

Pacis ſanciendæ conditiones.

Dux Niuernenſis Lotharingiæ Principi ob eius in Montemferratum iura concederet, quòd ab arbitris, ad hoc deſtinatis decretum fuiſſet, aut Cæſaris ſententia addictum: & Gardiſtalli Duci ſena in annum aureorum millia ſolueret; illiq; Doſoli, Luceræ, Solare Regioliq; pignore caueretur: teneretur tamen ille omnia ſua in Mantuanam ditionem iura Niuernenſi remittere; qui ſe Cæſareæ Maieſtati ſubmittens ſupplex poſceret ditionum à Cæſare poſſeſſionem, ſex hebdomadis nulla interiecta difficultate concedendam.

Cæſar

Digitized by Google

. Cæſar intra quindecim dies exercitum ex Italia præter Mantuæ, Canetique præſidia, deduceret; Sicuti etiam Rex Hiſpanus, copias à Caſale, eiuſque caſtello in Inſubres reciperet. Gallus item Rex ſua agmina ex Caſalis arce, Monteferratoque vniuerſo, & Allobrogibus Pinarolo, Bricheraſcoq; & Seguſio, atq; Auellana exceptis, in Galliam reuocaret.

Allobrogum Dux ſuos milites ex Monteferrato, præter Tridinum emitteret. Niuernenſi Duci Caſale cum reliquis arcibus traderetur. Quibus conditionibus vbi ſteterint omnes; Cæſar ſuis præſidijs Mantua, eiuſq; arce & Canneto amotis libera omnia Niuernenſi relinqueret. Vniuerſa munimenta feruente bello, in Italia, & Rhetis extructa ſolo æquarentur. Cæſar vſurpata Rhetis loca redderet; nec vlli in poſterum fas eſſet ea quocumq; titulo occupare. Vt pacis tranſactæ leges intaminata fide ſeruarentur, Cæſar, & Rex Gallus, & nobilitate, & numero pares Summo Pontifici traderent obſides. Alia præterea conſtituta ſunt, quæ ad firmandam pacem, tollendaque diſſidia, & bellorum cauſas opportuna videbantur.

Mantuani Ducis fortuna fęlicior. Huius optatiſſimæ pacis nuntius omnes Italiæ Principes, ſed præcipuè Niuernenſem Ducem tunc Criſpini exulem miſeræ fortunæ vitam tolerantem, anguſtijs preſſum incredibili lætitia perfudit; quòd Conquiſitorum decretis ſuis dominatibus redderetur: At Gallis ducibus fuit minùs acceptus; qui ſuperiora Regis iuſſa animorum ferociæ, inconſtantiæque prætexentes veriti ne illæ pactæ conditiones à principibus ſeruarentur; nihil cęptum iter morati pleno paſſu profecti prope Hiſpanorum caſtra ad Caſale conſederunt: in quæ magno cum Gallorum præfectorum dolore, qui huiuſmodi armorum coniunctionem nunquam futuram crediderant; Germana agmina preuenerunt quorum acceſſit ad viginti preditum, & quinque equitum millia auctus Catholicus exercitus iam vltro Gallos ad pugnam poterat prouocare. Stantibus ergo aduerſis frontibus copijs, earum præfecti varijs ſpei, metuſque curis, & cogitationibus angebantur, quia cum ferè iuncta caſtra caſtris hærerent, pugna vitari poſſe non videbatur, perplexis fluctuabant animis, an in vnius prælij diſcrimen rerum ſummam proijcerent, an conſultius foret alia ratione commoda ſui Principis procurare.

Germani in Hiſpanica caſtra ad Caſale perueniunt.

Quæ Gallos ad pugnam ferendam hortentur. Tanti erat Gallis ſupremam pugna experiri fortunam; quia Caſalis arce ad vltima acta; quodlibet audere, ac quæcumque pericula ſpernere compendio futurum videbatur; vt Hiſpanos ab arcis obſidione decuterent: quibus prælio victis, fuſiſque acie victricibus armis in Inſubres patebat ingreſſus; & plurima alia quàm vtiliſſima parabantur. Præter id quod ſi militum pugnam ferocibus animis depoſcentium ardorem frigeſcere paterentur, crebris in dies effugijs dilabentibus copijs, vulgatis etiam per Manipulos, morbis, totus erat, cum irreparabili Regis iactura Gallicus exercitus defluxurus. His de cauſis acie cum hoſte confligere animis propoſuere; inſultante etiam minis, & cauillis militum vulgo, probraque iaciente, ni protinus è caſtris educerentur in prælium, ipſiſque Hiſpano-

rum

Digitized by Google

rum munimentis inuadendis admouerentur: qui in eo rerum diſcrimine in commune congreſſi conſultabant; quid potiſſimum foret agendum. Suadebant plerique ſatius eſſe cum hoſte itineris laboribus feſſo antequam vires quiete reciperet; dimicare: quod virtute, & militum numero validioribus non erat de fœlici prælij euentu dubitandum. Gallos certè ſuę proiectæ temeritatis pęnas daturos, ſi imbecilliores Hiſpanis caſtris hoſtilibus ſucceſſiſſent. Hac vna victoria hoſtibus cæſis Caſale, Montemque ferratum in poteſtatem ventura; Galloſque in perpetuum ex Italiæ finibus exactum iri; Hiſpanumque imperium immenſum conualiturum: quod vnum eo bello peteretur: ſicuti ex aduerſo prælij metum, & fugam ſuam ignauiam, degenereſque animos: prodere, arrogantiamque, ac ferociam hoſtibus ingerere. Verum Sanctacrucius cautioris ingenij timere magis, quàm ſperare ſueti hæc audaculorum hortamenta, audaciamque damnabat; decreuitque poſt varias hinc, inde ſententias exercitum intra caſtrorum munimenta continere; curareque Mazzerini Pontificij legati interuentu; vt cum hoſte pacatius aliquid conueniret. Mirandum ſanè quòd Galli longè uiribus debiliores, inter iniquiora omnia, tot difficultatibus circumuenti pugnam expeterent, & è contra Hiſpani, & caſtrorum poſitu, & munimentorum firmitate, & militum numero potentiores non eam modo formidarent; ſed etiam cum multo exiſtimationis, dignitatiſq; detrimento noxias ſibi Gallis conditiones ad declinandum pugnę diſcrimen offerrent. Nihil tamen apud Feroces animos vltrò, citròq; cōmeans Mazzarinus ſalutare ſanciendo pacis fęderi proficiebat; cũ natiuę ferociæ magis impetu, quàm ſapientum virorum ſuaſionibus agerentur.

Hiſpanorũ varia de cõfligẽdo cum hoſte ſentẽtia.

Cur cũ Gallis pugnandum.

Cautum Sãctacrucij de marchi conſilium.

Præcipitia Gallorũ cõſilia.

Galli igitur certi animis prælio vltima experiri; quod ea inutili mora langueſceret illa militaris alacritas; ſeptimo Kalend. Nouembris educto ex munimentis exercitu, tripartito primum deuota militum capita aciem præeuntia ad hoſtium caſtra inuadenda procedunt. Ex Hiſpanicis caſtris Picolomineus cum equitum robore in hoſtes erumpens pluſquam leue prælium accendit: videbaturque eo die, vel inuito Sanctacrucio in totius rei diſcrimen vniuerſa acie pugnandum.

Galli in Hiſpanos vadunt.

Demarchus in agminum medio conſtiterat, opportuna pro re nata daturus imperia intrepido vultu audacem, fortemque animum præſeferens anxius tamen, & ſolicitus de ancipiti certaminum fortuna; metuens ne cōtra, quam ſtatuerat, in pugnæ neceſſitatem traheretur: Frequentibus igitur nũtijs ad copiarũ Duces expediens, alios, atq; alios trepidus accerſebat vt certa de velitationum euentibus doceretur. Omnes etiã, atq; etiã hortabatur, vt intra ſuas ſtationes immoto gradu, ſubeuntium hoſtium impetus expectarent; munimentaque vitatis campalis pugnæ periculis, contra lymphata Gallorum agmina tuerentur. Iam Galli ferocibus aſſultibus Hiſpanica munimenta tranſilire conabantur. Inter ſpem, & metum hæſitabat animo Sanctacrucius, quando quidam eques effuſo curſu certantibus ſuperueniens contenta voce inclamans nuntiat,

Galli Hiſpanica caſtra inuadunt.

Mazze-

Digitized by Google

Pax componitur. Mazzerinum ex Gallicis caſtris intra Hiſpanica munimenta ingreſſum pactas cum hoſtibus pacis conditiones, ſedato Gallorum impetu, dirempto que certamine afferre. Ad quem lætiſſimum nuntium Demarchus animo tranquillato, ſerenatoque vultu in Mazzerini occurſum acto equo pacata nuntiantem officioſiſſimè amplexus omnes pacis leges cum Gallis ducibus ab eo tranſactas ratas habuit.

Pacis initæ conditiones. Pax itaque paucis mutuo partium conſenſu, memorando ſanè miraculo inter agmina iam ſtrictis enſibus in ſuam necem ruentia; quaſi ex condicto his conditionibus conſtituta eſt.

Præfectus Torras ex arce Caſalis cum omnibus prçſidiarijs egrederetur, eius Menæ duci cum mille Montisferrati popularibus, & Cæſareo Conquiſitore commiſſa cuſtodia, cui omnes dicerent ſacramentum ſe Cęſaris nomine eam tenere.

Hiſpani ex vrbe Caſale, & caſtello, cæteriſque Montisferrati oppidis,& Caſtellis abirent. Gallicæ copiæ in Galliam, Hiſpanicæ in Inſubres ſe reciperent. Quantum ad cætera Ratiſponenſis decreta couentus ſeruarentur.

Compoſitis igitur raro, & numquam fortaſſe audito exemplo inter vtroſque exercitus iam ruentes in pugnam rebus, conuerſaque in iocundam pacem prælij ſæuitia, egreſſi in campum ex agminibus Duces amicas iunxere dexteras; quas paulo ante ferro in mutuam perniciem armauerant: ſe inuicem amplexi omnibus officijs, atque obſequijs coluere: effusè lętati, quod aliquo propitio Numine Chriſtiano ſanguini, militumq; lanienæ concordibus animis peperciſſent. *Ducum de pace conſtituta Lætitia*

Expletis officijs, regreſſiſque in ſua caſtra Ducibus, tantum non turbata pace, in arma rurſus itum eſt: ſuam enim nimiam indulgentiam, facilitatemque pertæſus ſera pœnitentia Sanctacrucius indoluit, ſe immodica nimis incurioſum, & incautum hoſtibus conceſſiſſe; cupienſque errata,& ſi non in tempore corrigere, Montisferrati oppida reſtituere differebat: difficultatemque rebus, quibus aut intercedere in pacis fœdere ineundo, aut negare non poterat, inijciebat. Quamobrem Galli Duces, qui ex arce cohortibus eductis Alpes verſus iter intenderant; veriti Hiſpanorum dolos prçfectum Grangeum cum duobus peditum millibus properè reuocarunt; qui opportunè arcem inijt; cum Cæſareus conquiſitor ex ea paulò ante diſceſſerat; Caſaleque, & Caſtellum cum omnibus exterioribus munimentis occupauit; ruptam fidem, fœdamque fraudem maximè indignantibus Hiſpanis; qui ipſi quoque reductis ex itinere copijs iterum obſidionem parabant: ſed orientes armorum tumultus Nuncij Panciroli ſedulitas, & diligentia ſuo inter diffidentes exercitus intercurſu compreſſit, effecitque vt Galli deficientibus ad tolerandum obſidium commeatibus Caſale tantum vrbe contenti forent; & Hiſpani occupata Montisferrati oppida reſtituerent; quò ab armis iterum ceſſatum eſt. *tantum non rupta pace bellum recrudeſcit.* *Galli iterũ contra fædus Caſale ingrediuntur.* *Pax iterum firmata.*

1631 Italia varijs bellorum procellis fluctuante, Franciſcus Maria Vrbini Dux octogenario maior extinguitur; origine Ligur de Rouerea familia vltimus Prin-

Digitized by Google

Princeps, ex qua Xiſtus Quartus, & Iulius Secundus Romani Pontifices clariſſimi nominis prodierunt: quorum beneficio eo donata dominatu opibus potens inter Italiæ Principes maximè claruit. Paucis ante annis Caſtellum Durantis ad animæ noxas pijs operibus, atq; exercitationibus procurandas feceſſerat. Ibi in alto rerum humanarum ſilentio, nullis tranquillo animo obſtrepentibus curis, priuati ferè vitam ducens Roma ad ſuæ ditionis regimen Antiſtites euocarat: in arces quoque Pontificia præſidia, ac præfectos induxerat; ab ijs ſibi prius dicto ſacramento, ſe eius nomine, donec viueret, ſeq; defuncto, Pontificis retenturos. Neptem ſuam Ferdinando Secundo Magno Etruriæ Duci nuptui dederat. Iulium quoque Rouereum Ianuenſem, ac Venetum patritium cæteris arctiori ſibi conſanguinitatis nexu coniunctum ſeptem ante annos Toruba, Ripa, Monteralto in Senogalliæ agro beneficiario iure ditauerat, ne cadente Vrbini dynaſtia, Rouereæ familiæ memoria in ijs regionibus penitus exoleſceret. *Vrbini Ducis poſtremi interitus.*

Vrbanus itaq; Pontifex Vrbinatem ditionem citra cruorem, armorumque ſtrepitum ſumma induſtria, tranſactionumq; ſolertia Apoſtolicæ Sedi poſtliminio recepit. Huius quoque Ducis interitu multum eminens Romæ præfectura duodecim aureorum millium annui prouentus vacauit, quæ Franciſco Mariæ primo Duci à Iulio ſecundo collata in hæredes ſubinde tranſmiſſa in hoc Rouereæ familiæ poſtremo compendioſum deſijt ornamentum: quo ſtatim vnico tanti redeuntis ad Pontificiam ditionem dominatus ſpolio, Thadeum Barberinum nepotem ſuum donauit.

Veſeui Montis incendium.

VEſeui Montis portentoſo ſanè, horrendoq; partu cinerum, flammarumq; globos, atq; ingentia ſaxa ab imis viſceribus eruta immani tonitru in ſublime verticis hiatus abegit. Natura ſuâ arcana mortalibus oſtentans, quæ in Inferorum caminis, ac fornacibus incendia deſæuiant, identidem magno vicinarum regionum terrore accolarum ſubijcit oculis conſpicienda. Nunquam, quòd meminerint, anteactis ſeculis maius, aut horribilius hic mons incendium euomuit. Sub feſtos naſcenti domino ſacros dies aliquot terræ concuſſus erumpenti ab Auerni ſpecubus portento ſubterraneis mugitibus proluſere. Poſtera die mane candicante Aurora mons horrendo tonitru, ac fragore, quaſi diſrupta rerum compage, in aerem ingẽtem flammam cineribus mistam, ſaxorumq; moles excuſſit. Vltra primam aeris regionem ſtupendo ſanè miraculo contorta eruditioribus intuentibus viſa cineres profectò à ventis in Arcipelagi ſinus vſque diſſlati maria fędarunt, & ſaxa magnitudine, & numero formidanda in Melfitanum agrum centum paſſuum millibus procul vibrata tremenda ruina cecidere. Ab eodem poſtea verticis montis hiatu ingens accenſi bituminis vis eructata torrentis inſtar ad ima defluxit, quòd in ſeptem fluenta, riuoſq; diuiſum 1631

uiſum cum incredibili regionum, quacunque Cocytus ille ſe raperet, pagorumq; excidio, qui eo incendio abſumpti nulla ſui veſtigia reliquerunt; in mare præceps euolutum plus duodecim dies ſuper aquas ardens natauit, nihil humore ardorem morante, mox piſcium, quos illud coxit, & torruit incendium mirandus numerus fluitauit, à quibus tamen incolæ abſtinuerunt antiquorum monumentis edocti huiuſmodi piſces noxios ſaluti forè, immo præſentem mortem mandentibus allaturos. Ab aduerſa Montis parte non minori portento rapidiſſimum ardentis aquæ flumen erupit; quæ vicinis regionibus ſuperfuſa maiora, quàm ignes agreſtibus intulit detrimenta. Mare, aut terræ concuſſu, aut alia arcana de cauſa receſſit à litore. Neapoli nauigia à mari in ſicco deſtituta tantum non fatiſcentia ſolutis compagibus diſrupta ſunt, niſi ad ſolitum locum cito recurſu aquæ illa iterum ſubleuaſſent, ad ſurrentum plus mille paſſus in ſe ipſum mare refluxit, aliaque multa tam mira viſa ſunt, vt poſteris ea legentibus ſcriptorum commenta, ac ſomnia non Naturæ miracula putanda ſint.

FŒDERATORVM PRINCIPVM

Contra Hiſpanos, atq; Inſubres bellum

NARRATIO VNDECIMA.

QVid hoc rei eſt, vt Galli impatientiſſimè Italiæ imperium anhelent? ſuique vaſto non contenti ambitu Regni pulcherrimam prouinciam afflictim depereant? Inſidijs, arcanis molitionibus, aperta vi, fœderum tranſactionibus verſando Italorum Principum animos, huic imminent, inſtantq; omnibus votis, vni quaſi ſuarum cogitationum, conſiliorumque metæ. Nullus ferè Gallorum Regum tria ab hinc ſecula ſe intra ſui fines Regni ita continuit; vt Italia ſibi deſtinata prouincia, ad eam bello domandam arma non expedierit. Mitto illa nimis antiqua ſuperfuſa omnibus terris Gallorum examina molliora, vberioraque huius prouinciæ eiectis indigenis, occupaſſe, ſurgenſque Romæ vrbis imperium eius auguſtali flammis incenſo, in ipſis incunabulis eliſiſſe. Recentiora ſunt Caroli, Ludouici, Franciſci, Henrici, quos alium ex alio nimia habendæ Italiæ cupido eius terris impegit. Vix Galli Reges diadema fronti circumdant, cum ſtatim bella Italica meditantur, ſpemque animis eius potiendæ concipiunt. Sed cuius fati ludibrio fit, vt omnes eorum conatus, deſtinata, conſilia parum fortuna ſecundet, tentamentaque omnia nimium fortibus auſis inimica ferè ſemper eludat? Illi ſanè veluti turbines ingruunt in Italiam, diceres armorum fulmina celeri, validaque procella cuncta ruentia. At vbi detonuit, tempeſtaſque illa reſedit: effuſa ira, atq; impetu, torpent, nulloſq; moti belli fructus in patriam præter efficacis fe-

Gallorum Italiæ potienda cupiditas.

T rociæ,

rociæ, animiq; mortem ſpernentis laudem referunt. Ægrius quondam præſeptis firmis cuſtodijs Alpium anguſtijs, Allobroge Duce vallium in Galliam aditus aperientium ſeras, & vectes pro arbitrio claudente, in Italiam traducebantur Gallica agmina, perruptis tamen perſæpè montiũ clauſtris, in eam vel inuitis Taurinis ianitoribus, inuolarunt. Nunc aperto Peroſæ vallis aditu, liberi, alias precarij trãſitus domini pro volũtate poſsũt in adamatam prouinciam copias effundere. Diui, quoq; Euaſij Caſale belli ſedes, & armamentarium, tutiſſimuſque Gallorum receptus eos in Italica allicit bella. Inde quaſi ex ſpecula finitimos Inſubres, vicinamque prędam ſuſpirant, latius arma prolaturi, rapturique vlteriora, ſi fors opportunam occaſionem obiecerit.

Ludouici Galli Regis conſilium.

Ludouicus decimus tertius Patris conſilia ſequutus, cum in Germaniam præcipuos ſuorum armorum impetus deſtinaſſet; ad auertenda inde Hiſpanorum ſubſidia, quæ Auſtriacis nullis in Inſubribus bellis impliciti ſuffeciſſent; omnium Regum efficaciſſimè, quà pollicitis, quà ſpebus ingentibus, quoſdam Italos Principes ſubmiſſis clanculum ſequeſtribus, ſuas proclinauit in partes. Recentia enim erga eos merita, ſtricta pro Italiæ libertate, ſaluteque arma, defenſum pulſo; admoto ad Alpium tantum radices ſuorum armorum terrore, Hiſpano, Caſale: reddita Niuernenſi Duci ſuo natiuo Principi Mantua, poterant Italorum Principũ animos nõ demereri ſolum, ſed etiã impellere, vt ſe illi fœdere iungerent, atq; eius arma, cõſiliaq; ſequerentur: quòd Hiſpanorum exoſus alieni cupidinem Italiæ libertatis acerrimus vindex eorum immodicè ſe ſe efferentem potentiam proprijs rebus poſthabitis, compreſſiſſet. Videbant enim tantum nõ ab ipſis potiora tenentibus Italiæ cætera corripi, cum hinc dominatus Inſubrici viribus Taurinos, Venetos, finitimoſq; Princeps, illinc Neapolitani, Siculiq; Regni armis Pontificias, Hetruſcaſq; ditiones vrgerẽt, parumq; abeſſe, quin cęteri

Galli ſollicitant Principum Italorum animos ad bellum contra Hiſpanos.

Principes Hiſpanorum vectigales, ſtipendiarijq; omnia ad eorum nutum, arbitriumq; conferre cogerentur: quibus Italiæ imperio exturbatis, præter ditionum præmia, quæ illis ceſſura ex ſociali fœdere eſſent, perpetuo exterorum potentiæ metu liberos non precarias ditiones habituros. Pronis auribus audiebãtur ab Italis Ducibus Galli legati, quòd ſpecioſa, vtiliaq; ſuaderent: in eorum ſiquidem animos inducere conabãtur Ludouicũ nulla ſui augendi imperij, nulla maioris amplitudinis, ſed eorũ ſecuritatis tantũ, Italiæq; libertatis cupiditate moueri. Victoriæ, ſuorumq; laborũ fructus eorũ duntaxat, ſuas verò impenſas, curaſq; futuras. Hac de cauſa ad Germanos Principes ab Auſtriaco iugo vindicandos ſuos exercitus contra Cæſarem armaſſe: vindicis tantum Germanicæ libertatis laude, & gloria contentum victoriæ præmia aſſertis Principibus, reliquiſſe: eandem fidem Italis Principibus præſtiturum.

Galli Principes Italos in ſuas partes trahũt.

Harum ſuaſionum, & promiſſorum illicio Gali legati Italos Principes in Ludouici fœdera trahere laborabant, eaſq; in Italia bellorum flammas accendere, in quibus extinguẽdis Rex Hiſpanus implicitus à ferẽdis ſuppetijs

Impe-

Digitized by Google

Imperatori ceſſaret. Verum conſilia, hortamentaq; Regis parū Italorum Principum animos impulere,quāuis eius ſubmiſſi miniſtri, ſtudioſiq;Gallici nominis efficaciſſimè in aulis Principū perorarint: & vt credula eſt ſpes vana,non eos ſucceſſus habuere,quos ille ſibi cupido animo cōceperat. Nā & ſi his vltimis Mantuani, Montiſq;ferrati belli tumultib. mota Hiſpanorū arma eò magis Italis Principibus inuiſa,periculoſaq;quò gratiora Gallorū, ſalubrioraq; fuerint; non tamen ita infenſo in Hiſpanos odio Principes ferebantur;vt Gallorum opis,ſubſidiorumq; fiducia Hiſpanam rem accīſam penitus vellent,& Gallorū iugum induere;quod ſe certiſſimè ſubituros norant,ſi eorum bene tentamenta vertiſſent.Etenim quamuis non ægrè ferrēt Diui Euaſij Caſale,Pinarolumq; in validæ gentis poteſtate eſſe, quòd earū arcium Gallicæ ſtationes minus Italiæ Hiſpanorum potentiam facerent formidādam,præſentia,expeditaq; Gallorum ſubſidia eorum vires minuerent:non tamen ſibi tanti eſſe,aut ſuis rebus ita cōducere videbatur; vt omninò proſtratis Hiſpanis,ſuis ceruicibus Gallorum iugum imponerent,quibus,ſi de ſociandis armis,iungendoq; fœdere ageretur,Hiſpanorum amicitiam velut grauioris, moderatiorisq; ingenij gentis, ſocietatemq; præferrent; quòd centum annos probata vicinitas nulli noxia, nulli violenta, ſed omnibus vtilis eos Italis Principibus commendaret. Quamobrem propoſuerant animis faciendo pro neutris, ita vtriuſque Regis potentiam æquare,vt & Hiſpanorum metuendam potentiam Gallorum ope retunderent; & eorum ferocientem audaciam Hiſpanorum viribus temperarent: quo æquilibrio melius ſuam libertatem, ditioneſq; tuerentur.

Itali Principes Gallorum ſocietatem vereantur.

Italorum Principum ſalubre cōſilium.

Veneti,quamuis Mantuano bello Auſtriacis comparato exercitu, obſtitiſſent: & in expugnanda Volturena ſua Gallis conſilia,vireſq; iunxiſſent; attamen,quod ad cætera Italiæ,atq; Inſubres pertineret,nouas res,tumultuſq; auerſati in Hiſpanos, quàm in Gallos propenſioribus animis videbātur, malleq; antiquam Hiſpanorum, moderatamq; viciniam intra ſuæ diditionis ſe limites continentem, quàm Gallorum ex inſita Genti ferocia in finitimos identidem procurſantem. Neq; ſummus Pontifex Vrbanus Gallicæ gentis,vt putabatur ſtudioſus, vbi Hiſpanorum potentiæ Caſalis, Pinaroliq; arcium iniecta frena vidiſſet, remiſſis ſuetis erga eam gentem ſtudijs,Galli Regis authoritatem perpetuas ſedes in Italia poſuiſſe contentus, non latius illam radices proferre cupere videbatur. Ducem Allobrogem quò maior neceſſitas vrgebat,vt à Gallorum partibus ſtaret;eò acrior certi ſeruitij metus, quod victricia eorum arma minabantur, à paciſcendo cū Rege fœdere deterrebat. Si enim pulſis Hiſpanis Inſubres occupaſſet; ipſe intra Gallorum vires, armaq; medius incluſus, ſubtractis Hiſpanorum auxilijs, quibus innixus inquietis gentis inſultibus repugnabat; ſub Galli Regis, miniſtrorumque eius eſſe arbitrio cogebatur. Hæc nota ſatis erant Regi, captandique Ducis Allobrogis animi difficultas, qui ſi in Gallica fœdera compelleretur, non ſatis firmam eius fidem futuram timebat; nec tamen abſque eo ſocio, fœderatoque vllos fœlices euentus deſtinatam ex-

Veneti Gallorum ſocietatem repudiant.

Dux Allobrox coactus cū Gallis ſocietatem inire.

Digitized by Google

Allobrogis Ducis ſocietas Gallis neceſſaria.

peditionem habituram, quòd ſuperioribus annis didicerat, etiam ſi Seguſium, Pinarolumq; cum aliquot Taurinorum oppidis, Gallicis præſidijs tenerentur, ſibi tamen difficilimum fuiſſe Caſale, vel ſolum militum ſubſidium inducere, multoque difficiliùs fore ipſius fide nutante, aut non conſentiente Regi, inuadere, ne dum Inſubres occupare.

Gallorū ingentia promiſſa quib. Ducem Allobrogem in fœdus alliciunt.

Gallus Rex ſuis copijs Allobrogē Ducem præficit.

Animum igitur Ducis admotis promiſſionum machinis, aggreditur Inſubrum dominatum oſtentando fœderis præmium, ſi ſecum arma, conſiliaq; ſociaret. Aſtruebāt pollicitis fidē Regis affinitas, & præcipuus in ſororem Ducis vxorem amor; quā magnorū Regum, filiam, & ſororem, ad regium ſplendorē, & decus euehere peroptabat: vt duabus Reginis ſororibus par æquali honoris, & maieſtatis iubare præfulgeret. Allobroges .n. cū Taurinis, & Inſubribus iuncti cōtinuata tot terrarum, locorūq; ditione, poterāt non pœnitendi regni amplitudinē conſtituere: cuius ipſa ſuam frontem diademate redimire, ac ſceptro grauare manus ſine non inanis affectati nimis ambitioſè regij tituli nota, ſugillationeque poſſet. Seruandæ regiæ fidei pignus Ducem imperatorē Gallici exercitus renuntiauit: non animaduerſo ſupremam liberi dominij nulli addicti authoritatem, ac dignitatē qualibet futuræ amplitudinis ſpe, atq; omnibus pollicitis eſſe potiorem.

Villafranca Gallorū de Ducis Allobrogis fide ſuſpicio.

Allobrox Dux ancipiti periculo vrgetur.

Rogatus igitur ferijt cum Rege Gallo fœdus, quod abſq; ingenti ſuarum rerum diſcrimine non poterat recuſare: ſupremi copiarum Ducis munus ad propria, quàm aliena vota obeundum accepit. Exijt in vulgus, quod Galli miniſtri publicis queſtibus, & expoſtulationibus affirmarunt, probaruntque ſucceſſus; Ducem Allobrogem in eo arcano cum Cardinale Infante ad Herculis Portum congreſſu, quem claſſe ab Hiſpania in Italiam aduectus ſubijt, multa de rebus grauiſſimis, ac præſentibus tranſegiſſe: immo ſecreto fœdere cum Hiſpano Rege coiſſe quamuis cum Gallo in ſpeciem conſentire videretur: ne ſui dominatus Gallorum violentiæ obnoxij, eorum armis obruerentur; quibus, & ſi præſenti, ac ſubito Hiſpanorū accurſu obſiſtere poterat, quorum auxilijs fretus quondam eius Pater Gallorum impetus fregit: futuros tamen cum incolarum pernicie, agrorumque veſtatione copiarum pugnantium aream Taurinos, iuxta periculoſo ſeu Hiſpanis, ſeu gallis victoriam fortuna daret. Idcircò aiebat, ſe non poſſe citra manifeſtæ totius ditionis iacturæ periculum Gallorum hoſtem, Hiſpanorum verò ſocium, amicumq; profiteri: ſed ſimulatè bellando, re ipſa declaraturum quantę ſibi curæ Hiſpanorum in Inſubribus imperij incolumitas eſſet. Addita etiam eo alloquio alia præcipua, ſe nunquā paſſurū vllas Inſubrū arces armis Gallicis obtineri; ſed exercitū ducēdo per plana camporū, agrorūq; copias, ipſa mora Gallorum ferociam, atq; impetus fruſtraturum; quæ inter eos verè tranſacta, cōuentaq; fuiſſe, eius belli poſtea declarauere ſucceſſus.

Mirandola.

Felicius aliquantò, faciliùſq; Parmenſis, Mutinenſiſq; Ducum, ac Iuliæ Tauricæ dynaſtæ animos Gallorum hortamenta, ac promiſſa captarunt, qui aut Hiſpanorum faſtu aſperati, aut ſuarum ditionum anguſtos fines proferendi cupiditate compulſi faciles aures ſolicitantium Gallorum vocibus,

Digitized by Google

bus,ac ſuaſionibus dedidere. Verum hi duo poſtremi,quamuis cupidè oblatas ſpes,ſpecioſaq; Gallorum dicta,hortamentaq; audierint; tamen grauiorum rerum reſpectu Hiſpanicæ potentiæ metu à iungendo cum Gallis fœdere deterriti quieuerunt.Parmēſis acriùs Hiſpanorum clientelam,fidēque indignatus magnarum inani ſpe rerum eius animum inflātibus Gallis, impenſiùs,cupidiùſq; eorum ſœdus amplexus, totū ſe Ludouici obſequijs, ac ſtudijs addixit, tam firma conſtantia, vt etiam ſi extremam ferè perniciem ei fecerit hæc noua ſocietas; tamen vſquead vltima in fide perſtiterit. Stupebant omnes Iuuenem Ducem à via maiorum ſuorum fœliciter calcata veſtigijs decedentem inſueto Farneſię genti ſe Gallis fœdere obſtrinxiſſe: ſpretoque ſui dominatus firmiſſimo Hiſpanorum vicino præſenti patrocinij ſulcimento, longinquo Regi, atque extero adhæſiſſe. Huius mutatæ fidei cauſas typis impreſſis litteris promulgauit: quæ legentibus leues admodum, & futiles viſæ, neque huiuſmodi fuiſſe, vt tot annos fidiſſimè culta ab eius maioribus cum Hiſpanis amicitia contempta, cum Gallis, quibus cum nulla vnquam ratio ei interceſſerat,noua fœdera paciſceretur.Verum mouit ingentis ſpiritus iuuenem Principem,quem malè ſuæ exiguæ ditionis anguſtiæ capiebant, ardēs ſui protendendi latiùs imperij libido:quod aſſequi non poterat, ſeruata erga Hiſpanos fide,eorumq;incolumi Inſubrum dominatu,quem facilè Gallicis armis,vbiq; aſpirante ſortuna,impulſum iri putabat:cum Hiſpana res à ſummo fœlicitatis faſtigio lapſa retro ferri, & Auſtriaca potentia Suecicis armis affligi,Galliq; Regis amplitudo in immenſum prouehi,atq;ad inuidiam cœperit fortunari.Quare ſibi,ſuiſq; rebus ſalutare futurum ratus,ſi vbiq; labante cadentis amici Regis fortuna deſerta, Galli fœlicitatem ſequeretur,impenſiùs etiam,quàm poſcebatur,iuit in fœdus.

Dux Parmenſis Gallorum fœdus amplectitur.

Qua cauſæ Parmēſem Ducem in Gallorum ſocietatem impulerint.

Coniecerant Hiſpani, vt eſt ſagax hominum genus, nutantem Ducis fidem,propenſioremq; in Gallos animum,eumq;vocatæ in dubium eius ſucceſſionis metu,adiectis etiam minis à Gallorum amicitia auellere conabātur:ſed magis eius animū aſperatum penitus alienarūt: cum ſibi duri ſeruitij inijci compedes viderentur; atq; penes Hiſpanos eſſe ſuæ ditionis arbitriū.Quare omninò inuiſum ſibi odioſæ gētis iugum abijcere maturauit. Angebat maximè Hiſpanos eo Principe hoſte à Gallorum partibus ſtante, interceptum Neapolitanis equitum turmis in Inſubres iter: quibus erat per eius Ducis terras tranſeundum,quarum interiectu, ſi ille pergeret Gallis ſtudere,intercisa cum eo Regno cōmercia erāt nō exigua incōmoda rebus Inſubricis allatura.Pedites mari nauib.ad liguſtica vſq;litora aducti, atq;expoſiti per viarum compendia in Inſubres traduci poterant: equites haudquaquam,cum equi,& maris nauſea,& iactatione, pabuliq; inopia, & ſtabulorum pedore confecti nonniſi ſtrigoſiores, & ſemineces afferrentur: & ſi Gallicum bellum ingrueret,accerſenda erant Neapoli equitum, peditumq; ſubſidia, quæ Mediolanenſem dominatum militum paucitate laborantem contra potentiſſimum hoſtem firmarent.

Hiſpani Parmēſem Ducem metu à Gallorum ſocietate abducere conantur.

Parmenſis Ducis opportuna Hiſpanis ſocietas.

Galli Genuenſes tentant fruſtra in ſuã tranſire ſocietatem.

Tentarunt quoq; Genuenſium animos Galli, ſed irrito conatu, quòd ea Reſpublica, quãuis plura ad publicas, priuataſq; fortunas ſpectantia ab Hiſpana aula detrimenta, retẽtis collybis retuliſſet; tamẽ nihil affecta antiqua erga Regẽ fide, neq; ſocietate labefactata, ſuis ſolidis fundamẽtis innixa minimum ad Gallorum impulſus nutans ab Hiſpano fœdere non receſſit. Magnum Etruriȩ Ducem adire non auſi ab eo ſolicitando abſtinuerunt; quòd nimium in Auſtriorum Principnm, Hiſpanorumque ære totus eſſet, nec verendum vt ille Princeps ſpecioſis magis, ac perículoſis, quàm ſalubribus conſilijs, atq; vtilibus aſsentiret.

Qui Principes Itali Gallis adhæſerint.

Allobrox igitur tantum, Parmenſiſq; Duces ex Italis Principibus à Gallis promiſſionum illecebris irretiti, quamuis ille maximè inuitus, ad bellum acuunt tela, & milites armant. Rex Gallus rupta pace, indictoque Regi Hiſpano bello in Allobrogum finibus conſcripta duo equitum, & ad duodecim peditum millia Crequio ſupremo Duce, in Taurinos deſcendere iubet, vt ſociatis ijs cum Allobrogis, Parmenſiſque Ducum exercitibus copijs, Inſubres ex conuentis, condictiſq; aggrederentur. Tunc dominatus Mediolanẽſis à præſidiarijs militib. parũ inſtructus quod erat peditũ, quod equitum, bellicarumque virium, in Volturena aduerſus Rothomagenſem Ducem bellante, ægrè ſe poterat ab inuadentium hoſtium formidanda potentia tueri. Duci Allobrogi erant duo equitum, & octo peditum millia, Parmenſi vero Duci mille equitum, & ſeptem peditum millia in eam expeditionem conferenda: quæ omnia quinque equitum, & quinque, ac viginti peditum millia in vnum habita cenſebantur. Exercitus ſanè adeò validus, vt ab Hiſpanis, vel militarib. viribus, & bellatorib. firmis ſuſtineri vix poſſet; ne dum eius impetus frangi, ita parum contra hoſtium vim munitis. Crequius exeunte menſe Auguſto in Italiam ſuis copijs adductis, Seſitheque amne ponte iuncto, Villatam cum munimento ibi ab Hiſpanis extructo, primo belli auſu occupauit: ibiq; aliquot dies vacuus Fœderatorũ Principum copias præſtolatus curam Hiſpanis iniecit, quò nam primus eius belli turbo procellam eſſet effuſurus. Nullum tamen dubium erat, quin in vltra Padum terrarum tractum tota vis exercitus hoſtilis incumberet: in quo præter Alexandriam, & Dertonam magni momenti arces, Valentia quoque olim Forum Fuluij Laumello obiacens, nec ſitu quamuis, nec opere munita, tamen ad rerum ſummam, ſi caperetur, profutura hoſtibus videbatur, quòd Erydani litori prætenta interfluente amne eam Inſubrici dominatus partem ab altera ciſpadana diuideret: nec tota, qua procurrunt litora, longitudine, in arctius quàm ibi, eius amnis coeat latitudo, vt ponte committi poſſit. Quare Hiſpano præſidio detenta ambas Inſubricæ ditionis partes eo quaſi nexu iungebat, quæ à Fœderatis erepta, ægerrimè poterant vltra Erydanum ſubſidia tranſmitti, mutuæque opis expertes, quocumque hoſtis ingrueret, erant aggredienti prȩdæ ceſſuræ.

Galli Inſubres aggredi à ſuo Rege iuſſi.

Fœderatorum Principum Vires.

1635 Seſia. Crequius Inſubres inuadit.

Valenza.

Fori Fuluij ad bellum opportunitas.

Eius igitur oppidi, & Hiſpanis, & hoſtibus opportunitas Fœderatorum

arma ad illam expugnandam tractura videbatur, metuebantque Hiſpani, ne nullis vallata munimentis, præter vetuſtate proſciſſos antiqui operis muros, facilè ab hoſtibus caperetur: atque inde quaſi ex arce vltra, citraque amnem, quo bellica ferocitas raperet, agmine infeſto decurrerēt, interclusāq; ſubſidijs eā Mediolanenſis dominatus partem, omni belli clade protererent. Cardinalis itaq; Albernotius Mediolani Produx, ceteriq; Hiſpani miniſtri anxij de inſtantib. curis, deq; Inſubrū ſalute ſoliciti intētiſſimis animis excubabant, quam arcē primū illa imminens belli procella impetitura foret. Cardinalis Infans in Belgium proficiſcens aliquot peditum cohortes ad Inſubrum cuſtodiam reliquerat; quæ in eius prouinciæ à Gallis, & Batauis bello concuſſæ ſubſidium trepidis nuntijs accitę eam ditionem militibus viduarant. Huic virium imbecillitati regentis capitis rei militaris, & bellicæ imperitia, vt Religioſi viri, addita debiliorem Inſubrum propugnationem faciebat: & quamuis Carolus Columna Dux veteranus diuturna in Belgicis bellis exercitatione militaris diſciplinæ apprimè gnarus negotijs bellicis præſideret, nihilominus Demarchus Spinula equitum magiſter, cæterique Duces eius indignabantur imperium. Quamobrem cum, & producis imbellis rei militaris inſcitia, & Ducum diſſidia, & infirmitas virium in dominatus perniciem vna confluerent, in ſummum res erat Inſubrica diſcrimen adducta. Trepidationem augebat dubium ne Dux Rothomagenſis clari nominis, formidandique dux demiſſo è Volturena in Mediolanenſes fines exercitu, aduerſam ditionis partem bello quatiens, eas exiguas vires in alterius tutamentum coactas auerteret, atq; ancipiti, periculoſoque bello Hiſpanos affligeret: vel iunctis cum ceteris Fœderatis viribus, maiorem faceret bellici impetus ictus violentiam. *Hiſpanicarum rerum difficultas.*

Inter hos bellorum irruentium terrores Parmenſis Dux nullis offenſis, nullis hoſtilibus laceſſitus in Inſubrum fines menſe Septembri ineunte, ſeptem peditum millibus, & equitum mille armatus inuectus latè omnia belli clade concutiens incolarum metum fecerat, & fugā. Nondum quartum, & vigeſimum ſuæ ætatis hic Princeps annum exceſſerat, quare iuuenili ardore actus magna vaſto animo complexus in Dertonenſem agrum agmen immiſerat, vt per Alexandrinam traductum Gallicis Crequij copijs adiungeret. Vix Inſubrum fines ingreſſus ad Curionis Pontem duas hoſtium legiones Hiſpanorum alteram, alteram Neapolitanorum duorum millium, & quingentorum peditum numero validas Gaſpare Azeuedio, & Philippo Spinula Chiliarchis offendit. Cum primo agmine præceſſerat Azeuedius, qui non expectato Spinula dimidij diei itinere pone ſequente, cum Parmēſibus conſerit manus, primoque agminum concurſu maioris ſclopi ignea glande caput ictus interijt. Quocirca Hiſpani quamuis diù fortiter reſtitiſſent, maiori tamen hoſtium multitudine obruti, ſolutis ordinibus fugam conſciſcunt. Quo fœliciſſimo primæ initæ pugnæ euentu maiorum rerum ſpem Dux læto animo concipiens totius belli victoriam auſpicatus ardentiori auſu viuidior cœpto itineri inſtitit: ſed longè militum numero

Dux Parmenſis in Inſubres inuehitur.

Ponte Curione.

Parmenſium cum Hiſpanis certamen.

Parmenſium victoria.

Digitized by Google

minor, quos inter eundum frequens fuga, & pugnæ cædes abſtulerat. Non multum interceſſit, cum Crequium ſibi obuiam prodeuntem, vt illi tutum præſtaret iter, nactus ſociatis agminibus cum eo retro regreſſus ſupra Valentiam caſtra poſuit. Crequius in imminente oppido cliuo, Parmenſis Dux in inferiori amnis litore, Demarchus Volleroius cum aliquot Gallicis legionibus in aduerſo ſuperiori conſedit. Circunſepta igitur vndique nulla poterat ſperare ſubſidia, niſi qua nauali ponte Erydanus iungebatur.

Parmenſis Dux Gallis ſe iungit. Galli, Fæderatique ad Valentiam caſtra locant.

Oppidum dextro amnis litori prætexitur, latius in vicini campi planitie procumbit, modicèque in adiacentem collem aſſurgit imbecillis vallatum munimentis, adeò, vt communi tam propugnantium, quàm inuadentium ſenſu non vltra ſex dies latura hoſtium impetum crederetur: nec præſidiarij Duces, Hiſpanique miniſtri è re ſua futurum putabant, in eo parum munito oppido obſtinatiori propugnatione tuendo, in tanta copiarum paucitate ad defendenda cætera neceſſaria, tot pernicioſo conſilio bellatores amittere, qui erant ad maiora ſeruandi. Hæc anceps cogitatio nec aggeres obmoliri, nec firmiori vallo ſepire, nec obijcere parmulas, aut alia educere munimenta, quæ pulſante mœnia hoſte, raptim ſubitario, ſolicitoque opere extrui ſolent, dubios aggredi ſinebat; pendebantque animis attoniti an, ne oppidum amitteretur, propugnantium ſalutem in caſum darent; aut, vt eos ad maiores belli vſus ſaluos, incolumeſque præſtarent, tanti momenti arcis iacturam paterentur. Nullus in ea curabat Dux magnæ apud milites authoritatis; ſed tantum conſuetus præſidij præfectus, cui nullo circum fremente bello, eius fuerat commiſſa cuſtodia. Erat igitur aliquis belli expertus, ſummæque virtutis, & bellicæ peritiæ Dux oppido præficiendus. Demarchus Spinula, in cuius virtutem omnes conieceerant oculos, quamuis voluntarius ſponte ingreſſus, antequam Crequius Villata mouiſſet, quædam circa oppidum munimenta fuerat orſus: repudiato Magiſtri equitum ductu, recuſabat hoc minoris dignitatis munus; quod cæteri quoque Duces auerſabantur, veriti, ne eo parum firmo oppido propugnando, aut bellicæ virtutis exiſtimationem, aut vitam, vel vtrũque ſimul amitterent. Quo circa vtiliùs ducebant eos præſidiarios ad magis neceſſaria ſeruare, quàm oppidum inconſulta prætinacia tuendo, & illud, & milites perdere. Eius enim loci propugnationem omnino deſperabant.

Dubij Hiſpanorum animi de Valentia propugnãda.

Demarcho Spinulæ Valentiæ tuenda cura mandatur.

Præſidij præfectus inter cæteros efficaciùs Valentiam deſerendam his rationibus ſuadebat.

Exigui fortaſſe animi, ac meticuloſi videbor, ſi in tanta militum, qua laboramus, paucitate de Valentia deſerenda, ſeruandaque lectiſſima bellatorum manu ad eius oppidi cuſtodiam excubante ignaui magis, quàm cauti conſilij author fuero; ſed mihi nimium timidi notam, & probrum, vt libet, generoſiores impingant; dummodo quæ Regi noſtro vtilia, Inſubrumque rebus ſalutaria, vobis vero ex noſtro munere obeunda ſuadeam. Hic enim ducum ad hoc conuentus habetur; vt de quibus à ſummo Duce refertur, ſui vnuſquiſque animi

ſenſa

ſenſa prodat, dicatque quid magis expediat; quid fugiendum, amplectendumue ſit, in communi conſulto prudentiori decreto ſanciatur. Non abs re erit ſi in militaribus quoque rebus ſequendum medicorum conſilium exiſtimen, ex quorum arte moderandæ Reipublicæ, perficiendarumque ſalubriter rerum ſimilia præcepta plerumque petuntur. Scitum eſt apud eos, receptumque placitum, cor, & caput præcipua corporis membra, in cætera morbo graſſante, admotis cathaplaſmatis eſſe ſeruanda; ex quibus integris, & ſaluis, in reliquum quoque corpus diffunditur ſalus. Sic qui in medicata potione hauſit virus, niſi valido ſubito amuleto à corde veneni impetus propellatur; citò illius violentia ad fatum abripitur. Clinici quocirca protinus imbuti veneno Mithridatico, ac theriaca præcordia firmant; medicamentis obuallant; vt etiam ſi cætera infecta toxico membra langueſcant, incolumi corde, atque immuni ſeruato, ex eius ſalua poſtea ſede in cætera corporis effluat ſalus. Serpentium quoque natiua prudentia bacillo cędenti, reliquum aſpernati corpus caput abſcondunt, vt eo à verberum incuſſu integro præſtito, contuſa paulatim reliqua priſtinæ ſanitati reſtituant. Sed quid trita Medicorum, & anguium ad perſuadendum exempla adſciſco? à noſtra ipſorum conſuetudine, & more, quid ſit in hac re faciendum, diſcamus. Cum prodimus in pugnam caput caſſide tantum, & thorace pectus armamus, (cathaphracti ſiquidem equites ferè in hac recenti bellandi ratione penitus exoleuerunt) cętera inermes, vt ijs ſaluis animæ ſedibus, viui pugna reliqui curaturi vulnera corporis excedamus; ſatiſque noſtræ ſaluti conſultum arbitramur, ſi eas partes tantum armis tecti, cæteris vulneribus obnoxijs, manus cum hoſte feramus. Quorſum hæc aggeris ſimilia, & medicorum, ſerpentum, militum mores nobis obtrudis? Iſta enim verò ſubieci, vt in ipſum Inſubrici imperij caput, præcordiaque huius noſtri exercitus viribus adductis, præcipua huius dominatus membra, relictis cæteris tueamur: quibus ſaluis ambigendum non eſt, quin hoſtium effuſo in viliora impetu, & crebris effugijs eorum copijs imminutis, aut militiæ laboribus, & incommodis abſumptis, nullo negotio amiſſa iterum recipiamus. Ternis, ijſque potentibus copijs inuadimur: Galli ferox militum genus, Taurini bellorum diuturnitate bellaces: Parmenſes tyrones ſanè cum tyrone Duce, ſed veteranis immiſti eorum eruditi peritia bellica diſciplina non omninò ſpernendi, nos ſociatis vna viribus aggrediuntur, primoq; belli fulmine Valentiam inceſſunt. Nobis non eæ copiarum ſuppetunt vires, vt hoſtilis exercitus fronti obequitare, aut in campis oberrare poſſimus. Quid igitur faciendum cenſetis? an obſeſſæ vrbi caſtrorum munimentis vndiq; ſeptæ, validis oppidum impetentibus copijs, ſubſidium proruto hoſtili vallo feremus? at hoc fieri non poterit niſi in vniuerſæ pugnæ diſcrimen tantulum exercitum immittamus: an oppugnabimus caſtra, obſidenteſque obſidebimus? at hoc tam exiguis viribus audere non periculoſum modo, ſed omninò arbitror pernicioſum: an prope hoſtem eductis aggeribus, fixoque vallo tendemus, vt illum agrorum populationibus, & vicinarũ regionũ incurſibus prohibeamus? tutius hoc eſſet fortaſſe conſilium, niſi tam è propinquo hoſtium frementibus copijs conuerſo in noſtra munimenta ar-

morum

*morum impetu, circunfuſo exercitu, vel nos obſideant, vel oppugnent, in quem
auſum facile noſtrorum paucitas militum, & rei bene gerendæ, debellandique
penitus opportunitas hoſtem forſitan trahet. Maximè igitur perniciosum futu-
rum eſt, ſeu neceſſario præſidio nudatis Inſubribus copiarum florem in oppido
parum valido propugnando diſtineamus, ſeu caſtra caſtris obijciamus, ſeu ho-
ſtibus totis campis perſultantibus oberremus; cum longè diſpares numero ſi-
mus, nec tantulæ copiæ ſint cum prævalido hoſte certaminum periculis com-
mittendæ. Quamobrem ad præcordia tuenda reducendum exercitum, firmio-
reſque imperij arces inſidendas puto, vt licet hoſtis apertis oppidis, agroque po-
tiatur, ſuoq; arbitrio totam regionem populabundus procurrat; ſciat tamen ni-
hil rapta ex pagis, & villis ſpolia in rei ſummam proficere, cum potioribus do-
minatus arcibus excludantur; quibus non expugnatis perinde futurum, ac ſi
nullo comparato exercitu bello Inſubres terruiſſent: cum ex illis in ſubiectas
regiones decurri poſſit ad libitum, atque indigenas iterum ad fidem compelli. Va-
lentiæ ſitus eiuſmodi eſt, vt contra tam validas hoſtis vires propugnari nequa-
quam poſſit. Imminent oppido colles, in quibus libratis tormentis viæ, com-
pita, fora non euerti modo, abradiq; globorum iactibus poſſunt, ſed etiam mœ-
nia, tectaque dirui, omniaque infeſta haberi. Quod ſi hoſtis interiora infra,
ſupraq; oppidum Padi littora, productis in longum aggeribus, occupet; clau-
ſo flumine, nauigationeque intercepta, quis propius accedere, caſtriſq; hoſtem
pellere audebit? Quà obiacent oppido colles, firmis hoſtium ſtationibus, val-
loque caſtris munitis, inſanæ prorſus audaciæ eſſet tentare obſeſſis afferre ſubſi-
dium: à flumine verò, obſidente litora hoſte, tormentiſq; prætereuntia naui-
gia quatiente, omninò arduum: lethaleq; cenſeo, ac deſperati animi oppido ſub-
uenire. Quare auocandum inde præſidium, atq; in maiores vſus ſeruandum,
& tam ſtrenuam bellatorum manum meliori fortunæ incolumem præſtandam
puto: ne inani labore debili loco tuendo, vel continuis dimicationibus abſuma-
tur, vel ab hoſte expugnato oppido obtruncetur. Quanti enim noſtri Regis in-
tererit, ſi hoſtis oppidulo antiquis mœnibus, vetuſtateque fatiſcentibus ſepto po-
tiatur? & validiſſimæ bellatorum manus iactura, tantique eius propugnatio
ſtet? an non magis, vt illud veteranæ virtutis præſidium ad Inſubricum domi-
natum tuendum ſeruetur incolume? Capiant ſuo arbitrio oppidum Fœderati,
inani lætitia eius loci adeptione exultent; eadem facilitate omnia circum infe-
ſta, atque hoſtilia interceptis commeatibus inde decutient. Præter id quòd
eo muniendo, primis belli impreſſionibus, quæ plerunque ſolent eſſe ex integro,
recentique milite validiſſimæ, cæteriſque inijcietur conatibus mora, ac proinde
inuadentium violentia impetus elangueſcet, dilabeturque vſquequaque miles
ex diuturnæ cunctationis tædio. Furant igitur in campis pro ſuo libito hoſtes;
circumiectumque agrum pro ſua prædarum cupidine populentur, in agreſtium
mapalia ſuas iras effundant; dum munitiores dominatus arces teneat, & ſer-
uet Hiſpanus; ſaluum Inſubrum ſtabit imperium. Superiorum temporum euen-
tuum monumenta nos doceant; quid in hac rerum trepidatione faciendum ſit.
Romani, in quibus per omnes numeros ſe virtus explicuit, & cæteræ præter*

belli-

bellicam fortitudinem ad miraculum fulſere virtutes, Gallica barbarie incenſa, ſuiſque ſepulta cineribus vrbe, eliſis imperij, tum primum ſurgentis incunabulis, & crepundijs, vna retenta incolumi à flammis arce Tarpeia, cætera latè occupante Gallo, ex illa rupe tanquam adhuc è viuo capite per exanima imperij membra diffuſo ſpiritu, afflataque vita, Gallis à Furio Camillo internecione deletis, antiquo ſplendori patriam non tam ſtrenuè, quàm fœliciter reddiderunt: ſed in robuſtioris ætatis imperio diligentiùs eorum acta pendamus. An cum Annibal ternis conſularibus copijs acie attritis, Canenſi poſtea clade acciſis ferè omninò Reipublicæ rebus, uiolentiſſimo impetu inuiſum dominatum impelleret: Romanus ſcilicet collectis à tot acceptis cladibus ſuperſtitibus reliquijs, uictori Pœno ferociter inſultanti occurrit, aut apertis in campis hoſti aduerſa fronte ſtat. Collecto quod fortuna reliquum fecerat uirium, in urbe Roma, in ipſa ſuprema imperij arce, ſe munimento uallauit, ut ea ſalua, reliqua tenentibus Pœnis, ſecundiori afflante fortuna amiſſa reciperet. Sed quid nimis antiqua commemoro, afferam recentiora. Carolus Quintus bellicæ ſummitas gloriæ, Solymano Turcarum potentiſſimo Rege obruta innumerabili equitatu Auſtria, ſuperfuſiſque Germaniæ campis immenſis peditum agminibus, omnia belli impetu proculcante, congeſto ex ſuis ditionibus bellatorum flore, contractoq; lectiſſimo exercitu non numero, ſed virtute metuendo, ad ipſam imperij Regiam poſitis caſtris, cætera hoſtis permiſit arbitrio: vt imperij Auguſtali ſeruato, deferueſcente Turcico bello, occupata deinde recuperaret. Verum nobiſcum melius Diuina clementia, fœliciùſque agitur: cum non iiſdem, quibus Romani, & Auſtriaci vrgeamur anguſtijs. Non omnia ad hoſtium libita deſerenda ſuadeo, ſed firmiores, maioriſque momenti arces inſidendas, non in aliquo, ſicuti Valentia, oppido debiliori tuendo ſtrenuum militum agmen nullo operæ pretio perdamus; quòd planè accideret, ſi illud contra hoſtium potentiam propugnandum decerneremus.

Hæc Præfecti oratio in timidiorem ſententiam reliquos Duces proclinaſſet; niſi Demarchus Spinula animoſior retinendam omninò validioribus rationibus inſtitiſſet. Sic enim impauido ore martium ardorem ſpirante effatus eſt.

Non poſſum non valde mirari, quòd in alicuius mentem cadere, nedum ſentire, ſuadereque poſſit; vt nulla habita regiorum ratione exiſtimationis armorum, Valentia ſit hoſtium arbitrio deſerenda, atq; ad dominatus vitalia tuenda exercitus recipiendus. Quæ tandem metuendæ Fœderatorum Principum vires? quòd potentium terribile copiarum robur? quæ formidanda exercitus moles? qui terror, quæ trepidatio præualidi ingruens hoſtis? vt in Inſubrum mediterranea ab hoſtium aſpectu fugere, noſque in munitas arces recipere debeamus? Galli tumultuario magis, quàm accurato delectu ex iuuenculis, quos primogenitorum fratrum prærogatiua auitarum opum exortes patria domo in bellum expellit, in Italicas expeditiones conſcripti nullo nomine præter natiuam ferociam tyrunculi militaris inſcij diſciplinæ metuendi, quibus ſi cohortium ex Gallica nobilitate præfectos, ac proinde magnanimos, generoſoſque

demas,

Digitized by Google

demas, iocularem puerorum, & ludricum exercitum putes, fugax militum genus, qui ſtatim ac Italiæ plaus attingunt: qua cuique ad fugam tutus aditus patet, in diuerſa dilabuntur. Parmenſes verò, qui ne ludrica quidem certamina, aut præliorum ſimulacra, ne dum acies dimicantes viderunt, domeſticis commodis, & vitæ remiſſioris conſuetudine molles, omnis prorſus militaris artis, peritiæque rudes erunt nimirum timendi: nec terribilem claſſici cantum, ne dum concurrentium agminum intuitum ferent. Aliquid diſcriminis à Taurinis militibus formidarē; vt pote diuturnæ militiæ, & bellicis expeditionibus Carolo Emmanuele pugnatiſſimo Duce aſſuetis, niſi Victorij eius filij in arcano Gallorum in Italia profectus auerſantis cautis conſilijs fiderē: cuius per magni intereſt, ne Gallicum in Italia imperium validius, robuſtiuſq; coaleſcat; ne præ ferocis gentis ſuis ceruicibus ſponte iugum imponat. Sed ſint omnes milites veterani, bellicæ gnari diſciplinæ, ſtrenui, impigri, impauidi diſcriminum contemptores; non timeo illum exercitum cui tres æquali ferè poteſtate imperant duces; nam quamuis Allobrogum Principem Galliarum Rex Italico bello ſumma cum poteſtate præfecerit; Crequius tamen ex inſito genti Italorum contemptu, natiuaque arrogantia de ſe ſublimia ſentiente, indignanteque aliorum imperium, omnia Ducis Allobrogis conſilia, iuſſa, decretaque improbabit, ſuaque, non aliena deſtinata perficiet. Tendent omnes ſeorſim à ſocijs, terna erunt caſtra, ex quo gliſcens æmulatio; qua peſte nihil belli validius optimè conſtituta corrumpens ſepè maximas victorias interuertit: omnia eorum conſilia, niſus, decretaque in irritum ruet. Vidimus paulò ante præualidi Gallorum, atque Allobrogum exercitus Carolo Emmanuele, Digueraque Ducibus, impetus intra Apennini ſaltus, & cautes euanidos languiſſe: quòd illis copijs pari authoritate imperantibus, altero alterius damnante conſilia, nec vnquam in vnam conuenientibus ſententiam, Genuenſibus maximè ſalutare, eorum præpotentium armorum ſeruitium illi Reipublicæ minitantium profectus vna Ducum diſcordiæ, altercatioq; diſcuſſit. Nullus bonus, & fœlix exitus ab ijs copijs ſperandus eſt; quibus æmuli, diuerſæque gentis imperant Duces, ſuam vnoquoque vt potiorem, melioremque aſſerente. Sicut vna Diuina mens omnia moderatur, & regit, & corpori ſolus animus dominatur; ita exercitus vno duntaxat ſunt duce regendi; cuius mente omnia ſolicitè permeante, in vna conſilia, decretaque animantur: diuerſa imperia milites non admittunt, niſi cum totius expeditionis ruina. Nihil de Parmenſi Duce ſubtexo, qui faciliori ingenio fortaſſe ad aliorum ſenſum, conſiliumq; flectetur. Verum demus hoc etiam fœlici hoſtium fortunæ, vt in vnam conueniant, conſpirentque ſententiam, nunquam à ſe inuicem diffideant, quæ Regiorum foret armorum labes, quòd dedecus, notaq; regentium? quæ Inſubrum incolarum querelæ, ſi hoſtis totis campis populabundo agmine procurrente, pulſanteque bello oppida dominatus, nos veluti pauidi lepores, fugaceſq; damæ hoſtili inſolentiæ, rapacitati, ſæuitiæ permiſſa regione, intra nos arces, caſtellaq; conderemus? ſtrenui, nos amaro cauillo præſtringent, videlicet milites, forteſque Duces Inſubres ab hoſte tuentur: nobis quippe contra Gallorum impetus ſe pro vallo prætendunt.

Digitized by Google

tendunt. Solum ad hoſtilis exercitus aduentantis fragores, timidi latibula quærunt; intra arcium propugnacula fugiunt, neque ingruentis aſpectum ſuſtinent hoſtis, ne dum cum illo collato pede audent dimicare. Ad quid illos toto belli tempore alimus, noſtriſq; impendijs ſuſtentamus? paſcimus in hybernis, ferimus in ſtatiuis, acerbis quotidie in militum ſtipendia penſionibus exhaurimur, cruciamur angimur, niſi vt à populationibus agrum, noſtra tecta ab incendijs, fortunaſque à prædonum rapacitate, vxorumque pudorem à probro, iniuriaq; defendant? His noſtris vero militibus nulli ſunt curæ vectigalium res, nihil de noſtra veluti exterorum ſalute laborant. Cedo tu, qui Valentiam deſerendam, atq; intra munitas arces hunc qualemcunque exercitum recipiendum ſuades: ſi indigenas ſupplices tendentes manus, tuumque debitum ſibi miſerabili ploratu precantes auxilium videres, ſi flebiles obteſtantium Deûm, hominumq; fidem, ſuum officium ex militaris ſacramenti debito exigentium voces audires; ſuſtineresne optime de noſtro Rege, de nobis omnibus meritos, pro quibus tuendis hos cingimus enſes, armaque induimus, hoſtili ſæuitiæ, iniuriæ, violentiæ, rapacitati ignauè, turpiterque deſerere? Næ tu author copiarum in tutum receptus tantæ inclementiæ, diritatiſque eſſes, vt tui immemor muneris ſupplicum miſerorum preces negligeres; commiſſamq; noſtris armis vectigalium ſalute n, incolumitatemq; contemneres. Militare igitur, quo aſtringimur, ſacramentum, noſtrum munus, regiorumq; decus, atq; exiſtimatio armorum poſtulat; vt aduerſa ſemper hoſti fronte gradientes illum populatione agrorum, vaſtatione villarum, rapinis, incendijs totis conatibus prohibeamus; vel in aliquod Inſubrici dominatus oppidum irruentem, obſeſſis omnibus vijs interclusum commeatibus infeſtemus, difficilemq; omninò, atq; arduam illius oppugnationem faciamus. Age, hoſtis arbitrio relinque Valentiam, agrum prædantium militum auaritiæ permitte: quantos ex noſtra inertia, trepidoque receptu animos ſumet? in quantam conſurget arrogantiam? quantum verò incolarum, ac militum deijcientur? Num propterea vni oppidulo hoſtis cupiditas acquieſcet? qui iam omnia cupiditate vorauit; ibi deſes, ſegniſq; ceſſabit? an ex noſtro pauore in fœlicioris ſpem profectus erectus nobis maius molietur exitium? Si namus ibi primos Fœderatorum Principum impetus frangi, detonareque primas huius turbinis iras; ad durum profectò armorum ictus elident; tales enim aduerſarios offendent; vt quamuis oppidum antiqui operis mœnibus parum munitum inuadentium impreſſiones ſuſtinere non poſſet; ita impigri, prompti, ſtrenuiq; bellatores illud propugnant; vt nihil ſit de eo ſeruando timendum. Inuicta pectorum robora, impauidi animi, veterana militum virtus, præſidij ferrea ſunt quibuſcunque propugnaculis, mœnibuſq; firmiora. Noſtrorum vicinia caſtrorum, armorumque conſpectus præſidiarijs animos faciet, vt ſuæ creditum fidei, uirtutique oppidum tueantur. Sed potentiùs bellicæ cupido laudis, militariſque exiſtimationis retinendæ deſiderium, omnium de eorum uirtute expectationis ſtimulus animos ad qualibet audenda glorioſa facinora inflammabit. Quòd ſi nullum alium fructum ex Valentiæ generoſa cuſtodia haberemus; hunc uberrimum nos percepiſſe exiſtimarem, hoſti-

bus

Digitized by Google

bus demonſtraſſe nobis, neque ad debile, parumque firmum oppidum contra prævalidi exercitus impetus defendendum animum non defuiſſe, maiorem, audacioremque ad cętera munitiora tuenda futurum. Quod ſi fortuna daret, ſicuti ex ducum in eo curantium, præſidijque uirtute mihi proculdubio polliceor, ut hoſtis ſæpiùs è mœnibus pulſus, cladibus fractus, aduerſis pugnis attritus, re infecta cępto abire cogeretur, nonnè prorſus eſſet debellatum? Sanè de cęteris munitionibus obtinendis omni ſpe penitus caderet, cum debile, parumque firmum primo virium flore, integro exercitu, militum ferocia nullis adhuc cladibus fracta, primis tentamentis, quæ ſolent eſſe audaciſſima, non potuerint expugnare. Qibus ſi belli initia noſtra ignauia fœliciter verterent; quantam maiorum progreſſuum ſpem vaſtis conciperent animis? in quantos elati exardeſcerent auſus? Quare optimum conſiliorum exiſtimo in Valentia tuenda primos hoſtium conatus, atq; impetus remorari, ſi non prorſus res eorum atterrere; vt temporis beneficio, quod cum in cæteris negotijs, tum præcipuè in bellicis rebus apprimè imbecillioribus opportunum vel tanti Fœderatorum exercitus robur elidat, uel ad noſtri diſcriminis famam accurrentibus undique ex uectigalibus prouincijs equitum, peditumque ſubſidijs, uiribus auctiores hoſtem totis Inſubribus decutiamus.

Dum ſolicitis, & dubijs hærent animis Hiſpani Duces, quid Inſubrum rebus ſalubrius potiſſimum conſilium amplectendum foret: affertur Crequium præterita Valentia Alexandriam verſus, Dertonamq; ducere: illi rati cum alteram earum vrbium aggredi properare: Spinula cum paucis militibus aduolat Alexandriam, in qua ſupremus Dux Columna cum vniuerſo agmine conſtiterat in hoſtium conſilia intentus, quo nam illa belli tempeſtas ingrueret. Verum animaduerſo, Crequium cum Parmæ Duce Valentiam iter intendere; eò cum ipſo Columna feſtinus accurrit: ibiq; eximium, veteranumque Ducem præter expectationem oppido præſidere mirantur. Erat ille Demarchus Celada Hiſpanus eques ſummo loco natus; qui aliquot ante dies ab Hiſpania in Italiam aduenerat, & cæterorum metus Ducum petiti oppidi propugnationem cum maximo Hiſpanici nominis dedecore horrentium impatiens; ſuam operam in eo tuendo Cardinali Albernotio Produci forti animo obtulit, ſuam ſalutem, fortunaſque omnes pro publica dignitate, Hiſpanæq; gentis decore ſui Regis obſequijs ſe dicaturum pollicitus. Hic iuſſus erat à Rege exercitus equitum magiſter in Tribocibus regijs ſtipendiis, pecuniaq; conſcribendi; qui à Fœderatorum armis Inſubres tueretur.

Crequius Alexādriā mouet.

Demarchus Celada Foro Fului præſidet.

Alſatia.

Celadæ generoſi ſpiritus magnanimitas præclaro, ſingularique bellicæ virtutis, ac ſtrenuitatis exemplo vigorem in omnes iam animos deſpondentes, timidoſq; diffudit: eiuſque egregiæ virtutis æmulatione pectorum ſopita bellatorum fortitudo recanduit: ac ſuam ignauiam pertæſi Celadā animoſo gradu præeuntem ad gloriam præſentibus animis ſequi conſtituunt. Columna, & Spinula milites, commeatus, tormenta in oppidum eorumque ſarta adduxerant. Strenuè igitur concordibus animis omnes

Celadæ exēplo cæteri Duces animantur.

Digitized by Google

nes cepta abſoluere munimenta, noua adijcere, ſarcire diruta mœnia, ante vallum fodere ſcrobes, quas caponum caueas vocant, ridiculum ſanè recentium militarium operum inuentum, ſed vtile, ſed hoſtibus pernicioſum, expedireq; omnia validæ propugnationi neceſſaria. Perducta erat exteriùs circum mœnia craſſa, & firma lorica, cuius prominentia in latera octo propugnacula æquali interuallo à ſe inuicem diſtantia interiecta ſpatia tormentorum miſſilibus abradebant: quo militaris induſtriæ opere ſperabant ſe diù hoſtes quam poſſent longiſſimè ſummoturos. Non obſtitit Crequius extruentibus munimentum ſegni incuria torpens: quare per otium perfectum validis militum ſtationibus, cuſtodijſque munitum potuit hoſtium aſſultus, impreſſioneſq; repellere. Depreſſæ quoque ante vallum ſcrobes ad prohibendum acceſſu hoſtem: milites enim ibi latentes rem gerunt maioribus ſclopis, ſubeuntemq; hoſtem inceſſunt; eæque, priuſquam vallum aggrediantur, ab oppugnantibus excuſſo inde præſidio, capiendæ, in quas cum facilis, & expeditus ſit ſubſidijs aditus per opertam à vallo à tergo erecto per ductam viam nonniſi cum multa hoſtium cæde expugnantur: captæque nullo negotio deiecto inde tormentorum iaculationibus, & ſcloporum miſſilibus hoſte recipiuntur: nam cum propugnātium ictibus pateant, æquè pernicioſus eſt adeuntium hoſtium acceſſus, receſſuſq; cruentus. Quare cum in his caueis occupandis diù diſtineatur, fatigeturq; hoſtis, munimentum interim, quod oppidum tuetur ab eius impreſſione ſeruatur.

Valentia munitur.

Crequij negligentia.

Varia Hiſpani munimenta moliuntur.

Nec tantum in moliendis aggeribus, & loricis à propugnatoribus inſudatum eſt; ſed etiam in laſſando eruptionibus hoſte laboratum. Nam cum ab exploratoribus nuntiatum eſſet, nondum Parmenſis Ducis caſtrorum munimenta ad iuſtam altitudinem eſse perducta, eiuſq; agmen multorum fuga debilitatum aggredientium iniurijs obnoxium poſse facilè fundi, ſi ante lucem, cū grauior, & gratior cuſtodias obruit ſopor, inuaderetur. Ducem adoriri conſtituunt, vt illius primo armorum conatu contunderent audaciam, atque iniuriam iniquè illati innoxio Regi belli egregiè vlciſcerentur. Verum ingentibus animorum auſis, & vindictæ cupiditati eruptionis non reſpondit euentus. Nam ex oppido candicante aurora in Parmenſes egreſſi cum militum, & bellicæ exiſtimationis iactura intra mœnia à Ricciardo Auogadro Brixienſi comite inſigni virtute compulſi didicerunt; multa, quæ intra tabernacula facilia animo cupido gloriæ metimur, pronaque mente concipimus, plerunque ſperato ſucceſsu fruſtrari. Ille ſummus Parmenſis equitatus præfectus è Martis Belgici diſciplina veteranus miles bellicæ rei experientia conſpicuus, dum cæteris dormientibus excubans ſtationes militum circumiret, erumpentes Hiſpanos aduertit: excitatis ſubito vocis claſſico socijs in arma, exermis conſcenſo vt erat, equo cum quatuordecim duntaxat equitibus, quos expeditos, & promptos inuenerat, in hoſtes concitato equo in velitum turmam, quæ cæteros præuerterat, acri impetu inuectus poſt leue certamen in fugam auertit,

Hiſpani ſæpius in hoſtes erumpunt.

Ricciardus Auogadrus Hiſpanos cū cæde repellit.

tit, diſtinendoq; pugna hoſtem armandi ſui, ſiſtendiq; in munimentis ſpacium ſocijs militibus dedit. Qua re animaduerſa Hiſpani intra mœnia trepidi, confuſique refugerunt, amiſſis aliquot ex promptioribus, inter quos Ioannes Clauarus Cardinalis Albernotij cariſſimus nepos, cuius necem Ricciardi indigna tanto cædes bellatore penſauit. Siquidem poſt velites in fugam coniectos, fœlici ſucceſſu animoſior, & lætior vlterius in aliquot loricatos equites impetu rapitur, maiorisque ſclopi ignea glande traiectus cum acerbiſſimo totius exercitus, dolore ex equo defluxit exanimis. Parmæ vero Dux huius præfecti interitum ægerrimè tulit, quòd eius bellicæ virtuti, ferociæ, experientiæ, vigilantiæ plurimum tribuebat: cuius audaci virtute imminentem cladem effugerat: ne totum eius agmen improuiſo Hiſpanorum impetu cederetur.

Ricciardi Auogadri cædes.

Oppido circum exterioribus munimentis vallato, reſictoq; ad eius cuſtodiam quique ſtrenuorum militum millium præſidio, Columna cũ octingentis dũtaxat equitibus Carnos vicum vltra Padum in Laumelli tractu ſex paſſuum millia à Valentia remotos ſeceſſit; vt ibi alia bellatorum agmina raptim authorata colligeret, & commeatus in obſeſſum oppidum inferendos, aliaque bellica ab hoſtium excurſibus tueretur, & ne pontem, per quem traducebantur ſubſidia, cum magno obſeſſorum incommodo hoſtes eriperent, aut ſolutis nauium vinculis, quibus nectebatur, diſijcerent.

Pieue del Cairo.

Præter Spinulam alij veterani Duces ſummæ virtutis, & Hiſpanici exercitus flos in oppidi præſidio perſtiterant, quorum efficaci, peritaque induſtria, & munimentorum firmitate, & Columnę vicino ſubſidio iam parum erat hoſtis propugnatoribus metuendus. Augebat fiduciam, ſeruandiq; oppidi ſpem oppugnantium ſegnities, & ſupina incuria remiſsè omnia, & inerter agentium. Hæc Gallorum importuna tarditas, & mora Parmenſi Duci feruidi, ſolicitique ſpiritus expeditionem feſtino, fœliciq; exitu abſoluere peroptanti victoriam interuertere, & temporis, exiſtimationiſque, ac bellici decoris iactura videbatur: fremebatq; animo, quòd ea pernicioſa cunctatione obſeſſis muniendi ſe firmius, difficilioriſq; faciendæ oppugnationis, & dubiæ victoriæ tempus daretur. Aſſiduis igitur ſtimulis Crequium vrgebat; vt tandem aliquando caſtrorum aggeres, ac munimenta ordiretur; quateretque mœnia tormentis, atq; acri oppugnatione obſeſſis inſtaret. Ille vero ſolita ſegnitie ceſſans quaſi quodam fatali torpore, veternoque obrutus, omnia negligere, neque conſilia, neque arma expedire, nec qua oppugnationem inciperet ſatis ſcire: venandis feris magis, quàm bellicis negotijs intentus. Duodecim dies duntaxat inſidiando feris, ſylueſtribuſque animantibus inſtando curſu, alijſque ruſticalibus per otium oblectamentis ſefellit. Stupebant ipſi obſeſſi incurioſi viri ſocordiam, indagantemq; per ſaltus feras, & pernici equo volantem è mœnibus mirabantur. Suam purgabat ignauiam tardo in caſtra Allobrogis Ducis aduentu: quo abſente aiebat ſe nolle oppugnationem ordiri; ipſum veluti copiarum imperatorem, cuius auſpicijs omnia gerenda erant, quem rerum ſumma

Præſidiariorum virtus, & ferocia.

Obſidentiũ negligentia

Crequius venationib. tẽpus terit.

Allobrogis Ducis tardum in caſtra aduētũ cauſatur.

ſummâ reſpiceret, prius expectandum eſſe, antequam inciperet oppugnatio. Tāta erat Crequij negligētia, & ſocors in armis torpor, vt hoſtibus iuxta, ac ſocijs ſummæ admirationi eſſet; & cū huius incuriæ cauſam cōiectare non poſſent; in Hiſpanicum aurum culpam reijciebant; quo Mariſcallus, (vt venalia plerunq; putātur eſſe Gallorum ingenia,) corruptus tam turpi otio ab oppugnatione ceſſaret: quaſi in tanto rerum turbine non potis fuiſſet Hiſpanos hoſtilium armorum impetum alia ratione, quàm auri oppoſitu frangere. Cuius rei ſuſpicio ita Parmenſis Ducis animum acerbè pupugit, vt nimia indignatione, ac rabie actus digitos identidem, ac labia morderet; nec conuitijs in Mariſcallum, minisq; temperaret. *Parmenſis Ducis in Crequium ira.*

Paucis poſt diebus tandem Allobrogis Ducis copiæ ad quinq; bellatorū millia adnumeratis equitibus in caſtra venerunt, Demarcho Villa ſupremo Duce: mox ipſe Dux Allobrox cum ſplendido comitatu aduenit. Nec mora coactis in prætorium copiarum Ducibus, de expugnandi oppidi ratione conſulitur. Vbi tres dies alijs alia ſuadentibus varijs ſententijs diſceptatū eſt: vtilioribus conſilijs, & mādatis opportunioribus expeditis, Dux Allobrox præfecto ſuis copijs Villa, Vercellas redijt. Eius agmē in Laumelli terris parum ſupra Valentiam caſtra locauit in fluminis litore: vbi circūfluens efficit inſulam, qua duplici ab vtroq; latere ponte telluri commiſſa, vtraq; amnis litora, & Taurinenſium, Gallorumq; vltra Padum tendentium ſtationes mutuo commercio, ac conſuetudine iungebantur. *Fœderatorū Principum de adminiſtrando bello cōſilium.*

Dux Parmenſis de ſua exiſtimatione, ſuorumq; ſalute ſolicitus militum ſubſidia flagitabat à Crequio; quòd plurimis è ſua ſtatione fuga dilapſis, ferè deſertus vereretur ne obſeſſi iterata eruptione ſe rurſus inuaderent, & vix aliquot peditum cohortes expreſſit. Venerat ille in arma mille equitum legione, & ſeptem millibus peditum armatus: ad ducentos equites tantum, & tria peditum millia numerus breui redierat. Demarchus Villa vbi circum erectis ſe ſepſit aggeribus, hoc ſibi animo propoſuerat, vt oppidum omnibus ſubſidijs intercluderet: quo vltra flumen Gallicorum, Parmenſiumq; caſtrorum vallatū munimentis; & citra ſui agminis obiectu ab Inſubribus interſeptū, clauſumq; vndiq; faceret deditionem. Verum omninò commeatibus, & auxilijs prohiberi non poterat; niſi ponte, per quem ea tranſmittebantur, prius potiretur; aut deprimeret, ſolutiſq; nauibus, abrumperet. Nocte igitur aliquot peditum cohortes iuſſit propugnaculum aggredi, quo pontis caput defenſum claudebatur: aliaſq; vna ſubmiſit, quæ ſocijs oppugnantibus munimentū, faces nauibus inijcerent. Subeunt illi audacter propugnaculū, ſed ante erat parmula obtinēda, qua à fronte propugnaculū tegebatur. Poſt diuturnū, cruētūq; certamē, eā exactis preſidiarijs, adepti, eodē impetu ad propugnaculū ferūtur, ſpe ducti ſe illo facile potituros, ſi pōte flāmis exuſto oppidanorū ſubſidia arcerētur. Verū Hiſpani animaduerſo ſociorū pugnātiū diſcrimine, erūpētes nō ſolū extinctis flāmis tutati ſūt pōtē, ſed ēt hoſtib. deturbatis, parmulā receperūt. Taurinis cū cęde in ſua munimenta reiectis. Sed quod obſidentium labor pugando aſſequi *Quibus viribus Dux Parmenſis in arma prodierit.* *Allobroges pontis præſidium inuadunt.* *Hiſpani in hoſtes erumpunt.*

Digitized by Google

non potuit: ſequenti nocte imbribus cęlo ruentibus intumeſcentis fluminis impetus laceratis nauium compagibus, diffracto ponte, vndarum pulſibus obtinuit. Quo conſpecto Villa validiores peditum cohortes maiori ferocia propugnaculū interfluēte amne oppidi ſubſidijs deſertum rurſus aggredi iubet: qui etſi tormentorum miſſilibus ab oppido fulminantibus diù cum ſtrage ſummoti, prohibitiq; ſunt ſuccedere munimento: tamē animorum ardore, & corporum impetu toto cōnixi in propugnaculum inſilière: ſed tam diù perpetuis iaculationibus ſaltem diſtenti ſunt, donec præſidium conſcenſis nauigijs litori hęrentibus in tutum euaderet. Ducentos tamē varius caſus abſumpſit: quidam Padi fluctibus obruti, in quē trepidi ab hoſtiū enſibus fugiētes ſe præcipites dederant; reliqui duab. cęlocibus vecti, quarū altera aquarū impetu abrepta inferiùs amicū tenuit litus, altera in diuerſa vorticibus amnis abſtracta Parmenſiū caſtrorū in litore ſurgentiū appulit munimentis: è quibus in miſeros ſcloporū miſſilia protinus grandinarunt; verū ſubita deditione facta, omnes captiui intra munimenta abducti fuere.

Fœderati pontis propugnaculo potiuntur.

Hoc inſęlici & amiſſi propugnaculi, & præſidij cædis, diſiecti q; pontis euentu grauis cura Columnæ, & reliquis Ducibus Hiſpanis inceſſit: quòd exiguo, inualidoq; agmine ibi citra cladis periculum ampliùs morari non poſſent. Columna itaq; accitos in conſilium Duces rogat cuiuſq; ſententiā: an in tanta militum paucitate tam hoſte propinquo, ibi durandum foret. Maior, peritiorum Ducum pars ſenſit omninò inde eſſe recedendum, eoſq; milites maioribus rebus ſeruandos incolumes; quòd ſciſſo pōte, intercepta ſubſidijs via, obſeſſis ampliùs ſubueniri non poſſet: nihil eſſe cauſæ, cur in ea ſtatione diutius cum tanto periculo perſiſtendum eſſet; ne à Villa ſolerti, ſagaciq; duce animaduerſa eius agminis imbecillitate, ad illud delendum properaret. Erat eiuſdem ſententiæ Columna, qui idcirco peritos Duces emiſerat, vt tutiora eius tractus loca ad ſecuram militum ſtationem exquirerent. Sed animoſum Federici Imperialis Demarchi Auriæ filij conſilium ab eo turpi receptu iam vaſa expedientes Duces auertit. *Inſtabat ille ibi eſſe ſtatiua firmanda, ne formidinis, ſuæq, imbecillitatis inditium hoſtibus facerent, & ne eo receſſu ſubſidiorum ſpem obſeſſis eriperent: neque verendum eſſe ne Villa dux æquè cautus, & prudens, vt fortis, & ſtrenuus arcendis ſuppetijs intentus ſuis munimentis, atq; obſidione relictis conuerſo in hoſticum interius agmine alicuius cladis locorum ignarus pericula quæreret. Eam ſtationem poſſe circumducto vallo, aggereq; excitato muniri: propediem alia militum agmina iam in Inſubribus conſcripta eo ventura, non diù ſociorum aduentum dilatum iri, iam in expedito eſſe, itineriq; ineundo paratos: quarum virium incremento aucto animis, ac robore agmine, hoſtium impreſſionum formidinem ceſſaturam*. Hoc militaris audaciæ, fiduciæq; plenum Federici conſilium fœlix, ac ſalubre fuiſſe probauit euentus: nam eodem die veſpere appetente, Inſubrum legionē huius belli initio multa ſolicitudine à Cardinali Triultio proprio ære conſcriptam ſui filij principis nomine Comes Carolus Marlianus in caſtra deduxit. Erat illa ex Ducis Parmenſis trāsfugis penè tota conflata,

Columna cogitat, & cō ſulit de receptu.

Federici Imperialis animoſum conſilium.

Auxilia in Hiſpanica caſtra perueniunt.

Digitized by Google

ſtata, qui pinguioribus ſtipendijs illecti Hiſpanis nomina dederant, oppor-
tunam ſanè afflictis rebus,ac ferè perditis auxiliũ,quòd non ſolum Parmē-
ſis Ducis iuueniliter ferocientis, exultantiſq; vires eneruarit, ſed etiam lan-
guentem,ac debilē Hiſpanũ exercitum roborarit. Munito enim ex maiori,
melioriq; copiarum parte obſeſſo oppido; malè Columna cũ reliquijs im-
becillis ſine manifeſtę cladis diſcrimine aduerſus hoſtes conſiſtere poterat.
Huius verò legionis acceſſu non ſolum obſeſſos præſentia animare, cōſpe-
ctumq; hoſtium nihil timere, ſed etiam eorum in agros excurſus, regionis
populationes,vaſtationeſq; locorum, ac populationes potuit prohibere.

Alia militum auxilia Hiſpanorum vires firmant.

Paulò poſt etiam Martinus Aragonius cum aliquot ſuę legionis cohorti-
bus,mox Neapoli duæ miſſæ legiones à Prorege Monteregio vbi Inſubricũ
illi bellum innotuit, ſubito,accuratoq; delectu conſcriptæ Carolo Gatta, &
Lucca Boccapianola Chiliarchis in caſtra venerunt: quarũ virium adiectu
quamuis firmatus exercitus ſine vllo hoſtium metu poterat totis campis
volitare; non tamen laboranti arci ſubuenire flumine nullo ponte conſtra-
to interiecto ſeiunctæ,& circum hoſtilium caſtrorum validis munimētis vn-
diq; clauſę. Iam librata opportunis locis aptè tormenta horribili globorum
incuſſa procella mœnia quaſſabant;qua reſidente,ſtipatæ cohortes inclina-
tis haſtis,obtentiſq;clypeis mœnium ruinas audaci gradu ſubibant: quāuis
adhuc arduas difficile in eas,& niſi multa cum cęde aggredientes eniti poſ-
ſent. Tormentarij tumuli opportunis in locis erecti. Alius ad Patrũ Capuc-
cinorum cęnobium in collis accliue ab oppidi tergo ſurgēte, vnde patet in
publicas vias, & fora proſpectus: vbi collineata tormenta modicè à muro
diſtantia violentioribus ictibus mœnia pulſabant: alij in inferioribus locis
educti,ex quibus oppidi munimenta aſſiduis miſſilium tormentorum iacu-
lationibus quatiebātur. Sed quamuis inceſſante,horribiliq;procella tormē-
ta tonarent;irrita tamen plerunq; tela,atq;innoxia cadebant,quòd librato-
rum inſcitia non eundem in locum collimaret:ſed vaga muros iaculatione
feriret:ipſis mirantibus præſidiarijs,hoſtiumq;illudentibus imperitię,quod
tanta fulminũ frequentia nihil ferè mœnia proſcinderent:ſed aera inanibus
tonitruis verberarent. In ędium,tectorum,imbricumq; ruinam muralium
tormentorũ cōuerſa tēpeſtas. Verum aut libratorum inſcitia, aut culpa, vel
planiformarũ prȩfectorũ incuria ita altè miſſilia tormētis excuſſa volabāt,
vt plerũq;nullo fructu,aut in flumen,aut in aduerſũ litus inciderēt: & ex tā
crebra,furialiq;tormētorũ iaculatione nihil prȩter dirutā,proſtratāq;por-
tā,duarũq;turriũ in ꝓpinquo eminētiũ abraſa,decuſſa faſtigia retulerit, &
iā ꝓpugnatorib.ludibrio eſſet hoſtiliũ tormētorũ procella,vaniq;cōcuſs⁹.

Hoſtes oppidum tormētis concuſsũ aggrediuntur.

Caſtrorum hoſtium poſitio.

Præſidiarij hoſtium inſcitiā ridēt.

Irrita oppugnantiũ tormentorum iaculationes

Dux Parmenſis omnia impatientiſſimè proſpiciebat, & ex ea imperita
bellandi ratione infęlicē illius expeditionis coniectabat euentũ, immo ina-
nia ſua immodica fore vota,deſtinataq;quæ cupido animo cōcepiſſet; & q̄
acrior illũ cura coquebat,ne totus illius belli turbo, quē in Hiſpanorũ exci-
diũ cōcitarat,in ſuarũ ditionũ exitiũ,perniciēq; refluerent. Nulli enim in ijs
caſtris diſciplina militaris curæ erat;nullus belli decoris, exiſtimationiſque

Ducis Parmenſis de infelici eius expeditionis euentu metus.

V 2 reſpectus,

Gallorum caſtris fuga. è reſpectus, imperiorũ iuxta, atq; Ducũ contẽptus, omnis militaris alacritas, & vigor effluxerat. Plurimi eluſis cuſtodijs è caſtris elapſi. Quare Crequius à maiori ſuorum parte deſertus duo peditum millia ex Montisferrati delectibus acciuit in caſtra, vt Gallorum fugam ſupplerent; donec à Gallia militum ſupplementa mitterentur. Dux quoq; Parmenſis etſi capite ſanxerat, ne quis ſuo in iuſſu è ſtatione diſcederet; nihilominus quotidiana plurium fuga ita ſui agminis defecerat numerus; vt ne tertia quidem eorum, quos in arma eduxerat, pars in fide perſtiterit, & cum nullibi milites centuriare, aut aliunde accerſere poſſet; ſolus fremens, ac iras efflans in ſua ſtatione æſtu *Parmenſis Ducis iræ, & curæ.* iactatus animi ſpatiabatur. Diffidebat à Crequio arcana, ac tacita ſimultate, quòd ardens ſolicitudo Ducis, & cura, geniuſq; efficax Crequij tarditati, ſocordiæ, lentoq; ingenio penitus aduerſaretur. Parmenſis accendebat indignationem, & iram Mariſcalli ſuperbus quidam tumor, & faſtus, quo cũ illo ſæpius agebat, veluti penes quem vt Regis legatum omnium copiarum eſſet imperiũ. Dux verò duarum ditionũ Princeps, qui vt Gallorum partes ſequeretur, omnes ſuas fortunas, & res in diſcrimen dederat, & de Gallo Rege ſe optimè meritum ſentiens maiorem q; ſe Crequio ferens, eius ſuperbas agendi rationes ægerrimè ferebat: gliſcebatq; ea acrior indignatio, quod cũ à Gallica gẽte ob ingẽtia ſua in eã merita omnib. honorib. excipiẽd' foret, indigno Principe numero haberetur. Neq; irati impetũ animi adeò poterat cohibere, quĩ idẽtidẽ in acerbas de Mariſcalli inertia, ĩ vrbanitate, ſupbiſq; *Dux Parmenſis queritur de Crequio.* moribus querelas erũperet; & literis Pariſios miſſis ad regiã aulã, Regẽ, ac proceres liberè de præſenti rerũ ſtatu doceret: Crequij ſocordiam, incuriã, inertiamq; incuſans. Hæ mutuæ animorũ auerſiones, inteſtinaq; odia in dies magiś ardebant; quamuis ea nullis argumentis exterioribus aperirent. Viſus eſt aliquantum Parmenſis in ſpeciem iram, indignationemq; remiſiſſe, cuiuſdam Galli Patritij in caſtra aduentu à Cardinali Richelio ad exercitũ miſſi, vt Ducem in fide retineret; & Crequium argueret malè ab eo habiti Ducis, adminiſtratiq; inerter, & imperitè belli; eiuſq; ignanè agendo, expeditionis euerſæ: obteſtareturq; Regis nomine, vt Parmenſem Ducem omnibus obſequijs demeritus dignis Principe honoribus coleret. Quæ cum Crequius à Ducis querelis profecta eſſe intelligeret; adeò non eius durities animi mollita eſt; vt etiam magis in arcana odia indurnerit.

Parmenſis Ducis in Gallico fœdere conſtãtia. Dux tamen Parmẽſis, & ſi ſecum à Gallis non ita, vt putauerat, ageretur, atq; tot offenſis alienus ab ea gente videri poſſit, ardentiaq; illius in Gallos ſtudia refrixiſſe, nihilominus tãtum abfuit, vt aliquod initi ſocialis fœderis, ſuſceptiq; belli pęnitentiæ inditium præbuerit; vt etiam maiori conſtantia *Panolini Pontificij legati ad Ducem Parmẽſem irrita legatio.* infractus animo Gorium Panolinum legati Bononienſis gerentem vices Pontificis nomine ſuadentẽ, obteſtantẽq; vt ab eo Gallico fœdere deſciſcẽs ad ſuas ditiones rediret; neq; Italiæ pacem inconſulta bellandi pertinacia turbaret: ſpretis eius ſalutarib. cõſilijs, repulerit. Quæ Põtificij legati officia Crequius iniquiſſimè ferẽs cum eo de importunis eius officijs acerbiſſimè queſtus eſt, quòd Principes fœderatos à Galli Regis ſocietate diuellere iniuriose

rioſè tentarit. Quare Panolinus nullo ſuæ legationis operæ pretio animo triſtis abſceſſit. Neque Pontifex hoc inani ſuarum ſuaſionum, obteſtationumque ſucceſſu, contemptuque Ducis quicquam excanduit: neque ampliùs inſtitit beneficiarium ducem vltionis minis ab eo Gallico fœdere amouere, quod maximè Hiſpanorum indignantium animorum amaritiem, acerbitatemq; auxit.

Noua quotidie militum ſupplementa è Gallia mittebātur in caſtra: quibus iam iuſto numero firmior exercitus, cum tormentorum mœnibus incuſſa miſſilia vanis ictibus nihil proficerent, cœpit inuadere munimenta, in quibus oppugnandis, capiendiſq; caponum caueis vario euentu mutuaq; cæde pugnatum eſt; verum maiori ſemper aggredientium ſtrage, cum ſubeuntes omni miſſilium genere excepti ferè impunè à propugnatoribus ſternerētur: neq; vnquam prouehi vlterius, quàm ad vnam ſcrobem potuerint, quam cruentiſſima clade adepti mox horridiori cæde, maiorum ſcloporū grandine petiti deſerere compulſi ſunt. Verum cum ſingulis pugnis defenſores quoq; ſuorum aliquos ſemper amitterent, nec nouis militum ſubſidijs cęſorum iacturam ſupplere poſſent; à ſuis ferocibus eruptionibus, vel inuiti ceſſarūt: quibus perſępe hoſtibus clades intulerant. Quocirca ad tuēda duntaxat munimenta vires colligere, induſtriamq; omnē collocare coacti, id ſolicitè agebant, vt quàm diutiſſimè poſſent, obſidium protraherent; donec hyeme ingruente, aſſiduis imbribus diluta tellure præalto cœno ſubſidēte, hoſtis oppugnatione abire cogeretur: omni ſpe prorſus abiecta ſubſidiarium agmen amne interfluente diuiſum poſſe in hoſtium potentiorum oculis opem vltima patienti oppido ferre. Obſeſſi ſanè supernè quaſi impunè ex æquiori loco pugnantes hoſtium munimenta aggredientiū integras cohortes omnium miſſilium iaculationibus lancinabāt: ex ipſis tamen non pauci, & gregarij milites, & cohortiū Duces ab hoſtibus cædebantur. Nihil verò ſūmæ rerū intererat, ob frequētia militū ſupplemēta, quæ è Gallia in caſtra ferè quotidie mittebantur: rumorq; percrebuerat ad decē ſtrenuorū militū legiones in Italiā magnis itinerib. feſtinare. Quamobrē ſi diuturniori obſidione premerētur, nō potis fore amplius hoſtiū validis impreſſionibus obniti. Iā plura ad oppidi tutamētū, & bellicos vſus, propugnātiūq; vitā ſuſtētādā neceſſaria defecerāt: pecunia, oleū, ſal, ſcloporū funes, & poſtremo, quod magis vrgebat, molita frumēta cōſūpta, cū hoſtilia tormēta aſſiduis pulſibus exteriora molēdina diſrupta depreſſiſſent, quę farinā obſeſſis toto eius obſidionis interuallo ſuffecerāt: & cū duę tātū in oppido eſsēt truſatiles molæ, quæ fruges obtererent, malè omnium neceſſitati poterat ſubueniri.

Galli munimenta inuadunt.

Obſeſſorum de trahenda oppugnatione cōſilium.

Præſidiariorum virtus & ferocia.

Tuendi igitur amplius oppidi ſpes quotidie magis extenuata languebat non in præſidiarijs tantū, ſed etiā, in ijs, qui ingenti cura, ac ſolicitudine de ſeruando oppido anxij periclitanti ſuccurrere ſatagebant: cū vndiq; validis hoſtiliū caſtrorū munimētis obſepto difficillimū foret: ſi nō omninò proiectæ temeritatis ferre ſuppetias. A Laumelli tractu diſiecto pōte erat ferēdi ſubſidij ſpes omnis adēpta. Ab aduerſa vltra flumē parte aditū ad obſeſſos

tentare erat prorſus deſperati conatus, perniciosiq; conſilij cũ nõ tãtũ mõtis, cuius in imo oppidum explicatur, decliuia, ſed etiam collis ad latera ſurgens, campi, planities, litora firmis aggeribus exteram vim munita repellerent: Parmenſiſq; Ducis caſtra tandem à Crequio aliquot peditum cohortibus roborata.

Hiſpanorũ Ducum animi dubij de oppido retinendo.

Tot igitur difficultatibus circunuenti Hiſpani Duces iam generoſos Celadæ, Demarchiq; Spinulæ auſus cœperant deteſtari; quòd ſe, & copiarum promptiores, atq; exercitus florem in eius damnoſa oppidi propugnatione implicuiſſent: coegiſſentq; vt eos à tanto diſcrimine expedirent; omnem cum ipſo præſidio Inſubrum dominatum in caſum dare. Dubij igitur quod nam conſilium ſequerentur, an hoſtium arbitrio cederent oppidum: an in illud audaci impetu per hoſtium munimenta, atq; agmina perrumpendum: vtroque iuxta pernicioſo: ad deſerendum tamen oppidum, magis, quàm ad inferrendum ſubſidium propendebant, ſolicitiſq; verſabant animis, quid eo deſerto, ad cætera tuenda magis expediret: ſentiebant enim hoſtes oppidum adeptos ſtatim in Alexandrinum agrum, vel Dertonenſem ſigna, armaq; illaturos, ſicuti illi ſe iam pridem facturos intentauerant. Cœptum eſt igitur ad impediendum hoſtem, ſternendumq; ponte flumen propè Valentiam propugnaculum, quà Tanarus in Padum influit; vt faciliùs copijs in Alexandriæ agrum traductis, eam partem, in quam hoſtis incumberet, tueri poſſent: aut agris eius incurſus, populationeſq; prohiberent, aut ſi quis caſus aditum aperiret, ſubſidium in oppidum inducerent. Dum Hiſpani dubijs conſilijs fluctuantes, curarum ingenti mole premuntur, ecce commodum adſunt tres auxiliariæ legiones Hiſpanorum vna Ioanne Garaio Chiliarcho, cæteræ Neapolitanorum Achille Minutolo, & Andrea Marianellæ comite Ducibus, quatuor circiter peditum millia cenſebantur, ſtrenuum expeditum, ornatumq; militari cultu agmen à Demarcho Sanctacrucio è claſſe miſſum, qui Neapoli in Liguſticum mare prouectus, vt Galliam Narbonenſem adoriretur: audito Valentiæ, atque adeò totius Inſubrici dominatus diſcrimine, ſatius ratus ſua tueri, quàm inuadere aliena, ea expeditione in alium tempus opportunius dilata, ad Finarij litora eas legiones expoſitas obſeſſis ſubſidio feſtinare iuſſit: quarum aduentu non tam firmatus, quàm animatus exercitus non modò fœdiſſimum fortes Duces oppidum propugnantes deſerere, ſed etiã ſummæ rerum pernicioſiſſimum duxit, maximi momenti locum hoſtium poteſtati relinquere, in quo poſito belli armamentario aſſiduis inde Inſubres incurſibus infeſtos habere potuiſſent. Obſeſſis igitur per hoſtium munimenta per tela, per ignes opem ferre decernunt.

Hiſpani propugnaculũ condunt.

Militũ ſubſidia in Hiſpanica caſtra perueniunt.

Finale.

Hiſpani obſeſſis ſubuenire decernunt.

Coeunt igitur in conſilium præcipui copiarum Duces, in hoc omnes conuenerunt, vt omninò vltima patienti oppido ſubueniretur: ſed adeò cauto, prudentiq; conſilio, ne in ſummam belli fortunam confligere cogerẽtur; quod omnes veluti inſani, temerarijq; auſus horrebant. Hoſtis propinquitas arduam nimis, plenamq; periculi faciebat inferendi ſubſidij

ratio-

Digitized by Google

rationem, & vitandæ omninò vniuerſæ pugnæ decretum prorſus inſuperabilem difficultatem obijciebat. Attamen cum diuturna commentatione acuerentur ingenia, ſolicitè opportuniora rimantibus ſalubre conſiliũ occurrit, quod inuias rei peragendæ ſalebras complanauit. Martinus Aragonius, & Ioannes Garaius Hiſpani Duces ſubueniendi oppido, ſibi deſumpto negotio, inter conſulentium, aliaque, atque alia ſuadentium turbam de hoc inducendi ſubſidij modo, viaq; retulerunt. Prope Padum, Valentiamque in Laumelli terris propugnaculum totius exercitus capax impedimentorum, & commeatuum conderetur, quo incluſæ, obſeptæq; copiæ nulla annonæ penuria, nullis hoſtium impreſſionibus inde pelli, aut ad prælium inuitæ trahi, cogique poſſent; ex quo facile futurum obſeſſis ſubmitti ſubſidium: ita diſſerebant. *Aut enim Taurinenſium caſtris militum numero cæteris debilioribus Hiſpani exercitus vicini metu ne cæderentur, oppugnantium reliqui ſe addituri erant, aut non: ſi ſoli in tanto diſcrimine à ſocijs desererentur, cui ambigendum erit, ne Hiſpanicæ copiæ ſex peditum millibus, & equitum mille ducentis ab omnibus rebus inſtructæ, & ſtrenuorum militum genere validæ totis perſultantes campis non poſſent nauigijs plauſtris aduectis, vltra amnem commeatuum, & militum auxilia, aliaq; propugnationi neceſſaria ad arbitrium nullo impediendente traducere? atq; ab ea ſtatione Taurinenſes valida facta impreſſione, depellere? Si verò hoſtis vndiq; traiectis cis Padum agminibus, auxilio laborantibus ſocijs accurrerent, nudata ſuis præſidijs altera parte caſtrorum, poterant ab Alexandria ſubſidia obſeſſis adduci, atq; idcircò, quæcunque decerneret hoſtis, certas ſine vllo pugnæ diſcrimine allatum iri ſuppetias.*

Subueniendi oppido ratio initur

Ab omnibus Ducibus huic prudenti ſententiæ aſſenſum, applauſumq; eſt: dummodo prius hoſtium munimenta, & ſitus, in quo propugnaculum excitandum erat, accuratè exploraretur. Exceſſere caſtris regionis ingenium ſpeculatum Martinus Aragonius, Ioannes Garaius, vna cum Vincentio Monſuro, Federico Imperiali Chiliarcho, & comite Trotto, vt aptiorem ponendis caſtris locum, traijciendoq; ſubſidio, diligenter exquirerẽt. Quatuor equitum turmæ præſidij cauſa ſpeculatorum latera ſtipabant; pari equitum numero prodeuntibus hoſtis occurrit: qui eminus miſſilibus velitatus, virtute, & ſucceſſu inferior abſceſſit. Illi locorum ſitum accurata diſquiſitione dimẽſi inter Fraſcarolũ vicũ, & Padi litora ducẽdis caſtrorũ munimentis aptum adeò repererunt; vt nullum perficiendis deſtinatis opportuniorem natura explicare potuiſſet, cũ longè ab hoſte ſemotus à fronte profundam viam, à tergo aquæ limpidæ riuum obijceret: qui caſtra non foſſæ modo vice muniret, ſed etiam potandis iumentis aquæ hauſtus ſufficeret: & quod potiſſimum cenſebatur, erat ſuo ingenio ſecurus, & tutus. Maior angebat difficultas in ſeligenda litoris iaciendis lintribus opportunitate. Siquidem cum propugnaculum ad tuendum pontis caput excitatum occupatum à Villa inferiùs, ſuperiùſq; litus quàm longiſſimè tormentis abraderet, omnem explicandi eius conſilij ſpem omninò intercipiebat.

Ab omnib. Ducibus ratio ſubuenienci oppido probatur.

Aptus locus extruẽdo propugnaculo eligitur.

Extra igitur hoſtilium tormentorum ictus inferius litus procul ab hoſte exponendis nauigijs commodum Ducibus viſum; atque de omnibus rebus ſummus caſtrorum præfectus edoctus, vt exercitum admoueret. Copijs ad deſtinatum caſtris muniendis locum prouectis, octingentorum equitum promptiorum ex omnium gentium turmis agmen vagum ad procurſus expeditum conflatum eſt. Demarcho Torrecuſæ Neapolitano dynaſta ductore, iuſſumq; Fraſcarolum contendere, vt ibi foſſores munimenta extruentes à vicinis hoſtibus tueretur, atq; hoſtium impetus primos exciperet: reliquæ copiæ ibidem ſubſtiterant. Protinus ligonibus, & ſarculis effoſſa tellure cepta extrui munimenta, quæ vnius noctis, dieiq; aſſiduus operarum labor abſoluit: inductis in ea omnis generis commeatibus, reiq; tormentariæ apparatibus expectabant, quid hoſtis in tanta rerum mutatione moliturus eſſet. Extemplò ſuſcepti conſilij fœlicitas emerſit. Crequius enim, Parmenſiſq; Dux veriti, ne Hiſpani Taurinis caſtris exutis, repentinaq; impreſſione facta conciſis, oppido caſuro ſuccurrerent: niſi traiectis in aduerſum litus copiarum promptioribus ferre ſuppetias Taurinis irent: ſubito fortioribus ex omnibus cohortibus, & turmis electis amne tranſmiſſo, ſe Taurinorum ſtationibus addidere, in quas Dux Allobrox Vercellis nuper aduenerat; eductiſque ex caſtris protinus omnibus copijs inſtructa in quinque agmina acie, ad hoſtem cupidi pugnæ feruntur, quatuor peditum millibus, & quingentis, & equitum mille quadringentis vniuerſus conſtabat exercitus. Dux Allobrox omnibus imperabat. Ad leuam Fraſcarolum verſus ire pergunt, emiſſis prius aliquot equitum turmis, & peditum cohortibus ſecundum dextrum Erydani litus, vt hoſtes diſtinerent, ſi qui, è ſiniſtro Hiſpanorum cornu mouerent.

Propugnaculum ab Hiſpanis extruitur.

Dux Allobrox in caſtra ſociorũ peruenit.

Torrecuſa in hoſtem venientem animosè è munimentis extulit ſigna, denſatoque ingenti quadrato agmine, protenſiſque in brachia moſchettariorum cohortibus, grandique ſtirpium, virgultorumque ſepe à fronte ſurgente occupata, ipſius tectus obtentu, è maioribus ſclopis emiſſam ſulphureorum miſſilium procellam in appropinquantem hoſtem opportunè admodum grandinauit. Cætera Hiſpanorum agmina inter prandendum audito procellæ fragore, raptis protinus armis ſe ſibi tuendis expediunt. Columna dum inter Torrecuſam, & hoſtes velitatio ferueret, iuſſit Aluarum Quinnonem ſupremum Neapolitani equitatus legatum cum duabus equitum turmis, ſine quorum ope manus cum hoſte ſeruerat, illi properare ſubſidio, mox Ioannem Garaium, & Martinum Aragonium cum iuſtis moſchettariorum agminibus infeſtos in hoſtem ire. Quinnones Torrecuſam vlterius in hoſtem ardore prouectum, atque inter prima velitationis diſcrimina implicitum intuitus, ſuos procul à certaminis loco continuit. Garaius, & Aragonius ad vlteriora promoto gradu, quoſdam ſitus ſuſtinendæ vilitationi opportunos poſitis militum cuſtodijs munierunt. Columna cum certamen diutius trahi, magiſque

Hiſpani Galles oppugnant.

Pugna inter Hiſpanos, & Gallos.

giſque gliſcere, quàm communibus conſilijs decretum foret; & Quinnonem in ſuo gradu ceſſantem ſegniter videret: ſubmiſſo in pugnæ ſubſidium cum duabus equitum turmis Imperiali Chiliarcho, Torrecuſam admonuit, ne vlterius in hoſtes inuectus velitando ſe magis certaminis periculis irretiret; diſertè obteſtatus ſe nulla amplius maiora, quàm hactenus expediſſet, ſubſidia miſſurum; ne paulatim affluentibus, hinc inde pugnæ ardore concitis bellatoribus, contra ſancita in vniuerſi diſcrimen certaminis traheretur: proinde ſenſim ſua fortibus auſis probata virtute, gradum referret. Quatuor horas ea leuis tenuit pugna, atque vtrinque pari ferre virtute certatum, maioraque à neutris ad pugnæ incrementum dimicantibus ſuffecta ſubſidia. Hoſtis enim, qui primo ratus Hiſpanos ſe longè viribus inferiores copias in aciem certæ ſpe victoriæ, delendique internecione hoſtilis exercitus pugnaturus eduxerat, cum alia, atque alia valida agmina, è munimentis aduerſam ſe prodeuntia vidiſſet, firmiores, quàm putarat expertus, augere magis pugnantium numerum, addereque fomenta certaminis cauit; ſed leui pugna, & refugis incurſibus diſtinendo hoſte velitationem in ſeram veſperam vſque produxit: offundentibuſque ſe tenebris in ſua munimenta receſſit, è quibus prælij cupidine abreptus eruperat. Torrecuſa quoque victori, quàm victo ſimilior Fraſcarolum cum ſuo agmine ſubijt.

Gallorũ tumultum conſilium.

Torrecuſæ virtus.

Hiſpani Duces rati, quod erat, hoſtem validiorum agminum in Taurinorum caſtra traiectu, altera vltra padum munimenta deductis firmioribus viribus, eneruaſſe, imperatum eſt, vt Alexandria quingenti pedites Valentiam cum funiculorum apparatu, quibus in primis erat obſeſſis opus, illicò feſtinarent. Hi Ludouico Guaſco duce inter Parmenſium, Monferrinorumque caſtrorum munimenta interualla fœliciter nullo amiſſo, nulloque hoſte impediente, iter emenſi tantum non ab amicis imprudenter miſſilibus confodiuntur: cum incuria veram militarem teſſeram ſubſidiarij non attuliſſent, cuius ſymbolo in oppidum excipiendi erant; Roſarij propugnaculum ſubeuntes, cui Octauianus Saulius patritius Genuenſis præerat, è maioribus ſclopis excuſſis miſſilibus repelluntur: veritus ſiquidem Saulius, ne eo intempeſtiuo agminis aduentu inſidiæ, ficta, falſaque teſſera tegerentur: tamdiu eos telorum iactibus ſummouit; donec Guaſcus, alijque Saulij familiariſſimi Duces ad notas amici ex alloquio voces cogniti in oppidum admittuntur. Alius rem Hiſpanam fœlicior ſubſequutus fortunauit euentus. Crequius enim, Parmenſiſque Dux audito ſubſidij ad obſeſſos ingreſſu, quod mendax ſemper fama maius attulerat; de ſuis timidi munimentis, quæ inualida, deductis inde promptioribus ante reliquerant; ne præſidium iam ſubſidiarijs cohortibus auctum in caſtra erumpens ſarcinas, tormẽta, & cæteros bellicos apparatus cũ inſigni oppugnantium dedecore abri-

Obſeſſis ſubſidium affertur.

Hiſpanorũ conatus fortuna ſecundat.

abriperet, eoſque paucos milites ad cuſtodiam relictos concideret, protinus tranſmiſſo iterum Pado, in ſua munimenta regrediuntur. Quare citeriori exarmato amnis litore, potuere Hiſpani Duces vniuerſi exercitus auxilia in oppidum obſeſſum è Laumelli terris immittere. Heſterno ſiquidem pugnæ ſucceſſu læti, toto Padi litore exultantes, camporumque domini, militibus ex Inſubrum delectibus cum dimidio conducti peditatus Boccapianola Caſtrorum præfecto duce, ad munimentorum cuſtodiam relictis, ſummo manè è caſtris inſtructis ordinibus, ad Superiora fluminis litora proceſſerunt. Equitatus comite Soræ Magiſtro in dextro cornu in Taurinorum conſpectu quadrato agmine ibat; vt pedites in tria diſtincti agmina equorum obtentu ſecuri cum bellico apparatu ad litus incederent: tribus equitum turmis peditum ordines præeuntibus deſtinatum vero ſubſidium ad inferiora litora feſtinabat, Demarcho Lunato, & Chiliarcho Federico Imperiali ductoribus, quibus agendæ rei fuit omnis cura mandata. Duo campeſtria tormenta ante agmina trahebantur; pone ſequentibus plauſtris nauigijs, iiſque omnibus propugnando oppido neceſſarijs onuſtis. Offuſa campis nebula incedentium copiarum proſpectum hoſtibus adimebat, vt impunè litori accederent. Nullus tamen è Taurinorum caſtris, apparentibus diluta tandem in liquidum aerem nebula Hiſpanorum agminibus, exploratum hoſtis exceſſit; quamuis in caſtris præſens ipſe Dux Allobrox expeditionis imperator adeſſet, neque cantato aliquo claſſico ſe in armis pro munimentorum aggeribus prætenderunt.

Hoſtiū incuria.

Aut metu ſe viribus debiliorem in caſtris, aut Gallicis auxilijs diffidens continuerit; in medio eſt. Hiſpani igitur nemine repugnante, inferiori litori promotis copijs, ſe ad traijciendum expediunt; ſed quem oppoſitum à Taurinorum caſtris non formidarunt, à propugnaculo ad pontis caput erecto fulminantibus moſchettarijs, & ab aduerſi litoris tumulo duobus ferreos globos iaculantibus tormentis in ipſo traiectus conatu ſenſerunt. Verum cum miſſilia rara inciderent, horribili ſibilo terruere magis, quàm perniciem aliquam tranſeuntibus attulere: patebant tamen moſchettariorum ictibus, quorum perpetua grandine petebantur, nec alio obiectu ab inceſſentibus præſidiarijs tegi poterat agmen, aut alia ratione malo occurri, quàm ſi hoſtes ab eo propugnaculo pellerentur. Columna igitur iuſſit aliquot Hiſpanorum, atque Italorum cohortes illud inuadere, quo miſſilium moleſtiam auerterent. Succeſſere illi impauidi munimento, ipſe Torrecuſa trudendis in amnem nauigijs intentus, vbi ſocias cohortes ſtipatis ordinibus, ſubire propugnaculum vidit, Chiliarcho Imperiali impoſita eius negotij conficiendi cura, ſtricto enſe, ſe ante ordinum frontem ſiſtit; euulſiſque vallis, quibus tota circum foſſa erat obſepta, aggerum ardua, munimentorumque loricam primus adrepſit tanti: Ducis ſtre-

Hiſpani à Gallicis caſtris miſſ lbus petuntur.

Torrecuſæ bellica virtus.

nuo

nuo auſu cæteri animati, quodam Martis furore acti, lymphatis ſimiles vndique in propugnaculum enituntur: quorum audacia, intrepidoque impetu præſidiarij metu exangues oppreſſi, paucis interemptis, captiui in aggredientium poteſtatem cum ipſo præſidij duce, ſigniferoque venerunt.

Inſtitit interim dum propugnaculum expugnaretur, ſubſidium amnem traijcere nauigijs aduectum. Lintres ſecundo flumine raptæ obſeſſi oppidi litora fœliciter appulerunt, expoſitoque milite alias cohortes traducturæ ad idem litus vacuæ regrediuntur. E Patrum Capuccinorum cœnobij tormentario aggere in traijcientes tormenta tonabant, irrita tamen plaga, quod vaga nauigia deſtinatis, certiſque ictibus feriri non poſſent, ſed in incertum tela contorta plerunque vndas impeterent. *Subſidium oppido obſeſſo infertur.*

Huiuſmodi ſubſidiò non ſolum contra hoſtium vim firmatum eſt oppidum, ſed etiam omni oppugnationis, obſidijq; diſcrimine liberatum. Fœderati enim mentibus confuſi deſperata expugnatione, rebuſque ſuis diffiſi ſe quicquam amplius profecturos, cum & appetentis hyemis imbres metuerent; quibus madidam tellurem, cœnoſamque incedentium veſtigia militum eluctari non poſſent, profundoque implicito limo, neque abire, neque in caſtra commeatus conuehere poſſent, ac proinde ex obſidentibus in apertis campis ſe obſeſſum iri vererentur: poſt quinquaginta obſidionis dies ab ea malè auſpicata diſcedere oppugnatione decernunt. Abiere eius imperitè, inerterque obitæ expeditionis culpam in ſe inuicem impingentes. Duo Duces Crequium incuriæ, tarditatis, ignauiæque damnabant; quod oppugnationem exorſus cum oppidum vetuſtate fatiſcente muro cingeretur, nec vllis exterioribus munimentis obſeptum facile primo impetu obrui poſſet; bellicis curis abiectis, venandis feris, otio, luſtriſque tempus turpiter impendiſſet; atque idcircò Hiſpanis muniendi oppidi, validiorique firmandi præſidio commoditatem creaſset. Crequius è contra Parmenſem Ducem velut bellicæ diſciplinæ imperitum, militiæque rudem ſugillabat, arguebatque quòd in caſtra tyrones milites ex popularium delectibus, longè minores numero, quam ex fœdere pollicitus fuerat, adduxiſset: ijque paucis diebus militiæ impatientes laborum, belliqúe tędio ad ſua rura dilapſi caſtra, ipſumque ſuum principem deſeruiſsent, quorum fuga, cum ſuam ſtationem tueri non poſſet, de ſuo agmine ſubſidiarios illi mittere, ſuaque infirmare caſtra imminuto militum numero coegiſſet. Acerbiùs, atque acriùs aliquanto de Duce Allobroge querebatur: quòd præter eius pernicioſas in caſtra veniendi moras, non ex obligata fœderis conuentis, & pactionibus fide promiſſum bellatorum numerum conſcripſiſſet: nō ſynceræ fidei in Gallum Regē criminatione notatum arguebat, quòd eius armorum in Italia profectus, fœlicitatemque auerſatus *Fœderati ab obſidione diſcedunt.* *Dux Allobrex dubiæ fidei arguitur à Crequio.*

parum

Digitized by Google

parum huic expeditioni fauiſſet: hinc ſui in caſtra aduentus moram; hinc malignè collatum in bellum militum numerum: & ægrè, tardèque commodata tormenta, ſine quorum apparatu fieri non poterat; vt oppidi mœnia nihil concuſſa, atque proſtrata inuaderentur; hinc in omnibus bellicis operibus lentitudinem præcipuè eo die, quo ſubſidium oppido illatum eſt: tunc inertem ceſſaſſe Ducem, nec propugnaculum ab Hiſpanis oppugnatum, cum facile poſſet; ſubmiſſo ſubſidio ſeruare ſtuduiſſet: quo defenſo, tormentis ſuperius, inferiuſque litus, totamque fluminis latitudinem verberantibus, Hiſpanorum arceri, prohiberique oppido poterant auxilia. Illum Gallorum cædem, & ſtragem intra ſua caſtra compreſſis manibus ſedentem ſpectaſſe; quaſi illum ſuſceptæ expeditionis pœniteret; tæderetque eam proſperos ſortiri ſucceſſus. Dubiam eius maximè faciebat fidem, ſuſpitionemque hoſtilis animi augebat, quòd pridie ante propugnaculum expugnatum, deductis inde Taurinis, totidem Gallos in eorum locum ſubſtituiſſet, quaſi cædis futuræ conſcius, cui ſuos vectigales prudens ſubtraxerit; Galloſque lanienæ conſultò ſubiecerit. Huiuſmodi ſe inuicem Principes ſederati criminationibus proſcindebant; alteriuſque alteri ſocordiam, imperitiam, perfidiam mutuis caſtigationibus lacerabant.

Parmenſis Dux in Galliam contēdit. Parmæ Dux eo infœlici primæ belli expeditionis ſucceſſu iratus primoſq; armorum conatus fruſtraſſe, atq; omnes ſuas ſpes amplioris dominatus perandi abſcidiſſe fortunam, magnis itineribus in Galliam contendit, Regi diſertè, verèque explicaturus ex fide omnia, eius expeditionis euenta, & vnumquemque ſuarum noxarum, & malè ſibi obiti muneris delaturus. Præcipuè tamen, vt valida auxilia ad ſuas ditiones tuendas exprimeret, quas certò ſciret Hiſpanorum armis victricibus inuadendas, quòd Gallicas partes ſequutus in ſe eorum iram, indignationemque conciuiſſet. Quàm honorificentiſſimè emiſſis ei venienti obuiam ex vrbe purpuratorum, & procerum Pariſienſium nobiliſſimis, exceptus à Rege eſt, & quàm humaniſſimè habitus qui in Ducis ruit amplexus: & poſt plurium dierum arcana colloquia, & amicos affatus ingentibus ſpebus onuſtus in Italiam regreſſus propulſando Hiſpanico bello animum, vireſque parabat.

In Italiam regreditur. Valentia obſidione exempta Fœderatorum Principum ſe ſoluit exercitus. Dux Allobrox ſuos Taurinos Vercellas adduxit; Crequius Diui Euaſij Caſale conceſſit, cui venienti oppidani, & milites præſidiarij portas clauſere, quòd in vrbe annonæ caritate laborante tantus militum numerus, ſine maximo ciuium incommodo, & præſidiariorum pernicie ali non poſſet, quare in circumiectos Montisferrati vicos, & villas in hyberna dimiſſi: reliquiæ quoque Parmenſis agminis per varia loca diuiſæ cum ſummo eius agri incolarum detrimento; qui quamuis

Fœderatorū copiæ ſoluuntur.

uis maiore commeatuum caritate premerentur; tamen cum potentiorum violentiæ obſiſtere nequaquam poſſent; nec hoſpitium petentibus recuſare: eos ſuas domos accipere coacti, ſuis malis, quæ bellorum tempora facerent, ingemuere. Hiſpani quoq; iam ſua frigora ingeminantibus Euris, per Inſubrum dominatum ſuas copias in ſtatiua partiti, iam aſperante ſe magis hyeme quieuere: tantiq; armorum motus totam Italiam conuulſuri ſummo cum Fœderatorum principum dedecore conſederunt. Sic victorias perſæpe pernicioſa ſemper in bello tarditas interuertit, quas facile celeritas peperiſſet: damnoſaq; agendi mora bellica negotia corrumpit; quæ feſtinatio nullo labore perfeciſſet; cædit ſimul victoriam, qui dat tempus Hiſpano.

INSVBRICVM, PARMENSE, TAVRINVMQ; BELLVM

NARRATIO DVODECIMA.

HIſpana res vndique vrgentibus fatis, & hoſtilibus armis impulſa eius nomini gentis infenſis, potentiæq; inuidentibus collapſura penitus videbatur; cum & Luſitania ab Hiſpaniarum Rege deſciſcens orientis opulentiſſima regna, ditiſſimas Inſulas, Africæque Principes ſtipendiarios, totamque vectigalis maritimæ oræ longitudinem, qua enormi circuitu, flexuq; Auſter, alteriuſq; poli orbis ambitur, ſecum in rebellionem, ſocietatemq; traxiſſet: & Laletania Caſteliæ dominatum exoſa ad Gallos deficiens eorum præpotentia arma in Hiſpaniæ viſcera euocaſſet; & Neapolitanum regnum ab imo fœdiſſimæ ſeditiones euerterent; atq; Inſubres Fœderatorum bello Principum quaterentur; & Belgium Batauа, & Gallica arma protererent: & denique totum Hiſpanum Imperium aduerſantis fortunæ pulſibus concuſſum ſupremum nutaret. Attamen gens fortis, & acer, laborumque, & inediæ, belliq; malorum ſupra fidem patiens tot hoſtibus vndique ferociter aſſultantibus proprijs innixa viribus vna ſuffecit; totq; varios hoſtium impetus nihil animo cadens non ſolum incredibili pectoris conſtantia, ſuique roboris obiectu perfregit, ſed etiam tranſlata in hoſticū bellorum, qua ipſa arſerat, flamma hoſtibus ſuis agrorū populationes, regionum excidia, incolarum cædes, cladeſq; reponit. Adeò certam quidam humanarum rerum viciſſitudinum imprudentes Hiſpanæ ditionis ruinam cupidis animis concipiebant; vt fortunam ab Hiſpanis alis præpetibus auolantem, migrantemq; ad alios Reges, eos non graphicè magis, quam ſuarum mentium vanitatem, inaniaq; vota exprimere non puduerit; quaſi validæ gentis, Hiſpaniarum, Neapolis, Siciliæ, Sardiniæq; Rex, Inſubrum Princeps, Belgijque comes, Peruani, Mexicaniq; vaſtiſſimi imperij, Indorumq; monarca, ex quibus opes immenſæ, innumeriq; theſauri ad Hiſpaniæ litora regeruntur; ita flaceſſeret viribus, vt has rerum difficultates, niſi ægerrimè, eluctari non poſſet; tantaq; potentia hoſtium petitionibus afflicta, atque proſtrata ſuccubitura eſſet; & tam vaſti moles imperij ruitura. Quorum deliramenta ſe vanis ſpebus inflantium prudentiores Hiſpanæ gentis vires, & opes non maligna æſtimatione metientes ridebant: aptabantq; Hiſpanis de Romanis dictum, ſæpius Romanos prælio victos eſſe, nunquam bello. Ecce nunc verſa fortunæ vice, non ita pacem auerſantur, qui effuſis quaquauerſum in Italiam, Hiſpaniam, Belgiū, & Germaniā exercitibus, conſtratoque claſſibus mare, Hiſpanos bellis vrgebant.

Digitized by Google

gebant. Habent ſanè ſuas viciſſitudines, & pericula ingentia regna; cum ſæpius magnitudine laborent ſua: & quamuis firmiſſima innumeris vallata, armataque legionibus videantur; aliquo tamen euentu deficientibus populis funditus conuelluntur: vt proceræ arbores ætate creſcunt,vna hora extirpantur: ſic magna imperia plura ſecula coaleſcunt, & diebus paucis exciinduntur; verum non ad hoſtis alicuius regis bellum mouentis arbitrium; ſed ad præſtituta à Deo illis durationis tempora euertuntur. Supremum quidem ſummæ rei diſcrimen adijt Hiſpanum imperium, tot eodem tempore ferè ex condicto rebellantibus populis, totq; hoſtium inceſſentibus armis, cum vbiq; irruenti exitio, ingruentiq; malo, diſtractis, eòque minoribus, ac debilioribus viribus, non potis eſſet occurrere. Sed catholicæ genti diuini cultus, & veræ religionis amanti Deus animos, vireſque ſuffecit, vt tot impetentium hoſtium quaſi impunè ictus exciperet; ſuoſque dominatus à periculoſiſſimis bellis ſaluos, incolumeſq; præſtaret. In Italia tamen à Fœderatorum armis Principum vindicanda præcipuè à Rege, validioreſque virium conatus impenſi, quòd ea velut Hiſpanici imperij armamentario ad cętera tuenda vteretur.

Cardinali itaque Albernotio rerum militarium rudi Rex peritum bellicæ diſciplinæ Ducem Belgici diuturna belli exercitatione non tam militiæ laboribus aſſuetum, quam ducendis exercitibus eruditum Didacum Philippum è nobiliſſima Guſmanorũ familia Leganij Demarchũ in Inſubrum præfecturam ſubſtituit; cui ſe plures bellicæ parandæ gloriæ cupidi Hiſpani equites addidere: vt communem gentis gloriam, militaremque exiſtimationem proprij impendio ſanguinis retinerent. Secum etiam decies, & quinquies centies millies nummum aureorum in militum ſtipendia auexit: ad quinque inſuper peditum millia nauibus impoſita in Italiam adduxit. Dux verò Allobrox, & Crequius à Valentiæ oppugnatione cum nõ exigua bellici dedecoris labe decuſſi à Gallo Rege,purpuratis,& proceribus carperentur: ſed præcipuè ille dubiæ fidei, parumque ſyncere in Regem voluntatis inſimularetur; vt amiſſam ea expeditione bellicæ laudis exiſtimationem aliquo præclaro opere, auſuq; ſarcirent; militariſque peritiæ opinionis iacturam alio fortunatiori tentamento penſarent: ad Villatam eorum etiam armis retentam coactis in vnum viribus in Laumelli terras tranſgreſſi Candiam promoto agmine, quadringentorum militum præſidio defenſam, a nouo Mediolani præſide miſſo, circumfuſis copijs oppugnant: qua parumper obluctatis præſidiarijs, in deditionem accepta, omnes milites captiui Caſale abducuntur, quòd oppidum minime munitum tueri auſi hoſtium armis potentioribus obſtitiſſent. Inde Iriam prouecti, momentoque occupata, capto præſidio, Bremium in Eridani litore ſurgens ducunt infeſti. Situs ingenium ſpeculatis opportunum admodum cæteris deſtinatis aſſequendis omnibus viſum: nauali enim ibi ponte flumine iuncto poterant præſidiarij libero aditu in Alexandrinum, & Dertonenſem agrum excurrere: cumque ei loco Laumellum, Ticiniq; ager

Demarchus Leganius Albernotio Cardinali ſubſtituitur

Galli in Inſubres inuadunt.

Sartirana.

Digitized by Google

ager finitimus iungeretur: cenſuerunt, ſi ibi ſe propugnaculis, munimentiſque ſepſiſſent, fore vt continuis incurſionibus armorum circumferendo terrorem non exiguum Inſubrum terrarum tractum acerbis pecuniarum exactionibus haurirent: ſuique imperij iugum accipere imminentium cladium metu compellerent. Ingenti itaque ſtudio, accuratoque, ac continenti labore excitari cœpta ſunt propugnacula, atque erigi munimenta. Ad eam breui magnitudinem, firmitatemq; eductum eſt opus, vt arx muniti ſſima, iuſtumq; propugnaculum mediocris exercitus capax cenſeri poſſet: cui valido impoſito præſidio in Mediolanenſi dominatu poſuiſſe ſibi ſedes, ieciſſeq; ad cætera deſtinata aſſequenda firmiſſimum fundamentum videbantur; & quando nihil aliud partum eo opere foret; ingentem ſibi bellicæ gloriæ exiſtimationem peperiſſe putabant: domicilium in Inſubrum terris, atque arcem inexpugnabilem condidiſſe, ex qua fœderatis in vlteriora fieret imperij gradus.

Bremiū munitur à Fœderatis.

Dux Allobrox huius moliendi operis author fuiſſe traditur; vt dubiæ fidei apud Gallos aulæ regiæ proceres labem elueret; incuriæque notam expungeret aduerſo Valentiæ oppugnationis euentu contractam, eius vice hanc arcem ampliorem, munitioremq; ac maioris longè momenti, atque opportunitatis ad reliqua proſequenda ſubſtituendo. Vrgebat itaque præſens non ſolum operas, atque inſtabat multa cura foſſoribus, vt opus maturarent, ſed etiam ſubmiſſo tantæ dignitatis faſtigio, veluti gregarius miles manus operi admouebat. Rigente iam hyeme ſub Menſis Nouembris finem arcis ſtructura cępta eſt; cum Laumellum bellantium copiarum arena, ab amicis iuxta, ac hoſtibus omni annona, pabulo, commeatibus euerſū, abſterſumq; præbere copijs, vel vnius diei alimēta, & præalta niue, omnia obruente, aſtrictaque terra gelu: interpellatum opus eſt, eoque ab Inſubribus accurri non poterat. Iiſdem tamen difficultatibus, & incommodis operæ, & Gallorum exercitus conflictati cum nimio ſæuientis hyemis rigore, commeatuumq; penuria acerbiſſimè augerentur: breui vulgatis per agmina morbis pluribus quotidie cadentibus, ad exiguum numerum redacti deleri potuiſſent, niſi frigoris immanitas Hiſpanis aditum clauſiſſet. Continenti labore properato opere, perfectaque arce, cum ibi omnes copiæ annonæ caritate diutiùs morari non poſſent, bellicis omnis generis rebus, apparatuque militari, & commeatibus affluenter inſtructa, & valido præſidio firmata, inferioris Montisferrati terras, Alexandrinumque agrum populatam abiere: congeſtamque quàm maximam potuere, cum acerbiſſima incolarum moleſtia, & damno commeatuum copiam nouo propugnaculo intulere.

Dux Allobrox Bremij muniendi author.

Gallorū difficultas in Bremio muniendo.

Parmenſi Duce in Galliam profecto, agenteque cum Rege, vt maiora copiarum robora, validioreſque vires ad ea, quæ propoſuerant animis, perficienda, aſſequendaque mitteret: iam belli orientis in eius terras, dominatumque ab Hiſpanis decreti murmura percrebuerant, armorumq; fremitus Parmæ, Placentiæq; minantium Allobrogis Ducis, Gallorumq; auribus

ribus

ribus inſonuerat, qui ne orbatæ ſuo Principe vrbes, nullis præſidijs munitæ repentino aliquo Hiſpanorum excurſu interciperentur: & quo Galli Regis gratiam demereretur, & dubiæ fidei ſuſpicionem aboleret; vel vt Taurinos ſtatiuorum moleſtia, atque impenſa leuaret: Demarchum Villam cum mille, & octingentis equitibus, & quatuor peditum millibus præter reliquias Parmenſis agminis Placentiam feſtinare iuſſit; vt eas terras ab Hiſpano exercitu tueretur. Villa Caſale profectus Alexandrinum agrum, nullo intercludente iter, emenſus ad Hiriæ flumen propè Dertonam labentem agmen adduxit.

Villa Placentiam feſtinare iubetur.

Scriuia.

Leganius animaduerſo ante eo hoſtium in eas partes itinere, Dertonam cum valido agmine feſtinarat, vt Villam traiectu amnis arceret: in cuius eminentiori litore duo tormenta librarat; quæ aduerſum litus, circumiectamque planitiem verrebant: moſchettariorumque inſuper cohortes toto eo litore prætentas obiecit, ſclopettarioſque equites flumen traducere iuſſit; & venientis hoſtis vires, conditionemq; explorare: qui ſtatim à Villæ turmis multa cum cæde intra ſuorum tormentorum ictum repulſi ſunt. Vbi Villa in amnis litore conſtitit, inſtructa acie, vadum tentaturi ſpeciem præbuit; ſed cum ſe longè viribus inferiorem, & multo ſuorum ſanguine ſitus iniquitatem eluctandam videret; miſſilibus aliquantum velitatus abſceſſit aſtu militari facturus, quod aperta vi, conari non poterat. Tria ſolum ille amnis aperit vada, quibus traijci poteſt. Hoc primum Dertonenſe à Leganio optimè munitum, cuſtoditumque, alterum ad Caſtrum Nouum quinq; paſſuum millibus inferiùs inde recedens; tertium medium inter hæc duo, quod Lupæ vadum Incolæ vocant. Villa remotius nullis militum ſtationibus cuſtoditum traducendo agmini tutius, aptiuſque ratus; vt Leganium in Dertonenſi vado ſeruando deſtineret; ſimulat ibi ſe flumen compoſito agmine, vel inuitis hoſtibus tranſiturum: iuſſo interim equitatu ad Caſtrum nouum ſecus longum litus excurrere; atque ibi nemine repugnante, amne tranſmiſſo, vlteriori litore potiretur, muniretque vadum ad tutum cæterorum ſociorum tranſitum: & tamdiù ea inani tranſituri amnem ſpecie ludificatus hoſtem eo ſe gradu continuit, donec equites iam flumen tranſiſſe ratus eodem contento agmine feſtinauit. Leganius ſero hoſtilis artis dolis aduerſis, dubius ne vado nullis cuſtodijs obſepto traijceret; eo protinus Martinum Aragonium cum maiori equitum parte, & firmiori peditum agmine properare iuſſit, abſciſsè imperans, vt ſi nundum hoſtem acceſſiſſe comperiſſet, litus obmolitus aggeres, copiarumque obtentu muniret, arceretque vado, quàm longiſſimè poſſet: ſi vero iam traijcientem vidiſſet; contineret tantiſper exercitum; atque in vicino ſe ſaltu tranſuerſis arboribus vallaret: donec ipſe cum cæteris copijs adueniens opportunum mediam hoſtilis exercitus partem iam flumen tranſgreſſam intra ſuos, eiuſque militum ordines interclusam facile concidere poſſent: alteramq; vltra amnem ſtantem ſuorum territam cęde conuerſis habenis per hoſticum fugiētem aſſequutos, validiores

Leganius ſe Villæ opponit.

Demarchi Villæ militaris aſtus.

Villa Hiriã traijcit.

Digitized by Google

equitum;& peditum numero deleturos. Verū prudenti conſilio ſtatuta aduerſus fruſtrauit euentus, aut Martino Aragonio non exequuto mandata, aut Leganio longiores, quam res poſtulabat, nectente moras. Taurini ſiquidem equites Hiſpanum equitatum celeriori curſu prætergreſſi iam ad vadum peruenerant, quare etiam ſi Aragonius cum aliquot velocioribus cæteros anteuertens eodem tempore in aduerſo litore conſtitiſſet, quo Taurini iam aquas ingreſſi flumen vadari cęperant, & adſcitis Caſtri noui militum delectibus, litus munire, vadoque prohibere hoſtem conaretur; nihilominus Villa ſublatis in equorum clunibus moſchettarijs, ſtipatis ordinibus agmine in flumen immiſſo, ſuperatis aduerſi litoris munimentis, amnem tranauerat: cum accitus ab Aragonio reliquus equitatus accurrens, tranſeunti hoſti ſe ſtrenuè obijcere expediebat; cum enim nulla moſchettariorum robora ſecum, auxiliaque adduxiſſet; & via anguſta non plus quinos equites caperet, qua citatiori curſu Hiſpanus equitatus veniebat: non arduum fuit Villæ poſitis ad viæ fauces moſchettarijs hoſtes equites non ſummouere modò, ſed etiam miſſilium contorta grandine diſſipare: quare lacerus, confoſſuſque vulneribus Hiſpanus equitatus partim Caſtrum nouum, partim Curionis Pontem effugit: ipſe Martinus Aragonius maioris ſclopi incuſſo corpori globulo non leue vulnus accepit: cumque nullus Leganius ſubſidio ſuis pugnantibus accurriſſet, deſerto omninò vado, reliquum peditum agmen per otium flumen fœliciter, nemine impediente tranauit, quamuis adulta iam hyeme frigidiſſimum. Quare Villa dupplici bellicâ gloria conſpicuus eluſis militari aſtu maioribus hoſtium viribus, fuſiſq; ingenti virtute pugnando, ſuum proſequutus iter cū victore agmine Placentinum, Parmenſemq; agrum inijt: militeſq; in hyberna partitus, vbi paucorū dierum quiete vires ab itineris labore collegit; in Mutinēſem agrum equitum mille, & peditibus ducentis, neq; vllo eius rei monito Duce, repentinus inuectus Caſtrum nouum Regienſis tractus ſubito incurſu interceptum eius belli armamētariū conſtituit: nouo bello, atq; hoſte Parmenſi Duci parato cum eius tantū ditionem tueri ab Hiſpano exercitu properare iuſſus eſſet.

Irritus Martini Aragonij occurſus.

Hiſpanus equitatus à Villa fugatur.

Martinus Aragonius vulneratur

1635

Villa in Placentinū agrum ingreditur.

Mutinensē agrum inuadit.

Tantam Villæ licentiam, violentiamque, & ſui contemptum Mutinenſis Dux ægerrimè tulit; pręcipuè cū eā iniuriam non à Villæ arbitrio, ſed ab Allobrogis Ducis, Crequij, atq; adeò ipſius Galli Regis odio, itaq; profectā cognoſceret, quod Hiſpanis, ſpreta eius ſocietate, & fœdere adhæſiſſet. Nō enim in alicuius mentem cadere poterat Villam violento propria animi impetu, audaciaq; Principi Allobrogis Ducis, cuius copijs præerat, ſororis filio tanta licentia, contemptuq; inſultaſſe.

Mutinenſis itaq; in iniuriæ, contumeliæque vltionem exardens, habito protinus militum delectu, coactiſque momento fere quatuor peditum millibus, & equitum mille Aloyſium Patruum ſuum cum duobus campeſtribus tormentis contra Taurinos hoſtiliter in ſuum dominatū ingreſſos ducere iuſſit; ſimulq; de rerum ſuarum ſtatu Mediolani præfectum admonuit;

Dux Mutinenſis in Taurinos prodit.

monuit; vt valida ſibi peditum, & equitum auxilia ſubmitteret. Aloyſius promoto propè hoſtē tria paſſuum millia agmine, ſubſtitit: quod Villam educto in aciem exercitu ſecum pugnaturum expectare cognouiſſet: præcipitis, pernicioſiq; conſilij ratus cum veterano Duce, ſtrenuaq; bellatorum manu recenti alacrium victoria ſuis collectitijs, tyronibuſq; militibus, neceſſario magis, quàm accurato delectu conſcriptis acie confligere: niſi priùs, auxiliaria militum agmina ab Inſubribus accepiſſet, quæ in expedito erant, Ioanne Vaſques coronato, & Vincentio Gonzaga ſupremo Inſubrū equitum legato ducibus. Erant hæ ſubſidiariæ manus tria peditum millia, & equites octingenti, quæ Caſale maiori nauigijs Erydano ſecundo Boretum Mutinenſis agri villam vſque deuectæ, atq; in littus expoſitæ ſe Principis Aloyſij agmini addidere, ea mente, vt Parmenſem agrum ſimul inuaderent.

Villa ad huius Inſubrici ſubſidij rumorem Caſtro nouo cum expedito bellatorum robore ad Padi litora feſtinarat; hoſtem exſcenſione prohibiturus, ſed cum ad inferiora delapſum vidiſſet; veritus ne Parmenſem dominatum aggrederentur, ad Niciæ exigui amnis vtriuſque ditionis confinia interfluentis tranſitum hoſti ſe parat obijcere. Amnis duobus pontibus iungebatur, alterū cui ſorbolæ nomen ſibi ſuſcipit cuſtodiendum, alterum quingentorum Parmenſium agmine munit, ratus hoſtem per pontem ſorbolæ tranſiturum; ſed ſua cogitatione deceptus cum vidiſſet per alterum Parmenſibus cum cæde reiectis, amnem Mutinenſes tranſiſſe, veritus ne ad Parmæ portas populando, vaſtandoq; agro vſque procurrerent, ad Diui Lazari Xenodochium ad hoſtium frontem agmen abripuit, vt amicæ vrbis acceſſu hoſtem prohiberet. Intra amnem Niciam, & Parmam vrbem recta protenditur latiſſima via hinc inde profunda foſſa munita, cum per eam Princeps, Hiſpaniq; Duces progredi ad vrbem deſtinaſſent, ſuos milites in ordines coegerunt. Villa pariter Taurinos, & pugnæ, & itineri inſtruit. Princeps quingentos moſchettarios in primo agmine ab vtroq; viæ latere præire iuſſerat; medius equitatus incedebat, ponè Hiſpanæ cohortes ſequebantur, poſtremum agmen quinque Mutinenſium millia, & equitum mille claudebant.

L'Enza. Villa contra Inſubrica ſubſidia ducit.

L'Enza.

Mutinenſis Ducis copiarum ordo.

Villa diuerſo ordine ſuos inſtruxit, nam ducentos moſchettarios in exercitus fronte conſtituit, numeroſis equitum agminibus vallatos, totidem ad equitatus dexteram collocauit: alios poſt ingentium arborum cæſarum ſtipites, & troncos ſubſidere iuſſit, quibus veluti loricis aggerum tegerentur: tumulum quemdam à tergo ſurgentem validis militum ſtationibus firmauit, vt quocumq; pugnæ euentu tutū receptum haberet. Sagaci quoq; cōſilio cauit, ne totā viæ latitudinem ordinibus præpediret, vt pulſis ſpatium receptus ſine ordinum confuſione pateret. Hiſpani verò ſibi ſecuram, certamque victoriam de debiliore hoſte polliciti nulla receptus cura militum ordinibus omnia ſtiparant. Collatis igitur ſignis, non ſolum totis connixi viribus, ſed etiam ingentibus animis, ac virtute pugnarunt.

Taurini agminis ordo.

Taurini cū Mutinenſibus pugnāt.

Digitized by Google

Validus fuit Hiſpanarum cohortium impetus, acerrimuſq; impulſus; quæ Hoſtium ordinibus fortiter illato pede certa fiducia ſperauerant ſe primo incubitu hoſtium agmina obtrituras, auerſuraſq; in fugam; ſed eos ſpes vana fefellit: ſibi inſtantibus, vndiq; ac prementibus inuicta hoſtium repugnante virtute, qui plus duas horas infatigabili pugna, ſe cum multa vrgentium cæde tuendo violentiſſimas Hiſpanorum impreſſiones impauidis animis repulere. Sed maiori tandem hoſtium numero obruti; cum amplius impetum ſuſtinere non poſſent, inſtantibus loco ceſſerunt: ſtipatis tamen ordinibus, nihil trepida fuga turbato agmine per illud viæ interuallum, quòd vacuum ad inſtructum receptum Villa opportunè reliquerat. Inſtabant ferociter recedentibus Vincentius Gonzaga, Vuatemuillius dynaſta, & comes Areſius; vrgebātq; acrius Taurinos, quibus cum Mauritius Allobrox ſe cum ſuo agmine obieciſſet; aliquantum compreſſit hoſtium impulſum. Verum cum vix tentato certamine Scipio Fliſcus Maſſerani Principis Frater, & Dux Guerrinus capti, pluresq; vulnerati, cæſique cecidiſſent; ipſe quoque per eadem viæ ſpatia denſatis ordinibus, verſa tamen in prementem hoſtem fronte, receſſit. Diſiecta Taurinorum acies, eo acerrimo Hiſpanorum impetu fugata, deletaque fuiſſet, niſi Villa, qui inter prima certaminis pericula inter volitantium telorum turbines impunè verſatus certamini ſemper interfuit, collecto fortiorum, promptiorumq; globo, ante primos ordines concitato equo fortiſſimè pugnam ciens prementium hoſtium impetum remoratus ſuos milites ſui corporis obiectu texiſſet. Hiſpani quamuis incuſſa à Taurinis moſchettarijs glandium procella, plurimi vulneribus tardati, cæſique fuiſſent: tamen hoſtium receptu audaciores, alacrioreſq; quaſi parta victoria, illato gradu hoſti ferociùs inſultant.

Taurini certamine victi recedūt.

Hiſpani recedentibus inſtant.

Taurini nihilominus obſtinatioribus animis corporum augentibus vires, denſata ordinum fronte, excuſſa miſſilium grandine Hiſpanorum lancināt ordines; tantāq; vrgētiū dedere ſtragē moſchettarij, qui poſt arbores tela, nullo vt in confertos contorta, irrito cadente, iaculabantur; vt Gonzaga, Vuatemuillio, & Areſio, qui ante ſuorum ordines dimicabant; vulneribus ſaucijs, pronum fuerit Villæ hoſtilem æquitatum ſine Ducibus fluctuantem, nullis rectum imperijs turbare primum geminata miſſilium tempeſtate, mox in turpem fugam diſijcere: qui in ſociorum confertos à tergo ordines incurrens totam non modo aciem confudit, ſed etiam equorum attritu fœdiſſimè proculcauit. Villa fugientibus inſtitit vſque ad ingruentis tenebras noctis; cuius obſcuritate hoſtes inſectari prohibitus plus centum captiuos trahens inſigni hoſti erepta victoria, triumphans cum victore agmine Parmam abſceſſit. Ciues clauſis portis tantam militum multitudinem in vrbem accipere recuſarunt; quare in circumiectas villas dimiſſis, Villa cum clarioribus Ducibus in vrbem ingreſſus à circumfuſis patricijs illi victoriam gratulantibus, quam honorificentiſſimè exceptus, habituſq; eſt.

Taurini victores Hiſpanos fundūt erepta illis victoria.

Villa Parmam ouans ingreditur.

Leg...ius

Leganius Mediolani præfectus eodem tempore, quo Mutinenſi Duci ea ſubſidia miſit, vt ſocium principem magis ad propria tuenda hoſte auertendo leuaret; iuſſit Carolum Gattam cum quatuor peditum millibus, & equitibus ſexcentis, & ſex campeſtribus tormentis in Placentinum agrum infeſto agmine excurrere, omniaque populantem incendijs, ac cędibus deformare. Ille in hoſtiles terras inuectus primo belli turbine in Diui Ioannis Caſtrum Mediolanenſi ditioni finitimum incubuit; libratiſque in mœnia vetuſtate labentia, neque vllis aggeribus firmata tormentis, oppidanos non auſos repugnare oppidi direptionis, exitijque metu ad deditionem compulit: deinde arcem quatere tormentis inſtitit centum viginti Gallorum præſidio defenſam, qui poſt quindecim dierum oppugnationem, ſe ipſos hoſtis arbitrio, arcemque tradidere. Nec interim iners equitatus, peditum oppugnantium laboris tantum ſpectator obtorpuit: ſed populando, prædandoq; agro ita incolas terruit, vt eorum trepidæ voces Villam ad ſe tuendos de Mutinenſi regione detraxerint. Caracenæ Demarchus Mediolanenſis præfecti iuſſu cum trecentis expeditis equitibus ex omnibus turmis electis eum procurſibus dederat latè terrorem: qui primo populationis opere ducentorum, & quinquaginta Gallorum equitum ſtationem aggreſſus facili marte egit in fugam: ſed Rotofreno egreſſæ aliquot peditum cohortes non ſolum inſtantium Hiſpanorum impetum cohibuere, verum etiam ſociatis cum fugientium equitum turmis viribus, conuerſis habenis commiſſa pugna, Hiſpanos equites ſolutis ordinibus effusè fugere compulerunt. Demarcho enim crus maioris ſclopi glande percuſſo, ſubtractoque repente certamini, turmæ ſuō orbatæ Ductore territæ diffugerunt. Inſtiterunt Galli fugientibus, vſque ad Diui Ioannis caſtrum. Fugientium, prementiumque fragor reliquos Hiſpanos equites ſubſidio ſuis acciuit in pugnam, quos dum laxatis habenis, eadem via curſum intenderent, qua fuſi equites rapiebantur, fugientium impulſus diſiectos ruptis ordinibus in fugam ſecum abripuit. Ad centum equitum cæde, præter captiuos, inter quos Comes Beccaria equitum turmæ præfectus eminebat, Hiſpanis ille incurſus, populatioq; ſtetit.

Carolus Gatta Placētinum agrū populatur.

Diui Ioannis oppidū capit.

Varia leuia inter hoſtes certamina.

Hiſpani fuſi, ac cæſi.

Dux Mutinenſis, Villa placentinorum queſtubus à ſua ditione detracto, ea cura, moleſtiaque liber illatas ſibi iniurias vltum ire perrexit. Roſennaque occupata, Parmenſis agri ſanè vico, ſed Mutinenſi circumſepto agmen ad interiora promouit. Hiſpanæ etiam copiæ Regio Lepidi in Parmenſium terrarum tractum erumpentes plura oppida rapuerunt; Colornum præcipuè caſtellum alicuius ob ſitus oppurtunitatem, munitionemq; momenti.

Dux Mutinenſis iniuriā vlciſcitur.

Verum Leganius validioribus viribus maiores pœnas de illato vltrò Hiſpano Regi bello à Parmenſi Duce exigere cupidus imperat Gherardo Gambacurtæ Neapolitani equitatus magiſtro, vt cum duabus

Leganius militum agmina in Parmenſis Ducis ditionē immittit.

Digitized by Google

Germanorum legionibus altera equitum comite Slichio præfecto, peditum altera Lilio Catto chiliarcho, in Placētinum agrũ inueherētur, omniq; belli clade eas terras affligerent. Dux Allobrox, & Crequius veriti ne turpe dedecus ſuis armis, & bellicæ exiſtimationi conflarent, Galliq; Regis indignationem mererentur, ſi otioſi, atq; inulti ſocij Principis clades aſpicerent, decreuerunt: ſi non recta, quod fieri nullatenus poterat, obliquè tamen in Inſubrum terras effuſis copijs, incurſibus, agrorum populationibus Hiſpanos ad ſuarum rerum tutamentum à Parmenſi, Placentino que agro decutere, laborantiq; Fœderati ditioni Principis ſubuenire. Iunctis itaq; ſimul copijs nouem peditum millibus, & quingentis equitibus validis Vercellis egreſſi Seſithe amne tranſmiſſo, Paleſtre, Robbio, Confientiaque nullo fere certamine potiti, Veſpolano admoto agmine, ægrè poſt cruentum duarum horarum certamen pugnantibus fortiter oppidanis, vicum obtinuerunt. Maior aliquanto labor in expugnanda arce, in quam confugerant incolæ, milites fatigauit; quæ productis tormentis nihilominus verberata victoribus ceſſit. Copiæ ad reparandas vires in vicinas villas in hoſpitia dimiſſæ, ſed exiguis interuallis ſeiunctæ; vt facile cogi poſſent, atque ad communem ſalutem tuendam citiùs accurrerent, ſicunde hoſtis ingrueret.

Galli Parmenſi Duci ſubſidio accurrunt.

Seſia.

Galli in Inſubres inuehuntur.

Leganius audita hoſtium in Inſubres irruptione, coactis celeriter peditum cohortibus, & equitum turmis, ne Mediolanenſem ditionem hoſtium ſæuitiæ proterendam deſereret: Gambacurtam etiam è Placentino agro cum Germanorum legionibus auocauit, iuſſitq; Viglebano metuens, Ticinum verſus omnes copiās confluere. Ipſe ea vrbe centum Hiſpanis ante firmata, Mediolano egreſſus eòdem contendit; ne hoſtis obſeſſo amnis litore Viglebanum ſubſidijs intercluderet, Gambacurtæ imperauit, vt quā celerrimè poſſet, traiecto Ticino, eam vrbem, circumiectaſq; villas ab hoſtium excurſibus, & populationibus tueretur: mox ille cum cæteris copijs tranſgreſſus amnem ſe Viglebani ſiſtit, vt ibi aliam Germanorum legionē Lezero dynaſta chiliarcho per Verbanum lacum in Inſubres deſcenſuram. (Volturena enim adhuc à Rothomagenſi Duce, atq; armis Gallicis tenebatur) muraliaque tormenta, quæ vrbe Ticino eodem trahebantur, mox ad futura præſtolaretur. Aliquot interim Gallicæ cohortes Ciualaniam vicum prouectæ nullo certamine occuparunt, arcem tentare non auſæ, tam hoſte propinquo. Leganius, qui Viglebani ſex peditum, & duo equitum millia coegerat, maximè Hiſpana arma dedecere, ſuamque militarem exiſtimationem turpi dedecoris labe fœdari ratus, ſi vlterius in Inſubres in ſuis oculis hoſtem excurrere, & Hiſpani Regis vectigales qua auaris exactionibus, quà ſtatiuis premere pateretur: decreuit ducere in apertum, audaceſque hoſtium inſultus, inſolentiamque frenare. Viglebano itaq; copijs eductis, Nouariam recta tetendit, eo conſilio, vt poſt hoſtium terga agmine circumfuſo, interceptoq; reditu, facile eos poſſet obruere. Aliquot paſſuum millia per nota itinera profectus per exploratores accepit,

Leganius Gallis Hiſpanos obijcit.

Lago maggiore.

Leganius vadit in hoſtem.

pit, Crequium inſtructa propè Veſpolanum acie, Hiſpanos expectare vniuerſo certamine pugnaturum, ſi propius accederent; ſed falſum attulerant viarum ſpeculatores. Crequius ſiquidem è ſuis ordinibus ad Veſpolanum egreſſus Seranum cum mille quingentis equitibus moſchettarijs, & mille peditum vſque proceſſerat; quibus in quodam vicino ſaltu, & viarum anguſtijs conſtitutis, ipſe agmen anteuertens propè Seranum excurrerat, eo conſilio vt oppidi ſitum, munimentaque ſpeculatus, ibi ea nocte tranſacta, ad Ticinum copias proueheret. Leganius ad huiuſmodi nuntium iuſſit Gambacurtam iam propè hoſtem ita prouectum, vt ſe recipere ſine cladis periculo non poſſet, Gallos inuadere; ſe mox certamini cum toto exercitu adfuturum. Ille ſtrenuè in Crequium inuectus non minori virtute, alacritateque à Gallis excipitur, fallaci opinione deceptis, ibi non totam hoſtilium copiarum molem, ſed aliquot duntaxat equitum turmas pabulatum excurrere, aut in vicinas villas in hoſpitia concedere. Quamobrem ingentibus animis ineunt pugnam, certatumque diu pari ferè virtute ab vtriſque eſt: donec aliquot moſchettariorum equitum cohortium aduentu res Hiſpana opportuno ſubſidio cępit eſſe ſuperior. Dracones vocant nuperæ militaris artis inuentum; ſunt equites moſchettarij, qui equorum pernicitate idcircò duntaxat vtuntur, vt expeditiùs, & celeriùs ad deſtinatum pugnæ locum, atq; ad aliquam expeditionem obeundam ferantur: ſeque ante hoſtem velociùs ſiſtant; ibi equis ſtatim deſilientes, quos ſibi contra hoſtium miſſilia velut aggeres, ac munimenta prætendunt; libratiſq; ſupra equorum dorſis in hoſtem maioribus ſclopis, quos cæteris grãdiores, longioreſque ideò deferunt, tela in hoſtem quaſi ex tuto impunè equorum obiectu defenſi cũ horribili eius ſtrage iaculantur. Aptè militaris induſtria ſæuo commento virulenti animantis indidit nomen; quòd ad mortalium lancinamentum inuentum non alio, quàm ſerpentis nomine debuit appellari. Hi equites igitur moſchettarij adeò furioſa procella in hoſtem miſſilia grandinarunt, vt primos ordines, qui cæteris audaciores propiùs gradum promouerant, fędiſſima ſtrage diſiecerint; cęteri deinde à Ferdinando Heredia ſupremo equitum Conquiſitore fuſi, cęſique ſunt. Fugientes inſequutus per duodecim ſtadia Gambacurta, donec ad ſaltum curſu prouectus, in quo erant inſidiæ diſpoſitæ, & milites ſubſeſſores hoſtem nocendi ardore vlterius abreptum expectabant, ſubſtitit fraudum metu, præcipuè cum fugientes, qui nunquam verſa fronte toto eo ſpacio decurrerant; tunc cohibita fuga conuerſis equis, ſe certamini iterando expedirent: nec vllus Leganius, ſicuti promiſerat, appareret. Quare ne inferior viribus tanto ſe diſcrimini obijceret; ſuos retro reduxit, cauti, prudentiſque ducis laude parta, quod hoſtem fugaſſe, pluresque captiuos ſecum trahere contentus ſtructas declinaſſet inſidias; nec ſe nimia ſequendi hoſtis libidine, caloreque victoriæ in paratas plagas agi ſiuiſſet. Centum quinquaginta Allobroges ea pugna cecidere, ad ſexaginta capti. Ex qua clade inter Allobrogem Ducem, & Crequium iurgium exarſit: huius

Hiſpanorũ cum Gallis certamen.

Equitũ moſchettariorum vtilitas.

Galli fugãtur, & cæduntur.

Gambacurtæ cautum conſilium.

Allebrogis Ducis de Crequio querela. degeneris animi turpem timorem illo acriter incuſante; quòd incaleſcente pugna, inclinanteque ad hoſtem victoria, veloci conſcenſo equo, ſe certamini fuga ſubducens, ſuum equitatum fœdiſſimè deſeruerit.

Galli in Taurinos ſe recipiunt. Leganius Nouariam profectus eò accitis omnibus copijs, coactiſque viribus, nulla interiecta mora infeſtus vadit in hoſtem: qui etiamſi illum ſimulauerit expectare; tamen cum nuntiatum eſſet Hiſpanas copias non longè abeſſe, immo properare pugnaturas, Seſithe amne remenſo, in Taurinos fugienti ſimilis feſtinauit: nec eos ille repentinus Fœderatorum copiarum in Inſubres excurſus exitus habuit, quos eorum animis ſpes vana ſubiecerat: nam neque ipſi præter clades, & dedecus ab Inſubribus retulerunt: nec hoſtilia arma à deuaſtando Placentino, Parmenſique agro ijs inſultibus detraxerunt. Immo cędibus, incendijs, populationibus vterque dominatus ab Hiſpanis æque, ac Mutinenſibus deuaſtatus, direptuſque eſt. *Parmenſis, Placẽtinuſque ager diripitur.* Quamuis Summus Pontifex Mutinenſem Ducem feriò monuerit; vt ab infeſtandis ditionibus Sedis Apoſtolicæ vectigalibus, atque hoſtilibus abſtineret; & vxor Parmæ Ducis ſoror virum enixè oraret, vt à ſuo innoxio, expertæque culpæ fratre lędendo ceſſaret: nec magni Etruriæ Ducis vtriuſque Principis affinis interceſſione ſuum Mutinenſis agmen à Parmenſibus agris abduxit. Carolus quoque Gatta in Placentinos campos cum bellatorum manu, & aliquot cohortibus Hiſpanis inuectus Diui Ioannis caſtro occupato, Rotofrenum non longè à Pado amne, & Placentia recedens adeptus ibi ſtatiua aggeribus, & munimentis erectis, ſexcentorum peditum, & equitum ducentorum præſidio communijt: quibus, exactionibus, pecuniarum imperijs, direptionibus totum eum terrarum tractum habebat infeſtum: & vt Parmenſis Dux vndique premeretur; quadringenti pedites Franciſco Tutauilla maiori ſtatore Duce, Federico Imperiali Chiliarcho ſubmiſſi, vt Placentinum agrum, qua Genuenſem ditionem finitimam habet, repentino impetu aggrederetur. *Hiſpani Tari vallem populantur.* Ille Tari fluminis vallem inuectus eius nominis pagum frequens inuadit, quem ſeptuaginta populares ad eius motus armorum paulò ante ingreſſi tuebantur: prolatis nihilominus tormentis, & peritè in eminentioribus tumullis collineatis, collectitij milites, bellique inſueti, ac rudes metu grauioris mali oppidum dedidere, ne audito quidem vnius exploſi tormenti fragore. Inde ad fodinas demoliendas proceſſum eſt, ex quibus Parmenſi Duci ingentia lucra, magnaque compendia proueniunt. Ad eas in montis altiſſimi, quem Pennæ incolæ vocant, radicibus vnus duntaxat anguſtus aditus patet; quem Ducis ſtipendiarij milites propugnabant. Obſtitere paulìſper Imperiali centum quinquaginta peditum agmine, & moſchettariorum equitum turma ſe ſe acriter inuehenti: ſed poſt prima excuſſa miſſilia deſertis turpiter loci faucibus, per auia montium præcipiti fuga dilapſi, denſiſſima nebula proſpectum Liguribus adimente, ſe cædi ſubtraxerunt.

Nullo

Digitized by Google

Nullo igitur repugnante ad fodinas, officinaſque itum eſt: quæ à Parmenſium militum præſidio cuſtodiebantur. Erant aliquot in ſubeuntes minora librata tormenta: quæ vbi ſemel emiſſa, pugnatumque eminus miſſilium iactibus aliquandiu fuit: eadem die veſperi Imperialis ſe arbitrio permiſere. Dirutæ extemplò fodinæ, officinæ omnes euerſæ, artiſq; inſtrumenta perfracta: deinde totus eius regionis tractus militi diripiendus, populanduſque traditus: ex quo opimas prædas, armenta, ſupellectiles militaris rapacitas egit. Ab ijs montibus ſpolijs graue agmen in Placentini agri plana deſcendit; non tamen in vlteriora Imperialis proferre gradum auſus eſt; quòd Ducis copias equitum, & peditum numero validiores aduerſus ſe properare illata ſuo Principi damna vlciſcendi cupidas accepiſſet: donec firmiora ſubſidia ab Inſubtribus mitterentur; quæ adeò miſſa non ſunt; vt etiam eas cohortes, & turmas Leganius in Inſubres reuocarit, vt ad magis neceſſaria, & vrgentia earum opera vteretur. *Parmenſes Fodinæ occupantur, et diruuntur.*

A Bremij præſidio in finitimos crebris excurſibus pecuniarum exactionibus, abigendis armentis, prædandiſque Laumelli agris Inſubribus paria repoſita detrimenta. Nulla non die volitantia quaquauerſum Gallorum arma Incolarum terrorem dabant. Inquies, feroxque hoſtis agreſtium peſtis cuncta repentinis incurſionibus deformabat: & niſi graue cęlum, vulgati morbi, lutulento, cęnoſoque agro vitiante aerem plurimos abſtuliſſent, ferocientiumque audaciam, rapinaſque compreſſiſſent, nihil tutum toto eo circuitu, intactumque reliquiſſent. Frequentia militum funera, ad quinquaginta vſque ſingulis diebus varijs morbis abſumptis, cadentibus, ita præſidium minuerant; vt numeroſa militum ſupplementa ad illud propugnaculum retinendum ſufficienda identidem eſſent. Crebra etiam effugia per vniuerſam Italiam cupidè dilabentibus Gallis, ita regium exercitum extenuarant; vt niſi nouis conductis militum cohortibus, firmatus fuiſſet; eius exiguæ vſquequaq; reliquiæ pęnitus defluxiſſent. *Bremij præſidiarij varijs morbis intereunt.*

In Nouocomenſi agro quoque pari incolarum calamitate laboratum eſt; Rothomagenſi Duce, è Volturena in finitimos Inſubres copijs immiſſis, omnia cędibus, & populationibus proruente. Crequij enim inuidens gloriæ, bellicæque virtutis æmulus, quòd ſe terribilem, metuendumque Hiſpanis cædibus faceret, & crebris rapinis, prædiſque diteſceret: quietis impatiens aliquod in Inſubribus propugnaculum occupare, pedemque in ea Mediolanenſis ditionis parte, ſedemque figere pei optabat. Compactis igitur aliquot lembis, deductiſque ad lacus litora impoſitos milites, Pradellum aduerſum Ripæ propugnaculo traiecit, eoq; occupato, agmineq; per viam Franciſcam Plebem Inſubrum vicum promoto, omnes circumlate villas direptas incendit. Inde ad Medeghinum munimentum progreſſus, quòd illud Ludouici Guaſchi cum valido militum ſubſidio firmatum aduentu vidiſſet, retro in ſuam Volturenam allato tantum armorum finitimis terrore, re infecta redijt. 1636

Galli

Digitized by Google

Galli quòd ſuos impetus omnes Italicis expeditionibus aduerſa fortuna fregiſſet, ſuiq; conatus omnes, quamquam acerrimi irriti ceſſiſſent; vt inimica ſuis rebus fata pertinaci conſtantia peruincerent; ingenti animorum ardore,atque alacritate in anni venturi bella formidandos bellicos apparatus expediunt,ſæuiora Hiſpanis, maioraque bella, quam quæ Rothomagenſis, & Crequius intenderant,illaturi. Noua militum ſupplementa, equitum turmæ, legiones ex alpibus deſcenderant in Italiam. Formidabiles claſſes ad Hiſpanos Mediterranei maris imperio euertendos in Britannia, Narbonenſiq; Gallia ornabantur: nec Hiſpani in cogendis copijs, colligendiſq; vndique viribus non tam ad ſua tuenda,quàm aliena infeſtanda ſeciùs agebant. Quatuor Germanorum legiones duas equitum, & ceteras peditum ſuos quæſtores ſcribere iuſſerãt;quæ breui per Heluetiorum aditus, & montium anguſtias tranſituræ in Italia affore nuntiabantur:hac de re ad eos pagos annuas penſiones miſerant, ne libertatem intercluderent. In Inſubres etiam tria Hiſpanorum millia, è varijs miſſa locis, & equitum mille Neapoli ab eo Prorege ab omnibus rebus inſtructa peruenerant.

Formidandi Gallorũ bellici apparatus.

Hiſpani ſe ad bellum expediunt.

Sed Galli diligentiores celerius Hiſpanos in inſtruendis bellicis apparatibus anteuerterant. Dum enim iſti tardiùs bellica moliuntur, illi ſuas legiones iam miſerant in Italiam. Dux quoque Parmenſis è Gallia redierat; abſciſſaque ad Allobrogem Ducem, & Crequium Regis mandata attulerat: vt ſibi omnibus viribus præſto eſſent, ſuamque ditionem ad Hiſpanorum aſſultibus tuerentur. Dux igitur Allobrox, & Crequius, vt Regis voluntati obſequerentur, maturiùs ſolito è ſtatiuis cum ſuis copijs prodeunt eò conſilio, vt poſtea euentus docuit; vt Parmenſem Ducem in eius ſiſterent dominatu, quò ſociatis cum Villæ agmine viribus in Dertonenſem, aut Cremonenſem agrum copijs inductis, Inſubres aggrederentur: dum illi ſe ſe in Nouarienſem, Laumellumq; inueherent: aut,ſi vtilius videretur, in Mutinenſem ditionem armorum conuerterent impetum, vt Hiſpanos ab Inſubribus ad eum amicum Principem tuendum abducerent, quem eo nomine tantum, quòd ſpreta Gallorum ſocietate, in Hiſpanorum fœdere perſtitiſſet, affligere, belloq; vexare cupiebant: quo diuiſæ hoſtium vires ad propugnandos Inſubres fierent debiliores, quos maiori belli mole, validioriq; conatu impetere agitabant.

Galli in Italiam deſcēdunt.

Dux igitur Allobrox Vercellis, Crequius Duci Euaſij Caſale egreſſi, iunctis agminibus, ad duodeuiginti peditum, & quatuor equitum millibus formidandi, ad Bremium Pado, & ad Felicianum Tanaro tranſmiſſo, Montisferrati Niciam vrbem profecti, vt Parmenſem Ducem in eius ditionibus ſiſterent, ibi tranſitus opportunitatem ſolicita indagine perueſtigant. Leganius ſiquidem militum numero longè debilior(nundum enim Germanicæ legiones aduenerant) aduerſus hoſtem in campos prodire non auſus, Hiriæ fluminis litora munire decreuit, ducto per eius longitudinem validiſſimo aggere: qui ab Apennini radicibus ſurgens quindecim

Fœderati è ſtatiuis mouent.

Scriuia.

decim paſſuum millia vſque dum in Padum influit, hoſtes tranſitu protenſus arceret: & quamuis ob enormem longitudinem propugnari non poſſe videretur; cum hoſtes vno vado prohibiti, aliud incuſtoditum tentare poſſent; nihilominus cum rapidiſſimus amnis paucis in locis vadum aperiret; ijs validis militum præſidijs obſeptis, reliquis ſatis conſultum erat, poſitis per interualla firmis Hiſpanorum ſtationibus, qui eò ſubito accurrerent, quà hoſtis amnem tranare per incuſtodita auderet.

Enormis lõgitudinis agger à Leganio ad Hiriam cõſtructus.

Neque tamen Leganius ea diligentia, omneſq; vires traiecturo hoſti obieciſſe contentus, accitis Inſubrum delectibus, ſubductiſq; ex arcium præſidijs veteranorum cohortibus, exarmatiſque ſolitis militum ſtationibus, omnia belli robora in eo aggere tuendo congeſſit: cum nullum aliunde periculum immineret, omnibus hoſtium viribus in ea terrarum parte conglobatis, ſi quà daretur, tranſitum tentaturis. Videbat enim Leganius præcipua hoſtium conſilia eò collineari, vt ſuperato flumine Hiria, perruptoq; aggere, in Dertonenſem agrum copias effunderent, atque ea vrbe intercepta, Inſubres Genuenſium commercijs, & auxilijs, quæ à mari mittebantur, intercluderent.

Leganij ſagax conſiliũ ſcrutinia.

Itaque ille ipſe cum omnibus peritioribus copiarum Ducibus, & Chiliarchis ſe in eius aggeris cuſtodia, ac litoris collocauit; cum inde omnis Inſubrum ſalus, incolumitaſq; penderet. Nec ſua illum cogitatio fefellit, aut inanis labor, & induſtria, aut profuſa in irritum impenſa in eo extruendo aggere, munimentoque extitit.

Educti aggeris vtilitas.

Hoſtis ſiquidem tantumdem eius tranſiliendi, quantum Hiſpani illum cupidi ſummouendi, copiarum peritiores, exercitatioreſq; Duces ad illud munimentum explorandum miſit; qui omnes difficultates accurata diſquiſitione dimenſi retulerunt: illud inexpugnabile, inacceſſumq; eſſe non tam amnis rapidiſſimi curſus ingenio, quàm Hiſpanorum moſchettariorum in ora collimantium obiectu, aduerſus quorum miſſilium procellam per fluminis vortices, & aggeris ardua eniti, deſperatæ audaciæ, perditæque inſaniæ foret.

Agger inſuperabilis hoſtibus.

Quamobrem hoſtes tutioris, ſaniorisque conſilij rati, ſi alios in Inſubres aditus experirentur, Nicia egreſſi, traiectoq; ibidem, quà tranſierant, Pado, ſecundum læuum litus, vſque eo proceſſere, vt ad Glareolam caput aggeris in Dertonenſi ſuburbano agro in aduerſo Hiriæ litore deſinens prætergreſſi, ibi lintribus, quos prono amne Pado traxerunt, Parmenſem Ducem in Placentinum agrum eluſis Leganij conatibus, & aggeris munimentis traducere molirentur.

Giaruola.

Verum hic quoque noua ſuborta difficultas hoſtes traiectu prohibuit. Demarchus enim Spinula cum numeroſa moſchettariorum manu hoſtem tranſitu ſummoturus in aduerſo litore cõſtitit.

Spinula ſe Gallis opponit.

Quare neque ibi metu cladis tentato vado, tamdiu ſecus litora progredi decreuerunt; donec Placentini agri fines in oppoſita ripa conſpicerent; in quibus Demarcho Villa cum ſuo, Gallorumq; agmine, Diui Pauli comite Duce in eo dominatu merentium, Parmenſem Ducem exceptum, traiectumq; fluminis tutum præſtitum iri ſperabant.

Ille ſanè ad præpetes Ducis nuntios, iteratàque mandata iunctis cum

comite

Digitized by Google

Demarchus Villa ad Padi litora.

comite copijs, recepto ex tranſitu, eiectis Hiſpanis, Diui Ioannis oppido, ad Arenam vſq; Ticinenſis agri vicum proceſſerat, vt ibi Ducem operiretur, quem ſperabat mox in aduerſo litore in conſpectum venturum, tranſiturumque defenſurus in vicino agro milites diſtinebat: ſed ibi quoq; non minus erat difficultatis obiectus inſuperabilis peruincendus, cum Ferrantes Bolognius Hieroſolymitanus eques impiger, & ſtrenuus miles diù in Belgicis bellis Martis diſciplinis eruditus caſtrorum præfectus omnia Leganij iuſſu libratis tormentis, poſitiſque moſchettariorum ſtationibus clauſiſſet. Nam, & vbi Ticinum in Padum euoluitur, munimentis, ac propugnaculis excitatis toto litore, & ſupra molédina torméta in ſubeuntes collinearat, moſchettariorumq; cohortes in margine ripæ prætenderat. Quare Duces magis ardui laboris, difficiliorisque operis tentare ibi tranſitum fluminis, quam ad Hiriæ vada rati in Ticinenſem agrum conuerſo agmine, cuncta rapinis, incendijs, ac cędibus funeſtarunt. Ticini ciues tam propinquo hoſtilium armorum circum terrore fremente, conſternati metu, quid in tanta rerum trepidatione, ſi hoſtis mœnia aggrederetur, ſibi faciendum eſſet, pauidis hærebant animis, vt patriam à direptione defenderent; cum nullus omninò miles, omnibus ad Hiriæ aggerem tuendum à Leganio abductis, nulla præſidiariorum ſtatio curaret. Ingens ſanè erat eius vrbis diſcrimen, quàm ſi potens hoſtis occupaſſet; difficillimum poſteà futurum fuiſſet, eum inde depellere. Quare Leganius iuſſit Demarchum Spinulam cum quingentis moſchettarijs in eam vrbem ſubito feſtinare, quorum aduentu non omninò confirmati à metu ciues, vt hoſtem vrbis acceſſu prohiberent; lapideum mirabilis operis pontis, quo ſternitur amnis, fornicem præcidere ſtatuunt. Verum hoſtis, quonam fato mentem auferente, non percepta bene agendæ rei opportunitate, copias Bremium retro reduxit; quàm ſi peritè amplexus fuiſſet, bellici decoris ad Valentiam iacturam, Parmenſiſq; Ducis traducti vltra Padum honorem vnus hic eorum auſus prægrauaſſet.

Padi litora ab Hiſpanis munita.

Galli Ticinẽſem agrũ populantur.

Ticini Vrbis trepidatio.

Gallorũ erratum.

Scrinia.

Nihil tamen hoſtes animis conciderunt, & ſi ad Hiriam amnem, neque ad Padum, omnia litora obſidentibus Hiſpanis, Parmẽſem Ducem in ſuas ditiones traducere nõ licuit. Cognito enim Nouarienſi agro omni pręſidio nudato, & militum ſtationibus experte, cum omnes Hiſpanicæ copiæ in Hiriæ aggeris etiam num cuſtodia durarent: illàc in Inſubres cum omnibus copijs erumpere decernunt; vt Hiſpanos ad tuendas eas terras ab eo aggere propugnando detraherent; perque deſertum militum cuſtodijs Parmenſem Ducem in Placentinum agrum tranſmitterent; quem Niciam cum tribus peditum millibus, & equitibus trecentis miſerunt, vt ibi captata deſtituti aggeris occaſione, ſe in ſuum dominatum abriperet. Tres igitur expeditiones mox obeundas conſulto vulgarunt; vt ad quamcumque Inſubrum partem tuendam abductus Leganius liberum trãſitum Duci relinqueret. Minabantur enim vel Valentiam ſe iterum obſeſſuros, vel Nouarienſem agrum, aut Sandouale propugnaculum aggreſſuros. Quamobrem

Galli in Nouarienſem agrum irrumpunt.

Gallorum mina.

Sandoual.

Digitized by Google

brem Valentiam cum tribus peditum millibus, & paucis equitibus Ioanne Garaio properare iuſſo, ipſe Leganius cum Demarcho Spinula, & Franciſco Mello eòdem ſe contulit; Gambacurtamque cum maiori equitum parte Rotofrenum à Villa oppugnatum ſubſidio miſit. Omnia fœlici euentu benè verterunt Hiſpanis: nam & Garaius in hoſtilis exercitus oculis ſubſidium Valentiam intulit, & Villam Gambacurta à Rotofreni iam deditionem paciſcentis oppugnatione decuſſit: validiorique oppidum pręſidio firmauit, quòd permagni Hiſpanorum intereſſet, eum locum in Inſubrum finibus retinere.

Hiſpanorũ fœlices euetus.

Leganius audito hoſtilium copiarum in Nouarienſem agrum ingreſſu, de incolarum ſalute, atq; incolumitate ſolicitus, ne ille terrarum tractus omni præſidio deſtitutus ab hoſtibus impunè diriperetur, eò celeriter Martinum Aragonium, & Ludouicum Guaſcum cum valida bellatorum manu properare iuſſit, vt exploratis hoſtium conſilijs, ſui agminis obtentu eos populos à direptionibus, cæteriſq; belli incommodis tuerentur: & ne lintribus rurſum, prorſumq; per Ticinum amnem merces vehentibus in traijciendo exercitu vterentur, belliq; terrore Inſubrum vlteriora percellerent: eas vel in Verbano lacu, ex quo Ticinus effluit, vel ad vrbis Papiæ litora detineri præcepit. Perſtitit tamen ipſe cum maiori copiarum parte in aggeris Hiriæ cuſtodia, vt Parmenſem Ducem vada tentantem repelleret: qui Niciæ occaſioni deſerti ſuperandi aggeris imminebat. Interim Fœderati Principes firmis copijs obſepti in Nouarienſem agrum immiſſo exercitu, cuncta direptionibus, incendijs, populationibus proruebant, vel acerbiſſimis pecuniarum exactionibus infeſtabant: promotoque ad Fontanetum parum firmis munimentis vallatum, ſed magni ob ſitus opportunitatem momenti, agmine, oppidani in arcem hoſti prædandis ædibus deſtitutis, cum rerum cariſſimis confugerunt: ibi quatuor dies fortibus animis aſſilientium hoſtium impetus ſuſtinent; ſed tandem multitudine virtus obruta ceſſit; directi omnes, exutique fortunis in Mariſcalli Toraſij necis vltionem, qui dum animoſius inter dimicantium cohortes diſcurrit: è maiori ſclopo ex arce excuſſa in incertum glande primis ſtatim miſſilium ictibus traiectus interijt: indigna ſanè tanto Duce, ſtrenuoque bellatore ſub ignobili, obſcuraque arce mors, cui non tam ſocij, quàm ipſi hoſtes illachrymati ſunt, ob inſignem viri virtutem, rerumque geſtarum famam, qua inter prima bellatorum nomina ad ſtuporem inclaruit.

Hiſpani in Nouarienſem agrum contendunt contra Gallos.

Lago maggiore.

Parmenſis Dux Niciæ moratur.

Fontaneti arx capitur à Gallis.

Mariſcalli Toraſij cædes.

Eius virtus

Hoſtibus Fontaneto potitis actum in conſilio eſt, an Nouaria, vel Sãdouale propugnaculum bello petendũ. Dum dubijs pendẽt animis, quid magis expediret, inopinatus euentus in maiorem ſpem rerũ conſultantes erexit. Sex pedites Galli rubeis ſericis tænijs præcincti Hiſpanorum milites mentiti ad Ticini litora progreſſi conſpecto in aduerſa ripa pontone, quo vltra amnem plauſtra, equi, viatoreſque traijciuntur; vocatum Portitorem orant, vt penſo naulo ſe in vlterius litus traducat; ille ex rubris faſcijs ratus amicos nimium credulus, lucrique cupidus eos rate excipit: quem

protinus

protinus ſtrictis pugionibus confodiunt, ductoq; in aduerſum litus pontone, egreſſi vicinam circum regionem intentiſſimè ſpeculantur; quæ incolis vacua, omnibus propinqui hoſtilis exercitus metu in tutiora fuga dilapſis, inuenta, abactis aliquot bobus, rurſus flumen traijciunt; aditoq; Allobrogi Duci, & Crequio nuntiant rei euentum, facillimumque fore copias vltra eum amnem in Inſubrum viſcera traducere. Erat omninò auſus ingentis ſpei plenus, & ſupra vota glorioſus; eo magis, quòd non erat è Regiorum armorum dignitate, atque exiſtimatione, diripiendis agris, populandiſq; villis tantum contra armenta, aggreſteſq; bellum gerere, nec digna eius exercitus viribus audere. Erat igitur parandi bellici decoris amplectenda occaſio, quàm propitia fortuna ſponte, ex inſperato obtulerat. Addebat animum, ciebatq; magis hoſtium virium contemptus, quod pone munimenta duntaxat, atq; aggeres ſubſidentes in apertum cõtra hoſtem progredi non auderent; tunc multò minus prodituros, ne de ſolitis gentis more bellantis, in vnius pugnæ caſum Inſubrum dominatu dato, Hiſpanam rem in prælij diſcrimen adducerent. Præmiſſis itaque vltra Ticinum aliquot equitum turmis, qui regionem, rerumq; habitum explorarent; vt eo quaſi belli tentamento ſuas, hoſtiumq; vires experirentur, euentaq; futura cognoſcerent; ibi equitum reditum præſtolantur; qui eadem, quæ primi exploratores milites, retulerunt. Iuncto itaque amne ponte, quem ex nauibus, quas plauſtris pone trahebant, momento compegerant; traductoq; vltra Ticinum exercitu, aliquot paucis diebus quieuere in omnem occaſionem intenti, quam tam fœlix euentus poterat ſubijcere. Ibi amnis fuit ponte conſtratus vbi vectigalia, & portoria à merces tranſuehentibus exiguntur; paulum ſupra ingentium ſaxorum clauſtra, quibus in arctum coacto amne, aquæ eo obiectu retro compulſæ, intumeſcenteſque in alueum ſuperfuſæ Mediolanum nauigabiles vſque decurrunt (Nauilium Italo nomine incolæ vocant), quò mercibus onuſtæ naues magno vrbis, & vicinarum amni gentium commodo deuehuntur, aguntur q; aduerſo amne vſque ad Verbanum lacum. Inde per plura emiſſaria, atque incilia in circum iacentia prata effuſę aquę vberrimum ſolum magis humore fœcundant. Primo igitur belli malo ſaxea illa clauſtra diſijciunt, vt aquis Mediolano ademptis, ciues eo commodo, quo quotidie merces, commeatus, annona vrbi inferebantur, priuarent. Deinde Tornauenti in exiguo in lęuo Ticini litore vico circumfoſſo vallo ſe muniunt, & ad quandam latiſſimam planiciem dumis, & vepribus ſylueſcentem munimenta protendunt. Ibi aliquot morati dies cum nullibi hoſtis occurreret, & Guaſcus nundum aduenifſet, Aragoniuſque multo viribus inferior ſe intra ſtatiua contineret: poterant nullo prorſus repugnante Mediolani mœnia ſubire, immo in vrbem ipſam nullo præſidio defenſam irrumpere; niſi illis mentem, & conſilium cęleſtis bellorum Dominus abſtuliſſet.

Galli in maiorē ſpē erecti Ticinum traijcere meditantur.

Galli Ticinum traijciunt.

Lago maggiore.

Galli Ticini emiſſarij clauſtra diruunt.

Mediolani diſcrimen Gallorum error.

Ciues enim imbelles, & timidi audito hoſtium vltra Ticinum traiectu, nimio terrore conſternati, cum aggreſtium turba, & fœminarum pueros

manibus

manibus trahentium multitudo cum ſuis reculis in vrbem trepida turma-tim affluerent, eoq; tanquam in tutum perfugium cariſſima quæque con-ueherent: tantum animos deſponderunt, vt metu exangues hac, illàc, amentibus ſimiles diſcurrerent; pretioſas ſupellectiles vrbe efferrent, quaſi mox ab hoſtibus diripiendas, atque in Venetorum fines aueherent. Nunquam poſt hominum memoriam fertur tanto pauore illa ciuitas trepidaſſe, quaſi præpotens hoſtis iam iam mœnia propugnatoribus vacua, ac deſerta pulſaret; certè propediem vrbi immimens affuturus, ſi Mediolani præfectus in Hiriæ aggeris obſtinacior propugnatione perſiſteret. *Querebantur ciues, quòd cæteris Inſubrici dominatus hoſtium arbitrio deſtitutis, Parmenſem Ducem in ſuas ditiones tranſitu arcere perſeueraret in: hoc ſummam belli ſtare, repellendo tantum illi Duci omnia eius conſilia collimare; cuncta incendijs arderent, expilarentur miſerorum incolarum fortunæ, Inſubres bellorum excinderent impetus; nullius penſi erat. Copiæ tanta populorum impenſa congeſtæ, atque in hybernis tantis incommodis, & anguſtijs bene habitæ inutiles, atque otioſæ ceſſantes procul ab vrbe detentæ tantum impendens extremi excidij diſcrimen à patria, ſtrictoſque hoſtium enſes à ciuium iugulis depulſuræ non adeſſent. Cur in alendis tota hyeme militum agminibus exhauriuntur incolarum opes, domeſticæ fortunę à ciuibus impenduntur; ſi cum eorum opera, virtuteq; opus eſt, procul abductę regiones, agros populandos, prędandoſque, ſeque cędendos hoſtibus derelinquunt? Ad hoc aluntur exercitus, vt ſuorum pectorum, atque armorum obiectu populos ab hoſte defendant: vt aduerſus diſcurrentis frontem incedant.* Vniuerſus populus territus in plateis, & compitis, contra Hiſpanos miniſtros, & ipſum Leganium acerbiſſimis queſtubus exclamabat communia pericula, calamitates, malaq; deplorando, propeq; ſeditionem ventum eſt: tumultumq; magis excitum iri videbatur; quam vt de tuenda communi patria cogitarent. Plures etiam vrbis diſcrimen irreparabile rati, vt pretioſa direptioni, quam certam futuram putabant, ac hoſtium auaritiæ ſubducerent, in Venetum dominatum tranſtulerunt: eratque diuerſa miſeræ vrbis facies efferentium, inferentium cariſſima, ſe in ijſdem portis multitudine elidente; cum illi diffiſi manibus res ſuas in tutiora loca aueherent; hi tanquam in ſecuram arcem ditiorem ſupelectilem comportarent. Gliſcebat populi terror communi opinione verentis, ne Dux Rothomagenſis demiſſis è Volturena per Saxinam vallem in Inſubres copijs, Leuco ſuccederet, eoq; occupato Mediolanum recta, nemine obſiſtente, infeſtum duceret agmen, ſociatiſque cum Fœderatis Principibus viribus, totum Inſubrum dominatum procurrerēt. Ita metus omnium ciuium animos, menteſq; turbarat, vt neque arma ad propugnandum expedire, neque explicare conſilia, aut periclitanti patriæ conſulere, ſalubrioraque amplecti, in diuerſa diſtrahente pauore, confuſioneq; ſcirent.

Mediolanēſium ciuiū trepidatio.

Mediolanēſium ciuiū de Leganio querelæ.

Mediolani pene mota ſeditio.

Valſaſna. Lecco.

Primates in tam turbato rerum ſtatu Antonium Ronchillium Hiſpanum equitem magnum Inſubrum ſcribam abſentis præſidis vicem gerentem adeunt;

adeunt, orant, vt conſternatæ metu ciuitati proſpiciat, tumultuantiumq; ferè ciuium animos ſua interiecta authoritate ſedet, res perditas alicuius ſubſidij prouiſu curet. De eadem re per litteras ab Hiriæ aggere miſſas à præſide Leganio mandata acceperat. Quare ille frequenti, ac ſolicito tympanorum pulſu militum ex omnium ciuium ordinibus quàm maximum poteſt numerum cogit: certatim tam patricij, quam plebei dicunt ſacramentum. Hos omnes in varia agmina partitus ad mœnium cuſtodiā diſtribuit, atque in vrbis portis excubare iuſſit. Muros etiam, quà diruti aut humiles poterant facile ab hoſtibus tranſiliri, recentium munimentorum obſtructione firmauit. Quibus operibus ciuium animi à metu aliquātum confirmati, ab eo ſe terrore panico receperunt, quo eorum offuſæ mentes paulò ante rebus ſuis deſperarant. Omnem verò abſtulit metum Borſi Principis Ateſtini cum duorum millium, & quingentorum Germanorum legione in Mediolanenſem ditionem ingreſſus; quos ſtatim Leucum feſtinare iuſſit, vt irruenti in Inſubres Rothomagenſi Duci ſe ſe ad eius vallis fauces obijcerent. Sed non minus in Fœderatorum caſtris, quàm Mediolani, turbatum eſt: cum ſe in hoſtili ſterili, deſertoq; ab incolis ſolo vbi vaſtato circum agro, nec pabulari, nec frumentari inedia confecti milites poſſent, caſtra locaſſe viderunt: in quæ niſi à Taurinis perniciosa mora, & militum incommodo commeatus conuehendi eſſent: ibi diutiùs in tot anguſtijs durare, ſummæ difficultatis, Mediolanum exercitum ducere ardui, periculoſique operis erat. Nam pons, qui propugnaculis muniri nullatenus poterat, læuo Ticini litore in tumulum aſſurgente, circumiectiſq; cliuis, ex quibus ſupernè ictibus petebatur, litori imminentibus, deferendus; quem ſi præſcinderet hoſtis, intercluſo reditu, in hoſtico & fluminis obiectu, & Inſubrum copiarum oppoſitu, vndiq; ſeptis accipienda ſine dubio clades erat, atque exercitus internecione delendus: & iam Leganius cum vniuerſis copijs affore nuntiabatur. Quare ſi nihilominus omninò ſederet animis Mediolano exercitum promouere; quidquid tentaretur, in cladem, ruinamq; copiarum exiturum videbatur. Nam ſiue ingreſſo iam in vrbem Leganio, erat mœnibus ſuccedendum, vel in ipſo oppugnationis feruore, vel iam parta, expugnata vrbe, victoria ſuperuenturo, quid quid horum accideret, æquale adeundum eſſe diſcrimen. Si enim exercitu, peritoq; Duce propugnante aggredienda ciuitas foret, quis non temerarium, pernicioſumque conatum, inanemq; laborem futurum cenſeret eam vrbem tentare, quam innumeri ciues, veteranæq; copiæ pro mœnibus ſtantes eſſent ſine dubio quemlibet hoſtium impetum propulſuræ? ſi vero improuiſus pulſantibus adueniret; fieri non poterat, vt continuaretur obſidium, à tergo exercitu omnia claudente, commeatus, ſubſidiaque intercipiente, immo aſſiduis aſſultibus terga quatiente, verendum fore ne in ipſo receptu clades aliqua inferretur. Si autem iam adepto victoriam milite in vrbem inuecto, Hiſpanus accurreret: hoc vltimo exitio fore, victriceſque copias prorſus concidendas, cum miles ſpolijs rapiendis intentus hac

Ciuium delectus habentur.

Mediolanū munitur.

Princeps Ateſtinus in Inſubres cum Germanico ſubſidio intrat.

Gallorum difficultates.

Digitized by Google

hâc illâc per vrbis regionis vagus, & prædis onuſtus non Ducum imperia audire, nam conglobare ſe ſe, non in ordines redire, non communi ſaluti proſpicere vellet. Quare hoc inſanum adeundi Mediolani auſum erat ſummam perniciem exercitui allaturum, eamq; plenã victoriam hoſtibus traditurum, quàm ipſi eo Ticini tranſmiſſu cupidis conceperant animis.

Nihil itaq; ægrius factum eſt, quàm, vt Crequij impetum in militaribus expeditionibus feruentiſſimi cohiberet, frẹnaretq; audaciam iam opulentiſſimæ vrbis direptionem cupidiſſimo animo agitantis. *Cur enim,* ille aiebat, *copias Ticinum traduximus? vt hic poſt munimenta ceſſantes in hoſtili, egenaq; omnium rerum terra fame conficeremur? an potius, vt in viſcera Inſubrici dominatus illati aliquam opportunam, quam fortuna daret occaſionem amplexi ad æternum bellicæ gloriæ decus, regiorumq; exiſtimationem armorum quaquauerſum terrorem circumferremus, interceptaq; repentino belli impetu aliqua vrbe, ſedes, belliq; armamentarium in Inſubribus poneremus? Vrbes omnes, vt plerunq; debilibus, vetuſtiſq; mẹnibus ſeptæ, ita nullo milite propugnantur. Ipſa ciuitas Mediolanum quamuis frequentiſſima imbelli tamen plebe, & ciuibus, vel delicijs, & menſarum cupedijs deditis militaris rudibus diſciplinę referta nullo præſidio, quod numeroſiſſimum poſtularet murorum circuitus amplitudo, defenſa noſtris accedentibus copijs pacta ſalutem rerũ ſuarũ incolumitatẽ portas aperiet: ne temerè nudata præſidio noſtris potentibus armis obſiſtendo, ab irrumpentibus victoribus diripiatur, & inconſulta, amenteq; audacia ſibi moliatur exitium. Iam mihi videor videre ciues metu exanimes, conſilij inopes his rerũ difficultatibus implicitos fluctuantes huc, illuc diſcurrere, & fuga ſalutẽ meditari: ad Indigetũ aras ſupplices ingemiſcere, à ſe precibus imminentia belli pericula deprecari. Vix in conſpectum noſtræ copiæ ſe dabunt, cum diffiſi mœnibus ciues, quæ vbiq; humilia ciuitas hoſti oſtentat; deditionem facient. Sed celeritate opus eſt, ſed ingentibus animis, ſed impauida audacia, cum violentiſſima quæque belli fortunatiſſima ſint: donec Leganius adhuc inutili peruicacia fruſtra copias in Hiriæ aggeris cuſtodia diſtinet: nec in ſuum animum inducit, nos Mediolani Principis vrbis oppugnationem auſuros. Sed omnibus copijs ſtipatus occurrat; nos longè viribus, & militum virtute, & numero ſuperiores prælium cum tumultuario, collectitioque exercitu formidabimus? Certè conſtat cunctabundum Hiſpanum, morarum amantẽ nihil magis horrere, quàm prælium, quàm vna pugna de rerum ſumma decernere; ne incertis belli fortunæ caſibus ſuos dominatus obiectet. Sed ſi illis animos faciet retinendæ huius vrbis Principis amor; ſubſidioq; oppugnatæ omnibus viribus properabunt: nos interiecto noſtro inter vrbem, Hiſpanaſq; copias exercitu, aut illos nobis cum acie confligere, aut retro abire cogemus. Si magnanimo auſu aperire fata volueris, & quam nobis propitia fortuna vltrò obijcit, arripere occaſionẽ profecto omnes Inſubres nullo fere Marte in noſtram poteſtatem venturos ſpero cum omnia aperta præter Mediolanenſem arcem, parumq; munita ſint, non depreſſæ altius foſſæ, non firmæ ſtructura mẹnia, non circumductæ loricæ, aggereſq; vrbes, & loca circumdent. Pręter id quod vectigales omnes inuiſo Hiſpanorum imperio, diuturnis mili-*

Crequij oratio Mediolanum oppugnãdum ſuadentis.

tum ſtatiuis, frequentibus hybernis afflicti, aſperatique, & pecuniarum crebris exactionibus exhauſti duriſſimum iugum exuere feſtinant. Vix noſtra vndantia, micantiaque lætum ſigna conſpicient, cum ſtatim malè diu diſſimulata odia, conceptaſque animis tacitis iras arreptis armis effundent. Noſtram fortaſſe opem, aduentum in ſui vltionem duro imperio opreſſi ſilentibus deſiderijs inclamant. Non ignota loquor, non obtrudo obſcura; hæc ipſa, & per exploratores, & per transfugas afferuntur. Stipendiarij malè ab Hiſpanis habiti inter omnium rerum difficultates miſerrimum ſpiritum trahunt militum hoſpitijs omnibus fortunis exuti vitam vtcumque tolerant nulla acerbiora paſſuri; cum eò miſeriarum ventum ſit, vt duriora ab ijs timeri non poſſint. Laletania ijſdem calamitatibus obruta animoſior, excuſſo generoſis ceruicibus eorum iugo, ſe in libertatem aſſeruit. Luſitania ijſdem malis oppreſſa vniuerſa gente aduerſus Caſtellanos iratis clamoribus perſonante, vnanimis rebellauit; cæteri vectigales illum diem ſibi videre videntur: quo propitio Numine ſua vota fortunante, huius gentis imperio eximantur. Verum hæc falſa, inaniaque ſint: mentianturque vectigales exterorum dominium peroſi. Nos in tanta rerum benè gerendarum opportunitate nullus reſpectus ab vlteriora Inſubrum progrediendo, ipſique Mediolano admouendis copijs deterrere debet. Timor vt in omnibus rebus turpis degeneres animos arguit; ita præcipuè in bellicis expeditionibus maximè pernicioſus, cum manibus certas victorias eripiat, animoſaque conſilia ſubuertat. Dux omnia nimium meticuloſè dimetiens, cautoque animo ponderans ſibi metus cauſas trepida mente figurat, vbi nulla timendi cauſa ineſt: vel nihil vnquam glorioſi, laudabiliſque perficiet. Efficax audacia, furioſi Martis impetus deſtinatas expeditiones abſoluunt; non timor, non pauida cautela. Ad quid deſcendimus in Italiam, peditum, atque equitum agmina tantis impendijs authorata per alpium ſalebras, & inuia ſaxa in hæc loca deduximus; vt intra ſtatiua, cum grauiſſimo incolarum detrimento inertes, otioſi, torpidi ſeneſcamus? an potius vt Hiſpanos Inſubrum dominatu audaci armorum impetu euertamus? Si poſt traiectum Ticinum ad glorioſa lucra aditum nobis aperiente fortuna, cedimus retro; quid aliud eſt, quàm vincendi occaſionem fugere, fælices futuros armorum profectus importuno pauore corrumpere? vltro oblatam victoriam repellere? Nullus Gallicus exercitus Ticinum tranſmiſit, qui Inſubrum dominatu potitus non ſit. Teſtes ſubeant Franciſci, Ludouici cum validis copijs in hæc ipſa tranſitus loca, bella, prælia, victoriæ: nullus in Galliam, niſi domitis Inſubribus, abſceſſit. Eadem Gallica arma fortuna fælicitabit, nobiſq; ingentibus animis glorioſa audentibus aſpirabit; quæ ſuo ingenio niſi audaces, animoſoſq; ſecundat. Quare ne diutius vicinam morere victoriam, infer Inſubribus ſigna, teq; hoc præclariſſimo auſu æternitati commenda.

Dux Allobrox nihil Crequy oratione mouetur.

Audijt Dux Allobrox Crequium militariter perorantem; verum eius audaciæ plenæ orationis feruor nihil Ducis animum inflammatum de ſuis ſemel ſuſceptis conſilijs abduxit, & cum ille ſupremus

eſſet

Digitized by Google

eſſet exercitus imperator, ſuit Crequio Ducis voluntati omninò acquieſcendum: ſed ab eo acribus querelis obtrectatum Allobrogi eſt, acerbè de illius ancipiti ingenio expoſtulante; quòd nihil à ſuis arcanis propoſitis, deſtinatiſque diſcedens certiſſimarum occaſiones victoriarum, quas Regiæ fortunæ fœlicitas obtulerit, repudiarit. Inde igitur ſterili loco fame, ac neceſſitate compulſi, lacum Verbanum verſus ducere decreuerunt; vt Seſto, Anghiera, atque Arona in lacus faucibus occupatis, totius oræ oppidis potirentur: ac proinde aditum Germanicis ſubſidijs, qui vnus ſupererat, intercluderent: nè ab Hiſpanis per eum in Inſubres admitterentur: qui Volturenæ quoque Gallicis armis anguſtijs obſeſſis, exteris auxilijs deſtituti, a validiore aliquando Gallorum exercitu ſubigi, domarique poterant. Soluto itaque Ponte, naues partim plauſtris impoſitæ, partim aduerſo flumine manibus trahebantur, recta Lacum verſus diuiſo agmine tendunt. Dux Allobrox cum ſuis Taurinis ſecundum dextrum amnis litus, Crequius cũ Gallis ſecus lęuum iuxta in mutuum conſpectum ducunt.

Crequij de Allobroge Duce querelæ.

Fœderati ab Inſubribus recedũt

Leganius vbi à Legatis ab Vrbe Mediolano miſſis allatum eſt Ticinum Fœderatorum exercitum tranſmiſiſſe, totamq; vrbem vario tumultu, ac trepidatione miſceri, Nouarienſemq; agrum nemine repugnante, vaſtari; tandem ab Hirię aggere, pro quo tuendo, arcendoq; Parmenſi Duce tantopere deſudarat; ad aſſerenda ab hoſte potiora diſcedere ſtatuit; edixitq; vt omnia militum agmina tam in Dertonenſi, quàm in Placentino agro æſtiuantia ſe ponè contento gradu ſequerentur. Ipſe anteuertens cum Franciſco Mello, & paucis equitibus Ticinum prægreſſus, ne conſpecto quidẽ Mediolano, Abiatum citato equo tetendit quindecim paſſuum millia Tornauento diſtantem. Mediolanenſi interim arci Mello præfecto, ne in tanta rerum confuſione aliquid acciperetur incommodi, ſi hoſtis ſuccederet vrbi, ratus non è Regis obſequio eſſe munitiſſimam arcem, qua Hiſpanorum in Inſubribus ſtaret Imperium, hærente in viſceribus hoſte, iam, iamq; vrbis męnia quatiente, ſine prudentis conſilij, militariſq; peritiæ, & authoritatis Duce deſtitui. Mellus arcem ingreſſus accurata ſolicitudine omnis generis commeatus, res tormentarias, omneſq; bellicos apparatus nocte clam ciuibus in caſtellum ingerere inſtitit: ne eo trepido rerũ prouiſu, ſi in eorũ oculis fieret; totam vrbem maior conſternatio turbaret. Mille quoque, & ducentos equites paulò ante è Germania in Italiam ingreſſos equeſtribus armis inſtruxit: trepidantemq; vrbẽ, atq; ęſtuantẽ pauore ſedauit, animauitq.

Leganius Mediolanũ feſtinus ſubſidio accurrit.

Biagraſſa.

Franciſcus Mellus Mediolani arcẽ firmat.

Omnes copiæ collectæ ad quindecim peditum, & quinq; equitum millia ad Leganium confluunt; qui vt eorum locorum ſitu, a quibus hoſtis diſceſſerat, exploraret, tribus duntaxat equitum turmis obſeptus eodem die, quo hoſtis Verbanum lacum verſus abierat, eò profectus eſt. Hoc vbi Crequio innotuit eodem litore proficiſcenti, nec dum etiam duodecim paſſuũ millia emenſo, agmen conſiſtere iuſſit; Ducemq; Allobrogem è regione in aduerſo litore procedentem conſuluit; decretumq; communi conſilio eſt; vt ad

Hiſpani exercitus numerus.

maius damnum declinandum in relicta munimenta illicò rediretur: cum vehendum eſſet, ne Gallorum agmen in citeriori litore incedens interfluente amne à reliquis copijs ſecretum ab Hiſpanis penitus deleretur, ſi euntibus inſtarent: neq; enim ponte committi poterat flumen à Lacus faucibus Tornauentum vſq; prono maximè alueo rapidiſſimo fluctu decurrens: idemq; aquarum impetus prohibebat naues, quæ aduerſo flumine trahebãtur; opportuno pangendo ponti, maturoq; tempore duci, antequam hoſtilis exercitus adueniret: cum è contra cedendo retro velociùs ad eundem primum locum amnis violentia raperentur: vbi celeri opere ponte conſtructo, poterant copiæ antequam hoſtis ingrueret; ſimul ſociatis agminibus iungi. In huiuſmodi anguſtias Gallorum agmen adductum, vltimo fere diſcrimine laborabat. Itaq; ſubito conuerſo agmine, eodem die ſub cadentem ſolem iter citato gradu remenſi Tornauenti iterum conſtiterunt.

Galli in priſtina caſtra redeunt.

Paulò eum Vicũ inferius, quà ſe prouehere poterat hoſtis, profunda ſubſidebat foſſa, quam quondam Galli cum Inſubribus dominabantur, ad deriuandum aliò Ticinum depreſſerant: qui quia fuit inanis labor, & vana induſtria, inſaniq; impendij iactura naturæ leges mutare audentium, illi foſſæ, Paniſperditi ab vniuerſo eius tractus incolarum vulgo nomen inuentum, quod ad hanc vſq; diem durat. Hanc foſſam Crequius ea veluti munimento, loricaque agminis vſus ſuis copijs contra hoſtem obtendit. Nam cum ſe duntaxat intra munimenta tueri, inuadentiumq; hoſtium impetum excipere ſtatuiſſet; ſuos milites in foſſa continuit; iuſſo dyuaſta Boiſaco cũ trecentorum equitum turmis extra diſcurrere, ſuoq; obiectu munimentũ firmare, atq; in latera hoſtium incurſu, miſſilium iactibus eos ab inuadendis munimentis arcere. Neque tutiùs, neq; ex militari diſciplina peritiùs ſe Crequius vallare poterat. A fronte agmen, & à læuo latere foſſa à dextro vicino ſaltu, emiſſarioq; à tergo Ticino, Tornauẽtoq; tegebatur. Hoc firmiſſimo munimento ſeptus Hiſpanorum impetum expectabat. Leganius ſuis copijs Conſtantianum tria paſſuum millia propè Tornauentum adductis, recedentis hoſtis extrema agmina carpere, inſtareq; proficiſcenti; immo etiam, ſi verſa agminis fronte, conſtitiſſet, cum eo acie pugnare decreuerat. Eodem veſpere, quo Crequius Tornauentum redierat; Conſtantianum tenuit, & quamuis nũdum etiam accita omnia peditum, & equitũ agmina ab Hiriæ aggere aduenifſent; & quæ ſecum traxerat, longi itineris labore, properandiq; celeritate laſſata vix pedibus ſtarent; attamen cum victoriæ ſpẽ in eo poneret, ſi prius, quã amnis ponte iungeretur; cum ea tantũ parte hoſtilis exercitus dimicaret: in hoſtem ſubitũ facturus impetum mouet: eò libẽtiùs, & animoſiùs, quòd duab. ante lucẽ horis Gãbacurta cũ parte equitatus aduenerat. Eius ad pugnã animũ accendebant hoſtis à cæteris copijs auulſi imbecillitas, aridi loci aqua carentis iniquitas, in quo diù copię morari nõ poterãt, amittendæ bellicæ exiſtimationis metus, ſi cũ tã vicino, imbecillioriq; hoſte cõfligere recuſaret. Quare pugnandi cõſilio in neceſſitatem verſo, dimicandũ omninò erat; vt populorũ hoſtiũ internecionẽ cupiẽtium

Panperduto

Gallorũ caſtrorum firmitas.

Leganius hoſtem aggredi meditatur.

Pugnandi cum hoſte neceſſitas.

votis

votis aliquantum ſatisfieret, qui ſtatiuis, hoſpitijs, pecuniarum imperijs, hybernis afflicti, exhauſti ferre non poterant inutilibus, pernitioſiſque moris, cunctationibus ſuis impenſis trahi diutius bellum, conſilioque magis, quàm militum pugnis, & laboribus adminiſtrari, ſuas calamitates, & mala nullum finem habitura, numquam bellum confectum iri, quod in ducum, & militum lucrum cederet, in longum produci: addi hoſtibus animos, meticuloſè cunctando, qui incurſibus, incendijs, populationibus Inſubribus deueſtatis, populos ad vltimam deſperationem adegerant. Verebatur itaque Leganius, niſi in tanta hoſtiũ vicinitate ferret manus, conficiendique hoſtis occaſionem amplecteretur, populi conſternati aliquid durius conſulerent, irritatiſq; animis tumultum aliquem cierent. Eorum itaque damnato conſilio ſuadentium *temerariæ nimium audaciæ eſſe exermibus pectoribus exercitum intra munimenta impetum expectantem inuadere: ſua, non hoſtium corpora obnoxia vulneribus fore; eos firmo munimento vallari; ſe nullis aggeribus, nullis loricis, niſi pernicioſa tegi magnitudine animorum. Quid ſi ſocij moliti pontem traiecto flumine agmina iungant: quam horribilem ſtragem ex tuto pugnantes miſſilium iactibus nullis irritis, vt in confertos contortis telis caſuris, ſubeuntium daturi erunt? Verum incolumes milites, atq; integri munimentis impunè ſuccedant, quàm multi in ipſo per ardua aggerum niſu interituri ſunt, cum ab hoſtibus à fronte, à lateribus maioribus ſclopis, haſtarumq; cuſpidibus petiti reſupinati per munimentorum deiectus ictibus confoſſi, cæſi inconſulti auſus pęnas luent? ipſis interim impunè obtentu munimentorũ tectis inceſſentibus, aut vulnerantibus hoſtem? Eãdem impetus celeritatem, quæ cum dimidia hoſtilium copiarum parte pugnando, ſpem victoriæ facit: ſecum cladis accipiendæ trahere metum, quòd non omnibus copijs, ſed dimidijs tantum iretur in hoſtem, iiſq; itineris labore fatigatis, ſudore fluentibus, æſtu enectis. Alia eſſe agmina expectãda mox in caſtra ventura, non interim elapſurũ hoſtem, qui ſe contra vim tam præclarè muniſſet. Omnes copias ſimul conglobatas totis viribus adnixas aliquid profecturas. Atenim iungendi pontis, ſociandique diuiſi flumine exercitus hoſti dabitur tempus: ac proinde excipiendis impreſſionibus validiorem futurum, cędendæq; alterius partis opportunitatem damnoſa mora interciſuram; in celeritate ſtare victoriam, quæ timida cautela cunctando corrumpitur. Atqui nihilominus lenioris, tutioriſq; eſſe conſilij non mediam copiarum partem feſſam contra dimidium hoſtium exercitum integris uiribus, munimento ſeptum in pugnã inducere; ſed cætera militum agmina præſtolari, quæ à tergo Gallici agminis circumfuſa, poterunt, & Allobrogem Ducem tranſitu prohibere, & Gallos ſimul refectis viribus oppugnare. Augere pugnæ difficultatem anguſtias loci, in quo omnes copiæ in aciẽ extendi nõ poterunt: nec patere equorum procurſibus ſpatiũ, ac proinde equitatũ ceſſantẽ peditũ certamẽ ſpectaturũ.*

Aliqui pugnandi cũ hoſte conſilium damnant.

His rationibus nihil affecto Leganij animo, altera tenuit pugnandi ſententia, cum populorum vota pugnam depoſcentium quolibet alio rerum reſpectu potentius ad certamen vrgerent; quibus omninò etiam cum iacturæ diſcrimine erat indulgendum; ne conſilijs tantum, cautionibus, mora

Leganius in pugnandi ſententia perſiſtit.

Digitized by Google

fatigando hoſtem, frangendoque eius patientia impetus, atq; cunctatione eludendo conatus, cum eorum intolerandis impendijs bellum adminiſtrari videretur, audendum tandem prælium, Hiſpanorumq; arma an feriant, & vulnerent, experienda. Edixit itaq; pugnam: non plus octo, aut decem peditum, & quatuor equitum millia in eo exercitu cenſebantur: nundum enim peditatus omnis vndiq; ſolicitis nuntijs accitus aduenerat. Anguſtiæ loci prohibebant in aciem, latoſque ordines equites explicari. A peditum tergo itaque conſtituti, vt pugnantes eorum propinquitas roboraret.

Ad pedites tantum omnia pugnæ diſcrimina reſpiciebant, ipſiſque duntaxat cum hoſtibus dimicandum. Leganio aderant Demarchus Spinula, & Franciſcus Mellus, quem eius certaminis deſiderium eadem nocte a Mediolanenſi arce in caſtra rapuerat, illum conſilio, atque opera adiuturi. Decimo Kalendas Iulij totius anni longiſſimo die ad Cancri metam ſole ſuum ſiſtente curſum, atque ideò torentiſſimo, quarta hora hoſtium caſtra cępta ab Hiſpanis ingentibus animis oppugnari. Quindecim horas impetus tenuit, certatumque eſt vſque ad elapſam primam ſequentis noctis vigiliam, tanto animorum ardore, efficacique niſu, vt nullibi acriùs, fortiuſq; ſe pugnaſſe Hiſpani, atq; Inſubres meminiſſent.

Hiſpani Gallos in ipſorum caſtris inuadunt.

Hoſtes munimentorum obtentu valliq; obiectu vndique optimè tecti aggredientium vim fortiter propellebant: illi tamen nudis pectoribus hoſtium impunè ferientium ictibus, vt aperto in campo decertantes obnoxij præſenti contempta pernicie, nulla ſalutis cura, vltra adeò penetrarunt; vt cominus haſtis, atque enſibus ageretur: quamuis trecenti equites Galli, quos Crequius extra munimenta ad ſommouendum a munimẽtis hoſtem iuſſerat dimicare; multum, diuq; Hiſpanos ancipiti pugna diſtinuiſſent. Aduerſus hos ad leuandos ea moleſtia pugnantes Leganius Gherardum Gambacurtam cum quingentorum equitum ala mox totidem equites loricatos Auguſtino Fliſco Duce immiſit. Gherardus ingenti auſu in hoſtes illatus eos in quemdam ſaltum a tergo hærentem extruſit; in quem ipſe, quoque propulſis inſiſtens inuectus ab hoſtium munimentis maiorum ſcloporum telis cępit inceſſi: quibus plurimi, ipſeque Gambacurta duabus glandibus traiectus interijt. Huius neci equitis exercitus totus ingemuit, quòd non modo impauidi animi bellator ſtrenuus, ſed etiam rei militaris apprime peritus præſẽtis cõſilij in rebus arduis vtiliora ſubito decernẽtis haberetur, ſuamque virtutem multis experimentis, & expeditionibus fortiter ſemper agendo probaſſet. Cæteri equites, cęſo Duce, remiſſa ferocia fluctuante inter incerta agmine, à Gallis, qui ea Hiſpanorum trepidatione reſtitutis ordinibus, in pugnam redierant acriores retro acti, propulſique vſque ad Fliſci turm s perpetua miſſilium iaculatione fuerunt: qui diducto loricatorum agmine, exceptis fugientibus ſinu, iterum denſatis ordinibus ruentibus Gallis non obſtitit modò, ſed etiam in nota ſyluæ latibula fugere edita cæde coegit, vnde ampliùs prodire non auſis, ea moleſtia

Galli acerrimè inuadentibus reſiſtunt.

Gambacurtæ cædes.

Galli Hiſpanos repellunt. Iidem ab Hiſpanis repelluntur.

ſtia Hiſpanicæ copiæ ſolutæ oppugnandis hoſtium munimentis alacrius inſtiterunt,

Æſtiui ardores, feruentiſſimiq; diei æſtus cuncta torrebant, omnia circum ſterili, ſiccoq; ſolo, nullum humorem reſudante, arebant. Quare militem corpora, & aſſiduo pugnæ labore, & nimijs ſolis vaporibus fatiſcentia, cum nullus vmbrarum obtentus à ſolis radijs vrentibus tegeret, nec ardentem ſitim frigida nuſquam ſcaturiens leuare poſſet, iam amplius nec ferientis ſolis ardores, nec certaminis laborem poterant ſuſtinere, viſcera ſiti, exteriora æſtu perurente. Cum opportunè admodum Octauianus Saulius Stator maior molendinum à loco pugnæ non multum diſtans aduertit, quod optimè circumducto vallo munitum aliquot hoſtiũ cohortes tuebantur. Erat omninò eo potiendum, vt ſitientis exercitus incommodo conſuli poſſet. Eò igitur cum valida moſchettariorum manu profectus, non ſine ingenti pugnæ labore, mutuaq; cæde, decuſſis inde Gallis, affluentem aquarum venam ſitientibus copijs aperuit. Vix militibus patuiſſe fontem innotuit, cum turmatim palantes, ſolutis ordinibus, deſerta pugna, ad cupitas aquas accurrere, affatim ſe vndis proluere, eo humore nimios æſtus extinguere, immo ſe ſe totos obruere. Quod ſi hoſtes ea Hiſpanorum confuſione, erroreque vti nouiſſet, magnam illis certe cladem allaturus erat; ſed ſua intra ſe continens munimenta componendi ſui, farciendique incommodi copiam fecit Hiſpanis. Exercitus eius aquæ hauſtibus recreatus reſumpto corporum vigore, receptiſq; validioribus viribus promptior, atque alacrior redintegrat pugnam. Leganius molendini cognito commodo, iuſſit illud ab eodem Octauiano firmioribus viribus cuſtodiri, nec ſuo iniuſſu deſeri, ne iiſdem exercitus difficultatibus premeretur. *Gallorum erratum.*

Dum vtrinque pugna ferueret, parumque abeſſet, quin Hiſpani hoſtilia munimenta ſupergreſſi Gallos inde repetito impetu, deturbarent; Dux Allobrox farcito ponte, copias integras, recenteſq; traductas opportunè in pugnam induxit; cum tantum non Galli pulſi cederent loco. Ducis aduentu vtrinque maioribus animis pugna recruduit; Gallis ſuffectis viribus, atque auxilijs validius ſolito dimicantibus, Hiſpanis auctis animis ferociùs intendentibus robur: neque vllo nouorum hoſtium territis metu reuocantibus gradum. Dux tamen Allobrox victoria Hiſpanos euertit, quos & ingruentis noctis tenebræ, aſſiduis pugnæ laboribus delaſſatos certamine abire coegit: ſtipatis ordinibus, compoſitoq; agmine diſceſſere, nullo milite prorſus amiſſo, equitatu integro peditum terga tegente. Nullus hoſtium in recedentes è caſtris erupit: ſua duntaxat munimenta retinuiſſe contentus: quod rarò admodum in hoſtium receptibus accidere conſueuit; vt non obſeſſi in ſecedentes erumpant. Abiere Hiſpani quod ibi caſtra figere ob pabuli inopiam, & aquæ penuriam in ſterili circumquaque ſolo perniciosum futurum fuiſſet: nec equi amplius ſtare pedibus poſſunt, qui totũ cum diẽ armatos ieiuni dorſis tuliſſent. Itaq; fuit quindecim inde paſſuum *Dux Allobrox Gallis ſubſidio feſtinat.* *Hiſpani è pugna diſcedunt.*

Biagraſſa. millibus. Abiatum recedendum, vt in vberiori regione famē, ſitique enectus reficeretur exercitus. Galli heſterna pugna ferociam, virtutemque Inſubrum, atq; Hiſpanorum experti abiectioribus animis nō ita præclarè de ſua bellica gloria ſētire, ſibiq; de natiua in pugnādo alacritate, ac fortitudine placere cęperunt: cum parem ſibi nacti hoſtem ęgerrimè contra illius impetus munimenta retinuiſſent: quæ niſi celeri ſubſidio Dux Allobrox affuiſſet, proculdubio aſſilientibus vndiq; ferociter Hiſpanis, atque Inſubribus, amiſiſſent. Quem idcircò ſuum vindicem, aſſertoremq; venerati non ancipitis amplius eum fidei Gallorum fruſtrare conatus, atq; odiſſe in Inſubribus incrementa, deſtinataq; ſubdole diſcutere cenſuerunt. Animaduertere inſuper Galli Duces Hiſpanorum cautas moras, cunctationeſq; non ab aliquo metu, ſed à militari prudentia proficiſci: nec Gallicæ virtutis terrore, eorum vitare congreſſus, auerſariq; prælia, ſed tantum ne inconſulta aliqua pugna Inſubrum dominatum incertis dimicationum euentibus obijcerent, atq; præcipitem darent, cum ijs certando, quibus nihil præter ea, quæ gererent arma, quod amitterent, foret: cum tam numero, ſitu, munimentiſq; inferiores non eos intra propria propugnacula aggredi timuiſſent.

Galli experti Hiſpanorum virtutem ferociā remittunt.

Laudanda cauta Hiſpanorū conſilia.

Huius pugnæ ferocia, formidanduſque impetus de promouendo Mediolanum exercitu altercationis inter Allobrogem Ducem, & Crequium dubium abſoluit. Si enim firmis propugnaculis tecti vix Hiſpanorum violentiſſimas impreſſiones, Inſubrumque tulere: quì in apertis campis occurrentium vim, atque impetus propellere poſſent pro rerum ſumma, vectigaliumque ſalute, atque Inſubrici dominatus poſſeſſione pugnantium? Victoriæ tamen decus, & titulus penes Gallos fuit, cum de loco deijci nullis Hiſpanorum impreſſionibus potuiſſent. Viciſſentque prorſus, ſi vt decretum fuerat, Dux Parmenſis Hiriæ fluminis aggere ſuperato in ſuam tranſgreſſus ditionem nudatum præſidijs ab ea parte Inſubrum dominatum, Leganio in Nouarienſi agro aduerſus Gallos bellante, ſociorum deſtinata iuuiſſet: quod neque factu arduum fuiſſet, neque aliquo diſcrimine metuendum: cum ad eius aggeris cuſtodiam Carolus Gatta cum quingentis tantum peditibus relictus viribus imbecillior; validioris agminis violentiam laturus non eſſet; & amnis humili alueo, exigua aqua fluens ſicca, atque arida tempeſtate, vadum vbique traijcientibus aperiret. Hoc ſanè ſumma Fœderatorum Principum gloria fuiſſet, eum Ducem ſuæ ditioni reſtituiſſe; pro quo ſummouendo, arcendoque Leganius ducto longiſſimo impenſis enormibus aggere, tantópere laboraſſet. Ignauiæ, inertiæque Parmenſi Duci poterat verti, quòd tam præclarā, atq; opportunam illius occaſionem tranſeundi aggeris amiſiſſet: niſi ille factum purgaſſet; criminationemq; optimis rationibus ſcriptis ad Allobrogem Ducem litteris diluiſſet: qui cum illum hortatus eſſet, vt ſtrenuè imbecilla depulſa cuſtodia, hoſtilium copiarum mole inde longè agente, traducto vltra aggerem agmine, in ſuum dominatum rediret; ita Allobrogi ſuadenti

Pugnæ Victoria penes Gallos.

Parmenſis Ducis incuria.

Suas purgat moras.

reſcripſit,

Digitized by Google

reſcripſit; *ſe pluribus difficultatibus prohiberi quominus tranſitum in ſuas terras per ſolum hoſtile tentaret: ſe pecuniæ, commeatuumq; penuria laborare; nullam rem tormentariam, nec plauſtra ad impedimenta, & ſarcinas conuehenda ſuppetere, nec tot vrgentibus difficultatibus conſuli poſſe; cum Quæſtor etiam exiguam pecuniam ſufficere recuſarit, cui imperatum erat, vt his rerum penurijs prouideret: nec iam ſe poſſe militum contumaciam moderari defectionem minitantium, ni ſibi debita ſtipendia ſoluerentur; pluresq; eorum dilapſos eſſe; cæteris conceſſiſſe, vt in ſocialia caſtra migrarent, ne ſua cauſa aliquod incommodum res Gallica pateretur.*

Parmenſis Dux in Ligures fle-ctit.

Volteri.

Lerici.

Ipſe Dux eadem nocte cum ſeptem ſocijs equitibus Nicia digreſſus mare verſus per ignotos calles, & ſemitas feſtinauit, quò candicante iam Aurora prouectus in vico Voltris dato naulo, exiguum nauigium conduxit; quod in tantis temporis anguſtijs in ſui diſſimulatione potuit inueniri; oram legens, ac nuſquam continentem appellens continuo curſu Ericis portum tenuit; inde ſuperato Apennino, nulli notus, & quaſi ſolus eius infœlicis expeditionis aduerſis euentis mæſtiſſimus in eam vrbem ingreſſus eſt; ex qua paucis ante menſibus ſplendidiſſimo procerum comitatu, validoque alacrium militum agmine ſeptus ſpei plenus triumphanti magis ſimilis, quàm in arma pergentis prodierat. Ita vanas mortalium ſpes, cogitationesq; plerumq; fortuna deludit conſilia, deſtinataque fallens, quæ ſibi futura fœlicia ſperauerant. Nihil tamen tot aduerſis ſucceſſibus fractus conſtantiſſimo animo in iurata erga Gallum Regem perſtitit fide, tum maximè, ſi quando alias Hiſpanum nomen exoſus, neq; tot belli incommoda paſſus poterat flecti, vt ſaniora, pacatioraque conſilia, poſita ferocia, amplecteretur.

Placentiam ingreditur

Eius conſtans in Gallos fides.

Vogbera.

Villa in Taurinos regreditur.

Demarchus Villa ad citatos de Parmenſis Ducis aduentu nuntios Taurinenſem equitatum, peditatumq; Hiriç Vicum adduxerat, vt eius conatus, & impetus contra obiectum aggerem dandos ab ea parte iuuaret; verum cognito Ducem Mare verſus iter intendiſſe, vt Inſubres declinans magno viarum, ſed tuto circuitu, ſuum dominatum iniret: in Taurinos cum toto agmine accitus ab Allobroge Duce tetendit. Erat Demarcho idem agger pariter ſuperandus, cui admoto agmine, Caſtri noui Hiriæ incolis ligones, & ſarculos ſufficientibus, diruta, patefactaque eius parte, vltra illud munimentum incolumem traduxit exercitum, atque ita propè Dertonam denſato agmine feſtinauit; vt ab arce tormentorum miſſilibus inceſſeretur, ſed innoxia plaga, cum altè librata tormenta non recto, ictu, ſed præcipiti ſua tela torquerent. Inde eadem, quà venerat, fœlicitate agrum Alexandrinum nullis excubijs militaribus cuſtoditum emenſus Ducem Allobrogem adijt, qui adhuc Tornauenti cum vniuerſo exercitu, & Crequio durabat, ne eam gloriam amittret; quam vterq; contra feroci ſſimos Hiſpanorum aſſultus retento eo munimento, ſe peperiſſe iactabat. Nouos hoſtium impetus ſuæ ſecuri virtutis impauidi expectabant: verum cum nullus Hiſpanus nuſquam appareret,

Oeſtra Gallos infeſtāt. reret, & ibi diutius tantis copiarum incommodis morari foret quolibet aduerſo certamine pernicioſius, & Oeſtrorum examina, quæ inſepulta cadauera putreſcentia ebullierant, aut eorum putor, & fœtor attraxerat, acutiſſimis aculeis milites irrequieto morſu ferirent: inde mouere, illudque propugnaculum deſerere decreuerunt. *Gallorum receſſus.* Abiere relicto in loco ſublimi, & ad intuendum conſpicuo ridiculo epigrammate, quod quia ludit in nominum deſinentia, etiam ſi barbarum iuuat hic ad riſum, & oblectamentum attexere. *Ridicula epigraphe.* (Quod non potuerunt Hiſpani, potuerunt Taſani) initoq; primo itinere lacum verſus mouerunt, ibique ponte inter vicos Sextum, & Caſtellettum lacus faucibus obtentos amne conſtrato, ad Angieram in ora ſurgentem traducto exercitu conſederunt, eo conſilio, vt illo oppido potiti ad oppugnandam Aronam ſibi facerent gradum. Hiſpani veriti ne cam munitam arcem toti lacui dominantem hoſtes occuparent, Comitem Bolognìnum cum valido præſidio in illam protinus immiſerunt: *Hiſpani Aronā cōtra Gallos firmant.* qui exploratis munimentis adiectis ex recenti bellandi diſciplina nouis loricis, & parmulis, ſe contra hoſtium vim ſedulus inſtruebat. Verum noua, & inopinata neceſſitas hoſtes mutare conſilium, ac deſtinata coegit. Leganius enim poſt Tornauenti pugnam, ad Mediolanenſis arcis cuſtodiam Mello remiſſo, duobuſque pontibus Ticino flumine iuncto, tranſmiſſoque exercitu Romanianum in læuo Seſithis amnis litore poſitum repentino impetu ſurripere deſtinabat: *Seſia.* vnde facilè poterat interceptis commeatibus hoſtes in lacus faucibus confidentes fame afflictos, conſumptoſque delere vel ſaltem reditum illis copiarum obiectu præcludere. *Leganij de intercludēdo cōmeatibus hoſte conſilium.* Non enim à circumiectę regionis incolis, quos in montium receſſus belli terror abſtulerat, neq; à Vercellenſi, Taurinoque agro ſuffici poterant commeatus, ob collium ſalebrarum aſperitatem à Romaniano, vſq; ad lacus fauces iugo perpetuo excurrentium, in quorum radicibus tres tantum calles, & ſemitæ patent; quæ exiguis cuſtodijs obſeſſæ claudi hoſtibus poterant: & quicumque commeatuum traiectus à Taurinis ad lacus oram, ductuſque impediri: quo grauiſſimo Fœderati perculſi diſcrimine cępta oppugnatione omni feſtinatione celerius retro Romanianum protinus abiere: ibique poſitis caſtris ſe diutius manſuros ſimulabant: *Galli Aronæ oppugnatione diſcedunt.* verum cum Leganius Carpinianum promotis copijs, eos pene vndique circumſeſſos vrgeret; inde etiam in paratiora diſcedere compulſi Inſubres eo belli terrore abducto toto prorſus exercitu, in Taurinos profecti liberos reliquerunt. Ita tanti armorum motus, tanta copiarum moles, tantæ hoſtium minæ, ac Gallici impetus intra duntaxat inania fragorum murmura tonuerunt.

Leganius ea hoſtium copiarum peſte abſterſis Inſubribus, quædam oppida præſidijs etiamnum Gallicis infeſſa recipere inſtitit. *Galli ab omnibus locis occupatis deturbantur.* Martinum Aragonium ad decutiendos Fōtaneto in Nouarienſi agro Gallos iuſſit eò cum valido agmine proficiſci. Vincentio pariter Gonzagæ alia oppida recipiendi cura mandata. Ex omnibus locis fœlicibus, citiſq; auſis Galli deiecti, ita vt Bremium tantum arx munitiſſima firmiſſimo Gallorum præ-

ſidio

Digitized by Google

ſidio teneretur, cuius oppugnatio, quia maiores bellicos apparatus, fortioreſq; vires poſtulabat; in aliud tempus opportunius reiecta. Vltus eſt etiam, vel viſus vlciſci iniurias ab Allobroge Duce Hiſpanis illatas. Nam Boccapianola Leganij iuſſu in hoſtile ſolum inuectus cum ſua legione Cattinariam primo impetu occupatam diripuit. Philippus item è ſylua equitum magiſter Demarcho Spinulæ ſubſtitutus in Aſtenſem agrum immiſſo equitatu Arazzij arcem, Montaltum, Montéque Groſſum expugnauit. Aliquot etiam Alexandrini præſidij cohortes repentino in hoſticum procurſu vicina quæque populatæ opimas prædas ex terris hoſtilibus abegerunt. Quæ omnia hoſtilia ſuſpicionem expungere è Gallorum mentibus potuerunt, opinantium Allobrogem Ducem in arcano cum Hiſpano Rege conſentire; cum eorum conatus, & impetus ſemper inaudito, ſagacique aſtu difflaſſet.

Hiſpani Taurinos populantur

Acerbiora aliquanto Parmenſem Ducem manebant, qui ſuæ ditioni Hiſpanicum metuens bellum, etiamſi Demarchus Villa inde in Taurinos profectus firmiora bellatorum robora abduxiſſet; nihilominus indomito, impauidoque animo ad propulſandum imminens bellum, ſuumque dominatum tuendum arma, copias, apparatuſque expediebat. Ad tria Gallorum millia, & validum ſuorum vectigalium agmen cum aliquot mercede conductis cohortibus ſubſignis habebat: quibus viribus fretus Auriæ Principis vlturus offenſas in Tari vallem aliquot inductis cohortibus, Diui Stephani vicum Cęſaris iuris beneficiarium, ſed eiuſdem Principis cenſus ad Genuenſium fines eripuit. Ipſe vero traiectis vltra Padum copijs in Cremonenſem agrum ingreſſus omnes eius tractus villas fœdiſſimè populatus, clades ſuis vectigalibus à regijs copijs illatas Hiſpanis abunde repoſuit: quibus auſis in ſe Inſubrum iram exciuit. Leganius enim Fœderatorum Principum exercitus metu ſolutus Martium Aragonium cum parte copiarum in Placentinum, Parmenſemq; agrum iuſſit excurrere, atque obuia quæq; diripere in hoſtiliq; ſolo ſtatiua millitibus dare: vt ille Dux ſuis cladibus, ac malis edoctus ediſceret, ſibi perniciofum fore, atq; vltimam calamitatem illaturum Hiſpani regis arma damnoſo conſilio ad Gallorum hortamenta, inaneſq; ſpes cupidę menti iniectas nullis antea irritatis offenſus vltrò laceſſiſſe. Aragonius in Placentinum agrum copijs effuſis, vſque ad vrbis mœnia dato latè incolis terrore nullo ſibi obſiſtente cucurrit: diuiq; Stephani oppidum, deturbatis inde Parmenſibus, receptum Auriæ Principi reſtituit. Cardinalis item Triultius cum Germanorum legione in Laudis Pompeię agrum, & Cremonenſem inuectus præſidia Ducis ab aliquot locis exegit: inde tranſmiſſo Pado, iunctiſque cum Aragonio viribus, ac pluribus Placentini tractus oppidis occupatis, Fodinas ſalis maximi prouentus, præſentiſque, & expediti compendij diffractis ingentibus cupreis lebetibus, diruerunt.

Parmenſis Dux ad propulſandum Hiſpanicũ bellum ſe expedit.

In Cremonenſem agrum inuehitur.

Hiſpani in Placentinũ agrum prædatum ingrediuntur

Cardinalis Triultius in Placentinum agrũ inuehitur.

Dux Parmẽſis cum apertis in campis viribus minor quaquauerſum Hiſpanis volitantibus copijs, atque omnia belli impetu euertentibus obluctari non poſſet: ſe intra Placentiæ mœnia recepit: vbi ab Hiſpanis laxiori

primum,

Digitized by Google

Parmenſis Ducis animi conſtantia.

primum, mox arctiori obſidione ſeptus ſuum dominatum impunè ab hoſtibus diripi, vaſtari, incendi infracto tot belli cladibus animo proſpectauit: rerum præſentium habitum acutiori iudicio metientibus admirationem incuſſit neſcijs vnde tanta Duci in tot aduerſis rebus, & calamitatibus conſtantia, incorrupta, inconcuſſaq; erga Regem Gallum fides, vt eaſdem rerum ſublimium ſpes alacri animo tam propè vltimo ſuo exitio vicinus foueret: cum à Gallia vndiq; & à Cardinali Infante Belgij prorege, & à Galaſſio validis copijs bellis afflicta, atque conuulſa ne ſperari, ne dum expectari poſſent vlla ſubſidia: tantumque eo ancipiti bello laboraret: vt beneficiarij omnes, & vniuerſa nobilitas, quod in ſumma duntaxat trepidatione, & vltimo rerum diſcrimine fieri conſueuit; quique ſacramento tenerẽtur, ad ſigna ſolicito tubarum claſſico vocarentur: vt publicæ Regni ſaluti, atque incolarum incolumitati, vnanimes communibus viribus, conſilijſque proſpicerent. Nulla igitur à Gallo Rege vndique hoſtilibus armis cõcuſſo, de ſuo magis Regno, quàm de alienis ſeruandis ditionibus ſolicito haberi poterant auxilia. Gallia eò rerum adducta, vt vix totis innixa viribus hoſtilia arma repelleret: ne dum de Parmenſi Duce aſſerendo, atque auxiliaribus copijs ſibi apprimè neceſſarijs in Italiam mittendis cogitaret.

Gallia bellis afflicta Parmenſi Duci ſubueniri non poteſt.

Gallorum exigua apud Italos bellicæ virtutis exiſtimatio.

Harum auctarium anguſtiarum erat, Gallicas vires, & bellicam exiſtimationem in Italia penè euanuiſſe, & eius gentis ferociæ, atque impetus metum tot eius aduerſis expeditionum ſucceſſibus penitus Italos Principes poſuiſſe: & è contra Hiſpana arma, & copiarum robora, & bellicum decus profligato fœliciter Fœderatorum Principum bello, ſeruatiſque Inſubribus, glorioſiora maxima incrementa feciſſe. Quod Parmenſis Ducis animum ad deprecandum à ſe bellum, pacemque petendam, ne vltima experiretur, poterat proclinare: eoque potentiùs, quo clariùs, manifeſtiùſque conſpiciebat à nullis alijs validioris Principis armis Hiſpanas copias à ſuæ ditionis excidio decuti, auertique poſſe. Immo quia Leganius ab exploratoribus acceperat, aliquot Gallorum cohortes Diui Euaſij Caſale nauigijs impoſitas, quotieſcumque Erydanus imbribus auctus maiori aquarum flueret mole, Placentiam prono amne ſubſidio nauigaturas; iuſſerat propè Valentiam, vbi flumen in arctius cogitur, præaltis coercitum ripis, ad illud impediendum ſubſidium ingentes ſudes, & ſtipites toto trãſuerſo alueo figi, vt eo vallo clauſus amnis deſcenſu Gallica nauigia prohiberet. Alia inſuper quò arceret auxilia, quæ à Venetis Parmenſi Duci ſubmiſſum iri timebantur, Cardinali Triultio negotium datum; vt ab eà parte intenta cura excubans auxiliares turmas tranſitu intercluderet. Ipſe cum reliquis copijs ad Cremonenſes, Laudenſeſque fines conſedit: vt ſi quid à Venetis moueretur, expeditum agmen protinus ingruentibus obijceret.

Valenza. Hiſpani Padum claudunt.

Gallica claſsis in Liguſticũ mare ingreſſus inutilis

Duci itaque Parmenſi vndique Hiſpanicis armis obſepto, circumſeſſoque nihil ab amico, ſocioque Rege ſpei auxilij ſupererat; quàm eius in mediterraneum mare claſſis ingreſſus, quę quia niſi cum ingenti cladis periculo, Hiſpanica ſe ante Liguſtica litora protendente, milites poterat exponere

ponere; ab eâ etiam parte ſubſidij expers ab omnibus deſertus potentiſſimis armis impulſus nonniſi ſuum ſupremum excidium poterat formidare: cum & Principes Itali eius præcipitia, pernicioſaque conſilia bellorum flammam in Italia ſuccendentis improbarent; & Summus Pontifex, penes quem eius ditionis ſupremum imperium, dominiumq; erat, vereretur, ne Duce obſtinatiùs contra Hiſpanos bellante, ab illis vrbes Sedis Apoſtolicæ beneficiariæ belli iure occuparentur: ac proinde ſolum nullis ſubmiſſis auxilijs, in difficilima contentione deſererent: non tamen adeò, quin & Hiſpani Regis iras mollirent, & eius miniſtros ſuaſionibus, & precibus pacarent, vt iuuenis Ducis Gallorum pollicitis, & ſpebus coacti inconſultè ferocientis iniurias temperatiùs vlciſcerentur: eiuſque maiorum in Hiſpanos Reges merita meminiſſent; darent aliquid iuuenili feruori, nundum bellorum fortunam, mala, & calamitates experto. Toti erant in Hiſpano Rege, eiuſque miniſtris Duci conciliandis Veneti, & magnus Etruriæ Dux, cuius ſororem Parmenſis vxorem duxerat, nitebanturque Hiſpanica arma iam ſeriò in Ducem ſęuientia cohibere, ne nimis vrgendo vniuerſæ Italiæ pacem turbarent: atq; in cadente amico Principe ſubleuando pro communis ſalutis iure in ſe Italorum Principum arma laceſſerent. Ardentiùs, & efficaciùs ipſum Ducem hortamentis aggreſſi à pernicioſiſſimo bello, noxijſque conſilijs nunc molliùs, nunc etiam duriùs agendo, auertere conabantur; ſuadebantque vt tandem aliquando à ſuo errore reſipiſceret; nihil ſpei iam eſſe in Gallicis auxilijs, vbiq; Gallorum arma victa, proſtrata, profligataq; eſſe. Galliam non tam inteſtinis diſſidijs miſceri, quã hoſtilibus copijs impelli, vt de propria ſalute ſeruanda illi magis, quàm de aliena aſſerenda cogitandum foret: non eſſe adeò nimia eius animi duritie Hiſpanorum animos aſperandos; vt tot impatientes iniuriarum illi ſuum dominatum eriperent.

Summus Pontifex Parmenſi Duci patrocinatur.

His Venetorum, & Etruſci Ducis officijs Hiſpani Regis magis, quàm Ducis animus mouebatur. Ille vt maximorum Regum gloria, lauſq; eſt, ſumma ingenij lenitate tot Ducis offenſis facilis indulgere, condonareque iniurias, atq; omnia hoſtilia obliuiſci, dummodò pernicioſi pœnitens facti, eiurato Gallico fœdere, ſuorum maiorum auitam fidem imitatus Hiſpanorum coleret amicitiam, eorumq; fortunam conſtanti animo ſequeretur: pollicebatur ſe illum in integrum reſtituturum, nihilo de eius priſtina, in ſuos vectigales ditione detrito. Verum omnia irrita hortamenta nihil Ducis mentem Galli Regis obſequijs deuotam, addictamque ſeruitijs iam impotem ſui afficiebant. Videbatur ex Galli Regis alloquijs hauſto philtro de ſana mente deiectus, vt etiam cũ ſuarum rerum excidio eius Regis amicitiã fędusq; ſequeretur. Nõ illũ præterita, nõ imminẽtia diſcrimina, non infęlicium vectigaliũ mala, cladeſq; pacẽ votis omnibus ſuſpirãtiũ, non variũ cõditionũ oblationes eius animi indomitã duritiẽ mollire potuerũt; quin obſtinatior, conſtantiorque in Gallico fędere ad extrema perſiſteret.

Hiſpani Regis lenitas & clementia.

Parmenſis Ducis erga Gallorũ Regem animi propenſio.

Leganius itaq; iã tãtæ peruicatiæ Ducis impatiẽs, cũ mitiùs agẽdo nihil

à ſe

à ſe profectum videret, immo omnibus in Hiſpanos odij ſignificationibus indureſceret magis; acerbiora, aſperioraque remedia gliſcenti malo ſtatuit admouere: datiſque ad Italos Principes litteris de optima Hiſpani Regis voluntate non Ducis opprimendi, aut eius vſurpandæ ditionis, ſed ad Italiæ quietem, extinguendamq; belli flammam ad bonam frugem compellendi, iuſſit Cardinalem Triultium arctiori obſidione Placentiam vrgere; Liliumque Cattum ſtrenuum bellatorem Germanorum chiliarchum Mediolano miſit in caſtra, qui ſtatim Cardinalis iuſſu Ripam altam paucis diebus expugnatam, ſe ad illius arbitrium tradente præſidio, diripuit. Octauianus item Saulius Inſulam, è medio Pado aduerſus Placentiam ſurgentem deiectis inde propugnatoribus, occupatam ductis aggeribus, & propugnaculis, libratiſq; in vrbem tormentis muniuit. Eodemq; tempore Cardinalis, & Petrus Antonius Lunatus rei vniuerſæ tormentariæ præfectus è Padi litoribus tormentorum frequenti miſſilium iactu vrbis mœnia, & tecta magno ciuium terrore verberabant.

Gild' Has. Placentia obſidione vrgetur.

Dum ita Placentia obſidionis malis, atq; incomodis premeretur, emiſſa è caſtris agmina vago hac, illac procurſu plura Placentini, Parmenſiſque agri caſtella, atq; oppida occuparunt; quibus interceptis, iam interclusa omnibus ſubſidijs, & commeatibus vrbs vltima propediem paſſura erat: immo ipſe Dux cum Principe vxore in tam pingui, opulentaque vrbe ad eas annonæ, ciborumque anguſtias, atque eduliorum caritatem cōpulſus, vulgaribus quoque ſe deficientibus eſcis, vitam vtcumq; minimo toleraret: ſibique epulum præberi videretur, cum ab Octauiano Saulio ad hoc conniuente Leganio, vitulo in ſingulas hebdomadas donaretur; qui diligenti cura cuſtoditus, atq; in prandia, cœnaſque diuiſus fercula quæſitiſſima ipſius menſæ, deliciaſque ſufficiebat. Hæc erat Ducis cupediarum ſumma, ſupremaque ciborum ſcitamenta. Quare cum in dies ſe magis non tam fame, quam Hiſpanicis armis vrgeri conſpiceret: iam malis domita illius animi conſtantia ne ſui dominatus excidium videret, atque in hoſtium arbitria actus ad vltima concedere cogeretur; ad ſequeſtrum pacis hortamenta obſtinatas aures proclinauit: cum iam inſanæ mentis eſſet aliquid à Gallia hoſtilibus obruta copijs ſperare ſubſidij.

Placētinus ager diripitur ab Hiſpanis.

Parmenſis Ducis victus difficultas.

Parmenſis Dux belli malis domitus ad pacem inclinat.

Agebant de pace inter Hiſpanos, Parmenſemque Ducem concilianda communibus conſilijs Mediolani Carpeniæ Comes pro ſummo Pontifice, pro magno vero Etruriæ Duce Dominicus Pandolfinus ipſius à ſecretis: qui etiam fremētibus armis inter tormentorum tonitrua nunquam à tranſigendo de pace ceſſarunt: nec arduum fuit cum Hiſpanis hac ſe moleſtia expedire cupientibus conuenire; nullaſque idcircò vel iniquas pacis reſpuentibus leges.

Ad primas Ducis voces bellum deprecantis protinus ab hoſtilibus temperatum, quamuis vrbs ferè expugnata deditionem propediem factura videretur: atque illicò de pace tranſactum à Franciſco Mello Hiſpani Regis ad Italos Principes cum ampliſſima authoritate legato, & à Pandolfino in

De pace ab Hiſpanis cū Duce tranſigitur.

Digitized by Google

no in has leges, quæ etiam ſi non emanarunt in vulgus, ex rerum tamen euentis conijci potuit huiuſmodi ſancitas fuiſſe.

Dux Parmenſis in Hiſpani regis fidem, damnato Gallico fœdere, rediret, priſtinis illi ſeruatis honoribus, immo etiam maioribus adiectis. Nulla deinceps contra Hiſpanum Regem cum extero Principe fœdera conciperet. Gallicas turmas, & cohortes è ſua ditione dimitteret: perque Inſubres interiecta publica fide, in Galliam amandaret; quorum vice ſuorum popularium, vel Heluetiorum, aut Germanorum ab Hiſpanis ſtantium præſidia ſuis arcibus, ac oppidis imponeret. Mediolani Præſes Hiſpanicas copias in Inſubres à Placentino, Parmenſique agris abduceret: omnia belli impetu occupata oppida Duci libera reſtitueret: quibus legibus pacis ſtatim a Duce exauthorati Galli, & à Parmenſi dominatu Hiſpanicæ copiæ in Inſubres reuocatæ. *Pacis conditiones.*

Sermones præbuit tam facilis Hiſpani Regis in contumacem, refractariumque Ducem clementia, qui tot condonatis offenſis, etiam maiora, quam amicus ſperare poterat, hoſti eidem acerrimo, atque indomito conceſſiſſet. Sed hoc ſummorum regum inſigne decus eſt parcere proſtratis, & debellare ſuperbos. *Hiſpani à Parmenſi dominatu copias abducunt.*

Mox vt omnia bellorum ſemina tollerentur, Sabloneta à Parmenſi Duce Rannucio primum, deinde ab Odoardo eius filio ſuæ quōdam fidei credita, depoſitaque antiquis dominis abducto inde Italorum militum præſidio, impoſitoque Hiſpanorum Annæ Caraffæ, eiuſque filio, id maximè contendente Franciſco Mello, reſtituta: non tamen ante, quàm Arx Roſenna initio belli a Mutinenſi Duce, Parmenſi Duci erepta redderetur. Quibus omnibus ſopitis bellorum incendijs, illi Italiæ tractus pacatis eorum Principibus, quieuerunt. *Sabloneta Duci reſtituitur.*

Mediolani produx Parmenſis belli tricis, impedimentiſque ſolutus, quæ regia negotia interpellarant; omnes ſuas curas ad recuperandas Clitellas, & cogitationes adiecit. Ea ſunt loca in Liguriæ finibus mollius depreſſa, accliuique vndante quaſi tellure nunc in molles cliuos ſurgentia, modò in vallium concaua ſubſidentia pagis, & villis, arcibus, oppidiſq; frequentia, quorum, pleraque beneficiario iure à priuatis dynaſtis ſupremo domino Imperatore tenentur, nonnulla Inſubribus, Taurinis, & Montisferrati Ducibus parent: tunc Taurinenſibus, & Gallicis præſidijs infeſſa, vectigalia Allobrogi Duci, Galloque Regi pendere cogebantur. Leganius his diebus acceptis ab Hiſpania, Neapoli, Heluetijs peditum legionibus firmior, quaslibet bellicas expeditiones poterat audere. Eductis igitur è ſtatiuis copijs vniuerſis, ea verſus loca inſtructo omnibus rebus exercitu celerius ſua opinione tetendit. Dux enim Allobrox ſui imperij in eas terras cupidus proferendi Milleſimi oppidi ditionem ad Sabatiæ fines repentino procurſu, atq; impetu occupauit; quæ quia Cengium arcem ſitu munitiſſimam, atq; ad mare adeundum maximè opportunam, cum media Finari dominatum, atque Inſubrum interiaceat, amplectatur; per magni Hiſpano- *Langhe.* *Finale.*

rum

Hiſpanis Clitellarũ locorum opportunitas. rum intererat, ab eorum præſidijs,deturbatis inde Allobrogibus inſideri: ea enim potiti militũ ſupplemẽtis ab Hiſpania miſſis per Finarij viã in Inſubres aditum, tranſitumque pandebant: præter id, quod ſi Finarium ab hoſtibus inuaderetur, non aliunde expeditiùs, & cæleriùs poterant auxilia obſeſſo ſubmitti. Decreta igitur Clitellarum expeditione, à qua tantarum *Langhe.* rerum momenta pendebant, à Ponſonis oppugnatione bellum exorſus ad eum obſidẽdum Gliglinum chiliarchum cum valido partim Hiſpanorum, partim Italorum, Germanorumque agmine miſſit: qui vt ſe oppidanis, & Gallis cõſpiciendos prębuere; deſerto ſtatim oppido in arcem ſe trepidi receperunt, ad quam verberandam quia tormenta deerant, maioribuſq; *Hiſpani Põſonis arcem occupant.* viribus opus erat; Martinus Aragonius cum alijs peditum cohortibus, & & muralibus tormẽtis protinus miſſus,quæ vbi in arcem librata miſſilium iaculationibus tonuerunt; poſt aliquot dies milites præſidiarij cum nuſquam ſubſidium appareret; nec eius aduentus ſpes vlla fulgeret; arcem *Lilius Cattus Niciã inſidys intercipere tentat.* Hiſpanis dedidere. Eodem tempore cum Lilius Cattus ſe iactaſſet Niciam vrbem ſe repentino impetu intercepturum: à Leganio Alexandria cum tribus peditum, & duabus equitum legionibus ille miſſus vigeſima ſecunda diei hora profectus nocte Niciæ mœnibus ſuggredi ſilenti agmine debebat: cum non ampliùs duodecim paſſuum millibus Allexandria recedat: ſed cum non ante, quàm clara, multaque die ſe in conſpectum vrbis dediſſet: inſidiarum occaſio intercidit: ſe itaq;, cum receptus puderet, in Patrum Capuccinorum cœnobio muniuit. Leganius ſe ea expeditione implicitum videns, prætermiſſa in præſens Cengij arcis oppugnatione, quam ſibi in-*Leganius Niciam obſidet.* tentiſſima cura perficiendam deſtinabat; in Niciæ obſidium totus incubuit. Adductis igitur eò omnibus copijs,circunductoque vallo,atque aggeribus ad foſſam vſque vrbe obſepta, præſidiarij nimis dimiſſis animis, nec dum contra mœnia tormentorum vllo fulminum fragore audito, turpiter ſe protinus dedituros oppugnantibus annuerunt. Nec mora Demarchus Coſmus Ricciardus,qui propius cęteris mœnibus ſuum agmẽ admouerat, in vrbem ingreſſus datis mutuo, & receptis obſidibus, celeri tranſactione cum præſidio de deditione conuenit.

Eam occupat. Nicia in poteſtatem redacta à Leganio aliquot legiones ad Aianum munitum caſtellum Aſtenſis agri ad Taurinos fines, atque idcirco ad eos adeundos maximè opportunum expugnandum miſſæ. Philippo Syluæ ea *Varia Hiſpanorum tentamenta.* oppugnatio mandata, qui caſtello Coſtularum ex itinere occupato, auctaq; ex eo ingenti frumenti, vinique copia, iuſſit Octauianum Saulium propinquum pagum Montecraſſum in collis vertice ſurgentem oppidanorum multitudine frequentem inuadere. Quoddam palatium firmæ ſtructuræ in caſtelli maxime ſpeciem munitum arcis ſupplebat vicem: ex cuius feneſtris, & muris propugnatores contra aggredientes maiorum ſcloporum miſſilibus dimicabant: apparebat difficilis expugnationis futurum, cum inuadentium plures telorum ictibus confoderentur; verum ad repetitos acriter impetus præſidiarij victi caſtellum victoribus cum

magna

magna illorum cęde ceſſerunt. Inde ad Aianum cum omnibus viribus proceſſum eſt. Iacet illud in exigui collis molliter aſſurgentis dorſo circumiectam planitiem vndique proſpectante. Productis in duobus excitatis aggeribus tormentis, arx cępta frequentibus pulſibus verberari: poſt aliquot Tormentorum miſſilium iactus, conuento de legibus deditionis, arcem præſidiarij Syluæ tradidere: quam nouis aſtructis propugnaculis ita muniuit, vt hoſtium ridere diù poſſet aſſultus, ſi quātum firmitatis in arcibus,& propugnaculis eſt;tantundem conſtantiæ, fidei,& roboris in propugnatoribus foret: ſed rara admodum arx quamquam munitiſſima,ad prima tormentorum fulmina non dedita oppugnātibus eſt. In muniendis caſtellis,& arcibus laborent clari bello Duces; propugnacula obmoliantur; vna inertis præſidij, vel pręfecti ignauia multorū dierum opus magnis impenſis extructum euertit. *Aianū oppugnatur ab Hiſpanis & capitur.*

Leganius Nicia ad Annonem caſtellum oppugnandum mouit;traiectoque per pontem Tanaro,Aſtam vrbem repentino aggreſſu intercipere deſtinauit;ſed cum in illa Demarchum Villam cum quatuor equitum millibus ingreſſum eſſe,accepiſſet,auſu abſtinuit. Ad Arazzij arcem obtinendam totum belli turbinem vertit,quæ illicò in ditionem compulſa valido præſidio ad Aiani, Annoniſq; tutamentum firmata eſt. Inde traducto vltra Padum exercitu, in Canoranos cāpos copias effudit;vt ibi aliquot dierum ſtatiuorum quiete tot paſſos belli labores de hoſtili copia penſaret. Dum inter fluſtra quaſi tempeſtatis hæret, multa ſolicito animo euoluenti affertur Mariſcallum Crequium ad Aſturæ pontem Pado traiecto,Moriani omnibus bellicis viribus ſubſtitiſſe;non tam vicino amne ad omnes bellicas expeditiones opportuni, quam loci cęnoſi, limoſiq; ingenio muniti. Eò igitur Leganius cum toto exercitu celeri gradu profectus, omnibus artibus enixus eſt, vt, Mariſcallum ex ijs lutulentis terris in prælium exciret; & quamuis ſæpiùs ſuas copias in aciem compoſitas, atque ad pugnam paratas Gallo oſtentaſſet: & Hiſpanus equitatus in ipſius oculis turmatim omnes circa regiones populabundus cum ingenti incolarum damno, cęde,fuga, pauore, direptioneq; agrorum vltra etiam Tridinum peruolaret: nunquam tamen trahi potuit ad certamen. Ille igitur, quoniam in locis frequentibus armatorum direptionibus, & populationibus exhauſtis diutiùs ob pabuli inopiam durare non poterat; Conſtantianam regreſſus Martinum Aragonium cum firmo militum agmine ad Bremium, Vercellaſq; explorandas iuſſit excurrere: qui cum propè Vercellarum męnia in Demarchum Villā, & Allobrogici equitatus agmina incidiſſet,inita ferociter vtrinque pugna, poſt ancipitem præliātium luctam Villa fudit Hiſpanos. Ceſi eā velitatione Boccapianola Caſtrorū præfectus,& Spadinus turmæ equitū ductor, capti Antonius Vlloa,alijq; plures,& ſex equitum Duces grauiter vulnerati. *Leganius Annonē oppugnatum contendit. Leganius cōpias in ſtatiua deducit. Contra Gallos contēdit. Martinus Aragonius in hoſticum excurrit. Hiſpani cū hoſtibus velitantur.*

Dum hæc agerentur, nuntiatum eſt Verucæ comitem cum firmo bellatorum robore ad oppugnandam Arazzij arcem proficiſci; quæ ne in hoſtium poteſtatem auxilio deſerta veniret, Leganius illi ſubſidio protinus *Leganius Arazium ſubſidio properat.*

cum vniuerſis copijs ſtatuit feſtinare. Iuſſit itaq; primum Galeatium Trottum Alexandria eductis expeditiorum militum legionibus, in ea arce ſe ſiſtere: ille iuſſibus parens Tanarum amnem nõ admodum profundas aquas vehentem vado tranſgreſſus arcem adhuc liberam nuſquam comite apparẽte, init. Leganius iunctis cum Martino Aragonio copijs, eòdem non ante peruenit, quàm hoſtes excitatis munimentis, vallata vndiq; arce, collineatis tormentis, mœnia pulſarent. Iuſſit propterea Martinum Aragoniũ, Ioãnem Garaium, & Monpauonẽ Alexandriæ præfectum ad explorandos aditus, ſi qui pateſcerent, proficiſci; per quos ſubſidiũ inferri poſſet. Illi ex militari diſciplina peritè hoſtilium caſtrorum munimenta dimenſi retulerũt; illud facinus difficilis ſanè auſus fore, verũ non adeò ardui, deſperatiq; ſucceſſus, quin quælibet difficultas efficaci, magnanimaq; virtute peruinci, ac ſuperari poſſit; Leganius arci cupidus ſubueniendi iuſſit omnes in hanc rem inexpedito eſſe. Inter Annonem vicum, oppugnatamq; arcem amnis Tanarus fluit; & cum vlterior ripa altior citeriori immineret; aggeſtis litori propugnaculis ab hoſte optimè munita quamlibet vim repulſura erat. Arci ſuccurri omninò non poterat: niſi promoto ad citeriorem ripam exercitu, ſi amnis contra ruentium miſſilium ab vlteriori grãdinem, procellamq; tranſitus tentarent, perniciosũ prorſus, mortiferumq; vadantibus videbatur: ſupernè, atq; impunè ſubeuntes ex munimentis perpetuis telorum iaculationibus inceſſentibus Gallis. Augebat difficultatem Allobrogis Ducis, & Crequij cum florido copiarum robore, & firmo bellatorum numero in caſtra illis diebus aduentus: obfirmatis animis non tam ſummouendi ſubſidij, quàm eius arcis in Hiſpanorum aſpectibus expugnandæ. Cum vndiq; igitur traijciendi fluminis creſceret difficultas, niſi cum manifeſto tranſeũtium militum diſcrimine; deſperatiq; conſilij, ac proiectæ audaciæ foret cõtra librata ab eminentiori ripa tormenta, telorumq; ictus nudis pectoribus vndas eluctari, atq; in obſeſſum ab hoſtibus litus eniti; quid in tam ardua re conſilij incundum foret dubijs hærebant animis Duces; cum virtus, & induſtria ab ipſa deſperatione ſalutare cõſilium expreſſit. Ponè ingentes corbes farcimentis refertas præ ſe actas, atq; ad fluminis ripã euolutas Duce Garaio Moſchettarij latentes perpetua miſſilium procella in hoſtes toto aduerſo litore prætentos effuſa, eos ab illis ſtationibus depulere. Interim à Martino Aragonio iuncto amne ponte, quem plauſtris aduexerat, cũ mille peditum Ioannes Romerus traiecit; ſociatiſq; cum parte arcis præſidij viribus, denſatis ordinibus, ingentibus animis ad inuadenda hoſtium caſtra proceſſere: verum & munimẽtorum ſitu, & numero ſuperioribus Gallis ex tuto in ſubeuntes pugnãtibus, cũ cæde repulſi Hiſpani mulctati vulneribus, & numero rediere. Quam acceptã cladẽ Hiſpani, vt hoſtium cæde ſarcirẽt, tormenta, quæ tandem in caſtra peruenerant; in opportuno tumulo collineant: continuaq; globorũ iaculatione hoſtilia munimenta, oppugnantiũq; agmina euerberata dilaniant. Ea demum peſtis Gallos ab ea obſidione decuſſit. Kalendis Auguſti à medio die, vſq; ad noctis tenebras pugnatum eſt.

Allobroges Araz. y arcem oppugnant.

Subueniendi arci difficultas.

Galli, & Allobroges in ſocia caſtra perueniunt.

Hiſpanorũ militare inuentum.

Hiſpani amnem trayciunt.

Hoſtium caſtra aggrediuntur.

Pugna inter Hiſpanos, et Gallos.

Poſtera

Digitized by Google

Poſtera die Galli candicante Aurora filente agmine diſceſſere: nullus abeuntibus inſtitit, Tanaro interfluente, & luthulentis ab imbribus prohibentibus vijs; aliquot tantum equites ad auſum oſtentandum magis, quàm hoſtem lędendum in extremum agmen incurrerũt. Ingens armorum commeatuum, reiq; tormentariæ vis in deſertis hoſtium caſtris relicta. Quingenti oppugnantium certamine cęſi, multo plures vulneribus ſaucij. Ex Hiſpanis pauciſſimi interempti, plurimi vulnerati. *Gallorum receptus.*

Hæc tanta Hiſpanorum depulſis fortiter ab eius arcis obſidione Gallis fęlicitas ab hoſtibus mox illis illata clade penſata. Martinus Aragonius Gubernatoris Mediolani iuſſu quatuor peditum millibus, & equitibus octingentis, ſexq; muralibus tormentis mouerat in Clitellas vt Finarium à Gallica claſſe mediterraneum mare currente, pulſatura a litore arcem, dum eandem tormentis à continẽte Dux Allobrox verberaret, tueretur. Totum agmẽ ex Hiſpanis Antonio Sotelo Duce, ex Germanis Borſo Ateſtino Principe, & Lilio Catto, Leineroq; chiliarchis, equitum præfecto dynaſta Liſao. Aragonius Carcheras vſq; profectus accepit Ducem Allobrogem Aſta cũ valido bellatorum agmine egreſſum magnis itineribus feſtiuare, vt ſe inter illas anguſtias euntem obſeſſis validis cuſtodijs callibus, per quos Clitellas inierat, Mediolanenſi dominatu excluderet. Miſſis igitur Finarium ſubſidio peditibus ſexcentis, de omnium Ducum ſententia decretum eſt in apertiora redeundo Allobrogis conſilia præripere: hoſtemq; Beſtiariũ properando, præuertere: vbi alijs ſociorum cohortibus, & turmis inuentis, validiores ſe ſatis ab hoſte tutos fore putabant. Huius conſilij difficultas in eo erat, quòd Spinio in media via, in longum potenſo Beſtiarium deſtinanti proficiſci, neceſſario Monsbaldo ſubeundus eſt; ac proinde hoſtium ictibus, & moſchettariorum miſſilibus patendum, quem iam Galli, atq; Allobroges inſediſſe nuntiabantur. Iam enim eo Demarchus Villa cum primo agmine, maioriq; equitatus parte peruenerat. Ideò difficilis, & pernicioſus omninò aditus ille futurus tranſeuntibus videbatur. Attamen ſe in tuto ſiſtendi neceſſitas, & ſpes militum virtutem, & induſtriam, atq; incedentium ordinem, quo in hoſtium conſpectu copias illàc traducere deſtinabant: omnia ardua, ac difficilia victura, vlterius progrediendi conſilium amplecti coegit, eò animoſiùs, quòd nec dum etiam Allobrogem Ducem cum cæteris copijs eò perueniſſe cognouerant: ſed ibi ſolum Demarchum Villam cum primo agmine conſediſſe. *Langhe.* *Dux Allobrox in Hiſpanis tendit.* *Biſtagno.* *Hiſpano in anguſtia.*

Equitatus igitur præire iuſſus præfecto Liſao, deinde Germanicæ legiones ſubſequi, atq; horum agmen claudere Hiſpanos Sotelo Duce tormenta, cæteraſque res bellicas, commeatuſq; trahentes, hos ponè Borſus Princeps cum Germanica legione incedebat, cogebat extremum agmen ex Germanis equitibus Leinerius, quem due moſchettariorum equitum turmæ tuebantur. Hoc ordine Hiſpanus exercitus gradiebatur: propèque Mombaldonem prouectus, atque aliquot armatorum cohortes in quadam caupona, vicinaque æde otiantes intuitus ſtatim Martini Aragonij *Hiſpanorũ incedẽtium ordo.*

Digitized by Google

iuſſu, emiſſis duabus moſchettariorum cohortibus hoſtes de illa ſtatione deiecit. Interim equitibus imperatum, vt in quodam vicino prato, verſa in hoſtes fronte, conſiſterent; qui adhuc Mombaldone ceſſabant: mox peditatus acceſſu, ingens agmen ex toto exercitu ex militari diſciplina ſcitè conſlatum. Tormenta cum firma cuſtodia ante primos ordines trahebantur. Totum agmen ex quo moſchettariorum identidem ad velitandum cum hoſte cohortes erumpebant; lento gradu incedebat, vt tempus vlteriùs moliendi tormenta ductoribus daret, donec in tutiori loco ſiſterentur: vt deinde exercitu conuerſa in hoſtem fronte leuibus illum prælijs diſtinendo Beſtiarium tormenta elapſa ex hoſtium manibus ſecura venirent. Sed dum illa ſollicito tractu ducebantur; ecce tibi ex inopinato Demarchus Villa cum vniuerſo equitatu Monbaldone deſcendere viſus, validoque impetu in peditatum inuehere; qui cum in aperta camporum planitie nullis extuberantibus tumulis, nullis arboribus, aut foſſis, vel aggeribus impedita hoſtilis equitatus violentiæ pateret; ab equitatu deſertus, qui panico quaſi terrore correptus ad ſolum hoſtium intuitum ſe in turpem, fœdamque fugam ſubditis equis calcaribus effudit; totus ab ingruentibus vndique equitibus cędebatur: ſed cum equites in innoxios tantum, deſtitutoſque pedites cęde bacchari dedecere videretur; ignauo interim, inertique equitatu inulto elabente, ſtatim impetum in fugientes equites laxatis habenis, citato curſu conuertunt. Mirum fuit quot timor, & ignauia, hoſtiliſque hauſit enſis, quos audens animus, & ſtrenua fortaſsè pugna ſeruaſſet. Diſiecto multa cęde, ac vulneribus equitatu, in peditum agmen hoſtes tela conuertunt. Hic vero nulla pugna, ſed promiſcua cędes fuit turbatis impulſu hoſtilis equitatus ordinibus, confuſoque vniuerſo agmine, proiectis armis, qua cuique aditus ad fugam patebat; ſe à præſenti nece fuga trepida abripiente. Fugato, lacerato, conciſo Hiſpano exercitu, omnia tormenta, eorumque farta, commeatus, impedimenta in Allobrogum poteſtatem venere. Hiſpanorum plurimi ceciderunt; multi capti, ex quibus aliquot inſignes Duces. Ad plenam victoriam multum profuit Monbaldonem cum cæteris copijs Allobrogis Ducis aduentus; qui iam initã pugnam inducto recentiorum agmine, tã demũ pulſa omninò Hiſpanica acies acta in fugam eſt. Exiſtimarant plerique periti belli Duces, ſi Liſaus equitatus præfectus, qui omniũ primus ſe à pugna fędiſſimæ fuga proripuit, conſerto agmine, hoſtibus obſtitiſſet: immo dato in hoſtiles turmas impetu, ſtrenuè dimicaſſet, futurũ vt Hiſpani dati Arazzij arci ſubſidij gloriam hoc alio audaci conatu victi certaminis ęquarent. Verum plerunq; ab equitum ignauia incipit fuga; qui ſi in circumagendo equo criſtarum conis, & ſericis faſcijs, militarem vigorẽ, & bellicam audaciam procul ab hoſte ſpirant; ita etiam in pugnis eorumdẽ animorũ alacritatẽ, ſtrenuitatemq; proferrent; nulli dubiũ eſt, quin pręcipuũ exercituũ robur, victoriæq; ſpes in equitib. eſſet; ſed in equorũ pnicitate ſalute poſita, nõ eos pudet, iterũ ſũmorũ Ducũ aſpectibus in copiarũ luſtratione ad ſtipẽdia accipiẽda conſpi-

Biſtagno.

Inter Hiſpanos, & Allobroges pugna initur.

Hiſpanorũ equitum fuga.

Hiſpani ab Allobrogib. cęduntur.

Hiſpanorũ ſtrages.

Ab equitatu plerumque incipit fuga.

Digitized by Google

conſpicuos apparere. Huius cladis culpam alius in alium regerebat. Liſaus certè non poterat huius labis fœditatem vlla excuſatione abſtergere. Martinus Aragonius acerbiſſimè de Mediolani præſide querebatur; quòd non ex obſtricta fide in Vercellenſem agrum ad auertendum Ducem Allobrogem inuaſiſſet.

Dux Victorius poſt menſem ab hac victoria Vercellis ſuum clauſit vltimum diem: vbi quoq; Crequius cum aliquot cohortium Ducibus erat. Violentia veneni abreptus conſtanti ciuium opinione ferebatur; quamuis medici inteſtina diligenti cura rimati, nulla veneni indicià viſcera prodere retuliſſent: ſed eò exceſſit veneficorum maligna ſolertia, vt inuiſos veneno extinguant: & nulla mortiferæ peſtis ſigna, veſtigiaq; in cadauere videantur. Huius veneficij inſimulatus eſt Crequius, quòd Dux Victorius, Demarchus Villa, & Verucæ comes paucis ante Ducis interitum diebus ab eo epulo excepti ab ea dapſili mẽſa omnes vitæ diſcrimen adierint. Demarchus Villa quadriduo medicatæ potionis violentia firma corporis habitudine ſuperata, conualuit. Victorius Dux, & Verucæ comes imbecillioris corporis habitudinis, & conſtitutionis intra octo dies ſuccubuere. Gliſcebant mutua inter Ducem, & Crequium diſſidia, odia, ſe vtroq; obtrectationibus inuicẽ vellicante, infęliciumq; adminiſtrati perperam, imperitæq; belli culpam in ſe mutuis criminationibus reijciente, quæ omnia ſympoſiaſtem propinati veneni vehementiq; ſuſpicione reum ſceleris arguebant. *Victorij Allobrogũ Ducis mors.*

Erat hic Princeps perſpicaciſſimi, ſolertiſq; ingenij: ab huius belli euentu Taurinorum excidium, ruinamq; cõiectans. Nam ſi proſtratis victor hoſtibus euaſiſſet: durum Gallici imperij iugum induendum erat, ſi victus eorũ in ſe odia, iraſq; concitabat. Maxima igitur dexteritate cum Gallo, Hiſpanoq; illi erat agendum: vt nec ſe victricia arma opprimerent, nec perderet amiſſa victoria: & omnium præcipuũ, ne Hiſpanicũ in Italia imperiũ Gallicis armis impetitum ſuis terris, & dictionibus mulctaretur, cuius maximè potẽtia cõtra Gallorum inſultus, atq; impetus nitebatur; quamuis in ſpeciẽ inductis in Inſubres copijs, populationibus, agrorum veſtatione, pagorum incendijs ſeriò in Hiſpanos bellare videretur. Nunquam tamen ad eorũ internecionẽ, excidiũq; hoſtili, infenſoq; animo pugnaſſe conſpectus eſt. Quibus mortales artibus aduertebant eum Principem inuitum bella gerentem percuſſo coactè cũ Gallo Rege fędere, ſui dominatus vario aſtu diſcrimina declinare. Quare cum liberè cõmunia exercere arma num poſſet; nec Gallico fęderi renuntiare, aut Hiſpanis adhærere, omnia eius geſta, acta infida ſubdola ancipitis fidei videbantur, ſed eius ditionis ſaluti commoda, opportuna, neceſſaria vafram adminiſtrandi belli rationem purgabant. Nonis Octobris extinctus eſt quinquaginta annos natus. Præter fęminas duos mares ex Chriſtiana Galli Regis ſorore ſua vxore ſuſcepit Frãciſcum Hiacynthum natu maiorem; quem anno à parentis interitu ſexto eius ætatis immatura mors rapuit, & Carolum Emanuellem, qui nec quartum excedens ſuæ ætatis annum fratri defuncto in imperio ſuffectus eſt. *Victorij Ducis animi dotes.* *Carolus Emmanuel illi in imperio ſuccedit.*

Z 3 Prin-

Digitized by Google

Principis Victorij importunus rationi temporum exitus Hiſpanicis rebus offeciſſe maximè creditus eſt; quòd eo mortuo in vxorem naturæ iure infantuli Ducis tutricem, & matrem reuoluto Allobrogum, & Taurinorum imperio in fratris Galli Regis fidem, arbitriumq; vel inuita erat abitura: eiuſq; conſilia, & voluntatem prorſus ſequutura: & quod potiſſimum angebat, pungebatq; animos Hiſpanorum, timebatur, ne Duce infantulo mortuo, qui vt infirmæ valetudinis non multos dies victurus putabatur: Galli Allobroges quaſi hæreditario iure, & Taurinos inuaderent, cum ijs dominatibus votis ardentibus inhiarent. Nam mortuo Duce Victorio, Crequius Gallicum præſidium Vercellis imponere tentauit; induxiſſetq; in vrbē iā expeditas cohortes; niſi Demarchus Villa Gallicæ fraudis, atq; inſidiarum gnarus plura Allobrogum, Taurinorumq; agmina in vrbem protinus admiſiſſet: iiſque viribus firmus, excubantibus etiam in hoc ciuibus, Crequij vota, deſtinataq; eluſiſſet. Grauiſſima ex Victorij Ducis interitu in Inſubribus,& Taurinis accenſa bella: dum Principes mortui Victorij fratres nepotis Ducis tutelam ſibi vindicant armis, & Mater illam retinere Fratris Regis ope, atq; auxilijs innixa conatur: quæ narrata Bremij expugnatione, fuſiùs proſequemur.

Gallorū occupādi Vercellas conſilium.

Dum incontinente acri bello inter Hiſpanos, Galloſq; dimicatur, claſſibus quoq; infeſtis in mare concurritur. Claſſis ingenti cura, & impenſis à comite Monteregio Neapolis prorege omnibus rebus inſtructa ad Lerinam inſulam, adiacentemq; Stecadum occupandam mittitur; quæ ad improuiſam belli procellam excipiendam nullis rebus bellicis expedita, facile aggreſſoribus ceſſit; ſed iterum à Gallis valida claſſe repetita, deiectis inde Hiſpanis, ad priſtinam redijt fidem. Quæ bella maritima, quia parum ad Italica ſpectant, alijs proſequenda relinquemus, ſatis ſit ea innuiſſe, vt lectorem doceamus alibi quærendos eius maritimi exitus belli: nos vt noſtri inſtituto operis hæreamus, ſequentia Italica bella attexemus.

Iſola di S. Honorato, e di S. Margarita. Lerina, & Stecados inſula ab Hiſpanica claſſe occupantur.

BRE-

BREMIVM AB HISPANIS RECEPTVM

NARRATIO DECIMA TERTIA.

DVm varia bellorum euenta, armorumq; volitantium procellas, & mutuarum populorum cladium excidia, ſtrageſq; bellantium expugnatas arces, iterum nullo victorum laboris pretio, à ſuis dominis poſtliminio receptas, & cruenta prælia commemoro; non ſatis mirari poſſum mortalium inſaniā ad internecionem pro vnius poſſeſſione oppiduli dimicantium: vt lymphati in mutuas cędes, ſtrageſq; ferantur; quod mox auiti domini ſuarum vindices rerum bello repetitum eripient: tot fruſtra militum fuſo in illo expugnando cruore. Immo me miſeret perditæ bellantium dementiæ, qui ſuam ſalutem exigua ſtipe licentium, vitamq; minimo nundinantium obſequijs addicti in haſtarum cuſpides, enſium mucrones præcipites ruant; contraq; muralium tormentorum miſſilia nulla ſalutis cura bellico acti furore gradiantur: ac ſi hic ſpiritus, quo viuimus, patriumq; cęlum haurimus, minimo ſtaret, viliorq; brutis animantibus foret, quæ bene habita ſedula cura ab omnibus vitæ periculis prohibemus. Seruiunt illi immodicis Principum votis, vanaque conſilia ſequuti eorum deliramentis ſacræ victimæ ab hoſtium enſibus cadunt; nulla morientibus habita gratia, quam nihil quoque frigidi, & exanimes cineres curant, ſempiterna obliuione eorum merita, ac nomina obruente: ſubeunt mœnia, à propugnatoribus vulnerati reſupinantur, ipſoq: caſu attriti miſeros ſpiritus efflant, dum vrbes ſuo Principi quærūt: quæ mox, vel ex pacis fœdere, vel proprio illam bello repoſcenti amicis Principibus pacis ſequeſtribus diſſidia conciliantibus, dynaſtæ reddentur. Sed hæc viderint, quos tumultus magis, fluctuſq; bellorum, quàm quies pacata delectat: quibuſque aliorum ruina propria ſalute potior eſt. Hæc præfatus ſum ad innuendum Gallorum inquies ingenium, vbique terrarū bella, ac prælia quærentium. Miſcent effuſis ex alpibus militum agminibus, & perpetuis ſupplementis Italiam. Anguſtijs Diui Euaſij Caſalis incluſi quaſi præfocati latiores in Italia, Germania, Hiſpaniaq; dominatus, & ſedes indagant, ac ſi illorum vaſtiſſimos animos Galliarum florentiſſimi regni amplitudinis admirandæ pœniteat. Sed exundans in omnes prouincias Gallica ſoboles terras inquirit, in quas ebullientem Matris egerat prolem; ne illius tranquillum rerum ſtatum ferocium iuuenum multitudo perturbet. Hæc non ad dedecus, ſed ad laudem dicta volo bellicoſiſſimæ, & glorioſiſſimæ gentis. Verum Italus author meæ patriæ calamitatibus in-

Digitized by Google

gemiſcens cogor de illius incommodis queri triginta ipſos annos omnibus belli malis, cladibuſque concuſſæ, ſed rem ipſam querimonijs prætermiſſis, aggrediamur.

Fugatis, exactis, vbique Allobrogibus, & Gallis, vnum ſupererat Bremium arx munitiſſima, perdomandum, quò prorſus Galli ab omnibus Inſubribus pellerentur. Erat illud veluti ſtipes in Hiſpanorum oculis fixus Mediolanenſi dominatui imminens, atq; ad excurſus in vicina, populationeſq; opportunum. Gallus Rex Italicum bellum animo deſtinans ab Allobroge Duce petierat; vt ſibi in Taurinis arcem aliquam, aut oppidum ad belli, quod parabat, armamentarium concederet: Ille ne in ſuæ ditionis viſcera Gallica arma ſibi aliquando futura noxia reciperet, ſpondet ſe Gallis in Inſubribus opportuniorem, commodioremq; belli ſedem inuenturum; ex qua Hiſpanos frenare, emittere in Inſubres agmina, egerere commeatus, cæteraque bello neceſſaria deponere poſſent. Circumeunt Dux Allobrox, & Crequius, curioſiùſq; omnem circa regionem ſpeculantur: omnia ſeduli loca veſtigant; qui nam belli ſedis figendæ ſe ſe obijceret opportunus. En explorantibus occurrit Bremium amplus pagus ad Padi litora ſurgens in Inſubrum finibus, ac proinde ad inuadendam Mediolanenſem ditionem, recipiendoſq; exercitus opportunus. Hunc admotis operis, & foſſoribus mœnibus ſepire, munire propugnaculis, per ducta circumfoſſa vallare protinus aggrediuntur: feſtinatum opus paucis diebus abſoluitur: ſolicitante maximè operas, vrgenteque foſſores Allobroge Duce. Omnibus perfectum bellicis rebus inſtruitur, ingens illata commeatuum vis: librata in mœnium loricis, & propugnaculorum faſtigio tormenta: validum impoſitum præſidium, adeòq; firmum Gallorum exiſtimatione oppidum cenſebatur, vt inexpugnabile nouam Rupellam glorioſo nomine nuncuparent. Hoc Gallorum in Italia non minoris Caſale faciendum propugnaculum Leganius expugnare, exigereque prorſus ab Inſubribus inimicam gentem tacito proponens animo, omnia primum oppugnationi neceſſaria, facientiaq; expedire decreuit; ſed adeò tacitè, vt quaſi aliud agens nihil ad hoſtes ſui arcani moliminis emanaret.

Bremiũ expugnãdum ſibi Hiſpani propoſuẽt

Galli Bremium muniunt.

Galli Bremium nouã Rupellã vocant.

Quamobrem hyeme appetente plurima militum agmina per circumiecta Bremio oppida in hyberna partitur ſimulans metum, ne tam propinquum Gallorum præſidium loca finitima prædaretur; aut in Inſubrũ fines populabundum excurreret. Plures peditum cohortes, & equitum turmas Valentiam, Alexandriam, Laumellum, Mortariam in ſtatiua cõcedere; quò etiam commeatus res tormentarias, ſtramenta, pabula, aliaq; omnia oppugnandæ arci opportuna iuſſit afferri: & quò magis hoſtem ab huius rei ſenſu auerteret, Felizzianum partem copiarum miſit rumorem conſulto vulgans, ſe ab ea parte Montem Caluum primo quoq; tempore aggreſſurum. Animaduertit etiam Padi ingenium Maio menſe liqueſcentibus Alpium niuibus auctum, ea depreſſiora loca inundantis: quare plures ante dies erat maturãda expeditione maiorem aquarum molem Erydanus agens in illos

Leganius milites cogit.

Leganij ſimulatio.

campos

campos ſuperfuſus deſtinata impediret. Optimo igitur, prudentiq; conſilio omnibus expeditis, ſcalis etiam ad intercipiendum repentino impetu oppidum allatis, iuſſit copiarum Duces ad mandata exequenda in promptu eſſe. Taciturnitas, celeritas, militum virtus, omnium rerum copia, hoſtiũ negligentia fœlicem exitum rei pollicebantur, occupandæque furtim facili Marte eius arcis maximam ſpem faciebant; quæ poterat diù maximorum exercitnum vires, atq; impetus fatigare.

Ex varijs igitur partibus eodem tempore, medio Martio menſe nocte concubia Leganius iuſſit quatuor ſtrenuorum militum agmina rei bellicæ omnium Ducum peritiſſimis caſtrorum præfectis Ducibus ſimul quadripartito Bremium inuadere. Omnium primis Antonio Sotelo, & Comiti Ferranti Bolognino imperatum, vt mœnibus ſuccederent. Illi ingruentibus tenebris Mortaria cum tribus peditum millibus, hic totidem Valentia egreſſi ſecum allatis omnibus rebus, & bellicis apparatibus expugnãdo oppido neceſſarijs, vterq; Padi litora, quà in longum porriguntur oppido vicina effuſis, ſubito copijs, inſidere debebat: ibiq; raptim excitatis munimẽtis, caſtra vallare, ac proinde clauſo flumine ſubſidia oppido prohibere, quæ Dini Euaſij Caſale prono amne deuehi poterant. Res ex voto ſucceſſit: Sotelus ſilenti agmine ſuggreſſus quoddam telluris ſpatium mœnia Flumen, interiacens, cui Bonobò nomen, ſitu eminens, atq; opportunum exequẽdis deſtinatis inſedit. Bologninus æquè fœliciter ſua mandata perfecit; qui eadem hora Valentia ſuo agmine educto, quendam locum, quem Cornu appellant, ab hoſtibus munitum, cuſtoditumq; primo ſtatim impetu deturbatis præſidiarijs, obtinuit, ac protinus cõtra hoſtiũ miſſilia ſe aggeribus, loricisq; ſepire, vallareq; inſtitit, Soteloq; ſe perductis in lõgũ munimentis adiũxit; ambo ſimul ſociatis viribus oppidum flumine excluſerunt: adnecto ab vtroq; ingenti numero culcorum, quibus terra refertis, vti ſubitarijs aggeribus contra hoſtium impetus vterentur. Valentia quoque ratibus, & Gaulis aduerſo flumine magna vis faſcium ad velociùs excitanda munimenta allata. Eadem nocte Ioanni Vaſquez Coronato, & Carolo Gattæ bipartito retractiùs ab amne erat mœnibus ſuccedendum. Illi ea oppidi pars erat aggredienda; quam Forcipem veterem incolæ vocant. Huic ad Patrum Capuccinorum cœnobium caſtra munienda, indeque muris vtriſque ſcalis admotis oppidum inuadendum: in quod ſi peruadere daretur; Sotelum Bologninum de proſpero inſidiarum ſucceſſu protinus admonerent; vt ipſi quoq; promotis agminibus, eadem tentarent: ſed cum vterq; in vigilantiores ſua opinione propugnatores, & ad tuendum paratos oppidum incidiſſet: parum fœliciter ſcalarum tentamenta ceſſere. Subito enim è mœnium loricis effuſa in ſubeuntes à militibus moſchettarijs miſſilium grando: tormentorum crebris miſta fulminibus, artificialiumque frequentiſſima iaculatione ignium, flammarumque iactibus crebris fulgetris noctis tenebras illuſtrantibus: quibus ſummoti ab inuadendis muris Hiſpani, ſe quiſque in ſuis locis excitatis aggeribus munierunt. Tiberius à Bran-

Hiſpani Bremio ſuccedunt.

Bremiũ vallo circundant.

Hiſpani mœnia ſubeũt.

Repellitur à Gallis.

Sartirana. Brancaccius Alexandria cum ſua legione, & muralibus tormentis egreſſus Iria deiectis paucis tormentorum ictibus Gallis, ſe Leganij iuſſu Carolo Gattæ coniunxit. Ab equitatu ij omnes aditus clauſi, per quos oppido ſubſidia inferri poterant. Vincentius Gonzaga ad Villatam vbi Seſithes amnis in Padum influit, mille quingentis equitibus firmus inſedit. Ferdinando Montio Germanici equitatus præfecto totidem equitibus Fraxineti tranſitus cuſtodia mandata. Aluarus Quignones Laumello cum eius turmis impoſitus, vt ibi in omnes occaſiones intentus, vt quò vel obſidij, vel oppugnationis repentini caſus vocarent, feſtinus accurreret.

Crequius ſubſidia Bremium mittit. Crequius ad tam inopinati, inexpectatique Hiſpanorum impetus nuntium attonitus, collectos raptim, tumultuarioq; delectu mille ducentos pedites nauigijs impoſitos Caſale ſecundo amne Bremium decurrere iuſſit: non tam arci ſubſidio, quàm vt Padi obiecta littora occuparent: quò apertos auxilijs aditus retinerent, ibique munimentis extructis, Hiſpanos ripis arcerent, neſcius iam ab illis præreptas inſideri. Nauigia ad Soteli ſtationem appulſa ſtatim tormentorum miſſilibus verberata, lacerataque poſt diuturnam exſcenſum tentantium, repellentiumque à litoribus pugnam, aliò vertere proras, atque vlteriora, vbi Bologninus tetenderat, litora tenuere: tria ſuos milites litori expoſuerunt, cætera quoq; ferox inſcentia prælium idem auſa, poſt diuturnum, cruentumque certamen cum omnibus commeatibus, tormentarijſque rebus in Hiſpanorum poteſtatem venere: duo depreſſa nauigia ex quibus milites in litus exſcenderant, quadraginta Galli capti inter quos duo cohortium Duces. Vix ducenti ijdemque ſaucij, malèque mulctati Bremium inierunt noctis adeuntes tegentibus tenebris; cæteros aut hoſtilis enſis, aut vndæ fluminis hauſerunt.

Ab Hiſpanis Gallica ſugata ſubſidia.

Galli in Hiſpanos erũpunt. Præſidiarij in Bologninum ingentibus animis eruperunt, vt hoſtes ab ea ſtatione depellerent: nec difficilis Martis fuit oppugnatores ſubito impetu perculſos, ſocordeſque fugare: ſed Bologninus coacta protinus ſtrenua, atque expedita ducentorum ſuorum militum manu, duabus non amplius horis amiſſam ſtationem excuſſis inde Gallis, inſigni virtute recepit.

Leganius venit in caſtra. Leganius deinde profectus in caſtra probato munimentorum poſitu, obſidijque ratione, quædam aſtrui iuſſit; vt omnes prorſus in oppidum aditus clauderentur. Iriam inde vicinum pagum abijt vt è propinquo ex rerum euentis opportuniora mandata daret.

Sartirana.

Hiſpanorum deſtinata, & conſilia Gallicis in Italia profectibus inimica fortuna iuuit. Crequius vt inferendi Bremio ſubſidij conatum infelici euentu malè vertiſſe vidit; librare in obſidentium caſtra tormenta in aduerſo amnis litore cogitauit; vt ab vlteriori miſſilium iactibus abraſis Hiſpanis, inducendis in oppidum ſubſidijs aditum aperiret: & dum quatuor æquitibus tantum comitibus in obiecta ripa poſt arborem oblongo in tubuli modum perſpicillo ſitum, in quem tormenta emitteret, ſpeculatur: excuſſa è munimento Cornu ſagro ferrea pila confoſſus, ac traiectus occubuit.

Cada-

Cadauer inde à ſocijs Caſale ſublatum ſubitaria ſandapila, mox inde in Galliam cum inſigni, ac ſplendido nobilium Gallorum comitatu ad auitum tumulum deportatum. Huius clari nominis Ducis interitus non ad expugnandum modò Bremium, ſed etiam in ſummam maximè rerum profecit. Galli enim, qui remanſerant, ſine capite, quaſi trunca exanimaque cadauera torpuerunt. Hic fortuitus euentus vt Gallorum, propugnantiumque animos deiecit; ita Hiſpanorum in fęlicis exitus ſpem obſidionis erexit. Admouere igitur, ardentiùs vineas, loricas vlteriùs producere, propius mœnia aggeres obmoliti procedere: vt tutiùs, & faciliùs impetus in munimenta darentur. Quinque erecti in oppidum aggeres tormentarij: ſex collineata in Soteli ſtatione tormenta, quatuor intra Ioannis Vaſquez munimenta collocata, cætera ad tredecim in alijs circum caſtris alijs Ducibus attributa. Nec mora ab vniuerſis ſtationibus emiſſa tormenta in oppidum fulminarunt. Fremebant ita crebra tonitrua, vt tellus immanibus fragoribus concuſſa dehiſceret, & cælum frequentibus moti aeris ſcindi pulſibus videretur. Iam in foſſam cuniculis oppugnatores euaſerant. Præſidiarij vicini periculi terrore perculſi demiſſis nimium animis Caroli Gattæ ſtationem verſus ſe deditionem facturos inclamant. Protinus ad deprecantium voces tormentorum tonitrua ſiluerunt: ſublata hoſtilia, offenſiſque parſum. De deditionibus legibus breui tranſactione conuenit.

Crequi⁹ tormento interficitur.

Præſidiarij Bremiũ dedunt.

Deditionis conditiones

Galli ſalui liberi, & incolumes Caſale deducerentur. Funibus accenſis, crepitantibus tympanis, explicatis vexillis, tormentarijs globulis ori inſertis, inſtructis ordinibus, pyrio puluere plenis militaribus thecis oppido exirent: impedimentorum, ſarcinarumq; quantum liberet, aueherent. Mille octingentorum militum agmen egreſſum, inter quos ducenti alij ægri, ſaucij alij, cæteri omnibus telis armati Caſale vſque à trium equitum millium cuſtodia incolumes Vincentio Gonzaga præfecto deducti.

Tam paruo Hiſpanis ſtetit munitiſſimi oppidi, & maximi ad Inſubrum ſalutem momenti arcis deditio: quæ validos poterat exercitus diuturna propugnatione non laſſare modò, ſed etiam penitus exhaurire. Erat ab omnibus bellicis rebus inſtructa, & commeatibus, tormentarijſq; apparatibus ad plurium annorum tolerandũ obſidium munita. Tredecim duntaxat diebus obſidio, oppugnatio, deditioq; abſoluta. Quod cum Gallis fœdiſſimæ, deſpicatiſſimæque inertiæ, & viliſſimi animi videretur; & tantam iacturam impatientiſſimo animo ferrent, præſidij præfectum ignauiæ, & perfidiæ acerbiſſimè criminabantur; quod tot fortium bellatorum viribus firmus, ab omnibus rebus inſtructus, commeatibus, & rei tormentariæ copia affluens tam paucis diebus, tanta ſocordia munitiſſimum oppidum dedidiſſet: quod poterat annos maximarum copiarum impetus ſuſtinere. Sed diſcant Principes ſuarum arcium cuſtodiam obſcuriſſimis natalibus viris cuſtodiam committere, quorum viles animos, vel hoſtis pecunia corrumpit, vel degener deijcit timor, aut bellicæ diſciplinę imperitia perdit. Erat hic præſidij Bremij præfectus infimo loco natus

Bremij opportunitas, & munitio

ad hunc

Digitized by Google

ad hunc militarem honorẽ Crequij maximè ſuffragatione prouectus, quòd illi à pedibus obſequutus eius gratiam accurata ſeruitute demeritus foret. Multum aurum ex interceptis regijs ſtipendijs, pecuniamque aceruarat, quòd non tot milites aleret præſidiarios, quot Regij Quæſtores ſtipendia ſoluebant: quæ ducum cupiditas maximarum cladium, damnorumque cauſa, in luctuoſiſſimos caſus Reges abiecit. Aggeſto auro incubans timuit, ne, ſi Hiſpani iteratis impreſſionibus in arcem irrupiſſent, à victoribus direptum theſaurum amitteret; & hac de re deditionem abiectiſſimo animo maturauit. Verum illi hæc fœdiſſima ignauia capite ſtetit: in publica enim ante Caſalis caſtellum iacente area in ſublimi ferali pegmate omnibus equeſtribus inſignibus prius per ſummam contumeliam exaugurato illi carnificis manibus ſecuri ſciſſæ ceruices.

Præfectorũ auaritia cladium cauſa.

Bremij præfecto caput abſcinditur.

Hæc tam feſtinus Bremij expugnationis euentus non Inſubres modò frequentium populationum, & Gallicorum excurſuum damnis exemit; ſed etiam maximum pudorem, & verecundiam abſterſit, quà tanta potentiſſimi Regis amplitudo offundebatur: ſi diutiùs in Inſubrum terris à Gallis conditam arcem teneri ab illis ſe inuito, atque in ſuis oculis paſſus non omnibus admotis viribus implacabiles hoſtes à ſuis finibus expuliſſet. Imminebant ab eo oppido, armamentarioque Gallorum perpetua Inſubribus, totique Italiæ pericula agmina ad finitimorum perniciem identidem euomente. Ab exeunte Menſe Nouembri anni 1635 quo cœptum eſt
1637 condi, vſque ad medium Martium anni 1638 Galli Bremium tenuere. Hiſpani in oppidum ingreſſi non ſolum munimenta non diruerunt; ſed etiam nouis peritiùs aſtructis loricis, & propugnaculis ex optima bellica diſciplina, experientiaque firmarunt: quòd ad Inſubrum contra Caſale maximi momenti propugnaculum haberetur, quo totus ille locorum tractus obtento quaſi clypeo tegeretur. Hac Hiſpanorum celeritate victoriæ, & tantulo tempore, quo Galli oppidum habuere, illis à Gallicum nomen exoſis illuſum mortalibus eſt cauillantibus Hiſpano Regi illud conditum, munitum, omnibus bellicis apparatibus inſtructum; vt Caſalis præſidij quaquauerſum excurrentis ferociam, inſolentiamque frænaret, ſed quod Hiſpanorum, eiuſq; gentis decoris maximè referebat; ne ſe Galli iactarent, in Mediolanenſi dominatu ſe domicilium, tutumque copiarum receptum habere ad cætera ſubigenda, quæ iam diù cupidis ancimis propoſuerant. Quare nocturnis ignibus Mediolani, feſtis tormentorum boatibus, ſpectaculis, atque omnibus effuſæ lætitiæ ſignificationibus à populo fuit celebrata victoria. Verum diù ab Hiſpanis miniſtris diligentiùs excuſſis commodis ab ea arce retenta profecturis, & magnis in ea ſeruanda, alendoque præſidio impendijs, & maximis

Bremij receptio Hiſpanorum decoris labem abſterſit.

Hiſpani Bremium firmius muniunt.

Bremij recepti uictoria Mediolani magnifice celebratur.

Digitized by Google

mis damnis, ſi iterum ab hoſtibus caperetur: & quòd magis intererat: ſi à Gallico exercitu obſideretur neceſſe futurum, vt ad inferendum oppugnatæ ſubſidium, eſſet cum hoſte vniuerſa acie in rei ſummam manifeſto totius dominatus diſcrimine dimicandum: eam funditus demoliri non multos poſt annos, diruereque propugnacula decreuerunt.

Digitized by Google

BELLVM CIVILE TAVRINVM, & obſidium, expugnatioque Vercellarum

NARRATIO DECIMA QVARTA.

TAurini inter Gallos & Inſubrum dominatus, Hiſpanoſq; natiuis odijs perpetuo ſe inuicem bello quatientes medij, fieri non poteſt quin alterutrius gentis digladiantis ictibus vulnerentur: dum enim ab alteris ſtare, aut in eorum fœdera ire coguntur: fit vt veluti hoſtes à deſerta, ſpretaque gente vaſtentur. Iam octo, & triginta ipſos annos adeò ſęuis bellorum turbinibus concutiuntur; vt longè vberrimus totius Italiæ tractus volitantium copiarum, populationumq; inſolentia, ſęuitiaq; fœdiſſimè deformetur; nec vlla inter tot bellorum iactationes ſpei quietis, aut mitioris fortunæ propitium ſidus affulget; ſed aſſiduis, & nunquam intermittentibus bellorum hoſtilium incurſuum, direptionũque cladibus proteruntur. In quo Diuinæ mentis arcana conſilia liceat admirari; vt gens eorum labe vitiorum, quibus cæteri Italiæ populo plerumque ſordeſcunt, penitus defęcata mente ingenua, minimè fallaci, neq; doloſa candidis moribus, & in Deum maximè pia, omnium Italiæ *indigenarum* peſſimè bellorum cladibus affligatur; quæ ex humanarum legum pręſcripto (nam aliud fortaſſe occultiori conſilio cæleſtia iura decernunt) procul tot bellorum incommodis, & malis eſſet habenda; cui ſi ſubitæ iræ, indignationiſque furorem, atq; præcipites animorum impetus demas; neſcio an aliam gentem in Italia probiorem inuenerim, (nemini tamen populo hac mea Taurinorum commendatione detractum vellem.) Non ille ſolitus egenti, qui ante bella fuerat, nobilitati nitor. Ciuibus, agreſtibus diuturnis militum ſtatiuis, qui priuatorum impenſis aluntur, & continuis pecuniarum, frumenti, aliarumque frugum exactionibus exhauſtis, vix tãtulum ſuppetit fortunarũ, quo vitam vtcumque tolerent. Non ſolita vbertate luxuriatur ager; quaſi campi ad aggerenda incolarum incommoda ſterileſcant; vt mirum ſit tot annos Gallicis copiis, Taurinisq; agminibus, atque hoſtium prædabundæ auaritiæ commeatus, rapinas, prædas potuiſſe ſufficere. Quando Victorio Duce defuncto, deſſuræ bellorum tẽpeſtates, procellæque ſperabantur; atrociùs ciuilibus bellis ferè ab imo conuulſi miſeri populi, exciſique perierunt, Gallo ſororem Principem cogente in ſua fœdera Rege, potioreſque arces ad fidei pignora præſidijs impoſitis occupante; quas dum Hiſpanorum freti auxilijs Principes Thomas, & Cardinalis Mauritius repetunt bello, & Infantuli Ducis nepotis ſui tutelam,

Taurinorũ probitas.

lam,

Digitized by Google

lam, & regimen, quod à Matre tenebatur, tamquã iure debitam ſibi vindicant armis; tot Taurini atrocibus bellorum incendijs, ne quid ad calamitatum cumulum, regioniſque excidium deeſſet, arſerunt: vt ſuperiora bella ludus, & iocus ad hæc ciuilia fuiſſe viderentur. Nec tantis malis video aliquando finem futurum, niſi inter bellantes Reges pax tandem ab vniuerſo Chriſtiano orbe cupita ſanciatur. Nã cũ Taurini Gallis adhærere, ſuaque illis arma ſociare perpetuo fœdere compellantur, ab Hiſpanis ab Inſubrum dominatu pulſantur: ſi ſe Hiſpanis addicunt, à Gallis per vicinas arces iniecta Taurinorum ceruicibus iuga, & Allobroges excinduntur. Ancipiti igitur malo circumuenti dum alterum declinant, alterum pernicioſius offendunt. Verum ad bella ciuilia tandem narranda gradiamur: quæ quia varietate rerum ſcitu curioſa, & alterna felicitate ſucceſſuum admiranda, & certaminum atrocitate cruenta paulò fuſiùs ſingulis geſtis expenſis, proſequemur.

Mortuo, vt ſuperius diximus, Vercellis Duce Victorio, Chriſtianæ Galli Regis ſorori purpurati omnes quot quot aderant, beneficiarij comites, cohortium Duces, omneſque vectigalium ordines, & eius vxori, & infantuli Ducis ditionum hæredis matri veluti eius tutrici, curatricique toti Taurinorum Allobrogum imperio dominaturæ dixere ſacramentum, atq; in eius verba iurarunt. Illa ſtrenuè mariti dominatus ſuſcipit gubernacula, virilique animo, ac prudentia, regiaque grauitate ſumma cum omnium lætitia, atque admiratione Allobrogicis præſidet rebus. Id principes Cardinalis Mauritius, & Thomas, qui fortè tunc longè aberant (alter enim inſcio fratre Duce Victorio, noctu cum vxore, & filijs in Belgium ad Cardinalem infantem elapſus ibi pro Hiſpano contra Gallum Regem arma gerebat: alter Romæ Gallici regni patrocinio, quod plures annos exercuerat, repudiato, Auſtriorum Principum protectionem ſuſcepit) ægerrimè patiebantur ſe non tam nepotis Ducis tutela, quam patrijs ſedibus, auitiſque ditionibus excludi: ſed illos maxima omnium ea cura coquebat, quòd Rex Gallus à ſe veluti hoſtis eiuratus, deſertuſque ſicuti rerum Taurinenſium, Allobrogumq; arbiter omnia pro voluntate moderaretur, ſuæque familiæ ditiones anhelaret, nec ſineret ſe mortui Ducis fratres, quod ad Auſtriacas partes tranſiſſent, non ſolum rerum regimini immiſcere, ſed etiam Gallicis armis omnibus locis obſeſſis, ſuos dominatus adire. Vim igitur infenſis animis parant, & bello repoſcere, quod tam iniquè ſibi, iniurioſèque negebatur.

Chriſtiana Galli Regis ſoror. Allobrogum administrationem ſuſcipit.

Principes fratres ſe Taurinis excludi indignantur.

Dux Mater iam de ſui viri morte nuntijs ad Principes miſſis, de inita à ſe ditionum adminiſtratione admonuerat, hortataq; enixè erat, vt Gallum Regem illis iratum quacumque ratione pacarent: ita potiſſimum fore, vt in ſuas terras admiſſi ſecum communibus ſenſis pupilli Ducis iura, imperiumque tuerentur; ſe illis alimenta, prouentuſq; ſuffecturam, qui Thomæ Principi præcipuè poſt Aueini pugnam à Victorio Duce fuerant intercepti, quod contra Gallum Regem ſuum fœderatum, & ſocium

Matris Ducis litteræ ad Principes.

Digitized by Google

cium armorum præfectus, copias duxiſſet.

Cardinalis Mauritius in Taurinos contendit.

Cardinalis Mauritius audito Victorij fratris Ducis interitu impotens contumeliæ, quam ſibi factum iri putabat, ſi Fratris vxoris mulieris viduæ imperio, authoritatiq; ſubderetur, clam omnibus nemine, neq; ipſo ſummo Pontifice ſui diſceſſus admonito cum paucis comitibus Taurinos verſus Roma diſceſſit. Tam repentinus Cardinalis Principis ab vrbe profectus vniuerſæ Romanæ curiæ arcana rerum, abditaſque earum cauſas curioſiùs rimari ſolitæ murmura præbuit, vnoquoq; ſentiente id nequaquam, niſi conſcijs Hiſpanis miniſtris, atque eorum ſuaſionibus accidiſſe. Caſtri Rodrigi Demarchus Hiſpanus legatus cum in ſe totius vrbis oculos conuerſos vidiſſet, quantis obteſtationibus, atque exclamationibus, & apud ſummum Pontificem, purpuratoſq; Patres egit, vt ſe ab hac falſa ſuſpicione purgaret, non modò nõ ſe eius diſceſſus conſcium, ſed prorſus ignarum?

Sauona.

Ducis matris ad Cardinalem legatio.

Cardinalis Mauritius Sabatiam prouectus Abbatem Soldatum ad Ducem Gubernatricem legauit, vt illam de ſuo in eam vrbem aduentu doceret. Illa ad hunc ſubitum, inopinatumque nuntium non parum commota per tres diuerſas vias, quo ſecurior, certiorque legationis exitus foret, Comitem Cumianç, Præſidem Merozzium. Drueniq; dynaſtam miſit, qui Principem monerent; ſe neq; eum, neque Principem Thomam quãdiu in Auſtriaco fœdere contra Gallum Regem obſtinatè perſiſterent; in Taurinos niſi cum ipſorum pernicie excipere poſſe. Omnes Galli Regis miniſtros obteſtari, copiarumque Duces minari ſe illos veluti hoſtes habituros, ſi Taurinos ingredi auderent: & quò eum magis ab hoc propoſito abductum leniret: iuſſit illi prouentus Legatos ſuo nomine polliceri, atq; obligatæ fidei pignus aliquam pecuniæ ſummam metiri. Cardinalis Princeps in præſens Viduæ Ducis rationibus delinitus Romam regreſſus non diu quieuit, quin, & cum ſummo Pontifice coram, & litteris cum cæteris Italiæ Principibus ageret, vt iura armis communibus vindicarent, *ſua non matris Nepotis Ducis curam, tutelamque intereſſe, hoc ſuperioribus maiorum exemplis niti, firmarique: cum Thomas patruus Bonifacij Ducis nepotis ſui tutelam exercuit: & Amadeus, excluſa Guietta matre, Philippi Ducis, eiuſque fratrum rexit infantiam, & alij plures agnati, ſummotis viduis Matribus, pupillorum ducum imperium, ditioneſque moderati: ſe patrio ſolo, & paternis edibus extorrẽ errare per alienas terras arceri, à dominatibus auitis, quos ſibi natalia, Humanæ, Diuinaq; leges, & iura patria conceſſiſſent. Omnes Taurinos Gallicis armis teneri, in ſpeciem vt pupilli Ducis infantiam tueantur, reuera, vt quod diu tacitis ſuſpirant animis, eas Gallicæ genti In Italia terras vſurpent. Gallorum cupiditatis documento eſſe ſimulatione ſubſidij Mantuano Duci occupatum Caſale, Crequium Mariſcallum conatum Vercellas inducto exercitu, inter Victorij Ducis mortui parentalia furtim intercipere: in Gallica aula vulgari libellos, quibus Gallorum in Taurinos iura referuntur. Quare non eſſe illi genti ſui imperij in Italiam protendendi maximæ cupidæ omnino fidendum. Horſum tendere eorum conſilia, vt principibus patruis amotis, matri*

Cardinalis Mauritius Romam regreditur.

Eius querela quod patria excluderetur.

Gallorum periculoſa ſocietas.

viduæ

Digitized by Google

viduæ pro arbitrio dominentur, illamque quocumque voluntas rapit, ad ſuum nutum circumferant.

Cardinalis inanes preces.

His,atq; alijs rationibus conabatur Princeps Cardinalis Italorum Principum animos ad ſe aſſerendum impellere; ſed adeò non eos à Taurinis finibus longinquos mouit, vt neq; Hiſpanos conterminos ad capeſcendum bellum,turbandumq; mulieris viduæ regimen flectere potuerit. Immo conſtat eos à Victorij Ducis exceſſu, non modò inuadendi Taurinos ſuo orbatos Principe, & exercitus Duce in publico luctu, & ſqualore mœrentes nulla opportunitate vſos; cum validæ copiæ in expedito eſſent; & tum maximè eorum laceſſita patientia (niſi mors humana conſilia, deſtinataq; feselliſſet) cum Dux Victorius Gallicis ęquè,ac ſuis armis ſeptus in limine excidium Inſubribus intentaſſet; tantumq; non effuſis in hoſtile ſolum copijs Inſubrum dominatum euertit: & tamen,ne Principem Viduam mariti mortem,quàm dolentiſſimè lachrymantem,addito dolore dolori inhumaniùs affligerent, hoſtilibus prorſus abſtinuere.

Hiſpanorū in Ducē Viduam clementia.

Nam excuſſis intentiſſima cura ab Hiſpanis miniſtris in Inſubribus Regis ſui negotia agentibus cladibus, calamitatibus,excidijs, quæ ob Victorij Ducis interitum in Taurinis futura erant; ſi bellum in eis regionibus accenderetur,atq; eadem mala in Inſubres finitimos exceſſura: communi ſententia ab ijs decretum eſt; ne quid contra Ducem Viduam moueretur; neq; eius regimen vllis hoſtilibus turbaretur. Quod ſalubre conſilium ad Regem Hiſpanum allatum ab eo, atq; cæteris purpuratis probatum, ratumq; habitum eſt: ob ardens omnium Italiæ pacis, quietiſq; deſiderium.

Hiſpanorū de non inferendo Taurinis bello decretum.

Verumtamen cum iidem Hiſpani miniſtri vererentur, ne Dux Vidua à Fratre Rege Gallo, aut ictum cum viro fœdus renouare,aut percutere cogeretur. Illi Hiſpani Regis nomine pollicētur,ſe eam in fidem recepturos, validiſq; auxilijs, atq; omnibus viribus defenſuros; ſi Gallico renuntians fœderi,ſecū inita ſocietate,arma, conſiliaq; cōiungeret: & Gallorum copias totis Taurinis extruderet; neq; ampliùs per ſuas ditiones Gallica agmina in Italiam tranſire pateretur. His oblationibus magis Hiſpani negotia,quàm Ducis Viduæ promouere,quærereq; ſua potiùs,quā aliena videbantur: quibus ſi illa aſſentiret,maximum in ſe bellum,ſupremūque rerum ſuarū exitium tractura erat: neq; poterat ſine manifeſtæ ſui dominatus iacturæ diſcrimine Auſtriacis adhęrēdo,in ſe fratris Regis præpotentia arma laceſſere.

Hiſpani Ducem Viduā in ſuam ſocietatem trahere conantur.

Abbas Vaſquez Mediolani præſidis legatus,& eques Olgiatus Ducis Viduæ internuntius Genuæ crebris cōgreſſibus de his rebus agebant. Hiſpanorum poſtulationibus ab ea præfractè,atq; abſciſsè reſpōſum eſt: ſe ſemper pacis cōſilia,quietiſq; vota animo nutriuiſſe, promptam ad illud extinguendum incendium, quod in vtriuſq; gentis excidium poterat exardeſcere: atq; in ſeruāda pace omnes ſuas vires,conatuſq; collaturā: ſed ſe nullatenus poſſe bellum pro Hiſpania contra Galliam patriū regnū ſuſcipere,Fratrēq; Regē ſibi hoſtē, ꝑ Hiſpano facere,his pręſertim tēporib. quib. omnes Taurini Gallicis armis circūſeſſi,vix ſuarū rerū cōpotes erāt; Gallorūq; frequētia agminum fręnabātur: ſe cū Agnatis Principib. omnibus

Ducis Matris ad Hiſpanos reſponſio.

Digitized by Google

amoris declarationibus ſuos illis reſtituendo prouentus, amicè, ſuauiterq; egiſſe; ſe ignorare quid amplius contendere, flagitareq; poſsent. Hoc mentis decretum adeò altum, tenaxq; ipſius animo ſedit; vt quamuis poſceretur, quo ſaltem à neutris bellantibus Regibus ſtaret; diceret ſe fœdere durante non poſſe a Fratre deſciſcere nullis hoſtilibus prouocatam.

Hiſpani miniſtri cum nihil à propoſito ſuo Ducem viduam auellere, nec aliquid obtinere ampliùs poſſent: ipſius ſenſis adducti quieuere gnari illi perniciosam quamcumque rerum turbationem fore: atque in primis nihil contra ipſam mouendi conſilijs perſiſtere decreuerunt. Quare cum mutuis beneuolentiæ ſignificationibus inter ipſam, & Hiſpanos de his rebus tranſactum eſſet, atq; ab Inſubribus in tanta bene gerendarum rerum opportunitate, attonitis ſui interitu Principis Taurinis, Hiſpani nihil in orbatam ſuo Duce, imperatoreq; ditionem hoſtile tentaſſent; non diu intercesſit, quin tota Italia rumor dideretur, Ducem Viduam cum Hiſpanis arcano fœdere pepigiſſe, ſe à neutris bellantibus Regibus ſtaturam: maximè cum Mediolani præſes apertè profiteretur, ſe nullā omninò hoſtilis animi vmbram mulieri Principi præbiturum; & illa viciſſim Bremij expeditionem ſubmiſſo socijs Gallis obſeſſis auxilio, nihil fuerit remorata. Idem purpurati in Gallica aula verebantur: præſertim Cardinalis Richelius intentiſſimo omnium Ducis Viduæ actorum contemplator arcanos Principum mentium receſſus ſolitus ſpeculari; nec fieri poſſe cenſebat, vt Hiſpani ſpretis proprijs, & Principum, quos nuper in fidem, clientelamq; acceperant, cōmodis, tam enixè imperanti mulieri obſequerentur; nec inducere in animum ſuum poterat, quin illa præter Fratris ſui Regis auxilia, & ſtudia, Hiſpanorum etiam ope inniteretur: & quamuis Regia aula ſibi ſatisfactum abundè ab illa putaret; quòd ad poſcentē ſua auxilia pro Bremij oppugnati ſubſidio Regem, ſtatim valida peditum, & militum agmina expediſſet; quæ tempore aduenisſent, niſi fœda præfecti ignauia illorum aduentum præuertiſſet: tamen adhuc ob aperta Hiſpanorum in eam ſtudia, de eius dubia fide ſuſpicionē ex animis abolere non poterant. Verum Hiſpani ſuis in Vidaum Ducem obſequijs Principes non aſſerendo, proprijs, non alienis commodis inſeruiebant: diuturnitate ſiquidem bellorum feſſi, continuis delectibus, & pecuniarum penſionibus emunctis Inſubribus, bella iratis animis auerſabantur: eò magis, quo periculoſiùs eſſet, ne ſigna Taurinis inferendo, in Inſubrū perniciē Gallica traherent arma. Ad pacem igitur, quàm ad bellum propenſioribus animis ſatiùs ducebant beneficio temporis vti, & poſt tot militiæ labores ea tantula pacis quiete frui, quàm nouis ſe bellis dubij, periculoſiq; exitus, ingentium diſpendiorum, curarumq; irretire. Cum Principibus idcircò remiſſiùs, ac frigidiùs agebant, ſuadebantq; potiùs, vt à ciuilibus diſſidijs, belliſq; abſtinerent; quàm armorum tumultibus nimis ardua audēdo patriā belli malis affligerent. Si eadem mens Gallo Regi fuiſſet, nec tutius, aut fœlicius Ducis Viduæ regimen, nec ſecurior Ducis infātuli dominatus, aut maior populorū fęlicitas extitiſſet; ſed vnde minus timebatur Taurinū bellū,

Gallorū de Ducis Matris Viduæ dubia fide ſuſpicio.

Hiſpanorū ſolertia.

Ad pacem propenſi.

Digitized by Google

ac perturbatio defluxit. Gallus Rex, cui naturę iure nepotis Ducis, & ſororis Matris ditionis, & regiminis erat curāda tranquillitas, Taurinorūq; pax, & quies ad nepotis roborandū imperium toto niſu ſeruanda: ipſe pacē traductis citra alpes agminibus, perturbauit. Ingēs in Auſtriacos Principes bellū Rex ille parabat iniurias vltur', quas ab illis armis cōcuſſo Galliarū Regno, ſe tuliſſe cēſebat, atq; vno, eodēq; belli impetu, & Cęſarē, & Hiſpanū Regē impellere cogitabat. Authoratū itaq; Vaimariēſē Ducē ſtrenuū bellatorē, & Batauos ingenti pecunia in ſua fędera tractos, iuſſit illum traductis iterū vltra Rhenum copijs, Auſtriacum imperiū bello quatere; hos verò effuſis in Belgiū, vectigaleſq; Hiſpani Regis prouincias agminib. quibus Gallicæ copiæ adderentur, omnia armorū impetu demoliri: emiſſo alio in Italiā exercitu Inſubrū ſubſidia diſtineret, ne in Germaniā Imperatori ſuppetias ferrent; quo vndiq; validis armis impulſa Auſtriaca potentia concideret: non enim alijs legibus in Gallica fędera conſentire Sueci, & Batauí voluerunt; niſi ille Inſubres per expertos belli Duces eodem quo, ipſi Belgium, Germaniamq; protererent, tempore, bello affligeret.

Galli bellū in Taurinos inducunt.

Galli pluri-fariam Auſtriacos aggrediuntur.

Suffecto igitur in ſupremum armorum imperiū Cardinali Valletta, Crequio ad Bremiū cęſo; eiq; pecunia ad militū ſtipendia addicta, immane bellū in Inſubres regiū animū Cardinali Richelio accedente, decernit, ſed quia per Taurinos erat in Italiā Gallicis agminibus trāſeundū, Rex Gallus Sororē Viduā Ducē popoſcit; vt non ſolū ſecū initū ab eius viro Duce Victorio renouet fędus; ſed etiā ſuas vires ad Inſubricū bellū, atq; arma cōiūgat. Illa ad fratris pernicioſa petita territa, atq; attonita magnitudine rei, quā poſcebatur; qua cōceſſa omnia ſua deſtinata funditus corruebāt: quē lapidē illa nō mouit, vt tātos armorū motus, tumultuſq; vitaret? quātis egit officijs, vt Regē fratrē ab hoc pericoloſo cōſilio abduceret? *Pace nō bello ſtare Infantuli Ducis imperiū, quietis ipſius ſecuritatem fundamentis, non armorum tumultibus niti: diuerſas omninò eſſe temporum conditiones ab illis, quando Dux Victorius viuens cuncta regio verè genio regebat: ac proinde ſibi diuerſis quoque conſilijs agendum; alium eſſe habitum rerum, alias regiminis noui rationes, ad quarum normam ſibi eſſe cætera dirigenda: magis eius maieſtatem decere, Infantuli Ducis ſui nepotis pace fulcire, munireq; dominatum, quàm illum pericoloſiſſimis bellis inuoluere, arcereq; potius ab eius ditionibus armorum tumultus, quàm tenerum adhuc, & vix ſtans imperium Hiſpanicas copias in Taurinos bello irritando, in manifeſtum diſcrimen inijcere: apud eius clementiſſimum animum pluris viduæ ſororis preces, pueruliq; Principis innocentiam naturæ iure valituras, quàm Suecorum, Batauorumq; ferociam, & miniſtrorum ambitioſa, ac pericoloſa conſilia. Se ampliſſima Hiſpanorum oblata conſtanti animo repudiaſſe, noui Ducis patrocinium, ſubſidia, armaque ad ipſius tutelam pollicentium, fraterni amoris, atq; in tenerum nepotem Ducem ipſius beneuolentiæ nomine: eſſe præter naturæ leges à fratre non exorare, quod vltrò ſibi hoſtes obtulerint. Sineret creſcere, atq; adoleſcere Ducis nepotis infantiā, donec ipſa die in ſuis dominatibus roboratus, validioribus virib. ipſius maieſtati obſequi poſſet.*

Cardinalis Valetta Gallicis copijs præficitur in Italia.

Dux Mater Fratrem Regem à belli conſilio amouere conatur.

Cardinalis Richelij ferocia.

Poterãt hæ Sororis Viduæ preces, & firmis rationibus, efficaciaq; hortamenta Regis fratris animi lenitatem, clementiamque mouere; niſi Cardinalis Richelij Regem pro arbitrio moderantis ferocia, & propoſitorum vaſtitas obſtitiſſet. Ille enim nihil minus, quàm Taurinorum incolumitatem, Infantuliq; Ducis commoda curans ardens in Hiſpanos vltionem Duci viduæ interminatus eſt; niſi nouo icto cum fratre Rege fœdere, cum Gallis in Hiſpanicum bellum arma ſociaret; prima ingruentis in ipſius terras, & vrbes fulmina ruitura. Illa, & fratris Regis poſtulatis, & ferocis Cardinalis obteſtationibus impellentibus, cum potentioribus intentantibus arma obniti non poſſet; tentauit ſi mediam ſe ferens neutrum Regem poſſet nullis hoſtilibus irritare. Regi itaq; Gallo tranſitum eius per ſuas terras agminibus pollicetur precata: vt hoc contẽtus fineret Infantulum Ducem, ſeq; inter ſtrepentia vndiq; arma quieſcere; nec ſe in perniciosa bella cogeret. Taurinis diuturnis bellis attritis, vix ſupereſſe, quo miſerè viuant. Verum Richelius nihilo mitior ſubmiſſiores mulieris preces aſpernatus, quòd illam in arcano cum Hiſpanis miniſtris conueniſſe putaret; acriùs inſtat, vrget, vt ſe apertam Hiſpanorum hoſtem profiteatur, & fœdus cum Gallo Rege percutiat tam ad propulſandum, quàm inferendum bellum, iuretque ſe eoſdem hoſtes, ſocioſq; habituram, quos ille huiuſmodi declaraſſet. Dux Vidua inter anguſtias deprehenſa purpuratorum ſapientiorum conſilium cogit, de hac re grauiſſima refert. Illi rerum ponderibus accurato examine libratis, quamquam nouum fœdus, & regimini Viduæ Ducis, & Taurinorum, Allobrogumq; dominatibus maximè periculoſum futurum intelligerent; attamen defuncti Victorij Ducis cõſilio vſi id ſenſere omnes, pernicioſiora fore cum Gallis, quàm cum Hiſpanis diſſidia. Vidua itaque in inuiſum fędus conſentire coacta armorum ſocietatem Gallis ſacramento confirmat: quod, etſi violenter expreſſum; minus tamen alio quocumq; conſilio pernicioſum. Nam cum Gallus Rex ſtatuiſſet omninò Inſubribus ſigna inferre, Hiſpanoſq; bello perſequi: exitio futurũ erat, armorũ torrẽtẽ ſuarũ copiarum obiectu intra Taurinorũ viſcera detinere; eius violentiam, quæ in Hiſpanos inundans Inſubres euertiſſet, ad ſuarum ditionum excidiũ cohibere. Satiùs igitur erat ſine maleficio per ſuas terras rapido curſu fluẽti aditum in Inſubres dare, quàm in propriam perniciem obſiſtere. In Taurinis enim campis amborum Regum confligentibus armis, neceſſe erat, vt ab vtriſq; vectigales populi pabulationibus, hoſpitijs, ſtatiuis, direptionibus grauarentur: incolumi interim, immunique belli malorum Inſubria, in quam Gallica tela deſtinabantur. Id Caroli Emmanuelis, & Ducis Victorij ſuperiora exempla docere, vtrum ſalubriùs fuerit; ruentia Gallica arma in Inſubrum perniciem detinere, an patefacto aditu pati ſuo rapido curſu, quò deſtinant, ferri. Ille, vt ſe auxiliaribus copijs Caſale ſubſidio properantibus, ſociatis cum Hiſpanis viribus, obijceret, Pinaroli, Seguſij, aliarumq; Taurinorum arcium iacturam paſſus diutiùs cũ inſigni ſuorum populorum pernicie in ſuis terris aluit bellum: hic ſaniori conſilio inita, quamuis

Gallorũ in Ducem matrem minæ.

Cardinalis Richelij violentia.

Dux mater cogitur cum Gallis fœdus inire.

Digitized by Google

quamuis inuitè, cum Gallis ſocietate, in Inſubres præcipitem bellorum impetum, cum omnibus malis, quæ ſecum bella trahunt, ſuis populis ſeruatis immunibus, nulla paſſus diſpendia traduxit. Nihilominus cum in ipſa fœderis tranſactione Hiſpanica arma in Taurinos inuecta cũcta pauore, fuga, complerent, miſeri vectigales ſuarum calamitatum, malorumque culpam in Ducem viduam reijciebant: quaſi ipſa cum Gallo Rege fratre iterum fœdere ſanciẽdo in Taurinos Hiſpanici belli mala traxiſſet.

Taurinorũ de Matre Duce querela.

Quare populares Principum ſtudioſi, eorumque cauſam arcanis molitionibus aſſerentes, vt fœminæ Principis nomen, eiuſque regimen ad illam vſque diem populis gratiſſimum, acceptiſſimumque facerent inuiſum; omnium auribus obganniebant, illam vt firmiùs ſe in rerum adminiſtratione fulciret, arceretque à Taurinorum finibus Principes, ad quos Ducis nepotis cura ipſo naturæ iure ſpectaret, nulla habita Taurinorum ſalutis, incolumitatiſque ratione, cum fratre Rege fœdus contra finitimos Inſubres percuſſiſſe.

Arcana contra Ducem Matrẽ viduã molimina.

Hęc obtrectantium murmura frequentibus loquutionibus ingeſta ignorantium à Duce Vidua animos alienabant: illam violenter, impotenterque in Gallicum fœdus compulſam, arietatamque fuiſſe, nec quæ grauiora, moleſtioraque à contrario conſilio profectura Taurinis regionibus forent, etiam ſi eius ſubſidio ad propellendos, prohibendoſque Italia Gallos validi Hiſpanorum exercitus accurriſſent. Verum Ducem Viduam innoxiam omni culpa eximebant, & malignis obtrectationibus criminantium, eius diuturni, conſtanteſque contra Gallici fœderis tranſactionem obniſus: ante illud conuentum, decretumque in Hiſpanica Aula à Rege, & proceribus in Taurinos, & Allobroges bellum: ſtatim enim ac illuc fama de icto à Gallo Rege cum Batauis, & Suecis fœdere in ſuarum prouinciarum, & præſertim Inſubrici dominatus exitium peruaſit; Rex tot hoſtium conatuum, odiorum, & molitionum impatiens, vt ſtructas contra ſe inſidias præuerteret, occuparetque hoſtium machinamenta, iuſſit Mediolani præſidem omnibus viribus Taurinos inuadere: quos propediem Gallicis additos copijs contra Inſubres prodire conſpiciet.

Rex Hiſpanus decernit in Taurinos bellũ.

Ad copiarum quoque ſtipendia, & exercitus robur pecuniam, & militum ſubſidia miſit; pollicitus inſuper ex Germania, & Neapolitano Regno omnibus bellicis rebus firmiùs illum inſtructum iri. Quare Dux Vidua ad ſtrepentium hoſtilium armorum pulſus in Gallicum ire fœdus à Mediolani produce coacta, quod Cardinalis Richelius extuderat ab inuita, ſe fœderi adſcripſit, pepigitq; cum Gallo Rege ſocietatem.

Hiſpanorũ bellici apparatus.

Mediolani Produx nundum à Bremij expugnationis laboribus reſpirarat: nondum militibus obductæ vulneribus cicatrices: cum Regis mandata, de inferendo Taurinis bello allata fuerunt, ſperabatque recepto Bremio, expulſiſque ab Inſubribus Gallis, ſe in tranquilliſſima pace, & quiete victurum, quieturoſque à tot bellorum concuſſibus vectigales, neque quicquam à Duce Vidua tenellæ adhuc ætatis Infantulo Duce à Taurinis motum iri: nec à decretis, conuentiſque cum Abbate Vaſquez di-

Madrid. Heluetij authorātur ab Hiſpanis.

ſceſſuram; cum à Mantua Carpetanorum regijs mandatis acceptis, cogitur iterum in arma prodire. Miſſa itaque in Heluetios pecunia, quatuor eius gentis bellatorum millia conduxit; primaſq; Vercellas ſibi expugnandas initio moti belli propoſuit: vt ea finitima vrbe potitus facilior in Taurinorum vlteriora aditus panderetur: & quo nihil tale metuentem, opinantemque hoſtem aggrederetur: ſubmiſſis clam nuntijs, omnibus militum agminibus in Laumello hybernantibus imperauit; vt Paleſtrium protinus conuenirent; vbi Seſithe amne ponte iuncto, equitatum omnem in vlteriora traduxit, quo omnes aditus ad prohibenda ab oppugnanda vrbe ſubſidia, locorumque anguſtias poſitis cuſtodijs obſiderent; & cum eodem die ſub veſperam peditatus omnis aduenisſet: circum vrbem in varias villas, & vicos in hoſpitia dimiſſus eſt, quo celeriùs ad reliqui exercitus aduentum ſe in vicinum Vercellenſem agrum circumfunderet. Hiſpanis, & Sequanis Diui Bartholomæi ſtatio tributa: hinc vſque ad Fratrum minorum Diui Franciſci cœnobium Itali milites caſtra locare iuſſi; inde vſque ad Seſithem amnem Germani, & Rhæti nuper fœdere ad Hiſpanas partes tranſgreſſi, ſe excitatis aggeribus muniuerunt: in Inſula, quam Seſithes, Seruſque amnis efficit, perículoſiori loco, & hoſtium ictibus magis obnoxio Franciſcus Serra Genuēſis patritius ſe cum Neapolitanorum peditum legione vallauit: & quia firmiori præſidio ad hanc ſtationem tuendam opus erat; additæ fuerunt aliquot Rhetorum, & ex Inſubribus delectibus militum cohortes. Verum antequam contra Allobrogem Ducem prodiret in arma, atq; in Taurinos duceret infeſtus: ne Chriſtiani orbis Principibus iniquum, crudeleq; bellum ſuſcepiſſe contra pupillum Principem videretur: litteras typis impreſſas vulgauit; quibus moti belli cauſas, illatas Hiſpano nomini iniurias, & offenſas ſingulas recenſebat. *Illum Regem contra Ratiſponæ, & Claraſchi conuenta defuncto Allobrogi Duci Pinarolum extudiſſe: coegiſſeque inſuper contra Inſubres arma induere; quibus hoſtilibus irritatum potuiſſe Taurinos iuſto bello affligere: ſe nihilominus teneræ pupilli Ducis ætatis, Viduæque Matris Principis miſertum offenſas Patris, & Aui mitiſſimo animo condonaſſe, nec voluiſſe in tanto publico luctu, & ſqualore barbarè certè, ſed iuſtè iniurias vlciſci; cum orbato ſuo Principe dominatu, & proceribus, purpuratiſque eo acerbo funere attonitis bene agendæ rei opportunitatem fortuna largiretur: verum non hoſtilibus abſtinuiſſe modò, ſed etiam Duci viduæ pacem, amicitiamque, ſuas vires omnes, armaque in tuendis Taurinis obtuliſſe: dummodo commeatus Gallicis copijs, atque tranſitum per ſuas ditiones, ſubſidiaq; recuſaret; & cum Gallo Rege ictum fœdus abrumperet: vel ſaltem pro neutris faciens in ſuo dominatu ſecura pace quieſceret: noluiſſe Gallum Regem tam honeſta Hiſpanorum oblata illam amplecti. Sed in ſua fœdera recuſantem obtorto collo violentiſſimè compuliſſe, eo animo, vt direptos, vaſtatoſq; copiarum commeantium vltrò, citròque procurſibus Taurinos occuparet. Quare cum tanto malo occurri, nec Galli depelli ab Allobrogum ceruicibus poſſent: niſi antequam illi irruant in Italiam, Taurinoſque opprimant;*

Hiſpani in Taurinos mouent.

Ad Vercellas caſtra ponunt vrbē obſeſſuri.

Manifeſta ſcripta ab Hiſpanis vulgantur de belli cauſis.

mant; eius dominatus arces, vrbeſque Gallorum cupiditati præriperentur: Hiſpani Regis maieſtatem affinis Principis, conſanguineæq; domus patrociniũ, tutelamque ſuſcepiſſe, nec paſſurum pupillum Ducem innoxium Gallicis armis, potentiaque obrui: idcircò ſe coactum eſſe Taurinorum arces, vrbeſque inuadere: non vt ijs ſuos cenſus amplificet; Inſubrumq; dominatus fines earũ acquiſitione protẽdat: ſed vt Gallos Italia pulſos ad cõſtituendã diuturnam pacem impellat; cuius legibus ſi Pinarolum, aliaſque Taurinorum arces Galli reſtituerent, ipſum, quoque occupatas vrbes Duci infantulo redditurum; quo Allobrogum Principum domus ditionibus auitis nullis infeſtantibus hoſtibus, frueretur. Obteſtabatur itaq; ſe nõ veluti hoſtẽ ad ſubigendas ſibi vrbes armatũ Taurinos inire; nec Ducis Allobrogum vectigales bello percellere; ſed vt occupatas vrbes è Gallorum manibus ereptas ſuo natiuo Duci ſeruaret: ſuadebatque popularibus, vt ſi belli calamitatum ſe cuperent immunes, tam iuſtis armis, atque optimæ Regis Hiſpani in eorum Principes voluntati obſequerentur potius, quàm hoſtiliter obſiſterent: hac præcipuè ratione, ſe ab omnibus belli incommodis incolumes ſeruaturos. Minabatur poſtremo, ſi Gallica arma, deſtinataque promouerent, ſi ſuas vires, cogitationeſque ſociarent, ſe coactum iri mutare belli gerendi rationem, atque omnium hoſtilium generibus, atrocitateq; bellaturum.

Hoc Mediolani producis edictum tam mitibus verborum officijs, pollicitiſq; fucatum, & hoc qualecumque ſuſceptum Ducis Viduæ, & Infantuli Principis patrocinium, ſicut ille ſimulaſſe putabatur: ſic procedente tempore rerum euentus poſtea docuit, hæc ab eo ficta eſſe in præſens, vt Chriſtianis Principibus ſuorum armorum iuſtitiam, æquitatemque ſuaderet. Rex enim Hiſpanus, purpurati, proceresſque omnes tot laceſſiti offenſis, tot irritati iniurijs, cum Allobroges Principes coniunctis cum Gallo Rege viribus, & conſilijs identidem bella Inſubribus intuliſſent, tot impatiens hoſtilium Rex ſuæ clementiæ, regiæq; lenitatis, propenſique in Allobrogum Principum ſibi affinem, & conſanguineam domum animi rationem abijcere omninò propoſuit: & quamuis certo ſciret neq; Ducem viduam, neque puerulum Principem niſi coactos minarum impulſu in Gallica fœdera conſenſiſſe, attamen cum Gallum Regem videret poſt habitis ſororis, nepotiſq; ſui Ducis rebus, quæ ipſi vt propinquiori, maiori etiam curæ eſſe debuiſſent; dummodo in Inſubres copiis immiſſis, bellum in Mediolanenſem dominatum traduceret; nulla ſororis viduæ, neq; tenelli Ducis miſeratione moueri, & nihili facere detrimenta, quæ ex hoc moto bello in innocentium capita, fortunaſq; ſuperfluere poſſent: neq; ſe prouocatum, tentatumque bello iiſdem rerum reſpectibus afficiendum. Quare ne ſegni torpore ceſſantem ſineret aſſiduis inultus bellis, & hoſtilibus verberari bellum in Taurinos decernit; Gallorumq; conatus occupare feſtinat.

Hiſpani Regis, & eius procerum animi in Duces Allobroges.

Allobrogũ Principum affinitatis nulla ratio ab vtroque Rege habetur.

In Taurinos bellum decernitur ab Hiſpanis.

Vulgato edicto, Mediolani præſes, vt iuſſa Hiſpani Regis impleret, Vercellis omnibus viribus inopinato ſucceſſit. Ea vrbs quamuis antiqui operis

Digitized by Google

Hiſpani Vercellas obſidione circundant. *Vercellarũ deſcriptio.* mœnibus valletur; firma tamen adeò ſunt, vt incuſſos tormentorum reſpuant ictus; nec vlla miſſilium verberatione dehiſcant, & vix pulſuum veſtigia in duriſſima ſtructura cudantur: prominentia per interualla in latera propugnacula obliquis inuadentes ictibus feriunt; lata, depreſſaque foſſa ſepitur, exteriora etiam valida aggredientibus munimenta prætendit; loricis, parmulis propugnaculis aſtructis, quæ Carolus Emmanuel ingenti cura excitari iuſſit, quando illam à Petro Toletano ereptam iterum pacis initæ pactione recepit. Peritiùs etiam à Duce Victorio additis ex recentiori muniendarum arcium diſciplina, alijs parmulis, & loricis, raptim etiam interiùs obiecta, admotaque mœnibus tellure, quo violentis tormentorum incuſſibus eo oppoſitu firmiora reſiſterent. Curabat in ea Dolliani Demarchus Villæ Demarchi gener Duci Viduæ acceptiſſimus, fidiſſimuſque miles, qui vna cum Villa Crequij Vercellas intercipere molientis inſidias eluſerat. Pridie antequam ab Hiſpanico exercitu cingeretur, duæ equitum cohortes Taurino miſſæ vrbem inierant: incerto an in ea aula Mediolaui Producis deſtinata patuiſſent, an ob Gallici exercitus in Italiam aduentantis metum, ne ea vrbs vt opportunior, & inſubribus finitima, ac proinde alendo bello commodior veluti armamentarium peteretur à Gallis. Verum vtcumque fuerit earum cohortium in vrbem ingreſſus fuit maximè ſalutaris. Nam quo ampliori munimentorum circuitu cingebatur, eo maiori propugnantium numero opus erat. Sed vt erat propugnaculis firma, ita paucitate præſidiariorum inualida: cum eam non plus tres peditum cohortes, & duæ equitum turmæ propugnarent; quæ recenſitis etiam ciuibus bello aptis, longè minores numero erant, quàm munimentorum amplitudo poſcebat; ob locorum frequentiam, quæ poſitis militum ſtationibus tuenda erant: non enim tantum interiora, ſed etiam exteriora munimenta extra vrbem extructa propugnanda erant; quæ deſerta perniciem potius vrbi, quam aliquod commodum attuliſſent. Ceterum bellicus apparatus, & tormentorum ſarta, quamuis non affatim ſuppeterent: erat tamen aliqua copia ad trium ſaltem menſium tolerandum obſidium. Præſidium quamuis exiguum venturi propediem auxilij ſpe fretum ingentibus, & fortibus animis ad propugnandam vrbem inſurgit. Iam certis nuntijs allatum erat, Gallicas copias in Taurinos ſuperatis alpibus deſcendiſſe, minori tamen numero, quàm fama vulgauerat; quæ Taurinis, & Allobrogibus iunctæ non plus ſeptem peditum, & tria equitum millia cenſebantur. Gallico agmini Cardinalis Valletta vna cum fratre æquali authoritate, poteſtateque imperabat: ſupremum tamen omnium imperium penes Cardinalem erat. Quod illi Cardinalis Richelius veluti eiuſdem ordinis purpurato fideret magis. Sed quemadmodum huius ſubſidij nuntij propugnatores ad fortiter tuendam vrbem animauerant; ita Mediolani Produci maximam ſolecitudinem iniecerant, vt antequam ad ſuppetias oppugnatæ vrbi ferendas accederent; ipſe erectis

Vercellarũ præſidij paucitas.

Præſidiariorum animi, & virtus.

Galli exercitus numerus.

circum

Digitized by Google

circum munimentis, foſſa, vallo, propugnaculis caſtra vallaret; vt ab exteriori caſtrorum parte contra hoſtium vim tutus exercitus liberiùs ad oppugnandam vrbem incumberet. Itaque mandat, vt loricis, aggeribus parmulis firmiter caſtra ſepiantur. Paucorum dierum labor opus ſanè ob circuitus amplitudinem, foſſæ profunditatem, munimentorumque altitudinem admirabile, ac omni opinione firmiùs abſoluit. Aptis in locis circum ad mœnia non ſolum pulſanda librata tormenta, ſed etiam in exteriorem planitiem, circumiectoſque campos, quà Gallicæ copiæ venturæ dicebantur, collineata; quibus à ſubeundis aggeribus arcerentur. Ruentibus effusè cęlo imbribus ſubſidiarij exercitus tarditas, & damnoſa cunctatio nihil Hiſpanorum operis celeritatem remorata eſt. Obſtitere nihilominus frequentes, & validæ propugnantium eruptiones fodientibus operis; & Hiſpanis excitandis munimentis intentis. Quadripartito in quatuor caſtrorum partes præſidiarij immiſti ciuibus ſtrenuè inuaſere; qui quamuis accurrentibus vndique ex omnibus ſtationibus ad ſociorum diſcrimen Hiſpanis, in vrbem compulſi fuiſſent, non tamen niſi prius edita oppugnantium cæde. Ad Mediolani Producis prætorium præcipuè trepidatum eſt; illò enim eruptio validior, & fortior euaſit: ibi poſt diuturnam pugnam, cum vtrinque ingentibus animis certaretur, pluribus cæſis, inter quos quatuor cohortium Ducibus, & ſtatore maiori amiſſis, præſidiarij ſtipato ordine prementibus vndique Hiſpanis, in vrbem edito inſigni bellicæ virtutis experimento, rediere.

Hiſpani exſtera muniunt [partly illegible]

Obſeſſi in hoſtes erumpunt.

Perfectis caſtrorum munimentis, agi vineæ cęptæ ſunt, paulatimq; per aggeſta tellure acceſſum ad mœnia. Mox educti aggeres, & tumuli tormentarij, in quorum faſtigio librata tormenta ſupernè vrbem inceſſunt: vel ſaltem ęquata mœnium altitudine, vrbis interiora habent ſub ictu. Tota vrbs adeò circum vallata caſtrorum munimentis, & propugnaculis erat; vt omnibus aditibus interſeptis, fieri non poſſet, vt aliquod ſubſidium in vrbem peruaderet. Ab Hiſpanis, & Sequanis contra obiectam à fronte ingentem forcipem laborabatur: contra aliam Germani, & Rheti communi induſtria inſudabant. Itali aduerſus magnæ molis propugnaculum ab vrbe ſeiunctum nitebantur; vnaquaque exercitus gente bellicæ virtutis æmulatione certante, vt cæterarum prima ad deſtinata penetraret. Dum in varios efformandos telluris indico more męandros verſatur æquè à militibus, ac foſſoribus tellus, tormentorum iactus fulminum non ceſſabant; erat præcipuus ciuium bombarum terror, quas, quia in bellis Germanicis deſcripſimus, ſuperuacuum putamus hìc eadem iterare, ad illa mittimus lectorem. Hic tantum ſit ſatis innuere adeò immitem, violentam, ſæuam, cruentamq; eſſe nuperam oppugnādarum arcium rationem; vt licet oppida munitiſſima ſint; atq; in ſublimium montium verticibus collocata, oppugnantiū violentiæ, & recentis militiæ inuentis obſiſtere nequaquam poſſint. Vidimus oculis noſtris munitiſſimas vrbes, quæ communi

Tormentis vrbis mœnia pulſantur.

Violentiſſimæ oppugnādarum vrbium rationes.

muni mortalium ſenſu inexpugnabiles videbantur, paucorum dierum obſidione in oppugnantium poteſtatem veniſſe. Obiacebant vrbi intra teli iactum ruſticæ quædam ædes, nec dum à ciuibus, & præſidiarijs desertæ, vt in illarum quoque oppugnatione hoſtem longiùs à mœnibus diſtinendo fatigarent. Ad pellendos inde præſidiarios aliquot peditum cohortes emiſſæ; quæ multa cum ſua clade, cruoreque hoſtes ab ijs ſedibus exegerunt. In eo certamine Bartholomęus Pallauicinus equitum ductor tormentario globo lancinatus, dum ſua turma pugnantium latera munit, interijt. Comes quoque Iulius Cæſar Borromæus caſtrorum magiſter eodem mortis genere obijt excuſſa tormento ferrea pila laceratus. Poſtera die præſidiarij nihil ruſticalium iactura territi ædium, eaſdem cum Germanorum internecione eo inopinato impetu oppreſſorum, iterum capto eorum Duce, recipiunt, quamuis mox ante certaminis exitum, erepto captiuo rurſus à ſuis militibus Duce, deiectis inde oppidanis, recuperata ædes à cohortibus Germanicis eſt.

Bartholomei Pallauicini cades.

Iulij Cæſaris Borromei interitus.

Frequentiſſimis eruptionibus ad declarandam bellicam virtutem, animorumque ferociam oſtentandam oppidani obſidentium caſtra inuadũt. Hiſpanicus interim equitatus ne ſegnis in ſtationibus ageret; ad populandas circumiacentes villas emiſſus, omnia incendijs, rapinis, prædiſq; deformabat. Gliſcebat interim ſubſidij aduentus rumor; quod & validum, & certum mori potiùs, quàm non obſeſſæ vrbi ſuccurrere; nuntiabatur. Vrgebat enim maximè Ducem Viduam eius vrbis ſalus, non tam magni ad cætera Taurinorum ſeruanda momenti, quam ne vrbs primum ſub ſuo regimine hoſtilibus armis petita in Hiſpanorũ caderet poteſtatem: cupiebatque ardentiſſimo deſiderio glorioſo exitu, fœlicique victoria ea obſidione defungi.

Rumor de aduentante Gallico ſubſidio.

Quamobrem præter omnes bellicos apparatus ab ea ſolicita cura, & accurata diligentia expeditos, ipſa Taurino Creſcentinum, vbi ſubſidiarij exercitus agmina in vnas copias cogenda erant, celeri curſu tetendit: ibi exercitum omnem in conſpectum datum recenſuit, ac ſumma cum alacritate luſtrauit, & non tam ſuo regio, plenoque maieſtatis aſpectu, quàm mira agendi cum vnoquoque ſuauitate, virilique, ac digna Principe heroina facundia copiarum Duces, chiliarchos, centuriones ad pugnam, ad ſtrenuos auſus animabat; quos omnes in ſuum conſpectum vocatos ſic alloquuta eſt.

Dux mater Creſcentinum feſtinat.

Huius mei imbecillitas ſexus feminæ, & viduæ, veſtrique Regis ſororis afflictarum habitus rerum, & hæc mea trepida in caſtra, mediaque arma Principis mulieris feſtinatio, inciuilis, agreſtis hoſtis acerbitas bello fœminam perſequentis, hic meus triſtis veſtram opem implorantis aſpectus omni efficaci oratione potentiùs vos clariſſimos bello Duces, quos equeſtris ordinis leges nobilibus fœminis aſſerendis veſtræ deuouent bellicæ virtutis obſequia, forſitan vrgent, vt feroci dato in hoſtium caſtra impetu, proſciſſoq; vallo, Hiſpanos de

vrbis

Digitized by Google

vrbis obſidione pellatis, vel laborantem illato valido ſubſidio iuuetis. Video omnium veſtrum ora viuidum Martis ardorem ſpirantia, iam ante mea hortamenta pugnam cum hoſtibus anhelantium. Gallicæ virtutis eſt, ſimul hoſtem videre, & pugnam cum eo depoſcere: omnes peroſa moras, cunctationis impatiens Gens Gallica experiri Marte, manus ſerere, ferroque decernere cupit. Noſtra pugnaciſſimos terra milites gignit, quos in arma in diuerſa terrarum bellandi cupiditas rapit. Veſtri in Hiſpania, Belgio, Germania metuendi fulgurant enſes; nulla ſane Chriſtiani orbis ferè plaga eſt, in qua non veſtri inuicti martis fulmina tonent. Iam Gallicum nomen terribile omnibus terris cuncta regna formidant. Sed neſcio, cuius fati nobis aduerſi violentia in Italia Gallica tela hebetia non feriant, parumque fęlices habeant profectus. In hanc prouintiam identidem Gallicæ copiæ deſcendunt, valida peditum, & equitum ſupplementa mittuntur: vix Caſale retinemus, cæteris ſummouemur. Immo vltrò hoſtis inſultat; vrbes aggreditur, obſidione ſepit: nec illum pupilli Ducis miſeret, nec ſuæ inurbanitatis, barbarieique pudet. In meos dominatus potentibus copijs inuehitur, omnia belli impetu proruit: nullo prius indicto bello, nullis à me hoſtilibus prouocatus, niſi quia renui, ipſo flagitante, ictum cum meo Rege fratre à meo viro Duce fœdus abſcindere: quinimmo blandimentis me (ſi dijs placet) reductis Inſubrum cum Taurinis commertijs, reſeratiſque viarum clauſtris, quaſi in alta pace ſopiuit; auertitque his mutuæ amicitiæ ſignificationibus à belli ſenſu, vt arcanis inſidijs tutiùs graſſaretur, meque imparatam, nulla hoſtilia ab Hiſpano metuentem inuaderet. Vos non latet, me hoc periculoſo bello eo nomine tantum urgeri, quòd à Gallicis partibus ſtem; neque enim à mei uiri Ducis interitu mihi mæſtiſſimæ uiduæ cum pupillo infantulo Duce, ea animi alacritas, uigorque fuit, ut ſponte bella cum Hiſpano ſuſciperem: immo pro uiribus obſtiti, ne meus me frater adhuc in recenti dominatu nutantem, firmandæque meæ authoritati, ac poteſtati intentam, uix in pace populis regendis idoneam difficillimis periculoſiſſimi belli negotijs implicaret: cum in hoc triſti iuſtitio, communique comploratu nec indigenis ad bellum ſatis animi, viriumque ſit, nec mihi inferias tantum quàm magnificentiſſimas, parentaliumque pompam cogitanti, perhorrentique bella nihil foret acceptius, quàm mediam inter bellantes Reges, atque integram pacatè quieſcere; quo tot diuturnis bellis populi rebus omnibus ad inopiam exhauſti pace iterum in priſtinas opes, fortunaſque refloreſcerent. Verum per hoſtium barbariem pacis bono frui non licet: bello impetor, in meo ipſo dominatu premor hoſtilibus armis: quòd Galli Regis fœdera colo, quòd Gallicas copias in meas ditiones accipiam, quòd Hiſpanorum inuitamentis, atque oblatis acquieſcere nolui. Inſtat hoſtis Vercellis finitimæ Inſubribus vrbi Taurinorum munitiſſimo propugnaculo: iam promotis vineis, & pluteis, effoſſiſque cuniculis, adeò vrget: vt, niſi protinus laborantibus ſuccurratur, tãtum non præſidiarios ad deditionem compellat. Qui ſi noſtro malo vrbem oppugnantibus cedent, quid minus verendum eſt, niſi vt in ipſa Taurinorum viſcera victricibus ſignis illatis, ipſi Regiæ circumfundat exercitum? Summis igitur uobis conatibus enitendum eſt, ut diſru-

ptis

ptis caſtroru m aggeribus, ſuperatiſque propugnaculis, in vrbem veſtrorum enſium mucro nibus per medios hoſtes vobis aditum perſtruatis. Arduum ſanè erit, ſed m aximæ, æternæque gloriæ, quæ non niſi per difficiles callium anfractus, ſummoſque labores aditur. Veſtra inuicta virtute fretus meus Frater vos mihi ſubſidio miſit, vt ſi Gallorum tantum cauſa premor, me ab Hiſpanorum violentia, Taurinoſque vindicetis: ad hoc vos à veſtris patrijs ſedibus in Italiam tot viarum ſpatia emenſi in Italiam ſuperatis alpibus deſcendiſtis. Macti igitur animis, virtuteque eſte, fortiſſimi bellatores, nulla vos hoſtilium aggerum ardua terreant; nihil imperuium, nihil virtuti inſuperabile. Cum vos certos vincere, aut mori vallum ſubeuntes hoſtis aſpiciet: forſitan ille Gallica ferocia trepidus ſtationes vobis irruentibus cedet: nihil æquè terret hoſtem, quàm deſperationi ſimilis corporum, animorumque contentio: rarò validiſſimi niſus non proſperos ſucceſſus habent: impauidus animus, periculorumque contemptor ipſo terribili, minacique oculorum intuitu metum incutit hoſti. Gallicæ, Taurinæque copiæ ſimul ſociatis viribus, non ita Hiſpanis ſunt numero inferiores, vt ijs ſit congreſſus cum hoſte timendus, illumque intra ipſa caſtrorum munimenta aggredi pernicioſum, lethaleq; futurum; ſi ſtipatis ordinibus diſiecto primum eminus tormentorum pulſibus uallo, intrepido greſſu inclinatis haſtis, obſeſſores, actaque teſtudine adoriemini. Nullatenus ferendum omninò eſt, ut Vercellæ maximi ad cætera belli momenti ab Hoſtibus expugnentur. Quanto enim pudori, quantum dedecori uobis omnibus foret, ſi in Gallici, Taurinique exercitus oculis, uobis ceſſantibus, ab Hiſpano illa ciuitas caperetur? Quantum de ueſtræ bellicæ uirtutis exiſtimatione decederet, ſi tam è propinquo hoſtibus Gallicis obſtrepentibus armis, Taurinorum ante murale hoſtis, nobis ſpectantibus, expugnaret? Audendum eſt itaque, perrumpendumque hoſtile uallum, atque in obſeſſam urbem per ſtrata obſidentium cadauera peruadendum. Nihil Gallico ardori, efficacique impetus vehementiæ obſiſtere poterit. Validiſſimi niſus, atque audaciſſimi conatus in rebus arduis plerumque fæliciſſimi ſunt. Ab ipſa diſcriminis magnitudine audacia petenda eſt. Non una ſunt caſtrorum munimenta quamuis firmiſſima à circunfuſis hoſtibus expugnata, non uni hoſtes uel aggeribus tecti ab urbium obſidione decuſſi: quotidie huius generis auſus ad nos perferuntur exempla. Quod igitur cęteræ gentes poſſunt, non poterit Gallica, cui reliquæ nec animorum magnitudine, nec bellica uirtute, nec diſcriminum contemptu ſunt componendæ? Ite igitur, fortes Heroes, ueſtrique decoris, officij, Regiſque memores mandatorum, me, Pupillumque Ducem, eiuſq; urbes à rapacibus Hiſpanorum manibus uindicate.

Quo autem verba maius pondus haberent: præcipuos Duces pretioſis muneribus donauit. Nullum denique intermittebat officium; quo ad ſubſidij celeritatem, & efficaciam ducum animos inflammaret. Verum tantæ Principis Viduæ ſolicitudini, atque ardentibus votis obſiſtebant continentes largiſſimi cadentes è cælo imbres, quibus inexplicabiles viæ, præaltoque cœno impeditæ plures dies exercitum morabantur, donec ceſſan-

tibus

Digitized by Google

tibus pluuijs calore ſolis areſcerent; ne profunda labe tormentorum rotæ haurirentur. Aliquando tandem, ſed poſt multas moras, cum duodecim cāpeſtribus tormentis exercitus iam diu cupitum Vercellas verſus iter ingreditur; ſed lento admodum gradu ob nimium cunctabunda, hæſitantia, inter incerta Cardinalis, eiuſq; fratris ingenia, ac proinde tarda, & dubia ſemper in militaribus operibus, quæ ardentia, efficacia, & concita violentia poſtulat Martis. Hi nimis circumſpecti Duces omnem arridentis fortunæ opportunitatem corrumpunt, nec vnquam aliquid ardui, ac magni audēt; ſed perniciosiſſima tarditate victorias, vrbeſq; deperdunt. Nonniſi poſt viginti dies à cępta oppugnatione in Hiſpanici exercitus cōſpectū venerunt; quòd ſi acceſſum maturaſſent, nō adhuc caſtrorū munimētis abſolutis: potuiſsēt impetu facto in vrbē irrumpere; ſed illorum damnoſa cunctatione factum eſt, vt Leganius firmioribus munimentis caſtra vallaret, educeretq; adeò altè, vt ab aggredientibus ſuperari non poſſent. Hi fructus ex cunctatione carpuntur.

Nimiū Ducum cauta conſilia aliquando belli pernicioſa.

Cunctatio belli ſemper damnoſa.

Primi tandem agminis turmæ citra Seſithem amnem ſe conſpiciendas obſidentibus præbuerunt: mox reliquus exercitus affuit: ſed Duces aliquot dies in explorandis, contemplandiſq; oppugnantium munimētis otioſi ceſſarunt; quę cum ſuperati non poſſent, aduerſo Diui Nazarij Abbatis domicilio amnem ponte iungunt: emiſſoq; in vlterius litus bellatorū agmine, ſexaginta militum præſidium aliquot tormentorum ictibus inde depellunt. Hic collocato prætorio ſe muniūt, atq; intētiſſima cura hoſtium caſtra ſpeculantur, ſi qua parte inferri poſſet vrbi ſubſidium. Leganius ad primū ſubſidiarij exercitus intuitum, quamquam ab vniuerſis copijs vrbem inuadi maximè cuperet, ne hoſtis vicinior inuadentium terga pulſaret; ſucceſſuſq; oppugnationis fęlicitatem ſi non omninò eriperet, ſaltem moraretur; attamen cum adhuc non adeò diruta tormentorum verberatione mœnia, nec ſuffoſſa cuniculis, vt planiorem acceſſum inuadentibus darent: diſtulit impetum, etiam ſi Hiſpani vſq; foſſæ marginem forcipis proceſſiſſent; in cuius fronte parmulam quandam extructam, iam tormentorum ictibus fuerant demoliti; & Germani quoq; ad foſſam forcipis ſuos aggeres promouiſſent. Itali tamen inter vtramq; gentem medij quinque, & quadraginta paſſus à propugnaculi foſſa aberant, quòd aggredi propoſuerant: Bolognino enim eorum præfecto in caſtrorum munitionum cuſtodia detento, nullo Duce vrgente opus, lentè admodum laboratum in promouendis vineis eſt. Leganius nihilo ſecius tot minimè difficultatibus remorātibus, veritus, ne ſi diutius vniuerſæ copiæ vrbem inuadere iuberentur: aliquid aduerſi fœlicem oppugnationis ſucceſſum eriperet; imperauit vt ſub primæ vigiliæ finem omnes milites in ſuis ſtationibus in expedito eſſent. Eadem hora cantato claſſico, qua cuique proximum erat; vniuerſus exercitus exteriora munimenta animosè, ac ſtrenuè aggrediuntur.

Gallicū ſubſidiū in vrbis conſpectum venit.

Hiſpani Vercellas vrgent.

Excubabant in omnes hoſtium motus intenti præſidiarij: ſubeuntes flammarum iactibus, artificioſis ignibus, lapidum iaculatione deturbant:

bant: cruento, diuturnoq; certamine pugnatum eſt, dum oppugnantes contra ingruentem vndique miſſilium procellam, manifeſtamq; perniciem per aggerum ardua enituntur; & oppidani ſcandentes omni telorum genere animosè repellunt. Aderat pugnantibus oppidanis Demarchus Dolliani vrbis præfectus, qui inter promptiſſimos quoſque dimicans non tam periti Ducis, quàm impigri militis munia ſtrenuus bellator agebat: eò celeri curſu feſtinabat, quò maiora diſcrimina vocabant: præſens vbique auguſto militaris corporis aſpectu ſuo exemplo fortiſſimè pugnã ciens milites animabat.

Vrbis præfecti virtus.

Hiſpani ſuperant munimenta.

Hiſpani primi omnium decuſſis, cęſiſq; propugnatoribus, in forcipem euaſerunt; ibi ſe raptim excitatis aggeribus muniunt, & contra tormentorum ictus, & miſſilia, quæ à mœnibus ingerebantur, ingentibus telluris corbibus tegunt. Mox Germani Hiſpanorum æmulati virtutem alteram forcipem magna cum aggredientium, propugnantiumq; cęde adepti ſe in illa pariter tumultuarijs munimentis vallant. Itali tardiùs in oppugnatum propugnaculum enituntur: quamuis nullis tormentorum dirutum pulſibus ferè ob arduum aſcenſum inexpugnabile videretur. Sed cuniculi metu à præſidiarijs deſertum ab Italis occupatur. Obſeſſi iactura trium munitiſſimorum attoniti propugnaculorum in ſubſidiarij exercitus oculis, qui nullo oppidanorum diſcrimine perculſi non latum vnguem ſe eo gradu mouerunt: fortunam vrbis tacitis animis diuinabant: nullam tamen Leganio ad deditionẽ honeſtiſſimis conditionibus inuitanti ſpem deditionis faciebant; ſed multum ſuæ virtuti, multum munitæ ſe vrbis propugnaculis animoſis, atq; intrepidis reſponſis fidere declarabant. Attamen ſubſidiarijs copijs ſignificarunt, ſe ad extrema propulſos omnium rerum penuria vrgeri; præſidiariorum plures frequentibus eruptionibus, crebris certaminibus interemptos; non ſuppetere plumbum ad conflandos minorum globulos tormentorum: iam ſe ex ciuium ſtamno miſſilia iaculari, quo ipſo quoq; conſumpto, deeſſe tela, quę in obſidentes torquerentur. Quibus nuntijs excitus tandem excuſſo torpore ſubſidiarius exercitus ad maioris ſclopi iactum prope vrbem acceſſit, cõſtititq; vltra Seſithem amnem, quà in Inſubres itur: quaſi Hiſpanorũ pontẽ diruere agitaret: nauigiũ incẽdiarium prono amne demittunt, verum illud machinamentum, antequam pontem appelleret, concepto maturiùs deſtinatis igne fruſtra detonuit. Decreto tamẽ omninò ſubſidio, cum eſſent omnes aditus clauſi, nec vllum in vrbem pateret effugium, excubarentque in omnes Gallorum conatus ſe ſe quacumque irruerent obiecturi oppugnantes intenti: tandem per Inſulam vt parte debiliori in vrbem facto impetu penetrare decernunt; & ad auertendos ab eius ſenſu rei Hiſpanos tenebreſcente nocte, ad plura caſtrorum munimenta, parteſq; tubarum clangore, & tympanorum ſonitu fictum bellicum canunt. Militaris aſtus ex voto ſucceſſit; nam cum Hiſpani vererentur, ne per quandam ſtationem à militibus ex popularium delectibus, ac proinde ignaris belli cuſtoditam tentaret ſubſidiarius exerci-

Galli vrbis diſcrimine non mouentur.

Subſidiarius exercitus propius vrbem accedit.

Galli ſubuenire vrbi decernunt.

tus aliquot peditum cohortes ab inſula, multum repugnante, obſiſtenteque Demarcho Serra, cui erat Inſula tradita cuſtodienda, deductæ in eam formidatam partem imbecillius præſidium inſulæ reliquerunt. Elapſa prima noctis vigilia, mille quingentorum peditum agmen Gallorum partim, partim Allobrogum chiliarchis diui Andreæ, & Senantes dynaſtis ſtetit expeditum in armis. Huic ſubſidio vrbi inferendo præfecti à Cardinale Planetiæ Demarchus Taurinorum ſummus peditum Dux, & Caſtollani dynaſta caſtrorum Gallicæ gentis Mariſcallus. His imperatum vt omnium peditum cohortium promptiſſimos bellatores eligerent, vt vada fluminis explorarent, omniaque ad fœlicem exitum tentamentum dirigerent; dum reliquæ copiæ ad diſtinendos alibi oppugnantes ſimulato impetu diſtinerent. Subſidiarij Seſithe amne alta vmbilico tenus aqua, traiecto, quacumque inſulam tentant, ſtrenuè repelluntur: Demarchus enim Serra, quamuis præſidium valdè deductæ inde cohortes peditum eneruaſſent: tamen vbique appellenti Gallo cæteras cohortes obiecerat: nec quà ſe litori prætenderat, penetrare ſubſidium infaticabili pugna ſuſtinuit: quòd ſi pari virtute, quà tetenderant Rheti, repugnatum fuiſſet; irritus inuadentium conatus vano tentamenti euentu Gallis ceſſiſſet; ſed cum deſerta litoris cuſtodia, ad irruentes ſubſidiarias cohortes abiectis telis, turpiter diffugiſſent: illæ intra caſtrorum vallum illatæ in vrbem elabi per noctis errores deceptis fallaci Hiſpaniæ ſalutatione Hiſpanis occurrentibus potuerunt. Serra aduerſa Rhetorum fuga, deſtitutoque litore, cum paucis ſequentibus ſe irrumpentibus vndique obiectat: & tam diu forti pugna cohibuit, quamuis maioris ſclopi glande brachio traiectus atrocibus vulneris doloribus torqueretur; donec Franciſci Tutauillæ vniuerſorum præfecti caſtrorũ leg.ti aduentu cũ valido eorũ agmine, quibus Bolognino chiliarcho nulla pars caſtrorũ cuſtodiẽda obuenerat; ſed ijs mãdatũ erat, vt quocũq; neceſſitas, ſociorũq; diſcrimen accerſeret, expediti ſubſidio feſtinarẽt, reſtituta pugna, quæ ipſius quoque Bolognini cum reliquo agmine acceſſu recruduit, reiecti, repulſique Galli: qui nec dum vltra caſtrorum munimenta peruaſerant, ad ſuos remenſo flumine, redierunt. Equitatus, quoque qui in varia agmina diuiſus inter vallum, & vrbem ad ſubitos caſus agebat excubias, ad Gallici agminis aduentantis rumorem pars fœda ſe inde fuga proripuit, pars clamantium Gallorum, viuat Hiſpania, falſis vocibus, & noctis tenebris oculorum vſum intercipientibus decepta per medias turmas ſubſidium in vrbem ſe inſinuare permiſit. Ad mille ducentorum vrbem agmen ingreſſum. Hoc valido ſubſidio firmata ciuitas potuit aliquot amplius dies fortius Hiſpanis oppugnantibus obluctari, morarique diutiùs deditionem: ſed non omninò periculum propulſare, nam cum amiſſis omnibus exterioribus propugnaculis, intra mœnia tantum præſidium vrbem tueri cogeretur, nec illius validi acceſſu auxilij, quamuis robur illi, atque animos addidiſſet, potuit Hiſpanos iterato impetu à ſemel occupatis munimentis expellere. Ad Italorum propugnaculum cruentius, ac ſæuius

Pianez.

Subſidiarij aditum in Inſulã tentant.

Demarchus Serra ſe Gallis opponit.

Subſidium in vrbẽ peruadit.

Pugna inter Gallos ſubſidiarios & Hiſpanos.

Erumpunt validè obſeſſi ſed irrito conatu.

Digitized by Google

uius pugnatum à ſubſidiarijs, oppidaniſque eſt adeò audacibus animis, vt fere captum deiectis Italis, videretur: niſi Bologninus cum maiori ſui agminis parte in pugnam ingreſſus poſt diuturnum, cruentumq; certamen, aggredientes ſe recipere coegiſſet. Nec fœliciorem ad Hiſpanorum, Germanorumq; propugnacula experti fortunam, ab eruptionibus ceſſauere.

Leganij iuſta ira ignauorum ſupplicio quieuit.

Leganius tranſgreſſo in vrbem præſidio maximè, vt par erat iratus, de inertibus cuſtodijs quæſtionem diligẽtem haberi iuſſit, atq; in noxios, ignauoſq; deprehenſos capitis pœna animaduerſum eſt.

Repulſis vbique vrbis præſidiarijs validioribus munimentis inſula vallata eſt, ne per eandem ſubſidium vrbi afferre Galli iterum molirentur. Interim omnia parabantur, quæ ad inuadendam ab vniuerſo exercitu vrbem opportuna fore videbantur: dupplicari tormenta ad mœnia quatienda, propius aggeres admoueri, ſuffodi cuniculos, machinamenta expediri, quibus inuadentibus copijs facilior in vrbem aditus ſterneretur. Dum hæc ſolicitè agerentur, validum Gallorum equitum agmen vltra flumen apparuit; quod ad finem pontis in aduerſo litore conſtructum ſe vertere videbatur. Contra hos equites plures turmæ equitum obſidentium emiſſæ tam feroci impetu in hoſtes inuectæ ſunt; vt ipſo incumbentium impulſu diſiecti, atq; proſtrati prius fugam inierint, quàm auſæ ſunt pugnam. Quibus irritis conatibus Galli cum caſtrorum munimenta nullibi penetrari poſſe conſpicerent; vt omnia ad ſubſidium ferendum opportuna experirentur, ſexdecim in aduerſo Inſulæ litore tormenta librarunt: quibus inceſſante miſſilium procella eius munimenta quatiebant. Idem obſeſſi in oppugnatores tormentorum frequenti iaculatione conantur, præcipuè maiorum ſcloporum iactibus, quibus magis è propinquo plures in caſtris deſtinatis ictibus feriebantur. Inſulæ præſidiarij ne impunè hoſtilium tormentorum miſſilibus cederentur, contra ictus non ſolùm aggeres obmoliti ſe tegunt; ſed etiam celeri opere educto tumulo tormentario aliquot Gallorum legiones propius caſtra accedere auſas tormentorum ictibus lacerarunt.

Galli equites ſubſidiarij fugātur ab Hiſpanis

Galli aliam rationem in ferendi vrbi ſubſidij tentant.

Obſeſſorum indomita virtus.

Obſeſſi ne tot aduerſis euentis feroces demiſiſſe animos viderentur; valida ſexcentorum moſchettariorum eruptione facta, quoddam exiguum Inſulæ propugnaculum agrediuntur, quòd ſi adipiſci licuiſſet, firmum ſubſidium in vrbem inuehi poterat; & hac de re Demarchus Villa ex obſeſſorum condicto propius amnis litus acceſſerat; illud, ſi daretur, vrbi inducturus. Verum quamuis illud propugnaculum fortibus, ac ferocibus animis agreſſi acri pugna occupare conarentur; eius tamen præſidiarij tam diù aggredientium impetum ſuſtinuere, donec pluribus equitum accurrentibus turmis, valido in hoſtium latera incurſu in vrbem regredi irrito tentamento oppidani poſt pertinax certamen compulſi fuerunt; amiſſis ex promptioribus quinquaginta, cæteris vulneratis.

Præſidiarij repellũtur.

Gallicæ copiæ Hiſpanico equitatu quaquauerſum volitante, intercipienteq; commeatus, qui in earum caſtra ſubuehebantur, ad rerum inopiam.

piam,annonæque redactæ, etſi diutiùs ibi perſiſterent, fame interituræ caſtra inde retractiùs mouent: metu quoque impellente diſceſſum; nam quatuor Heluetiorum millia mercede conducta in caſtra peruenerant; & Cardinalis Triultius cum octo peditum millibus Mediolano egreſſus à tergo eos aggreſſurus dicebatur; quare ne inter hoſtium caſtra, & aduentantem exercitum deprehenderentur;refixis tormentis,Seſithe amne traiecto, vaſtoq; circuitu multorum dierum itinere Hiſpanica circum caſtra ducto exercitu, ea in aduerſa parte inuadere ſtatuerunt.Gallorum diſceſſus ſicuti obſeſſorum animos fregerat; ita obſidentium erectos ingenti metu ſoluerat:non enim ampliùs cõtra Gallorum horrenda fulmina tormentorum durare poterant Inſulæ præſidiarij, ob quotidiana, ac penè horaria maxima detrimenta, quæ cuſtodijs eorum miſſilium iaculationibus inferebantur: à quibus nullo telluris obtentu, nullo aggerum obiectu tueri ſe poterant, cum amnis glarea glutinari non poſſet, ſed ad tormentorum ictus diſiecta vſquequaque diſſiliret; ita vt quas moles militum, foſſorumque labor aggeſſerat, vnum, aut alterum tormenti miſſile repentè dirueret. Quamobrem ſi in ea ſtatione Gallicus exercitus perſtitiſſet, & diutiùs tormẽtis quatere Inſulæ munimẽta perſeueraſſet,communi tam Hiſpanorum Ducum,quàm Allobrogum ſententia futurum erat,vt decuſſis inde Hiſpanis,obſidione oppidum ſolueretur.

Heluetij in Hiſpanica caſtra perueniunt.

Cardinalis Triultius delectus adducit.

Galli recedunt.

Galli Duces in tuto à Triultij Cardinalis exercitus aduentantis diſcrimine poſitis copijs, equitatus partem inferiùs traijcere Seſithem amnem iubent; vt Paleſtrij obſeſſa via, quà commeatus in Hiſpanica caſtra aduehebantur, obſidentes ad famem compulſi incępto abire cogerentur. Eo, vt imperatum erat, Galli equites prouecti occupatum primo impetu vicum diripiunt, magna inde præda auecta. Tenebant omnia circum illæ equitum turmæ, repentiniſque procurſibus prædabantur, eo conſilio, vt ereptis commeatibus, impeditiſque vijs, Hiſpanos fame affligerent. Sed in eorum caſtris tanta annonæ copia ſuppetebat; vt quindecim dies ali poſſet exercitus, intra quos neceſſe erat, vt inde Gallicus equitatus pabuli inopia pulſus abſcederet; præter id quòd etiam profecto inde Gallico exercitu, in Nouarienſem agrum liber aditus patuerat, vnde è propinquiori copioſiores celeriùs commeatus ad caſtra adferebantur.

Velitabantur ferè quotidie cum Gallis equitibus Inſubrum equitum turmæ, quæ caſtrorum munimenta ab ea parte tuebantur. Inter hæc cum in caſtra nuntiatum eſſet, Gallicas copias validis militum è Gallia ſupplementis acceptis, adeò non diſceſſuras, ſed maiori conatu admotis totius exercitus viribus tentaturas, vt ſubſidium obſeſſis afferrent; Patrum idcircò Capuccinorum cœnobium firmioribus munimentis,aggeribuſq; vallatũ,traductæq; eò Inſulæ præſidiariæ cohortes,vt quà irrupturus hoſtis videbatur;maiora illi impedimenta obijcerentur.Leganius ex hoſtiũ diſceſſu aliquem fructũ decerpere cupidus agitabat animo vniuerſis copijs

Militũ ſupplementa mittuntur è Gallia.

Digitized by Google

in vrbem impetum dare, dum hoſtilis longè abeſſet exercitus, qui non poterat in medio pugnæ feruore in deſerta caſtrorum munimenta irruens inuadentium miſſilium iaculationibus cędere terga. Parabat igitur omnia, quæ huic expeditioni erant opus, propius vrbis foſſam aggeres promouere, duplicare tormentorum ictus ad mœnia cęlerius diruenda; expedire faſces, ingentes corbes tellure farcire, pluteos expedire, atque omnia impigrè, ac ſolicitè perficere, quæ ad inuadendam, expugnandãque vrbem facere videbantur: non tam ad ardentia imperantis vota, quàm ad obſequentium voluntatem. Ecce interim ab exploratoribus affertur, hoſtem poſtera die ad Prarolum vicum in Seſithis amnis litore paulò plus mille paſſus à caſtrorum vallo diſtans venturum. Quamobrem etiamſi non omnia in promptu, perfectaque eſſent, Leganius in poſterum diem ab vniuerſis copijs in vrbem impetum dandum edicit. Nundum tormenta in Italorum ſtatione librata mœnia ita diruerant, vt in illa facili aſcenſu miles poſſet eniti: quamuis cuniculi flammarum impetu inter Nobilium, & Diui Andreæ propugnacula partem mœnium in ſublimè excuſſiſſent; quæ mirabili ſanè euentu ruens integra in eundem locum ita ſe reliquo muro commiſit, aptauitque lateribus latera, vt nulla ſciſſuræ veſtigia extarent: arduumque nihilominus inuadentibus præbebat aſſenſum. Cum Germanis tantum fœliciùs agebatur, qui effoſſo ſub plani forma cuniculo, vt ea funditus diruta non ſolum potiti ſint, ſed etiam in vicinam parmulam inſilierint. Mox Leganij iuſſu vniuerſa agmina ſuam aduerſam quæque mœnium partem aggreſſa maiori audacia, quàm fœlicitate cum propugnatoribus dimicarunt. Itali enim comite Ioanne Borromæo, qui Patri ſucceſſerat, cum ingenti impetu, atque animorum ardore mœnium ruinis, quas eorum tormenta diſiecerant, ſucceſſiſſent: à fronte à lateribus tormentorum fulminibus, & maiorum ſcloporum miſſilium turbine ita lacerati, contuſi, cæſique fuere, vt, ne omnes impunè caderent, arduo adhuc mœnium aſcenſu, ſe ſe recipere compulſi pugnam deſeruerint: cum neque foſſam partim præalta aqua, partim tenaciſſimo cœno impeditam ſuperare potuiſſent: vndique miſſilium iactibus propugnantium, quæ frequentiſſima in ſubeuntes ingerebantur. Carolus itaque Gatta cum ſua legione illud aggredi propugnaculum, ex quo præſidiarij ſuccedentes ruinæ telorum iaculationibus inceſſebant, animoſo magis, quàm fœlici conſilio decreuit; quòd ſi deiectis obtineri propugnatoribus licuiſſet; facilem ſibi ad mœnium ruinas aditum molitur um ſperabat; ſed aduerſa fortibus auſis plerunq; fortuna ſtrenuos conatus eluſit; ille namque primis ſclopettariorum miſſilibus vulneratus, cum ſtare non poſſet, è pugna ſubductus, atque in caſtra relatus didicit conceptas in bellis animo ſpes, vt plurimum ad inanes euentus ruere; cum ab incertis, & varijs pugnarum caſibus pendeant: eius tamen Stator maior, vt ſuæ virtutis ederet experimentum, cum aliquot ex legione audacioribus manibus, & pedibus per ardua reptans vltra

Leganius impetum in vrbem maturat.

Vrbem vniuerſa copia inuadunt.

tra

Digitized by Google

tra propugnaculi medium aſcendit. Verum cum à fronte, & lateribus ferirετur, ac præcipites haſtarum cuſpidibus ad ima deuoluerentur, irrito conatu abire coacti ſunt: ij etiam, qui Borromeo ductore per mille necis diſcrimina ad diruta mœnium euaſere: atque per ea obſtinata pugna in vrbem irrumpere pro viribus conabantur, repulſi cum cęde fuerunt. Nec propitior fortuna Hiſpanis arriſit: conati enim in eam mœnium partem eniti, in qua innoxij ignes cuniculi exhalarunt; cum à Viride propugnaculo in latera miſſilibus cęderentur, & quolibet in ardua gradu plurimi ſaucij à propugnantium ictibus caderent: quingenti pedites Ducum iuſſu ad eam peſtem auertendam miſſi pernicioſum propugnaculum aggrediuntur: & cum diù accerrimè dimicaſſent; ſpes inter miſſilium turbines affulſerat aliquando eius deiectis propugnatoribus, obtinendi, vel fortiſſimè in ſuccedentes decertantibus præſidiarijs: niſi vrbis præfectus animaduerſo diſcrimine, validum Gallorum agmen Diui Andreæ dynaſta chiliarcho in oppugnantes celeriter immiſiſſet, quo ſubſidio propulſo periculo, quamuis chiliarchus maioris ſclopi traiectus miſſile cecidiſſet, Hiſpani tamen ſtrenuè incumbentibus Gallis, deſilire citiùs ſolito gradu de occupato propugnaculo coacti fuere. Germani audito falſo rumore, Hiſpanos iam euicta propugnantium pertinacia, per ſubruta mœnia in vrbem irruiſſe: æmulatione virtutis, ne minor Germanicæ genti bellica cederet gloria, planiformam, & parmulam adepti ipſis mœnium ruinis, quas dederant tormentis, animosè ſuccedunt: prætenta haſtarum ſegete contra oppidanos militari inceſſu gradiuntur; vix dici poteſt, quanta animorum ferocia, corporum robore, atque inuicta virtute pugnarint, ne minor Hiſpano, Germanus videretur: ſed quamuis ſumma ope nixi, omnes vires, vigoremque corporum exeruerint, vt diſiecta propugnantium denſata phalange, in vrbem perrumperent: nihilominus cum ſtipata oppidanorum acies nulla vi penetrari potuiſſet, & ruinis admodum anguſtis pauci in primi ordinis fronte decernere poſſent, & in iuſta propugnantium agmina conſertis ordinibus inciderent: haſtarum pilorum cuſpidibus excepti vt gradum promouebant; protinus pluribus impactis vulneribus cędebantur. Nullum erat telorum genus, quod non in miſeros torqueretur: receſſu pariter, ac acceſſu iuxta pernicioſo. Accurrerat firmum peditum ſubſidium ad pugnæ diſcrimen ab vrbis præfecto miſſum; tum demum fractæ, deiectæque de ruinarum ſpatio Germanicæ cohortes in ſuas ſtationes pauciores numero redierunt.

Præſidiarij omnes inuadentes repellunt.

Diui Andreæ dynaſta cades.

Hiſpani repelluntur.

Germani æmulatione virtutis vrbem inuadunt.

Quâ ſtrage ſuorum territus Leganius aduertens iniquiora omnia inuadentium eſſe, æquioraque propugnantium, pernicioſumque forè diutiùs, obſtinatiùsq; in ea inuaſione perſiſtere non tam ob intempeſtiuum impetum, quàm ob præſidiariorum virtutem, conſtantiam, bellicamque diſciplinam: poſt quatuor pertinaciſſimi certaminis horas receptui cani iuſſit: ex quo nullum fuit operæ pretium, quàm Diui Andreæ dynaſtæ cędes, & parta à Germanis parmula, & planiforma: quæ tamen paucis ho-

Hiſpanorũ ab vrbe receptus.

Digitized by Google

ris à Gallis violentiſſima impreſſione in Germanos inuecti, cæſis eorum plurimis recepere, quamuis illi fortiſſimè irruenti vndique Gallo reſtitiſſent: ſed nullo adueniente ſubſidio, loco ceſſerunt, quòd Gallicæ copiæ aggredientium vrbem, repellentiumq; fragore certaminis audito, ad Prarolum feſtino gradu progreſſæ caſtrorum munimenta inuaſerint, vt ſi diſtentis in oppugnatione vrbis Hiſpanis, intra ſtationes inuecti, obſeſſis auxilium afferre non poſſent; ſaltem ad tuendum caſtrorum vallum à mœnibus inuadendis abducerent.

Propugnantium virtus egregia.

Mirabilis ſanè in Hiſpanorum animis propugnantium vrbem exiſtimatio erat bellicæ virtutis ingeſta, tot factis militaris diſciplinæ, conſtantiæ, fortitudinis, & ſtrenuitatis exemplis, editiſque ſupremæ ferociæ experimentis. Verum neque oppugnantes ſibi eos animoſitate, atque conſtantia antecellere paſſi, audaciùs, atque ardentiùs in vrbis oppugnatione perſiſtunt. Caracenæ itaque Demarchus cum ſua Hiſpanorum legione latiorem cuniculum ſub eundem murum, qui conuulſus in ſublime flammarum impetu contortus in eundem locum reciderat, effodere inſtitit. Alter quoque ab Italis ſub concuſſis tormentorum ictibus mœnibus agi cęptus. Germani cum æquis animis cędem ſuorum ferre non poſſent, poſtera die conſertis ordinibus, audacibus animis eò eniti tentarunt; vnde heſterna fuerant cum ſtrage depulſi; poſt aliquot horarum crudelem, cruentamque pugnam in parmulæ loricam audaci impetu peruaſerunt: atque ad planiformæ ima promoto gradu ingentem excauare cuniculum aggrediuntur: & cum omnia in expedito eſſent, vt iniecto omnibus cuniculis igne ab imo flammarum erumpentium violentiſſimo impetu mœnia ſubruerentur; vt per eorum ruinas in vrbem omnes copiæ vno incubitu ſimul irrumperent: obſeſſi, quà Demarchus Caracena cum Hiſpanorum legione ſuum cuniculum incenſurus erat, annuunt deditionem; de quo ſtatim admonitus Leganius imperat, vt omnia agmina hoſtilibus abſtineant: & Caracena cognoſcat, quas deditionis leges, conditioneſque depoſcant. Antequam de dedenda vrbe ageretur, poſtulant, vt mutuo obſides tradantur: quibus inuicem acceptis, de deditione tranſigi cęptum eſt, ſed non conuenientibus, cum obſeſſi octo dierum terminum poſtularent; nec Leganius plus duas horas concedere vellet: diù vtrinque laboratum eſt in difficultatibus componendis, vtriſque tenaciùs, atque obſtinatiùs ſua contendentibus poſtulata; tandem poſt mutuas altercationes hæ pactæ ſunt deditionis leges.

Obſeſſi ſe deditionē facturos hoſti ſignificant.

Deditionis Vercellarū conditiones.

Vt poſtera die vigeſima ſecunda hora Hiſpani exteriora propugnacula inirent, quæ adhuc ab oppidanis tenebantur; & poſtridie obſeſſi ex vrbe egrederentur; & Victorij Ducis mortui oſſa auehcrent. Præſidiarij omnes cum ſuis armis, & telis, ſarcinis, impedimentis, cum tympanorum pulſu, funibus accenſis, globulis ori inditis, explicatis vexillis, & tribus muralibus tormentis, Hiſpanorum tuente præſidio, atque Diui Iacobi caſtrum, vſq; deducente, ſicut cōuenerat: cum omnibus ſarcinis, & impedimētis. Exiere

præſi-

præſidiarij tam ſtrenuè propugnata vrbe glorioſi poſt quadraginta oppugnationis dies, ab Hiſpanis Ducibus; & reliquis copiarum chiliarchis, & centurionibus maximis honoribus excepti, ob eorum inſignem bellicam virtutem, quam in opido propugnando per omnes numeros, militariumque operum experimenta explicuerunt. Demarchus Caracena cum ſua legione in vrbem ingreſſus, ſtatim diruta reficere munimenta tormentorum pulſibus fatiſcentia,labantiaq; reſtituere,eggerere ex foſſa ruinas,educere aggeres,parmulas remoliri, vallareq; firmioribus propugnaculis. Hiſpanæ cohortes maligni cæli neſciæ,& quàm peſtiferum vaporem lutulentę foſſæ haberent: virulentoque aere vicini campi ex riſi ſatione vrbem efflarent,ſtrati paſſim ſub dio noctes agebāt: ex quò tam frequentes morbi in vulgus militum irrepſere; vt plurimos ea vulgata febrium lues extinxerit Duces,ſigniferi,chiliarchi, ea grauitatę cæli correpti perierint. Ipſe Leganius lethali oppreſſus morbo duos menſes in ipſis fati faucibus hærens decubuit; quod Hiſpanorum progreſſus armorum in Taurinis maximè retardauit.

Hiſpani Victores ineunt vrbem.

Hiſpani febribus tentantur, & pereunt.

Chriſtiana Dux vidua tam inſignis iactura vrbis ad primos Hiſpanici belli impetus ereptæ acriter indignata, quòd Taurinorum antemurale, & propugnaculum ad finitimos Inſubres amiſiſſet, Cardinali Valettæ ſuccenſuit; quòd perniciosiſſima cunctatione, & mora periclitanti vrbi ſuppetias ferre tam valido armatus exercitu diſtuliſſet. Celeritatem armorum poſtulant impetus, bellorumque ardores non bene cum algore conueniunt. Toto eo bello Cardinalis, eiuſq; fratris dubios ſemper, hærenteſq; in ancipiti animos lentos, frigidos, meticuloſos, nimiaque circunſpectione cautos vniuerſi milites ſugillarunt; qui ſi ſubſidium maturaſſent, & in inſeſſis vltra Seſithem amnem litoribus conſtitiſſent, continuata in Inſulæ ſtationes tormentorum verberatione, aut Hiſpanorum inuadentium vrbem terga cæcidiſſent: nunquam tam firma ciuitas in hoſtium poteſtatem veniſſet.

Galli Vercellis amiſſis, & Taurini ſubducto ad Conſtantianam, Perteniumq; exercitu,ibi tam diù ſubſtiterunt ,donec Hiſpani valido firmatis præſidio Vercellis, & ingenti commeatuum, reique rormentariæ copia in vrbem inuecta, ad multorum menſium ferendum obſidium in Inſubrum mediterranea ſeceſſere:quibus profectis,Galli quoque,& Taurini in æſtiua circa Diui Euaſij Caſale, vicos, & villas partiti copias, ibi totam eam æſtatem otio torpidi tranſegerunt.

Leganio graui morbo conflictante, Franciſcus Mellus Luſitanus educto ab æſtiuis exercitu, menſe Septembri traiecto Seſithe Tridinum verſus ſimulans profectionem illicò agmine conuerſo, in oppidum Pomarium incubuit; quo poſt actos cuniculos, & exploſa muralia tormenta in ditionem redacto, ſubrutoque funditus, ingraueſcente iam hyemis rigore, copias in hyberna deduxit. Galli quoque Caſale egreſſi in omnia Hiſpanorum conſilia, & conatus intenti, vbi eos in Inſubres diſceſſiſſe vident

Seſia.

Hiſpani Pomarium demoliuntur.

Monte magno, Refrancorioque occupatis, circa Felizzianum conſedere: ibi cum vicinis Hiſpanicis turmis quotidianis certaminibus velitati pabuli compellente penuria, vrgenteq; frigore inde Caſale lento agmine diſceſſerunt.

Inter hæc in Liguſtico mari pene in ipſo Genuæ Ligurum Regię conſpectu inter denis quinis nauibus longis ex vtraque parte pugnantibus naualepraelium exarſit. Quindecim Hiſpanæ triremes Roderico Velaſco ſummo ſiculæ prætoriæ Nauarcho ex Sicilia peditum cohortibus cōfertæ per Tyrrhenum, & Lyguſticum mare ad Finarij litora curſum intenderant ibi copias expoſituræ in Inſubres ſupplementa mittenda: cuius rei admonita Gallica claſſis, pari nauium, & epibatarum numero valida, è Narbonenſis Galliæ litoribus in altum prouecta Comite Poncurletto trierarcho, Hiſpanas per mare Liguſticum venabatur: eo tamen conſilio, vt eas non niſi poſt expoſitas cohortes inuaderent: conſpectoque eas Finarij litoribus appuliſſe, Galli in omnem bene gerendæ rei occaſionem excubantes rati peditum vectas cohortes in litus de nauibus deſcendiſſe: feſtino remige aduolant, epibatis vacuas, dum ſe Genuam recipiunt, occupaturi. Supremus Hiſpanicæ claſſis nauarchus aduerſis Gallorum deſtinatis, vt erat magis animo ferox, bellicoſique vigoris, quàm prudentis, cautiq; conſilij: adeò non pugnam detrectauit, vt etiam martio ardore ſuccenſus, nihil expenſo in quem caſum regia negotia eo certamine daret; vltrò aduentanti Gallicæ claſſi occurreret: quæ epibatis firmiori, quàm putarant, Hiſpanica conſpecta, quamuis inexpectatæ rei attonita caſu inferior numero bellatorum, attamen cum iam in mutuo vicino conſpectu conſtitiſſent, & receptus vti fœdus, & turpis, ita perniciosus, & periculoſus futurus eſſet: ſumenda fuit ab ipſo diſcrimine audacia, atq; ad ſtrenuam pugnam ferendam animus erigendus. Verum antequam tormenta fulminarent, vna Gallicarum triremium timore correpta, datis ventorum flatibus velis, turpiſſima fuga ſe futuræ diſcrimine pugnæ ſubduxit. Reliquæ tanto animorum vigore tormentorum fulminibus, & miſſilium iactibus certamini proluſere; vt mare ſubſidere, fatiſcereque cælum horrendis tonitruis videretur. Hiſpana claſſis Gallicam, & nauium numero, & Epibatarum longè præſtabat; ſed remigum robore, & conditione Hiſpanæ Gallica excellebat: cum ex volonibus tantum eorum multitudo conſtaret ſaxis inſtructa; quorum abiectis remis, perpetuis iaculationibus ita in Hiſpanas triremes grandinabant; vt epibatæ neque maiores ſclopos manibus retinere, neque explodere, aut ægrè aliquando emiſſos iterum tendere poſſent: inutileſq; diù, donec effuſo lapidum turbine, Galli remiges à iactibus quieuere: in pugnæ feruore ceſſauerint. Gallicæ quoque naues exiguis quibuſdam propugnaculis in proris ſurgentibus craſſis ſparteis funibus reticulato opere, vel crudo corio ad repellendos impunè ignes contectis Hiſpanicis munitiores, vt pote quæ deſtinata in Hiſpanas omnibus huius generis munitionibus deſtitutas pugna prodierint.

Inter Hiſpanicam, & Gallicā claſſem nauale certamen.

Claſſes infeſtis proris concurrunt.

Gallorū militare inuētum.

Ardente

Ardente prælio quatuor Hiſpanæ triremes fœdiſſima fuga ſe certaminis periculis ſubtraxere, nihilominus vndecim deſertæ quamuis Gallicis & numero, & propugnaculorũ munimine inferiores tantâ ferocia poſt lapidum procellam, quæ plures obruit; in hoſtiles iterant pugnã: vt victoria mox ad Hiſpanos inclinatura eſſet; niſi fallax militaris aſtus Hiſpanis victoriam de manibus extudiſſet. Dum enim Gallicæ triremes Hiſpanarum vix regerent impetum, à remigibus Gallis elatis vocibus inclamata eſt libertas, libertas, vt ijs clamoribus Hiſpanarum nauium remiges ferè omnes, aut ex Turcis captiuis, & ſeruis, aut ex facinoroſis damnatis ad triremes, ad ciendum tumultum, & ſeditionem, repetendamque libertatem ſuo exemplo incitarent. Ad libertatis iucundas voces Hiſpani remiges accenſi in Epibatas feroces inſurgunt; pulſantque remigijs: qui cum inteſtinos, exteroſq; hoſtes ancipiti pugna diſtracti ſuſtinere vix poſſent, certaminis ferocia, ardoreque remiſſo, editis ſupremæ bellicæ virtutis conatibus, poſt atrocem, cruentamque pugnam victis magis, quàm victricibus ſimiles Hiſpanicæ naues prælio exceſſere: quod neque Gallicæ tormentorum miſſilibus laceratæ, dehiſcentes inſtaurare tentarunt, dirępto quaſi ex compoſito certamine, quo hora breuius, & citius quatuor hominum millia ex militibus, nautis, & remigibus cæſa aquas maris Liguſtici cruentarunt. Quinquæ Hiſpanicæ naues in Gallorum poteſtatem venere: tres Gallicas Hiſpanicæ abſtraxere captiuas. Reliquæ victrices certè, ſi captiuarum maiorem numerum ſpectes, vela ad Narbonenſis Galliæ litora explicarunt, ſed adeò epibatis, & remigibus vacuæ, vt vix nauigare poſſent; & circa maritimam oram fluitare potius lento remige, tardoque motu, quàm curſum agere viderentur; vix enim quindecim paſſuum millia totum diem emenſæ adeò concuſſæ, conuulſæ, lacerę à prælio redibant, vt non victricium, ſed victarum facerent ſpeciem. Quòd ſi illæ quatuor Hiſpanæ, quæ pugnæ initio orientem verſus fugam intenderant; ad eluendam dedecoris fœditatem, recentibus viribus, optimè epibatis munitæ, & validæ Gallicas inſequutæ tormentorum tantum iaculationibus verberaſſent; inſtitiſſentque recedentibus miſſilium eas duntaxat procella quatiendo, nemini dubium erat; quin vel omnes depreſſæ, vel captæ pœnas audaciæ dediſſent; cum ferè omnes earum Epibatæ faucij tela manibus vibrare non poſſent, & cæteri ſani pauci admodum numero virtute territi Hiſpanorum præteritæ pugnæ laboribus fracti ceſſiſſent. Verum vbi animos ſemel dedecoris labes infecit, rarò illos aliquis honoris, & virtutis afficit æſtimatio. A Gallis Hiſpanam Patronam quinqueremem ob remigantium inopiam, atq; illam trahentiũ non ferendum laſſatis laborem inter nauigandum relictam, quidam Hiſpani Regis vectigales auſi ſunt occupare; ſuæque reddere claſſi.

Quatuor Hiſpanæ triremes deſerunt ſocios.

Gallorũ remigũ aſtus.

Hiſpani remiges Epibatas inuadunt.

Hiſpanicæ claſſis receptus.

Gallorũ cruenta victoria.

Gallica claſsis lacerata.

Non multis ab hac pugna diebus quinto nonas Octobres Hiacynthus Allobrogum, Taurinorumq; Dux ſeptem annos natus vno poſt anno tribus diebus minus à Parentis Victorij morte extinctus eſt. Cui Carolus 1638

Digitized by Google

Hiacynth' Allobrogũ Dux pueru lus extinguitur. Eius mors nouorũ bellorum cauſa.

Emmanuel vnicus frater quatuor duntaxat annorum ſuffectus in imperio eſt. Quod honeſtiorem, æquioremque cauſam auitarum ditionum regimen poſcentium Principum fecit: ne hoc quoque infantulo parum firmæ corporis conſtitutionis, & habitudinis Duce ſublato, bello cum Matre Duce Vidua de dominatus poſſeſſione contenderent; cum ad rerum adminiſtrationem admiſſi, ſed tutelæ nomine, ac titulo, iuſti dominij, atq; imperij honore mutato; nullo repugnante principatus hæredes, ſuarum ditionum poſſeſſionem inirent. Iura Principum honeſtabant diditus tota Italia rumor infantulum Ducem infirmæ, imbecilliſque valetudinis non diuturniorem vitam tracturum, quamuis robuſtæ habitudinis foret: &

Quæ cauſæ Principum Allobrogũ arma honeſtent.

Ducem matrem arctiùs Gallis nouis arcanis ſe fœderibus obſtrinxiſſe: & Gallicas turmas, & cohortes non ſolum libenti animo detinere; ſed etiam alia validiora eius gentis in Taurinos agmina euocare, eiuſque conſilium eſſe munitioribus dominatus arcibus Gallica præſidia imponere; & quod maximè omnium Vectigales à Mulieris Ducis acceptiſſimę obſeqnijs alienauit: irritauitq; popularium animos, ingeſta opinio illam Gallici Regni

Falſi de Duce Matre rumores ſparſi populariũ animos alienãt

Delphino (hoc Galli nomine Primogenitum Regis appellant) ſuam maiorem natu filiam connubio iuncturam: dicta illi omnium ditionum dote, & vt magis huius rei ſenſum roborarent: ſubnectebant, eadem inter Gallicæ curiæ proceres, purpuratoſque agitari: vulgatos de hac re libellos publicè Pariſijs venales proſtare: & Parentem Ducem fidiores iuris peritos conſuluiſſe, popoſciſſeq; eorum ſententiam: quæ omnia quamquam falſa imperitorum rudiumq; animos aſperabant Gallorum peroſos imperium.

Hiſpani vbi Taurinos Ducem matrem his de cauſis auerſari, fauereque enixè cauſæ Principum vident: ad illum vſque diem ſurdi, duri, atque ab

Hiſpani ad Principes iuuandos inclinant.

amplectendis eorum ſtudijs, promouendiſque poſtulatis alieni, paulatim eorum vocibus aures dedidere, pollicerique ſubſidia, ad fraternos dominatus repetendos ſe patiuntur adduci: rati ſi tuendæ Principum cauſæ ſpecie arma Taurinis inferrent, omnia prona, & populos ad eijciendos Gallos promptiores, alacrioreſque fore. Iam Princeps Cardinalis audito Infantuli Nepotis Ducis interitu, Roma iterum clanculum exceſſit, atque in Taurinos improuiſus, & ineſpectatus aduenit: & quia iiſdem

Princeps Cardinalis in Taurinos ingreditur.

diebus Carmaniolæ, & mox in ipſa Taurinorum Auguſtæ arce inſidiæ in ipſius ſtudium, fauoremque patuere; hac de cauſa aduolaſſe in Taurinos creditus eſt, vt in alterutram tanquam dominus exciperetur; quo euentu ſe ſequentibus populis, & Hiſpanis ſubſidia ferentibus, parum erat Dux Mater contra tot icumbentium armorum impetum profectura. Sed vanas mortalium ſpes, humanaque vota aduerſa fortuna fallit. Carmaniolam ſiquidem profectus ſtructos dolos, arcanaſque inſidias emerſiſſe cognouit. Inde Cherium feſtinauit, vt magis è propinquo in

Structa inſidia patet.

Taurini arcem ab eius præfecto, ſicuti conuenerat, admitteretur. Verum hic quoque proditionem in apertum erupiſſe vidit. Dux Mater non parum improuiſo Cardinalis Principis aduentu commota, & tanti inſidiarum

rum

Digitized by Google

rum molitionibus momenti detectis, indignata præcipuè cum Hiſpanica arma ad Albam Pompeam acceſſiſſent; educto extemplò ex arce Taurino præſidio, Lotharingorum legionem impoſuit, Diui Martini dynaſta Chiliarcho: coniecto in vincula arcis præfecto, cum alijs inſidiarum conſcijs, validioribus militum cuſtodijs vrbem firmat; omneſq; copias in armis expeditas capeſcendis imperijs eſſe iubet. Vbi ſe ſatis ab inſidiarum ſtructuris tutam, atque occulto malo conſuluiſſe vidit; per Ducem Gabaleonem ſupremum peditatus Conquiſitorem cum prætoriana cohorte ad Principem Cardinalem legauit literis grauiter eius repentinum, & inexpectatum in Taurinos aduentum iucuſans veluti tot de inſidijs detectis maximè ſuſpectum, immo fraudum reum, quæ eius acceſſum maturarint: denique ſubnectebat, *quàm ipſi periculoſum, calamitoſumque futurum eſſet; intra ſe Gallica agmina immiſiſſe eius proculdubio exitio imminentia: ſe nihilominus maximè cupere, illum extra diſcrimen in tuto ſitum videre; & idcircò ſe illi ſuarum prætoriarum cohortium itineris præſidium offerre; quæ illum ſine maleficio in pacatum deducant*. Cherij quoque oppidani à Principe ſupplices enixè depoſcunt; ne ea perniciosa in ſuo oppido mora ſe Matri Duci faciat inuiſos, ſuſpectoſque inſidiarum eo in ſua domicilia excepto, detentoque, ac proinde ſibi aliquod detrimentum conflet. Princeps vbi ſua machinamenta in nihilum euanuiſſe, ſuaque deſtinata in irritum recidiſſe, ac Ducem Matrem optimè contra omnem exteram vim copijs inſtructam, firmatamque præſidijs, ſe verò exermem duorum tantum patriciorum comitatu, & tribus famulis à pedibus, & vno à conſilijs ſeptum vidit; aduerſæ fortunæ cedere, ſeque meliori, ſecundiorique ſeruare decreuit. Cherij vna duntaxat nocte diuerſatus ſummo mane Annonem verſus diſceſſit: quieto, maximè, ac minimè trepido gradu ſecurus iter agebat, prætorianis cohortibus Gabaleone Duce ponè ſequentibus, ſed eo comitantium honore; vt non Taurinis expelli, ſed ad ſecuritatem ſociari eo agmine videretur.

Hiſpani ad Albam Pompeiam.

Dux Mater miſſo legato Cardinalem incuſat inſidiarum.

Cardinalis ſe à Taurinis in Inſubres recipit

Conſtitit in Inſubribus, in quos propediem, è Belgio Princeps Thomas eius Frater aduenturus erat. Dolens, ac fremens ira Duci Matri reſcripſit, *ſe inanibus prætextis, & falſis criminationibus è ſuis patrijs ſedibus contra omnia humana, diuinaque iura eijci, exterminari, expelli: & grauibus querelis eius credulam mentem arguebat; quòd delatoribus faciles nimium aures ſe inſidiarum inſimulantibus præbuiſſet: neminem ad ſibi prodendas arces ſolicitaſſe; cum nullo præfecto arcanis tranſactionibus conſenſiſſe. Acerrimè inſuper querebatur de intentata ſibi Gallorum armorum violentia, ſi diutius in ſuis auitis regionibus moraretur: ſolitudinem ſuam, qua in Taurinos ingreſſus erat, criminum vanitatem arguere; atque falſas inſimulationes eluere: ſibi contra Gallorum iniurias populorum amorem obtendere; qui ſe aduerſus omnes eorum tentamenta texiſſent.* Poſtremo petebat, ne in innoxios proditionis, inſidiarumque delatos

Cardinalis de Duce Matre literis queritur.

grauius

Inſidiarum authores capite plectūtur.

gratius aliquid conſuleret; qui nullo reatu criminis tenerentur. Verum nihil ſontibus ſuffragatæ ſunt Principis preces. Quæſtioni enim à Senatu ſubiecti, conuictiq; inſidiarum capite demnati cogitati facinoris pœnas dederunt. Arcis præfectus habita de eius proditionis ſcelere diligenti quæſtione, diuturno carceris ſqualore maceratus tandem à Principibus Taurino potitis vinculis ſolutus pro ijs in exercitu gratitudinis cauſa militauit.

1639

Cæſaris monitoria litera ad Matrem Ducē.

Vbi Princeps Thomas profectus è Belgio in Inſubribus affuit; vt omnibus auxilijs ſuā cauſā roborarent, impetrāt, à Ceſare veluti ſupremo Taurinorū domino ad Matrē Ducē regentē literas monitorias, quibus iubebatur Gallicum fœdus, ſocietatemq; eiurare, eijcereque ex Taurinorum finibus Gallos, dicebaturque illi apud Cæſarem dies, quo vadimonium obiret. Verum literæ niſi ſocia habeant arma, quorum potentia earum nitatur authoritas, velut bullæ per inane feruntur. Contempta à Duce Matre Cæſarea diplomata, atq; imperia fuere: quòd nullo exemplo ſuperiores Cæſares Taurinis rebus interceſſerint, cum foret liber omninò dominatus, non Ceſarum beneficiarius.

A Duce Matre Cæſaris litera contemnuntur.

Poſtquam Cæſareæ indignationis in caſſum fulmina detonuere; Principes Hiſpanorum auxilijs innixi vim parant; ſeque armis aſſerere feſtinant. Cum Franciſco Mello apud Principes Italos ſupremę, & regię legato authoritatis Mediolani produce ita iubente, de bello Taurinis inferendo tranſactum eſt.

Allobroges Principes cum Hiſpanis fœdus ineunt.

Poſt prolixa colloquia tandem conuenit: vt Hiſpanicis armis Principibus nepotis Infantuli Ducis tutela, ditionumq; regimen traderetur. Arces, in quas libero populorum arbitrio Principes admitterentur; ab iiſdem præſidijs impoſitis munirentur: quas verò admota vi Hiſpanica ſubderent arma: eorum quoque præſidia tenerent; hac tamen lege, vt ei Principi redderentur, cui pacis vniuerſalis conditiones addicerent. Vectigalia, prouentus, dicendi iuris authoritas penes Principes eſſet.

Fœderis cōditiones.

Leganius fœderis conditiones reſpuit.

Has tranſactionis conditiones ratas habere abnuit Leganius, quòd ab Hiſpano Rege iuberetur bello perſequi ſibi, non Principibus Taurinos; nec eius iniuſſu ſe contrarium, aut aliud poſſe moliri; fidem tamen ſuam obſtringere, ſe diſſimulaturum, paſſurumq; omnes tranſactionis conditiones impleri; ſeque magis pactionibus re ipſa, quàm pollicitis ſtaturum: quibus aſſentiri prohibebatur. Ex his effugijs, & declinationibus Hiſpanorum poterant Principes conijcere, eos pro ſe, atque in ſuum commodum bellum geſturos; non vt pulſa regimine Matre Duce, ſibi ditionum gubernacula traderent, vſuroſq; populorum erga ſuos Principes beneuolentia, quo in Taurinorum interiora fœliciùs ſua arma proueherent.

Hiſpanorū artes.

Clariùs etiam ex ipſis fœderis conditionibus ab ijs poterāt coniectari Hiſpanorum ſolertia conſilia: nam cum Principes populorum ſtudijs in eas duntaxat eſſent arces excipiendi, quæ aut parum munitæ, aut exigui momenti imbecillis etiam præſidijs tenerentur; Hiſpanorum vero arbitrio firmis præſidijs cuſtoditæ, quæ armorum admoto terrore, ac violentia eſſent expugnandæ, ceſſuræ eſſent, quis non videt Hiſpanos munitiores, maioriſque momenti arces eſſe habituros? Taurinorumq; arbitros

fore?

fore? Verum Principes aut eò rerum ſe actos putabant; vt omnia ſibi ferenda eſſe putarent; vt præſenti malo proſpicerent; & ne mulieris violentiæ ſe à patrijs ſedibus arcenti ſuccumberent: aut ſibi perſuaſerant eas etiã arces, quæ Taurinorum præſidijs obtinebantur: cum in omnibus Taurini præfecti curarent; ſe adeuntes cupidis animis amplexuras; ad illas iniquas ab Hiſpanis oblatas conditiones conniuerunt; cum dira neceſſitas ſenſum adimat rerum, & mentem obcęcet, ne imminentia pericula videamus. Sed erat tanta Principum in Populorum beneuolentia fiducia, vt ſemper ſibi integrum fore putarent, fortuitis euentis, & accidentibus malis pro ſuo arbitratu conſulere: quare pernicioſis Hiſpanici fœderis pactionibus aſſenſere, dummodo in Taurinos eorum potentia armorum ferrentur. *Principum inanes ſpes.*

Mediolani produx aſſerendi Allobroges Principes, atque in auitos dominatus inducendi ſpecioſi prætextus opportunitate vtens non ſolum Italia vltra montes Gallos expellere, ſed etiam præcipuas Taurinorum arces occupare tacito animo moliebatur: vt ijs quaſi frȩnis eorum voluntati Principũ iniectis in perpetua eos Hiſpani Regis obſequia cogerentur, atque Hiſpanæ gentis penè faceret vectigales.

Principes ſancito cum Hiſpanis fœdere, apertè, pręfractèq; Matrem Ducem de ſuis admonent deſtinatis; ſibi omninò propoſitum eſſe Auguſtam Taurinorum proficiſci; vt ibi præſentes officioſi eius addicti obſequijs communi opera rebus publicis, atque induſtria proſpicerent: nepotis Ducis Infantuli tanquam debita ſibi tutela ſuſcepta, vel ſaltem eius collegæ ſimul imperium adminiſtrarent. Diſertis verbis declarabant, ſe id armis petituros, quando ſibi ex æquo, & bono non concederetur: paratos eſſe, vel propriæ impendio vitæ tam iuſta, debitaque ſibi repoſcere, quam tantulum de ſuo iure decedere. Proinde videret, an obſtinatè ſuis patrijs domicilijs Ducis patruis Principibus ſubmouendis expediat bellorum concuſſibus quati Taurinos, vaſtari copiarum excurſibus agros, omneſq; dominatus dubijs martis caſibus obijcere; an vtiliùs ſit pacatè, nullo excito tumultu ſe in communis tutelæ ſocietatem excipere. *Principes Ducem Matrẽ de ſuis decretis monent.*

Dux Mater hoc Principum propoſitum indictionem belli rata, nullo terrore attonita, ſed impauida, virilique, ac forti animo conſtans totis Taurinis vulgato diplomate edixit: vt omnes vectigales, beneficiarij, populares, pro ſui Ducis pueruli ſalute tuenda arma capeſſerent: patriam communem, impulſu Principum copias Hiſpanicas aggreſſuras: proinde armati omnes ad Inſubrum confinia, quà irrupturus erat hoſtilis exercitus, conuenirent. Sperabat hoc edicto popularium animos in Principes concitare, vel ſaltem eorum beneuolentiam eleuare, ne irruentes in Taurinos ſequerentur. Sed adeo non minuit natiuum eorum in Principes amorem, vt etiam magis accenderit. Eorum enim populos miſerebat, quòd nulla culpa, innoxij à ſuis patrijs ſedibus tanquam exules arcerentur: quòd omnia ſub Galla Principe vidua. Gallicis agminibus obtinentibus, popularibus Principibus ſuis dominatibus quos illis, & natura humana, diuinaque iura, *Dux Mater ad bellum ſe expedit.* *Taurinorũ in Principes amor.*

iura, & cæleſtis munificentia Numinis largita eſſet, interdiceretur,& quaſi hoſtes publici cenſerentur. Quæ vt populorum amorem, atque animos in Principes proclinabant;ita à Matre Duce, vt nimis in Gallos propenſa auertebant: eò magis, quod vulgata imbecilla Ducis infantuli habitudine, in eos Taurinorum imperium, & Allobrogum dominatus deuoluendus erat. Verebantur etiam populi, quod frequentibus querelis Principes inculcabant ad conflandam Duci matri eorum inuidiam: ne mortuo puerulo Duce, illa filiam Delphino deſpondere cum Taurinorum, & Allobrogum ditionum dote animo propoſuiſſet:euerſa æternum ſuis dominatibus Allobrogum Ducum familia,populis ſub exteræ gentis iugum miſſis, quod vt iniquiſſimum, ita nullatenus ferendum putabant. Hinc iniqui proficiſci Principum rigorem exilij, qui populorum veneratione freti poterant matris Ducis deſtinata diſcutere. Quare Taurini in Principum ſtudia magis, quàm in Ducis matris partes propenſi ad eos iuuandos vbi intra patrios fines nota ſigna fulſerunt, omnes vno agmine confluunt. Nec tamen Dux vidua ita deſtituta ab omnibus erat, vt non aliquot præcipui proceres, & purpurati cum eorum ſequacibus pro ea conſtantibus animis ſtarent. Plures firmæ Ducis Infantuli conſtitutionis corporis gnari, obſtrictæ Matri viduæ ſacramento fidei memores illius partibus fidiſſimis animis adhæſerunt. Nec illa tot anguſtijs circumuenta regium animum deſpondens, vt erat mira in conciliandis popularium animis gratia, & ſuauis orationis illicijs, & oris, aſpectuſque maieſtatis efficaci violentia plurimos in ſua ſtudia, atque obſequia pertrahebat. Maior pars imminentium patriæ, libertatiq; diſcriminum horrore perculſi Principum conſilia damnabant; quòd exiguæ impatientes temporis moræ exteris armis communem patriam in conſultò concuterent: nec vererentur propriæ familiæ ditiones in ea dare pericula, quæ bella ciuilia maiora, quàm extera ſecum trahunt. Nam cum in Taurinis campis tanquam in theatrali arena Hiſpanica, ac Gallica arma proſsus quæq;partibus cōcurſura eſsēt:alterutrius victricis imperio ſuccumbendum erat: vel ſi tantum nullo adito prælij diſcrimine, citra pugnæ aleam vnaquæque obuias arces armis, atque oppida occuparet, quis eorum reſtitutionem ſibi ab vtraque auida alieni gente poterat polliceri? cum ſuperioribus temporibus ijs armis de Neapolitani Regni poſſeſſione bellantibus, Hiſpani ab Aragonijs Regibus ſubſidio acciti præuaricatores Conſobrini Regis prodita cauſa, conſanguineo excluſo Regni domino, cum Gallis de partiendo ſibi equis portionibus regno conuenerint:ac proinde arma implorata ſubſidio cum hoſtibus de euertendo rege Aragonio conſenſerint: aut ſi altera pars alterius vires, potentiamque prægrauaret, victricem ſupremis conatibus contenturam, vt æmulam omninò Taurinis excluderet; ac proinde æterna bella, clades, regionis vaſtationes, popularium cædem, ditionumque excidium ex tot exterorum armorum conflictionibus oritura. Conſultius igitur arbitrabantur paucos annos Matris Ducis regimen pati, materno affectu populos moderantis; quàm princi-

Dux Mater egregia conſtantia plures in ſuas partes trahit.

Taurinorū de Principibus querela.

pum

pum præcipitia, periculoſaque ſequi conſilia patriam bellicis tumultibus cum omnium pernicie miſcentium. Quis enim panicus terror populorum animos occuparet, ne Mater Allobroges, & Taurinos dotales Delphino traderet? id certè viuente Infantulo Duce, non poterat, cum penes ipſam regimē tantum, filium vero Principem imperium ditionū foret: multò minus id factura erat mortuo Duce filio: nam cum Principes tum ex naturæ hęreditario iure Principatū inituri eſſent, & omnes arces, & munita oppida Taurinis præſidijs tenerentur, & Dux Mater cum ipſo rerum regimine omnem authoritatem, poteſtatemque amiſſura eſſet; quis vereri poterat, vt Gallis Taurini ab ipſa, & Allobroges traderentur? Patrui virilis ætatis armis exerciti, conſanguinei Regis Hiſpani potentia, & popularium beneuolentia innixi ſcilicet ſibi auitum imperium vſurpari, eripi ab extera gente, & populi ceſſantes ignaui, eius inuiſum iugum ſuis ceruicibus imponi paſſuri erant. Non igitur ambigendum erat, quòd aut mortuo infantulo Duce, aut viuo, Allobrogicæ, & Taurinæ ditiones in Gallorum poteſtatem ruituræ eſſent; cum & Principes acerrimi ſui vindices, & populi ſuorum Ducum ſtudioſiſſimi vſque ad extremos ſpiritus pro communi libertate certarent. Inanes itaque erant Principum metus, & vani ſumpti belli prætextus, quibus nunquam extera ſigna ad auiti dominatus exitium ſuis terris inferrenda erant. Inter tot animorum, voluntatumq; diſſidia alijs aliò inclinantibus, quia conuenire non poterant; lis erat armorum impetu reſoluenda.

Vani Taurinorum de Duce Matre timores.

Verum antequam Leganius Taurinum bellum iniret, Cengium exiguum in Clitellis caſtellum ad Sabatios fines maximè ad circumiectæ regionis imperium, traducendiſque ad maris Liguſtici, Finarijque portum, atque inde in Inſubres militum agminibus inducendis opportunum ſubigere; quòd ad Principum armorum in Taurinos ingreſſum, totiuſq; belli ſummam facturum putabat. Dux enim Mater ne tanti momenti arx in hoſtium ditionem veniret, oppugnato ſubuenire coacta, cætera Taurinorum præſidiarijs cohortibus exarmaſſet, ac proinde fines nudati præſidijs irruentibus Principibus patuiſſent. Antonius igitur Sotelus cum aliquot legionibus ad viarum aditus, qui Cengium ferebant, occupandos, inſidendoſque miſſus, vt omnibus ſubſidijs intercluderetur: mox Martinus Aragonius cum reliqua exercitus mole ſubſequi iuſſus; qui cum vix eo prouectus opportuniores tumulos ad libranda in Caſtellum tormenta, locorumque ſitum explorat; maioris ſclopi globulo capuc ictus exanimis humi proſtratus interijt. A copiarum Ducibus illicò Sotelus Martino ſuffectus ſolicita cura ſe aggeribus vallare, munimentis ſepire caſtra, Caſtellum vndique claudere inſtitit. Dux Mater, & Cardinalis Valletta præſenſo Hiſpani exercitus motu, & quorſum eorum conſilia collimarēt; coactis ſubito copijs, Cardinalis Caſale, Demarchus Villa Tauri norū Auguſta cū omnibus ferè viribus profecti, ſociatis agminibus triduo in obſidentium conſpectu ſtetere. Nec mora à Gallis, & Taurinis feroces, & crebri

Langhe. Di Sauona. Leganius Cengium occupare destinat.

Martini Aragonij cades.

Hiſpani Cēgium obſident.

Galli, & Taurini in Hiſpanos tendunt.

crebri in caſtrorum munimenta impetus dati, nec ſegniùs ab Inſubribus repelluntur. Dum in oppugnandis, tuendiſque caſtris ab vtriſque copijs laboratur, Hiſpani toties iterati à Gallis impatientes aſſultus, è caſtris in hoſtes erumpunt, diuque alternante certaminis fortuna conflictati tandem ſummo conatu Gallos, Taurinoſque trecentis eorum cæſis, exigua ſuorum iactura fundunt, fugantque caſtris ea quotidiana moleſtia ſolutis. Non multum poſt ab ea pugna obſeſſi cum nuſquam ſubſidium videretur, & iam tormenta fulminarent, pararenturq; in mœnia impetus, Caſtellum pactione obſidentibus tradiderunt.

Hiſpani hoſtes fundũt

Arx deditur Hiſpanis.

Hiſpanis Cengium oppugnantibus, Princeps Thomas cum duobus moſchettariorum equitum millibus cadente ſole Vercellis egreſſus totam noctem contento agmine iter emenſus albeſcente Aurora ad Clauaſſium frequens oppidum in leuo padi litore conſtitit. Serauallis comitem cum octo duntaxat equitibus agmen anteuertere iubet, qui oppidi præfecto afferrendi litteras ſpecie tamdiu alloquijs portarum cuſtodes diſtinuit; donec Princeps cum reliquo agmine improuiſus adueniens oppidum per otium occupauit. Nullum in portarum aditu præter paucos populares præſidium agebat excubias: quòd oppidum intra Taurini dominatus viſcera poſitum validiori præſidio non egere cenſeretur: eò minus quòd aliquot equitum turmæ ad Duriæ Balteæ litorum poſitæ cuſtodiam omnem vltra amnem regionem tegebant; ſed Princeps Thomas à ſolita via declinans procul ab ijs agmine abducto, oppido nullo repugnante potitus eſt. Oppidani tam inopinato territi earum copiarum aduentu, atq; attoniti inexpectato malo, cum direptionem rerum ſuarum formidarent, inter trepidos metus lætiſſimas voces, viuat Princeps Thomas, exaudiunt: incredibile dictu eſt quanto eo ſoluti terrore gaudio perfuſi, vix præ magnitudine lætitiæ impotes ſui exultarint. Exceptus eſt Princeps omnibus amoris, reuerentiæ, & venerationis ſignificationibus, primique omnium Taurini dixere ſacramentum veluti legitimo nepotis Ducis Tutori. Taurini quoque ciues didito eius in Taurinos aduentu, aliqua interioris lętitię indicia præbuere (etiamſi eam publicè profiteri perniciosum eſſet:) vt aliqui putarint, ſi Taurinum Princeps Thomas protinus aduolaſset futurum fuiſſe, vt ijſdem acclamationibus, & plauſibus à populo reciperetur, eique tanquam ditionum moderatori ſua obſequia dicarentur eò propenſioribus, ac liberioribus animis, quò ea vrbs abducto ad Cengium præſidio, inualidior ad reſiſtendum fuiſſet. Quare Dux Mater trepida vrbi imminente diſcrimine ſolicitis nuntijs Cardinalem, Demarchumque Villam ad Taurini periclitantis ſubſidium auocat. Illi magnis itineribus poſthabitio Cengio, ad vrbis Regiæ diſcrimen propellendum accurrunt. Dux quoque Mater puerulum Ducem, ne in Principis Thomæ poteſtatem veniret, in Allobroges cum eius ſororibus procul à belli periculis tranſtulit: quod maximè popularium animos aſperauit, conceptæque indignationis inſignia dedere. Demarchi Villæ vxor cum filijs infantuli Ducis nutrix in Allobroges

Chiuas.

Princeps Thomas in armis.

Clauaſſium occupat.

Princeps Thomas à populis gratulabundis excipitur.

Galli in Taurini ſubſidium à Duce Matre vocantur.

lobroges proſequuta eſt eius infantiam rectura, filiorumque ſuorum ſocietate, & conſuetudine lętam pueruli Ducis indolem factura; aliqui putarunt filios, & vxorem Duce à Matre comites datos; vt eos obſides Patris Villæ fidei pignora retineret.

Iurea.

Princeps Thomas incertum qua cauſa Taurinorum Augusta prætermiſſa, Eporediam reflexo itinere, exercitum mouit. Ibi propenſiſſimis item animis eorum Princeps, ac vocibus acclamatur. Inde eodem fortunæ ſuffragantis fauore Salaſſios ingreſſus omnes ſuo imperio nullo prorſus repugnante, ſubegit: in id multum Caſtelleonis dynaſta ſummæ apud eos populos authoritatis, & potentiæ officijs ardentibus laborante, quamuis eius præfectus Brozij Demarchus Matris Ducis ſtudioſiſſimus omnibus viribus obniteretur: qui idcircò à Principibus in vincula coniectus ſeruatæ fidei meritum carceris maceratione auxit. Bugellæ quoque cum ſuo agro, & Canabinus tractus, quaſi quodam afflantis fortunæ impulſu in Principū fidem, ditionemq; conceſſere. Princeps Cardinalis ſubiectarum regionum Gubernationi præſedit; Princeps Thomas maiora animo complexus cum Mediolani Produce arma ſociauit. Communi ſententia ad auſpicandum bellum Verucæ, Creſcentiniq; ſimul eodem tempore oppugnatione decreta, Ioanni Garaio, qui Martino poſt Sotelum Aragonio ſucceſſerat, à Leganio mandatum, vt Verucam eodem tempore cum ſuo agmine ſubiret, occuparetque, dum ipſe Creſcentino ſuccederet. Garaius primo impetu occupata Veruca, quæ tantum negotij Demarcho Inoioſæ faceſſerat, vt pote aperta, mox caſtellum à præſidij præfecto, nullo audito tormenti fragore turpiter deditum eſt; qui etiam vt perfidiæ ſcelus cumularet, ad Principes à Duce Matre transfugit. Creſcentinum quoque non plus octingentorum peditum præſidio defenſum, poſt aliquoties iteratos in mœnia impetus, vbi librata contra ſe tormenta vidit, oppugnanti Leganio ceſſit, cum mœnia nullo aggeris obiectu fulcirentur; ſed ſola in arduum, vt antiqui operis ſurgunt; quæ etiam, ne frequentibus præſidijs minueretur exercitus, dirui iuſſit.

Val d'Oſta.

Biella.

Principis Thomæ fœlices euentus.

Veruca ab Hiſpanis occupatur.

Inde recta omnibus ſimul viribus Taurinorum Auguſtam infeſto exercitu tendunt, rati matrem Ducem non paſſuram ſe intra mœnia obſidione ſepiri, ac proinde ciues ea abſente liberiores faciliùs Principes excepturos: nec Cardinalem Vallettam, & Demarchum Villam, Planetiæ dynaſtam contra tam validas copias in vrbe Principum ſtudioſiſſima tumultuante aliquid auſuros. Verum eorum ſpes Matris Ducis conſtantia, ac fortitudo fefellit: illa enim optimè gnara ad totius imperij regiam tuendam, ſeruandamque, continendoſque in fide populares ſe præſentem maximè opus eſſe, in vrbe perſiſtere ſtatuit: quam procul dubio ſuo diſceſſu tumultus excituram ſciret; quos ſui tantum præſentis reſpectus, ac veneratio moraretur. Iam in vrbem omnes Gallicæ, Taurinæque copiæ Cardinali, Villaq; ducibus ingreſſæ ad propugnandā vrbem opportuna expediebant. Quamuis enim obſideri Verucam, & Creſcentinum cognouiſſent, con-

Hiſpani Taurinum ſubire decernunt.

Matris Ducis Virilis conſtantia.

contemptis tamen ijs membris, ad ipſum caput imperij tuendum, ex cuius ſalute cæterorum etiam incolumitas pendebat, feſtino agmine accurrerunt.

Hiſpanus exercitus capto longo circa circumiacentes pagos, & villas circuitu, non tam vt vrbis ſitum explorarent, quàm vt ciuium animorum propenſionem cognoſceret: an in ſuas magis, quàm in Matris Ducis partes inclinarēt, & quo ea temporis mora ſtructæ inſidię matureſcerent; non

Inſidiæ Taurini ſtruuntur in Principum fauorem.

ſtatim mœnibus ſucceſſit. Præſertim cum eodem tempore crebris datis ad vrbis optimates, magiſtratuſque litteris, Principes ſolicitarent procerum, nobiliumque animos, diſertiſque obteſtationibus declararent, ſe Ducis nepotis, dominatuumque regimen ſuſcepturos, vt incolumes populos à Gallorum fraudibus, matriſque Ducis arcanis, ac noxijs cum Gallo Rege fratre conſpirationibus in Taurinorum libertatis perniciem vel proprię

Ducis Matris accurata prudentia.

impedio vitæ præſtarent: ſed nihil Principum tentamenta ciuium animos affecerunt. Matre Duce accurata induſtria, poſitis frequentibus per vrbem cuſtodijs, iam ad tumultus ciendos propenſos ciues fręnante, obmolienteque omnia, quæ ad continendam in officio vrbem coercendoſq; dubiæ fidei ciues opportuna cenſebat. Alios enim vrbe exegit; alios tradidit in cuſtodiam, & capite, bonorumque omnium publicatione ſanxit, ne quis mouere aliquid auderet. Librata inſuper in arcis mœnium lorica tormenta contra vrbis tecta ancipitis fidei ciues ab omni rebellione deteruere. Egreſſa etiam in publicum virili oris maieſtate, conſtantiæ, & fiduciæ plena

Matris Ducis Viriles actiones.

alios ſuauibus alloquijs in ſua cogebat obſequia, alios animabat, fideque nutantes pollicitis confirmabat, plures etiam minarum aſperitate terrebat. Quare Princeps cum nihil à ſuis ſtudioſis turbari in ciuitate videt, immo ſumma tranquillitate omnia quieſcere; propius mœnia admouere exercitum ſtatuit, vt arctiori obſidione ciues vrgendo, deditionem exprimeret. Accedentem è vicinis ſuburbiorum ædibus aliquot præſidiariæ co-

Princeps Thomas Taurino copias admouet.

hortes miſſilium ingeſta procella, ſtrenuè ſummouent: quędam etiam equitum turmæ, ac aliquot peditum cohortes ex vrbis in illam portis erumpunt; ſed ijs facili pugna in vrbem compulſis, Princeps pontem, quo Padus committitur, aſſequutus ad Patrum Capuccinorum cœnobium caſtra munit. Ciues ad frementia tam è propinquo Principum arma audaciùs Matris Ducis iubentis eos ſumptis telis, mœnia propugnare, imperia detrectant, atque ſe ægerrimè contra ſuos Principes armatos ire declarant: im-

Ducis Matris cura.

mo vario per vrbem diſcurſu, & occurſu dubijs pendebant animis, quid ſibi in tanta rerum difficultate conſilij capiendum eſſet. Ducem Matrem inter anguſtias deprehenſam cum æquè ab inteſtinis, quàm exterioribus hoſtibus cauendum foret; remiſſis admodum in ſe ciuium ſtudijs frigidiùs, languidiùſque ijs arma ſumentibus, grauior cura inceſſerat, ne Princeps, qui iam mœnia propius acceſſerat, & camporum dominus promotis aggeribus, & vallo ſuburbium ſepſerat: ſi vrbem eo tempore inuaderet, a ciuibus intro exciperetur: cum ad conciliandum magis ciuium fauorem, ſui-

que

que ſtudioſos animandos Princeps etiam Cardinalis in caſtra veniſſet: qui vna cum Fratre Principe Thoma, & Mediolani producе Valentinum deliciarum domicilium, ſummæque amenitatis auguſtale animi gratia diuerterant. Copię partim in ſuburbio inter vrbem,& Padum partim circa Principes in viciniis agris conſederunt. Deinde erecti duo tumuli tormentarij, in quibus librata tormenta alia Portam nouam, alia vrbis quaterent mœnia. Bombarum iactibus ingenti ciuium terrore in vrbis tecta ſeuitum: ſed remiſſioribus hoſtilibus agebatur, ne vrbem contorta miſſilia deformarent: & nimia offenſarum acerbitas ciuium animos alienaret. Nullus tamen tumultus ſicuti ſperauerant Principes, oriebatur, tædebatque Leganium, & cæteros bellatores ignauo otio in ſegni, & languida vrbis oppugnatione marceſſere: nec aliquid dignum tantis viribus, & copiarum flore moliri: & ne omninò fruſtra, ſine aliquo fructu tempus efflueret, comitem Galeatium cum ſexcentis equitibus, & totidem peditibus ad pontem Aſturæ expugnandum miſit: qui primo impetu occupato vico, Caſtello agmen admouit, in quod confugerant Galli. Mox Trotto ſubſidio ſubmiſſus Aloyſius Ponce cum valida militum manu, quòd Leganius firmum Gallorum agmen Caſale egreſſum ad caſtellum obſeſſum ſuppetias ferendas contendiſſe cognouerat. Aloyſius eodem tempore ad ſocia caſtra peruenerat, quo Trottus relicta Caſtelli oppugnatione, obuiam Gallis animosè progreſſus ſubſidiarium agmen ſtrenua inita pugna, ſugauerat. Galli obſeſſi repulſo ſubſidio, ſpe omni tuendæ arcis abiecta, ſe pactione dediderunt. Sexcenti Galli in ordines digeſti arce egreſſi Caſale redierunt.

Princeps Cardinalis in caſtra venit.

Principes Taurinum oppugnant.

Pōdeſtura.

Gallicum agmen ab Hiſpanis fugatur.

Et Aſturæ pons capitur.

Dum Principes patriam tormentis euerberant: inter Martis fulmina,& turbines aliquod conſtituendæ pacis inter diſſidentes iubar emicuit. Dux Mater bellorum horroris inſueta, vt muliebres animi, plerumque lenes, & mites cruentos martis terrores auerſantur, ſequeſtrum vocibus aures inclinarat; quamuis omnes præſidij Duces, primateſque vrbis ab omni ſe eam periculo tutam, ſecuramq; præſtituros pollicerentur: non tam ob numerum propugnātium validiq; præſidij virtutē,ſed etiā ob promptum, & expeditum, quidquid aduerſi accideret, in arcem effugium, quæ inexpugnabilis, quamcumque vim propulſura erat: præter id quod ad eius famam belli centuriata ſolicito tympanorum pulſu militum agmina, è Gallia in Taurinos magnis itineribus ventura erant. Verum Dux Mater aut eo conſilio, vt Principes ab Hiſpanorum ſocietate diuelleret: aut vt armorum furorem, feruoremque negotijs pacis remitteret; Pontificij legati Caffarelli libens monita audiebat pacem inter bellantes Principes conciliare cupientis: vt cōpreſſa ea belli flamma in totius Taurinenſis ditionis excidium exarſura Principes in ſocietatem rerum adminiſtrationis admiſſi ab infeſtanda exteris armis patria, oppugnandaq; vrbe ceſſarent. Has pacis conditiones Caffarellus Duci Matri ferebat.

Dux Mater ad pacē inclinat.

Cc Prin-

Digitized by Google

Pacis conditiones Matri Duci oblata. Principes illam Infantuli Ducis tutricem, & Taurinorum, Allobrogumq; Gubernatricem venerarentur; dummodo ipſa aliquot illis ad ſui ſecuritatē, & tutamentum oppida traderet, & alicuius in Taurinis, aut Allobrogibus prouinciæ præficeret, in quam, ſicut & in oppida, nullum exterum præſidiū induceretur. Fęderis cū Gallo Rege percuſſi nulla omninò ratio haberetur, nec aliud vnquā fędus cum alienigena Rege, niſi mutuo conſenſu ſanciretur.

Hæ oblatæ pacis conditiones eò tendebant, vt Matrem Ducem à fratre eius Gallo Rege, & Gallorum ſocietate abducerent: quò eo ingenti, valido, firmoq; fulcimēto priuata à Principibus populorū ſtudijs, & Hiſpanorum auxilijs innixis, quas ipſi darent leges, accipere cogeretur. Animaduertit *Ducis Matris ſolertia* vno mentis coniectu Dux Mater, quò Principum conſilia, petitaq; vergerent: & Prouinciarum gubernacula, & oppida ad eorum ſecuritatem ſe illis conceſſuram promiſit, ſi damnato Hiſpanico fędere, in Galli Regis gratiam bona fide redirent; à quo optimè, atq; honorificè eos habitū iri ipſa ſe vadem ſtatuebat. Inter repugnantia omninò ex aduerſo, à fronteq; diſſidentia conueniri non potuit. Principes enim conati illam à fędere Galli regis auertere; vt eam ſuis arbitrijs obnoxiam, tam firma ope ſubducta, facerent; ab *Mutuæ Principum, & Matris Ducis inſidiæ.* eo tentamento ceſſarunt. Illa pariter eo reſponſo docuerat, ſe benè eorum deſtinata cognoſcere; ac proinde eos ab Hiſpanorum ſocietate amouere nitebatur; quò ſuæ authoritati, poteſtatiq; ſubijceret, Galli Regis potentiæ, & ſtudijs innixæ.

Mediolani præſes cum neq; in vrbe moueri aliquid, neq; vim mœnibus allaturos Principes videt, & nullo militari, & bellico tentamento, inertia ſeneſcere in caſtris puderet; contra Taurinorum oppida impetum belli conuertit; quæ ſicuti nudata præſidijs inualida, ita facilè oppugnantibus ceſſura erant. Alij itaque aliò infeſti mouent. Leganius traditis Principi Thomæ octo peditum legionibus, Neapolitanoque equitatu, & Germanorum equitum turmis, & cum moſchettarijs equitibus Carolo Gatta ſupremo omnium Duce, Aſturæ pontem Princeps Cardinalis Eporediam profecti ſunt: Princeps Thomas ad Villam nouam oppu- *Princeps Thomas Villa noua ſucedit.* gnandam tetendit: primoque copiarum impulſu parmulam adeptus, quā pollicitis, quā verborum officijs, quā minis etiam comitem Carolum Cacheranum oppidi præfectum ſuis partibus adijcere, atq; ad oppidum dedendum impellere conatus eſt. Verum ille obſtrictæ fidei tenax Matris Ducis obſequijs hæſit immobilis. Princeps direptionem oppidi intentauit, ſi vi adhibita caperetur. Ille nihilominus ſpretis Principis minis à ſuo propoſito deterreri non potuit. Princeps vbi obteſtationibus, & minis nihil proficì videt, copijs edixit, vt duabus horis ante Auroram in oppidum inuaderent: tantoq; animorum vigore, ac corporum robore ſpe prædæ vires augente, in oppidum factus eſt impetus; vt quamquam Galli præſidiarij for- *Villanoua capitur, & diripitur.* tiſſimè repugnarēt; nihilo ſecius intra mœnia irruerint, captoq; præfecto, & toto præſidio oppidum diripuerint. Ingenti prēda potitus miles bellicorum laborum leniuit aſperitatem. Piiſſimi Principis clementia rebus templis illatis,

Digitized by Google

latis militumq; auaritia eius iuſſu pepercit. Princeps mille quingētorū peditum, & trium equitum turmarum impoſito præſidio Michaële Pignatello præfecto, reliquis copijs ſecum abductis, Leganio ad Montemcaluum ſe iunxit, quò etiam Ioannes Garains cum ſuo agmine peruenerat. Ima pars oppidi Principi ceſſit. Præſidij præfectus in arcem effugerat hac mente, vt Hiſpanis, quam poſſet ſtrenuiſſimè repugnaret. Exitus acceſſit verbis: nam quamuis ferociſſimos Hiſpani iteraſſent in mœnia impetus: tantus fuit propugnantium ardor, & virtus, vt per ſcalas aggredientibus deuolutis, deturbatiſq; Leganium à difficillima oppugnatione abire compulerint, eò citiùs, quò ad maiora audenda à Principe Thoma accerſeretur.

Hiſpani Montem Caluum oppugnant.

Diſceſſit itaque ille relicto ad continuandum obſidium Aloyſio Ponce cum duobus peditum millibus, & Caracenæ Demarcho cum quingentorum equitum ala; iunctiſque cum Principe Thoma viribus, ambo Aſtæ exercitum admouere. Præerat vrbi Balbianus Matris Ducis obſequijs maximè addictus, ſed exigua in ea vrbe tuenda, ac ſeruanda conſtantia arcani illum cum Hiſpanis conſenſus, conuentique cum Principe Thoma traduxit; quòd ipſius militantis contubernij in vtroſque nundum amor, ac animi propenſio refrixiſſet: ſed non adeò perfidiæ reum putarim, vt eius vrbis tota deditionis culpa ſit in illum reijcienda; nam cum in eo præſidio Taurinorum legio militaret, ad fulgurantia Principis ſigna conſternata, ſe pro eo ſtaturam obteſtata eſt. Ciues Villæ nouæ territi clade, & deficientis præſidij metu, vel natiua popularium omnium in ſuos Principes beneuolentia compulſi, ſe nunquam contra eos arma geſturos edicunt. Quare Præfectus nihil tantæ, & militum, & ciuium conſternationi obluctatus, ſe in arcem cum cæteris præſidiarijs, qui adhuc non exuerant fidem, recepit, deſerta Principis arbitrio ciuitate. Vix vrbem ingreſſo Principi arx quoque ſe dedidit, quæ omnibus rebus, tormentis, commeatibus, præſidio, propugnaculis munitiſſima poterat diu fruſtrare impetus eggredientium; niſi præfecti, præſidijque animos perfidia, quæ cæteros quoque infecerat, corrupiſſet. Caſtello, & arci Hiſpanum præſidium ex fœdere impoſitum, vrbs Principi ceſſit: Mons Caluus poſt ſæuiſſimam vndecim dierum oppugnationem, cæſo fortiſſimo præſidij præfecto Gallo Duce, territis præſidiarijs in ditionem Hiſpanorum venit.

Hiſpani, & Principes Aſtæ ſuccedunt.

Princeps Thomas Aſtam ingreditur.

Aſtæ arx cedit Hiſpanis.

Mons Caluus iiſdem deditur.

Leganius his fœlicibus belli euentis in maiorum ſpem rerum elatus ad Tridinum oppugnandum animum adiecit. Cæteri copiarum Duces illum ab hac dificillima expeditione conabantur auertere, firma oppidi propugnacula, munimenta, valida, arduaq; mœnia dupplicis foſſæ profunditatem, numeroſi præſidij virtutem identidem memorando, vbiq; crebra in ſubeūtes librata tormenta, circumiectam planitiem continuum humorem reſudante tellure paludoſam. Erat Tridinū omninò arx munitiſſima, quā peritiſſimè, ex recentioris bellicæ diſciplinæ præceptis, & militiæ huius tēporis ſcitis, & placitis à Carolo Emmanuele Allobrogū Duce altiori cōſilio con-

Trino.

Digitized by Google

ſtructa, quando ſecunda contra Caſale expeditione Tridino potitus eſt. Dupplici eam munimento, duppliciq; foſſa vallauit; interius latiori ſtructura in ſublime ſurgebat, quod circum viginti ingentes turres paribus interuallis diſtinctæ tuebantur; quarũ aliquantũ demiſſo faſtigio ſuper collineata tormenta menium latera abradebant: exterius latiſſimo, alto, arduo aggere firmabatur, interiectis per æqua ſpatia validis parmulis, quibus nõ ſolũ interiora mœnia à tormentorum miſſilibus; ſed etiam ab hoſtium cõſpectu tegebãtur. Inter mœnia vtraq; duplex latiſſima, profundaq; foſſa ſubſidebat: exterius quoq; pomœrium alia non minus profunda firmabatur, quæ hoſti primum munimentum ſubeunti ſuperanda erat contra inceſſentium miſſilium à fronte, à lateribus procellam. Quare inter munitiſſimas Italiæ arces à gnaris bellicæ diſciplinæ cenſebatur. Comes Rouerus Ciuibus, præſidio verò præerat dynaſta Meroles Natione Gallus ex antiquis *Gallorum* militum chiliarchis, qui Allobrogum Ducum ſtipendia meruerant, præcipuus, & apud Taurinos Duces magni nominis ordinũ ductor. Damnabãt cohortium Duces, Leganij oppugnandi Tridini propoſitum, verum ille, & Princeps Thomas munitarum arcium inclyti domitores ſibi eandem fortunam fore propitiam, expeditionemq; fœlicem ſucceſſum habituram ſpe ducti fouebant eadem fortibus animis conſtituta.

Eius deſcriptio.

Duces Tridini oppugnandi propoſitum damnant.

Dux Mater Tridino, Diuiq; Iacobi caſtro ab hoſtibus periculum metuens Demarcho Villæ mandauerat; vt earum arcium ſecuritati caueret. Ille protinus octingentis peditibus, & promptiorum equitum mille Taurinorum Auguſta egreſſus Diui Iacobi caſtrum feſtino agmine tendit: ibi accepit à Ferrante Limontio quingẽtis equitibus moſchettarijs itinera obſideri, ſeq; ab eo ſubſeſſore expectari: quamobrem Demarchus celerius gradum intendit, vt Ferrantem aſſequutus cum eo confligat. Sed eo dilapſo, peditatu cum duabus equitum turmis ibi relicto, cum reliqua equitum ala iterum Taurinorum Auguſtæ ſe ſiſtit: iuſſo prius caſtri præfecto, vt pro firmiori oppidi præſidio quadringentis equitibus retentis, cæteros cũ equitũ turmis Tridinum eadẽ nocte dimitteret. Hoc peditũ, equitumq; ſubſidium inter eundum à Ferrante in Lucedij teſquis diſſipatum, conciſumq; eſt: dum enim tardiùs molitur iter, in Hiſpanorum agmen ijs volitãs campis improuiſum incidit, à quibus fuſum, fugatumq; eſt: paucis Tridinum ex ſociorum cæde elapſis. Huius fœlicitas euentus in caſtra allata, dum inter præcipuos copiarum Duces de Tridino oppugnando conſulebatur; tum demum dubios adhuc de difficillima ineunda expeditione animos impulit, vt eam audacter ſuſciperent: ex fuſi enim feſtinatione ſubſidij collegerant Duces, Tridini minores eſſe numero præſidiarios, quam quos eius arcis propugnatio depoſceret: trepidatio ſiquidem Matris Ducis copiarum robur, & florem ad Taurinorũ Auguſtam tuendam acciuerat. Eo igitur fœlici partæ victoriæ auſpicio, à ſecunda fortuna inter deliberandum oblato, erecti animis Leganus, & Princeps, Aſta egreſſi exercitum ad Aſturæ pontẽ Padũ traijciunt; Tridinoq; admouent. Quadripartito oppidum aggredi ſtatuunt; quatenus

Santià.

Villa ſubſidio Tridinum feſtinat.

Taurinorũ auxilia ab Hiſpanis cõciduntur.

Principes et Hiſpani Tridino copias admouent.

Digitized by Google

quaterna idcirco muniunt eductis raptim aggeribus caſtra. In binis Hiſpani Antonius Sotelus, Aloyſius Lincaſtrus, Tauoræ Demarchus cum ſuis Hiſpanis legionibus tendunt. In alteris Demarchus Caracena, & Aloyſius Ponce ſe muniunt. In ternis Itali Demarcho Serra, & Boiognino, Borromæoque ducibus vallant: in quaternis Germanicæ legiones Principe Borſo, & Lenero Chiliarchis ſe aggeribus ſepiunt. Quatuordecimque locis opportunis libratis in mœnia tormentis, quati oppidum cæpit. Erant adeò frequentia miſſilium fulmina, vt ad continuos immanes fragores militum aures obſurdeſcerent. Foſſores, milites certatim vineas moliuntur, & vbi nimio humore diluta tellus ſimul aceruari non poterat, ingentes corbes arida farciunt, præſeque actos ſibi contra telorum iactus, quæ in ſuccedentes è mœnibus torquebantur, obtendunt. Nec à bombarum iaculationibus obſeſſor abſtinuit, quibus tecta, tabulataque ædium ſummo cum oppidanorum horrore, ac damno diruebantur. Et iam feſtinato foſſorum opere in foſſam eruperant oppugnantes; quam duobus ſtrauerant pontibus, & Neapolitani molendinum adepti ad inuadenda mœnia apprimè opportunũ conſtiterant, aggrediendiq; oppidi ſignum cupidè expectabant. His diebus Fortmeſter Germanus chiliarchus cum mille peditum ſuæ gentis legione, & Michael Pignatellus cum alijs Neapolitanorum cohortibus in caſtra aduenerant. Quare aucti viribus, & animis Hiſpani Duces quamuis omnia in expedito non eſſent, ad impetum in mœnia faciendum opportuna, & cæli intemperies aduerſaretur; tamen quaſi fortunæ fœlicitas eo bello ſola dominaretur, contra omnes militaris diſciplinæ leges, copijs edictum eſt, vt ad inuadenda mœnia corpora, animoſq; curarent. Singulis chiliarchis cum ſuis legionibus ſua pars opidi ad aggrediendum adſcripta. Princeps, Leganius, Ioãnes Garaius, & Carolus Gatta in quatuor varijs partibus expeditionem curaturi, recturiq; milites preerant.

Tridinũ oppugnatur.

Subſidia in Hiſpana caſtra perueniunt.

Impetus i dandus in mœnia edicitur.

Præſidiarij quamuis ex obſidentium apparatibus intelligerent, oppidum citò inuaſum iri, & artificioſis ignibus, & flammarum iaculationibus pontes incendere conarentur; tamen conſtantibus animis, ſe ad tuendam vrbem expediunt; foſſæ latitudine, profunditate, limoſoque ſolo, ſub incedentium pedibus ſubſidente, cedenteque veſtigijs, per quæ inuadentibus peruadendum erat, & pluribus tormentis in fronte, & à lateribus collineatis aggredientes lancinaturis, maximè freti. Hiſpani nihilominus quaſi omnia prona futura fortuna promitteret, nihil tot obiectas veriti difficultates per æqua, iniquaque omnia tantis animis, & ferocia mœnibus ſuccedunt; vt ſuperata foſſa, primiſque munimentis, quibus exteriùs cingitur pomerium, eodem impetu in interiora mœnia enixi in vrbem irruerint. Nam cum à præſidij præfecto omnes militum cohortes in exterioribus propugnaculis defendendis, in quibus erat ſupremus bellicæ virtutis conatus edendus, ſtabatque oppidi ſalus, & rerum ſumma vertebat, in ſuis quæque locis collocatæ fuiſſent; interio-

Hiſpani Tridinum inuadunt.

Hiſpani in vrbem irrũpunt.

ra mœnia ob propugnantium paucitatem erant ferè nuda, deſertaq; præſidiarijs. Quare prima munimenta, in quibus tota vis, conatuſque propugnantium collecta erant; tranſgreſſis non arduum fuit in interiora peruadere; quæ pauci admodum milites defendebant. Non par tamen fuit omnibus in vrbem irrumpendi felicitas: nam Demarchus Serra, & Michael Pignatellus, quibus duæ parmulæ, quarum obtentu prima munimenta tegebantur, expugnandæ obuenerant; cum validiori, numeroſioriq; præſidio tenerentur, difficiliorem nacti aſcenſum, in ijs oppugnandis etiam num diſtinebantur: cum cæteri chiliarchi iam in vrbem irrupiſſent. Caracenæ Demarchus primus, deinde Antonius Sotelus, mox Aloyſius Lincaſtrus, & Comes Borromæus in vrbem inuecti à tergo parmulas propugnantes aggreſſi maiorum ſcloporum miſſilibus cædunt, vulnerantq; ſtrictis enſibus adhuc obſtinatiſſima pugna Neapolitanos fortiſſimè repellentes; nondum enim in hanc vrbis partem captæ vrbis fama perualerat: quam vbi cæteras copias iniſſe, tam præſidiarius quàm oppugnans miles accepit: hic ferrocius inſurgens, ne minoris virtutis cæteris videretur; vehementiores iterat impetus: ille cum ancipiti pugna à tergo à victoribus cæderetur, à fronte obſeſſores vrgerent; animo fractus abiectis armis à pugna, ipſaque vita deceſſit. Vrbs momento à cupido prædæ milite direpta; quæ affatim victorum auaritiam expleuit: cum in eam vrbem tanquam in tutiſſimam cuſtodiam ſua quiſque pretioſiora contulerit. Gloriæ quoque captiuorum multitudo victoribus fuit. Rouerus vrbis præfectus, & Meroles capti, cuius fuit tanta vrbis propugnandæ fiducia, vt Principi Thomæ per tubicines ad deditionem inuitanti iuſſerit contra nuntios tormenta diſplodi: nec ciues minori ſui tuendi ſpe innixi in templa ſuam ſupellectilem, & cariſſima rerum conferre, neglexerint: vbi à militum cupiditate ſecura iterum ad ſuos dominos rediſſent: cum delubris, & ſacris ædibus, quique in ea confugiſſent, militum inſolentia pepercerit; cæteris expilatis. Pauci admodum ex victoribus in eo munitiſſimo oppido expugnando cecidere: ad trecenti enim duntaxat deſiderati, quod glorioſiorem fecit victoriam.

Cæteri quoque chiliarchi in vrbē peruadunt.

Captiui augent victoriæ decus.

Principes non tantum telis, ſed etiam ciuilis iuris æquis rationibus armati cum Matre Duce, alio belli genere decertabant: quæ diem illi dicentis Cæſaris literas aſpernata, vadimonium etiam per internuntium obire contempſerat. Quare Cæſar, nemine Ducis Matris cauſam tuente, pro Principibus pronuntiauit: eos legitimos Nepotis ſui Ducis tutores, curatores, præſides prouinciarum publico diplomate edixit; ſecluſa penitus Matre Duce. Cæſ. reæ literæ typis mandatæ totis Taurinis vulgatæ fuere: adiecto Principum edicto, omnia Matris Ducis acta tutelæ nomine, aut adminiſtrationis prætextu irrita nullius eſſe vigoris, & virtutis, præſertim fœdus cum Gallo rege percuſſum. Iubebantur inſuper omnes magiſtratus, miniſtri, qui in rerum regimine aliquo munere fungerentur, ſe coram Principibus ſiſtere; vt eorum officia rata haberentur: nulla in poſterum

Principes cum Matre Duce iure ciuili contendunt.

Cæſareæ literæ vulgātur totis Taurinis.

Matris

Digitized by Google

Matris Ducis facere imperata, non ſoluere vectigalia, nulla tributa pendere, quæ publico ærario numeranda eſſent. Quæ omnia, ſed præcipuè expugnatæ arces, occupataq; oppida, quibus Hiſpanorum præſidia permiſſu Principum imponebantur; non mediocri dolore Galli Regis animũ perculere: adduxereq;, non vt coacto exercitu, tranſmiſſis alpibus in Taurinos ſubſidio periclitanti ſorori feſtinaret, & ab inſeſſis arcibus Hiſpanos eijceret; ſed vt à ſorore depoſceret, vt quemadmodum Principes occupata oppida, & arces Hiſpanorum cuſtodiæ, fideiq; credebant; ſic illa ſuo Regi fratri, & popularium præſidijs non minoris fidei, quas adhuc tenebat, traderet arces; ea potiſſimum ratione ab hoſtium inſidijs, potentiaq; tutiſſimas fore. Iam multo ante Dux Mater huiuſmodi Regis poſtulatis obſiſtens, iteratas identidem petitiones eluſerat: ſua illi promiſſa, obſtrictamque ſibi fidem obiectans, ſe nunquam ab ea arces, & oppida petiturum: turpiſſimum futurum affirmãs, Chriſtianoq; orbi damnandum, ſi per ſummum ſcelus, iniquitatemq; pupillus Dux ab amicis pariter, atque hoſtibus ſuis ditionibus exueretur: ſi Patruus Rex, cui nepotis Ducis infantuli miſerendum eſſet; atque omnibus regni viribus conandum; vt eius dominatus ab hoſtibus tueretur: cum ſuis terris præuaricator euerteret: proinde ab iniquiſſimis poſtulatis abſiſteret; ſuamque non minus in nepote Principe defendendo potentiam, quàm eius miſerendo regiam pietatem, lenitatemque proferret. Verum hæ Matris voces nihil Cardinalis Richelij duritiem animi molliere, obteſtantis, Gallũ Regem belli impenſis damnatũ iri, & tot pecuniarũ, militumq; iacturam fruſtra paſſurum, ſi non ſibi arces, & oppida, quæ non adhuc Hiſpanorum cupiditas eripuerat, traderentur: quibus alia in vniuerſalis pacis ſanctione penſaret. Subnectebant Galli proceres, tum maximè Infantulo Duci arces, & oppida ſeruatum iri; ſi à Gallo Rege tenerentur, quæ Principum indulgentia, & populorum inſania in Hiſpanorum poteſtatem itura erant: nec vnquam factum iri, vt ab illis occupatæ arces, atque oppida redderentur: niſi totidem Galli quoq; à ſe inſeſſa deponerent. Quibus rationibus adducta Dux Mater neceſſitate compulſa, quia ſibi tanti erat Regi fratri cuius potentia, armiſque fulciebatur, non ægrè facere, eò magis, quò tutiores, illi viderentur arces in Gallorum, quàm Hiſpanorum poteſtate: Regis poſtulatis indulſit his legibus.

Gallus Rex à ſorore flagitat, vt ſuis Ducibus Taurinorum arces tradat.

Dux Mater recuſat Gallis tradere arces.

Cardinalis Richelij duritiès.

Dux Mater coacta Regis fratris obſequitur voluntati.

Vt Claraſcum, Sabinianum, Carmaniola Gallicis præſidijs tenerentur dummodo ſupremum earum arcium Infantulum Ducem penes eſſet imperium: redditus, prouentus eius ærario ſoluerentur. Eadem oppida ſuo tempore redderentur, & nullas in eorum alendis præſidijs factas expenſas Rex poſſet à Duce contendere. Eadem ſeruarentur in ijs, quæ ab Hiſpanorum manibus extunderentur. Conuenit præterea, vt nulla pax in Italia conſtitueretur, aut vllæ vnius amplius anni pangerentur induciæ: quibus non omnia Infantulo Duci oppida redderentur. Sed antequam Dux Mater Gallis traderet arces, aut huiuſmodi pactiones ratas faceret; admonen-

Chiraſco quibus legibus.

Digitized by Google

Dux Mater Principes hortatur ad pacem. dos prius de hac re Principes cenſuit; vt ijs quam pernicioſum communibus rebus futurum eſſet; Hiſpanorum præſidia in auiti imperij arces inducere; ſuadebatque, vt poſitis armis, tam damnoſa diſſid.a pace componerent; ſic tot malorum radices conuulſum iri; ſe eos optimè habituram, conceſſuramq; petita, dummodo ſuæ exiſtimationi, Nepotiſq; Ducis ſaluti caueretur. Sed lenia mulieris hortamenta nihil Principum animos à ſuis propoſitis abducere potuerunt.

Hiſpani Diui Iacobi caſtrum ſubeunt. Hiſpanicæ copiæ Tridino, caſtrum Diui Iacobi recenti victoria alacres proceſſere. Præfectus tamen eius arcis nihil ſecunda Principum, aut Hiſpanorum fortuna territus non ſolum honeſtiſſimas ab ijs latas cōditiones reſpuit, ſi arcem vltrò dederet, ſed etiam in ſubeuntes tormenta librauit; quamuis vndiq; hoſtilibus copijs ſeptū, ſeclusūmq; ſe ab ijs terris, quæ nec dum etiam erga Matrem Ducē mutauerant fidem, cognoſceret, nec ſubſidij ſpes vlla animos roboraret, clauſis vndiq; viarum anguſtijs. Leganius cum parte copiarum Aſturæ pontem ſecedens, ibiq; erectis validioribus munimentis eam arcem firmauit: vt eius obiectu Gallos ferendis Caſale ſuppetijs prohiberet. Princeps in cœpta caſtri obſidione permanſit: ratus præſidiarios ad famem compulſos, ob commeatuum inopiam, qua laborabant, propediem arcem, ſeque, ſuo arbitrio dedituros. Demarchus Villa, cæteriq; Duces cum per medias Principis acies, caſtrorumque munimenta ſine manifeſta clade ad obſeſſos poſſe peruadere deſperarent; ad abſtrahendum inde hoſtem egreſſi Taurinorum Auguſta cum valido, tū peditum, tum equitum agmine, & duodecim tormētis belli Montecaſerio armamentario conſtituto, totis Taurinis Aſtam, vſq; infeſti diſcurrunt. Verum neq; his Matris Ducis militum excurſionibus Princeps à Diui Iacobi caſtro obſidione potuit amoueri. Quare Taurinorum Auguſtam regreſſi cum Cardinale Valetta vires, conſiliaq; iungunt. Exercitus octo peditum, & quatuor equitum millibus validus ab omnibus rebus bellicis inſtructiſſimus, duodecim muralia tormenta ponè trahens Ducum iuſſu recta contra obſidentium munimenta Diui Iacobi caſtro ſubſidio feſtinat: verum interfluens amnis Duria imbribus tumidus, atq; litoribus ſuperfuſus in vicinam planitiem redundans ponte iungi non poterat. Quare ibi duos dies ceſſare coactis, quibus Princeps cum parte copiarum ad litus aduerſu.n progreſſus in longum educto firmiſſimo aggere, collocatiſque tormentis, amnis traiectum hoſtibus intercepit. Galli, & fluminis, & hoſtilium copiarum obiectu, à traijciendo prohibiti cum dubijs hærerent animis, quid ſibi faciendum eſſet; ecce affertur oppidum Principi duobus ante præſtitutum venturo ſubſidio ex deditionis conuentis diebus deditum eſſe; quo Cardinalis impotenti ira excandeſcens, ne ſine aliquo fructu, & operæ pretio eò promouiſſe exercitum videretur: in Clauaſium deſtinatum in hoſtium caſtra armorum impetum vertit; collineatiſq; tormentis, quæ ſibi grandioris formæ Taurinorū Auguſta ſibi iuſſerat adduci, promotiſq; vineis, & pluteis, oppidum vndiq; vrget. Princeps, & Leganius ne magni momēti propugnaculum

Leganius Aſturæ pontem munit.

Villa per totos Taurinos excurrit.

Galli obſeſſis ſubſidio feſtinant.

Sanctiá Principi Toma deditur.

Cluuas.

Galli Clauaſium oppugnant.

culum ferè in ſuis oculis capi ab hoſtibus paterentur; ſex peditum, & quatuor equitum millibus caſtra hoſtium verſus mouent: ad quandam vſque ſacram ędiculam, quam Heremitæ vocant, prouecti mille paſſuum propè Gallos aciem componunt; emittuntq; in oppugnantium caſtra tormenta; pugnandiq; ardore propius admoto agmine, maiorũ ſclopорum miſſilibus velitantur. Hiſpanicus equitatus hoſtium caſtris inſultans à Gallico repellitur. Dum vtręq; copię arma, atq; animos ad prælium expediunt, tãtumq; nõ commiſſæ acies infeſtis ſignis concurrunt: nuntiatur Longauillæ Ducem cũ duobus equitũ, & quatuor peditum millibus à Gallo Rege Sorori ſubſidio miſſum in caſtra veniſſe. Has copias Rex nuntiato in Galliam ab Hiſpanis Taurinorum Auguſtam oppugnari; ſolicitè authoratas in Italiam iuſſerat properare; ne ſororem ſuam parum viribus firmã in propria Regia hoſtes opprimerent. Huius celeris agminis aduẽtu Ducis Matris res, quæ collapſuræ penitus videbantur: quaſi reddito corpori exanimi ſpiritu, viuidiores iterum, firmioreſq; ſurrexerunt. Hiſpanorum idcircò pugnæ ardor, cupidoque refrixit, atq; inde proſpecta ferendi ſubſidij difficultate, diſceſſere.

Hiſpani ſubſidio accurrunt.

Gallica ſubſidia in caſtra perueniunt.

Hiſpanorũ receptus.

Cardinalis Valletta, & Longauallis admonent Sebacum Germanũ præſidij pręfectum; vt oppidũ dedat, cũ alicunde ſubſidium ſperare nõ poſſet: reſponſum ab eo eſt: ſe prius Hiſpanorum caſtra ſinerent explorare, an omnes inde diſceſſerint: quo conceſſo, miſſi renuntiant, Principem, & Mediolani Producem abijſſe, neminem in caſtris eſſe. Sebacus hac lege oppidum dedidit, ſi triduo nullũ mitteretur auxilium; quo elapſo, egreſſus eſt cum mille quingentorum Germanorum agmine, relictis ibi ex legibus tranſactionis Taurinis, & Gallis, qui contra Matrem Ducem militaſſent. Receptum Clauaſium clauſum aperuit Padum; vt Taurinorũ Auguſta libera nauigatione ſecundo quęcunq; flumine deferrentur. Quare Leganius, qui Creſcẽtini męnia diruerat: vt iterum nauigationem Taurinorum Auguſta Caſale intercluderet, ea reſtituere coactus magno foſſorum, operarumq; numero ingenti cura opus aggreditur: tacito ſiquidem animo Caſalis deſtinabat obſidiũ.

Clauaſium deditur Gallis.

Leganij cõſilium.

Dum reficiendis Creſcentini munimentis Hiſpanos inſudat; Princeps Cardinalis Aſta cum ſuis duntaxat domeſticis egreſſus alteram Taurinorum partem percurrens populos propenſiſſimis animis ad ſe confluentes amplexus recipit in fidem. In omnibus locis popularium applauſibus, eius aduentum gratulantium ſummæ beneuolentiæ declarationibus excipitur (non enim Matris Ducis vllis præſidijs coercebantur). Ceba illi, Cuneum, Mons Regalis, Benium, Salaſſij, Foſſanum, Douerium, Buſca, Demontium vltrò ſe miſſis pacis ſequeſtribus, dedidere: quibus oppidis cum ſui ſtudioſorũ præſidijs, ſuarum etiam partium Duces præfecit. Foſſanum ſe inde recepit veritus ne Galli expugnato Clauaſio, in eam regionem conuerſo agmine, eadem ſibi oppida eriperent. Nec inanis fuit metus, Galli enim iunctis cum Ducis Matris exercitu viribus, in eam Taurinorum partem incubuere. Primi omnium Salaſſij, deinde Racconiſium, Caramanum, cęteraq; eius tractus oppida, eadẽ facilitate, qua ſe Cardinali

Plura oppida Cardinali Principi deduntur. Ceua, Mondoui, Saluzzo.

Prin-

Principi permiſere, Gallici exercitus metu ad fidem rediere.

Foſsano abſtinuit Longauilla falſa opinione imbutus, illud oppidum munitius eſſe, quàm vt poſſet iis viribus expugnari; quamuis Demarchus Villa, & Planetiæ dynaſta multum laborarint, in illius animum inducere, illud oppidum nullis ferè mœnibus ſeptum, ſtatim ad rutilantia Gallorum ſigna in poteſtatem venturum. Quamobrem Longauilla Raceoniſij relicto, ipſi Foſsanum inſtructo agmine tendunt: vt facilitatem rei, verborumque veritatem opere comprobarent. Vix populus è muris volitantia, cruentumque rubentia aduentantis Matris Ducis exercitus vexilla conſpexit, ratus omnes copias adeſſe, eodem veſpere, non prius tamen, quàm Cuneum Cardinali profecto, atq; in tutum elapſo, oppidum dedidit. Benium inde ſignis illatis, Vargas Hiſpani præfecti arcis conſtantia, & virtus duriorem aliquantò, difficilioremque fecit oppugnationem, certus in ea arce tuenda ſupremos bellicæ virtutis edere conatus. Quamobrem Planetiæ Demarchus in vici parte arci viciniori caſtris munitis, aggeres tormentarios, & propugnacula circum eduxit. Villa in apertis campis volitante, vt ſubſidia, quacunque accederent, ſummoueret: mox Longauillà cum Gallico agmine ſuperuenit: ſed ne alienis ſe operibus immiſceret, ipſe quoque in planitie cum Villa tetendit. Planetiæ Demarchus productis vſque ad interiota mœnia pluteis, ſolicito labore cuniculos agere ſub duobus propugnaculis inſtitit; quibus poſt nouem obſidionis dies iniecto igne, diffractis ſtructuræ compagibus, diſruptis propugnaculis, ruinas ingentibus animis ſubeunt Taurini: propugnatores aggredientibus remiſſa pugna recedunt, rati ſe mortem poſſe fugere, ſi ſe in interiori propugnaculo conderent. Quare omnes deſerto certaminis loco, ſolutis ordinibus in tutiora diffugiunt; ſed tam ardens fuit impetus inſequentium, vt obſtructo multitudine irruentium aditu, omnes fere obtruncati in ipſo portæ limine interierint: ipſe Vargas ſaucius captus nimiæ audaciæ pœnas luit.

Foſſanum Gallis deditur.

Bene.

Beniū Galli oppugnant.

Taurini, et Galli arcē inuadunt.

Benium capitur præſidiary cæduntur.

Supererat Cuneum expugnandum omnium Taurinorum oppidum muniti ſſimum, ſed non deſperandæ expeditionis, cum ſecluſum à cæteris terris, quæ ſe Principi Cardinali tradiderant; nec valido præſidio, nec bellico apparatu firmum ceſſurum paulò admittentibus videretur. Princeps Thomas Fratri Cardinali metuens Aſta Montem Regalem cum aliquot peditum cohortibus, & equitum turmis acceſſit, vt aliquo in vtraque oppida inducto ſubſidio, ab imminenti hoſtilis exercitus diſcrimine eximeret. Verum cum Longauillam contra ſe properare ab exploratoribus cognouiſſet; Monteregali amoto agmine, ſe iterum ad Aſtam Leganio iunxit. Supremi Gallici, Taurinenſiſque exercitus Duces in Cuneum tota inclinata belli mole, quòd parum munitum bellicis apparatibus, & imbecillo præſidio firmum accepiſſent; ad illud oppidum expugnandum omnes vtriuſque exercitus admouent vires. Maximam conceperant animis eius potiendi ſpem. Aut enim Princeps Cardinalis ciuium beneuolentia, locique munimentis fretus ibi hoſtilium copiarum impetum expectabit,

Mondoui.

Galli, & Taurini. Cuneum obſident.

ſeque

ſeque obſideri patietur; aut ne indagine ſeptus caperetur, aliò ſe fuga proripiet. (Stator præſidij maior oppidi deditionem promiſerat, ſi Cardinalis abſcederet) ſi verò animoſior non formidabit obſidium: certa nihilominus erat oppidi expugnatio; quòd debilibus admodum munimentis vallaretur, & præſidium exiguum numero, tantæ aſſultanti potentiæ non diù poterat repugnare: quo euentu capto Principe Cardinali grauiſſimo ciuili bello Dux Mater erat fœliciter defunctura: captiuo enim præcipuo Nepotis Ducis tutelam armis contendente, profligatum, confectumque erat bellum: quod Galli Duces præſertim Longauilla adeò altum demiſerant animis, vt ad Gallum Regem ſcripſerit, Principem Cardinalem iam in ſua poteſtate eſſe: ſed vt omnis mortalium ſpes plerunque vana, fluxaque eſt: ita præcipuè, quam in fortuitis bellorum euentis, nobis affingimus, fallaciſſima eſt. Siquidem Cuneum obſidione ſolutum, & Taurinorum Auguſta à Principibus capta duplici Longauillæ animum telo aduerſa fortuna pupugit. Dum enim in Cuneo oppugnando Gallicæ, Taurinenſeſque copiæ pendent: Leganius, & Princeps Thomas aduolant cum vniuerſo exercitu Taurinorum Auguſtam; quam ſcirent diſtentis ad Cuneum Gallicis copijs, præſidio nudatam non diu laturam impetum aggredientium. Quod veriti Galli Duces Cardinali Vallettæ ſuadent, vt quantociùs cum ſuo agmine Taurinorum Auguſtam contento gradu feſtinet: vel Carmaniolam ineat, ibiq; eam Taurinorum partem ab Hoſtium inſultibus tueatur. Hoc ſalutare conſilium ſolita, & natiua Cardinalis cunctatio, & mora corrupit. Nam adeò lento, tardoque paſſu profectus eſt, vt Princeps Thomas liberam nullis obſeſſam cuſtodijs nactus viam acceptis à Leganio ſexcentis electiſſimis Hiſpanorum Caracena chiliarcho, & duobus equitum millibus, & quingentis Carolo Gatta præfecto, quàm maxima potuit celeritate Villam nouam profectus, educto inde alio quingentorum peditum agmine, Tutauilla caſtrorum præfecto ductore, ſub noctem Pado tranſmiſſo, Valentinum aduenit. Quod vbi Matri Duci, & oppidis vicinis innotuit, inopinato territi hoſtium acceſſu ſubſidia Gallorum inclamant. Dux Mater miſſo feſtinato ad Cardinalem Vallettam Pluſaſchi comite efflagitat, inſtat, vrget, vt quàm ocyſſimè poſſet, Taurinorum Auguſtam iter acceleret, eam ab imminentium hoſtium impetu defenſurus. Verum Cardinalis in deliberando ſemper ancipitis, dubijque animi non ſe loco mouit, quamuis, & ipſe formidaret, ne ſe Carmaniolæ morantem hoſtes inuaderent.

Princeps Thomas Taurinum ſubit infeſtus.

Cardinalis Vallettæ damnoſa mora.

Longauilla interim neſcius eorum, quæ procul agebantur, Cuneo admotis copijs, noctu exteriora vrbis munimenta adortus, adeò feroci impetu in illa inſiluit; vt quamuis validum præſidium in aggredientes ſtrenuiſſimè decertarit; tamen propugnatoribus in vrbem cum ſtrage compulſis, ex ſuis paucis amiſſis, ea adeptus ſit. Hoc felici primi tentamenti euentu, maximam potiendi oppidi ſpem cunctis iniecit, & iam Longauilla aggeres parabat extruere, cum trepidæ à Cardinali Valletta miſſæ literæ

terae

teræ futuri fœlicitatem oppugnationis exitus abſtulerunt. Scripſerat ille, *Hoſtes firmiſſimo exercitu contra ſe ducere, quibus ſe obſiſtere non poſſe aiebat, niſi ſibi ſubſidio octingenti equites mitterentur.* Longauilla his Cardinalis poſtulatis attonitus, ne illi periclitanti deeſſet; ſubducta copijs hac equitum ala, ſuas vires penitus eneruauit; ac proinde Cunei obſidione abire compulſus Albani tribus paſſuum millibus prope Foſſanum abducto exercitu, conſedit.

Longauilla à Cunei obſidione diſcedit.

Princeps Thomas ad multam noctem expeditis ad vrbem repentino impetu intercipiendam opportunis, quadripartito mœnia aggredi noctis copiarum acceſſum tegentibus tenebris, deſtinauit. Demarchus Caracena cum ſua lectiſſima Hiſpanorum legione caſtelli portã inuadere iuſſus eſt: vt ea Aſtiochi impetu proſtrata, in vrbem irrumperet. Tutauillæ mandatum, vt inter Diuæ Mariæ, & vrbis nouæ propugnacula in murũ admotis ſcalis inſiliret. Chiliarcho Alardo Diuæ Mariæ Conſolationis Arcem verſus inuadenda tributa. Comiti Vichio imperatum, vt Aſtiochum portæ nouæ appenderet: omnes iuſto militum numero, inſtrumentis perficiendæ rei neceſſarijs inſtructi ad ſua quiſque exequenda mandata proceſſit. Erat nox prorſus illunis, concubiaque ſub ſecundæ finem vigiliæ cum altior ſopor feſſos diurnis laboribus, & curis mortales occupat. Mœnibus clanculum ſuggrediuntur; non tamen contigit Caracenæ, vt eſtiochum portarum foribus affigeret plicatili ponte ſublato, breuioreſque eſſent ſcalæ, quàm vt per illas in mœnium loricam poſſet aſcendi. Refigere tamen ſudes, & ſtipites, vallumque euellere laborauit in longum vſque ad viri de propugnaculum protenſum, atque per illud in palatij Ducis viridarium euaſit. Tutauilla à ſuo ductore deſtitutus miſſilium grandine territo, quæ è mœnibus torquebantur, ſolus cum ſuo agmine manibus cęcorum more obuia tentans in parmulam incidit centum quinquaginta militum cohorte defenſam; cum quibus diu velitatus, tandem ijs deiectis, ea potitus in foſſam demiſſo agmine, vt ſcalis applicitis, in murorum faſtigium eniteretur; eas mœnium altitudine breuioribus inuentis, atq; idcirco à Caracena accitus iunctis cum eo viribus, ſimul in vrbem per Ducis viridarium ingreſſi in Diui Ioannis foro in duo agmina cohortes peditum denſant. Dux Mater hoſtibus in vrbem inuectis, cum prætorijs cohortibus, & magno Cancellario, & aliquot togatis patritijs, ſplendidoq; procerum, nobiliumq; fœminarum comitatu in arcem trepida fugit.

Princeps Thomas inuadendi Taurini partes diſtribuit.

Vrbis mœnibus ſuggrediuntur.

Hiſpani in vrbem varijs partibus irrumpunt.

Dux Mater in arcẽ fugit.

Caracena, & Tutauilla ſtipatis ordinibus, Caſtelli portas adeunt, reſecratoque intus ferreo vecte, cataracta diffracta, exteriori porta aſtiochi impetu deiecta, intro equitatum admittunt, qui ibi compoſito agmine expectabat, vt ſibi fores à ſocijs panderentur. Fontana portæ præſidij præfectus arcani cum Principe Thoma conſenſus, perfidiæque reus cenſebatur; nec minori proditionis ſuſpicione Ameriuus Heluetiorum præfectus, vallique cuſtos laboraſſe creditus eſt; quòd pecunia corrupta fide, nihil contra Hiſpanos refigentes vallum, & ſublicas euellentes pugnarit, & capta Taurinorum

Taurinum capitur ab Hiſpanis.

norum Auguſtæ ad Principem transfugerit: cuius perfidiæ apud ſuæ gentis pagos reus actus è vinculis cauſam dixit. Comes Vichius amiſſo ductore, & aſtioco in incertum noctis obſcuritate abreptus per propugnaculum viride, per quod Hiſpani, & Itali in vrbem irruperant, intrat. Chiliarchus Alardus ſtrenua propugnantium virtute repulſus per iam apertam caſtelli portam in vrbem ingreditur: ita vt antequam diluceſceret Aurora, tota vrbe nullo amiſſo à Principe occupata, per celebriora vrbis compita, & fora valida præſidia, & militum cuſtodiæ diſpoſitæ ſunt, ne quid à ciuibus moueretur: ſed iam à Matre Duce capite ſancitum erat, ne quis, verita forſan ciuium in Principes ſtudium, domo, quidquid accideret, egrederetur. Ita nemo prorſus ciuium aduerſus ingruentem Principis exercitum domo armatus exilijt. Sed vbi illam in arcem refugiſſe, & Principem vrbem inijſſe cognitum eſt: quaſi ruptis carceribus equi pernici curſu per hippodromum ad propoſita præmia volant: omnes per vicos, & plateas ad officium effuſi Principem gratulabundi circunſtant, omnibus lætitiæ ſignificationibus applaudunt. Princeps ciuium gratulationibus deferueſcentibus, omnes viarum aditus ad arcem ferentes tranſuerſis trabibus, aggeſtaq; tellure claudi iubet; ne quis ab arcis præſidiarijs in vrbem fieret impetus. Nocte ſequenti in ædium feneſtris conſtituta funalia vrbem diſcuſſis tenebris illuſtrabant. Ciues armati immiſti militibus ad viarum aditus excubabant, vt arcis irruptiones in vrbem repellerent. Eductis quoque in arduum aggeribus Princeps vrbis tecta ab arcis tormentis obtexerat.

Taurinum occupatur à Principe Thoma.

Ciues Principi gratulantur.

Poſtera die Leganius cum reliquis copijs in vrbem ingreſſus vna cum Principe vrbis locis omnibus exploratis, per quæ ab arcis pręſidiarijs in vrbem irrui poterat: nouos obices obmoliuntur. Supererat ad plenam, perfectamq; victoriam, atq; ad bellum omninò conficiendum, arcem perpetuo circunducto vallo, ſubſidijs intercludere, atq; omnes aditus extructis propugnaculis obſepire; per quos auxilia clauſis inferri poſſent. Per tria paſſuum millia erant aggeres extruendi: nam plus mediam circumfuſa vrbis domicilia claudebant. Quare, vndique ſepta, vel fame domita propediem ceſſura obſidentibus erat. Nec opus Gallici exercitus aduentus poterat interpellare: cum Hiſpano numero inferior, & labore itineris, & feſtinatione, quâ Cuneo Taurinorum Auguſtæ ſubſidio properarat; feſſus, & languidus, cum hoſte valido recentibus viribus tot dierum quiete collectis, manus conſerere non erat auſurus: ſi ex vrbe in apertum obuiam Gallis aduentantibus proceſſiſſet: cuius pernicioſi torporis, & deſidiæ culpam in re tanti momenti, quæ bellum abſoluiſſet, parta perfecta victoria, in Leganium campeſtria pręlia penitus auerſantem cōmunis mortalium ſenſus impegit: dummodo non conferret cum hoſte ſigna, nihil penſi habebat, bene gerendæ rei, vincendiq; hoſtis opportunitatem elabi; hoc è rebus Regis eſſe ratus. Verum orta ijs diebus inter Principem, & Leganium controuerſia, profligandi belli, ſumma rerum euer-

Leganius in vrbem ingreditur.

Legany error.

ſa,occa-

Digitized by Google

ſa, occaſionem eripuit. Contendebat hìc, vt ex fœderis pactionibus cum Franciſco Mello tranſactis in arcem, ſi expugnaretur, Hiſpanorum præſidium induceretur (conuentum enim erat, vt ſupra memorauimus, diſertèque cautum, vt omnibus oppidis armorum violentia perdomitis Hiſpanorum præſidia imponerentur) Princeps verò acerrimè repugnabat, ſe numquam paſſurum eam arcem Allobrogum ducum imperij vnicum propugnaculum, & præſidium vllo extero milite obtineri: nullius vnquam gentis, quàm Taurinorum præſidiarijs cohortibus munitam, firmatamque fuiſſe; popularium ſtudia, quibus res communis ad eam vſque ſteterat diem, acerbiſſimis odijs mutatum iri; ſi Taurini aliud, quàm ſuæ gentis præſidium illi arci præpoſitum cognouiſſent. Verum Leganius, qui in arcano ſuo Regi, non Principibus militabat; conuenta fœderis obtrudebat: nec fore tam pernicioſum communibus deſtinatis, ſi Principes exterum præſidium in arcem induxiſſent, cum Dux Mater non multos ante dies eiuſdem rei feciſſet exemplum. Cui Princeps addidit, eas præſidiarias cohortes Lotharingas fuiſſe ſuæ domui apprimè fidas, addictaſq; Allobrogum ducum obſequijs, & tamen, quòd hoc illa nullo exemplo feciſſet, ſibi omnium Taurinorum odium conflaſſe, amiſiſſeq; popularium ſtudia, quibus in fide populos hactenus tenuiſſet. Quare, ne in eiuſdem infortunij cautibus ſuam felicitatem elideret, auerteretque à ſe popularium beneuolentiam, ſibi maximè cauendum eſſe, ne aliud, quàm Taurinorum præſidium ei arci præficeretur: ſibi enim illuſum eſſe omnes, ſuaque ſpe, & voto fruſtratos putarent; ſi Principes pro decutiendo à ſuorum popularium ceruicibus inuiſo Gallorum iugo; aliud grauius, & non minus odioſum Hiſpanicum inieciſſent: quod adeò omnes in impotentem iram, furoremque egiſſet; vt deſertis Principum partibus, Duci Matri totis animis adhæſiſſent Infantuli Ducis cauſam tuenti. Remitteret igitur Gubernator, quoad eius arcis præſidium de fœderis pactionum rigore; quæ cum caput imperij, fundamentumque eſſet, maior etiam ratio illius extra ordinem erat habenda. Hæc ſanè cauſa Principem impellebat, ne exterum præſidium arcem fineret occupare; ſed potiſſimum verebatur, ne Hiſpanorum ſe arbitrio ſubderet, totumque amitteret dominatum, & ex libero Principe ſe Hiſpani Regis faceret vectigalem: à quo eſſent tam ipſe, quàm frater procul acerbiùs, quàm à Matre Duce à patrijs ſedibus diſtinendi. Leganij aſperitatem, & duritiem ita Princeps Thomas exhorruit; vt generoſiſſimo animo ſatius duxerit ſuas res omnes incertæ fortunæ arbitrio obijcere, quàm patriam, auitoſque dominatus ab Hiſpanis vſurpari in ſuis oculis ſuſtinere. Quatuor igitur horarum ſpatium à Leganio poſcit, quò ſuas Principes ſorores in tutum abduceret, certus animi potius exſpes aliò migrare, extorriſque patria per alienas terras errare; quàm iniquiſſimæ conditioni ſuccumbere. Nec tamen Leganius tam commendabili, pioque Principis decreto ſuam cupiditatem vllo miſericordiæ freno cohibuit; immo pertinaciùs inſtitit, vt fœderis conuenta ſeruarentur aduerſa

Leganij, & Principis contentio.

Leganius Taurini arci Hiſpanorum præſidium imponere contēdit: id recuſat Princeps Thomas.

Principis Thomæ generoſitas.

morta-

mortalium ſpreta opinione, illum non ad reddendos ſuis dominatibus, patrięque Principes, ſed ad vſurpandos, rapiendoſque Taurinos animum, cogitationeſque adiecisse. Verum Leganius aut vere retur, ne Princeps arce potitus non tanti faceret Hiſpanicum fœdus, atque à conuentis pactionibus reſiliret: aut vt Regis faceret imperata, iubentis, pro ſe in Taurinos, non pro Principibus aſſerendis bellare: ſui tenax propoſiti contendit, vt pactis fœderis conditionibus ſtaretur omninò: cum ipſe inſcio Rege, mutuo tranſacta conſenſu mutare non poſſet. Dum alternis altercationibus fruſtra effluit tempus, nec arx caſtrorum munimentis vallatur, nec venienti Gallorum ſubſidio occurritur; qui captæ Taurinorum Auguſtæ triſtiſſimo nuntio audito, Cuneo quàm maxima poſſunt celeritate profecti periclitanti arci auxilio feſtinant; promotoque propius exercitu, cum nullo aggerum obiectu arcerentur; nec in campis vllæ contra irent Hiſpanicæ copiæ: in aduerſa vrbi parte poſitis caſtris, non totus exercitus, ſed copiarum Duces tantum arcem iniere, vt Matrem Ducem venerati de rebus bellicis, præſentique rerum ſtatu in commune conſulerent. Hac tanta ſubſidij fœlicitate, atque hoſtium ſiue incuria, ſiue ſocordia Matris Ducis res ferè perditæ, atque acciſæ iterum reuiuiſcere, in fortunatioris ſpem exitus ſurgere lætari alacriores animis Galli, belliq; victoriam ſibi ex hoſtium diſſidijs polliceri. Iam aggeres arci obiecti vrbem ab arcis tormentorum miſſilibus tegebant, Demarcho Caracena non minori diſcrimine, quàm cura ſolicitante opus: qui ratus Carmelitanorum Patrum, quos diſcalceatos vocant, viridarium aggeribus, vrbiſq; vijs imminens omnia depreſſiora ſub ictu habens maximè pernicioſum futurum, ſi ab Hoſtibus occuparetur: ipſe prius immiſſis eò validis Hiſpanorum cohortibus, illud prereptum firmis munimentis vallauit. Galli arcis anguſtiarum impatientes, Tauriniq; milites moram, otiumque peroſi irrumpendi in vrbem, exigendique ex ea Hiſpanos impotentibus deſiderijs æſtuabant; ſed Cardinalis Valletta pro ſuo ſupremo armorum imperio compreſſo pugnæ ardore, milites intra arcis ſepta continuit: ſed mox aſſiduis Ducum, & militum flagitationibus victus tandem paſſus eſt trecentos ex promptiſſimis Noreſtani Demarcho Duce veterem vrbem inuadere: qui acerrimo facto in eam impetu, in mœnium ſuperiora eniti certarunt; ſed à propugnantibus haſtis, venabulis aggredientium ora ferientibus ad ima præcipites dati, amiſſo ipſo Noreſtani Demarcho, alijſque cohortium Ducibus, didicerunt, difficiliorem, quàm inter conſulendum conceperant animis, vrbis expugnationem eſſe. Suadent igitur Matri Duci, vt ſibi commiſſa tuendæ arcis cura, ipſa ſe eius loci explicet anguſtijs, ſeque eius obſidionis diſcrimine ſubtrahat, & Seguſium in tutum cum Infantulo Duce contendat. Abijt illa inuicta animo Seguſium Lõgauillæ depoſiti titulo arce tradita, qui eam Regis nomine recepit. Cum enim Taurinos non ſatis ſibi fidos, ſed propenſos in Principes formidaret; nec ſi fidiſſimi eſſent, numero pauci non poſſent tantæ hoſtilium copiarum potentiam vndique aſſultantem propellere;

Galli Taurino ſubſidio feſtinãt.

Hiſpanorũ negligẽtia.

Gallorum alacritas.

Galli ex arce erumpũt in Hiſpanos

Dux Mater cum Duce Infantulo in tutum ſe recipit.

lere; & non ampliùs duorum menſium commeatibus ad milites alendos, & bellicis apparatibus ad dimicandum arx foret inſtructa; ſibi ſatis eius ſecuritati cauſſe viſa eſt, ſi eam cuſtodiendam fratris ſui Regis præpotentibus armis,& Ducibus tradidiſſet.

Taurini arcem Gallis tradit.

Longauilla ob commeatuum, reiq; tormentariæ inopiam ſibi metuens, ſi diutius ab Hiſpanis obſideretur; à Leganio poſcit inducias,eò cupidiùs, quòd à Rege in Italiam proficiſcens abſciſsè miſſus fuerat; quàm poſſet citiſſimè Taurino ſe bello expedire, atq; in Belgium, vel in Germaniam ad eos exercitus feſtinaret. Ad paciſcendas inducias prodiere feciales Abbas Vaſquez pro Mediolani Produce,Argentonis dynaſta pro Longauilla,quas cum non omninò Leganius auerſaretur, facile conuentæ ſunt. Princeps Thomas eas penitus reſpuebat, quòd ſciret Longauillam Galli Regis iuſſu cum ſuis copijs in Belgium, aut Germaniam profecturum; cuius diſceſſu arce validioribus præſidij viribus deſtituta in poteſtatem redacta, proinde bellum profligatum iri; nec minus Belgij, Germaniæq; quàm Taurinorum intereſſe, ſi Gallica arma in Italicis bellis diſtinerentur: quorum negotio ſoluta acriùs in eas prouincias incubitura erant. Id quoque Caſalis expugnationem, Taurinæq; arcis deditionem interpellaturum; quòd ijs induțijs,& quiete vires erant,& ſpiritum receptura.Sed Leganius aut quieſcendi a tot bellicis laboribus deſiderio,aut iræ impulſu,quod Hiſpanicum præſidium Taurinenſi arci ſi dederetur, non liceret imponi, ac proinde victoriæ fructum non ſui Regis,ſed Principum fore, inducijs pangendis aſſenſit: quarum ſequeſtres Dux Mater Demarchum Villam, Princeps Thomas Meſſerati comitem,Cardinalis Valletta,& Lõgauilla Argentonis dynaſtam elegerunt. Valentini re diligenti cura diſcuſſa, in has conditiones conuenit. Vt Induciæ à pridie nonas Auguſti, vſq; ad quartum nonas Octobres nullo mutuo maleficio durarent. Taurinorum Auguſta, eiuſq; arx in eodem ſtatu, quo nunc eſſent, ſeruarentur: conceſſa tamen omnibus facultate, vt quæcunque liberet, aſtruerent munimenta: nemini vltra lineam communi conſenſu inter arcem, & vrbem ductam tranſgredi liceret. Copiæ in ſtatiua intra ſuas prouincias deducerentur: atq; omnibus hoſtilibus abſtinerent. Nullus miles in aliena caſtra, aut munimenta migraret, niſi à ſuis Ducibus obtenta literis facultate. Nihil Caſale moueretur; niſi quòd ſexcenti pedites valetudine tentati totidem ſanis,& validis mutarẽtur. Captiui inuicem redderentur. Quibus tranſactis, Leganius cum parte copiarum Mediolanũ redijt, cæteros in Taurinis, & ad finium cuſtodiã partitus.

Induciæ inter Hiſpanos, & Gallos ſangũtur.

Induciarũ cõditiones.

Princeps Thomas his iratus inducijs,quòd ſibi à Mediolani præſide illuſum putaret,qui ſe in medio rerum gerendarum curſu,immo in ipſo victoriæ limine deſeruiſſet; cum arx, & commeatuum penuria, & propugnantium imbecillitate, profecto inde Longauilla, propediem ad deditionem compulſa in ſuam poteſtatem ventura erat: apud Hiſpaniarum Regem acerbiſſimè de Leganij duro ingenio conqueſtus eſt. Nec eo minori Cardinalis Infans, & Cæſar Leganio iracundia ſuccenſuere; quòd Longauilla bellis

Digitized by Google

bellis Italicis expeditus, aut in Belgium, aut in Germaniam ducturus erat infeſtus; amboq; ſimul apud eũdē Regem de Leganij importunis, pernicioſiſq; conſilijs dolentiſſimis queſtubus expoſtularũt. Hiſpani quoq; proceres Leganij acta, pactumq; in tanto cõmunium rerum detrimento induciarum fœdus criminabantur. Rex tot querelis vndiq; ingruentibus aſperatus Leganium acribus literis obiurgatum, caſtigatũq; cogit, vt huius ſibi obiectæ culpæ diluat labē, dãnatiq; omniũ ſenſu facti cauſam patefaciat. Ille tot ſe culpantium criminationes excuſſit hac ſolũ ratione: ſui vires exercitus imminutas, ſubductis pluribus militum cohortibus ad oppidorũ expugnatorum præſidia; idcircò ſatius duxiſſe, tutius forè copiarũ reliquijs parta tueri, quã cũ hoſtib. lõgè viribus inferiorē in campis ęquo marte cõtendere, omniaq; in præceps ruere. Quę obiecti criminis expurgatio, quã futilis eſſet induciarum docuit finis: quamuis enim nulla militũ ſupplementa Hiſpanicus exercitus accepiſſet, & plures Gallicæ cohortes in Italiã miſſæ Gallicũ roboraſſent; ille nihilominus validior, & potentior prodijt ex ſtatiuis. Rex tamē Hiſpanus, vt Principis Thomæ querelis aliquid indulgeret, Leganio præcepit, ne quid in poſterum niſi de illius conſenſu tentaret, conſiliaq; ſequeretur.

Omnes de Leganio queruntur ob pactas inducias.

Leganius criminationes diluit.

Leganius iubetur obſequi Principis voluntati.

Princeps Cardinalis interim magis aſpectus ſui veneratione, quàm Princeps Thomas armatus profecit. Cuneo enim ad maritimã oram delapſus primum Herculis portum, & Diui Soſpiri arcem, deinde ipſam vrbem Nicæam cum ſuo agro in deditionem accepit: mox etiam munitiſſimam arcē, exacto eius præfecto, obtinuit. Confluebant ad illum populi gratulabundi, & plauſibus, quibus interioris inſignia lætitiæ vulgus explicare ſolet, exceptum impenſius venerabantur. Cardinalis in eas oras aduentus Gallorum deſtinata, conſiliaq; euertit. Niceæ enim, vt Galliæ Narbonenſis iuris imminebant; idcircò in aduerſo eius litoribus mari Gallica claſſis errabat epibatas expoſitura, ſi compoſitæ inſidiæ ſperatum exitum habuiſſent. Quod multum Principis fortunam iuuit; propenſiſſimis enim animis à ciuibus Gallica vicina arma timentibus exceptus eſt; ſummæ ſiquidem viro authoritatis opus erat ad continendos in fide populos, & Gallorum tentamēta eludenda: cum à Taurinis bellis ciuilibus concuſſis, nulla in tanto diſcrimine ſubſidia ſperari, nedum poterant expectari. Eius arcis diſcrimen augebat, ne in Gallorum poteſtatem veniret Ducis Matris obſtricta Gallo Regi fides, vt omnibus munitis locis, ne ab Hiſpanis occuparentur, Gallica præſidia imponeret: quòd ipſum ſi in Niceæ arce facere cogeretur: Galli ſuo voto damnati munitiſſimam, optatiſſimamq; arcē obtinuiſſent; quod maximè ciues horrebant: nec pręſentius huic ingruenti malo occurſum eſt, quàm ea Principis Cardinalis natiui domini tradita poteſtati, Gallorũ vim Hiſpanicis auxilijs, & viribus repulſuri.

Villa Franca.

Principis Cardinalis fœlices profectus.

Nicea inſidia fruſtra.

Pactæ quidem erant induciæ, ſed mutuis tentamentis, & molitionibus violabantur. Cardinalis Princeps Nicæam vrbem rupto induciarum fœdere, occuparat. Dux Mater Gallicas cohortes Seguſium induxerat: Princeps Thomas à Taurinenſi Senatu obtinuit, vt Cæſareum diploma

Induciæ violantur.

Dd firma-

Digitized by Google

firmaret: quam ſententiam Allobrogicus reſcidit. Attamen quia & Gallis & Hiſpanis tanti erat inducias ſeruari, intra duntaxat querimonias offenſarum ira deferbuit. Interim dum vtrinq; arma ſilent: Taurinorum Auguſtæ munimentorum feruet opus, quibus ab arcis tormentorum iaculationibus à Principe tegebatur, ſi elapſis inducijs, Galli vrbem verberarent. Galli pariter arcem omnibus rebus ad eam propugnandam, tollerandamq; obſidiũ inſtruebant. Nec interim tranſactiones pacis à Principibus intermittebantur; vt populos docerent, ſe in arma tantum neceſſitate compulſos, vt ſua aſſererent iura; communiſq; cęlo patriæ fruerentur; non vt natale ſolum inductis copijs euerterent. Sperabant ſe viribus, belliq; ſecundiori fortuna ſuperiores Ducem Matrem ad mitiores, honeſtioreſq; conditiones proclinaturos. Legato igitur ad eam Meſſerati comite fidiſſimo miniſtro, his pacis leges dicunt. Ducem Matrem penes eſſet ditionum regimen, Principes illi moderanti aſſiderent. Publicæ literæ, ſanctiones, decreta, diplomata à Principibus iuxta, ac ab ea ſubſcriberentur. Vrbium pręfecti, prætores, alijq; miniſtri communi conſenſu eligerentur. Publici prouentus, vectigalia, tributa cõmunibus etiã conſilijs curarentur, expenderenturq;. Quibus Dux Mater fecit conditionibus modum. Nulla fœdera, ſancirentur, non bella decernerẽtur, nullæ iuberentur leges, non alia magni momenti ſine Principum arbitrio ſtatuerẽtur. Quoad miniſtrorũ, magiſtratuumq; electionẽ in hoc tãtũ illis Dux Mater aſſenſit; vt dubiæ fidei ſuſpectos, parũq; Principibus beneuolos in ordinẽ redigerẽtur: cęterum ipſa miniſtros eligeret. Quòd verò ad vectigaliũ adminiſtrationẽ, omninò repulſa Principũ petitio eſt. Nihil ĩ his pacis legibus de renuntiando inuicẽ Regum fęderibus actum eſt; quòd cũ eſſet rerum cardo, in quo belli, paciſq; ſumma vertebatur; conſtat in ſpeciem magis petitam à Principibus pacem, quàm re ipſa eam cuperent.

Princeps Thomas arcem aggeribus ab vrbe interſepit.

Principes pacis conditiones Matri Duci offerunt.

Pacis conditiones.

Galli cum neq; Caſale circumfuſum vndiq; hoſtilibus armis, neq; Taurinenſem arcem eius potentia Principis oppugnãte ſeruare ſe poſſe animaduerterent, niſi Principem Thomam ſuis partibus addidiſſent. Illum promiſſis largioribus aggreſſi ingentibus propoſitis præmijs, in ſua fœdera inuitant. Quæ iacta in animo iam Hiſpanorum ſocietatem pernicioſam peroſo ſemina deinceps in copioſas ſegetes pullularunt.

Galli Principem Thomam in ſua fœdera trahere conantur.

Rex Gallus in inferiores Allobroges Gratianopolim profectus ſororis videndæ cupidus eam accerſit. Illa ſuperatis alpibus ad fratrem ſalutandũ, venerandumq; feſtinauit; quòd ab eo ſperaret ſibi in tantis ſuarum rerũ difficultatibus aliquod validum auxilium allatum iri. Poſt mutuos amplexus, tenerrimiq; amoris inuicem declarationes, vnde ſoror tot ſuis malis, miſerijſq; leuamẽ, ſubſidium, & ſolatiũ certa fiducia expectat: inde luculentiori impoſita plaga, auctum ſuũ dolorẽ ingemuit. Cardinalis Richelius Gallici Regni quacumq; ratione cupidus proferendi Taurinis oppidis nõ contẽtus Gallica impoſita eſſe præſidia, ipſiuſq; Taurinorũ Auguſtę arcẽ ſuę gẽtis cuſtodijs inſideri; ſuaſerat Regi, vt poſceret à ſorore, quò in ipſam Momiliani arcẽ vnicũ Allobrogũ dominatus effugiũ, præſidiũ, & tutamentũ Gallicum præſi-

Granoble. Gallus Rex Sororem inuiſit.

Cardinalis Richelij artes.

præſidiū ſub Taurini præfecti imperio inducere pateretur. Hoc tàm acerbæ, importunæq; petitionis icta vulnere Dux Mater obmutuit; ſubito effuſi ex oculis lacrymarum riui Regis certè animum mollierunt, ſed Richelij rigorem, duritiéq; aſperarunt; qui cum Mulieris cōſtantiam non poſſet impellere, ratus id ex aſſidentium illi purpuratorum conſilijs proficiſci, ſuadētium, ne vnquam tam iniquæ, pernicioſæq; petitioni indulgeret; eos duriùs habere, toruoq; aſpectu intueri, ijs minari, terrereq; vt Matrē Ducē ad ſibi gratificandū adducerēt: quā acrioribus hortamētis adortus, aiebat, in tāto rerū ſuarū diſcrimine illi nihil tutius futurū, q̃ ſi omninò ſe Regis ſui fratris fidei, poteſtatiq; cōmitteret; illā vndiq; inteſtinis ciuiū inſidijs petitā, atq; à Principibus oppugnatā nullū ſecurius, q̃ in Rege fratre ſubſidiū habiturā. *Dux Mater Cardinalis Richelij petitionibus obſiſtit.*

Verum neq; Matris Ducis animum hortamenta mouere, neq; minæ, aſpectuſq; toruitas, aut verborū aſperitas miniſtrorū fidē labefacere potuerūt: & quòd magis Richelij indignationē efferauit; Allobroges Gallorum eius arcis à Matre Duce poſtulatione præſenſa, veriti ne illa, vt ſuo fratri Regi faceret gratum, in eam Gallicum præſidium immitteret; ipſi occupāt, inſidentq; frequentes certi mori magis, quā ſinere eā Gallicis armis vſurpari. Allobrogiq; imperij ſedē, & propugnaculū in inuiſæ gentis ditionē venire. *Eius conſtantia.* *Allobroges Momiliani arcem occupant.*

Cardinalis Richelius tum demum impotenti excāduit ira, cum ſua omnia deſtinata euerſa Ducis Matris animi firmitate, vectigaliumque fide diſcuſſa vidiſſet. Itaq; ferox animi vltionem anhelans illius perniciem, exitumq; irato animo verſat. Principi igitur Thomæ, qui ad Regem, & Cardinalem Meſſerati comitem legarat; vt per fidiſſimum miniſtrum de ſibi amplitudine promiſſorum cum illis ageret: non ſolum pollicita firmat, ſed etiam longè maiora promittit, dummodò Taurinorum Auguſta Hiſpanos exigeret. Addidit inſuper ſe effecturum, vt Dux Mater in Allobroges ſecedere cogeretur; relicta illi integra, liberaq; rerum adminiſtratione. Verū Princeps Thomas veritus ne exitus pollicitis reſponderet, aut ſperare non poſſet, ſe pluris Gallos, quàm Ducem Matrem facturos, de ſua ſententia dimoueri non potuit. Meſſerati comes Hiſpanorum ſtudioſiſſimus eadem in illam gentem propenſione Principis animum imbuerat. Itaque Regi Gallo reſpondit, ſe nulla oblata accepturum, niſi etiam ſe Hiſpani Regis amicitiam colere, aut à neutris ſtare pateretur; quòd cum Gallus omninò recuſaſſet (ampliſſima enim Principi obtulerat, vt illum ab Hiſpani Regis ſocietate diuelleret) ea tranſactio ſperati fœderis euanuit. Attamen oblatorum amplitudine ita Principis animus erectus eſt; vt præſentem rerum habitum indignaretur; licet enim ab Hiſpanis illi regius honor haberetur, qui Hiſpaniarum Infantibus, & Regis conſanguineis ſolet impendi; cætera tamen priuati equitis fortunam tolerabat; nullo certo ad ſuos domeſticos alendos ſibi addicto prouentu; nullo libero, vt Principem decebat, armorum imperio: & quamuis Rex Hiſpanus pactis à Leganio cum Gallis iratus inducijs illi præceperat; vt nihil niſi de Principis conſilio moliretur: nihilominus, aut arcana iuſſa aliud edicerent, aut ad *Cardinalis Richelij aliení eluſa cupido.* *Ampliſſima Gallorū ad Principē Thomā promiſſa.* *Princeps eorum promiſſa recuſat.*

Dd 2 ſola

Inter Principem Thomam, & Leganium diſſidia.

ſola Principis conſilia mandata reſpicerent; omnia pro arbitrio, inconſulto etiam Principe, peragebat: quo acriter Principis animus pungebatur, gliſcebantq; mutuo inteſtina diſſidia. Quamobrem Princeps Leganij indignatus imperium poſtulat, vt ſibi iuſtus daretur exercitus, quo ſeorſim pro ſuo arbitrio bellum gerere poſſet; & certi prouentus, & pecuniarum penſiones ad ſe, ſuamq; familiam alendam addicerentur.

Thomæ Principis poſtulata.

Quæ Principis poſtulata, vt ęqua fortaſſe, ita ob pecuniæ inopiam, militumq; paucitatē difficilia conceſſu videbantur. Sed ne repulſis Principis animum iam Gallicis tranſactionibus in fide nutantem penitus alienarent, Siruelæ comiti integrum datum, vt Principis vota, ſi fieri poſſet, impleret. Ille Principē adit, de optima Hiſpani Regis in eum edocet voluntate. Illa tamēn verborum officia intra duntaxat pollicita fuere: cum Siruellæ comes non è ſui Regis dignitate eſſe putaret vlterius ſe in hæc negotia ingerere; niſi Priuceps Thomas ratas haberet, obſignaretq; tabulas, quibus ſua vxore, & liberis, fideiq; pignoribus

Hiſpanorū poſtulata à Principe Thoma.

Hiſpano Regi traditis, præſidi Coſtę præceperat, vt ſe, ſuamq; familiā Regis fidei, tutelæq; cōmitteret: quòd cū Princeps facere recuſaſſet, à quacūq; re cū eo tranſigenda ceſſatū eſt. Leganius tamen ad leniendū Principis animū, cōtinēdūq; ī fide largiꝰ pecuniā, cōmeatuſq; ſufficiebat; eiuſq; de reb. bellicis impenſius, quā cōſueuerat, cōſilijs obſequēs illū ſolito honorificētiùs habebat; vt quòd cōuētorū virtute obtinere nō poterat; re ipſa aſſequēdo cōſtātior erga Regē Hiſpanū fide perſiſteret: quibus Princeps obſequijs delinitus maiorū etiā progreſſuū ſpe detētus animū iā Hiſpanos auerſātē pacauit.

Alſatia.

Longauilla in Triboces contendit.

Durante induciarum fędere in Triboces profecto cum ſuo agmine Longauilla, Cardinalis Valletta tot aduerſis ſub ſuo copiarum imperio, ductuq; euentis extabuit: eius fratre Candalis Duce ſeptem ante menſibus domi lethalibus morbis abſumpto. Quare Rex Gallus ſuis in Italia copijs Henricū Lotharingum Harcurtij comitem ſumma cum poteſtate præfecit;

Harcurtius Gallici exercitus imperator.

qui Gallicæ claſſis paulò ante ſupremus Nauarchus Narbonenſis Galliæ inſulas exactis Hiſpanis fęlici conatu recepit. Hic in Taurinos ingreſſus paulò antequàm exirent induciæ: quamuis inſtanti Apoſtolico Nuntio, vt proferrentur, ſe aſſentiri, indulgereq; ſimulaſſet, vt Leganium earum prorogationis ſpe deſidem in bellicis apparatibus expediendis, negligentemque faceret;

Harcurtij ſagax conſilium.

tamen ſtatuerat in arcano elapſis inducijs, ſtatim bellum acrius inſtaurare. Leganius è contra horrere videbatur inducias; ſed nihil magis votis omnibus exoptabat. Princeps verò Thomas, vt ſemper Martis amans pernicioſam damnauit quietem; ita finitis inducijs, ferocior in arma proſilijt. Admonito Leganio, ne lenibus hoſtium, & mitibus verbis ſe fineret circumueniri; pararet arma ad ſubitos hoſtium incurſus, quibus ſe quati vix finitis inducijs, ab hoſtibus ſenſurus erat. Verum Leganius, aut quietis deſyderio, aut quòd bellicis impenſis parcere peroptaret, ęgerrimè

Leganij ſpes vana.

ibat in arma; pręſertim cum Harcurtium hęrere perpetuò Nuntij lateribus induciarum prolationē ſuadentis aſpiciēs ſperaret ab eo de trahendis in lōgius inducijs agi: ſed cū allatū fuiſſet Gallicas copias, quæ in circūiecta loca

æſtiua-

Digitized by Google

æſtiuauerăt, paulatim vndiq; ad ſuum ſupremum Ducem Carmaniolæ verſantem coire; tum demum ſua ſpe deluſus cognouit, Gallos bellum, non inducias animis agitare: quamuis Harcurtius omnibus artibus ſimularet ad fallendum Leganium, ſe induciarũ paciſci fœdus optare. Sed laruam ori detraxit, cum vltimo induciarum articulo citatum nuntium ſubmiſit: qui ſe iuſſum a Rege in Italiam magnis itineribus feſtinare mentitus abſciſſa mãdata Regis afferret; vt reiecto induciarum negotio, bellum proſequeretur. *Harcurt aſtutia.*

Iam Galli, quando fictus nuntius accurrit, inſtructi ſuis ordinibus ſtabant, eò profecturi, quò Harcurtius imperia edicerent: eodemq; momẽto dimiſſo Apoſtolico Nuntio, inducias inter bellantes paciſci cupiente, iuſſit Montemcaſerium verſus ſigna conuertere. Nouem erant bellatorum millia; ad ſeptem peditum, cęteri equites cum Taurinorũ agmine, quod Demarchus Villa adduxerat. Leganius præter ſpẽ trãſactionib. induciarũ reſciſſis Aſta egreſſus Prætoriã Auguſtã promouit exercitũ: ibi certior factus à Principe, Gallos Cherium iter intendere, monitus eſt etiã, vt propius vicina Cherio loca vniuerſis copijs accederet, ex tuto hoſtiũ cõſilia exploraturus: dũ ipſe interim Taurinorum Auguſta cũ duobus peditũ millibus, & equitibus ſexcentis egreſſus per colliũ dorſa ad Cheriũ duceret: vt cũ à fronte, & à tergo ancipiti pugna hoſtis quati poſſet, nõ erat de victoriæ certitudine ãbigẽdũ. *Galli expediti in armis.* *Leganius mouet è ſtatiuis.* *Villa Franca.*

Cherium frequens oppidum opulentum, diues amplo circuitu Caſali ferendis ſubſidijs opportunum, & idcireò ab Harcurtio expetitum, vt inde munitiſſimæ arci rerum Gallicarum in Italia tutiſſimo propugnacula auxilia ſubmitteret: in quòd omnia præſentia conſilia collineabat. Sub Induciarum finem Princeps Thomas quingentos Germanos Fortmeſtre chiliarcho, & aliquot equitũ turmas Cheriũ iuſſerat feſtinare; vt ſi Harcurtius illud oppidum peteret, Gallorum impetũ propulſarent: exiguũ certè ad tantam mœnium circuitus amplitudinem defendendam numerum propugnantiũ. Leganius Principẽ Pretoria Auguſta monuerat, ſe copias propius Cherium promoturũ, proinde ipſe quoq; Taurinorũ Auguſta prodiret, vt hoſtem mediũ ab vtroq; exercitu deprehenſum faciliùs conciderent. Hoc mutuo vtriuſq; Ducis conſenſu ſalubriter deſtinatum erat Gallos certiſſimè perditurum; niſi prudentia, ſanaq; conſilia plerunq; inopinati bellicæ fortunæ ſucceſſus euerterẽt. Leganius ad tumuli radices inter ſuas, Harcurtijq; copias ſurgentis peruenerat; qui etſi non admodũ ſublimis, Hiſpanici tamẽ exercitus aſpectum Gallis, oppidaniſq; adimebat; quo nec Hoſtibus Hiſpani terrorem, nec ciuibus fiduciam, ſpẽq; afferrebant. Subſtitit ibi perniciosiſſima cunctatione Leganius, nec vltra collẽ illum eo die copias traduxit; ſed in ſequentem diẽ, ignotũ, quo cõſilio, tranſitũ diſtulit: quòd ſi eodẽ die Harcurtio ſe cõſpiciendũ prębuiſſet; nequaquã ille metu ne à tergo, & ab oppidanis à frõte inuaderetur; contra oppidũ aliquid hoſtile tẽtaſſet: & præſidiũ vicini ſubſidij cõſpectu, oppidaniq; animati diutiùs, & cõſtãtiùs oppugnantibus obſtitiſſent. Accedẽtibus Gallis ſex equitum turmæ ex oppido, quã pro numero animoſiores erumpunt; leuiq; prælio quatuor horas *Cherium petitur à Gallis.* *Leganius Cherium accedit.* *Leganii mora damnoſa.* *Galli Cherium ſubeunt.*

 diſti-

Digitized by Google

diſtinent Gallos, qui validi quadringentorum equitum ala incumbentium impetum tam diu ſuſtinent; donec reliqua copiarum aduentante mole, ne multitudine hoſtium obruerentur, ſtipatis ordinibus ſe verſa ſemper in hoſtem fronte, recipiunt; ſed ab oppidanis veritis ne Galli inſequentes immiſti in vrbem ſimul irruerent: clauſis portis, excluſi laxatis habenis celeri ſe Taurinorum Auguſtam curſu proripiunt, in quam nullo hoſte inſtãte, incolumes ingreſſi Cherio imminens periculum nuntiant. Galli vrbi in ſuos ordines circumfuſi protinus tormentarijs tumulis extructis, in mœnia tormenta librant: ſed oppidani veriti patriæ direptionem, cum exiguum præſidium præ mœnium circuitus amplitudine foret, eadem nocte inſcio Germano chiliarcho, deditionem paciſcuntur, Demarcho Villa ſequeſtre. Poſtera die Princeps Thomas propè Cherium cum ſuo agmine prouectus in collium vrbi imminentium dorſo Germanorum præſidium dedito Cherio, egreſſum ad ſe venire conſpiciens eo repentino, inopinatoque attonitus euentu de Leganij mora cõqueritur. Leganius quoque tranſmiſſo tandem eo tumulo, quem inſederat, deditum Cherium cognoſcit. Ambo de certæ ingenti ſpe victoriæ deiecti, conficiendi hoſtis opportunitate turpiter præterlapſa, dubij hæſitant, quid conſilij ineundum eſſet.

Præſidiarij in Gallos erumpunt.

Galli Cherium oppugnant.

Cherium Gallis deditur.

Harcurtius cum Leganium adeſſe, procedereque propiùs accepit, relictis Cherij impedimentis, & tormentorum apparatu, compoſito agmine conflicturus aduerſus Hiſpanos ſtrenuè prodit. Leganius duo ingentia equitum agmina cum aliquot moſchettarijs in Gallos emittit, vt primos hoſtium ordines aggrederentur; iuſſitque Ioannem Garaium reliquas copias in aciem inſtruere. Equites in Gallos inuecti ſtrenua pugna decertant, iamque vtræque acies collatis ſignis præliaturæ erant; cum Harcurtius cognito Principem Thomam demiſſo in plana è collium iugo agmine, gradum intendere, vt ſe à tergo aggrederetur, veritus ne ſe medium interciperent hoſtes; conuerſo exercitu, denſatis ordinibus, ſe Cherium imminente ancipitis prælij diſcrimine ſubduxit. Oppidani dupplici crimine obſtringebantur, properatæ nimis turpiter deditionis in tanta duorum exercituum ſubſidium ferentium propinquitate, deinde perfidiæ, quòd non Principem Thomam per arcanos nuntios de hoſtium in Leganium egreſſu monuiſſent: Harcurtio enim vrbe profecto, poterat ille Gallorum ſarcinis, & tormentis cum deſerta vrbe, nullo amiſſo potiri, ſuiſque mox Leganio viribus iunctis, hoſtem medium intercipere. Leganius vbi conficiendi hoſtis præteruolaſſe opportunitatem vidit, Santennam inter Carmaniolam, & Cherium vicum ſeduxit exercitum, vt hoſtem laxa quaſi obſidione ad famem vrgeret; quem ſciret primo in Cherium ingreſſu plurimos commeatus profudiſſe, nec aliunde eos, quàm Montecaſerio, aut Carmaniola poſſe accipere: quibus in ea ſtatione morantibus copijs, illum facilè poterat intercludere. Hoc incommodum præcauens Harcurtius turmas circumquaque frumentatum emiſit, & quadringentos equites per collium culmina Caſale contendere iubet; qui fœliciter, nullo obuio, iter emenſi,

Galli aduerſus Hiſpanos procedunt Vrbe

Hiſpani cũ Gallis equites pugnãt.

Gallorum receptus à pugna.

Cherij ciues perfidia inſimulantur.

Digitized by Google

emenſi, niſi quòd ad Gazzinum Pagum aliquot turmarum Principis Thomæ Mauritio ſummo eius præfecto occurſu aliquantiſper leui prælio impediti, diſiectis ſtrenuè hoſtibus, Caſale incolumes ingrediuntur, quòd erat Harcurtij votorum præcipuum. *Subſidium Caſale ingreditur.*

Demarchus Villa, vt Cherij incolas farinæ penuriâ leuaret, cum vniuerſo Matris Ducis equitatu oppido egreſſus Principem Thomam ſexcentis equitibus omnia procurſibus populantem prius inuadere cogitauit; inde Carmaniolam proficiſci, vt collectis vndique commeatibus, & ſecum auctis laboranti Cherio ſuccurreret. Molendina enim non vicina modò, ſed longinqua etiam Leganius euerterat: cogebantur ideò Galli emiſſis per vicinos colles equitum turmis, quàm poſſent maximam farinæ copiam incolis ereptam in oppidū conuehere: & ne frumentationes hoſtiū vicinitas impediret; aliquot equitū turmas aduerſum eorum frontem cōſtituunt, vt illi rati totum hoſtilem exercitum adeſſe, ſe intra ſuas ſtationes cōtinerent. Verum Leganius valida equitum ala in hoſtiū turmas iuſſa erumpere, poſt ſtrenuam, cruentamque pugnam, eas fuga repetere Cherium coegit: quæ vt fugæ dedecus aliquo forti belli facinore detergerent: noctu Poirinum ſilenti agmine progreſſæ equitum ſtationem ibi Gonzaga præfecto ſtatiua habentium audaci impetu aggrediuntur. Aizaldus turmæ præfectus tunc agens excubias irruentes infatigabili pugna tam diù propellit, donec cantato bellico, cæteri ſtratis exciti ſe pugnæ expediunt: omneſque ſimul denſo agmine in aggreſſores incurrunt; atq; in fugam cruento edito certamine per cæcos noctis errores auertunt: erepto ab eorum manibus Aizaldo, iam captiuo, & capitis vulnere ſanguine fluente abducto. *Cherium farinæ inopia laborat.* *Hiſpani cū Gallis velitantur.* *Galli Hiſpanos aggrediuntur.*

Inualeſcebat interim Cherij fames, Leganio omnia itinera, quibus commeatus inuehi in oppidum poterant, firmis equitum, & peditum cuſtodijs, & ſtationibus obſidente; ſubruenteq; molendina, atq; omnes commeatus fuſis Gallis cuſtodibus, eripiente. Aliquam annonæ copiam Demarchus Villa in oppidum induxerat; ſed admodum ad tantam inopiam ſubleuandam tenuem, vtpote trecentorum equitum impoſitam clunibus equorum inuectam. Erant Cherij omnium Gallicarum virium robora, neruique collecta, quæ ſi fame enecta, confectaque ibi ampliùs perſtitiſſent: aut pereundum erat, aut fęda deditio facienda, accipiendæq; ab Hiſpanis victoribus leges: vtrum accideret pernicioſiſſimum futurum. Nam & Matris Ducis res Gallorum ſubſidijs innixæ, his corruentibus labebantur; & Caſalis arx auxilijs deſtituta ceſſura erat Hiſpanorum arbitrio: nec è Gallia vlla poterāt expectari militum ſupplementa: Rege in Laletaniam, & Germaniam omnes regni vires impendente. Harcurtuis ita tot anguſtijs, & difficultatibus deprehenſus animum ab ipſa diſcriminis magnitudine ſumit; propoſito ſibi magis ſeruato bellicæ laudis decore, glorioſè mori; quàm munitiſſimas arces Gallici imperij in Italia firmiſſima propugnacula, hoſtibus turpiter dedere: aut iniquas ab ijs conditiones accipere: ratus magnis auſis propitiam fore fortunam. *Leganius Cheriū fame vrget.* *Harcurtij magnanimitas.*

Dd 4 Triſa-

Chiuas.

Triſariam poterat ſe ijs difficultatibus expedire: illi namq; Clauaſium eadem via copiæ deducendæ erant, quà ſibi commeatus aduehendos curauerat; nam cum per eam firmus, & iuſtus ferè exercitus profecturus eſſet; parum erant hoſtiles incurſus timendi, hoſte tot vires aggredi non auſuro, atque inde arx Taurinenſis ineunda; quòd ſi hinc, inde prementibus hoſtibus, decretum exequi prohiberetur: per Clitellarum colles ſuſcepto itinere, Alba Pompeia petenda erat: vel Carmaniolam, quod omnium periculoſiſſimum putabatur, per medios hoſtium exercitus proficiſcendum, quibus à fronte, & à tergo cædentibus, manifeſta clades accipienda erat.

Harcurtius Carmaniolam mouet.

Placuit tamen Harcurtio Carmaniolam ducere damnatis cæteris vijs: nam ſi Clauaſium per anguſta itinera, & collium ſalebras palantium more ſolutis ordinibus tendentibus copijs hoſtis inſtitiſſet; tormenta, & ſarcinarum plauſtra amittenda erant: ſi per Clitellarum collium obliquas, & difficiles vias, & per hoſticum Albam Pompeiam duxiſſet exercitum, verendum erat, ne ſi Leganius preſſiſſet euntes, copiæ conciderentur. Carmaniolam igitur tutiori conſilio ſtatuit proficiſci: quocirca ad fallendum hoſtem ſæpiùs falſo tubarum cantu vaſa iuſſerat conclamari: inde

Harcurtius clam hoſte diſcedit.

accidit, vt cum verè eodem ſonitu diſceſſum edixit; hoſtis ratus illum de more iocari, iiſdem fictis tubarum clangoribus, Gallorum profectu non aduerſo, diſcedentibus non inſtiterit; & Harcurtius magno viarum ſpatio cum

Hiſpani abeuntem inſequuntur.

toto exercitu anteuerterit, priuſquàm Leganius, & Princeps Thomas Gallos abijſſe cognouiſſent: accitis tamen vndiq; peditum, & equitum agminibus, ſparſim per pagos, & villas ſtatiua habentibus, Leganius abeuntem hoſtem inſequi ſtatuit: verum in ſpeciem magis, quàm vt illum aſſequi cuperet: ſiquidem cum illi recta, breuiorique via Poirino Santennam eundum eſſet, quàm ſi inijſſet, hoſtem medio itinere adeptus illata plaga fudiſſet, ille capto longo, quo nam cõſilio, incertum, circuitu, niſi ad ingruentes noctis tenebras Gallos aſſequi potuit: equitatum tamen reliquum agmen præuertere iuſſit; vt extremos hoſtium ordines velitationibus detineret, donec reliquæ copiæ accederent: ſed ille quoq; ſero nimis hoſtem ade-

Inter Principem Thomam, & Gallos pugna.

ptus iam cum Principe Thoma pugnantem, collocatis opportunè à Gallis in poſtremo agmine tormentis, laceratis frequenti miſſilium iaculatione ordinibus, repulſus eſt. Vrgebat pro ſe acri prælio Gallos Princeps iam põte, quem cladis vocant, à cæſis ibi quondam eius gentis copijs, potitos, ſperans idem facturos Hiſpanos, daturoſq; in hoſtium terga impetum; verum cum tantum primæ equitum cohortes accurriſſent, & Galli veriti Hiſpanorum aduentum, ne medij interciperentur, fortiſſimè dimicarent: tantum non Princeps Thomas extremum vitæ periculum adijt ſtrenuiſſi-

Principis Thomæ vitæ diſcrimen.

mè pro ſalute præliantibus Gallis, pontẽq; aduerſus hoſtium impetum, irruentiumq; turmarum incurſus ſtrenuè retinentibus: quæ tamen ad Hiſpanici equitatus intuitum remiſſa pugna, totum rati adeſſe exercitum deſe-

Galli recedunt.

ruerunt: deſertumq; protinus occupat Princeps, & parmulis, & propugnaculis vtrumq; aditum munit. Leganium offuſæ ceca noctis obſcuritas, regio

dumis,

Digitized by Google

dumis,ac ſtirpibus impedita, interfluentium vias aquarum frequentia,riui vbiq; ſcaturientes perenni humore madente ſolo diſtinebant;ne Harcurtiũ adhuc cum Principe dimicantem inuaderet; quòd ſanius conſilium putaret in poſteram lucem ſecuram victoriam,quam copias in nocturnæ pugnę diſcrimina conijcere;quæ tenebrarum horrores parere ſolẽt.Harcurtius in ancipiti periculo ſe conſtitutũ formidãs copijs vndiq;hoſtilibus clauſus,ne cunctando in lucem ab vtroq; hoſtium exercitu peteretur, nocte cõcubia tanto impetu in Pontis excubias,& cuſtodias inuehitur;vt quamuis per vulnera,& cædes ad amiſſum pontem perrumpendum eſſet,tamen acerrimo prælio deiectis præſidiarijs cohortibus, parto pontis aditu, ante lucem copias in tutum traduxerit. Vbi diluxit Leganius certiſſimam victoriam ſibi execranda ſemper in Ducibus cunctatione præreptam,quam totam noctẽ ſibi fidenti animo figurarat,ingemuit: qua finem tot bellorum laboribus,& malis proculdubio feciſſet.Huius exitus pugnę,vt Harcurtio ſummę laudi, & gloriæ:ita Leganio exiguo decori fuit.Princeps Thomas maximè omniũ de eius pernicioſa mora cõqueſtus amiſſam eius culpa victoriam incuſans, ſuæ iam impotens iræ Leganij affectatos viarum longiſſimos flexus, & errores inceſſus tarditatem acribus conuicijs lacerabat:quòd hoſtem mediũ prehendere noluiſſet,qui ancipiti pugna diſtractus facile vndiq; circumfuſis cędentibus copijs fuſus,confectuſq; fuiſſet: immo Principe viribus inferiori cum validiori hoſte pugnante deſerto,rerum ſummam in manifeſtum diſcrimen dediſſet.Iiſdem omnium ducum plurium etiam Hiſpanorum criminationibus proſcindebatur;cauſam ignorantium,cur longiori via enormi circuitu peracto, cum poſſet breuiori hoſtem inſequutus fuiſſet: etſi nõ deerant aliqui iacta in Leganij cunctationem,& moram conuicia,& ſcommata refellentes,cautioris Ducis prudentiæ obtentu hoſti fugienti aureos pontes ſatius eſſe ſternendos;quàm cum ſuę ſaluti deſperantibus dimicare. Hoſtem Cherio nullo ſtricto enſe decuſſum fugaſſe Gallos in nulla pugnæ pericula copijs immiſſis: quibus Hiſpanorum applaudebat ingenium campeſtria prelia pro viribus euitantium.Sed omninò damnabunt bellatorum iudicia Leganium,quòd cum vno ictu conciſis Gallis,& Italiam eorum infeſtationibus ſoluere,& tantopere cupitam Caſalis arcem adipiſci,& Taurinorum Auguſtam metu liberare, bellumq; prorſus conficere, & ingens ſibi bellicæ gloriæ decus parere,ſuiq; Regis in Italia res ad ſummam exiſtimationem,inconcuſſamq; ſecuritatem euehere potuiſſet; deteſtanda omniũ ſermonibus mora,turpiq;horrore pugnæ omnia fœdiſſimè corrupiſſet.

Harcurtius egregia virtute Gallicas copias periculo explicat.

Princeps Thomas de Leganij doloſa mora cõqueritur.

Obtrectationes contra Leganium.

Commoda à Leganio contempta.

Quare irata fortuna, quòd à ſe oblatam victoriæ parandæ occaſionem ingrato animo repuliſſet; illi deinceps refragari, aduerſariq; cępit tanquã ſuis fauoribus,& ſtudijs indigno:non enim ampliùs poſtea ſibi propitiã,ſecundamq; ſenſit. Sed eiuſmodi eſt bellicæ ingenium fortunæ, vt ſi ſemel in aliqua fęlici opportunitate peccetur, cætera quoq; cum ipſo implicita errore labantur: ab vno enim ſiue proſpero, ſiue aduerſo ſucceſſu plurima pendeãt,quæ ſui initij fortunam ſequentia eodem caſu feruntur.

Leganius

Digitized by Google

Leganij receptus.

Leganius elapſo ad Carmaniolā Harcurtio, Albam Pompeiam, Niciæq; verſus capeſcit iter, vt ab omnibus Montisferrati oppidis Gallos extruderet premiſſo interim caſtrorum præfecto Æmilio Ghiglino, qui eos Vezzemio, & Bubbio viciniis caſtellis expelleret; ſed cum ſe illi conſtantiùs, & diutiùs opinione tuerentur: Caracena Leganij iuſſu cum ſua legione, & aliquot tormentis eòdem profectus triduo caſtellis ad deditionem compulſis, Gallos ex ijs locis exegit. Leganius validis præſidijs Taurinis arcibus firmatis, relictiſq; ad quinque peditum millia, & equitum mille Bolognino Caſtrorum præfecto Duce, qui Principis Thomæ facerent imperata, cum reliquis copijs appetente iam hyeme, ſe in Inſubres recepit, copiaſq; in hyberna dimiſſit.

Hiſpani Gallica præſidia de caſtellis deturbant.

Hoſtilia inter Taurini arcem, et Vrbem.

Nec hoſtilia interim præteritis inducijs inter Taurinæ arcis præſidiarios, vrbemq; ceſſauerant; illi actis cuniculis, obiectiſque aggeribus, ciuium clanculum munimentis acceſſerant: ſubrutoq; cuniculi flammarum violentia medio munimento, pugna velitatione maior exarſit, qua arcis præſidiarij victores propè vrbis munimenta poſuere ſtationem; à quā niſi nocte ſequenti deijci potuerunt; qua Principis milites cuniculi impetu euerſis præſidiariorum ſtationibus, inde cruento certamine pepulerunt. Tormentorum miſſilibus res agi mox cępta eſt; quorum pulſibus ingentem maioris fori turrim præſidiarij demoliri fruſtra diù conati tandem iteratis bis millies verberationibus diruerunt: illa ſublata moleſtia tutiores, quòd arcis ędes, viæ intra ipſa domicilia telis milites peterentur. Viciſſim ciues tormentorum ictibus arcis maſculum proſternere nitebantur, ex quo ſupernè inceſſentibus præſidiarijs vrbis tecta miſſilium iactibus ſternebantur: verum hoc tantum globorum pulſibus abraſum, quantum ſatis ciuibus erat, ne à ſublimiori poſitu ferirentur. Nec tormentis tantum; ſed etiam ſclopis maioribus pugnabatur, quorum glandibus confoſſi plures quotidie vtrinque cadebant. Dum milites quotidianis concertationibus velitantur, foſſores quoque duobus ingentibus eductis aggeribus, nouam, veteremque vrbem ab arcis miſſilibus texerant; protenſis in latera propugnaculis è quibus arcis munimenta, tectaque feriebantur.

Turris maioris fori diruitur.

Harcurtius à cladis pontis certamine, ne in ipſo quoque hyemis rigore deſes quieſceret, vago circa loca diſcurſu Principum imperio parentia admoto armorum terrore ſubegit. Taurini Gallorum conſuetudinem, ſocietatemq; peroſi, ad arma conſternati pecuniarum penſiones, illis metiri conſtantibus animis recuſabant; propenſioribus animis in Principum partes eorum imperium indignati. Princeps quoque Thomas, ne equitatus Taurinorum Auguſtæ ſegni otio torpeſceret, in circumiectos Clauaſio campos excurrere iubet; quo factum eſt, vt expilatis circum agris, direptaque regione, oppidum annonæ inopia premeretur. Sed mutuis hoſtilibus vtriuſque exercitus cohortes, & turmæ, nec adulta impediente militares auſus hyeme, lędebantur. Nam quinque equitum turmæ ferè repentino quadringentorum equitum Caſalis incurſu ferè protritæ, conciſæq;

Gallorum excurſus ex hibernis, et profectus.

Se inuicem hoſtes, & Taurini perſequuntur.

Digitized by Google

ciſæq; ſunt; quæ cum Conſtantianæ Leganij iuſſu hybernantes Canabinam regionem remiſſiori militari diſciplina cuſtodirent; egreſſum Caſale quadringentorum equitum agmen eas incurioſè, ac ſegniter agentes inuadunt; maioriq; equitum parte cæſa, reliquos captos abducunt, paucis admodum fuga dilapſis. Nec tamen inter ipſa hoſtilia à pacis ſequeſtribus de conciliandis cum Matre Duce Principibus negotia intermiſſa ſunt. Verum mortalium fruſtra in pace componenda luditur opera: vbi belli malis, & cladibus cæleſtis ira populos damnat: quæ niſi debitas ſcelerıbus pœnas prorſus exegerit; nunquam pace terras belli calamitatibus leuat: ſed tam diù premit, donec merita omninò ſupplicia luerint. *De pace inter hoſtilia agitur.*

Angebat maximè Principes munitiſſimas Taurinorum arces Hiſpanicis alias, alias Gallicis præſidijs teneri, ex quibus ea expelli arduum omninò, ac difficillimum futurum eſſet: ſibiq; maiori auiti dominatus parte euerſis, ab vtriuſq; gentis pendendum arbitrijs, atq; in earum vel inuitis poteſtate durandum. Victoriarum fructum non ſibi, nec Duci nepoti, ſed Hiſpanis ceſſurum ſuo Regi bellantibus. Hoc liquido patuiſse deſerto in periculoſiſſimo ad cladis Pontem certamine Principe Thoma: cui ſi pugnanti Hiſpanicus exercitus affuiſſet; proſtrato internecione hoſte, inſigni parta victoria, bellum penitus profligaſſet. Addebatur pacti in ipſa Taurinorum Auguſta obnitente cõtra totis conatibus Principe, induciarum fœderis importunitas, & pernicies: & quod omnium maximè ſuſpecta Hiſpanorum conſilia, atque arma faciebat, eorum pertinax, & obſtinata contentio, vt in ipſam Taurinorum Auguſtæ arcem Hiſpanorum præſidium induceretur: quo eorum potius horrenda Principibus erant auxiliaria arma, quàm aliquid ipſis fidendum, aut ſubſidij ſperandum ad ſuum maius exitium, quam opem, leuamemque ſpectantibus. Eędem Matris Ducis animum curæ torquebant hoſtilibus armis acriùs, potentiùſque concuſſæ, & ſocijs, fœderatiſque imbecillis auxilijs adiutæ, & ab vtriſque præcipuis arcibus, ipſaque regia vrbe imperij ſede mulctatæ. Augebat eius anguſtias Richelij Cardinalis acerbitas iniquiſſima poſtulantis, quæ ſi illa facere recuſaret, acerbiora, ſæuioraque intentabat. His igitur malis actis ad pacem propendentibus animis, cum æque ſibi ab Hiſpanis, ac Gallis inſidias necti, ſuiſque ditionibus inhiari conſpicerent: de pace conſtituenda totam hyemem inter ipſum armorum concurrentium fragorem per ſequeſtres tranſigi nunquam deſitum eſt. Verum hæc ſana conſilia maiorum ſpes rerum, imperijque cupido prorſus euertit. Principes Hiſpanicis armis nullo ſuo impendio ad eam potentiæ, authoritatis, opumque amplitudinem prouecti, quam ſibi ſuorum votorum metam propoſuerant; verebantur, ne compoſita pace, omnes terras, in quibus nullo imperij riuali dominabantur, Duci nepoti, vel Matri reſtituere cogerentur. Princeps Cardinalis Niceæ vrbi, eiuſque arci, vrbibus Cuneo, MontiqueRegali, Cebæ ditioni, atque omnibus Taurinis, qui Carmaniola ad mare vſque Liguſticum protenduntur, pro arbitrio imperabat. Princeps Thomas Aſtam vrbem

Principum mordaces curæ.

Principum de Hiſpanorum ſimulatione formido.

Matris Ducis angores.

Imperij cupido Principes ſana inire conſilia prohibet

Digitized by Google

Val d'Oſta. vrbem cum ſuo agro, Tridinum cum Canabina regione, valles omnes cum Eporedia, & Bugellis, Salaſſijs, ipſamque Taurinorum regiam obtinebat. Earum populis danti iura tributa, vectigalia, prouentuſque pendebantur, illi præſides prætores vrbibus præficiebant. Populi eorum partium ſtudioſi nemine reclamante, hilariter imperata faciebant. Ab Hiſpano Rege militum ſtipendia in præſentia bella, & ad domeſticos ſumptus, alendaſque familias pecunia ſoluebatur. Impellebatque potentius eorum animos ampliſſima Galli Regis oblata, vt deſerta Hiſpanorum ſocietate, ſecum fœdus inirent. Quare Principes prima cum hac ſua præſenti fortuna collata, & quales futuri eſſent, ſi ditibus dominatibus relictis, ex paciſcendæ conditionibus pacis ſe Mulieris imperio, regiminique ſubijcerent: non poterant adduci, vt præſentis fortunæ ſplendorem, potentiamque desererent, & poſtea à Matre Duce precaria ſuarum alimenta familiarum acciperent. Quod ſi à Mediolani produce Taurinorum Auguſtæ arcis quoque primo vere poſſeſſio daretur, omnium optatorum ſummam aſſequutis ſibi gratulaturi erant. Nec fęlicium euentorum ſpes illis inanes, vanæque videbantur; Hiſpanis imbecillas in Italia Gallorum vires potentibus prægrauantibus armis. Quamobrem contemptis periculis, quæ pro-
Principes pacē auerſantur. cedente tempore eorum deſtinata fallere poterant, præſentem rerum habitus nitorem futura tenui ſorte mutare, atque ab eo penè regio culmine in humilis, priuatæque fortunæ conditionem ruere auerſati, aures à pacis ſequeſtrum vocibus, & monitis auertebant: etſi ad alendam populorum ſpem, expectationemque pacem petere viderentur, eam tamen bello magis auerſabantur. Neque dux mater, etſi tot hoſtium validis armis vrgeretur: poterat niſi ijs conditionibus aſſentiri, quæ ſuam dignitatem, filijque Ducis commodum, incolumitatemque ſeruabant. Hoc ſpectabant Principes, vt rem omnem ad quemdam triumuiratus imperium ad-
Principum deſideriū. ducerent, quo ipſa pariter vna cum ijs æquali iure, authoritate, potentia populis imperaret: quòd ſi Principes aſſequuti fuiſſent, quæ Matris Ducis in eo tripartito dominio omnia pro arbitrio moderaturis Principibus, authoritas futura erat? Tutiori igitur, ſaniorique conſilio in fratris fidem, arbitriumque concedere, ſeque eius poteſtati permittere arbitrabatur, quàm imperij authoritatem cum Principibus ſuis atrocibus hoſtibus, potentiamque partiri. Quare cum ab vtriſque propoſita veluti pernicioſa reſpuerentur, nihil de pace ſancienda potuit conueniri. Nec miſera peri-
Sanciendæ pacis impedimenta. clitantis dominatus conditio imperij cupidine in obliquum abreptos Principum animos ad amplectendas pacis leges, totque bellorum malis occurrendum poterat proclinare. Omnium verò præcipuum tranſactionem dirimebat rumpendum Principibus ictum cum Hiſpano Rege fœdus; Ma-
Dux Mater pacis conſtituendæ rationem init trique Duci violanda cum Fratre Gallo Rege pacta ſocietas; quòd ſicuti illis difficile, periculoſumque erat, ita omninò fieri non poterat, vt hæc a fratre deſciſceret: nexus prorſus inexplicabilis, niſi Diuina manu, aut inter diſſidentes Reges pace compoſita ſolueretur. Duci Matri tamen incundę

Digitized by Google

pacis rationem miſera fortuna ſubiecit. Illa verita ne, ſi Princeps Thomas magnificis Regis fratris, & Cardinalis Richelij oblatis delinitus Gallicas partes amplecteretur; ſe omni regimine excluſam imperij authoritate, dignitateque exueret: arcanis miſſis nuntijs Principis Cardinalis animum tentat, vt ſecum conueniat: admonens illum, vt quò vicinior Principatus ſucceſſioni erat; eò magis ipſius intererat bellorum ciuilium incendia extinguere, futuri ipſius dominatus fortunas, opeſq; vorantia; quæ cum à domeſticis diſſidijs proficiſcerentur, his compreſſis, ſublatiſq; ea quoq; quietura, ſubſeſſuraq; erant. Enixiùs igitur illi ſuadet, vt honeſtis ſecum, æquiſq; ſe conditionib. iungat, Principis Mariæ Ludouicæ Primogenitę oblato coniugio: quo in futura ditionum poſſeſſione, Principatuſq; ſpe ſolidiſſimè firmabatur, muniebaturque expedita ad Principatum ineundum via. Nihil Principi Cardinali poterat gratius accidere; itaq; impenſius etiam, quàm offerebatur, accepto, leges ineundi pacis fœderis tulit: quas cum Dux Mater magna ex parte probaret, & de quibus erat aliquod diſſidium, propè conueniret: inſcrutabile fuit Diuinæ mentis arcanum, quod pax ſublatis bellis ciuilibus, ſanciretur: eo enim fœdere Princeps quoque Thomas vel inuitus trahebatur in partes, ne à ſuo fratre iniquis armis diſſideret. Nam cum ad Principem Cardinalem auitarum ditionum, vt primogenitum ſpectaret hæreditas; Princeps Thomas nullo iure, nullo iuſto titulo, ac nomine poterat Fratrem, communemque patriam perſequi bello, neque Hiſpani, aut Galli, coeuntibus in imperij ſocietatem cum Matre Duce fratribus, in partes eorum diſcedere, ac pro ijs receptis in fidem iam inuicem pacatis, bellare. Hac maximè ratione, ſalubriq; conſilio tot bellorum præfocabatur incendium: nec aliud hoc aptius, aut expeditius ad tollenda diſſidia, arcendaſq; à Taurinis calamitates humana mens poterat commentari, quàm quòd mulieris animo pluſquam virilis prudentia ſuggeſſit.

Cardinalis pacis leges Matri Duci offert.

Ducis Matris ſalubre conſilium, egregia prudentia.

Hoc Cardinalis Richelij arcanis molitionib. & inſidijs funditus euerſis, Taurinos à tot belli calamitatibus tranquillabat. Verum aliud diuina conſilia decreuerant, obcęcaruntq; Principum mētem, ne tam ſalutaribus propoſitis aſſentirent: quæ princeps Cardinalis paulò ante probauerat: vt inde regionum excidia, populorūq; ſtrages, ad eluendas ſcelerū labes effluerēt.

Tantā plenæ victoriæ ſpem conceperant animis Principes, vt omnes etiā honeſtiſſimas componendi diſſidij pactiones repudiarent. Vaſtiſſima deſyderia, ſupremum excluſa Duce Matre, imperium anhelantia eorum durauerant pectora, ne maximè ſalubria conſilia probarent. Illa nihil verita, quin omnia à ſe cogitata fœlicem ſucceſſum eſſent habitura, ad Fratrem Regem Abbatem Montatæ feſtinatione legauit, qui illum de huiuſmodi à ſe inuento, & conſilio doceret; eodem tempore miſſo ad Nicæam ad Principem Cardinalem Abbate Agliei, qui cum eo rerum tranſactionem abſolueret. Quòd vbi Principi Thomæ nuntiatum eſt: tantis irarum ęſtibus eius animus fluctuauit; vt his paciſcendis intercedere, ac diſcutere conuenta decreuerit: nō enim ſe minorem, & apud populos autho-

Principes pacem repudiant.

authoritate, & virtutis bellicæ gloria Fratre Cardinali ferebat: præter id, quod Cæſaris pronuntiata vtrumque paribus fauoribus proſequebantur. Nec omninò ſibi ferendum putabat, vt aliquod fœdus iniretur, quod ſe ab imperij ſocietate excluderet: præcipuè cum huiuſmodi Fratris eum nepte coniugium ſpem ſibi, ſuiſque liberis ditionum ſucceſſionis abſcinderet.

Thomæ Principis ira.

Princeps Thomas ad Principem Cardinalē Legatos mittit.

Protinus igitur Bagnaſchi Demarchium, & Commendatorem Paſerum Nicæam ad Principem Cardinalem legauit; vt illum ijſdem rationibus, quibus ſe à Gallico fœdere auertere conatus fuerat Cardinalis, ab huiuſmodi cum Duce Matre pactionibus abducerent: & quando ſuo hærentem pertinaci propoſito amouere non poſſent; obteſtarentur, ſe à communibus curandis commodis diſceſſurum. Nicæam ad Principem Cardinalem profecti illum omnino ad accipienda Ducis Matris oblata propenſum, quietis, connubijque deſyderio inuentum ſic Paſerus alloquutus eſt.

Nunquam Princeps Thomas tuus chariſſimus Frater in animum ſuum inducere potuiſſet, Sereniſſime Princeps, te tibi oculatiſſimo viro præſtigias à muliere fieri, doloſiſque blandimentis circumueniri paſſurum. Nonne vides vt omnia eius machinamenta eò tendant; quo ſe iam fraternis armis oppreſſam aliquo aſtu veſtros conatus in irritum, verſutiaque diſcutiat? Nunc leniùs illa, remiſſo rigore, quo ſuperbè hactenus vſa eſt; mitiùſq; agit, quando veſtris armis impulſa Taurinis inter lætiſſimas acclamationes vos ſuos Principes in auitos dominatus certatim ſuis humeris referentibus, ſe victum, ſuperatumq; iri non falſa coniectatione diuinat. Manum dat non ſponte: nihilò pacatior in vos, quos Gallorum vim potentiamq; cauſata pro viribus patrio ſolo ſummouit; ſed hanc illi vel nolenti conciliandi diſſidij voluntatem expreſſit neceſſitas; nam quandiù ſuperior fortuna, viribus potuit vos Taurinorum finibus arcere, & ſola ſine riualibus in veſtris ditionibus imperare, ſibi non defuit; ſed comparato exercitu, ſolicitatis ad arma in vos populis, ſeueris pœnarum denuntiationibus, exilij, bonorum publicationis pœnas veſtris ſtudioſis interminata vos impiè, atque iniquè proſcripſit: ſed cum aperta vis nihil proficiat, arcanis fraudibus, doloſaque vafritie graſſatur, fratremque à fratre dirimere, diſſociareque conſenſus, armaq; ſtudia, vt infirmatis vtriuſque diſſidio viribus, tutius ambos poſſit opprimere. Regum filia, ſororque Regis ſocium æqualis authoritatis in imperio non patitur; pupillique Ducis curam, & Gallici fœderis cauſam ſuæ ambitioni prætendit. Quid Gallicum fœdus vobis obtrudit? ergo alicuius fœderis reſpectus vos patria domo mulctabit, auitiſque dominatibus prohibebit? & Galli Regis indignatio quòd Hiſpanorum auxilijs ad patriam, qua per ſummam iniuriam vos excludit iniquitas: repetendam liberos Principes Taurinorum confinijs arcebit, & patrijs bonis euertet? Verum hæ ſunt eius ambitionis, cupiditatiſque laruæ, quibus ſua arcana conſilia tegit, machinamentaque velat. Molitur ſanè aliquid alto animo pernicioſius. Cur enim tanto niſu, accitis Gallorum auxilijs, concitatis popularibus, non tam armis, quàm edictis contra vos, pœnarumque obnuntiationibus pugnat? Quid timet à Ducis infantuli amantiſſimis patruis? ne illum hæreditario imperio exuant: quem proprij impen-

Digitized by Google

impendio ſanguinis, eo priuatum, exutumque aſſererent, ipſiuſque ſalutem, atque incolumitatem propriam putant? Profundo certè grauiora animo coquit, atrocioraque hòſtili mente molitur. Iam tenent omnia Galli, eorum armis cuncta muniuntur, in ipſa Taurinorum Auguſta pro arbitrio imperant, in potioribus ditionis arcibus Galli præfecti, cum Gallicis præſidijs curant; eorum iuſſuum, conſiliorumque præſcripto omnia geruntur, præceptaque in Taurinos poteſtate, liberum imperium anhelant; vt ſi Infantulum Ducem imbecillæ corporis habitudinis, & conſtitutionis infirmæ fati vis alicuius abripiet: iam in ditionum poſſeſſionem inducti illas pro vſurpato iure retineant; nec ipſa quamuis Regis ſoror, fratris inſidioſa deſtinata negabit. Ad quid enim ille tam pertinaci poſtulatione, Cardinali Richelio ſequeſtre, internuntioque, inſtitit, vt ſibi omnes Taurinorum arces, Momilianumque ipſum firmiſſimum Allobrogum propugnaculum traderentur? adiecitque minas diriorammitiorque ipſo Rege Richelius longiores nectenti moras, eaſque dedere recuſanti? à quibus poſtulationibus tamen, illa tam execrandum perfidiæ, proditioniſque facinus auerſata lachrymis, mulierum ſola potentia, fratrem deterruit, quòd in imperio nec ſuperiorem pati, nec æqualem velit. Sed ſi Gallorum nimiam in Taurinorum ditione potentiam, imminentiaque pupillo Duci arma perhorreſcit, cur vos, qui, & bellica virtute, & flagrantibus populorum ſtudijs, & amicorum auxilijs validi ſoli facile omnem externam vim propellere poteſtis, tam obſtinate pergit oppugnare; Taurinorumque finibus ſummouere? Certè non agnoſco obſcura eius animi ſenſa, implicitaque conſilia, quæ Leuirorum tantopere ſibi profutura reſpuit auxilia. Verum iuſtiori cauſæ fauentibus Superis, iam victoria in manibus ueſtris eſt, ſi paululum adnitemini, pellentemque uos fœminam ſtrenuè pelletis. In anguſtijs deprehenſa callida conſilia init, & fraudes ſtruit; ut ſe periculis explicet, quibus ſe irretitam agnoſcit: te obiecti cum tua nepte connubij ſpe lactat, allicit, ut à fratris ſocietate, ac charitate ſeiungat. Cur non ipſum quoque eodem tempore alicuius ſpe boni, ac commodi obiecta, miſſis legatis aggreditur? atque ad pacem ineundam inuitat? cur eius auxilium, fidem, uirtutem, ſocietatemque contemnit? Atqui ille Hiſpanorum ſubnixus auxilijs ipſam Regiam bello quatit, victriciaque ſigna Taurinorum viſceribus infert. Sanè latet hìc aliqua fraus, quam, vt vaferrima ſunt fœminarum ingenia, Dux Mater occultè nectit. Sed ſi, vt cæpiſtis, iunctis animis, ſociatiſque viribus, & conſilijs inſtiteritis deſtinatis; eamdemque fortunam vterque ſubibitis, quis vobis iam partam victoriam eripiet? Vos ſuos Principes vniuerſi ferè populi Taurini ſequuntur; ad veſtra ſigna turmatim, certatimque affluunt, vobis fauſta, fęliciaque apprecantur. Iam illam non admiſiſſe vos in regiminis ſocietatem ſerò, ſerioque pœnitet: ingruentem procellam tranſactionibus ſtudet auertere. Sed quid tandem huius oblatione connubij tibi additur rerum, fitque alicuius acceſſione dominatus tua potentior, fęliciorque fortuna? Nullam dotalem vrbem; nullas terras ſecum tibi afferet ſponſa, omnium ditionum domino Infantulo Duce. Quid igitur commodi eſt, quod tuum ſolicitare animum, atque à fratre diuellere poſſit? Hoc tantum Dux Mater doloſè contendit,

tendit, vt inter vos fratres diſſidia ſerat, illiuſque de communi veſtra cauſa optimè meriti, pro vtriuſque ſalute, commodo, dignitate in armis ſudantis tibi deſertoris probrum intendat, liberiùſque, ac ſecuriùs vobis inuicem diſſidentibus, dominetur. Verum quod omnium efficaciſſimè te à feriendo cum Duce Matre fœdere debet abducere, vrgereque potentiùs, vt omnes ab ea latas reſpuas conditiones: eſt præſens Hiſpani Regis erga vos meritum, cuius in patriam vos exules arma reducunt, cohibentque Gallorum conatus veſtras ditiones uſurpare nitentium cuius impenſis alimini, ſplendoremque aulæ retinetis. Quo enim ore, qua fronte Hiſpanorum amplius poſcere auxilia audebis, ſi rupta nulla de cauſa fide, eorum patrocinio, ac ſocietati renuntians, ab eo deſciſcens fœdus cum Matre Duce, ac proinde cum Gallo Rege ferires? Quam ingrati animi labem tuæ ſplendori uitæ, dignitatique aſpergeres; ſi Hiſpanos nullo ſuo fructu, ſed pro ueſtra tantum cauſa bellantes perfidè, turpiterq; defereres? Hanc igitur prorſus conueniendi ſeorſim cum Matre Duce cogitationem abijcias: hoc à te ſupplex optimus frater, hoc obſtrictæ Hiſpano Regi debitum fidei, hoc ingentia eius erga te merita, & efficax exactrix officij rei honeſtas efflagitat.

Demarchus quoque illum efficacibus conſilijs aggreſſus ſubiecit, quàm fœlicem fortunæ ſecundiſſimo afflatu prouehentis curſum ſibi, & fratri impediret; quanta detrimenta ex his fraternis diſſidijs profectura eſſent; quas honeſtiſſimas conditiones à Gallo Rege ſibi oblatas, ne fratrem deſereret, reſpuiſſet, quàm exiguam fidem ſibi à Matre Duce ſibi poterat polliceri; tum demum ambo nutantem Cardinalis tot rationum impulſibus animum peruicerunt, vt arctiori nexu ſe fratri coniungeret, ſtatueretque eãdem cum fratre ſubire fortunam, nec minori ſe erga illum fide, futurum quàm frater erga ſe fuiſſet. Itaque ex illo refrixit in Cardinali coniugij ardor, & fœderis conditionibus abſque eius anſenſu ſubſcribere recuſauit: quas ipſe paulò ante Matri Duci obtulerat, ſua in fratrem officia, amorem, venerationem, & debita cauſatus: quem nihilominus trahere in fœderis ſocietatem ſe totis viribus enixurum recipiebat.

Princeps Cardinalis coniugij conditiones repudiat.

Dux Mater tamen nihil tam inexpectata territa repulſa ditionum excidia, populorumque calamitates perhorreſcens, quos his ciuilibus bellis abſumi, exhauriri, perdique funditus miſerebat: à ſolicitandis omni ſtudio Principum animis, ad componenda diſſidia ſedandaque bella non ceſſabat. Verum eius omnem curam, operam, ac ſolicitudinem Principum moræ, maiorumq; ſpes rerum, ac deſyderia fruſtrabant. Auertebat eorum animos efficaciſſimè omnium quidam deſerendi Hiſpani Regis pudor, & Auſtriacæ domus erga ſe merita, cuius potentibus armis aſſerti, reſtitutiq; patriæ auitas ditiones ſtrenuè repetiſſent. Princeps Thomas nihilo ſecius palam Argentonis dynaſtam Galli Regis legatum ſummæ authoritatis ad arcana alloquia admitebat: ſæpius ſuo lateri hærentem frementibus Hiſpanis, indignanteque maximè Gubernatore Leganio, quod in ſuis oculis crebro cum Gallis agendo nutare erga Hiſpanum Regem fide videretur. Sed Princeps callida Hiſpanorum conſilia intentiùs rimati

Principum reſpectus ne cũ Gallo Rege conueniant.

omni-

omninò Galli Regis oblata, amicitiamque repellere, ne eo ſe auxilio, fulcimentoq; priuarent, ſi Hiſpana cupiditas premeret, recuſabant: quam illa eum Gallis colloquia frenabant: prçter quam quod à duobus potentiſſimis Regibus ſua amicitia, ſocietateq; expetita, ſe magnificè conſpicuos mirabantur. Metus ne deſerto Hiſpano Rege, Principes in Gallorum fidem concederent, cogebat Hiſpanos, vt maioribus obſequijs eorum votis, poſtulatiſq; indulgerent. Leganius præcipuè mitiùs, faciliùſq; cum illis agebat, habebatq; mollius multum remiſſis, quæ tam prius obſtinatè contenderat. Principes vt dubiæ erga Hiſpanos fidei ſuſpicionem eleuarent: agendi in ſpeciem cum Gallis neceſſitatem cauſantur: vt ijs fictis declarationibus populos in officio continerent; vicinæ ſpe pacis oblata, & tot malorum, calamitatumq; futuri propediem finis. Immo ad probandam ſuæ in Hiſpanos inconcuſſam fidei conſtantiam, omnia cum Gallis colloquia, oblata, reſpōſa propoſita Leganio, ac cæteris Ducibus aperiebant: vt inſuperabili rerū difficultate conſpecta, confiderent nunquam de ijs conuentū iri, eoſq; erga Hiſpanum Regem perpetua in fide manſuros. His artibus Principes à ſe ſuſpicionem arcani cum Gallo Rege conſenſus, nutantiſq; voluntatis amouere conabantur. Verum magis Leganij animum aſperabat tam libera, & aperta omnium cum Gallis negotiorum declaratio, ratus ingentium ab eo Rege promiſſorum declarationem minari ab Hiſpano Rege diſceſſum, niſi petita concederentur: quorum præcipuum erat; vt ſibi liberum, atq; integrum vnius ſeorſim bellantis exercitus traderetur imperium: quo arma quocumque belli fortuna vocaret, pro arbitrio circumferret: indignum Principe Hiſpani Regis conſanguineo arbitratus in ipſius copijs nullo imperio militare, nulla exercitus ductus dignitate, atque authoritate bellare. Quòd quamuis arduum, ac obtentu difficile, non omninò Principi ab Hiſpanis concederetur: affatim tamen alendæ familiæ, retinendumque aulæ ſplendorem ſufficienda pecunia, propenſioribus illum ſtudijs proſequēdo eius animum ſeceſſum ab Hiſpanis meditantem in fide pro viribus continebant: iniecta prçcipuè Taurinorum Auguſtæ arcis expugnationis ſpe; quam primo quoque tempore ſe Leganius aggreſſurum recipiebat. In eius enim arcis poſſeſſione Principes rerum ſuarum, fortunæq; ſummam collocauerant: quam ſi aſſequerentur; nihil ad ipſorum fœlicitatem, atq; amplitudinem incremēti poſſe addi putabāt potiſſimo damnati votorū. Statim enim expulſa Duce Matre, rerum Taurinenſium arbitri, ac domini pro voluntate omnia recturi erant, daturiq; populis leges: quod cū omnibus Galli Regis promiſſis pretioſitate, atq; amplitudine anteiret; non admodum ſimulatæ ad Gallum Regem transfugij Leganium minæ terrebant: quos certo ſciret præſentis fortunæ magnitudinem quodā quaſi in Gallū, Matremque Ducem ſeruitio minimè mutaturos. Inter has mutuas ſpes, & metus, & artes tota acta eſt hyems. Primo verè appetente ſperabant Principes Leganium expugnandæ Taurinorum Auguſtæ arcis expeditionem aggreſſurum: quòd hac certiſſima ſpe ipſos tres brumę menſes eorum animos alue-

Eorum gloria, atq; amplitudo.

Principum artes.

Eorum petitiones.

Hiſpanorū erga Principem Thomam obſequia.

Hiſpanorū, & Principis artes.

Digitized by Google

rat: inſtruebatq; copias, atq; omnia ad bellum proſequendum parabat, quaſi eam oppugnationem auſurus. Verum cum mouendi è ſtatiuis tempus adeſſet, & diutiùs iam pridem tacito animo deſtinata diſſimulare

Leganij decretum de expugnando Caſale.

non poſſet; mentis ſuæ decretum, expugnandæ prius Caſalis arcis, quàm peteret Taurinam, aperuit, ne munitiſſimum propugnaculum a tergo relinqueret, à quo ſibi Taurinam quatiēti, atq; ſuis præſidijs deſertis Inſubribus, erant maxima diſcrimina profectura. Sinerent igitur ſe prius oppugnationis Caſalis negotio expedire: vt alacriùs, & tutiùs omnibus in Taurinorum Auguſtæ arcem oppugnandam viribus conuerſis, accuratiùs, & intenſiùs eorum vota poſſet explere. Hoc Leganij inopinato reſponſo, propoſitoq; attoniti Principes quantis rationum impulſibus conati ſunt ab hoc eum decreto, expeditioneq; ineunda auertere? Expugnandam prius Taurinorũ Auguſtæ arcem, vt ea exacti Galli, totiſq; Taurinis pulſi non Caſale ſolum, ſed omnes Taurinorum prouincias libero Hiſpanorum arbitrio tranſmiſ-

Principes Leganiũ ad expugnãdã Taurini arcem hortantur.

ſis alpibus in Galliam regreſſi relinquerent. Addebant *imbecillas admodum Gallorum vires, eorum copias ad exiguum numerum rediſſe: vt pote quæ non plus quatuor peditum, & duorum equitum millium, & quingentorum ſummam implerent: parum armis inſtructas, amiculis laceras, ad progrediendum in apertos campos inualidas, neq; propugnandæ Taurinæ arci idoneas eſſe, ne dum ad afferendum Inſubribus metum. Galliarum regnum tot bellis implicitum Laletania, Belgio, inteſtinis populorum conſternationibus, ac tumultibus diſtineri, impediriq; ne in Italiam militum ſupplementa, ac ſubſidia tranſmitteret.*

Hiſpanorũ vires.

Hiſpanicum verò exercitum nouis militum acceſſibus roboratum, & auctum, qui vndique ex Italiæ prouincijs mittebantur in caſtra; eò virium magnitudinis euaſiſſe, vt quodcumque bellicum facinus tentare, audereq; poſſet, ne dum Taurinam arcem ferè expugnatam adipiſci. Omnes deniq; artes, conatuſq; admouebant; quò illum ab expugnandæ propoſito Caſalis arcis abducerent. Alia verò commoda, diuerſiq; reſpectus Leganium in Caſalenſis arcis expeditionem impellebant: verebatur enim ne expugnata Taurina arce, imponē-

Expugnandi Caſalis rationes.

di præſidij contentione Principum animos alienaret; & conſumpto militũ flore, eneruatoq; exercitu, nullũ fructum laborum excerperet: victoriæque præmia non ſui Regis, ſed Principum fore: non poterat adduci, vt Taurinæ arcis oppugnationem Caſalenſi præferret, in quam toto animi impetu ferebatur: qua domita, ſecuritati Inſubrum cauto, contra irruentes in Italiam Gallos munitiſſimo propugnaculo obiecto, & quod erat potiſſimum, ad pacem vniuerſalem componendam aditus pandebatur. Metuebat inſuper Leganius, ne Principes Taurina arce potiti communi Italorum Principum ſenſu adducti Caſalenſis arcis oppugnationi intercedentes eam pro viribus

Leganij de Principum fide metus.

impedirent. Horrebant enim illi maximè eam munitiſſimam vrbem adijci Hiſpanorũ imperio, ne illã adepti Gallorũ ſoluti metu, quorũ vicinis armis, quaſi quodam freno eorum potentia coercebatur, cętera Italiæ corriperēt. Quare ſui Regis pluris rebus, quã Principũ æſtimatis, eius florentis exercitus vires integras, & validas expugnandæ Caſalenſi afferre decreuit.

Vrgebat

Digitized by Google

Vrgebat inſuper Hiſpanicæ aulæ ardens eius arcis potiendæ cupiditas, quam proceres votis omnibus anhelabant; vt non tantum finitimi hoſtilis præſidij incurſibus Inſubres liberarent; ſed vt ad cariſſimæ arcis Gallorum in Italia tutiſſimæ ſedis, & armamentarij ad ſubſidiū accurrentibus ex Laletania, aliquo virium, & roboris inde detracto, aliquantum Gallici impetus in ea parte remitterentur, & quòd tardius, quàm ſperauerat, opus Leganius aggrederetur, non exigua ira in illum accenſis acribus obiurgationibus acceptus eſt: quamuis ob ſubactas Vercellas, & Bremium inter Hiſpaniarum primates, quos grandes vocant; fuiſſet aſcitus à Rege. Quare vt ſimul proceribus ſatisfaceret, & eam moleſtiam ab Inſubribus arceret; Caſalenſis arcis expugnationem Taurinæ præferendum putauit. Auertebant inſuper à Principum obſequijs Leganium priuata quædam diſſidia, internæque indignationes, quòd ab ijs parum honorificè toto eo bello habitus fuiſſet. Illi enim vti Hiſpaniarum regij ſanguinis infantes nimium ſuæ retinentes dignitatis cum eo rigoroſa admodum, regiaq; amplitudine egerunt: exactis acerbè ab eo omnibus ijs obſequijs, quę ab Hiſpana gente Infantibus præſtari ſolent: adeò vt etiam in caſtris, vbi inclyti Principes, & Reges militaribus epulis familiariter copiarum Duces excipiunt; numquam eorū menſæ adhibitus fuerit; neq; vnquam illum ad priuata alloquia Princeps Thomas niſi aperto capite ſtantem admiſerit. His igitur ſummis agendi nimium ex dignitate rigoribus acerbatus Leganius parum in obſequia Principum propenſus Taurinæ arcis expugnationem diſtulit, ne eorū omninò voluntatibus inſeruiret, ſpreti ſui aliqua pęna ab ijs exacta.

Hiſpanorū procerum potiendæ Caſalis cupiditas.

Leganius inter primos Hiſpanorū proceres aſcribitur.

Allobrogū Principum regius nitor.

Leganij in Principes indignatio.

Agebant etiā in hanc Caſalenſis arcis expugnandæ propoſitū quędam pręcipuæ prurigo laudis, ſuique apud Hiſpanos proceres nominis celebrandi; qui illius arcis poſſeſſionem iam diu ardentibus animis ſuſpirabant: & quò difficiliorem auſum, opuſque magis arduum, quod cęteris Mediolani producibus malè verterat, conſpiciebat, eò maiorem ſibi laudem ex laborioſa parte victoria ſpecioſioremq; triumphum pollicebatur. Expeditis igitur omnibus ad obeundam expeditionem neceſſarijs, Carolum Gattam Neapolitani equitatus Magiſtrum ad pręcipiendos viarum aditus, per quos Caſale ſubſidia afferri poſſent, mittit mox ipſe cum reliqua copiarum mole ipſo Paſchatis ſolemni die in vrbis conſpectum ſe dedit.

Leganius Caſale expugnādum ſibi proponit

TERTIA CASALIS OBSIDIO

NARRATIO DECIMA QVINTA.

FOelices Vercellarum, & Bremij expeditionum euentus Demarcho Leganio Mediolani produci fecerant animum; vt toties fruſtra cum aggredientium cæde, & clade tentatum Caſale, certa quaſi illius obtinendi fiducia rurſus inuaderet; de ſua quoque fortuna, circa munitiſſimam arcem, ad quam alij ſuam eliſerant, facturus periculum: ſolita mortalium mentium imbecillitate, qui, vt omnis ſpes vana credula eſt; ſuæ virtuti nihil imperuium, nihil difficile futurum delirant; ſibique veluti inuictis, in maximè arduis expeditionibus abblandiuntur, ac ſi fortunæ parſura ſit hominis delicijs iniquitas. Hinc illæ animoſæ ſæpius ipſius iactabundi voces exciderant; Caſale ante duodecimum Kal. Iunias ſuis armis ceſſurum, recepturumque Hiſpanicum iugum; atque à ſe eam vrbem, niſi ſacroſancta Solyma tellus eſſet, breui ſubactum iri. Nimirum illudunt ſibi plerumque mortales, dum cupita quamquam difficillima, inani ſpe ſibi expedita fore pollicentur; nulla æſtimatione libratis aduerſæ fortunæ caſibus; quæ ſæpiùs fortibus auſis intercedens domi inita animoſè conſilia, belli repentè ſubuertit. Verum ad hanc expeditionem obeundam illum impotenter agebant; non tam gloriæ cupido, quàm Inſubrum vectigalium, Laumellique incolarum querelæ; quos continuis hoſtium incurſibus obnoxios acerbiſſimis exactionibus, pecuniarum imperijs Galli quotidie expilabant. Vrgebant inſuper natiua in inuiſam gentem odia, Mediolanenſiſque ditionis amittendæ metus; ne ex illo tutiſſimo receptaculo gens inquies, & ferox aliquando numeroſior erumpens armatorum agminibus in Inſubrum agros effuſis, aliquod oppidum improuiſo impetu interciperet; aut perpetuo Hiſpanos bello, ac moleſtiſſimo implicaret.

Leganius Caſale inuadere decernit.

Quæ cauſa Leganium ad bellum impelleret.

Formidando igitur expugnandarum vrbium apparatu, validiſque equitum, ac peditum copijs inſtructus Caſale verſus Mediolano proceſſit; immiſſo prius in circumiectos vrbi campos cum firmo equitum agmine Carolo Gatta, vt aliquas oportunas metandis caſtris ſtationes; munitoſq; ſitas præciperet. Bremij, Alexandriæ, Valentiæq; preſidiariæ cohortes, atq; equitum turmæ in Caſalis vicina prouectæ Occimiani, Fraxinecti, Arzani campis, alijſque pagis, & villis ductis circum ſtationes munitioni-

Leganius Caſale bello petit.

tionibus conſederunt. Leganius cum reliquo armatorum robore die ſurgenti ab Inferis Domino ſacro, ſe ſuis copijs adiecit: damnatis quorundam ſalutaribus prudentium præfectorum conſilijs, qui eam expeditionem ſub Maij menſis finem reijciendam, tardiùſque eundum in arma ſuaſerant; donec ad alendum equitatum, faciliorefque pabulationes adultæ pleniùs matureſcerent herbæ: adeò vehementi potiendi Caſalis cupidinis impetu rapiebatur in bellum. Sed humani eſt ingenij vitium conſilia quamquam ſalubria, quæ ipſum non attulerit; improbare; & peſſimum veri iudicij venenum peruicax ſua cuique voluntas. Offuſis vrbi copijs, vallum fixit peritiori, quàm cæteri Hiſpani Duces, diſciplina; aliena præterita in metandis caſtris errata fecerant cautiorem. Eductis circum tormentarijs aggeribus, collineatiſque tormentis, cœpit mœnia miſſilibus verberare. Nullus Dux certiori ſpe, maiorique vrbis expugnandæ fiducia obſidium inſtituit. Externam vim iuuabant inteſtinæ comitis Gablonetæ, ac Nattæ ſtructæ Gallis inſidiæ; qui inter milites præſidiarios, & ciues diſſidia ſerere crebris arcanis ſuaſionibus conabantur; ſed ex diuturno commilitio, vndecimque annorum amiciſſimo contubernio ita erant animis iuncti; vt nullæ turbidorum ciuium ſeditioſæ voces, malignæque artes propugnantium conſtantiam labefactare potuerint.

Leganij præceps conſilium.

Leganius ad Caſale caſtra ponit.

Inteſtinæ Caſali inſidiæ.

Mirum eſt quanto animorum ardore in communis patriæ defenſionem, fœminæ iuxta, ac viri ſurrexerint; mutuiſque ſe ad fortia audenda pro vrbis ſalute hortationibus animarint; certi animis Numantina pertinacia ſe nihil Hiſpano pro victoriæ triumpho, quàm incenſæ patriæ deformes areas, ſqualenteſque cineres relicturos.

Ciuium animoſitas patriæq; amor.

Curabat in vrbe Torras dynaſta præſidij præfectus Regis caſtrorum Mariſcallus egregiè fortis, & prudens; qui incredibili ſagacitate occultis Gablonettæ, Nattæque petitionibus eluſis; eos eiecit ex vrbe; ne quid turbarum inter ciues arcanis alloquijs molirentur. Præſidiarij trium militum millium numerum non implebant: debile ſanè ad tantos hoſtium conatus ſuſtinendos, frangendoſque præſidium; ſed tantis nihilominus animis, vt nulla non die Hiſpanos vrbis acceſſibus audacibus eruptionibus prohiberent; pluresque cęſos in ipſa aggerum ſtructura tumularent. Difficilem inſuper vrbis oppugnationem faciebant aſſidui effuſi è pluuio cęlo imbres; cum dilutis nimio humore loricis, ſubterque fluens cœni labes veſtigio cedens gradum falleret incedentium. In circumiectis vrbi campis reſtagnauerant aquæ: idcircò nec commodè tendere poterat hoſtis inter lutulentam illuuiem, nec ſtationes agere ſub algido, inſalubrique cęlo, nec imbutæ pluuijs telluris, madidæ, grauis, fluentis oppoſſitus foſſæ prouehere. Inimica ſidera incuſabat Hiſpanus, quòd perpetuis nimbis

Caſalis præfecti bellica virtus.

Obſidionis difficultates.

Digitized by Google

omnia ſua molimina, niſuſque præpedirent. Adeò tamen feruebat obſidio, vt nihil morantibus imbrium tempeſtatibus, pluuijſque cæli procellis, propiùs mœnia, vel cum multorum cęde ſuccedere niterentur. Suadebant plerique Duces Demarcho Leganio, vt ex militari diſciplina Roxinianum caſtellum non plus quatuor paſſuum millia Caſale recedens in collis faſtigio ſitum, prius miſſis aliquot peditum cohortibus, expugnaret; quo illo tuto receptu Gallis adêpto, omnia ſecura à tergo relinqueret; ne quod periculum copijs ab illius arcis contemptu inter obſidendum ab hoſtibus oriretur, vel commeatuum interceptu, vel moleſto in caſtra diſcurſu. Verum Leganius erat adeò fidens animi, certuſque victoriæ maiora, quàm pro viribus, aut fortunæ inconſtantia vaſta mente complexus; vt ſpreto præfectorum conſilio, ſe illam ex itinere capturum facili Marte reſponderit; ne tamen omninò ſpernere Ducum monita videretur; chiliarcho Alardo mandat, vt cum ſua legione ad expugnandum Roxinianũ ire maturet. Præerat arci Diui Angeli dynaſta, cum Gabriele Natta caſtrorum præfecto, & Alexandro Nazario maiori ſtatore; trecentorum peditum manus mœnia tuebatur. Hiſpani non tormentorum modo concuſſibus arcem munimentis nudare, ſed etiam effoſſis cuniculis mœnia ſubruere conabantur: ſed tantis animis obſeſſi illam propuguabant; vt eos, quà flammarum miſſiliumque iactibus, quà excuſſa, è maioribus, minoribuſq; tormentis pilarum grandine, quà crebris, animoſiſque eruptionibus ſummouerent. Nec minus audacter Hiſpani quamuis toties cęſi, multatique vulneribus præliabantur; immo ſcalis admotis, in mœnium loricam vniuerſa legio facto impetu eniti, vel ſæpius repulſa tentauit. Verum contis, haſtis, impactiſq; in aduerſa ſcandentium pectora ſariſſis, ad ima de ſcalarum gradibus reuoluti non exiguam ſtragem ab eo inconſulto auſu retulere. In ea pugna maximè fœminarum virtus inclaruit; ab imbellibus earum manibus in ſubeuntium agmina lapides, horribili turbine grandinabant. Perculſi itaque pluribus amiſſis deſperato ob propugnantium conſtantiam fœlici expeditionis euentu; in caſtra inglorij, immo ſummo cum dedecore redierunt.

Hiſpanorũ ſub Caſale tonatus.

Præfectorũ ſalubre cõſilium.

Leganius illud ſpernit.

Hiſpani Roxinianũ aggrediũtur.

Fœminarũ virtus.

Hiſpani à Roximiani opugnatione diſcedunt.

Feruente maximè Caſalis obſidione Antiſtes Ferragallus iuſſu Pontificis ad Leganium ſe contulit; vt aliquot dierum pangeret inducias, non ſine ingenti ſpe fore, vt nulla mutua acerbante animos clade pax, armis vtrinque ceſſantibus, ſanciretur. Sed hæc lenimenta dolorem magis, vulnuſq; aſperabant, quàm mali cauſas radicitus euellebant. Leganius Pontificio Internuntio abſciſsè reſpondit, iam Mazzarinizandi tempus effluxiſſe: Quòd Mazzarinus ſuperioribus annis iam iam ruentes in prælium Hiſpanos, Galloſque icto pacis fœdere conciliaſſet; expugnatique Caſalis lauream ab Hiſpanorum manibus extudiſſet; detento officijs, precibus Mariſcallo Scombergo, ne valido exercitu ad omnia prompto, atq; alacri ad pericula ſubeunda in Hiſpanica caſtra impetum daret. Alij quoq; Principes Itali ſedula cura, ſolicitoque animorum ardore nitebantur ab ea expedi-

Pontificij legati in Hiſpanica caſtra aduentus.

peditione Leganium auertere; ne Italiæ vniuerſæ Caſale ſubacto, Hiſpanicas compedes metuentis in ſe arma conciret. Hæſit tamen nihil morantibus Principum ſtudijs, ac precibus conſtans in cępta obſidione; quòd illi maiori curæ Inſubrum ſalus, atq; incolumitas foret; quorum prædia, & latifundia ab eo receptaculo Galli exilientes quotidianis incurſibus habebant infeſta; Mediolanenſiſq; amittendæ ditionis metus, quàm Principum querelæ; quibus in arcano inuiſam Hiſpani Regis potentiam, armorumq; progreſſus hoſtili animo auerſari ſciebat. Præter id quòd ægerrimè patiebatur, Gallos Mantuani Ducis tuendi ſpecie patefactis alpium clauſtris, occupataq; munitiſſima arce, in Inſubrum latera prouectos, cæteris Hiſpani Regis ditionibus minitari.

Itali Principes Leganium ab oppugnatione auertere conantur.

Leganius Principum Italorũ petitiones cõtemnit.

Ad primos obſeſſi Caſalis nuntios Harcurtius Summus Galli Regis copiarum in Italia præfectus amicæ vrbi, ſuiſque popularibus timens; quòd præſidium, vt ſummæ virtutis erat; ita debile ad tolerandum diutius obſidium, arma expedit ſuppetias oppugnatæ vrbi extemplò laturus. Sed erat maximè arduæ plenum difficultatis Hiſpanas copias militum numero potentiores intra munimenta, prąruptoſq; aggeres propugnaculis vndiq; vallatas contra tormenta in latera, fronte mq; librata, contra præſentiſſimæ, certęq; necis horrorem inuadere: ſed quò magis arduum facinus videbatur; ita promptiori, fortioriq; animo ad illam lauream decerpendam tendere certum erat. Raró enim quicquam proſperè belli proficitur: ſi diſcriminam magnitudo meticuloſa nimis meditatione penſantur. In maximis periculis, difficillimiſq; rebus nihil ſalubrius audacia; qua hoſtium animi, qui nihil temerè hoſtes auſuros putant; ipſa aggredientium promptitudine perterrentur. Rerum difficultas generoſis maiores ſtimulos addit ad gloriam; quàm ab audendo, oblato diſcriminum metu, retardant.

Harcurtius Caſale ſubſidio pergit.

Mandatum itaque annonæ curatoribus, vt viginti dierum commeatus ad copias alendas parent; quia fieri non poterat, vt in ijs locis vel paucos dies ſubſiſtere poſſet exercitus, quibus neceſſario conſidendum erat, ſine copiæ prouiſu. Argentonis dynaſtæ diligentia in tres menſes commeatus aggeſti; omniaque itineri, & certamini expedita. Vrgentia quoque allata Galli Regis imperia, vt poſthabitis ſuis, Sororiſque rebus, & commodis, illa agmina in vniuerſæ pugnæ aleam daret; ita Italiæ libertate, Caſaliſque ſalute poſtulante: profectum maturare cogebant. Copiarum igitur Poirini vndecimo Kal. Maij à Randeo Legato habitus cenſus: nouem peditum, & quatuor equitum millibus conſtabat exercitus. Eodem in loco varijs de cauſis ſubſtitit; vt eodem die per Auguſtam prætoriam Callianum, & Liganum illum in plana deduceret; decem muralia tormenta cum eorum apparatu, & ſartis, & ingenti plauſtrorũ numero cõmeatus ferentiũ trahebant. Tanta erat militũ incedentium alacritas; vt omnia circum loca lætiſſimis vocibus perſonarent; vt non ad cruenti certaminis alicuius horrores, ſed ad epulas prope-

Bellici Gallorum apparatus ad ſubſidium ferendum.

Vrgentia Galli Regis mandata pro ſubſidio Caſali ferendo.

Militaris alacritas victoria omẽ.

rare viderentur: adeò certiſſimè ſpem victoriæ audacibus conceperant animis. Quaſdam patrio more cantiunculas ad fallendum itineris laborē ludibundi modulabantur: quarum ferè ſententia erat; Galliam ſuſcepiſſe Caſalis tuendi curam; ſperare ſe Numina ſceleratis alieni raptoribus infenſa ſibi affutura, hoſteſq; arcano terrore perculſura. Illumq; diem ſibi videre videbantur, quo cum Hiſpanis æquo marte confligerent.

Gallorum pugnandi deſiderium

Vbi Gallicas copias in Montiſferrati campis poſuiſſe veſtigia obſeſſis innotuit, feſto ſacri æris pulſu, hilari per compita, ac fora diſcurſu concepti animis gaudij inſignia prodiderunt. Vndiq; è vicinis collibus ad Gallica ſigna turmatim incolæ confluebant, vt ſicuti pugnæ diſcriminum, ac laborum participes, ita ſperatæ victoriæ fructum, ac decus ferrent. His auctæ auxiliaribus manipulis copiæ quinto Kal. Maij primum agmen in collis dorſo in Roxiniani conſpectum, Hiſpanorumque protulerunt; quibus ad Gallicarum cohortium, vndantiumque ſignorum intuitum metu attonitis, obſidionis præfectus exclamat; inde properè faceſſerent omnes, ne maiori hoſtium numero circumuenti interclusi reditu cæderentur. Ex illa repentina Hiſpanorum fuga obſeſſi vicinum Gallicum exercitum rati, nondum enim prima ſigna conſpexerant; egrediuntur ex oppido exploraturi, quid illud rei eſſet; Galli quoque fœlici victoriæ omine capto, aucti animis ſub ipſis Caſalis mœnibus Hiſpanos inuadere intra munimenta decernunt. Ad Liganum diei reliquum quieti datum: poſtero die inſtructis ordinibus, quà iacet camporum planities, diuum Germanum verſus Gallicæ copiæ in Hiſpanorum oculis proceſſere.

Montiſferrati incolæ in Gallica caſtra tendunt.

Fœlix Gallorum victoriæ auſpicium.

Extemplò velitaribus pugnis ad mutuum ſuæ virtutis experimentum vtrinque certatum. Galli vt hoſtilium caſtrorum ſitum, munitionumque poſitum explorarent in ipſo velitationum ardore, vario cohortium, turmarumque flexu, recurſuque arduam valli altitudinem, aggerum, loricarum, parmularu mq; perfectam vndequaq; ſtructuram oculis emenſi; tum demum rei pene inſuperabilis difficultatem agnoſcunt. Hiſpani qua Erydanus Fraxinetum vſque, ac Torcellum, Aſturiæq; pontem fluit, ducto per colles vallo, obiecto quoque Gattolæ exigui torrentis hoſtibus alueo, caſtrorum munimenta adeò ex abſolutæ militaris diſciplinæ peritia poſuerant; vt inſignis cuiuſdam munitiſſimæ arcis procul viſentibus facerent ſpeciem. Ingruentibus tenebris Harcurtius præcipuos cohortiū, turmarumque veteranæ virtutis præfectos in conſilium cogit; vt de aggrediendi hoſtilia caſtra potiori ratione ſententiam dicant. Interfuerunt Vicecomes Turrenius equitum Magiſter, Comes Pleſſius Pralinus, Mottæ dynaſta, & Ondancurtius Caſtrorum Mariſcalli, Demarchus Villa Taurinenſis equitatus, & Demarchus Planetiæ peditatus ſummi præfecti. Eadem erat omnibus mens quacumq; ratione opem ferre Caſali; ſed tutiſſima quærebatur; vt quam minimo incommodo obſeſſos, decuſſis ab ea obſidione hoſtibus, ſubſidio leuarent. Dum varijs ſententijs inter ſe pugnāt Demarchus

Galli velitando hoſtiliū caſtrorū munimenta explorāt

Gallorum de aggrediendis hoſtium caſtris conſultum.

Villa

Villa vt Itali, ita cautioris ingenij, qui nullo Martis ardore in aperta diſcrimina raperetur, ſedata mente ſic cæteros Duces affatur.

Timidum afferre conſilium vobis fortaſſe videbor; ſi quod omnibus propoſitum eſt, intra hoſtium munimenta impetu facto perrumpere, huius periculoſiſſimi auſus perniciem nimium meticuloſè dimenſus, improbare, voſque ab hoc temerario tentamento conabor abducere. Sed faxint Dij, vt animoſiſſima deſtinata proſperè cedant; ego cum meo agmine ſequar audacter, quacunque ducetis, nec me diſcrimina vlla terrebunt; periculum tantum, ſtragemque noſtrorum, qua ad ſatietatem furent Hiſpani, antequam noſtræ cohortes in aggerum faſtigium enitantur, veſtris oculis obijciam. A fronte, à lateribus in ſuccedentes collineata tormenta quot impunè milites lancinabunt, priuſquam valli pedamenta prehendant? Hoſtes denſata haſtatorum phalange inclinatis phalaricis, in munimentorum lorica conſiſtunt ex tuto obtentu aggerum pugnaturi, ſubeunteſque hoſtilium mucronibus excepturi: per valli prærupta pedibus, ac manibus reptantium integros ordines nutante veſtigio ſtantes per iocum, ac ludibrium haſtarum pulſibus ad ima reſupinabunt. Cedite, Duces, quid nos diſtrictis enſibus, prætentiſque telis inſtructis ordinibus aggrediemur? In ſolam tellurem incidendum eſt, & cum munimentorum præcipitis deiectus iniquitate pugnandum; antequam hoſtem aſſequamur. Tunc certè abijciendi ſunt enſes, & haſtæ, vel mordicus præferendæ, vt per propugnaculorum, & munitionum abſciſſa ſcandamus. Non enim telis impeditæ manus prominentes glebas poterunt prehenſare. Quot in iſto ad ſuperiora loricarum niſu milites amittemus? Sed impunè feramur ad hoſtes; inuicta pertinacia difficilia quæque vincamus; quid tum? credimus nos futurum, vt niſi cum cruentiſſima noſtrorum militum cæde intra hoſtilia caſtra tranſiliamus? Poſt ipſorum terga in lorica pugnantium ſunt inſtructa agmina haſtatorum: incluſi intra ordines moſchettarij: quibus repentè diductis, in nos glandium nimbum impunè diſplodent; nos ſolutis ordinibus inter enitendum, rari, pauci, ſemiermes cum conſertis, pluribus, armatiſque dimicandum. Primum deijciendæ ab aggerum lorica propugnantium cohortes, quàm in caſtrorum interiora vadamus; & quæ tunc rerum difficultas noſtrorum conatus infringet, cum illi è ſuperiori, æquioriq; loco contra repentes per ardua valli pugnabunt? Audaciam bellicam probo, quæ intra pericula incautè deprehenſa inuicta virtute ſe explicat; non quæ ſe manifeſtæ neci obtrudit; & præceps in certam perniciem ruit; hanc ego dementiam, furoremque ſatius, quàm militarem fortitudinem voco. Si ex æquo in campis forent ferendæ cum hoſte manus, atque in vniuerſæ rei ſummam pugnandum eam fortunam habituris, quam anceps certaminum ſors datura eſſet; nihil morarer, quin in aciem exercitus duceretur, noſtrorum alacritati militum, voluntatique fidens hoſtem primo agminum pulſu obtritum iri: at cum contra iniqua, difficiliaque omnia, contra tormentorum ora, miſſiliumque procellam, quæ vndique ſupernè in ſubeuntes ab hoſtibus ingerentur; eundum

Demarchus Villa pugnandi improbat audaciam.

ſit,

Digitized by Google

ſit, exitiale omninò, mortiferumq; noſtris cohortibus puto, niſi prorſus ea deleri nullo fructu, aut operæ pretio ſentimus. Ego ſic citra copiarum diſcrimen, & cædem uincendum hoſtem, vrbiſq; ſaluti conſulendum putarem; hoc prompto exercitus robore, hoc fortium bellatorum flore omnia circa itinera infeſtarem, frequenti equitatus vſquequaque diſcurſu, Hiſpanos commeatibus intercluderem; aditus omnes poſitis firmis ſtationibus,obſiderem, ne qua in caſtra annona ferretur. Quòd illi conſumptis intra triduum, vt quàm diutiſſimè commeatibus,ab ea diſcedere obſidione cogentur: vel ſi huius inertis, & cautæ nimis, ſed ſalutaris, & tutæ debellandi rationis generoſos ſpiritus piget, & pudet: in ipſa Inſubrum viſcera præſidijs, cuſtodijſq; vacua, omnibus veteranis ad Caſale ſedentibus,ſigna inferamus: nullus nobis obuius hoſtis occurret; pro arbitrio omnia dabimus peſſum; opima, ingentique præda miles onuſtus diuturni itineris, militiæque laborum diſpendia optato pretio penſabit. Eſt in propinquo Nouaria huius belli armamentarium, & ſedes; quatuor, aut quinque Hiſpanorum cohortium præſidio tenetur; quam vtinam Caſale mutaremus; exiguam certè iacturam expetita quondam omnibus votis à Gallis Regibus vrbe ſarciremus, præterquàm quod excluſum ſubſidijs Caſale Nouariæ interiectu paucis diebus ſe Gallis dedere cogeretur. Tunc ſanè Hiſpanis feriò omnibus Inſubribus timendum eſſet; cum finium propugnaculo potiti, ad ipſam Regiam Mediolanum tendere nulla intercipiente iter arce, poſſemus. In vberi, feraciq; ſolo,nec equos pabulum,nec pedites annona deficiet:frequentia fenilia, horrea frumento referta alimenta copijs abundè ſufficient. Cum agros vri, villas incendi, vaſtari, ac diripi mapalia omnia ſubiectis ignibus fumantia Hiſpani conſpicient; de rebus ſuis trepidi, ne dum aliena petunt, propria amittant, obſidione ſoluta,ad ſua tuenda decurrent; quo noſtro damnati voto,nullo milite prorſus amiſſo,diuites, ſpolijſq; graues Caſali ſubſidium per otium pro noſtro arbitrio inferremus.

Auerſis animis, & auribus auditus eſt Villa, quòd in Caſale per ſua iuxta, ac hoſtium vulnera, ac cędem aperto impetu peruadere deſtinauerant: ne tamen omninò abſque vlla de cauſa Villæ conſilia reſpuere viderentur; ſic reſpondit Harcurtius.

Harcurtij reſponſio ad Demarchū Villam.

Cautiora ego quoque, tutioraque conſilia probarem niſi lenta remedia, & moras afflictæ vrbis neceſſitas recuſaret; neque obſeſſorum noſtram opem ſolicitis nuntijs, ac vocibus inclamantium periclitans ſalus præſentiſſimum ſubſidium expoſceret. Debile præſidium quotidianis eruptionibus, vigilijs, aſſiduis laboribus fractum, attritum, enectum, conſumptum, vix ſe armatum pro mœnibus oſtentans ægrè hoſtium repellit aſſultus; neque vlla reficiendis viribus commeatuum ſuppetit copia, qui ad tolerandam vitam potius, quàm ad firmandas corporum vires malignè admodum militibus diuiduntur. Præſentia amica ſigna conſpiciunt; claſſicum expectant: vt quàm mox hoſtilium caſtrorum munimenta aggrediamur; ipſi quoque ab vrbe in hoſtium terga ingentibus animis erupturi. Si aliò verti noſtra ſigna uidebunt, mouerique inde ab Hiſpanorum oculis aciem, quam cum eo ſubito conſtituram putabant; quam

ſpem

Digitized by Google

ſpem reliquam obſeſſæ urbi faciemus? Concident animis certè, deſperatoque ſubſidio hoſti portas aperient; ne nimium obſtinata propugnatione in ſe iram concitent Hiſpanorum. Certa ſpes uicino, atque optato fruſtrata ſucceſſu in deſperationem migrat. Nihil ægrius, impatientiuſq; mortales ferunt; quàm oſtenſo, retractoque munere ſibi illudi. Nos alacri gradu longum iter emenſi ad hoſtium caſtra uenire feſtinauimus, ut obiecta tantum ſociorum oculis exercitus ſpecie ſtatim aliò ſigna uerteremus. Pueriles ſunt iſtæ nugæ, iocularia-que ludibria: non fortium militum uirtus. Nullus noſtrum ignorat, quàm exultantibus, promptiſq; ad pugnam animis huc uſque uenerimus; quàm ardentia ſua milites prælij cantibus premerent deſideria; quàm lõga uiarum ſpatia iam pugnacibus animis certamen meditantibus uiderentur; atqui hanc militarem claritatem, totiuſque agminis lętitiam, (ſi bene antiquorum annalium monumenta reminiſcor) certiſſimum futuræ uictoriæ omen, ex fœlicibus ſucceſſibus ſemper fuiſſe teſtantur; atque huiuſmodi bellatorum ardore protinus utendum ſuadent; ne interiecta inutili mora frigeſcant; opuſque ſit aduocare nequicquam omnes dicendi artes, ut ad capeſcendam fortiter pugnam ſegnes, ac tędio torpidi animentur. Dij meliora, quàm ut huius militum promptitudinis, atque alacritatis ad prælium occaſionem amittam. Dum calent animis, dum ferociter pugnam ultrò depoſcunt; hoſtium uallo protinus admouebo, ut & mei Regis iuſſibus paream, & ardentibus militum deſiderijs indulgeam. Perniciosum uerò prorſus eſſet in Inſubres prædatum copias effundere; palantes enim hàc, illàc locorum ignari, vel ab hoſtibus interciperentur; vel vſquequaque dilapſi tota Italia, cuius viſendæ ex natiua gentis curioſitate Galli omnes impotenti deſiderio deflagrant; errabundi ferrentur; momentoque vniuerſæ copiæ diffluerent. Quotidiana iſtud experimenta docent; omnes Italiæ vrbes ſunt Gallis tonſoribus, ſutoribus, ſartoribuſq; frequentiſſimæ. Ex Gallia in Italiam cum militum ſupplementis innumeri artifices migrant: qui Regis impenſis ex patrijs delectibus citra alpes traducti vbi camporum plana tetigerunt; quà cuique proximum eſt, manipulatim in diuerſa protinus ſpreto ſacramento dilabuntur; vt ex decem militum millibus vix quinque millia ægerrimè quoque in fide permaneant. Ex quo fit, vt tot militum ſupplementa in Italiam ad reparandum exercitum miſſa vix aliquem iuſtum copiarum numerum ſuppleant. Si verò Nouariam, aut aliam vrbem defoſſo circum vallo obſeſſuri ſepiamus; quis commeatus copijs in hoſtili ſolo ſufficiet? hinc Hiſpanis ad Caſale itinera præcidentibus; illinc hoſtibus accolis annonam omnem in remotiora munita loca abducentibus: qui etiam ad commune periculum propulſandum cum militum delectibus exciti ſedibus ſuis accurrent; medioſque velut indagine deprehenſos aut fame perіment; aut ab oppugnatione diſcedere cum dedecore, ac cæde compellent. Propoſitis igitur inhærendum, ne nos ſerum auxilium miſeris ſocijs tuliſſe pœniteat.

Viuidus oris Harcurtij perorantis ardor non ſolum ſuaſit, ſed etiam animos ducum erexit ad pugnam, decretumque omnium alacri ſententia eſt, vt hoſtium munimenta ad Fraxinetum ſicuti debiliora, facilioraque capi *Gallorum de aggrediendo hoſte decretũ.*

inuade-

inuaderentur: firmante aggredientium latera equitatu, qui ibi vt in planiori loco liberiori diſcurſu poterat agi, atq; ad illa progreſſis noctis minus ſpatio cohortibus tenebrarum beneficio erat facile obtinere. Verum Deus cuius nutu cuncta belli geruntur hoc pernicioſum Gallis conſilium ductoris defectu diſcuſſit. Nullus enim itinerum prudens copias per locorum incerta, confragoſaque ducere, aut per nocturnos horrores properantibus dubio gradu præire auſus eſt; ita vt inter deliberandum iam condicta hora noctis elapſa; ad decreta aggreſſui loca ante lucem peruenir i non poterat. Quod ſalutare Gallis procul dubio fuit, firmioribus in planitie, quàm alibi in arduum ſurgentibus munimentis. Quare in poſterum diem nulla ampliùs mora dilata valli hoſtilis aggreſſio; tum ne militum ardor, pugnæque cupido remitteret; tum vt hoſtium prænerterentur conſilia, qui quadraginta maioribus tormentis Vercellis deducendis in caſtra circumquaque aggerum frontem munire decreuerant.

Gallis propitia fortuna.

Mandatum igitur Boſſeo rei tormentariæ præfecto; vt ad mediam noctem ad collis radices omnia tormenta libraret; quæ hoſtilem equitatum, ſi forte vallo in Gallos erumperet, deſtinatò ferirent, & ſuccedentes aggeribus milites tegerent. Tribus in locis quaterna fuerunt collineata tormenta, ea ratione, vt prima totum eum valli ſitum abraderent: quem erant aggreſſuri; cætera ſua quæque obiecta loca pulſarent. Harcurtium reliquarum rerum cura diſtinuit certum animi nullibi poſtero veſperi, quàm Caſale cænare; aut ſpiritum in ipſo certamine, acieque ponere. Caſtra aggreſſuris erat omninò amnis Gattola traijciendus, antequam cohortes ſe caſtrorum aggeribus admouerent. Hiſpani vt iniquiorem tranſitum facerent, pontem diſiecerant. Ceruariæ arcis, Riuariæque dynaſtæ illius reſtituendi curam, negotiumque ſumpſerunt. Erat prorſus difficile, atq; arduum fluuium ponte conſternere, hoſtibus toto aduerſo litore prætentis, continuaque miſſilium iaculatione operas non interpellantibus modò, ſed etiam cædentibus. Verum moleſtia illa cuiuſdam audaciſſimæ Gallicæ cohortis virtute depulſa; quæ amne vadato tanto impetu in Hiſpanos incubuit; vt primis haſtarum pulſibus, ignearumq; glandium tempeſtate proſtratis, cæteros ſociorum clade perculſos in fugam coniecerit. Momento temporis amne ponte iuncto, acieque diſpoſita, tres peditum, & ſex equitum legiones Mottæ dynaſta Duce in aduerſū litus traductæ in obuios hoſtes, qui vndique è caſtris ad arcendos tranſitu Gallos affluxerant, impetu facto, veſtigio primum ſummouent, deinde iterata violentiſſima impreſſione pulſos in caſtra recurrere compulerunt: atq; in collem prope diuum Georgium, quem aliquot Hiſpanorum cohortes inſederant, prouectæ illas ab ea ſtatione deturbant.

Gallorum bellica peritia.

Loci Gallorū iniquitas

Gallicæ cohortis animoſitas.

Fælices Gallorum auſus.

Ex his fœlicibus auſis, proſperiſque ſucceſſibus Galli vniuerſi prælij fortunam, euentumque diuinarunt. Vice comes Turenius, & comes Pleſſius ſuis equitum turmis, & peditum centurijs vltra amnem ponte traiectis, compoſitiſq; agminibus, ſeptingentos Moſchettarios ex cætera acie auulſos,

ſos, Diui Georgij collem ſcandere iubent: vt quamdam hoſtium ſtationem inde decutiant. Illi audacter quamuis aſcenſum loci iniquitas præpediret, in Hiſpanos inuecti diſploſis maioribus ſclopis, eos intra munimenta compellunt; tam præcipiti hoſtium terrore, ac fuga; vt etiam quoddam propugnaculum ad obtinendum tutius collem extructum turpiter deſeruerint. Galli hoſtium trepidatione, ſecundiſq; tentamentis animis aucti hoſtilia munimenta tripartito ingenti auſu aggrediuntur. Vniuerſæ copiæ ex Ducum imperio recta ad hoſtiles aggeres proceſſere. Primus impetus in collem Ticinenſem agrum verſus, ſecundus in eundem collem, ſed propius fornaces, tertius in planitie inter Diuum Germanum, Erugiamque datus. Pedites qui Pleſſio dynaſtæ parebant, veteranæ, probatæq; virtutis in ſex ingentia diſpoſitos agmina, quamuis & foſſæ profunditas, & deiecta in præceps munimenta, propugnantiumq; ferocia ſubeuntes perpetua igneorum miſſilium iaculatione cędentium ab eo maximè temerario auſu deterrerent; nihilo minus vel bis reiecti, edito ſupremæ virtutis conatu, munimentorum ima prehendère. Ibi ab ambobus lateribus Hiſpani, & à fronte propugnaculis tecti adeò furiali è maioribus ſclopis excuſſo enitentes in aggeres glandium turbine inceſſere; vt lacerata ea laniena inuadentium agmina ſolutis ordinibus, inter acceſſus, receſſuſque conſilia cœperint fluctuare, circumſpectareque aliqui fugam cadentium ſociorum territi ſtrage, fęlicemque expeditionis exitum deſperare.

Galli Hiſpanos inuadũt

Hiſpani fugãtur à Gallis.

Galli Hiſpanica caſtra inuadunt.

Gallorum ſtrages.

At Harcurtius, in cuius vultu martius ardor, inuictæq; virtutis lumina fulgurabant; inter trepida agmina diſcurrens quà impauidi aſpectus ferocia, quà voce ſecura victoriæ ad iterandum impetum animante, rurſus nulla ſalutis cura munimenta inſtructis ordinibus inuaſere. Eodem tempore vbi Mottæ dynaſtæ legiones ad vallum cum hoſte pugnabant, cruentum inter Gallos, & Hiſpanos certamen exarſerat, quibus poſt obſtinatiſſimã pugnã loco cedentibus, Harcurtius, qui ſolicito inter agmina pugnãtia diſcurſu, vbiq; præſens aderat, eò improuiſus equo prouectus animo ſanè crociſſimo, ac maximo primus incitato admotis calcaribus equo, enormi, audaciq; ſaltu intra hoſtium caſtra illatus obuios quoſq; equi pulſu, atq; enſis fulmine proſternebat. Hęſere attoniti Galli Ducis temeritate Hiſpani. Nihil æquè hoſtes terret, quam inexpectati proiectæ audaciæ conatus. Per omnes dimicantium cohortes ea Harcurtij animoſitas vigorem, ſpiritumque diffudit. Vadentem in hoſtes Ceruariæ arcis, Mottæq; dynaſtæ ſequuntur: mox diſiectis pluriſariam munimentis, patefactoque vallo, vniuerſa agmina in hoſtium caſtra facta acerrima impreſſione perrumpũt. Vbi ſemel ruptis aggeribus, obiectiſque molibus vorticoſi torrentis vndæ ex alueo in campos exundant; rapidum aquarum impetum ſiſtere irrito labore conantur agricolæ; ita perforatis pluribus in locis, apertiſq; munimentis, Gallorum vndique peruadentium in caſtra impetus prohiberi non potuit; quin omnia ſimul agmina intra vallum qua dato aditu

Harcurtij egregia virtus.

Harcurtius intra Hiſpanica caſtra ſaltu tranſilit.

Galli in hoſtium caſtra perrumpũt.

Digitized by Google

aditu tranſiliunt. Tum legiones denſata fronte in Hiſpanorum ordines inuehuntur, vrgentq; atq; intra loricas, & propugnacula pellunt. Inde ab Hiſpanis quaſi ex tuto diſploſis maioribus ſclopis, ſulphureæ glandes in Gallos immani turbine grandinabant; obſiſtiturq; validè furenti Gallo tectis, adiutiſq; ab ijs, qui Gattolã verſus tendebant: diuque ancipitem fecere victoriam certi animis aut vincere, aut eodem veſtigio mori.

Hiſpanorũ virtus.

Harcurtius conſpecta Hiſpanorum pertinaci virtute, peruolat ad equitum turmas, quæ Turriano Duce ex vrbe in ſociorum opem eruperant, iubetq; in hoſtium latera laxatis habenis incurrere: inde repente in pugnam ad imperatorium munus obeundum equo reuectus tanta ferocia cum nobilium equitum globo Hiſpanos inuaſit; vt quamuis & militum numero, & propugnaculorum obtentu, multiſq; rebus Gallis excellerent; cedere tamẽ vehementiæ virtutis, atq; impreſſionis violentiæ coegit. Eodem tempore Vicecomes Turenius ex aduerſo ingens trium circiter millium equitum agmen referre pedem, ac ſecedere intuitus ita mirabili arte ſuorum equitũ aciem expeditam in pugnam explicuit, vt hoſtiũ oculis dupplo maior eorum numerus videretur: quaſi alia agmina eſſent certantium terga defenſura. Hoc vtile conſilium inijt Turenius quòd equitum turmæ partim ad colles Margaritam verſus, partim in planitie Diuum Germanum inter, & Erugiam ad Gattolæ ſtationem, partim in impedimentorum cuſtodia diſtinerentur; neceſſeque erat ad fallendum, terrendumq; hoſtem maiorem equitum numerum oſtentare; ne illa animaduerſa Gallorum paucitate, reſumptis animis, hiſcentia, raraque eorum agmina aggrederentur. Hiſpanicus equitatus, vbi ſe Gallicum inſequuturum videt; receptum in planitiẽ inter Pilias, Fraxinetumq; iacentem maturauit, quam hoſtis primum Caſale obſeſſurus inſedit; neq; cum Gallo cominus congredi auſus Parthico more paulatim referens gradum, conuerſa identidem fronte minora tormenta in vrgentem hoſtem emittens pugnandi animum ſimulabat. Legebat proxima propugnacula, vt peditibus, & equitibus moſchettarijs ſe in tutũ recipiendi, declinandiq; hoſtis faceret tempus.

Hiſpani pelluntur à Gallis.

Turrenij militaris aſtus.

Hiſpanicus equitatus Parthico more pugnat.

Equites Galli quamquam in inſectandis Hiſpanis lento gradu procederent, vt ſociorum peditum tarditas equorum inceſſum æquaret; veriti nihilominus, ne hoſtis ſuos ordines ſiſtens ſuam paucitatem aduerteret; ſatius duxere imprudentem adhuc exigui, inſciumq; numeri errore illius, territumque aggredi, quàm damnoſa interpoſita mora, profligandi hoſtis occaſionem amittere, vel curioſius exploranti ſuam prodere paucitatem. Allobroges itaque velites, & equites moſchettarij Duce Demarcho Villa confertis ordinibus, in hoſtilem equitatum concitant equos, palanteſque manipulos, ne in aliquod iuſtum agmen ab hoſtibus cogerentur, paſſim cedunt; Hiſpanoſq; recedentes aſſequuti atrox conſerunt prælium. Illi irruentes vndiq; Gallos ſcloporum ictibus conuerſis inter recedendum ordinibus, excipiebant.

Galli Hiſpanos numero inferiores inuadunt.

Seritur inter Hiſpanos, & Gallos pugna.

Allobrogicæ turmæ è legionibus demarchorum Senantoris, & Crolles

Demar-

Demarcho Planetiæ ſupremo ductore, vniuerſuſque Demarchi Villæ equitatus, cum Veruce comite ardente certamine, amne Gattola per pontem ſubitario opere compactum traiecto, qua cuique proxima Hiſpanorum munimenta aggreſſi propugnantes ex aggerum lorica momento deiectos nullibi iam Gallorum virtuti pares fundunt, fugantque totis caſtris. Commodum ſanè Allobrogicus equitatus ſe Gallico iunxit; vt illud ingens hoſtium equitum agmen ad propugnaculorum tutamentum ſenſim relato pede naualem Erydani pontem verſus quadrato ordine ſecedens ſimul ſociatis viribus oppugnarent. Nulla igitur mora tubarum claſſica fremunt; atque in Hiſpanos effuſo curſu ſtipatis ordinibus, inuehuntur. Non tulit prementium pondus Hiſpanus; ſed loco motus ipſo vrgentium pulſu toto nutans agmine inter reſiſtendi, fugiendique dubia, tandem nimio terrore animos occupante, præcipiti fuga vicinum equos egit in flumen; & dum hoſtilium enſium mucrones omnes pauidi vitant, vorticibus hauſti miſerabili ſpectaculo periere. *Hiſpani vbique fuſi à Gallis.* *Hiſpani equites Pado obruti.*

Leganius poſt obitum animoſi, peritique Ducis nauiter munus, ter, & quater reſtituta pugna, reductiſque in aciem agminibus; cum pertinacem ſuorum fugam cohibere non poſſet; iam omnia ad Gallum Superis transferentibus, ſe meliori fortunæ ſeruandum ratus ſtipante illum nobiliorum equitum globo, Pado ponte nauali trauſmiſſo, funes, quibus ſimul commiſſi nauium aſſeres nectebantur, neglecta omnium inſequentium ſalute, præcindi iuſſit; Vercellaſq; ſe celeri fuga proripuit. Pontem ingreſſos nauigijs hàc, illàc impetu fluminis raptis, ſolutis compagibus, aquarū ingluuies abſorbuit: alios in citeriori litore deſtitutos, vel Gallicum hauſit ferrum, vel victor captiuos abegit. Ad ſpolia victoriæ capienda nullo hoſtis fuſi metu totis Hiſpanicis caſtris victor miles diſcurrit: inſtructis dapibus menſis lętus accumbit. Ibi affatim ſuppetentibus cibis, laſſatas diuturno certamine reparat vires. Cum Mottæ dynaſta palantium per tabernacula militum diſcrimen intuitus, quòd aliquot hoſtes contempti relicti animaduerſa Gallorum incuria, in non contemnendum agmen coire properarent; vt incautis Gallis auehendis tantum prædis intentis, tentata iterum prælij fortuna oppreſſis, amiſſi prælij dedecus, ac pudorem abſtergerent; omnes tympanorum claſſico ad ſua ſigna vocatos in ordines cogit; tantoque impetu illud hoſtium agmen inuadit, vt cum hinc hoſtis vrgeret, illinc Padus interciperet fugam, fere omnes obtriuerit. *Leganius Vercellas fugit.* *Eius perniciosum imperium.* *Gallorum plena victoria.* *Mottæ dynaſtæ prudens conſilium.*

Vlterius fuſi exercitus reliquias inſequi ingruentis noctis obſcuritas vetuit. Memoranda fuit omninò Hiſpanorum clades. Ex tredecim peditum, & quinque equitum millibus, quibus totus conſtabat exercitus, tria millia, & quingentos illud certamen abſumpſit: cæſorumque cadauera paſſim iacentia conſtrauerant campos. Alij plures cum clarioris nominis Ducibus in Gallorum poteſtatem veneruut. Maior nobiliorum ducū pars in acie cæſi, cæteri debilitati vulneribus capti, vniuerſæ copiæ diſiectæ, diſsipatæ, conciſæ, ditiſſima omnis generis præda è caſtris auecta. Conopæa, tentoria, tor-

Digitized by Google

tormentorum commeatus, tormentaque omnia, impedimenta vexilla, turmaliaque ſigna; ſex mulorum argenteorum toreumatum pondera, ſexaginta aureorum millia, parata copiarum ſtipendia; annonæ ingens modus in plures menſes Caſali alimenta ſuffecturus: aliaque permulta, quæ ciues, victoreſque Gallos affatim ditauere. Sed quod maximè omnium Hiſpanorum animos pupugit; ereptæ Leganij ſcripturæ, literæ, Regiſque arcana mandata, ex quibus eorum conſilia, mentiumq; abdita patuerunt. Tam inſignis victoria eò gratior, acceptiorq; fuit, quòd non pluris Gallis, quàm ſexcentorum militum cæde, paucorumq; ducum vulneribus ſtetit.

Victoriæ ditiſſima ſpolia.

Ciuium Caſalenſium lætitia.

Ex direptis hoſtium caſtris cruentus ex acie ouans vrbem inijt victor exercitus; inter mutuas ciuium, & militum gratulationes per omnia hilaritatis, gaudij, iucunditatis genera tota ea nox à ciuibus iuxta, ac Gallis exacta. Nulli ſomnus, vt in maximis, ac lætiſſimis ſolet euentis, obrepſit. Cantibus, acclamationibus, compotationibus, & ſympoſijs indultum. E contrà Vercellis, quo exiguæ victi exercitus reliquiæ cum Leganio Duce perfugerant; triſte iuſtitium, mœror, altumq; ac lugubre ſilentium. Eam cladem nimia ſui exiſtimatio, hoſtiumq; contemptus fecit Hiſpanis: cum nihil æquè belli pernicioſius ſit, quàm incurioſa ſecuritas, hoſtiumque aſpernatrix audacia.

TAV-

Digitized by Google

TAVRINORVM AVGVSTAE Oppugnatio, & Expugnatio

NARRATIO DECIMA SEXTA.

HArcurtius fuſo ad Caſale Leganio, exutoque caſtris, atque in vrbem valido inducto præſidio, non in tantæ gratulatione victoriæ, inſigniſque triumphi gaudio ſui impos inter acroamata, & militum acclamationes hæſit otioſus: ſed poſtridie eius fortunatiſſimi ſucceſſus diei Taurinorum Auguſtam victrices ſibique gratulabundas copias adduxit; nouam bellicam gloriam partæ cupidus addere; nihil adhuc à ſe memorabile actum ratus, niſi pulſo ex vrbe Principe Thoma, Matrem Ducem in ſua regia repoſuiſſet; ex qua ſuperiore anno fuerat expulſa; quòd illa à Rege fratre, & omnibus Gallis Ducibus enixiſſimè flagitauerat, & Rex Gallus ſuis miniſtris abſciſſis iuſſibus imperabat. Harcurtium eius expeditionis facilitas debile præſidium, ex quo plures cohortes ſubtractas ad Caſale nouerat; & Princeps octingentos equites miſerat: & exigua à Leganio Caſalenſi clade perculſo militum ſperanda ſubſidia ad eam vrbem oppugnandam animabant. Nec reliquias fuſi exercitus magnopere metuebat: quas iterum cum manifeſto amittendi Inſubrici dominatus periculo ab Hiſpanis incertis nouæ pugnæ caſibus nequaquam obiectum iri cenſebat: coniectabat inſuper vrbem non commeatuum tantum inopia premi, ſed etiam à rebus tormentarijs parum munitam: quibus Hiſpanicę, & Gallicę copiæ, Taurinæque ſimul aliæ ex alijs exhauſerant vrbem: nec aliunde clauſo Erydano, obſeſſiſq; vijs aduectas in vrbem eſſe: quam diu-

Quæ cauſa ad oppugnãdum Taurinum Harcurtium impulerint.

turniorem non paſſuram obſidionem plenam artificum, victum manu quærentium putabat. Verum ſpe vana plerumq; bellatores adducti hoſtium vires inani æſtimatione metiuntur. Nam ciuitas & commeatibus affluebat, & tormentorum farta nouo, inauditoque ingenioſi cuiuſdam Machinatoris commento excuſſa tormentis in vrbem ferreis globis incluſa torquebantur: & præſidium non erat adeò inualidum, vt mœnia tueri non poſſet: cum & ciues omnes pro ſua, communiſque patriæ ſalute, atq; incolumitate cum præſidiarijs coniunctiſſimi munera militaria alacres, promptique obirent: nec Leganius accepta clade animo fractus, aut viribus imbecillis timidus in Inſubribus ceſſauit; ſed coacto potentiori exercitu, à clade ferocior ſubſidio obſeſſæ vrbi feſtinauit; quam ab Harcurtio poſt Caſalenſem victoriam obſeſſum iri veritus protinus mille quingentos pedites partim Italos Demarcho Serra Duce, partim ſequanos Vuatemuillio dynaſta chiliarcho, electam, veteranamque manum præmiſit, mox ipſe cum reliquis copijs ſubſequuturus. Huius agminis acceſſu firmatum vrbis præſidium, & auctum quinque peditum millibus, & quingentis ex varijs gentibus validum non poterat Gallorum impetus formidare. Regijs copijs Leganius Antonium Sotelum ſummâ cum poteſtate præfecit. His quoque ſubſidijs plures pyrij pulueris cados, & bellica machinamenta adiecit: miſſis etiam feruentibus litteris ad propulſandos ſtrenuè Gallos Principem efficaciſſimè animabat; maiora præter ea ſubſidia pollicitus, ſe ipſum cum omnibus regijs viribus affuturum. Aduerſum Caſalenſis cladis euentum iocantis fortunæ luſum fuiſſe, quæ potiùs copias diſiecerat, quàm perdiderat; quas palantes ad ſua ſigna colligere properabat: vt adiectis, quas ex varijs partibus venturas propediem affore expectabat, potentior, & validior accederet, illum decuſſis Gallis obſidio ſoluturus.

Tellantium ſpes vana.

Leganius Taurinum ſubſidia mittit.

Leganius Principem Thomam literis animat.

Agmen à Leganio Principi ſubſidio miſſum nullo hoſte obuio repugnante, vrbem fœliciter inijt. Mauritius quoq; cum ſua equitum ala à Caſalenſi pugna regreſſus intrauit, ſed aliquanto numero minor: ob ingentem cædem, quam Harcurtij tormenta è collibus fulminantia ea pugnâ fecerant. Sed à Gallis occupatis viarum anguſtijs, & firmis cuſtodijs clauſis aditibus, exigua admodum iumentorum trahentium defectu, rei tormentariæ copia inuecta in vrbem eſt; & quadringenti equites ante oppilatas vias ex vrbe emiſſi ad plauſtrorum cuſtodiam redire prohibiti Principis, & vrbis aucto incommodo dubium propugnationis euentum fecerunt. Regio præſidio tria ciuium millia apta ad bellum addita ſunt: præter plures agreſtium manus, quos è ſuis mapalibus deſperatio, & belli terror excuſſerat, quorum labor ad foſſorum opera feſtinanda accidit admodum vtilis. Princeps, & ſi parum re tormentaria, & præſidiariorum numero validus, Leganij pollicitis confirmatus ſe tuendæ vrbi alacriter expedit, eaque omnia celeriter parat, quæ anguſtijs temporis inſtrui permiſſum eſt.

Subſidia Taurinum intrant.

Tauri-

Taurinorum Auguſta in amœniſſima planitie iacet duodecim paſſuum millia procul ab Alpibus, quæ ad cadentem ſolem ponunt Italiæ metam: ad orientem ad maioris ſclopi iactum procul mœnibus fluit Erydanus, quę ad Boream Duriæ amnis vndis alluuntur, atque exiguo interiecto interuallo, Sturia flumen excurrit, amboq; in Erydanum euoluuntur. Vrbs in tres regiones vniuerſa diſtinguitur in nouam, veterem, & arcem. Vetus, & noua vnis tantum mœnibus vallantur: noua vt propiùs Padum accedit, ita ab alpibus retractior ſpatioſam planitiem in medio relinquit, in qua arcis propugnacula, munimentaque ſurgunt; quæ à Pado remotior, cum fluminis nauigationem ſub ictu non habeat, ijs omnibus commodis caret; quæ fluminum vicinitas affert; nec nauium curſum tormentorum miſſilibus intercidere poteſt. Arx ſtellæ radiantis figuram exprimit, quinque propugnaculis per æqualia interualla circum in planitiem procurrentibus. Tota vrbs foſſa, & muro ſepitur, vtrinque prominentia propugnacula latera quatiunt. Princeps Thomas cum nunquam ſe in vrbe obſeſſum iri putaſſet totus obmoliendis contra arcis iaculationes aggeribus ad tegendam vrbem intentus, cæterorum diruta mœnium reſtituere noua aſtruere munimenta, deprimere foſſas, expurgareque neglexerat; ſed poſt Caſalenſis cladis euentum præcauens ſibi pro expugnanda arce, mœnia ab hoſtium aſſultibus eſſe tuenda, in muniendis mœnibus, extruendiſq; propugnaculis diligentiſſimè omnes curas intendit. Illi omnium potiſſima cura fuit pontem vtrinq; parmulis, atq; aggeribus munitum valido impoſito præſidio ſeruare: per quem apertũ poterant à Leganio promiſſa tranſmitti ſubſidia; quo ab hoſte clauſo, tranſitu auxilijs intercepto, oppugnãti ſuccumbendum erat. Neq; poterant in hoſtilis exercitus oculis vltra flumẽ amicæ copiæ traduci, toto ſe illo in aduerſo litore prætendente. Pons totus conſtructus lapidibus arcuatur inſigni certè, ac mirabili ſtructura. Propè leuum pontis caput exiguum ſuburbium à cæteris ciuitatis domicilijs auulſum protenditur: dextro imminet collis, in quo Patrum Capuccinorum cænobium exurgit: litori perpetuus collium obiacet ordo, quorum quaſi per gradus ſe ſe alij alijs altiores educunt. Hunc igitur pontem ad vtrumq; caput Princeps firmis eductis aggeribus, ac parmulis munit. Cęnobium quoq;, ſacramque ædem eorumdem Patrum propugnaculis vallat; atq; in alio eminentiori colle cęnobio imminente munimentum condit, trecentorumq; peditum veteranorũ præſidiũ in hæc omnia propugnacula induxit: quindecim dierum illis annona, reiq; tormentariæ copia tributa, intra quos ſperabat Leganium cum toto Hiſpanico exercitu affuturum.

Taurini deſcriptio.

Princeps Thomas Taurinum munit.

Padi pontem munit.

Nec dum ijs perfectis affabrè propugnaculis, quando Gallicæ copiæ tripartito ſe vrbi circumfudere. Prima agmina clauſis momento Seguſij, Lanzij, & Canabini tractus aditibus, vrbem ſubiere, quà Duriæ fluminis ſtringitur vndis, & Principis delitioſa viridaria ad illum vrbis angulum pertinent; quod viride propugnaculum vocant; ad cuius loci tutamentum

Galli Taurino ſuccedunt.

Digitized by Google

tumultuario opere munimentũ forc ipis *inſtar* Princeps raptim excitarat.
Reliqua Gallici exercitus pars in imminẽti propugnaculo ad Patrũ Capuccinorum cænobium, vt diximus, colle tetendit: aliquot legiones ad Montem Caſerium per pontem ligneum traiecto Pado, ad Palatium Valentinum prouectæ poſt leuia certamina fugato præſidio, eo loco, vna cum ſuburbio inter vrbem, & pontem iacente potiti ſunt. Inde recta ad pontem ipſum oppugnandum promoto agmine, ſaucio præſidij Duce, qui fortiſſimè Gallis irruentibus repugnaret, pulſi præſidiarij per collis ardua cænobium verſus ſe cædi ſubducunt. Verum neq; hic diù conſiſtere licuit, occupato à Gallis illo exiguo propugnaculo, quod Principem Thomam ſupra Cęnobium cõdidiſſe memorauimus, ex quo ſupernè tormentorum miſſilibus Cænobium quatientibus Gallis, non ardui negotij fuit, inde quoq; Taurinõs expellere, quamuis bis Gallos conatos intra munimẽta irrũpere ſtrenuiſſimè pręſidiarij per valli prona pręcipites deturbaſſent. Horreſcit calamus ſcribere quæ impia, nefaria, ſacrilega in ſacra æde Gallorum impietas egerit (Honor religioſis, pijſq; auribus habitus ſit) nõ enim ſolum in eos promiſcua cæde bacchati, qui ſe in illa ſacroſancta effugia, atq; adyta receperunt, omnibus internecione deletis; ſed etiam ſacra vaſa diuinis myſterijs addicta, ſacrataq; nullo à profanis diſcrimine rapuerunt. Sed hoc commune militum mortalium omnium profligatiſſimorum ſcelus, & flagitium non ſacris rebus, non matronarum, non Virginum pudori parcere, ſed omnia nullo Dei ſcelerum vindicis metu flagitioſiſſimè inceſtare.

Mõcaglier.

Pontis præſidiarij fugantur.

Gallorũ nefaria impietas.

His fœlicibus tentamentis, & auſis in certam victoriæ ſpem Galli animoſiores erecti, ſuperata munimenta accuratiùs, peritiùſque firmare nouis additis propugnaculis, & vallis inſiſtunt. Extruunt inſuper in eminentiori omnibus loco per collis dorſum aliud munimẽtum, ex quo cuncta inferiora propugnacula miſſilibus verberabant: & vtrumq; pontis caput ducto ad ſuburbiũ vſq; aggere, firmant: cuius cuſtodię Comes Pleſius Pralinus cum duobus equitũ millibus, & equitũ mille præficitur. Reliquæ copiæ in varijs circa vrbem ſtationibus diſpoſitæ ita vrbem ſepſerunt; vt neque litteris alicuius ſubſidij nuntijs, ne dum ipſis ſubſidijs aliquis pateſceret aditus. Angebat maximè Leganium rei tormentariæ inopia, qua premi vrbis præſidiarios, ciueſque nouerat. Id circo Carolum à Gatta cum duobus equitum millibus Eporediam feſtinare iuſſit, vt inde ſublata tormentorum farta Taurinorum Auguſtam, ſi fieri poſſet, inueheret. Properauit ille quinq; paſſuum millibus propè vrbẽ, admonitoq; ſui acceſſus Principe, ab eo iuſſus eſt ſe celeriter inde recipere, ob inſuperabiles difficultates, quę illaturo ſubſidium vincendę erant. Sturia etiam, & Duria traijcienda erant, quorum ſe totis litoribus Gallica agmina prætexerant tranare auſuros maiorum ſcloporum miſſilibus confoſſura. Per Canabinam Regionem regrediens diui Mauritij municipium à Gallis recens occupatum, & diripiendum ea calamitate exemit, cæſis ad vnum omnibus Gallis.

Galli ſe muniunt.

Carolus Gatta Taurinũ ſubſidio properat.

Harcurtius interim in Valentino Palatio deſes ceſſabat nullis

vineis,

vineis, & pluteis vrbi promouendis obſeſſos infeſtans. Cuius importuni otij curioſiores aliqui cauſam ſcrutabantur, aiebantq; ipſum ideò nihil vlterius tentare; quòd auditis formidandis bellicis apparatibus, qui ad ferendum obſeſſæ vrbi ſubſidium à Leganio expediebantur, non auderent iuſto obſidio vrbem vrgere; ne Mediolano cum eo valido exercitu ſuperueniens, ſe in proprijs caſtris inuadẽs cladem ad Caſale acceptam reponeret, elueretq; dedecus inuſtum maiori parta victoria: atque ea de cauſa libratus quodammodo expanſis alis hæreret intentus, quibuſnam viribus tandem Leganius accederet; vt nactus inferiorẽ progreſſus in apertos campos venientem oppugnaret: eodem validiore comperto, poſſet intra arcis tormẽtorum iactus copias ſubducere, mutuoq; adiumento ipſam, à qua tegebatur, tueri. Quare profundo conſilio vrgẽtis obſidionis operibus abſtinebat; bombarum tantum iaculationibus, quæ ex arce torquebantur in vrbem, ciues terrebat; vt ijs terriculamentis illos in obſequia, & fidem Matris Ducis impelleret, ſolicitabatq; mitibus, & lenibus miſſis in vrbem pro tormentorum globis chyrographis, propoſitis ingentibus premijs ciuium animos, ſi quid in Ducis Matris ſtudium præclari conarentur. Verum omnia Harcurtij tentamenta, & illicia fruſtra fuere; omnibus tam ciuibus, quàm militibus concordibus animis contra Gallos pro Principe conſpirantibus. Quare cum mitiores artes nihil proficerent, Harcurtius aſperiora admouere decreuit. Duria amnis aliquantum ſupra vrbem in emiſſarium influit, per quod aquæ ad vrbis molendina deriuantur. Obſtrui igitur illud incile aggeſta tellure, de nocte iuſſit: vt aqua ſubtracta, fruges moli non poſſent, ac proinde ciues farinæ penuria preſſi tumultum aliquem excirent. Erant in vrbe duæ tantum truſatiles molæ, quibus illicò aliæ conſtructæ additæ non poterant tamen tot ciuium millibus, & militum multitudini farinam conficiendo pani ſufficere; nec ſine manifeſto cladis diſcrimine obſtructum emiſſarium ſtationibus hoſtium vicinum diſiecto aggere, potis erat aperiri. Ad maiorem etiam deſperationem vrbem abſciſſa penitus ſubſidij ſpe, Gallus cœpit vrgere, aggreſſus tandem illam vallo, munimentiſque ſepire, ac immani, enormique aggerum circuitu vndique claudere, à Padi litore per planitiem occaſum verſus, vſque ſacram cruciculæ ædem contra arcem, & ponè eam vſque Purpuratam, & Duriam, qua tranſmiſſa, ab aduerſo litore ad ruſticum domicilium, quod Blanchinam vocant, atque inde per Magdalenas declinato gyro, vſque ad eiuſdem amnis fauces, atque eius interfluentibus aquis, interciſo circuitu, iterum continuato aggere, ad vicina Padi litora pertinente, ductis caſtrorum munimentis. Octo paſſuum millia valli circuitus amplectebatur, ſurgebantq; crebra per interualla propugnacula, validis præſidijs cuſtodita. In quatuor præcipuis ſtationibus æquis ſpatijs circa vrbem totus partitus Gallicus, & Taurinenſis tendebat exercitus. His aggeribus hoſtium clauſi veluti in vinculis ciues ſuis fortunis, & ſaluti imminentia diſcrimina metuebant; nec aliud afflictos

Harcurtius importunè otiatur.

Harcurtius Taurinenſiũ animos ſolicitat.

Aquam vrbi adimit.

Vrbem obſidione circundat.

Enormis Gallorũ caſtrorum ambitus.

 animos

animos roborabat; quàm aduentantis Leganij cum ſubſidiario exercitu ſpes, quam crebri nuntij identidem alebant. Ille enim à Caſalenſi clade quatuor, & viginti diebus collectis fuſi exercitus reliquijs, & nouis militum ſupplementis, ad iuſtum numerum auctis copijs, Vercellis Creſcentinum, atque inde per pontem, quo amnem ibi conſtrauerat, Cherium cum vniuerſo exercitu profectus caſtris hoſtilibus imminens agitabat, qua nam parte diſruptis caſtrorum munimentis in vrbem peruadere poſſet.

Leganius ſubſidio Taurinum accurrit.

Subſidium meditante Leganio, Princeps Thomas ad experiendas Gallorum vires, ſuique præſidij virtutem probandam, equitum turmis, & peditum cohortibus validus, nocte erupit ex vrbe, atque in Mottæ Galli dynaſtæ vltra Duriam ſtationem diluſcecente Aurora inuectus, dum vigiles, & milites ſimul ſomniculoſi dormitant, obuios quoſque ingenti cęde proſtrauit: & vſque ad fori armamentarium impetu illato, plurimos obtruncauit: antequam impactis vulneribus ſomno diſcuſſo, ſe ad pugnam conſtructis ordinibus, expedirent: quibus iam cędem vlciſci parantibus, Princeps reducto ſub tormentorum vrbis miſſilium iactum agmine, nemine ferè amiſſo, vrbem ab hoſtium cæde cruentus triumphans inijt. Huius fœlicitas eruptionis euentus iam cadentes ciuium animos in ſpem fortunæ melioris erexit; quo alacres, & expediti valido agmine moſchettariorum cohortium ſubſidio firmato vrbe egreſſi rupto aggere, iterum aquam in emiſſarium ad voluendas molendinorum molas deriuarunt. Sed omnium maximè ciuium animos confirmauit ſubſidiarij Hiſpanici exercitus in colliium faſtigijs ſe ſe oſtentantis intuitus. Quatuor equitum millibus, & ſeptingentis equitibus moſchettarijs, & duodecim peditum millibus vniuerſis Hiſpanorum conſtabat exercitus: quem inſuper validæ equitum, & peditum manus à Principe Cardinale miſſæ firmabant. Addiderat ſe quoque ſexcentorum agreſtium, montanorumq; turba, quos ex ſuis mapalibus, & gurguſtijs in arma rerum deſperatio expulerat. Hic circumfuſus tam potens, & validus Hiſpanorum exercitus non Gallis terrori tantum, ſed etiam admirationi fuit: quos ad Caſale penitus deletos rati nunquam credidiſſent, eos tam cito potentioribus viribus ſurrecturos; & tum maximè ſi quando alias validos affuturos: & cum eſſent ipſi Hiſpanis bellatorum numero debiliores, & vix enormis caſtrorum circuitus vaſtitatem munire, immanemque valli ambitum propugnare poſſent: de futuri obſidionis euentus fęlicitate dubijs, & ſolicitis animis æſtuabant. Leganius, & ſuopte ingenio, & inuiolabili mentis decreto, ea omnia certus vitare belli, pugnæq; pericula, & caſus, qui ab incertæ Martis fortunæ arbitrio pedent, à collibus Padi litori imminentibus vrbi afferre ſubſidium decreuit: præcipuè ab ijs, qui hoſtium præſidijs cuſtoditi deſuper Patrum Capuccinorum cœnobio, & ponti incumbunt: vt eo ſuperiori propugnaculo, decuſſis Gallis, potitus inferiora omnia munimenta, ipſumq; pontem tormentorum miſſilibus verberaret, quo auſu, generoſoq; conatu non ſolum inferendo vrbi ſubſidio viam aperuiſſet; ſed etiam Gallos longè militum numero

Princeps Thomas erumpit in Gallos.

Galli à Taurinis cæduntur.

In emiſſarium inducitur aqua.

Hiſpani exercitus robur Gallis terrori, & admirationi.

mero debiliores repoſita Caſalenſi clade, cruenta cum cęde fudiſſet. Princeps Thomas ex ſubſidiarij exercitus in eorum collium faſtigijs aſpectu, multòq; certiùs ex flammarum, & luminum frequentia totis ſocijs caſtris collucentium coniectans, Leganium eadem nocte per hoſtium munimenta, dato impetu irrupturum in caſtra, ſub primas noctis tenebras eductis ex vrbe omnibus præſidiarijs, ponti acceſſit Gallorum cuſtodias aggreſſurus, eodem momento, quo Leganius ſuperiora propugnacula inuaſiſſet; ne hoſtis ancipiti pugna diſtentus Leganio minor viribus poſſet obſiſtere. Verum ille antequam caſtra inuaderet, coactis in prætorium copiarum Ducibus ipſos de rerum ſumma diù conſulendo in ſequentem diem impetum diſtulit; qua perniciosa mora Princeps ſua expectatione fruſtratus in vrbem præſidiarios reduxit. Galli verò totam eam noctem abſciſſa maximè, & abrupta, regeſta inde tellure, propugnaculi ima ſolicita cura facere inſtiterunt: adeò vt aſcenſu arduo, atq; inſuperabili redditum inexpugnabile quoq; fieret aggredientibus. Ad hanc quoq; caſtrorum partem tuendam accito quidquid roboris, quidquid validi erat in copijs cum peritioribus, veteraniſque copiarum Ducibus, incubituræ Hiſpanici exercitus moli Harcurtius obiecit: ratus ex eius propugnaculi propugnatione, & expugnatione vrbis quoque vtranque pendere fortunam. Leganius poſtera die conſpecto, quàm nocturnus hoſtium labor præceps, & arduum propugnaculum aſcenſu inſuperabile effeciſſet: ab impetu dando abſtinens quatuor etiam alios dies in eorum collium faſtigijs copias otio detinuit. Libratis tamen in collis eminentioris dorſo tormentis omnia Gallorum inferiora propugnacula concutiebat. Galli ea continua globorum procella lacerati cum neque pro vallo ſtare, neque intra tabernacula tuti ab ea peſte conſiſtere poſſent; vt ea ſe moleſtia expedirēt: nocte concubia validi in Hiſpanica munimenta erumpunt, vt ijs potiti eam peſtem auerterent, vel ſaltem tormenta adactis ſpiraculo clauis ferreis occæcarent. Verum neutrum aſſequuti ab Hiſpanis cum cæde repulſi intra ſua munimenta minores numero, & animis rediere. Leganius cum ea miſſilium iaculatione hoſtium munimentis demoliendis nihil ſe ad rerum ſummam proficere videret; & propugnaculorum præſidia oppugnare auxiliares ſubinde cohortes, & turmas vicino illis exercitu ſufficiente, inſani moliminis eſſe: atque vrbem vndique hoſtium caſtris obſeptam cito, præſentique ſubſidio indigere, caſtra inde ad Montem Caſerium mouet. Hoc oppidum incolis frequens aliquantum ſupra Valentinum in læuo Padi litore flumen ligneo ponte committit: per quem copias traducere, quando à Patrum Capuccinorum pontis traiectu arceretur, verſabat animo: iamque moſchettariorum equitum legionem ad eum occupandum præmiſerat: illi oppido primo impetu capto, pontem quoque deiectis Gallis, ſe aſſequuturos ſperabant; ſed ij cum pontem contra validiorem hoſtem tueri non poſſent, eo exuſto diffugerant: quare alio nouo conſtructo flumen conſternendum erat. Carolum igitur à Gatta iuſſit valido agmine

Hiſpanus exercitus in colliū dorſis ſe obſeſſis oſtentat.

Leganij perniciosa mora.

Harcurtius ſe diligentius contra Hiſpanos munit.

Galli miſſilibus inceſſuntur.

Gallica rūpendi caſtra difficultas.

Hiſpani Eridanum ponte iungunt. Montem caſerium illicò feſtinare, atque alio aliquantò ſuperius veteris veſtigia flumen ponte iungere, vbi duæ exiguæ inſulæ aptum iaciendo poſitum præbere videbantur. Ille iuſſibus parens abijt, traductiſque in vlteriorem ripam nauigijs, quingentorum equitum agmine Ioanne Benedicto Laumellino Genuenſi patritio maiori ſtatore chiliarcho, pulſis hoſtibus, qui litus inſederant, ſe aggeribus, & parmulis extructis contra Gallorum aſſultus feſtino labore munit. *Harcurtij mentis ſolertia.* Harcurtius vbi Hiſpanos traieciſſe Padum, valloque ſepire ſe ad tutum reliqui exercitus traiectum cognouit; rei momento celeri mentis ſagacitate æſtimato, quantum vniuerſę expugnationis vrbis expeditioni nocitura erat, fruſtraturaque oppugnantium labores, ſi Leganius ponte Patrum Capuccinorum excluſus illic tranſmiſſo cum tota mole exercitus amne, caſtrorum munimentis vniuerſis viribus ſuccederet. Protinus Vicecomiti Turenio equitum magiſtro imperat, vt ad illud hoſtilium munimentorum opus impediendum, arcendumque tranſitu hoſtem feſtinet. *Ad deturbandos Ponte Hiſpanos Turenius mittitur.* Turenius valido moſchettariorum peditum agmine aliquot equitum turmis firmato accurrit: mox ipſe Harcurtius formidando bellatorum numero ponè ſubſequitur, vt præſto primis pugnantibus eſſet: ſi ab hoſtibus pellerentur. Locum illum, in quo ſe munierat Laumellinus, ingens in altitudinem perducta foſſa Padi aquis plena magna ex parte ſepiebat. Vbi Galli in foſſę crepidine conſtiterunt, ſe ſalutis periculo committere non auſi immobiles hæſitant. Turenius acriùs eorum ignauiam obiurgans, & turpem increpans metum, ſe vnà cum aliquot agminis ducibus ſtrenuè coniecit in aquas, pectoreque tenus extans ingenti animo foſſam tranauit. *Turenij egregius auſus.* Cæteri milites fortiſſimi Ducis exemplo animati rupta mora, excuſſoque metu, Turenium ſequuti foſſam intrepidè traijciunt: qui ſuperante numero hoſtibus circumfuſi, alijs ſubinde vbi foſſa deſinebat, irruentibus, cum ijs operi munimentorum intentis conſerunt manus: quibus cum nulla ſubſidij ſpes interfluente Pado, neque vllus receptui aditus pateret: ipſæ anguſtiæ animos faciunt, & ferociùs, & acriùs quàm pro numero, & viribus pugnant. *Turenius vulneratur.* Turenius inter promptiſſimos dimicans graui vulnere ſauciatus pugnæ ſubducitur. Statim exijt in militum vulgus illum cæſum eſſe; quod aliorum animos terruiſſet, ita Gallos efferauit ad pugnam; vt lymphati, impotentiq; rabie acti in præſidiarios nulla ſalutis cura ferrentur; neminiq; vel abiectis armis præcarium ſpiritum depoſcenti pepercerint, ſed in omnes pari cæde ſæuierint. *Galli acriorem iterant impetum.* In ipſum quoq; Ducem Laumellinum captum crudelitas victoris inſanijt: qui cum pro ſua ſalute ingés auri pondus ſuę libertatis pretium victoribus obtuliſſet; ſuam magis iram, ſæuitiamque eo obtruncato, quam auaritiam explere maluerunt natiuam pecuniæ militum cupidinē crudelitate vincēte; *Eorum in Hiſpanos ſęuitia.* quod adeò irritauit Hiſpanos, vt in captos, victoſque Gallos nullo dignitatis diſcrimine pari crudelitate ſæuierint: cruentiſſimo, crudeliſſimo inter partes exardeſcente bello. Galli traiectu fluminis bis repulſis Hiſpanis, iam certam ſibi victoriā polliciti conceptæ animis inſignia lætitiæ feſtis tormentorum tonitruis, emiſſis

maiori-

Digitized by Google

maioribus ſclopis, nocturnis ignibus, & elatis clamoribus præbuereiquod ita ciuiũ,Hiſpanorumq;animos perculit,vt de proſpero eius propugnationis euentu vtriq;ſpem ferè omnem abiecerint:cũ Padũ traijcere in potentis exercitus oculis,trãſitũ impedictis nõ potis eſſet omninò;in quo ferẽdi ſubſidij inerat ſumma.Conſulũt igitur Hiſpani Duces,an alio tẽtamẽto,conatuq;auertẽdus eſſet hoſtis Carmaniolę exercitũ admouẽdo: quando obſeſſis rectà ſuccurri nõ poſſet:an alio auſu hoſtis ea obſidione decutiendus. *Galli ſibi de victoria partem aſſequuti gratulantur.*

Ipſe Princeps Thomas ſuadebat,conſpecta fluminis trãſitus difficultate,vt lõgo circuitu ad Auguſtã prætoriã viginti paſſuũ millibus ſupra vrbẽ promoto exercitu,vbi flumẽ breue aperit vadũ,Padũ trãſmitterẽt;ſed cũ lõgũ iter graui mouendo agmini videretur,& reditus difficilis foret;nec ſine diſcrimine,ne ab hoſte campeſtre cogerẽtur ad præliũ,reiectũ omninò Principis cõſiliũ eſt.Verũ tãtus erat Leganij animi ardẽs ferẽdi Principi ſubſidij cupiditas;vt iterũ fluminis trãſitũ tẽtãdũ decerneret: ſed paulũ infra Mõtẽ caſerium,vbi padus latius ſe explicãs trino aquarum diuortio duas paruas efficit inſulas recipiendo ponti primis aptiores, vbi Hiſpana virtus eliſa Gallico furori ſuccubuit. Flumen imbribus auctum intumuerat, & aduerſum litus aggeribus munitum validis hoſtium præſidijs tenebatur: obiectæ nihilominus difficultates ab audendo traiectu Leganium minimè morabantur. Itaq; eundem Carolum à Gatta ſed validioribus viribus firmum ad explorandum loci ſitum contendere iuſſit:ille collineatis in litore tormentis,& aliquot lintribus militum cohortibus impoſitis,per noctis tenebras imperat,vt in Inſulas exſcendant;quibus ſilentio appulſi milites,iiſdem nauigijs aduectis ramorũ faſcibus in viciniori hoſtibus inſula tumultuario extructo munimento, ſe vallant: & antequam Auroræ fulgores nocturnas tenebras diſcuterent, perfectum eſt opus; ſed maioris ſclopi fortuito concepto igne exploſi fragore tandem expercti hoſtes prompti ſe ad litus propugnandum expediunt. Vtriuſq; exercitus ſupremi Duces ad ſua quiſq; litora properarunt in rei euentum intenti, ex quo rerum ſumma pendebat. Gallus ad militum exſcenſionem impediendam altiores, & firmiores aggeres obmoliri conatus, perpetuis miſſilium tormentorum iaculationibus ab aduerſo litore non intermiſſa procella magna cum ſtrage repellitur: quamuis ibi omnium copiarum promptiſſimi, ac fortiſſimi accurriſſent: ſed ne impunè telorum tempeſtate ſui lacerarentur, Harcurtius longius cohortes ſeduxit extra maioris ſclopi iactũ, ne in proximæ inſulæ litore conſiſtens Hiſpanus iaculis confoderet viciniores: iuſſitq;tantum intentos eſſe,vt primos in litora deſcendentes miſſilium iactu conficerent. *Villa frãca. Principis Thomæ cõſilium reijcitur. Leganius flumen ponte iterũ cõmitti iubet. Hiſpani in litore Padi ſe muniũt.*

Nec mora Hiſpani vt litus deſertum ab hoſtibus vident, flumen illicò ponte conſternunt, traductaq; in aduerſum litus militũ centuria,ad pontis caput raptim parmulam moliuntur:cui dum operi diligenter inſudant; firmum,Gallorũ peditũ,& equitũ agmen confertis ordinibus feſtinat ad litus, vt certũ opus fugatis foſſorib. & militib. ruat,qui iuſſi recedere, ſi ab hoſte inuaderẽtur,in inſulã per põtẽ ſe properè receperũt;quo nõ adhuc bene fir- *Hiſpani Padum ponte conſternunt.*

mato

Fons ſcinditur.

matos ſolutis compagibus rupto, quinque, & viginti in flumen lapſi hauſti fluctibus perierunt. Non ceſſante tamen ab inſula excuſſa miſſilium denſa omnis generis tempeſtate, tormentorum fulminibus miſta Gallos in ea planitie inſtructa acie ſtantes inceſſere. Harcurtius receptui canere iuſſit: ſummotoq; longiùs agmine, non modo litus, ſed etiam campos ſuorum cadaueribus conſtratos, & horridos deſeruit: relictoq; libero hoſtibus fluminis traiectu, copias intra caſtrorum munimenta ſubduxit.

Galli miſſilibus lacerati recedunt.

Hiſpani Hoſtis aduerſantis metu, moleſtiaque ſoluti firmato ſolidiùs ponte, tranſmiſſo Pado, in obiectam planitiem victores inſigni parta gloria deſcendunt. Hæc Gallorum clades Hiſpanorum primi traiectus tentamenti cædem æquauit: tunc enim plures copiarum Duces, & ipſe Arcis Taurinorum Auguſtæ præfectus, qui ſubſidio cum ſuis præſidiarijs ad ſummouendos tranſitu Hiſpanos accurrerat, traiecti miſſilibus ceciderũt.

Hiſpani flumen traijciunt.

Harcurtius veritus, ne in ipſa caſtrorum munimenta Hiſpani impetum facerent; aſſidua cura educere altiùs aggeres, crebriora extruere propugnacula; firmiora præſidia locare, maioraq; obſtacula obmoliri. Non tamen hæc exterior cura Harcurtium ab infeſtandis acerbiùs ciuibus, & affligendis auertit: gnarus enim quantopere deriuata aliò molendinorum aqua premerentur; ad incilis fauces latiores aggeres extrui iuſſit, quibus aquæ intercepto curſu, molendinorum areſcerent rotæ; quod vt vrbis malorum poſtremum, ita Principem, & ciues impulit; vt illud pernicioſiſſimum opus impedire conarentur.

Harcurtius Vrbi aquã eripit.

Validum igitur eorum agmen operas aggrediuntur, quo in ſolitum canale aquas immitterent: ſed à Gallis longè numero ſuperioribus foſſores tuentibus, excepti vulneribus retro irrito auſu compelluntur: ſed validiores regreſſi iterum ruptis aggeribus, in incile aquam deducunt: quòd ſtatim obiecta tellure, à Gallis obſtruitur. Quare aliæ conditæ truſatiles molæ, manuariaq; molendina aſſiduo labore farinæ inopiam vtcumq; leuabant.

Ciuium cũ Gallis ad Emiſſariũ pugna.

Verum nihil acerbiùs ciues angebat; quàm Leganij inutiles, otioſæq; moræ, quem ſperauerant tam inſigni virtute traiecto pulſis hoſtibus, Pado, ſtatim eodem impetu in hoſtium caſtra copijs immiſſis, perculſis terrore Gallis eodem victoriæ curſu inſtaturum; & tamen ille, qui tanta cura ad ſubſidium ferendum aditus circumquaque hoſtium caſtra veſtigans tentauerat in vrbem per hoſtilia munimenta peruadere; & de obſidio vrbe ſoluenda, ſaluteq; Principis laborare tantopere videbatur: in ea parta planitie hærens otioſus, nihil ampliùs ſubſidium obſeſſis ferre curabat.

Ciues de Leganij cunctatione queruntur.

Hoc enim ille animo propoſuerat; ſe ita in eo plano munire, vt ad campeſtre certamen; & ad vniuerſi belli fortunam ab Harcurtio cogi non poſſit: vt eo ſeruato exercitu, Hiſpani Regis ditionibus proſpiciens Inſubrum ſaluti conſuleret. Quare potius hoſtem fame ab ea obſidione, quàm armorum violentia decutere cogitauit: ne eas florẽtes copias incertis præliorum caſibus obtruderet. Ciues cum Principe Thoma de Leganij deſide mora ſine fine querebantur eius conſilij neſcij conficiendi fame, non ferro

Cautum Leganij conſilium.

hoſtis,

hoſtis, & citra pugnæ aleam intercludendo caſtra commeatibus,ab ea obſidione pellendi. Tutius ſanè, ſed longioris moræ victoriæ parandæ conſilium; quod ſi nimia Principis animoſitas, & bellicus ardor, pugnandiq; cupiditas opere impleri ſiuiſſet: Hiſpani eo perículoſiſſimo bello defuncti, Gallos in deditionem, ſuumq; arbitrium concedere coegiſſent. Sed adiuuant Superi victoris futuri conatus, & ſalubria etiam vincendi conſilia conſtringunt. Princeps Thomas non ſe priuatum alicuius obſeſſæ vrbis præfectum eſſe putabat, vt vltima ſibi patienda eſſent, atque ad extrema compulſo, quaſcumq; daret victor leges, cogendus foret accipere; proinde ſuæ dignitatis, decoriſq; eſſe proſpecta è longinquo dedendæ vrbis neceſſitate, atque inſuperabili accipiendi ſubſidij difficultate, ſibi cauere, atque honeſtioribus, quæ Principem decerent, conditionibus maturare deditionem, ne à victore precarium ſpiritum poſcere cogeretur. His Principis querimonijs minæ, obteſtationeſque addebantur, ſe ampliſſima Galli Regis pollicita accepturum, diſertè obnuntiantis: ſi Leganius ad Hiſpani Regis duntaxat commodum ſuas omnes cogitationes, conatuſq; dirigeret, totoque eò bello ſpectaret vtilia: illi quoque non iniquum, aſperumque videri debere, ſi ipſe etiam nihil penſi habitis communibus rebus, ſuæ domus, familiæq; ſaluti proſpiceret. Ita mutuis altercationibus Princeps, & Leganius toto eo obſidionis tempore à ſe inuicem diſſidebant; dum ille ſe ſua expectatione fruſtrari, nulla tot promiſſis præſtita fide, perpetuo quereretur: hic ſe à Principe in præcipitia, pernicioſaq; conſilia obtorto collo trahi, compelliq; ad damnoſos auſus ad rerum ſummam euertendam acribus expoſtulationibus clamitabat: quæ cautioribus recta conſilijs nullo copiarum diſcrimine, nullius iactura militis ſedendo certam victoriam erant allatura, nimiæque bellicæ audaciæ, & præcipitis ingenij Principem arguebat: hic viciſſim Leganium nimium cauti metus, & tardi ingenij accuſabat, qui tamen nullis Principis querimonijs à ſuo propoſito debellandi fame hoſtis abduci potuit. Equitatum itaq; iuſſit totum circum agrum vago diſcurſu explorare, omneſque vias ſcrutari; ſi quę alimenta obſidentibus afferrentur: quotidie intercepti commeatus, fugatæ cuſtodiæ, auectaque annonæ plauſtra nuntiabantur: quod bellandi genus proficere, vrgere magis hoſtem, quàm vi caſtris illata videbatur. Namq; adeò Gallorum caſtra commeatuum premebat inopia; vt obſeſſores milites emendicare panis fruſtum ad mœnia à ciuibus non puderet, quo, plerumque etiam annuente Principe, miſeri donabantur: & cum in vrbe pabuli, herbarumque penuria ad equos alendos laboraretur: Galli allatis fœni, herbarumque faſciculis pane mutabant. Ex quo poterat conijci quanta obſidentes fames conficeret, qui ab hoſtibus ad vitam tolerandam precari panis fruſtula cogerentur. Quæ omnia Leganium magis in ea belli adminiſtrandi ratione firmabant, atque à pericuſoſo obiectandi exercitus prælio, inuadendique hoſtilia caſtra conſilio penitus auertebant: præcipuè cum gente fame enecta, rebus ſuis deſperante eſſet iniquè pugnandum. Ex tanta ho-

Principis nimius pugnæ ardor.

Principis ad Leganiũ obnuntiationes.

Gallorum castra fame vrgentur.

ta hoſtium patientia qui tandem ob ſola victoriæ gloriam, & bellici decoris ornamentum tot incommoda fortibus animis patiebantur. Leganius putabat tolerantiæ, continentiæ, fortitudinis documenta Principi eſſe ſumenda: cum quo tamen non ita malè agebatur, vt non ad vitã ſuſtentandam alimentorum copia ſuppeteret, & ſi cupedijs, & quæſitioribus cibis careret. Erat ſumma per omnium militum etiam hoſtium ora, abſtinentiæ, parſimoniæ, conſtantiæque in tot anguſtijs Harcurtij celebritas: quibus virtutibus ſuos milites ad duriſſima quæque perferenda non roborabat modò, ſed etiam aſperrimæ militiæ diſciplinam docebat; qua quolibet ferro, & violentia potentiùs ferendo victoriæ maximæ obtinentur. Vulgari, communiq; cibo, paneq; veſcebatur: ſi quid delicatioris veneratio militum offerebat, conſtanti animo recuſabat; omnia ciborum ſcitamenta, ad militum documentum reſpuebat: patientia, tolerantia, incredibili quemque gregarium militem ſuperabat; non minori frugi erat de copiarum vulgi fęce militis quadra, quàm ipſius menſa, atqui natalium ſplendore, nobilitate familiæ, & clariſſimi generis amplitudine quoſque Gallos Principes ferè æquabat.

Harcurtij eximia patientia.

Harcurtij mirãda exẽpla.

Leganio itaq; videbãtur Principi obſidionis incommoda, & mala multò minora, quàm in Gallicis caſtris Harcurtius, cæteriq; Duces patiebantur, eſſe ferenda; ne animi magnitudine, patientia, pectoris robore, virtute, conſtantia ſibi Harcurtius excelleret. Alij verò omninò erant Principis ſenſus, ſibi, ſuæq; dignitati, atque amplitudini, & ſororibus periculum metuentis, ſi Leganij deſtinata aliquod belli infortunium euerteret. Cum igitur pati non poſſet, ſe ſui conſanguinei Regis miniſtri arbitrio, voluntatique ſubijci, iteratis queſtibus cęlum æſtuans ira feriebat. Angebant etiam Principem ciuium querimoniæ, imbellium ſenum, fœminarum, puerorum turba omnium rerum affluentiæ aſſueta, quam ferax, pingueque ſolum affatim incolis ſufficiebat. Quare Leganij bellandi rationem deteſtans, illum quotidie ſolicitabat, vrgebatq;, vt aliquando tandem hoſtilium caſtrorum munimenta totis copiarum viribus admotis, inuaderet: non laturas impetum enectas fame, debileſq; Gallorum cuſtodias; ſeque tot malis, & miſerijs eximeret.

Principis impatiẽtia.

Verum nihil illum à ſuſcepto macerandi, vincendiq; fame hoſtis conſilio Principis querelæ abducere potuerunt: quas vbi ſe irritas ventis effundere, neque quicquam illius animum afficere videt; ſuadet, vt quando hoſtem domitum fame pergeret debellare, & cunctando ab ea obſidione depellere: impoſito ad Montiſcaſerij pontis cuſtodiam firmo præſidio, Graliaſcum, & Colenium omnibus copijs contenderet tria paſſuum millia ponè Taurinorum Auguſtam oppida Pinaroli, & Seguſij vijs obiacentia; cum Colenij poſitis caſtris, ſupra Duriam non Seguſij tantum, & Pinaroli, ſed etiam Canabini tractus, Taurinorumque viæ, atque aditus clauderentur; quo obſidentia Gallica caſtra ipſa viciſſim obſeſſa fame ad vltima acta ſoluerentur. Leganius Principis monitis parens ſuam ſententiam,

Principis ſalutare conſilium.

Digitized by Google

tiam tandem probantis decreuerat relicto ad pontis cuſtodiam cum duobus peditum millibus,& octingētis equitibus Sotelo, in ea oppida ad intercipiendos Gallorum commeatus vniuerſis viribus feſtinare; eò citiùs, quò maiores bellici apparatus, & ſubſidiaria agmina in Gallia expediri à Rege ſolicitè nuntiabantur: vt Harcurtium à prementium vndiq; Hiſpanorum diſcrimine liberaret.Sed Leganius momento mutato,qua de cauſa,incertũ, conſilio,non omnia prorſus, quæ Princeps ſuggeſſerat, ſed decreti dimidiũ tantũ exequi ſtatuit;quæ ſi ſicuti condictum erat, perfecta fuiſſent: nemini de fęlici expeditionis euentu verendum erat, Carolum igitur à Gatta cum valida equitum ala, & quatuor equitũ millibus Colenium properare iuſſit, vt ibi munitis caſtris,& impeditis tranſuerſis aggeribus vijs,commeatuum, & militum ſubſidia repelleret.Carolus ad deſtinatum locum proſpero itinere proceſſit,quamuis hoſtium equitum mille,è caſtris egreſſum aduersũ obequitaret;quia eodē tempore Princeps ex vrbe erumpens hoſtiũ caſtris Duriam verſus incurreret, & Leganius cum ſuo agmine è ſua ſtatione profectus Valentino adſultaret,quaſi impetũ daturus in caſtra hoſtē ficto claſſici ſono terreret,& Cherij pręſidiũ oppidanorũ ſocietate firmatũ eodē tēporis momēto Patrũ Capuccinorũ areæ imminētia munimēta inuaſiſſet. Quare Galli tot hoſtiũ inuaſionibus diſtenti non obſtare validiùs proficiſcenti Carolo potuerunt:qui Colenium progreſſus deturbatis inde Gallis,ſe firmioribus aggeribus,& propugnaculis munijt. Leganius quoq; Beinaſcũ alteri Pinaroli imminēs viæ pro Grugliaſco Mõtiscaſerij ſtationi vicinius occupari iuſſit,quo Gallorũ caſtra vndiq; ſepta,obſeſſaq; mutata belli fortuna,dum obſident vrbem,ipſa obſidionis calamitates experiri cogerentur.Eodē die quo Carolus Coleniũ inſederat, ingētē cõmeatuũ vim fugata, cæſaque cuſtodia, hoſti eripuit: quingentorum pariter equitum agmen, & totidem peditum Verucæ comitis Seguſio in caſtra properantium inita pugna protriuit, elapſo duntaxat ipſo cum paucis equitibus comite. Mox Frater Vincentius à Marra Neapolitanus eques ſexaginta tritici modios cæſis ad vnum cuſtodibus, interuertit. Ipſe Leganius emiſſo ad Mille flores oppidũ equitatu,eã Gallorum ſtationem penitus deleuit.

Quod Leganius nõ ex toto ſequitur.

Carolus Gatta Cherio potitur.

Galli vt inter caſtrorum ſtationes ad mutuum ſubſidium commercia eſſent,& libera rurſum,prorsũ cõmeãtiũ conſuetudo,Duriã põte iũgũt; quo eo veluti nexu caſtris caſtra cõmitterent. Principem mentis impetus ſubijt eo cõmodo hoſtē priuare, ne ea hoſtiliũ cõmunicatione caſtrorũ vrbi pernicies aliqua pareretur.Valido igitur,et equitũ,et peditũ agmine vrbe egreſſus funes,quibus litori põs ligabatur,nullo negotio pręcidit,ſed cũ nihilominus ſecũdo abreptus amne aduerſo litori fluitãs adhęſiſset:facile Gallo fuit illum in locum priſtinum reſtituere, adiectis munimentis, & parmulis ad illud pontis caput ab hoſte tuendum. Princeps tamen nihilo ſecius idem rurſus tentare auſus pontem verſus Mauritium cum trecentis equitibus, & duobus ingentibus altero Hiſpanorum,Italorũ altero agminibus miſit:qui fratre Ioãne Pallauicino agmen anteuertere iuſſo,vt pontis munimenta explraret; Dum vadit in hoſtem,ecce à ſuburbio quinq; Gallorũ equitum

Galli Duriam ponte cõmittunt.

turmæ

turmæ in eum cum pontis cuſtodibus velitantem erumpunt, vt reditu intercludant: in quas cum Mauritij equitum ala feſtino gradu incurriſſet; hoſte prælio diſtento, ille tutum ad ſuos receptum habuit, ſeq; Serræ cohortibus miſcuit; qui militari inceſſu conſertis ordinibus, in hoſtem inuectus non ſolum ſuorum agminum obtentu Mauritij equites texit, ſed etiam maiorum ſcloporum miſſilium grandine, ita hoſtium turmarum ordines laceranit: vt plurimis ea incuſſa procella amiſſis, deſerta pugna in tutum Galli Duces agmen feſtino curſu ſubduxerint: & quamuis Valentino aliæ equitum turmæ ſociarum auxilio accurriſſent: tempori tamen non adfuerunt tormentorum è mœnibus fulminantium ictibus, & tellorum denſa grandine in confertam hoſtium aciem nullo in irritum incidente iaculo, ingruente. Plurium etiam ciuium manipuli opportunè vrbe egreſſi occupatis eminentioribus locis, intra vrbis tormentorum iactum, in ſtipata hoſtium agmina miſſilia iaculati confoſſis plurimis, agmen à cępto curſu cohibuere.

Leuis inter Gallos, & Allobroges pugna.

Galli cadũtur.

Princeps quando eo tentamento pontem ſoluere non licuit; alio propè molendina amnem iungere ſtatuit, per quem ad arbitrium in aduerſum litus tranſire poſſet, atq; inde ventura ſubſidia recipere. Arduum ſanè, & plenum difficultatis opus, quòd litus valido hoſtium præſidio teneretur, librataq; eſſent contra molendina ibi tormenta. Verum Demarchis Villa, & Planetiæ cum equitatu abſentibus, qui in ea ſtatione curabant; non ita deſperati ſucceſſus ille auſus videbatur. Soli Bolognino mandatum, vt flumen ponte committeret.

Princeps amnem pōte iungere tentat.

Egreſſus igitur ille cum equitum turmis, & equitum cohortibus ad tertiam diei horam, cum remiſſum in caſtris eſt, exiguo admodum accepto incommodo, Duriam ponte conſternit, per quem cum poſtera die equites, & pedites tranſiiſſent; cęſis hoſtium cuſtodijs, campeſtre tormentum cōtra pontem collineatum captum Duriam verſus intentis funibus abſtrahebant: quo Planetiæ Demarcho nuntiato, quem ab aſſiduo nocturno labore, vigiliaque feſſum ſomnus oppreſſerat; accitis duobus Gallorum equitum alis, ipſe in fronte ordinum gradiens cum ſua turma prætoria contento curſu in hoſtium equitum agminis trahentium tormentum cuſtodiam impetu facto, poſt obſtinatam, cruentamq; pugnam diſiecta hoſtili equitum ala, tormentum in ſaliceto à fugientibus relictum eripuit: ſed cum fugientes ſequendi ardor Gallicas turmas longius abſtraxiſſet: deſertum tormentum obſeſſi iterum receptum in Duriæ litore ſiſtunt: vnde non ſolum molendinorum præſidij iaculis, & vrbis propugnaculorum tormentis, ſed etiã numeroſa moſchettariorum multitudine, qua totum amnis aduerſum litus prætexebatur, Gallica agmina arcebantur. Quare tormentum illud in vrbem frementibus hoſtibus abduxerunt. Colenij quoque præſidium vſque Pinarolum excurrens molendina diruit, prouectoq; ad ipſius oppidi mœnia agmine, eos præſidiarios tanto terrore concuſſit; vt plures dies clauſis portis, intra ipſum oppidum trepidauerint. Carolus quoque à Gatta mille

Duriæ ponte iungitur ab Hiſpanis.

Planetiæ Demarchi virtus egregia.

Varij ſubſidiarij agminis fœliceseuentus.

mille equitum in Diui Secundi pagum non procul à Pinarolo diſtantem inuectus ducentos equites moſchettarios, capto eorum Duce, cæcidit: qui ad Gallica caſtra cum alijs quadringentis equitibus, & peditibus mille nuper venerant ſupplementa: quos omnes cędi cita fuga ſurripuit. Equitum quoque agmen à Principe Cardinali miſſum Ripam altam aggreſſum eo ceſo præſidio, pagum obtinuerat. Quibus fœlicibus ea ratione bellandi ſucceſſibus ſicuti vrbs validè propugnabatur, ita obſidentis exercitus res acerbiſſimè affligebantur: ſed adeò inualuerant famis anguſtiæ, quæ intra caſtrorum ſepta crudeliſſimè ſęuiebat: obſeſſis vndique ab Hiſpano aditibus, per quos commeatus poterant hoſtilibus caſtris afferri; vt milites ſqualidi, exangues, macie confecti horrori aſpicientibus eſſent: & quamuis à Demarcho Villa frumētatum per circumiectam regionem populabundo diſcurſum fuerit, & aliqui commeatus in caſtra inuecti; malignus tamen tot fame pereuntibus, ieiuniſque militibus erat prouiſus annonæ, nec poterat egentis exercitus, vel tantulam famis partem leuare. Quamobrem ne cibi inopia totus conficeretur exercitus, & vniuerſæ copiæ fame perirent; impulit neceſſitas, vt arcis commeatibus veſcerentur: quos inde abſtrahi, vel multum reclamante, atq; obluctante præfecto ad copiarum alimentum iuſſit Harcurtius: qui ad illius querelas obſurduit obteſtantis ſe ea præfectura abiturum, quòd annonæ inopia arcem hoſtibus dedere cōpellendus eſſet; ſi exercitus famis anguſtijs oppreſſus obſidionem ſoluere cogeretur. Verum Harcurtius ſagaciùs, ſolertiùſq; præcauens arcem omninò amittendam, cedendamq; hoſti, ſi ipſe ab obſidione fame pulſus diſcederet; flocci habebat querentis præfecti minas, & queſtus, quòd ſalubrius, prudentiuſq; conſilium putaret, conſtanter in obſidio durare, quo ea ſeruabatur; quam obſidione abeundo, deſertam victoris arbitrio derelinquere, cum ab obſidentis exercitus ſalute arcis quoque ſalus omninò penderet. Nec arcis commeatibus tantum Harcurtius contentus, Clauaſij quoque annonam in caſtra auferri iuſſit; qui aduerſo amne parcè ad copias aducti malè poterant inedia conſumptis alimenta ſufficere: indignāte maximè, aduerſanteque Harcurtij iuſſis præfecto metuente, ne alimentis præſidio ſubtractis, ipſe quoq; oppidum in anguſtias adductum Hiſpanis tradere cogeretur. Eodem igitur tempore Harcurtius ſua caſtra, Clauaſſium, Taurinamq; arcem ad famem compulerat, qui Taurinorum Auguſtam fame domitam capere animo propoſuerat. Quod ſi huiuſmodi bellandi genere hoſtem vrgere Leganio per Principem licuiſſet; non ſolum vrbe fame exempta, Hiſpani Gallicum exercitum inedia maceratum à ſe leges accipere compuliſſent; ſed etiam arcem Taurinam, & Clauaſſium eodem famis malo victa cepiſſent. Eò commeatuum inopiæ ventum erat in caſtris, vt cum ſolita panis ſingulis militibus pondera dari deſiſſent; aliquot paucæ riſi ex atce ſubducti vnciæ diuiderentur. Nec copiarum Duces, ſigniferi, chiliarchi, centuriones lautius gregarijs militibus habebantur; ipſi etiam viliotibus eſcis, & vulgaribus cibis, quos tanta annonæ

Galli fame luridi.

Galli arcis Taurinæ cōmeatibus veſcuntur.

Harcurtij ſagax conſilium.

Leganij ſolers cōſiliū, & vtile Principis ferocia diſcuſſum.

Annonæ ingēs caritas in Gallicis caſtris.

annonæ caritas ſufficere poterat, vitam vtcunq; tolerabant. Quare eo rerum adactus exercitus videbatur, vt amplius perſiſtere in obſidione non poſſet. Et tamen tot anguſtijs,& malis deprehenſus Harcurtius, tenaciùs, & conſtantiùs oppugnandæ vrbis propoſito hæſit; adeo obfirmato in omnem patientiam animo, vt Apoſtolici Nuntij de pace, componendiſq; diſſidijs ſuadentis votes,& monita pręfractè reſpuerit: & quaſi victor poſtularit, vt ſibi Taurinorum Auguſta dederetur, eam Duci s pupilli nomine retōturo; ac ſi non modo futurum illius exitum expeditionis præſagiret; ſed etiā certæ victoriæ ſpem fidenti animo conciperet; obnuntiabatq; tam diu ſe in obſidione vrbis duraturum, donec equi in vrbe omne pabulum conſumpſiſſēt,& ciues equos adediſſent. Tanta Gallorū patiētia admirationē etiā in hoſtium animis concitarat: quod ex gentis præferuidæ ingenio longioris impatiētes mali tolerantiſſimos omniū incōmodorū Hiſpanis inuictā patiētia præcelleret. Nāq; adeò fames recruduit, vt neq; ciborū ſordes & eſcarū inquinamēta milites faſtidireut,& quod maiori admirationi fuit, nulla militum conſternatio, nulla ſeditio exarſit; nullus in tanta malorum iliade excitus tumultus: Harcurtio quā vultus cōtracti auſteritate, quā ſupremæ dignitatis poteſtate, quā ſuo exēplo inſolentiorum audacia cōpreſſa, in officio milites cōtinente. Subijciebat identidem vicini ſubſidij è Gallia aduentantis, vrbiſq; omniū Taurinorū opibus refertę direptionis ſpē; quoſdā etiā premiorum Ducum promiſſis ad perferenda fortiter mala firmabat. Sed adeò extrema omniū rerum neceſſitas copias vrgebat; vt cum acerbiora mala, quæ humanis viribus vix tolerari poſſunt; conſtantibus animis pertuliſſent; amplius iā vltima paſſi ſpiritum in ſummis anguſtijs ducere nō poſſent. Quare plures milites macie, ſqaloreq; obſiti morbis tentabantur, alij lurida fame corpora vix trahebant, plurimi interibant, quoſdam vrbi, & Hiſpanorum caſtris fames impegit; quibus ad transfugij eleuandū pudorem, quantis incōmodis, & qua annonæ penuria Gallicæ copiæ premerentur ipſo fędo macilenti oris pallore, fidem dictis faciēte, nuntiabāt. Mirū eſt quā aduerſis animorū ſenſis hæc Gallorum calamitas Principem,& Leganium affecerit;& quàm omninò contrarias ipſorum mētibus sētētias ingeſſerit. Illi iā diuturnioris impotēti moræ, ſupra modū cupido facto ab vniuerſo exercitu in Gallica caſtra impetu, obſidionis malis ſui expediendi, ea tēporis apportunitas videbatur: quo Hiſpani corpus languidum fame enectum, conſumptis viribus imbecillum, oppugnantibus impotens obluctari, vix geſtandis manibus armis validum aggrederentur; vt non ſedendo, & cunctando deſidioſa, minimeq; bellatores vincendi decente ratione, ſed aperta vi, bellicaq; virtute victoria pararetur. Gallorum virtutis crebris fœlicibus eruptionibus probatæ vilis exiſtimatio animo cōcepta in hāc illum debellādi rationē vniuerſo prælio hoſtis adduxerat. Verum Leganius pergebat velle ſedendo, cuntantandoq; vincere eò libentiùs, quo in maiores anguſtias hoſtē cōpulſū, rerūq; ſummā ad paucorum dierum patientiam redactam videbat. Iam aduentantis firmi è Gallia ſub-

Harcurtij egregia cōſtantia pacem reſpuit

Gallorum mira patiētia.

Galli ad extrema cō pulſi.

Princeps Thomas à Leganio diſſentit.

Leganius in ſuo propoſito fremente Principe perſiſtit.

ſubſidij tot is Taurinis diditus rumor, iamq; in Italiam ex alpibus deſcendiſſe Principem acriter angebat: veritum ne, ſi ante acceſſiſſet, quàm Galli obſidione abirent; omnia Leganij deſtinata, conſiliaq; euerteret, atq; acerrima, ſi quando alias, ferueret obſidio: obdurato in ſua ſententia, & cunctationis conſilio Leganio; qui in tanta occaſione vincendi tam viribus ſuperior, hoſte debili, imbecillo, fame conſumpto, vniuerſi prælij fortunæ Hiſpanas copias obijcere recuſabat; nec ſe loco mouebat, vt aduentantia Gallorum ſupplementa oppugnata deleret: multò minus ſperabat, hoſte acceptis ſubſidijs validiori, refectiſque viribus potentiori, illum quicquam militaris operis auſurum. Augebat Principis curas pyrij pulueris caritas, qui ſi diutiùs traheretur obſidio, omninò præſidiarios defecturus erat. Verebatur quoque, ne Leganius iras tacito animo coquens ſibi ſuppetias ferre negligeret, neq; aliqua militari peritia ceſſaret: ſed vt ſuis rebus acciſis, ac perditis, ſua arcana optata aſſequeretur: quæ quò occultiora, eò perniocioſiora fore cenſebat. Sed omnium acerbiſſimè Principis animum pungebat, torquebatque Leganij ea ratione bellandi fœlicitas conſiliorum: quæ proſperos habitura ſucceſſus, fame domito hoſte, obſidiumque deſerere compulſo, quòd ex ea Hiſpanorum victoria ſui dominatus excidium, atq; Allobrogum Principum domus perditio manabat. Liceat hic mihi abſtruſis Principum molitionibus, atq; artibus expendendis paululum immorari.

Obſeſſi tormentarij pulueris inopia laborãt.

Principis de Hiſpanorũ fraudibus metus.

Procul à Principum animis candor, ſynceritas mentium, & puritas cordium: tot cogitationum anfractibus, & euripis, arcaniſque ambagibus, & fallacibus erroribus implicantur Principum animi; vt quid velint, nolintve, quid cupiant, aut auerſentur, vel quid oderint, aut ament, nemini liquidò cognoſcere liceat. Incredibile eſt quibus artibus inter ſe Princeps, Leganiuſque certarint. Princeps Thomas ad prēliũ, inuadendaque hoſtium caſtra Leganium iteratis queſtubus vrget, quem tamen victorem nollet. Leganius in arcano ſuo militans Regi, eiuſq; commoda curans ſimulato ſubſidio Principem iuuat; cuius tamen res perditas cupit. Ille maius periculum, malumq; ſibi ab amico, & ſocio, quàm ab hoſte formidat. Hic dum hoſtium caſtris adſultat ſuas magis ſeruare copias, quàm hoſtem vincere ſtudet. Ille queritur ſua ſubſidij expectatione fruſtrari, quod atteri magis ab hoſte ac deleri quã ab eo vrbem obſidione expetit liberari. Hic Taurinos, & Gallos mutuis cladibus confici vellet; vt ijs proſtratis, cupitam votis omnibus arcẽ Taurinã Hiſpanis ditionibus adijceret. Ille auxiliaria arma, hoſtiliaq; inter ſe cõmittere ſtudet; quo vtriuſq; regis virib. acciſis, à neutris opprimi poſſit. Hic magis Taurinis, & Principi, quàm Gallis imminet. Ille, & vellet ſibi ſubſidium afferri, & ſimul Hiſpanos à Gallis ſuperari. Hic ſalubriter deſtinata cõſulto corrũpit, ne Principi vincat. Ille queritur ſibi à Leganio illudi, & callidũ illius carpit ingeniũ, atq; artes pari aſtu eludens, & cõſilia ſubuertẽs eius amat inſidias; vt iuſtũ diſceſsũ poſſit à fędere cauſari. Hic fame pgit hoſtes premere, neq; tñ veniẽtia ſubſidia intercipit, & clauſos validis cuſtodijs adit⁹, ſubductis ĩportunè pſidiarijs, hoſtib. pãdit. Ille codẽ

Huius temporis Principum artes.

Leganij, & Principis cõtrarij animorum ſẽſus.

momento, & ſibi ſuccurri deſyderat, & eiuſmodi ſubſidium auerſatur: ille hoſti pugnaturus occurrit;& ſimul inutili mora ſubſiſtit;aut declinat à via, ne pugnet; condicunt pariter aggrediendi hoſtis diem, & horam, ab alterutro conuenta violantur. Eodem denique tempore ſimul conſentiunt, & diſſident,conueniunt,& diſcrepant; alterius modo probata ab altero conſilia damnantur: idem ſimul amant, & oderunt; artibus conferunt artes, doloſque dolis, & fraudibus vincunt: & ſagacior ſubſeſſor circunuenitur. Nec tam labyrinthæi errores mortales fallunt; quam multiplices inſidiarum flexus, receſſus, horum Ducum mentium Meandri, ſinuoſique animorum recurſus ſe inuicem decipiebant; dum armis, & conſilijs in ſpeciem communibus bellant.

Conſtabat tam Principi, quàm Harcurtio vrbe obſidione exempta, arcem quoq; in victoris ditionem venturam: eo faciliùs, & certiùs, ſi fame, non ferro domitis obſeſſoribus,ſolueretur. Integris enim viribus Leganius in vrbem inuectus, omnia effuſo exercitu obtinēs ſibi, victoribus ſueta licentia, violentiaq; erat Taurinenſium rerum arbitria oppreſſo inferiori viribus Principe, vindicaturus, & nemine in tanta rerum iniquitate hiſcere auſuro. Princeps igitur, & Proceres Taurini eius laterum ſtipatores horrebant tanti mali futuram attrocitatem attoniti; ignorabantq; an conſultiùs foret vrbi ab Hiſpanis ea ratione ſubueniri; an hoſtis deſeri oppugnantis arbitrio. Hoc periculoſo ſuarum rerum articulo, anguſtijſq; ancipitibus deprehenſi,nullam vitandi exitij rationem opportuniorem, aptioremq; multa commentatione ex profundis humanæ prudentiæ adytis, & receſſibus eruere potuerunt: quàm vt in id omnes cogitationes, & conatus intenderent, quò vtriuſq; exercitus inter ſe præpotentia arma committerent· hac ſpe,vt neq; Gallica contuſa mutuo attritu vrbem expugnare valitura eſſent; neq; Hiſpanica pugnæ cædibus debilitata arcem vſurpatura: & mediæ Taurinorum vires tantum roboris habituræ, vt victoris inſolentiæ reſiſtere, & ſuorum Principum ſalutem, dominatuſq; tueri poſſent. Princeps igitur vicini periculi horrore concuſſus, quod longinquum non ita formidandum,ſicuti in preſens,animo ſenſerat,ſtatuit quacunque ratione,totiſq; niſibus illud effugere. Quamobrem pridie nonas Iulias ad Leganium literas dat, admonens ſe ampliùs extrema obſidionis incommoda pati non poſſe, diſertè obnuntians, niſi quatriduo ſibi ab eo ſubueniretur; ſe Gallorum acceptis oblatis, vrbem illis protinus dediturum. Verum non tantis annonæ anguſtijs ciuitas premebatur, quantas in Leganij animum Princeps ſtudebat inducere: nam & frumenti copia adhuc affatim affluebat; & truſatiles molæ recens pluribus in vrbis vicis compactæ farinæ cōficiendo pani non exiguum modum ciuibus ſufficiebant; de quibus rebus cohortium Duces,& precipuè Demarchus Serra ſubtilior vrbici ſtatus eſtimator, & prudens Leganium ex fide docuerat: affirmato nuntio quoſdam frumentarios mercatores Principi ſuam operam obtuliſſe, non ita magno ſe ad duos etiam mēſes vrbem alturos: quas negotiatorum oblationes non

Solers Principis,et purpuratorum conſilium.

Eius minæ, & obnuntiationes ad Leganium.

Demarchus Serra Leganium de annona copia Taurini monet.

ſine

ſine indignatione Principem reieciſſe; quòd cęteris peritiùs, clariùſq; ſciret, quanta vis frumenti foret in vrbe, & quandiù duratura. Neq; pyrij pulueris tanta erat inopia, vt à pridie idus Iulias, quando ſe in Gallorum fidem conceſſurum fuerat interminatus: per viginti dies erumpentibus in hoſtes ex vrbe ciuibus non parcè ſuppetierit: & vicini Gallici ſubſidij, qui inceſſerat rumor, inanis euanuerat: nec verendum erat, ſi potentiùs, quàm fama vulgauerat, ingruiſſet, ne Gatta ſolitus diſſipare ſubſidia, illud quoq; in viarum anguſtijs incluſum vel auerteret, vel deleret; aut in ſua excubās ſtatione fortiter obſepto cuſtodijs aditu repelleret: & Leganius, qui ex hoc Gallico ſubſidio, vel ſummoto, vel admiſſo eius fœlicem, vel aduerſum exitum belli, rerum ſummam, victoriamq; pendere optimè norat: in tanto rerum futuro diſcrimine non ceſſaret; immo auxilio Gattæ omnibus viribus accurriſſet, vt eo, vel cęſo, vel ſecluſo ſubſidio, hoſtes fame compulſi ab vrbis obſidio diſcedere cogerentur. Neque ex Gallicis caſtris ſubſidiaria agmina venientibus ſocijs occurrere poterant, vt ſimul coniunctis viribus ſibi ferro aditu patefacto, ſubſidia caſtris inueherent; nam cum vix ferocibus Principis eruptionibus obſiſtere poſſent; multò minus profecto venienti ſubſidio obuiam è caſtris militum flore inuadentem reliqui munimenta repuliſſent: præter id quòd ab Hiſpanis quoque pulſante interiùs Principe, exteriùs concuſſi ancipiti pugna à fronte, & à tergo cæſi caſtris exuti fuiſſent. Principis igitur obteſtationes minacibus literarum notis expreſſæ interuerſo fœlici plenæ vicinæ victoriæ ſucceſſu, illum, eiuſque res, vrbem, & tot Hiſpanorum in eo bello diſpendia, conatus, eluſis eorum conſilijs, penitus euerterunt. Leganius enim Principis obnuntiationum efficacia à debellandi fame hoſtis conſilio, eaque optima adminiſtrandi belli ratione deterritus certiſſima in foribus hærente erepta victoria; confuſa eius importunis flagitationibus mente, obſtupuit, quid arcani Princeps animo moliretur; vt eo pręcipiti aggrediendi hoſtis, pugnandique conſilio certam victoriam dubiam faceret; & omnia ſalubriter conſtituta corrumperet: eoque magis mirabatur, quo minorem eſſe in vrbe commeatuum penuriam, immo ad duos ſaltem menſes ſuffecturam præſidio, & ciuibus alimenta literis amicorum acceperat. Æſtuans igitur animo aliquid inſidiarum tam vrgentibus Principis obteſtationibus ſubeſſe ſuſpicatus ſecum ita tacitus diſſerebat. Aut Princeps cum Gallis iam conuenit; quibus aſſiduis, & quotidianis conſuetudinis congreſſibus familiariter vtebatur: aut conuenturus eſt: ac proinde, vt ſui ab Hiſpano Rege diſceſſus cauſam honeſtaret, iuſtamque mutatæ fidei prætexere poſſet; præſens, & ſubitum ab Hiſpanis ſubſidium flagitaret; atq; ad ineundum prælium oppugnandaq; caſtra vrgeret; quo ab iꝭs deſertus honeſto titulo Gallorum amicitiam poſſet amplecti. Coactus itaq; ſuſceptam tutam variare belli gerendi rationem; certiſſimamq; victoriam in caſum dare; vt hoc euidens diſcrimen auerteret: Paſerum Principis conſiliariam ſummæ apud ipſum exiſtimationis prudentiæ laude inſignem

Leganij cõſilio omnimodè ceſſura victoria ſi per Principē licuiſſet.

Leganius miratur præceps Principis conſilium.

Leganius Paſerio ſubmittit vt Principem ab hac ſubſidij ſubita petitione amoueret.

 adducere

adducere oblato ei decem,& octo aureorum millium præmio, tentauit: vt Principem ab eo propoſito, & flagitatione abduceret, vel ſaltem quindecim dierum differendi petiti ſubſidij ſpatium exprimeret: quo intentiori cura intra eos dies interim aduentãs Gallicum ab hoſtium caſtris arceret: & certa ſpe eo excluſo ſubſidio, citiùs quàm impetrati ſpatij tempus effluerent, obſidione vrbem leuatum iri: vitato vniuerſæ pugnæ diſcrimine, deterendique in inuadendis caſtrorum munimentis exercitus. Demarcho Serræ ſuadendi Paſeri cura mandata; ſed interiectæ moræ, & peragendæ rei opportunitatis expectandæ neceſſitas negotium diutiùs præſtituto dierum termino diſtulere: illuxitque quintus idus Iulias; quem Princeps afferendi ſubſidij Leganio præſcripſerat; prius, quàm Paſerus negotium potuiſſet abſoluere: & abſciſsè, diſtrictèque ei imperatum erat à Rege ne vllam à ſe deſciſcendi Principi cauſam præberet; immo omnibus obſequijs eius voluntati indulgens illum in ſuo fœdere, partibuſq; firmaret. Quare neceſſitate aſtrictus illius bellaci genio parere,accitos in prætorium copiarum Duces ſic affatur.

Ingens,violentumque telum eſſe neceſſitatem, immo omnium potentiſſimum cui etiam Dij ipſi, teſte Platone parēt;cum ſæpe omnes in ciuilibus negotijs,tum nos belli nimio plus milites experimur; quos diræ neceſſitatis impulſus ſæpius in mille vitæ diſcrimina vel inuitos, ac reluctantes arietat. Aliquando enim quibuſdam rerum articulis deprehendimur; vt velimus, nolimus eo præcipitandum ſit; quò dura neceſſitas rapit.Si quid eſt quod magis bellicæ diſciplinæ perito Duci fugiendum ſit,& ego meo ingenio odioſiſſimè perrhoreſcam, hoc eſſe arbitior,pernitioſum cum eo hoſte certamen,qui fame enectus, atque ad vltima compulſus, omni ſubſidiorum ſpe deſtitutus citra cruorem, pugnæque periculum uinci, debellarique poteſt. Ego optimo conſilio, ut reor, allato nuntio Principem Thomam à Gallis in ipſa Taurinorum Auguſta obſideri raptim eductis ex hybernis, ſtatiuiſque copijs, feſtino properans gradu omnia armatorum agmina obſeſſoribus circumfudi, ea mente, vt omnibus vijs,regionumque clauſtris firmis militum ſtationibus inſeſſis, commeatibus interclusos obſidentes obſiderem;et quaſi indagine circũuentos à nobis leges accipere,vel ſaltem obſidione abire compellerem.En mei compos voti, meaq; aſſequutus optata video hoſtē vix lurida fame corpora trahentem, macie, illuuieq; deforme militum vulgus oculis introrſum actis,ſqualore obſitum uix manibus arma tenens ſub loricarũ, & caſſidum pondere languens: & niſi Harcurtij eximia malorum patientia,inuictaq;uirtus exanime cadauer exercitus animaret;ſuſtineretq;ſuo exemplo labantem;iam foret omninò debellatum. Sedendo, ceſſando nullo cladis diſcrimine uiciſſemus; ſi meo conſilio, decretoque per Principem Thomam inſiſtere licuiſſet. Cum eſt omnis glorioſa uictoria; tum illa citra militum ſanguinem, & cædem parta multò glorioſiſſima. Ille bellico ardore moræ omnis impatiens diris obnuntiationibus me à meo inſtituto deterret: urget, ſollicitat, ueluti ad omnium rerum actus extrema, cum illi affatim uno excepto tormentario puluere, omnia ſuppetere amicorum literæ moneant;

neant ; vt hoſtem intra ipſa caſtrorum munimenta aggrediamur : ſi ſecus fecerimus, vrbem ſe Gallo dedituram minatur ; ac ſi illum incruentæ victoriæ puderet ; nec victum hoſtem ſine ſuorum ſociorum cæde putaret, nec illa vera, glorioſaq; victoria cenſenda eſſet, quæ militum ſtrage non ſtet : & quamuis illum mei tutiſſimi conſilij certam victoriam tradentis monuerim ; ille tamen obſtinatior, ſuique tenacior propoſiti inſtat ; vt nos omni rupta mora, debilem hoſtem raris admodum ordinibus ſe pro aggeribus oſtentantem admotis omnibus viribus, aggrediamur. Nollem ſuſpicacis ingenij, malignique videri, ſi mei animi ſenſum prodam ; vereor Principis aſtum, doloſaque ad pugnam incitamenta, ne Gallos, & Hiſpanos inter ſe committere cupiat ; vt eliſis prælio vtriuſque gentis viribus, ipſe integer, & validus poſtmodum ſimul de vtroque triumphet: non meum cum Gallo iam penè victo congreſſum ; nec dubito quin florentiſſimæ copiæ valido aſſultu, atque impetu hoſtilium caſtrorum munimenta proſcindant : ſed doleo, quòd citra pugnæ diſcrimina nobis ſedentibus præclariſſimo victoriæ genere vincere non liceat. Equidem niſi mei Regis mandata vererer mihi abſciſſè imperantis ; vt in omnibus bellicis rebus Principis obſequar voluntati, non me in huius pugnæ diſcrimen ſinerem trahi ; quando in manibus ſine vllius militis cæde victoria eſt ; ſed hinc Regis vrgentibus iuſſis, inde Principis obnuntiationibus impellentibus, cogimur contra omnes militaris diſciplinæ leges intra ipſius munimenta cum deſperato hoſte confligere ; quamquam nihil omninò ambigam de victoria ; quam certam noſtrorum militum virtus, atque hoſtis imbecillitas dabit ; ſed nollem eorum prorſus ſanguine quæreretur ; quem aliquem fundi quolibet, vel cum inualido hoſte certamine neceſſe eſt. Parendum igitur neceſſariò eſt, & Regis noſtri mandatis, & Principis poſtulationibus obſequendum. Nos curabimus, vt id quam minimo damno, atque incommodo fiat ; quòd qualibet clade maius nobis accideret, ſi Princeps noſtra indignatus, iratuſque mora cum Gallis vrbe dedita conueniret. Peruadendum ita fortuna cogente per diſiecta hoſtium caſtra in vrbem ; obſeſſiſque ſubſidium violento Marte ferendum : quòd non puto difficilè fore, cum eodem tempore nobis inuadentibus munimenta, Princeps cum præſidiariorum flore ex vrbe erumpens Gallorum nobiſcum pugnantium terga cædet ; medij intercepti, ancipiti pugna diſtracti debiliùs à fronte, & à tergo nobis oppugnantibus obſiſtent. Exuto caſtris Gallo, obſidioneq; pulſo acceptam ad Caſale cladem, amiſſumq; decus fortaſſe farciemus. Hæc vos, hæc me vna cogitatio bellico, inuictoque animi ardore ad pugnam accendere debet ; quo tandem Galli diſcant Hiſpanica etiam tela ferire ; nobis non virtutem, & animum, ſed defuiſſe fortunam, quæ plerunq; in bello cerebroſa victoriam quoq; inertibus, ac timidis elargitur. Profectò neque Hiſpanus, neque Italus Gallo bellica gloria, virtuteq; cedit ; cederet, autem ſeque illi traduceret inferiorem ; ſi quemadmodum ille inaudita audacia nos Caſalenſibus caſtris excuſſit ; nos illum non viciſſim Taurinenſibus pelleremus, vel ſaltem diſruptis munimentis, diſiectoque vallo vrbi ſubſidium

Digitized by Google

in ipſius oculis inferremus. Eamus igitur ſtrenuè in hoſtem, ſiue bellicæ laudis cupido nos ſtimulet; ſiue iterata ſæpius iuſſa Regis impellant; ſiue Principis moræ impatientia cogat; ſeu inſuperabilis neceſſitas vrgeat. Vos non hortor, vt ſolita in omnibus pugnis virtute præliemini; iniquè enim me, contumeliæque propius vobiſcum facturum putarem, ſi veſtro pugnaciſſimo ardori ſuaſionum adderem flammas; ſcio vos veſtri officij memores eſſe. Vnuſquiſque igitur in ſuas ſtationes digreſſus milites curare corpora, ſeque ad pugnam iubeat expedire, donec bellicum tubæ, ac tympana canant.

Leganius precib. & obteſtationibus Principis coactus caſtra aggredi ſtatuit.

Mox dandum in hoſtium caſtra impetum ſic edixit: ſcilicet vt ipſe è Montiſcaſerij ſua ſtatione procedens, & Gatta, è Colenij munimento egrediens quinto idus Iulias candicante Aurora ſeorſim caſtra hoſtium inuaderent. Mille equites eadem nocte per Padi vada ad Principem mitterentur, qui vrbano equitatui iuncti validiùs illum firmarent, quo eadem hora ex vrbe erumpens hoſtilem equitatum velitationibus diſtineret. Hoc equitum ſubſidio, & Hiſpanis cohortibus Valentinum illi fuerat ſubeundum, quo interiùs laceſſendo, auertendoq; hoſte Leganio, in caſtra ingreſſum redderet faciliorem: qui libratis in collium faſtigijs vltra Padum aduerſis Valentino octo muralibus tormentis, iuſſerat eius ſtationis præſidiarios inceſſi, vt inde volitantium globorum procella decuſſis, vel laceratis præſidiarijs, eam partem aggredientium niſus iuuarentur. Alijs quoque rebus prouiſum ad fœliciorem oppugnationis euentum. Moſchettarijs equitibus, & leuis armaturæ Epirotarum turmis imperatum, vt per alias caſtrorum partes ſecus munimentorum longitudinem feroci procurſu ſe facturos in caſtra impetum ſimularent; vt Gallos intentos in earum partium propugnationem diſtenderent. Syluius Sabaudius externo equitatu Duriæ hoſtium ſtationes inuaderet; vel impetum crebris aſſultibus mentiretur. Montanorum turba equitum turmis Cherij præſidiarijs adiuta, hoſtium munimenta ſupra Patrum Capuccinorum cœnobium aggrederentur. His tribus bellatorum agminibus hoſtium caſtra fuerant eodem tempore inuadenda; ne Galli ad eas partes, quas Leganius, & Gatta oppugnaret; ſubſidio accurrere poſſent. Sic prudenti conſilio condicta, ſtatutaque ſuperueniens caſus Leganium variare, conuentamque aggrediendi hoſtis horam mutare coegit. Nuntiatum ei fuerat Gallicum ſubſidium miſſum è Gallia tranſmiſſis alpibus, Iauennium quinque paſſuum millibus propè Colennium peruenisse.

Aggrediendi Hoſtis ordo.

Leganius condicta variare cogitur.

Quamobrem veritus, ne ſi Gatta albeſcente Aurora, ſicuti conuentum fuerat, ad inuadenda caſtrorum munimenta profectus fuiſſet, à Gallica ſubſidij cuſtodia eius aditus anguſtias tranſgreſſa à tergo in ardentiori pugnæ feruore cęderetur; iuſſit illum ad medium vſq; diem in ea ſtatione perſiſtere; quo tempore, ſi Galli nihil mouiſſent, ipſe ad aggredienda caſtra procederet: & ſi iam illi aduentarent, ſuos intra munimenta, donec noua mandata acciperet, contineret. Gatta à ſuis curſoribus, & exploratoribus acceperat, Gallos nihil eo die moturos, eiuſq; hoſtium moræ admonito

Leganio

Lèganio quatuor ante ſolis occaſum horis promoto quatuor peditum, & duorum equitum millium hoſtilibus caſtris exercitu, animoſo, ferociq; impetu aggreditur munimenta. Excepti fortiter à Gallis, ac cum cæde per caſtrorum deiectus præcipites deuoluti. Caſtrorum præfectus Ghiglinus per munimentorum ardua nitens haſta confoſſus interijt. Nec deſpondent animos pulſi, maiori conatu, atq; auſu iterant impetũ; pedites applicitis ſcalis, ſtrictis gladijs, prætentiſq; clypeis in munimentorũ loricam ingentibus animis enituntur: arreptiſq; dolabris, & ſecuribus diſrupto aggere, aditũ equitibus pandunt: qui peditum cohortibus miſti in caſtra vno agmine feroces irrumpunt: qui ſi cautiores, in ea victoria, prudentioreſq; in aperto aditu firmis impoſitis cuſtodijs, ad reliquas copias in vrbẽ admittendas, ne iterũ ab hoſtibus clauderentur fuiſsent: Leganius pro arbitrio per eã patefactã caſtrorũ partem, vitato ad Valentinum pugnæ diſcrimine, intra Gallica munimenta vniuerſas copias potuiſſet immittere; ſtationes obſidentium obruere; vel ſi pugnæ abſtinere periculis ipſius ſediſſet animo, per ea diruta munimentorum poterat quæcunq; ſubſidia Taurinorũ Auguſtæ inuehere: ex quo Galli amiſſa obſidionis ſpe, ab oppugnanda vrbe abſiſtere, atq; inde faceſſere coacti fuiſſent. Verum ipſa victoriæ, fęliciſq; niſus exultatio militibus adimit mentem, impotentem ſui præ nimia lætitia. Nam Gatta dum ſuperatis caſtrorum aggeribus currit ex Leganij imperijs equitum turmis in vrbem, vt ſe Principi iungat: nec ad patefacti caſtrorum aditus cuſtodiam firmum peditum, & equitum præſidium imponit: & pedites ingreſſi alij prædatum per hoſtium tabernacula diſcurrunt, alij palantes nullo ordine fugientibus inſtant: Galli ab aggeribus pulſi, qui ſe intra arcis tormentorum miſſilium ictus receperant, hoſtium errore animaduerſo, ſe in ordines cogunt, plureſq; alij ſe agmini adglomerant; conſertiq; ſimul vagos hoſtes pręda onuſtos aggreſſi obtruncãt: vulnerãtq; diſperſos. Michael Pignatellus poſtremi agminis ductor eodẽ aditu inuectus in caſtra ſocios cædi, agiq; totis caſtris ab hoſtibus videns ſubſidio feſtinus accurrit; verũ ipſe quoque circumfuſum hoſtium globum equitum auxilio deſtitutus, qui in vrbem contento agmine aduolarant, ægrè poterat vel dẽſatis ordinibus pulſantes vndiq; ſuſtinere: conſpecto igitur exiguo munimento inter vrbem, caſtrorumq; aggeres ſurgente, aduerſa ſemper hoſtibus ordinũ fronte relato gradu, in illud agmen reduxit, ibi ſe melius ab hoſtibus defenſurus: ſed cum loci anguſtiæ militum multitudinem capere non poſſent; excluſi protinus ab hoſtibus circumuẽti trucidantur; ingreſſi ſe miſſilium iactibus ſtrenue tãdiu tuentur, donec milites tormentarij pulueris copia defecit; tũ quoque abiectis ſciopis, raptis haſtis, aſſilientes hoſtes impactis cuſpidibus fodiunt; ſed hoſtium vndique è caſtris irruentium multitudine ſuperante paucorum virtutem, omnes ad vnum cæſi, deletique fuere. Pignatello tamen, & aliquot Ducibus victoris rabies, atque ira pepercit: qui ſummi beneficij loco habuerunt, recipi ab hoſte captiuos. Ad quingentos ex Hiſpanico exercitu per caſtrorum tabernacula obtruncati periere,

Hiſpani Gallica caſtra inuadunt.

In hoſtilia caſtra irrũpunt.

Victorum error.

Preda cupiditas eripit Hiſpanis victoriã.

Pignatelli virtus bellica.

Egregia eius agminis audacia.

Pugnantiũ par ferè clades.

non tamen inulti cæſo maiori longè Gallorum numero, duobus caſtrorum præfectis, duodecim cohortium legatis, quatuor Ducibus, & ſeptem copiarum miniſtris eodem certamine interemptis: & eorum chiliarcho Diui Andreæ dynaſta abducto captiuo. Hic Hiſpanorum error, vt ſummæ rerum perniciem attulit; ita maiori incommodo, ac damno tum affecit obſeſſos: cum clauſo protinus aggerum, quem patefecerant, aditu, ſeptuaginta pyrij pulueris cados vrbi inferendos munimẽtis excluſos partim milites reuexerunt in caſtra; partim Colenium abducti obſeſſos eadem eius rei copia defectos reliquerunt.

Princeps Hiſpanorũ fruſtra ſubſidium expectat.

Princeps hoſtium caſtra inuadendi hora variata, ob temporis anguſtias admoneri non potuit; totamq; eam noctem armatus cum ſuis excubuerat Auroræ candorem impatienter expectans, quo ex condicto aggrediẽda hoſtium caſtrorum munimenta erant: & promiſſum mille equitum ſubſidium per Padi vada mittendum; & cum ad medium vſq; poſterum diem conſtitiſſet in armis: nec à Leganio caſtra inuaderentur, nec vlli equites apparerent, ratus nihil ex conuentis eo die motum iri, in vrbem triſtis, mœſtuſq; regreſſus, milites, & ciues nocte inſomni tranſacta, ſtandoque feſſos in ſua domicilia dimiſerat, vt vires ad futura certamina quiete colligerent. Quando paucas poſt horas dati in hoſtium munimenta ab Hiſpanis impetus fragor increpuit; mox auxiliaria agmina victoria gratulabunda vrbem ingredi videt, ſuperata munimenta caſtrorum, fugatos hoſtes, aducentans propè vrbem iam adeſſe ſubſidium lætiſſimum nuntium afferentia. Ille itaque rurſus induit arma, ſolicitèque ſuos milites ad ſigna vocat, trecentorumque equitum ala ſeptus Valentinum verſus inſtructo agmine pergit: vt ex condicto Leganio eam partem inuaſuro expeditionem à tergo verberans hoſtes tutum faciat ingreſſum. Ad Gallorum munimenta prouectus circumfuſam Gallico propugnaculo ſepem occupauit Montiſcaſerij itineri imminentem: alia miſſa bellatorum manu contra propugnaculum Valentino vrbem verſus obtentum. Interim ciuium globus cum Principe vrbe egreſſus Demarchi Serræ Legionis cohortibus iunctus occupato hoſtili munimento, eodem impetu Palatium Valentinum aggreſſus non obtinuit modò, ſed etiam momento diripuit; quo tempore Princeps accepto duorum equitum millium à Gatta ſubſidio firmior hoſtilia propius munimenta compoſito agmine gradum promouit, in quæ iam Leganius inuaſerat: & quamuis milites ardore pugnæ, obiectumq; hoſtium propugnaculum inuadendi cupiditate flagrantes videret: ſanius tamen, vtiliuſque conſilium ratus ſuorum compeſcere, frenareque certaminis deſideria donec in munimentorum culmine erecta, infixaque ſubſidiarij exercitus vexilla conſpiceret. Leganius enim eadem hora, qua Gatta ad inuadenda hoſtilium caſtrorum munimenta perrexit; Montecaſerio proceſſerat, vt Valentini aggeres adoriretur; quamuis non ea mente, vt ibi in oppugnandis munimentis reliquas copiarum vires impenderet; ſed vt morando ea ſimulata oppugnatione hoſtem, à Gattæ inuadentis ſenſu auer-

Princeps prodit armatus in hoſtium caſtra

Leganius hoſtium caſtra aggreditur.

Leganij ſimulata caſtrorum aggreſſio.

Digitized by Google

auerteret: vt faciliori conatu diſiectis aggeribus, in hoſtium caſtra inuectus ſuum Principi ſociaret agmen, & ambo ſimul interiora quaterent munimenta, dum Leganius exteriora concuteret: quo vtrinque æquatis aggeribus ſolo, omnes ſimul copiæ intra hoſtium caſtra irrumpentes vrbe obſidio exempta, hoſtem internecione conficerent. Ab albeſcente Aurora octo muralia tormenta in collium vltra Padum dorſo locata continuo fulminum iactu Valentini munimentorum loricas lacerauerant: & propugnaculum ad Padi litora extructum perpetua miſſilium iaculatione verberatum diruerant: in quod Leganius Aloyſium è Lincaſtro caſtrorum præfectum cum ſua legione, & ſcalarum copia, ligneis pontibus, & vineis miſit: mox etiam Ioannem Arriagam cum ſuis cohortibus, & aliquot ex Principis Borſi, Ioanniſq; Pignatelli legionibus centurias contra aliud propugnaculum Montiſcaſerij viam tormentis abradens feſtinare iuſſit: hoc erat illud propugnaculum, in cuius faſtigia ſubſidiaria Hiſpanorum ſigna erecta Princeps conſpicere peroptabat. Miſſæ cohortes conſerta ordinum facie ſtrenuè munimento ſuccedunt, ſed infelici euentu; nam quamuis manibus, & pedibus ſimul innixi, & ſcalis admotis, ſuperare aggeris ardua conarentur; & ſemel pulſi maioribus animis impetum renouaſſent, nunquam tamen repugnantibus ſtrenuè Gallis, & euadentes in loricam haſtarum pulſibus reſupinantibus, intra munimenta peruadere potuerunt; quare accepta clade, & pluribus eo auſu amiſſis, impetu abſtitere. Leganius cum interiora ſubſidia, quibus erant munimenta eodem tempore inuadenda, nulla ſuorum iuuare conatus, nec reſpondere auſis vidit; quid Gattæ factum; & quis eius inuaſionis ſucceſſus fuiſſet, ſerio ſolicita cura vereri cœpit; quem inuectum intra hoſtium caſtra, nec ne, nunquam certò cognoſcere potuit: quare iã noctis cadẽtibus tenebris, receptui Tubicines canere iuſſit: ea pugna peditibus quingentis amiſſis, & ſex cohortium Ducibus cæſis, nullo tanti conatus, & diſpoſiti moliminis fructu, immo ingenti copiarum iactura.

Hiſpani varias caſtrorum partes hoſtium inuadunt.

Hiſpani cũ cade à caſtris repellũtur à Gallis.

Leganius recipit ſuos ab hoſtium caſtris inani conatu.

Nullum infęliciorem allatum obſeſſę vrbi ſubſidium hoc exitum habuit: nullum ceſſit pernicioſius, vertitque afferentibus peius. Gattæ quoque in Hoſtium caſtra irruptio magis res perdidit, quàm erexit; non tam quòd valdè in militaris diſciplinę ſcientia peccaſſet; non cuſtodito, quem aperuerat, dirutis caſtrorum aggeribus, aditu, quàm nulla pyrij pulueris, commeatuumque copia ſecum in vrbem auecta, maiori exitio obſeſſis, quàm auxilio fuit; cum eius agmen vrbanis commeatibus eſſet alendum, quò citiùs maiori præſidiariorum numero abſumente fruges, vrbs propellebatur ad famen: cæterum obſeſſi, incluſique vrbe nullam militiæ, ſed verſandis truſatilibus nobis operam nauabant. Reliquę Leganij copiæ tam nobili, valida ſubducta bellatorum parte ferendo ampliùs ſubſidio aptæ non erant. Galli cum vero exercitum paulo ante fame languentem ſuffuſa macie horridum ferè penuriæ malis extabeſcentem quà tantum venturi è Gallia ſubſidij ſpe alebatur; omnibus incommodis Gattæ in vrbem tranſitus

Gattæ ſubſidium Vrbi pernicioſũ.

Gallica copia repulſis Hiſpanis recreantur.

ſitus exemit. Ille enim vt validior, & fortior in caſtrorum munimenta inuaderet, adducto ſecum è Colena ſtatione militum flore, exiguū ad eius cuſtodiam præſidiū reliquit; ſubſidiaria Gallorum agmina deſerti aditus opportune occaſione arrepta, nullius iactura militis ijs ſuperatis auguſtijs poſtera die, quam Gatta per diſiecta Gallica munimenta in vrbem irruperat, præter omnem expectationem in ſocia caſtra prouecta popularem exercitum iam precarium ab Hiſpanis ſpiritum petiturum, accepturumq; quaſcunque daret victor leges, vix fame pedibus ſtantem allatis abunde commeatibus, roborarunt: adductiſq; militum ſupplementis, adeò firmarūt, vt ex victo repente mutata fortuna victor euaderet: ſuis mirum in modum auctis, Hiſpanorum viribus infirmatis.

Commeatus Gallicis caſtris inſeruntur.

Fortunæ mutatio.

Ex hac tam repentina verſione rerum, variataq; portentosè belli fortuna iurgia, rixæ, odia acerbiores querimoniæ inter Principem, & Leganium, & vtriuſque Duces, & milites mutuæ exarſere, tam infelicis euentus, aduerſique infortunij culpam in alteros inuicem regerentibus. Leganius de Principe querebatur, quòd nimis importunè ſe ad aggredienda hoſtium caſtra coegiſſet; quos ſedendo, obſidendoq; itinera, intercipiendiſque commeatibus, fame domitos, aut obſidione abſcedere; aut memorabili, citra militum cruorem parta victoria, ad deditionem compuliſſet. Incuſabat quoque Principem, quòd ſe hoſtium caſtra aggredientem, intus à tergo pugnantem cum Hiſpanis aſſilientibus hoſtem cedendo nihil inuiſſet; ancipiti ſiquidem Gallus pugna diſtentus neutris obſiſtere impotens irruenti Hiſpano ceſſiſſet: ſed ſegnis, & deſes ceſſaſſet, ex quo vtriuſque inanis conatus euentus effluxit. Ex aduerſo Princeps querelarum contra Leganium clamoribus obſtrepebat: quòd nullum equitum agmen ſibi ſubſidio miſiſſet; nec omnibus copiarum viribus ad aggredienda hoſtium caſtra ſucceſſiſſet; variaſſetq; condictam non ſe prius admonito, dandi impetus horam. Nec minus acerbè inter ſe vtriuſq; Duces, & milites iurgabantur. Dum ſui quiſque Ducis damnatis alterius, conſilia tuentur. Hiſpani Principem inſidiarum, perfidiæ, fraudum inſimulabant. Taurini viciſſim Leganium doloſi ingenij, parum ſynceri animi in afferendo ſubſidio, arcani alicuius pernicioſi moliminis arguebant. Quamquam ab Hiſpanis ſibi obiecta crimina diluebantur aſſerentibus Principis literas nuntiantis, niſi quinto idus Iulias inferretur vrbi ſubſidium, ſe cum Gallis conuenturum, dediturumque obſeſſoribus vrbem, omnem fœlicem belli exitum, certamq; victoriam interuertiſſe. Nam quamuis vrbem Gattæ agmen ingreſſum vrbanis commeatibus altum annonam citius vna cum ciuibus, & præſidiarijs abſumeret, maturaretque penuriam: attamen ab eo præſtituto ſubſidio afferendo a Principe die, vſque ad decimum Kalendas Octobris affluens obſidium commeatuum copia ſuſtinuit; & a deditione tantum in vrbe annonæ ſuperfuit; quantum ad alium menſem trahendam diutiùs obſidionem ſuffecturum alimenta ciuibus erat. Quare cum Princeps ad Leganium eas obnuntiantes deditionem litteras dedit;

Hiſpani, & Taurini ſe inuicem aduerſi euentus culpa inſimulant.

Leganius, et Princeps ſe inuicē carpunt.

Principis obnuntiationes victoriā eripuerunt.

non

non ita vrbs vltima anonæ inopia premebatur, vt propterea ad expediendam eo poſtremo diſcrimine vrbem, Leganio inuadenda hoſtilium caſtrorum munimenta fuiſſent, atque à ſuo ſalubri perdendi citra certaminum pericula hoſtis conſilio diſcedendum: quo ſecura procul dubio parabatur incruenta victoria, cum Galli amplius tres dies à quinto Idus Iulias ſub pellibus, vrgente fame, durare non poſſent, neque diutiùs ijs ciborum inquiuamentis vitam tolerare. Sic ipſi Galli diſertè fatebantur; quibus infœlici eius diei hoſtium tentamenti ſucceſſu Hiſpanorum enſium mucrones effugiſſe videbantur, maximaſq; cæleſti Numini Gallicæ genti propitio gratias effuſi in preces agebant; quòd ſe eo die eluſis, fruſtratiſq; hoſtium conatibus, ſoſpitaſſet. Hoc ipſe chiliarchus Pignatellus affirmabat, qui quamuis à Gallis optimè haberetur plerumque copiarum Ducum mēſis exceptus, nunquam tamen ſibi ante Gallici ſubſidij in caſtra aduentum panem appoſitum vidit: ſubtracti inſuper Taurinæ arci, & Clauaſio commeatibus vltimæ caſtrorum inopiæ argumento fuerunt. Verum Taurini ſui Principis flagitationis purgant importunitatem, excuſantque indicti ſubſidio diei breuiores moras, Gallici venturi propediem ſubſidij, iamque in Italiæ foribus conſiſtentis prætextu, quod niſi Colenij militari via, ſaltem per collium culmina peruenturum erat in caſtra; Taurini equitatus ductu, qui Demarcho Villa eius magiſtro accedentibus Gallis obuiam profectus eos deducturus erat in caſtra: ac proinde Gallicæ copiæ refectis, reparatiſq; viribus robuſtiores, reſtituto animis, corporibuſq; vigore obſidio vrgere vrbem acriùs inſtitiſſent; nulluſq; tantis malis finis, & modus ponendus erat. Sed cum ei Gallico ſubſidio furtim per hoſtium ſtationes, obſeſſaſque cuſtodijs, præſidijſque vias peruadendum eſſet in caſtra; neceſſe erat illud admodum tenue, malignumq; afferri, vix per aliquot dies ad leuandam militum famem alimenta ſuffecturum.

Galli victoriam adepti Deo gratias agunt.

Principis excuſatio petiti nimis feſtinatio ſubſidij.

Quamobrem liquidò conſtat Leganij conſilia conficiendi famę hoſtis, atque ab eo obſidione pellendi optimos ſucceſſus habitura fuiſſe; niſi illum vel nolentem, multumq; repugnantem hoſtium caſtris nimia Principis feſtinatio, atq; animoſitas impegiſſet. Quantum verò ad pugnæ Valentini ſucceſſum attinet, cum alij alia aſſerant: & res obſcura pluribus difficultatibus implicetur, mutuiq; erroris, vel arcanæ fraudis, ſecretioriſq; reſpectus, & ſenſus aliena omninò à ſpecie quàm præſeferebant, vterque pariter accuſetur: eadem offuſa caligine expendenda lectorum iudicijs conſultò relinquemus: iudicent illi vter turpiùs, aut fraudolentiùs in hac expeditione peccauerit: an ſagaciùs ex ciuili prudentia egerit. Satis ſit ſupra innuiſſe, quibus artibus toto eo bello, mutuiſque diſſidijs, vtrique certauerint; vt in medio ſit vter cautiùs, aut prudentiùs, vel fallaciùs egerit. Certè exploratum eſt apud omnes, ſi inuadente ad Valentinum caſtrorum munimenta Leganio, Princeps Thomas ex conuentis intus hoſtes aggrediens eorum terga cæcidiſſet; futurum fuiſſe, vt ille proſciſſo Gallis deturbatis ab aggeribus, vallo, effuſoque per hoſtiles ſtationes exercitu, eo die conciſo,

Principis Thomæ ſagax induſtria, & prudentia.

conciſo, vel fugato hoſte, foret debellatum; verum Princeps, ita forſan ſuadentibus purpuratis eius ſtipantibus latera, compreſſo bellicoſi pectoris pugnandi ardore, ſuos à laceſſendo, oppugnandoq; hoſte continuit; quod Hiſpanis aperire aditum in caſtra, complanareque viam, vt integris copijs in Gallorum ſtationes irruerent, vltimam ſuis rebus perniciem erat allaturum: cum Taurina arce ipſa vrbe, Taurinisq; omnibus eorum ſubiectis arbitrio. Si enim totus Hiſpanicus exercitus potens, & validus integris viribus diſſipato, cæſoque hoſte, vrbem victor intraſſet; quis ei inſoleſcenti, obtinentique omnia obſiſtere, aduerſarique fuiſſet auſurus? Non liberari eo ſubſidio vrbem, ſed Hiſpanæ potentiæ quaſi iniecto freno, æternum fieri captiuam, aſtrictamq; compedibus perpetuo Hiſpani Regis ſeruitio mancipari. Quare ille militari ferocia remiſſa, ciuilibus artibus vſus adoriente caſtra Leganio, à pulſando hoſte ceſſauit, vt vtriuſque exercitus mutuis cædibus viribus attritis, à neutris opprimi poſſet, & ſuæ familiæ, domuſq; libertas incolumis, eo cauto conſilio ſeruaretur. Sed hæc ſint quorundam curioſorum nimis ſubtili indagine cuncta rimantium commenta: omnia Principum geſta, & conſilia ad fraudes, & inſidias malignè flectentium: crediderim ego candidiùs, & Leganium ea ad Valentinum pugna ſuas ſtrenuè partes impleſſe, & maiora etiam, quàm deſtinauerat egiſſe, & Principem pariter ad Valentinum pugnandi cupidum aduolaſſe, ſed mutata aggrediendi hoſtis hora, neſciſſe, an Leganius exteriùs Gallica quateret munimenta, hoſtemque à fronte feriret; expectaſſeque in armis diù Hiſpanica in munimentorum faſtigijs fulgentia vexilla; ſed cum ille iterato in aggeres impetu cum cæde repulſus munimentorum ardua ſuperare non poſſet; cãtato receptu, ſuos ab ijs hoſtilium caſtrorum impreſſionibus abduxiſſe, cum nullus Princeps à tergo pulſando auerteret hoſtem; Gallis propitia mentem vtriuſque confundente fortuna, mutuo errore lapſos, munus malignè putarim; vt enim cui illa decernit victoriam, omnia eius conſil a, conatus ad proſperos exitus vertit; ita quoſcunque vincendi niſus, deſtinata, quamuis prudenter conſtituta, actaq; omnia corrumpit. Sed nihil æquè victorias adimit, & maximorum exercituum conatus fruſtrat; quàm duorum æqualis authoritatis Ducum à ſe inuicem diſſidentium imperia, altero alterius plerunque conſilia damnante. Non bene biceps regitur corpus, & vnus exercitus ſub duo capita nunquam magni aliquid geſſit: vnoquoque ad ſe rerum ſummam trahente; nemo enim neque conſilio, neque prudentia, aut diſciplinæ militaris peritia collegæ concedere ſuſtinet, nec eius veluti ſalubriora ſequi conſilia. Quod clarè hoc toto bello patuit; ſed præcipuè in hoc vltimo liberandæ ab obſidio Taurinæ vrbis conatu Principe ſua animoſa, ferociaq; conſilia Leganij cautioribus, & ſalubrioribus præferente, dum hic citra ſuorum vulnera, & cædes decernit ſedendo, vrgendoq; hoſtem fame bellum conficere; ille minacibus literis, & obnuntiationibus deficiendi ab Hiſpanis ad Gallos, cogit Leganium hoſtium caſtra inuadere, conſertaque pugna obſidione vrbem eximere, quod vtriuſ-

Hiſpanorũ victoria Principi periculoſa.

Principis tutum conſilium.

Mutuus Principis et Legany error.

Fortunæ mos.

Duorũ Ducum æqualis authoritatis imperium pernicioſum.

vtriuſque perditis rebus certam victoriam ademit. Sed iam ad ſequentium rerum narrationem redeamus.

Leganius infęlici, aduerſoque tentamenti ſucceſſu indignatione, iraque fremens, ferè actus in rabiem digitos identidem mordens intimo dolore angebatur; quòd importunis Principis obteſtationibus ſe à ſuo propoſito abduci paſſus, rerum ſumma eius præcipiti conſilio prorſus euerſa, tanto ſuæ bellicæ exiſtimationis detrimento clariſſimam victoriam amiſiſſet. Sed accepto incommodo vtcumque vel nolenti conſulendum erat, ne auctis malis aſperata plaga inſanabile poſt modum fieret vulnus. Exigua ad modum tormentarij pulueris vrbis præſidiarijs copia ſuppetebat; quæ ſi cito non præberetur obſeſis, tam neceſſaria re defecti vrbem diù tueri non poterant. Secum igitur ipſe huius copiæ obſeſſis ſufficiendæ rationem tacitus excogitabat, neque diù meditando vllam expeditiorem inire potuit; quàm ſi per Padi vada, quæ Margaritæ incolæ vocant, contra Vanchiliæ prata in aduerſum litus traijcerentur. Traducti itaq; aliquot pyrij pulueris cadi ponè colles, quos Rialiæ vallis fauces excipiunt, ad ea vſq; vada protenſæ in amnis litore ſiſtuntur: datoq; Principi allati ſubſidij eductis in ſublime flammis inſignè, vt ad illud accipiendum ex vrbe ſuos ad flumen emitteret: ſed cum ea flammarum elatio quid ſibi vellet, quid innueret, Princeps cōiectare non poſſet: nemine ad eos pulueris modios inde auehendos ex præſidiarijs, aut ciuibus adueniente, ne ab hoſtibus interciperentur eadem, qua adducti fuerunt via, iterum referuntur. Princeps veritus aduerſum eius belli euentum, niſi aliquo inuento pyrij pulueris caritati proſpiceret, & ſupleret inopiam: nitri quàm maximam poteſt, vim ex cellis vinarijs, & ſtabulis corraſam conflari, & ſulphuris copiam colligi, atque ex ijs rebus tormentarium puluerem confici iuſſit: quo vtcumque tuendæ vrbis neceſſitati prouiſum, donec maior copia à Leganio mitteretur. Verum ille ſubtracto quidquid roboris, quidquid floris exercitus erat; viribus imminutus, & è contra auctis nouis, & validis acceptis militum ſupplementis, hoſtium copijs, plus de reliquijs ſuperſtitibus ſeruandis; quàm de ſubueniendo vrbi laborabat: nec ſatis Montiſcaſerij debilis ſtationis munimentis fidens reducto citra Padum exercitu, quem paulò ante in hoſtium oculis repugnantium tanta gloria traiecerat; in priſtinas collium ſtationes regreſſus eſt, vt inde quaſi ex ſpecula infra ſe poſita hoſtium caſtra proſpiciens alicui, quā propitior fortuna offerret, benè agendæ rei, vel ſubmittendi in vrbem ſubſidij occaſioni immineret, atque in tutiori loco conſiſtens nullum hoſtium impetum formidaret. Quo cognito Harcurtius, deſertis vltra Padum munimentis, nullum ab ea parte periculum metuens omnes vires ad pontem, munimentaque ad Patrum Capuccinorum cœnobium conſtructa coegit; vbi etiam alia propugnacula, atque aggeres excitari, obtendique hoſtibus iuſſit; vt firmior, & tutior ad excipiendos Hiſpanorum impetus eſſet, & ne deinceps repentinus aliquis hoſtium incurſus lacerato, diſiectoque aggere, in vrbem irrumperet: alìud circum anguſtius primo ad tertias ducto

Leganij de amiſſa victoria indignatio.

Principis induſtria.

Leganius copias ſubducit in colles.

Harcurtius validius ſe munit.

cto vallo ad quod tuendum, & ſi minor propugnantium numero opus eſſet, tamen præſidij partem ex arce ſubduxit, vt poſita per æqualia interualla propugnacula tuerentur. Hoc munimentum à remotiori Taurinę arcis angulo ſurgẽs recta ad Durię vſq; litora procurrebat, interfluenteq; amne abruptum; iterum vlterius protenſum ad Erydanum declinabat; inde

Ad tutiorem formã caſtra reducit.

remenſa iterum Duria, nouum viuarium includens ſecus Padi ripas in longum productum Valentinum vſq; curuato flexu ad arcem pertinens, vnde cæperat, extento cornu redibat. Hi ſecundi aggeres anguſtiores ciues in maiores anguſtias, præſidiarioſque adduxere. Nam cum aucti equitum, & peditum numero ſuam quoq; partiri annonam cæteris, qui nuper intrauerant, cogerentur; quotidie tenuior, parciorque fiebat: nec equi exteriori

Obſeſſorum difficultas.

pomærio hoſtilium caſtrorum munimentis adempto, deficiente pabulo poterant ali; ſed frumento, cæteriſque frugibus ciuium alimoniæ ſubtracto ſuſtentandi erant; quorum plures ab inſueto cibo intumeſcentibus vteris rumpebantur. Quare obſeſſi tot vrgentibus vndique malis afflicti cum diutiùs in ijs anguſtijs durare non poſſent, & tot inutilia comedentium ora citiùs conſumpta annona ad deditionem propulſura eſſent: conſulunt quid facto opus ſit, vt creſcentibus in diem malis occurreretur; ne gliſcente commeatuum penuria ciuitas periret. Multi Principi ſuadebant, vt ſecum valido peditum, & equitum agmine vrbe educto, proſciſſo vtroq; hoſtium vallo, vel ijs inuitis, ad Leganium erumperet; vt ſociatis cum eo viribus, & conſilijs, preſens melius, quàm litteris illum ad aliquid magni pro vrbis ſalute, liberationeque audendum impelleret. Subnectebant inſuper ipſo in tuto poſito, quidquid aduerſi accideret, non fore admodum perniciosum, ac ſi ipſi eodem diſcrimine deprehenſo in hoſtium poteſtatem veniendum eſſet, aut maior aliqua alia calamitas ſubeunda. Ad hoc ipſum capiendum conſilium Leganij etiam litteræ ſuadebant. Sed Princeps generoſo animo turpem diſceſſum ſuadentium monita reſpuit ſuarum ſociorum, quæ ſuam tam conſtantibus animis fortunam ſequutæ fuerant, fœdus deſertor eſſe non ſuſtinens; & cariſſimam patriam, quæ ſe Principem tulit, & amantiſſimum populum, quem ſui amor, & veneratio in tot mala, anguſtiaſque coniecerat, turpiter deſtituere, veluti infandum ſcelus vltimumq; flagitium ex animo deteſtatus. Quamobrem cum Princeps diſcedẽdi conſilium ſe indignum omninò damnaret; decretum fuit, vt Gatta, qui in vrbe otioſus, ob inductum equitum, & peditum numerum maius ciuibus detrimentum, quàm commodum afferebat, ſuo equitum agmine hoſtium munimenta ad Purpuratam, per quę in vrbem proruto vallo ante irruperat; ſuperare tentaret, ſeque Leganio iungeret; ſic enim, & vrbem tot alendorum communi annona turba leuabat, & Hiſpanicum exercitum addito tam valido agmine roborabat. Ad erumpendum igitur ille ex ſuſcepto cõſilio per hoſtium tela ſe expedit: quod minime arduum communis ducum ſententia cenſebat: cum Harcurtius omnibus ſuis viribus ad colles, in quibus Leganius conſederat, collectis, cæteras caſtrorum partes exiguis præſidijs

Principi ſuadetur vt erumpat in tutum.

Principis generoſitas.

Salutare obſeſſorum cõſilium.

Digitized by Google

ſidijs munitas, vnde nullum metuebat periculum, reliquiſſet. Gatta vrbe cum Neapolitano, & Germanico equitatu, præeuntibus aliquot Liburnorum equitum turmis, & vna Principis Cardinalis comite Brollio Duce Ligones, & farculos ad diruendos aggeres ſecum ferente, obſcura nocte egreſſus ad diuæ conſolatæ propugnaculum ſubſtitit diſrupti aggeris nuntios expectans. Illi fęlici auſu primo munimento nullo negotio diſiecto, mox altero aliqua difficultate patefacto, Gattam ad erumpendum inuitant. Ille ad aggerum ruinas profectus traducto vltra agmine, aliud inſuperabile impedimentum offendit. Galli nuper ingentem foſſam poſt vallum depreſſerant; in quam Duriæ aquam immiſerāt, augebat maximè tranſitus difficultatem tellus diſiecti aggeris in foſſam collapſa; quæ aquis diluta, miſtaque tam præaltum, tenaxque cœnum effecerat, vt tranſeuntium veſtigia hauriens, & quaſi quodam viſco genua implicans tranſiri non poſſet. Quare nouæ inſuperabilis difficultatis obiectu attoniti, & mente confuſi dum ſolicitis animis pendent, ſcrutanturque aliquam tranandi rationem ab hoſtium vigilibus deteguntur: & quamuis aliqui in ea trepidatione vadato fęliciter cæno, hoſtium enſes effugerint; plures tamen limo impliciti, hauſtique aut præfocati, aut capti ab hoſtibus fuere. Maior pars in vrbem intenta fuga elapſi, pars hoſtibus vndique accurrentibus intercepti, aut captiui abducti, pauci ad ſuum Ducem incolumens effugere: qui iterum ſe vrbe includere coactus iiſdem difficultatibus ciues, & anguſtijs implicuit: cum molendina tantæ alendę militum, & ciuium multitudini farinam ſufficere non poſſent. Ciues igitur, vt hoc ab vrbe poſtremum malum auerterent, quod procul dubio ad deditionem propulſurum erat, aliud emiſſarium de Duriæ alueo, vetere inferius deducere moliuntur; in quod aqua deriuata molendinorum rotas euolueret. Labor ſanè difficilis, & diuturnus, cum ſolum de nocte tellus eggeri poſſet, multum foſſores hoſtium moſchettariorum infeſtante procellà, diurnaſque operas impediente; ſed fœlici euentu vrbi ſalubris. Quo Harcurtius aduerſo cum extrema vrbis pernicies ex aquę defectu maturanda eſſet, duobus tormentarijs ageribus opportunis in locis eductis, molendinorum rotas miſſilium iactibus perfringere tentauit: ſed obiecta terræ moles telorum procellæ aſſiduo ciuium labore Harcurtij conatus, diligentiamque feſellit: qui obſidionis victor admodum cupidus abſoluendæ, alio faciliori cōmento certioris ſecundi ſucceſſus, aquam aliò abducere inſtitit; in aduerſo enim litore vaſti oris incile excauato, deriuataq; in illud aqua, atque exſiccato ciuium emiſſario, eius elementi vſum, & commodum vrbi ademit; quod procul dubio deditionem feſtinaſſet, niſi molarum truſatilium multitudo molendinorum vicem abundè ſuppleſſet. Reliquum erat, vt tormentarij pulueris caritati, penuriæque conſuleretur. Leganius itaque cum Principe conuenit, vt nocte concubia ducentos eius pulueris modios per Vicentium Gonzagam cum validi equitum agminis cuſtodia mitteret ad eam ſtationem, in qua Motta conſidere conſueuerat; proinde Princeps iuberet vrbanum equitatum eo

Carolus Gatta erūpit ex Vrbe.

Inſuperabilis tranſeūdi aggeris difficultas.

Ciues aliud emiſſarium moliuntur.

Harcurtius iterum aquam obſeſſis adimit.

tum eo

Digitized by Google

tum eo contendere; vt expoſitos litori pulueris modios exciperet: ſed noctium obſcuritas illud quoque deſtinatum eluſit. Gonzaga ſiquidem Pado vadato, cum Duria quoq; & Sturia traijcienda flumina eſſent; antequam ad condictum locum pulueris modios exponeret: nec niſi orta iam luce, adultoque manè eò peruenire poſſet: ad primos Auroræ fulgores veritus ne à ſuperueniente hoſte interciperetur, puluerē retrò reduxit. Ducenta ex itinere hoſtium iumenta, quæ Clauaſium commeatus detulerant, fugata cuſtodiā, abegit in vrbem. Eadem nocte ipſe Princeps cum vniuerſo equitatu Demarcho Serra cum valida peditum manu latera eius firmante, vrbe vt tam neceſſarium tormentorum prouiſum acciperet; ad condictum locum progreſſus, dum hìc acceſſum ferentium puluerem præſtolatur: cōſpectum hoſtes ferociter adoriuntur: propellit ille ſtrenuè impetum incurrentium, effuſaque à Demarcho Serra in ſubeuntes miſſilium moſchettariorum procella, referre celeriùs gradum bene mulctatum coegit: cæſis ducentis ex Gallis præter quinque turmarum Duces vulneribus confoſſos, vix decem ex Principis agmine amiſſis: inter quos Dux quidam Germanus, quem inter ſpoliandum omnibus rem inauditam, nouitateque miraculi incredibilem ſtupentibus fœminam corporis nuditas retexit: quæ mentita virum veſtium ornatu, & maſcula grauitate inter milites, bellatorumque contubernia ſeruato pudore, nulla fœminea leuitate mulierem traducente, verſata in prælijs, & militaribus auſis inter promptiſſimos pugnam ciens paucis annis è gregario milite per gradus ipſi ſuffragante virtute, ad turmæ equitum ductus honorem prouecta inter ſtrenuos Duces cenſebatur. Hæc graui accepto vulnere in terram ex equo defluxit, cui ſtricto ferro imminens hoſtis comis, & clemens vitam, ſalutemque obtulit, ſi à ſe precariam popoſciſſet, verum illa impauido animo ſpiritum dono obtentum trahere, precariòque viuere indignata, maluit honorē mori; quàm turpiter viuere; ſic illa virilem, fortemque ſpiritum in fœmineo corpore quaſi exulem diu hoſpitatum efflauit, eoque indigno domicilio auolantem ingentium animarum choris inſeruit. Iam claro die cum nullum vſquam tormentarij pulueris ſubſidium afferentem videret, receptum edixit; militarique auſu, fidentique ferocia ſub hoſtium oculis in vrbem agmen reduxit; ſed admodum triſtis, quòd tam neceſſarium vrbi propugnandæ ſubſidium non ſecum auehere contigiſſet. Sed mox tormentarium puluerem obſeſſis inaudita, & miranda cuiuſdam artificis ſuffecit induſtria. Quæ enim nupera bellantium ingenia ſiue ad mortalium perniciem, ſiue tutamentum, aut expugnandas, propugnandaſque vrbes efficacia inuenta, & machinas commenta non ſunt? quæ non eruit ex naturæ adytis, arcaniſque receſſibus ſcrutata non eſt ſagax molitorum ſolertia? Eo exceſſit diſciplinæ militaris induſtria; vt nulla ſit tam firma, munitaque arx, nullum adeò inexpugnabile propugnaculum, quod noua ſubinde machinamenta moliēs illa nō vincat. Vt omnis neceſſitas ad ſalutē tuendam ingenia acuit; ita præcipuè militaris, & bellica miranda identidem ſuggerit bellantibus arti-

Serra cum Gallis pugnam init.

Gallos repellit.

Miraculū de duce fœmina.

Fœmina Germanæ militis, & Ducis animi magnitudo.

Præclarum machinatoris inuentum.

artificia, quibus vel hoſti afferat, vel à ſe propulſet exitium.

Sublata penitus duplicium interiectu caſtrorum inter obſeſſos, & auxiliarem exercitum commertia, & accipiendi, afferendique ſuarum rerum nuntia inſuperabilis difficultas cuiuſdam architecti huiuſmodi inuentum menti ſubiecit; quo Hiſpani, & tuto literas mittere, & pyrij pulueris indigentiæ, penuriæq; proſpicere potuerunt. Ille in intus vacui ferrei globi concauitate per relictum ſpiraculum, quòd ferreo pariter obturamento capreolatim ſtriato, clauiculata, & tortili ſtructura obſtruebat, literas incluſas excuſſo è murali tormento globo è ſocijs caſtris in vrbem, & ex vrbe in caſtra per aera celeri volatu perferebat: nequicquam hoſte fremente, perniciosúmque ſibi, & obſeſſis ſalutare, auerſante, ęgerrimèque, & quàm dolentiſſimè inuentum mirabile tolerante. Huiuſmodi ferreos globos militari dicterio, & ioco tabellarios, nuntioſque volantes milites apellabant, quo ſalubri commento, accipiendi, aſferendique de ſuo ſtatu nuntios fœliciter eſt ſublata penitus difficultas: cum quolibet momento pro arbitrio Princeps Leganium, Leganiuſque viciſſim Principem de inſtantibus rebus docere poſſet: ſed dato prius antequàm globus emitteretur per euolutum in ſublime fumum inſigne, vt accepturi, quo caderet globus, intenta cura nòtarent. Et cum non admodum ſit arduum aliquid inuentis addere, hoc ingenioſiſſimum inuentum ad tranſmittendum quoq; tormentarium puluerem in vrbem aptatum eſt. Volabant illi globi puluere grauidi ſuper obſidentium capita immani rabie frendentium; quòd claudendæ vndiq; vrbis duplicis valli conatum inanem, atq; irritum hoſtium ſolers induſtria reddidiſſet. Ad meliorem etiam vſum, & commodum illud inuentum detortum eſt: nam cum vrbe reliqua materia ad conficiendum puluerem affluente, nitrum tantum deficeret molitores; nitro ſolùm globi farciebantur; quo maior tormentarij pulueris copia conflata obſeſſis affatim ſuppetebat. Sal quoq; eo commento in vrbem traductum, cuius maxima penuria laborantem frequentia ciuium, & militum funera viduabant. Nam cum bouilla caro prorſus defeciſſet, equina arat edenda, quæ nullo ſale condita mortales morbos per ciues, militeſq; vulgabat: ex quibus plures grauius tẽtati peribant. Similes globi ad mille in vrbem contorti, & pyrij pulueris, & nitri, ſaliſque copiam abundè ciuibus attulerunt; quo diuturnior, obſidio producta, laborioſiorq; hoſtibus obſidentibus facta eſt.

Tabellarij volantes.

ad alia inuentum aptatur.

Interim accidit, vt Argentonis dynaſta, Gouoneſq; dominus Taurinæ arcis præfectus è caſtris Pinarolum proficiſcentes à duabus Hiſpani exercitus equitum turmis illac fortè præteruolantibus caperentur: ductiq; optimè cuſtoditi Cherium, inde Leganij iuſſu in Mediolanenſem arcẽ tranſlati fuerunt. Argentonis dynaſta Gratianopolis ſenatui præſidebat: togatus ſanè miniſter, ſed rerum bellicarum, & ciuilium apprimè peritus, quo inconſulto nullæ res magni momẽti, neq; in caſtris, neq; in totis Taurinis agebãtur. Horum procerũ captiuitas Principi, & Leganio gratiſſima fuit, nam cũ vterq;

Taurinæ arcis præfect⁹. capitur ab Hiſpanis cũ Argentonis dynaſta.

Digitized by Google

ſibi Taurinam arcem occupandam deſtinaſſet, imminuto eius præſidio ſubductis ad interioris valli cuſtodiam militibus, & nullo præfecto in ea curante, facile eam expugnatū iri cenſebat. Hac arrepta occaſione Princeps à Leganio popoſcit, vt ab eius arcis petitione, imponēdiq; illi Hiſpanici præſidij cōtētione abſiſteret. Leganius cū omnia tētamēta in irritū reci-diſſe, reſq; perditas omninò cōſpiceret; ſatius ratus eā in Principis ditionē, poteſtatēq; redire; quā Gallorū cupiditate vſurpari: tādē eius ſed ſerò annuit votis, & poſtulatis indulſit. Cū Princeps, incertum qua cauſa, ſuo voto damnatus cōceſſæ arcis nūtiū afferenti ſubiecit, nō eſſe amplius tēpori deſtinatū tētamētū; quæ Principis verba interpretatus Leganius ſubita mētis indagine Principem, qui nūquā cū Gallis trāſactiones intermiſerat, ex arcis toties negatæ prætextu, aut cū ijs iā cōueniſſe, aut cōuēturū eſſe cōiecit. Quotidie itaq; diffidētius à ſe inuicē diſsētiebāt, gliſcētibus vtrinq; mutuis fraudū timoribus, & occultis auerſionibus animorū; ſibi in arcano inuicē infenſis, atq; indignātibus, quòd omnia ſalubri cōſilio cōdicta, decretaq; proruebāt. Leganius nihilominus Hiſpana patiētia ſecretas Principis petitiones ſuſtinens omnia eius molimina diſſimulabat, ob vrgētia Regis mādata, quibus iubebatur, ne quicquā Principi ægrè faceret, ne illum à ſuis partibus alienaret: nullū prętermittebat obſequiū, nulli parcebat impēſæ, omnia implebat officia, vt illū in fide cōtineret, omnia eius cōſilia de ferēdis vrbi ſubſidijs pronis auribus excipiebat: verū ille difficultatū interiectu tamdiu tētamenta remorabatur; donec illa exequendi occaſio, & tempus efflueret. Alias ipſe etiam initas dandi ſubſidij rationes ſubijciebat, vt ſe in ſpeciem non minus illi ſuccurendi cupidum oſtentaret: melius, ſalubriuſque conſilium hoc, atque illud eſſe aiebat, vt multa commentatione conſulendo inter ipſos, diſcutiendoque vtrum efficacius, faciliuſque eſſet, perficiendi condicta, conuentaque præteruolaret opportunitas. *Ex quo* poterat coniectari non amplius Leganio in animo eſſe *ſuperſtites* copias in maiora belli diſcrimina immittere, quas quinto nonas Iulias Principis coactus obteſtationibus immiſiſſet. Spes illius magis verborum officijs alebat, quàm opere implens: Principis in ſpeciem magis, quam re ipſa obſequebatur voluntati non ſuis viribus minus, quàm eius ingenio diffidens, à quo ſe deſertum iri in ſuis conatibus verebatur; quemadmodum ad Valentinum pugna nihil ſe aggredientem hoſtem a tergo Gallis inſtando ex condicto iuuiſſet.

Leganij ſera in Principem indulgentia.

Mutua Principis, Leganyque diſſidentia.

Legany admiranda patientia.

Eius ſimulatio.

Dum Princeps, & Leganius varijs artibus, & ſimulationibus ſe inuicem circumueniunt turbatum in vrbe eſt adeò, vt propè à conſternatis militibus ſeditionem ventum ſit: quod procul dubio vrbi ſupremum attuliſſet exitium, niſi præſenti remedio inualeſcenti malo prouiſum fuiſſet. Inter omnes alias anguſtias, quibus milites vrgebantur, menſtrua ſtipendia ijs quoque numerari à Quæſtoribus deſita erant, qui vnico eo vitæ fulcimento defecti tumultum ſeditioſis vocibus minabantur. Rheti alijs inſolentiores, ferocioreſq; ferè in ſeditionē cōſternati alias etiā gētes ſuo pernicioſo exem-

Militū conſternatio.

exemplo ad idem furoris trahebant: niſi ſeditionis author, & impulſor à ſuo chiliarco detruſus in vincula mox capitis damnatus in totius præſidij oculis more militari haſtarum cuſpidibus confoſſus concitæ ſeditionis pœnas dediſſet. Quo incuſſo terrore coercita militū inſolentia cōticuit paulisper, mox in maiorē ſeditionē exarſura, niſi adhuc prementi egētiū militū neceſſitati conſultum fuiſſet: Demarcho Serra mutuò à Taurinis ciuibus cētū quinquaginta aureorū millibus acceptis, ſtipēdia militibus admēſo.

Leganius cum quotidie ad prælia cum hoſtibus committenda, ferendaſque manus minacibus litteris vrgeretur, diſertè intentante ſe ad Gallos defecturum, niſi quæ ad vrbem obſidio eximendam, ſeque diſcrimine liberandum facerent, auderet: ipſe quoque vt Principis nimijs poſtulatis poneret modum, eumque intra moderationis limites coerceret; cum Gallis fœderis tranſactiones inducere cogitauit. Ad hoc maximè opportunum Argentonis dynaſtam ratus, intra cuius commentaria, & tabulas, quas ſecum ferebat, cum ab Hiſpanis equitibus captus eſt: Galli Regis monita, & iuſſa ſcriptis expreſſa, multum rebus Principum præcipuè Thomæ aduerſantia, noxiaque reperta fuere. His fretus arcanis Abbatem Vaſquez Mediolanum miſit, vt cum eo dynaſta in eius vrbis arce, vt ſcripſimus, cuſtodito de fœdere inter Hiſpanos, & Gallos ſanciendo tranſigeret: vt pote cuius fidei, & prudentiæ omnia ad Italiam, Taurinoſque ſpectantia arcana à Rege Gallo credita fuerant. Erat ille Abbas ingenio maximè ſolerti, ſagacique, & ad huiuſcemodi negotia conficienda idoneo, atque ob id Leganio acceptiſſimus; ſed acerrimè Allobrogum rebus infenſus: adeò vt etiam mentis alienæ acerbitatem cum eodem Argentonis dynaſta familiaribus ad Valentinum alloquijs, quando anno ſuperiore ijs ſequeſtribus pactæ fuerunt inter vtrumque Regem induciæ, acribus vocibus expreſſiſſet; effatus ſiue ioco, ſiue ſeriò melius cum Regibus actum iri, ad ſeruandam Italiæ pacem, componendaque vtriuſque Regis diſſidia, & bella, ſi Allobrogum Principum genus ſtirpitus deleretur, eorumque dominatus ſibi æqualibus portionibus partirentur: cum ij Principes inter Hiſpanos, & Gallos bellis identidem, diſcordijſque ſatis, in Italia bellorum faces accenderent. Quæ Abbatis verba contracta fronte Argentonus auerſatus adiecit: ſui Regis mentem eſſe non modò Allobrogum Principum domum, cum qua ſibi arctiſſimæ neceſſitudinis, conſanguinitatis, affinitatiſque iura intercederent, ſeruare incolumen, atq; ab eius hoſtibus tota potentia tueri, verum etiam opibus & dominatibus augere. Leganius tamen ſumpto ex Regijs iuſſibus, & mon tis animo, cum Argentone de huiuſmodi rebus agere nō dubitauit; ratus eum, & ſi in ſpeciem Hiſpani propoſita deteſtaretur, tamen in arcano aſſentiri. Sed cum, & Principem domum florentē ſi quando alias, & Galli Regis potentia, atq; opibus nixam ſaluam, atq; incolumen videamus; inania, atque irrita Hiſpanorum contra Allobroges Principes tentamenta reiecta ſerio ab Argentone fuiſſe, immo falſa alicuius corycei commenta putanda ſunt.

Argentonis dynaſta ad Vaſquez reſponſio.

Hh 2 Princeps

Princeps Thomas veritus,ne illa Abbatis Mediolanum ad Argentonem profectio ſuis rebus noxia futura eſſet, Leganij ſagaci ingenio ſuccenſens Apoſtolico Legato ſuo apud Hiſpanos internuntio, cui Leganius maximè fidebat, ſuarum rerum agendarum facultatem ademit; ſuaq; negotia tractanda Gallicæ gentis ſtudioſis, ac perficienda commiſit.

Interim in obſeſſa vrbe omniũ rerum ad vitam trahendam in dies creſcẽte penuria, & Hiſpani exercitus decreſcẽtibus viribus,vtrius partis ſumma ad extrema reuoluta,vltimum metuebat excidium. Et ſi Hiſpanicis copijs à maritima ora duo peditum millia, & quingenti partim Hiſpani, partim Neapolitani ſuperueniſſent:exigui tamen momẽti ſubſidium cum plures febri,alijſq;morbis correpti inutiles bello eſſent, militariumq; laborum inſueti bellica munia obire non poſſent: præter id quod frequentia transfugia, crebri plurium interitus, & exercitus difficultatum, & incõmodorum acerbitas ita illum detriuerant; vt longè impar Gallorum viribus eſſet; ad exiguum,temnendumq;numerum tot influentibus malis redactus. E cõtra Gallicæ copiæ,& militum numero,& viribus auctæ,quaſi refuſo vegeto per totum corpus vigore,alacres,& viuidæ quotidie magis nouis ſubinde additis militum ſupplementis,florebant. Nam quamuis in Gallicis caſtris,morbi quoque in milites graſſarentur, & plures abriperent: minor tamen erat numerus pereuntium, quàm qui identidem è Gallia ſubmittebantur in caſtra. Sed plures Harcurtij celebris fama, & bellici decoris rumor tota Regia diditus aula purpuratos, Duces, & proceres Taurina aciuit in caſtra; alios vt inſignis, magniq; nominis Ducis fœlices auſus promouerent, alios quò ſe tantæ amici imperatoris gloriæ participes facerent. Plures dynaſtæ cum numeroſo aſſeclarum comitatu proprio ære conducto in caſtra venerunt. Multa etiam militum ſupplementa magis ad rerum ſummam obtinendam à Rege miſſa exercitum roborarunt. Demarchus *Villareus* mille quingentos pedites, & quadringẽtos equites Sequanos adduxit;& ex Allobrogibus inferioribus,quos nunc Delphinatum vocant,cum quadringentis ex patritio ordine equitibus adfuit. Ex Narbonenſi quoque Gallia quatuor peditum legiones, & quadringenti equites ad victoriarum Harcurtij famam aduolarunt. Quare ita valido vrbem hoſte quatiente tentare ſubſidium obſeſſis affere, non periculoſum modò in tanta virium imparitate, ſed etiam perditæ, ſummæq;amentiæ videbatur. Princeps nihilo ſecius tamen impauido ſemper animo,corporeq; indefeſſus in omnes feriẽdi hoſtis occaſiones intentiſſima excubans cura, nocturnis prius in Gallorum ſtationes eruptionibus tentatis eorum viribus, quos plerumque ſomniculoſos, & ad arripienda arma, expediendamq; defenſionem tardos, & ſegnes inuenerat: quemdam ligneum pontem à Gallis nuper inter Valentium, & Patrum Capuccinorum extructum aduerterat, quem ſuis auſis, inferendoque vrbi ſubſidio opportunum deſtinarat. Hunc duo tantum exigua propugnacula ad caput læuo amnis litori incumbens, Valentinumque reſpectans tuebantur; altero omnibus munimentis, & cuſtodijs experte.Ad

Hiſpani exercitus difficultates.

Gallici exercitus potentia.

Harcurtij gloria.

Principis Thomæ indefeſſa bellica virtus.

te. Ad illum igitur ex vrbe per diſruptum interius vallum, ſuperataque alia quædam minora munimenta peruadendum erat. Verum hæ obiectæ difficultates nihil Principem deterrebant; quominus eum pontem obtinere tentaret; quem facile ſe adepturum putabat, ſi collecto quidquid virium, & roboris eſſet in vrbe, obtenta ponti munimenta nocte adoriretur. Cupiebat tamen, ſuperatis omnibus obiectis munimentis, Leganium cum vniuerſis viribus, quo tota eius auſus fœlicitas nitebatur, in aduerſo litore in expedito eſſe, vt per pontem omnes copias traductas ſecum ad opprimenda hoſtium caſtra ſociaret: & ne Leganius ſuarum virium imbecillitatem cauſatus pugnæ diſcrimen effugeret; iuſſit Syluium ſuam mille peditum legionem, & equites ſexcentos, & Bainaſchi Demarchum aliam peditum mille Leganio adiungere, quibus viribus firmus, & duobus inſuper peditum millibus, qui Mediolano in caſtra nuper aduenerant: non poterat citra pudorem, & meticuloſi animi notam deſtinatam in hoſtium caſtra dandi impetus expeditionem declinare. Edoctum igitur de rei bene perficiendæ ratione, & modo, enixè orauit, vt omnibus ſuis viribus, & conatibus ſuas implens partes, ſe glorioſum facinus audentem iuuaret, quod ſicuti vltimum, ita fœliciſſimum futurum, totumq; bellum vrbe obſidione liberata, confecturum ſperabat. Edixit etiam quid ei, ad optimum rei ſucceſſum faciendum erat: ſcilicet, vt noctis cęlo cadentibus tenebris, cum omnibus copiis è ſua ſtatione ſilenti agmine moueret; & duabus ante Auroræ fulgores horis ad collis ponti viciniori radices exercitum ſiſteret, ibiq; tam diù tacitus moraretur, donec ſex ſulphurei pulueris faces excuſſas in aerem volantes videret: quas ſtatim ac eo ponte ſuperatis omnibus propugnaculis, potitus eſſet, incendi iuberet: vt eo accepto inſigni, quàm celerrimè amnis litoribus copias admotas per pontem traiectas ſuo agmini iungeret. Addidit etiam, vt totius eius diei ſpatio ad deliberandum ſumpto, reſponderet; an idem ſecum tentamentum audere vellet, nec ne, aperiretque ſui animi ſenſa, decretaque abſciſsè panderet: obteſtatus ſi in eo poſtremo virium, fortunæque experimento ſibi adeſſe fortia tentanti recuſaret; ſe protinus cum Gallis vrbis deditionem pacturum.

Eius auſus & conſiliũ

Princeps Leganium vrget, vt ſecum hoſtes inuadat.

Inuadendi hoſtis à Prĩcipe Leganio ratio præſcripta.

Leganius rei difficultate ſuis momentis expenſa, non modo præceps conſilium Principis, ſed etiam omninò vtrique perniciosum putabat. Quid enim proſperi ſucceſſus, & fœlicis euentus ex nocturna pugna inter tenebrarum horrores, quibus omnia implicita, atq; inuoluta turbantur, cum exercitu valido, nouis peditum, & militum ſupplementis firmato munimentorum ſepimẽtis obtecto ſperari poterat? Sed fortuna propitia omnes Principis conatus benè verteret; euictis propugnaculis ponte, vel inuito hoſte, potiretur; maiora erant in tranſeundo ponte diſcrimina ſubeunda: nam præter id quòd pons nullis craſſis aſſeribus firmus, non ſublicum valido fulcimento, ſed debili tibicine, equuleiſque ſubnixus, adeò anguſtus,

Leganij rationes quibus nihil nocte tentandũ ſuadet.

Digitized by Google

vt binis,vel ad ſummum ternis militibus peruius eſſet; nullo loricarum obtentu defenſus, nullo ad latera lapſum impedientium repagulorum obiectu tutus; hoſtium miſſilium, quà pontem Patrum Capuccinorum ſpectat,iactibus à tergo tormentorum è ſacra area eorundem Patrum cœnobij fulminum iaculationibus obnoxius.

Quamobrem vel ſtabili, firmoq; ponte, non poterat vitari periculum, quin inter tranſeundum moſchettariorum miſſilibus, & tormentorum lacerati fulminibus milites cęderentur,paucięq; illi,qui impunè è volitantium vndiq;telorum procella elapſi aduerſum litus tenuiſſent; affluentibus vndique è totis caſtris ad pugnæ fragores hoſtium agminibus circumuenti omninò deſerentur.Quare non ad ſubſidium vrbi ferendum,ſed ad ſui laniená, & ſtragem vltra pontem traducti fuiſſent. Cum itaq;Principis quodam bellico furore acti, conſilia ſuæ magis liberationis deſyderio ſuggeſta; quàm rectæ rationis ponderibus expenſa viderentur, ea amplecti, ac ſequi Leganio veluti damnoſa non placuit.Sed quia de Hiſpanici ſubſidij ſpe Princeps omninò deiectus neceſſario cum Gallis conuenturus erat, vrbemq; obſidêtibus dediturus; decreuit in ſpeciem magis, & ad oſtentationem, quam re ipſa cum Principe conſentire, atq; eius fortibus auſis præſto eſſe. Certior igitur illicò factus Princeps nuntijs volantibus eſt, præſcripta ab eo ratione Leganium cum omnibus viribus affuturum;atq; ea de cauſa educto eodem veſperi è ſuis ſtationibus exercitu, condictum verſus locum profectus eſt; ſed tam lento,tardoq; gradu, vt ad præſtitutam horam conſultò non adeſſe potuerit. Princeps verò accepta à Leganio fide, eum ſibi in eo molimine ſubuenturum,ſe perficiendis deſtinatis ſtrenuè expedit.Iuſſit mille Germanos,qui aduerſa arci munimenta tuebantur,audito exploſi muralis fragore tormenti,arcem inuadere, quò ad eam tanti momenti partem propugnandam hoſtem à cæteris ſtationibus auocarent. Eccleſiaſticos omnes cum populo minus imbelli in mœnium loricis ſtatuit; vt hoſtium aſſultus propellerent. Ipſe cum reliquo præſidio vrbe egreſſus ſequente lectiſſima ciuium manu martium furorem, vigoremq; ſpirans peritioribus cohortium Ducibus varia oppugnanda propugnacula tribuit; alios ad eos viarum aditus cuſtodiendos partitur, per quos Gallus poſſet irrumpere, ſeq; in maiori pugnæ feruore hoſtes ferientem inuadere. Omnia Principis imperata inuicta virtute à Ducibus facta: proſciſſum interius vallum, munimenta decuſſis, aut cæſis hoſtibus expugnata, vbique diſiecti, fugatique hoſtes; omnes igitur ſuis partibus impletis, prodeunti ſtrenuè ad pontem Principi ſe adglomerant, conglobantque ſe ſe victrices cohortes: momentoque ferè ijs ad pontis caput exiguis propugnaculis ſuperatis,pôte potitur. Supererat ad exequenda omninò conuenta, vt ſulphureæ faces incenſæ in aerem torquerentur; quibus Leganius accerſeretur,vt per occupatum à ſocijs pontem copijs traductis, ſe Principi iungeret; ſed nullæ vnquam faces in ſublimè iactatæ; quòd vix à Principe propugnaculis expugnatis, vndiq; Gallorum agmina irruerint; vt eadem celeritate deſerenda eſſent;

Principis calida cõſilia Leganius abnuit amplecti.

Princeps erumpit ex Vrbe.

Taurini cupito ponte potiuntur.

Digitized by Google

eſſent;qua fuerāt expugnata. Quare nullum fuit temporis ſpatium facibus in aerem excuſſis,Leganij ad pontis tranſitum accerſendi; qui ſi eo quoque tempore condicto progreſſus fuiſſet;iam à Gallis ponte recepto,neque per illum peruadere ad Principem potuiſſet,neq;ad eū tuēdum copias ſociare. *Repellūtu à Gallis.*

Ad primum illius muralis tormenti tonitru, quod Princeps iuſſerat explodi:Gallicus exercitus ſomno excuſſo, arma protinus arripuerat: ipſe Imperator Harcurtius coacto promptiorum valido agmine, ad diſcrimen propulſandum accurrerat: ſed à Demarchio Serra eum aditum cuſtodiente, per quem illi erumpendum erat,audaci pugna detentus, hæſit paulisper repellentium virtute ſummotus; ſed vndique ſubſidio affluentibus Gallis, per obſiſtentium ſtragem patefacta ferro via, ad recuperandum pontem aduolauit. Serræ circumfuſis Gallorum cohortibus clauſo, vt mortem effugeret, per quemdam telluris deiectum in præceps ruendum fuit in ſubiectam foſſam; ex qua amiſſo ſuo maiori ſtatore, incolumis per hoſtium tela euaſit ad ſuos. Ipſe Harcurtius maioris ſclopi miſſilis turbine afflatus aduſta à præteruolante plumbeo globulo eius cæſarie, præſtricta quoque altera ſclopi glande pilei fimbria, tantum non ictus capite eſt. Adglomerāt ſe ſe ſupremo Duci Vicecomes Turenins,Pleſius Pralinus,cæteriq; ſtrenui copiarum Duces momento propugnaculis, vel cęlo Allobroge,vel eiecto,recuperatis, in Principis agmen denſatis ordinibus incurrunt. Ille cum & tormentis in cęnobij area, & planiformis libratis frequenti miſſilium fulminibus quateretur;diuq;irruētibus vndiq;Gallis ſtrenua pugna fortiter reſtitiſſet;ducentis quinquaginta partim ab hoſte cęſis, partim captis amiſſis, & totidem Gallis primo ipſius impetu interemptis, in vrbem cæteros reduxit incolumes.Princeps ſua ſpe fruſtratus nihil tamē aduerſo ſui auſus exitu,ſucceſſuq;territus inuicto, impauidoq; animo incepto non abſtitit:immo Leganio ſuadere conatus eſt,vt nocte ſequenti idem communibus viribus tētaretur: verum ille,qui optimè ſuperioris eruptionis infęlicem euentum præcauerat,multò nunc minus adduci potuit;vt nocturnæ pugnæ cum potētiſſimo hoſte ſuas copias periculis obijceret. Quare Princeps cum ſe ab Hiſpanis deſtitutum videret;nec vllam ſupereſſe maioris ſubſidij ſpem,& ſuas,Fratriſq;res quotidie in peius labi,ſuamq; conditionem fieri deteriorem; ne ad vltima propulſus iniquas ab hoſte victore leges accipere cogeretur; ſtatuit non diutiùs deditionem differre, quæ tandem per ſequeſtres pacta his conditionibus eſt. *Galli Taurinos inuadunt. Principis impauidus animus. Leganij cauta conſilia.*

Princeps decimo Kalendas Octobres vrbem Harcurtio traderet, Galli Regis maieſtatis nomine accepturo. *Princeps vrbē Harcurtio dedit.*

Integrum eſſet Principi quòcunque vellet, libero proficiſci. Sororum Infantium arbitrio daretur,in vrbe ſubſiſtere,vel aliò abeuntē fratrem Principem ſequi. *Deditionis leges.*

Præſidium Hiſpanum in ſocia caſtra ad ſuos impunè rediret. Ciuitas ſuis legibus vteretur:ſoliti Magiſtratus Infantuli Ducis nomine iura populis darent,& ciuium cauſas cognoſcerent: Ciues ſuis bonis, fortuniſq; fruerentur.

rentur. Obſides inuicem, mutua ſeruandæ fidei pignora traderentur. Nihil de diſſidijs inter Matrem Ducem, & Principes componendis actum à ſequeſtribus eſt: quamuis tota ea obſidione in ijs conciliandis à Planetiæ, Villaq; Demarchis, & ab Abbate Mondino, & Gunſerio curſorum præfecto à Matre Duce miſſis pacis internuntijs, & à Muzani comite Cardinalis, & Principis Legato multum, diuq; nullo tamen operæ pretio laboratum fuiſſet: nec de Principis in Gallicas partes receſſu, deferendoq; Hiſpano Rege tranſactum eſt: pactæ fuerunt tamen trium menſium induciæ, vt commodiùs de his rebus à ſequeſtribus ageretur.

Induciæ inter obſeſſos obſeſſoreſq; panguntur.

Vbi hæc Taurinæ vrbi s deditionis conuenta Cardinali Richelio nuntiata ſunt; infremuit ira, quòd nunquã voluiſſet ab Harcurtio Principem Thomam liberũ ab ijs clauſtris dimitti, niſi ſe ille Galli Regis partibus addidiſſet. Verum Harcurtius, aut ſui exercitus imbecillitatis metu, aut parandæ citò cupiditate victoriæ; quam ſibi aliquo repentino caſu ereptum iri formidabat, aut Principis miſeratione commotus moderata vti victoria, clementiuſq; habere victum glorioſius eſſe duxit, quàm durè nimis, & aſperè de Principe triumphare: omnes moras abrumpens Principẽ liberum abire permiſit; hoc negotio in aliud tempus opportunius reiecto. Conuentis legibus deditionis, tam continentibus, effuſiſq; imbribus cælo ruentibus cãpi inundarunt: vt reſtagnantium aquarum latitudo ſpatioſi cuiuſdam lacus ſpeciem referret, nec vltrò, citròq; commeari à militibus poſſet, aquis obruentibus omnia; itaq; ad duos alios dies deditio dilata. Poſt quatuor obſidionis menſes, & quatuordecim dies, octauo Kalendas Octobris egreſſus eſt Princeps tam diu defenſa ſtrenuè vrbe glorioſus, vultu ferox, atq; indignabundus, quòd non ſynceris Hiſpanorum auxilijs vti licuiſſet, quæ ſuſpecta, ſuæ domus cupientium dominatus, & præſidij Taurinæ arci imponendi cupiditas, & deſertus in maximis periculis Princeps, affectatæq; moræ ſibi noxia potius, quàm auxiliaria traduxerant; vt proptereà Princeps propria voce confeſſus ſit, ſe multoties arcem Taurinam intercipere potuiſſe: noluiſſe tamen ob euidens, imminenſq; diſcrimen, ne ab alijs occupata perpetuò à ſua familia amitteretur. Idcircò animosè Leganio reſtitit contendenti, vt ea arx Hiſpano præſidio muniretur: ne eius gentis potentia illius arcis poſſeſſionem ſuam domum æternum euerteret. Quæ ſi in exteri Regis ditionem, poteſtatemque ventura erat; nullius ſecuriùs, & tutiùs, quàm Galli Regis fidei committebatur; quam eam ſuo Domino reddere; & conſanguinitatis iura, & cariſſimorum pignorum ratio, & obſtricta Summo Pontifici, & Venetis fides, & generoſitas Regia cogebat: cum tamen, & ipſe Hiſpanus Rex Italis Principibus, precipuè Allobrogibus Ducibus occupata belli iure ſæpè oppida non minus generosè, quàm munificè reddidiſſet.

Harcurtij moderatio.

Princeps Thomas Taurino egredi tur iratus Hiſpanis.

Hiſpani Regis munificentia.

Principes ſorores cum Fratre ex vrbe egreſſæ conſtantis, inconcuſſæq; fidei eò laudabilioris, quò ab imbecilliori ſexu preſtaretur, ipſis viris documẽto fuerunt: quæ etiamſi a ciuibus, à Ducibus Gallis, & potiſſimum ab ipſo Harcurtio enixiſſimè rogarentur, vt in vrbe ſubſiſterent; pollicente illas à Matre

Principis ſororum cõſtantia, & fortitudo.

Matre Duce, atque ab omnibus proceribus Gallis, quàm honorificentiſſimè habitum iri: maluere tamen ſe Fratris arbitrio fortunæ committere; quàm eius hoſtium blandimenta, atque oblationes accipere. Abeuntem Principem Taurinorum præſens nobilitas omnis: & ciuium multitudo comitata eſt, ijs obſequijs, & officijs ſuam erga ipſum venerationem, deuotoſq; animos obteſtata, quos toto eo obſidio egregijs factis abundè probauerat. Ribulis eam noctem egit, poſtera die Eporediam diuertit; quam ſuā ſedem, & domicilium elegerat. Hiſpanum itidem præſidium Cherium ad Leganium ſe contulit, qui à collium dorſis eo copias reduxerat: inde Aſtam digreſſus, quàm belli armamentarium deſtinarat: per Montisferrati loca equitum, peditumq; partem in hyberna dimiſit. Multi quoque Galli patritij in Galliam victoriæ nuntij rediere: cæteri milites in Taurinorum oppida ad colligendas hyberna quiete vires in ſtatiua abierunt: aliquot cohortes in vrbe ad præſidium retentæ; ex quibus etiam pauci equites, & pedites Caſale ſupplemento miſſi. Taurinorum Auguſtæ ipſe Harcurtius duos menſes præſedit tanta æquitate, moderatione, clementia, ſuauitateq; regiminis, vt populi non minus ciuilem eius in regendo prudentiam, quàm bellicam fortitudinem mirarentur: eam poſtea Matri Duci ab Allobrogum dominatu in Taurinos profectæ tradidit; quæ decimo quinto Kalendas Nouembris triumphans inter feſtas ciuium, ac militum acclamationes, & plauſus, inijt: ijs omnibus deuotiſſimi animi, beneuolentiæ, venerationis ſignificationibus excepta: vt per nouas in dirutis cōſultò męnibus lapideas extructas portas ei in vrbem veluti Hieronycæ aditus pāderetur, triumphaleſq; arcus inēuti, & pegmata ponerentur. Populus enim eius clementiæ, benignitatis, manſuetudinis, & lenitatis imperij memor nulla pretermiſit obſequia, nullis cōcepti animis gaudij declarationibus pepercit; quibus ſuę in eam propēſiſſimæ voluntatis venerationē, amoremq; tentaretur. Ex quo vulgi inconſtātiā conijci licet modò auidè amplectentis, quod fuerat paulò ante peroſū. Dux Mater tanta ſuæ mutatione fortunæ lętiſſima omnes perhumaniter excipiebat, comi affatu, renidentq; ſuauiter vultu adblandientiū officia ſibi accepta eſſe declarans: neminiq; perfidia, trāsfugioq; exprobrato ęquè omnibus ſua deſideria proferētibus indulgebat. Senatus primum omniū diplom ta Cęſarea Principum cauſæ ſuffragantia antiquauit, veluti Allobrogū Ducū ſupremę imperij authoritati aduerſātia; quorū domus in huiuſcemodi caſib. nunquā a Cæſareo tribunali leges accipere conſueuerat. His peractis iterū Taurini proceres, patritij, ſenatoreſq; omnes in eius verba iurant; & veluti Infantuli Ducis tutrici, ditionūq; gubernatrici vnanimes dicūt Sacramētū. Reliquū erat, vt omnia cōponerētur, paxq; firma, ac ſtabilis sāciretur, diſſidia inter Ducē Matrē, & Principes cōciliare. Paucis ante diebus, quā vrbis fieret deditio, è Gallia in Taurinos Iulius Mazzarinus aduenerat, cui Rex Gallus libera mandata dederat, vt cū Principe pro arbitrio cōueniret, atq; in Gallicas partes impelleret: cū quo ſępius obſidione durāte, & ad Valētinū, & in ſuburbio, & cū eius miniſtris de arcanis rebus agētem notauerant omnes.

Princeps Eporediam diuertit.

Hiſpani Taurinis abeunt.

Harcurtij laudabiles animi dotes.

Mater Dux Taurinum init

Taurini populi in Ducem Matrē beneuolentia.

Taurini ſenatus decreta.

Taurini proceres in Ducis Matris verba iurāt

Mazzarinus à Gallo Rege ad Principem legatus.

Lega-

Legatus Regis Galli nomine pollicebatur, omnes arces, & oppida Gallicis præſidijs obtenta Duci Matri ab eo reſtitutum iri; dummodo, quibus inſiderent Hiſpani, & ipſi reſtituerent; quod ſi facere recuſarent; in Galli Regis diſcederet fidē, & partibus adhæreret ijs honeſtis conditionibus, quę Principis fortunam omni ſuo voto ſublimiùs, fęliciùſque promouerent. De quibus omnibus inter Gallos, & Principem ex vrbe egreſſum ea tamen lege conuenit; vt de oblata à Rege Gallo arcium reſtitutione admoneret Hiſpanos, eodemq; tempore ab ijſdem efflagitaret, vt & ipſi quoque occupatas nepoti Duci viciſſim reſtituerent: quas ſi reddidiſſent; non eos deſerere cogeretur. Obteſtatus eſt inſuper, ſe Legatum ad repetendam vxorem, & liberos in Hiſpania ſuæ fidei pignora, & obſides detentos à Rege miſſurum. Condictum præterea eſt, vt hæc tranſactio quàm occultiſſimè cælaretur; ne detecta vxoris, filiorumque redditionem impediret. Profectus ex vrbe Princeps hoc tumultuario inito fœdere, & conuentarum graphide conditionum Leganium de optima reſtituendarum arcium, promptaque Galli Regis voluntate admonuit enixè ab eo contendens, vt idem Gallicæ liberalitatis, & munificentiæ ſequutus exemplum Hiſpanus Rex ne facere grauaretur. Miniſtros Hiſpanos in Italia, mox Regiæ aulæ proceres, & purpuratos non parum hæc Principis de reddendis oppidis poſtulatio turbauit: iamque Principem cum Gallis conſenſiſſe, ſuaſque res compoſuiſse non futili coniectura collegerunt; de quo etiam obſidione feruente, ob aſſiduam cum Gallis miniſtris conſuetudinem dubitarunt. Quare Leganij iuſſu Siruelæ comes Eporediam Principem adijt, vt certiùs huius negotij arcana, atq; animi Principis penitiora rimaretur: qui etiam ſi Leganio infenſus non admodum in Hiſpanos ſe propenſum oſtenderet; à feriendo tamen cum Gallis fœdere abhorrebat, etiam ſi in ſpeciem ad nundinandam cariùs ſuam ſocietatem, eiuſq; cupidiores faciendos Hiſpanos, ſe velle cum ijs conuenire ſimularet. Non enim ſuum animum poterat procliuare, vt feracem, amęnam, & pinguem Taurinorum partem deſereret; cuius imperio Hiſpanorum potentia ſubnixus fruebatur; & ſe Matris Ducis regimini ſubijceret, cuius illi iugum neceſſario induendum erat, ſi in Gallicas partes tranſiſſet. Eiuſdem ſentētię futurum Fratrem cardinalem pro comperto habebat: cuius imperio Nicæa, & Cuneum cum ſuis fertiliſſimis agris, & ampliſſimis terrarum tractibus parebant: qui ſicuti in his omnibus bellis ſenſis, & animis coniunctiſſimi fuerant, ita à ſe in poſterum nunquam diſſenſurum putabat. Aſperabant quoque in Gallos Principis animum data à Rege contra ſe Miniſtris Italiæ mandata; Richelij Cardinalis acerbitas, & durities, quā alios habuerat: quam periculoſum foret Gallis hoſtibus fidere ſæpius à ſe offenſis. Quare poſt mutuas querimonias, altercationeſque, quibus primis alloquijs vterque efferbuerat: Siruelæ comiti ſuadenti, vt in Regis Hiſpani fide, ac ſocietate perſiſtens nullas percuſſi fœderis leges violaret: aſſenſit, firmauitque iterum cum Hiſpanis iuramento fędus: quibus acceptiſſima fuit hæc noua Principis in ſuam gentem amici, pro-

Galli Mazzarino internūtio de Pace cum Principe cōueniunt.

Princeps petit ab Hiſpanis vt occupatas arces reddant.

Hiſpanorū ſocietas Principibus vtilis.

Digitized by Google

ci, propenſiq; animi declaratio; quòd eius ſocietate, præter id quod Taurinorum oppida, quæ præſidijs Hiſpanicis tenebantur, in ſua ditione, ac poteſtate diutiùs permanſura erant; Gallica etiam arma longiùs ab Inſubribus arcebantur intra Taurinorum viſcera bellatura. Riuieræ quoque comes Nicæam à Leganio ad Cardinalem Principem miſſus, qui ab eo contenderet, vt cum Fratre conuenta faceret rata.

Princeps nouum fœdus cum Hiſpanis init.

Galli his ad Allobroges Principes Hiſpanorum legationibus veriti, ne à ſe abductos iterum ſuis partibus adijcerent; & cum ijs tranſacta ſolitis artibus, aſtuque diſcuterent, acerrimè vrgere Principem inſtant; vt ruptis omnibus moris, ſe in Galli Regis fidem, clientelamque conferret: quandoquidem Hiſpani à ſe inſeſſa oppida ægerrimè reſtituerent; immo alia, atque alia cauſando reddere recuſarent. Miſtæ poſtulationibus, atque obteſtationibus minæ Principem in anguſtias adduxerant: cum & ab Hiſpano Rege deſciſcere, & Gallo adhærere æquale damnum eſſet allaturum: immo alterutro deſerto, vel eiurato, iuxta periculoſum eſſet, deſtituti ipſa defectione irritatis in ſe odijs, & armis. Quare vt hunc ſcopulum declinaret, cui erat ſua allidenda fortuna, varijs ſubterfugijs Gallorum eludebat inſtantiã: hoc præcipuè prætextu vrgẽtẽ remorabatur feſtinationẽ; expectãda eſſe Hiſpanæ aulæ decreta, non tam quod ad arcium, quàm quod ad vxoris, liberorumque reſtitutionem attineret; nimiamq; in hac re ardua feſtinationem, fęlicem negotij exitum peruerſuram. Sed iam præteritis duobus menſibus, cum nihil à Principe decerneretur: Galli diuturnioris impatientes moræ omnibus excuſationibus reiectis, nulla ampliùs ſibi ab eo dari verba paſſi, iterum hoc vnum acriùs inſtant: vt ſe vel ſocium, amicumq; Galli Regis, vel hoſtem apertè profiteatur. Princeps aut ijs aſſentire, aut aduerſari coactus, cum in vrbe antiquis munimentis debilis ſtructuræ vallata ſe parũ ad imminentem Gallici belli procellam repellendam inſtructum cognoſceret; nec maiora procul dubio, quam tuliſſet, Leganium ſubſidia laturum ſperaret: nec cum Sirnelæ comite tumultuarijs conuentis ſatis firmitatis ineſſet: nullum tutius euitandæ calamitati effugium inuenit; quam neceſſitati parere, & tempori inſeruire. His igitur conditionibus cum Gallis ineunte menſe Decembri tranſegit.

Principis hæſitatio, et afflictio animi.

Princeps cũ Gallis fœdus his conditionibus init.

Se Galli Regis fidei, tutelæque committeret, atque eius obſequijs addiceret. Omninò intra totum Ianuarij menſis dimidium Pariſios ad Regem proficiſceretur; vt eam maieſtatem præſens veneraretur, atque in Taurinos pro arbitrio rediret. In Hiſpaniam ad vxorem filioſque repoſcendos, & arcium reſtitutionem ab eo Rege precandam Legatos illico expediret: quæ ſi reſtituere recuſaret, ſua arma cum Gallis contra Hiſpanos in Italia ſociaret: ſi verò ea redderet, nullum in eos bellum ſuſcipere teneretur: ſed tantum in Galli Regis tutela, preſidioque eſſet qui ex aduerſo ſuam regiam obligabat fidem, ſe omnium Allobrogum Principum ditionum poſſeſſionem in maribus perpetuò ſeruaturum, occupataque oppida, & arces Duci Infantulo ſub Matris ſororis ſuæ regimine redditurum; dummodo ab Hi-

ſpanis

ſpanis quoque ſua reſtituerentur: cõnubiumque Ducis Longauillæ filiæ inter Gallicas virgines ditiſſimæ cum aliquo Principis filio pro viribus promoturum: præter id quod diſſidia inter ipſum,& Matrem Ducem ſe compoſiturum recipiebat. His addebantur annuæ pecuniarum penſiones ad ſuæ domus retinendum ſplendorem, alendoſque filios; quo nomine tunc præſens numerata, quamquam exigua pecuniæ ſumma: vt ſe ineundo in Galliam itineri inſtrueret. Promiſſi ei quoque ad illius magis animum demerendum dominatus, qui in Italia armis communibus pararentur, vt Principis decus, & titulus, quo natalium ſplendor illum illuſtrabant, decentibus etiam, honoriſque alicuius dominatus opibus niteretur. Silentio tamen profundo hæc tota tranſactio inter Gallos,& Principem premeretur. Induciæ quoque ad totum Februarium menſem productæ. Princeps vt aliquo merito tot Gallorum beneficiorum pollicita compenſans non minus ſe Gallo Rege munificum oſtenderet, ſe Aſtæ coloniæ arcem Gallis traditurum, ſed verbo tenus promiſit: qui ab ijs prohibitus eſt de hiſce conuentis Principem Fratrem Cardinalem certiorem facere.

Princeps prohibetur à Gallis ſæderis conditiones Cardinali fratri aperire.

Princeps quamuis neceſſitate premente compulſus, vt à ſe imminens exitij periculum amoliretur, cum Gallis in ſpeciem conueniſſet: nullam tamen præſtare fidem animo propoſuerat. Quo circa prius monitis Aſtenſis arcis præſidiarijs, vt ſi quod Gallorum agmen accederet, tormentorum miſſilibus ſummouerent: eam arcem primo deficientis fidei inſigne illis tradere recuſauit: qui quingentorum equitum agmine totidem in equorum clunibus moſchettarios pedites ferentium propè eam arcem prouecti cum in vigiles incidiſſent, ſeq; ad Emanuelem Principis fratrem arcis præfectum afferre litteras aſſerentibus obnũtiatum eſt; illinc protinus faceſſerent illis edictum, alioquin in contumaces exploſum iri ab arce tormenta: ſi quid vellent, claro iam die venirent: ſed a cuſtodibus arcis detecti vndiq; & ab vrbe, & ab arcis propugnaculis tormentorum fulminibus impetuntur: quarum metu inſidiarum ne deinceps huiuſmodi periculis arx foret obnoxia; nouis Hiſpanorum cohortibus præſidium firmatum, cum tantum arx Taurinis militibus teneretur.

Princeps cũ Gallis conuentis ſtare recuſat.

Hiſpanorũ præſidiũ in Aſtæ arcē inducitur.

Princeps Cardinalis amiſſa Taurinorum Auguſta, quantum detrimenti res ſuæ accepiſſent accurata expenſione dimetiens, cum non amplius exiguis Hiſpanorum auxilijs fidendum cenſeret, quæ debilia, manca Leganius laboranti fratri tuliſſet; vt imminens exitium contra obmolitus aliquid propulſaret: Abbatem Soldatum miniſtrum fidiſſimum legauit in Galliam, vt res ſuas cum eo Rege componeret, ageretq; quo ſe ille in ſuam fidem patrociniumque ſuſciperet: his præcipuis conditionibus. Sibi Niceæ, omniumque eius agri locorum regimen Matris Ducis poteſtatis, atq; authoritatis immune cederetur: quæ tamen liberam, & integram rerum omnium adminiſtrationem retineret: exceptis grauioribus negotijs pacis ſcilicet conſtituendæ, aut belli decernendi, ſanciendiq; cum exteris gentibus fœderis, & huiuſmodi magni momenti rebus. Poſtremo, vt fidem ſuam

Princeps Cardinalis Legatũ ad Gallum Regem mittit.

faceret

Digitized by Google

faceret prædem ſe intra triennium omnia oppida deductis Gallicis præſidijs, quæ ab ipſo tenerentur, ſuo Nepoti Duci Infantulo redditurum, ac quæ deinceps ab Hiſpanorum armis aſſereret, traditurum. Reliquæ præſcriptæ cupiti fœderis leges leuiores priuata tantum ipſius Cardinalis com moda reſpiciebant. Rex indignatus ſibi reſtituendarum arcium poni temporis metam, atq; oppida tanti momenti à Principibus Matris Ducis imperij immunibus poſſideri, oblatas conditiones ſubirato animo recuſauit. Quare Abbas Legatus re infecta, & nullo laborioſi itineris fructu Nicæam ad Cardinalem Principem redijt.

Rex Gallus Cardinalis Principis petitionibus indignatur.

Rex conciliato ſibi, addictoq; efficaci ſuorum Ducum ſolertia Principe Thoma, cum omnibus aulæ proceribus admodum lætus, illum diem ſibi videre videbatur, quo ille in Galliam feſtinans coram ſua maieſtate ſe ſiſteret. Verum nihil ille minus, quàm de fide ſua liberanda, implendiſq; promiſſis, quæ ſibi metus expreſſerat, cogitabat. Quare cum iam tranſeundi in Galliã præſtitutum ſibi tempus adeſſet; non magnopere de ſe ad illud iter ineundum inſtruendo laborabat: quamuis vehemẽter, atq; acriter ab inſtantibus Gallis miniſtris, & ſolicitantibus vrgeretur. Immo pro Gallico itinere ſuſcipiendo, per Inſubres, & Ligures deflexa via, Nicæam ad Principem Cardinalem fratrem viſendum ſe contulit: cum quo latam à Gallo Rege ſuorum votorum repulſam ægerrimè patiente, infenſoque Regi in commune de ſuis vterq; rebus conſuluere. Tam repentina, inexpectataque Principis Nicæam profectio aduerſa paulò ante conuentis, miniſtros Gallos nouorũ tumultuum formidine perculit, quibus vt intercederet Mazzarinus, Nicęã ad Principes aduolat, ſumma nititur ope: vt Principem Thomam in percuſſo nuper fędere, ac ſocietate confirmet, & Principem Cardinalem in idem inducat. Sed irriti, atq; inanes Mazzarini fuere conatus, cũ illi iam cum Hiſpanis penè fędus iciſſent. Sed inſtanti vrgentiùs, præmentiq; acriùs Mazzarino reſpondent. Hiſpanos tandem à ſe occupata oppida reddere promiſiſſe, & Principum poteſtati, atq; arbitrio tradituros, quemadmodũ Gallus Rex ſe ſua Infantulo Duci ſub Matris regimine redditurum promiſerat. Nihil adhuc in Hiſpana aula de hac re ſancitum fuerat; & nũtij temporibus hybernis excluſi in Italiam nauigare non poterãt. Immo eodem tempore conuentum fuerat cum Hiſpanis; vt oppida, & arces, quas Hiſpani inſiderent; vſq; ad cõſtitutam vniuerſalem pacem pręſidijs Hiſpanicis munirẽtur. Mazzarinus ſagacibus Principum artibus ſuarum petitionum ſcopulũ effugientium intimè cognitis, fruſtra diù tẽtatis, impulſiſq; eorum animis; vt cũ Hiſpani occupata, detentaq; Taurinorum oppida reddere puerulo Duci negarent; cum Gallo Rege inito fędere, ſociatiſq; conſilijs, & armis, ad ea recipienda, eijciendoſq; è Taurinis Hiſpanos vna prodirent; ira fremens Nicæa diſceſſit, omni ſpe abiecta percuſſi fęderis conditiones ſeruatum iri.

Princeps in Galliã proficiſci recuſat.

Nicæam ad Fratrem cõtendit.

Mazzarinus Nicæã feſtinat.

Principum ad Mazzarinum reſponſio.

Mazzarinus irrita Legatione Nicæa diſcedit.

Principes nihil Galli Legati diſceſſu territi, neque commoti, immo animis erecti quaſi omnia eorum deſtinata ex voto ſucceſſiſſent: apud populos eius cauſati duritiem honeſtas conditiones fœderis repu-

repudiantis: ſe excuſant, quòd non cum Gallis conuenerint nimia, noxiaq; nepoti Duci cupidè contendentibus. Manarunt etiā literæ typis impreſſæ, quibus in Legati præfractum, aſperumq; ingenium non conuenti fœderis culpam refundere conabantur, cum difficillimè hauſta vomere compellantur, nec poſſent adduci, vt oppida à ſe occupata reſtituant, Hiſpanorum tenaces manus ſuæ cupidini prætexentes; exclamantq; Hiſpanis abnuentibus reſtituere, Duci Infantulo arces, oppida eſſe reddenda, at illis ſtatuentibus, occupatis abire, Gallorum ad huiuſmodi voces attonita, obmuteſcere ora; nec amplius reſtitutionis nomen ab ijs enunciari: hanc ideò reſtituendi pacis hac conditione ferentibus legem, ſi Hiſpani viciſſim ſuas redderent arces: vt cum certò ſcirent, ab Hiſpanis occupata oppida minimè reſtitutum iri, iuſtam cauſam ſuæ cupiditati prætendant, cur ſua pariter non reſtituāt: atq; aliquo honeſto titulo aliena retineant. Hoc enim inſtare, vt oppida, & arces tot militum cęde, tot impenſis, & laboribus parta ab Hiſpano Rege Matri Duci, aut Principibus reſtituantur in Galli Regis fidem, ſe deſerto, conceſſuris, inſanæ, paruinq; ſibi conſtantis mentis erat ſperare. Quamobrē Principes cum ſuas res eò adductas conſpicerent; quò votis omnibus nitebantur: abrogatis, abolitiſq; cum Gallo Rege conuentis, ſe penitus Hiſpani obſequijs addicunt: icto Niceæ coram Legato Riuiera, quòd tantum voce pepigerant, fœdere: cuius hæ potiſſimæ conditiones fuerunt.

Principes iterum cū Hiſpano Rege fœdus pangunt. Fœderis cōditiones.

Rex Hiſpanus Taurinorum arces, & oppida ſuis iam obtenta præſidijs poſſideret, vſque dum pax vniuerſalis inter bellantes Reges ſanciretur: de qua niſi incluſis Principibus, non conueniret. Princeps Thomas quatuor peditum millibus, & quingentorum equitum agmini ſummo cum imperio præficeretur; quibus ipſe mille quingentos equites, & duo peditum millia addere teneretur.

His copijs Princeps ſupremus Dux Hiſpani Regis nomine imperaret, cui aliorum more Ducum diceret ſacramentum. Stipendia per Hiſpanos miniſtros à Rege militibus ſoluerentur, quos cum Hiſpanicis copijs ad Taurinorum, & Inſubrum præſidium, tutamentumq; ſociaret. Mille Hiſpanorum militum Principi Cardinali ad propugnandam Nicæam, eiuſq; agrū præberetur, cui etiam ſeptem aureorum millia ſingulis menſibus ad alios mille milites, quos de ſuis conduceret, alendos numerarentur. Principes nihil inſcio Hiſpano Rege, eiuſque miniſtris cum Gallis, & Matre Duce, aut obliquè, aut liberè, apertèq; tranſigerent: præter alia conditionum capita priuata Principum commoda reſpicientia. Hæc conuenta vtrinque iuramento firmata, rataq; habita: niſi quod retinendarum arcium præſtituto vſque ad pacem vniuerſalem tempori breuior ſex annorum poſita meta, quibus elapſis, niſi pax componeretur, arces, & oppida vnis exceptis Vercellis, Cæſari traderentur Germanicis præſidijs impoſitis cuſtodienda, donec pax vniuerſalis à Regibus ſanciretur.

Faciliorem his negotiationibus ſtrauerat viam Mediolani præſidis mutatio: nam vbi in Hiſpana aula Principum querimoniæ de Leganij parum

Digitized by Google

amicè erga ſe actis in procerum auribus fremuerunt, eo in Hiſpaniã euocato, Siruelæ comes ſuffectus eſt eò Principibus charior, quò Leganius inuiſior: quo factum eſt vt amicioribus animis celeriùs in mutua fędera conueniret: & Principes in Hiſpani Regis ſocietate tenaciùs firmarentur: cum Gallicus exercitus comitis Harcurtij, Legati Mazarini, & Argentonis in Galliam digreſſu, multum authoritate, potentia, exiſtimatione demptis Ducum præcipuis imminutus nulli amplius terrori Principibus foret; qui eas fœderis conditiones à Principe Thoma extuderat.

Siruelæ comes Mediolano præficitur.

Pacto igitur cum Hiſpanis fœdere, Princeps ſub induciarum finem ſolicitantibus Gallis; vt ad Regem ex obſtricta fide in Galliam proficiſceretur, trãſacta cum Hiſpanis aperuit, obnuntians *eas extortas armorum violentia conditiones nequaquam à ſe impleri poſſe; cum ipſi quoque ſilentij violata fide, conuenta in Regia Hiſpana aula vulgauerint: & ob id ſua vxor, & liberi à Rege detenti, quos tamen ſe dimiſſurum recipiebat, ſi ab Hiſpanis, renuntians Gallico fœderi, ſtaret. Quare ſe humana, Diuinaq; iura violaturum, niſi chariſſimarum rerum recipiendarum occaſionem cupidè amplecteretur; quibus quocũq; iurato fœdere ſe arctiùs naturæ leges obſtringerẽt: perditæ omninò demẽtiæ futurum, ſi citra bellorum diſcrimina, cladeſq; populorum, & prouinciarum excidia res ſuas, arces, oppida, vxorem, liberos recipere poſſet, ea armorum illata vi, per mille calamitates, & ſtrages cum ſui Nepotis Ducis, & cariſſimæ patriæ exitio repetere vellet: pro quarum tuenda ſalute, atque incolumitate ſeruanda ſibi eſſet ſua vita, ac ſpiritus deuouendus. Quare non eſſe amplius de ijs conditionibus ſeruandis agendum; non ſui iuris eſſe tam vtile pactum cum Hiſpanis fœdus abrumpere, quod & parentis obligatio, & liberorum charitas, vxoriſq; inuiolabilis amor icisſet.*

Princeps Thomas Gallis ictũ cum Hiſpanis fœdus aperit.

Gallico fœderi reuuntiat.

Ad ſuam magis defectionem à Gallico fędere honeſtãdam Princeps ſubſubnectebat *ſibi Nicææ in Taurinos redeunti ſtructas à Legato Mazzarino inſidias fuiſſe, vt ſe captum in Galliam abduceret; quin, & à Regia aula egreſſa ad Gallos Duces mandata, vt idem tentarent, quod ex Regijs ad Argentonis Dynaſtã iuſſis, & ex Cardinalis Richelij indignatione conſtabat, ira frementis, quòd Harcurtius capta urbe, ſe liberum dimiſiſſet: quaſi ei potior, & charior ſua captiuitas, quàm expugnatæ urbis uictoria futura fuiſſet. Subdebat inſuper Princeps, ſe ab amiciſſimis, fidiſſimiſq; Regiæ aulæ purpuratis admonitum fuiſſe, ut ſibi à Cardinali Richelio caueret, cui propoſitum erat Sueſſionum comitem ſuæ uxoris fratrem penitus perdere, quòd nouis rebus ſtudens Regni tranquillitati, & regimini aduerſa molitus perduellionis reus ageretur: cuius criminis non ſe modo conſcium, ſed etiam ſocium, & participem Cardinalis haberet. Qui ſi tantum contra Regij ſanguinis, ſtirpiſq; Principem auderet, quid in ſe exterum, & inuiſum acerbius, & durius conſulturus non erat? Quare ſe his ſuæ diſcriminis ſalutis, nepotis Ducis, populorumq; incolumitatis, & ſuæ uxoris, liberorumq; receptionis cauſis impediri, quò minus Gallum Regem adiret.*

Soiſons.' Cardinalis Richelius Prĩcipi Thomæ infenſus.

Dum Galli miniſtri, & Princeps mutuis altercationibus digladiantur, Turenius comes ſupremus Gallici exercitus Dux, & Demarchus Villa ſo-

ciatis

Digitized by Google

Montem Caluum ſubeunt.

ſociatis uiribus Montem Caluum ſubeunt expugnaturi. Diuturnæ,& laborioſæ oppugnationis futurum illud oppidum videbatur, quòd ab omnibus rebus ad tuendas arces, ferēdamq; obſidionem opportunis numeroſo præſidio, commeatibus, tormentorum fartis inſtructiſſimum foret: quod tamē admotis machinis, effoſſiſq; cuniculis,& libratis opportunis in locis tormētis, opinione maturiùs, & faciliùs præfecti inertia hoſtibus oppugnantibus ceſſit: qui ſi paulisper illud dedere diſtuliſſet, Leganius, qui audita eius oppidi oppugnatione, non temnendas vires ad illius ſubſidium ſolicita cura coegerat: Gallos,& Taurinos ab ea obſidione circumfuſo hoſtium caſtris exercitu depuliſſet: ſed pernicioſiſſima bellicis rebus ignauia vrbium expugnationes, copiarum iacturam,& populorum exitia maturat.

Mons Caluus deditur Gallis.

Leganius vt Principi Thomæ ex fœderis conuentis promiſſum conflaret exercitum, ſubducta ſuis copijs tria peditum millia ei tradidit; qui partim ad Eporediæ præſidium retenti, vbi primus ſe Gallici belli impetus turbo daturus erat, partim in Inſubres in ſtatiua dimiſſi, ne Taurini tot bellorum calamitatibus exhauſti eorum hoſpitijs grauarentur. Numerata quoque Principi ad authorandos ſuæ gentis equites, & duo peditum millia ſcribenda pecunia: qua ſicuti à Principe in alios vſus, quàm bellicos conuerſa, promiſſa reddita non fuere, ita neq; à Gubernatore conuentorum præſtita fides, negatuſq; reliquus militum numerus, eò liberiùs, quò apertiùs contra conuenta à Principe agi videretur, ſolitum à ſupremis copiarum Ducibus ſuis Principibus dici ſacramentum, Hiſpano Regi dicere recuſante: maximè periculoſum rato maiorem copiarum partem tradere; nullo ſe volenti obſtringere ſacramēto, nec in Regis ſui verba iurare. Principi quoque Cardinali mille Hiſpani pedites miſſi ſub veteranorum Ducum imperio, ſeptem etiam in eorum ſtipendium penſa aureorum millia. Niceæ arx omnium rerum bellicarum apparatu firmata, cui Neapoli expedita affore omnia ad ferendum obſidium, propugnandamq; neceſſaria, quotieſcumque neceſſitas exegiſſet: aſtricta ab Hiſpanis fides Principi eſt. Admenſa pariter vtrique ad alendas familias, retinendumque aulæ ſplendorem ingens pecuniæ ſumma; vt firmiùs,& conſtantiùs erga Hiſpanum Regem in fide perſiſterent cum huiuſmodi auxilia à Gallis ſperari non poſſent.

Princeps recuſat in Hiſpani Regis verba iurare.

ALTE-

ALTERVM BELLVM CIVILE TAVRINVM

NARRATIO DECIMA SEPTIMA.

Ita Principis animus aduerſis eliſus fluctibus æſtuabat, hinc acriùs exigente ſibi iuratam fidem Gallo, inde Hiſpano diſceſſum, arma, bellumque minante, ſi expreſſam metu fidem liberans Gallico fœderi ſtaret; vt in quam partem potiſſimum animum proclinaret, maximè in ambiguo foret; quòd tamen vitaret magis noxium, quàm cui fideret certior. Hæſit nihilominus in tam ancipiti cura amicior Hiſpano; vt potè cuius dubiæ fidei inſidias metueret magis, illamque apertè exuentis violentiam non facile poſſet, vel expeditis Gallorum ſubſidijs opprimere. Pudor inſuper illum ab Hiſpanis deſciſcere prohibebat, ne in ſe tot eorum meritis, laboribus, impenſis, quibus diù labantem contra Ducis Matris, Gallorumque impetus ſuſtinuerant, huiuſmodi gratiam referre minus grato animo videretur. Eum præterea præſentis fortunæ ſublimitas, opulentia, imperij cupido, validiſſima mortalium animorum incitamenta Hiſpanorum firmabat in partibus; à quibus deficienti ad priuati fortunam equitis lapſo erant Ducis Matris arbitria ſubeunda, muliebriq; imperio parendum; comperto nullam Taurini dominatus partem ſibi eſſe deferendam; nec ſe in communis rerum adminiſtrationis curas ſocium adſciſcendum: mulieris dominantis pauido ſemper animo, ne in imperium admiſſus collega potentior ad ſe paulatim vniuerſa transferret. Itaque ſuis rebus conſultiùs futurum ratus, ſi cæteris ſpebus abiectis, præſenti fortuna vteretur; ſe totum Hiſpanorum fidei, tutelæque commiſit; quibus tanti erat Principem cupidiùs amplecti, cuius authoritate, virtute militari peritia, populariumque ope totis Taurinis, atque adeò vltra alpes exacturos Gallos non leui ſpe ducebantur: vel ſaltem alendo in alieno ſolo bellum, diſtinendoque Gallos eorum impetum fracturos, feruidoſque bellacis gentis eliſuros aſſultus putabant: ſummotis interim ab Inſubribus belli cladibus, quorum ſaluti, atque incolumitati toto eo bello potiſſimum cauebatur.

Galli Principi Thomæ irati bellum in ipſum conclamant.

Non patrata promiſſa, nec præſtita à Principe fides non ſolum Gallorum Ducum in Taurinis curantium animos aſperauit, ſed etiam Regiæ aulæ proceres, ipſumque Regem non leui indignatione pupugit; quòd ſolis natalibus Princeps nullo dominatu, nullius vrbis potens imperio Regis patrocinio, amicitia, gratia, atque ira, ſi iurata falleret, deſpectui habita, ſtatim à Legati Mazzarini congreſſu, digreſſuque, atque à percuſſo fœdere, diuerſa omninò à pollicitis perfeciſſet; ſed nullus Principi æquè ſuccenſuit, ac Cardinalis Richelius, qui im-

mani ira defendens, quòd ille potentiſſimi Regis gratiam, vicinaque arma aſpernatus à pactis, conuentiſque diſceſſerit: acerbam vltionem alto animo deſtinauit; quamuis in præſens diſſimulauerit iram, ne nimium profeſſis odijs, Principi tribuere videretur. Sed Galli Duces, vt militaribus animis impatientes iniuriæ, cæterique aulæ purpurati bellum in Principem communi claſſico vniuerſi conclamant.

Eporedia Principem exturbare parant.

Eporedia eius ſolo perfugio, totiſq; Taurinis prorſus exturbandum admotis omnibus regijs viribus extemplo decernunt. Turenius igitur opportunam Principis abſentis occaſionem amplexus: quòd ille Mediolanum profectus ad opprimendas vicinas Gallorum ſtationes ſubita peditum,equitumq; ſubſidia petitum vrbem Syluio fratri ſuo ſpurio cuſtodiendam,tuendamq;tradidiſſet;traductis vltra Duriam amnem copijs, nec expectato ſummo copiarum Duce Harcurtio cum validioribus equitum, & peditum ſupplementis Italiam magnis itineribus aduentante; medio Aprili Menſe, cum vniuerſo exercitu in vicino colle vrbi imminente conſedit.

Galli Eporediam ſubeunt.

Inde quà Vercellas ſpectat, iuſſa copiarum parte figere vallum, tripartito vrbem ſepſit. Syluius præfectus repentino Gallorum acceſſu, inopinatoq; obſidio territus, trepidis nuntijs de rei euentu Mediolanum miſſis, Principem docuit militū auxilia nequicquam ad inuadēdas Gallorū ſtationes vanis precibus eblādiētē. Produx enim Hiſpano ingenio cautior nimium eius pugnādi ardorē auerſatus ea ſubſidia vel enixius poſtulāti recuſabat:ne milites,quorū maximè ſaluti cauebat, in pugnæ diſcrimen importunè daret.

Hiſpani ſe contra Gallos expediunt.

At vbi Eporediam obſideri nuntiatum eſt, ipſo Principe ardentior ſollicitè euocare ab hybernis equitum turmas, & peditum cohortes, accire è ſtatiuis properè bellatores, iubere omnes ſub ſua ſigna coire, expedire omnia, quæ ad decutiendos ab ea obſidione Gallos eſſent opus. Dum Hiſpani vndiq;aggerāt auxilia,& cōgerūt vires, à Gallis è tribus tumulis tormentarijs mœnia aſſidua miſſilium iaculatione pulſantur; quibus ingens pars muri proſtrata in vrbem aggrediētibus aditum dabat:nec mora Galli mœnium ruinæ denſata acie ſuccedunt,acerrimoq;impetu dato in vrbem per propugnantiū,ſuaq;vulnere conantur irrumpere.

Galli vrbē inuadunt.

Præſidij Duces præcipui erāt, probatæq; virtutis, ac militari peritia inſignes Vercellinus Maria Vice comes Caſtrorum præfectus,qui Italis militibus imperabat;& Petrus Gonzales vniuerſorum caſtrorū magiſtri legatus Hiſpanorū Ductor, qui repetitū quinquies à Gallis ferociſſimū in mœnia impetū nō minori ferocia,virtuteq;ſuſtinuerūt: cęſis ex aggredientibus ad ſexcentis,inter quos plures nobiles promptiores occubuere. Centum propugnātiū deſiderati.

Galli ab obſeſſis repelluntur.

Bolegno.

Harcurtius è Gallia peruenit in caſtra.

Interim dum ſtrenuè vtrinque res agitur, Mediolani Produx cum vniuerſo ſubſidiario exercitu aduentabat. Primum agmen iam Bolenium quatuor paſſuum millibus à Gallicis caſtris recedens peruenerat; quo cognito Harcurtius,qui eodem tempore ſua caſtra cum militum ſupplementis inierat;decreuit illud inuadere,antequam medium extremumq; agmen vna coirent; quo facilius inferius numero, imbecilliuſque poſſet obterere.

Cum

Digitized by Google

Cum maiori igitur copiarum parte è caſtris digreſſus hoſti ferociter aſſultat; qui viribus debilior initio pugnæ fluctuans cœperat circunſpectare fugam, cæſuſque internecione fuiſſet: niſi Gubernator, & Princeps aduerſo eius agminis diſcrimine, Equitem Aiazzium in hoſtiũ latera cum quatuor equitum turmis, & aliquot peditum cohortibus celeriter immiſiſſent iuſſum tam diù ſimulata pugna Gallos diſtinere: donec tormenta adducerentur, & reliqua agmina, quæ Bolenio egreſſa non multum aberant, perueniſſent. Verum Demarchus Villa tanto impetu in Aiazzium inuectus eſt, vt primo agminis pulſu ſtatim reiectus hoſtis Birolum, vnde prodierat, trepida ſe fuga receperit; vbi ab æquiori loco pugnans Allobrogum incurſus non cohibuit modò, ſed etiam Aiazzium iam captiuum à Villa abductum ex hoſtium manibus vindicauit. Incaleſcente pugna, cęteræ copiæ opportunæ admodum recentibus viribus certamen ineunt; tormenta quoque in denſa Gallorum agmina librata, diſploſaq; horribili ſtrage integras hoſtiũ cohortes, turmaſq; equitum lacerarunt. Hinc Principe Thoma, inde Demarcho Caracena acerrimè dimicantibus, medij Galli deprehenſi ne penitus conficerētur, nequaquã trepido in ſua caſtra receptu ſuæ ſaluti conſuluere. Crudele, cruentumq; certamē plurimos Gallorum abripuit, quorum maior pars miſſilium tormentorum ictibus laniata fędum viſu, horrendumq; ſpectaculum intuentibus præbuere. Plus quadringentis Gallorum, & plures cohortiũ Duces ea clades abſumpſit. Ex Hiſpanis quinquaginta cecidere, totidem vulnerati lętiorē fecere victoriam: profligatumq; fuiſſet Taurinũ bellum, proſtratoq; hoſtis obtritus, ſi ad plenam properātibus victoriam mediam lucis horam nimium præcipites cadētes noctis tenebræ cōceſſiſſent: ſicuti ſi Harcurtius media hora maturiùs primi agminis milites inuaſiſſet, nulli dubium erat quin eos penitus deleturus fuiſſet.

Inter Hiſpanos, & Gallos pugna.

Galli ſe pugna ſubducunt.

Gallorum clades.

Siruelæ Comes ea victoria Inſubrum præfecturam fęliciter auſpicatus octigentorum militum ſubſidio in obſeſſam vrbē immiſſo, Clauarano caſtello potiendi cupidus aliquot cohortes ad illud expugnandum proficiſci iuſſit. Abeſt Eporedia duobus paſſuum millibus, totidem Bolenio ad montis radices ſe ſe explicat. Affixo illę Aſtiocho portas immani concuſſus violentia proſternunt: dum illato pede in Caſtellum acriùs inuehuntur; pugnantium virtute ita incuſſis vulneribus propelluntur; vt, niſi ſuperuenientibus alijs iterato maiori impetu aggredientium numero obruti, atque oppreſſi fuiſſent; nequaquam Caſtellum in Hiſpanorum poteſtatem veniſſet. Pendebant animis ſubſidiarij Duces, qua nam ratione ab Eporediæ obſidione decutiendus eſſet hoſtis, Princeps, vt animoſior, ferociorque illum intra eorum vallum inuadendum clamabat, glorioſum facinus proſperè ſucceſſurum; debellatumq; iri proculdubio; ſi vniuerſus exercitus vndiq; circumfuſas Gallorum ſtationes inuaderet. Verum Mediolani Præfectus, Demarchus Caracena, cæteriq; copiarum Duces certaminum diſcrimina, niſi quæ neceſſitas obtulerit, auerſati, cautiùs, & citra militum vulnera, & cruorem rem gerendam, bellandumq; rati Principis audaci

Hiſpani Clauaranũ caſtellum inuadunt.

Principis animoſitas.

nimium damnata ſententia, tutiorem depellendi ab ea obſidione hoſtis ineunt rationem, Clauaſium aggredi admoto exercitu vniuerſo decernunt: vt Gallos eius oppidi amittendi Eporedia metus abducat, non enim tanti eorum oppugnatæ vrbis victoriam, quàm illius munitiſſimæ arcis ſalus intererat, & Eporediæ valido firmata ſubſidio poterat, vel auxiliaribus copijs obſeſſum Clauaſium abſcedentibus diu hoſtibus obluctari. Vaſa igitur conclamant; tranſmiſſoq; ad Ripam ruptam amne Duria, deſtinato oppido vniuerſus exercitus admouetur. Princeps cum peditum mille, & Vincentius Gonzaga cum pari equitum numero anteuerterant agmen. Ille ferocior, impatienſq; moræ tentauit, vel reclamante Præfecto, an applicitis ad mœnia ſcalis, repentino impetu dato in oppidum poſſet irrumpere. At tentamentum audax malè ceſſit, propulſi cum quadringentorum cæde magis arduam eam expeditionem, quàm ſperauerant, reperere: atq; eius Duces auertendi Eporedia hoſtis conſilij pęnituit; ſed pudor illos in oppugnatione continuit, nam ſi re infecta eo incepto abitũ fuiſſet; deſertus Princeps inter medios hoſtes turpiter videretur; nec Galli hoſtilis exercitus Clàuaſio digreſſu Eporediæ obſidione abſtitiſſent. Vineas igitur agi, pluteos promoueri, aggeres ad męnia produci, ſuccediq; propius oppidum ſuffoſſis ſubterraneis vijs. Ita ferbuit opus, vt tertio die ad foſſam militum, operarumq; labor acceſſerit: quæ reſtagnantibus altè aquis, difficili tranſitu, diù ſudandum foſſoribus fuit, vt conſtrata trabibus, atq; aſſeribus foſſa, duo propugnacula à lateribus propugnantium miſſilibus petiti ſubirẽt: qui iam ex tuto cuniculos excauare ſub ipſa męnium fundamenta cęperunt. Interim oppugnati denſato agmine, ferociq; impetu in hoſtes erumpunt, cæſiſque pluribus obſidentium, cum probata ſua Hiſpano virtute receptum pararent; totis caſtris cantato bellico, in præſidiarios vndiq; inuehitur; repoſitaque illis maior accepta clades, plurimis interemptis, & captis, ipſoq; præfecti oppidi vices gerente eruptionis Duce. Dum pedites propius mœnia promouent gradum, equites continuo diſcurſu omnibus vijs obſeſſis, commeatus, qui Gallica ferebantur in caſtra, intercipiebant: vt obſidionis, quæ alijs intulerunt, ipſi incommoda paterentur. Viciſſim Diui Euaſij Caſalis equitum turmæ, Hiſpanorũ annonam ex Inſubribus ad caſtra allatam audaci Vercellas vſque, & Diui Iacobi caſtrum, vagoque agmine aliò auehebant.

Chiuas. *Hiſpani, Clauaſium oppugnandum decernunt.* *Riua rotta.* *Hiſpani, et Galli ſe inuicem infeſtant.*

Gallicus exercitus metu ſolutus, quo anxius trepidabat, ne à tergo ab Hiſpanicis copijs inuaderetur: iterato ſæpiùs in mœnia impetu, continuataque tormentorum miſſilium procella concuſſis munimentis, ingenti animorum ardore vrbem expugnare ſumma ope connixi tentarunt. Sed tanta propugnantium virtute excepti ſunt, vt non ſolum cum ſtrage reiecti, ſummotique fuerint; ſed etiam animoſis eruptionibus clades ſæpè in ſuis ipſis caſtris hoſtibus inſultarint. Vna cæteris validior, & violentior adeò terruit Gallos prouectis vſque ad tumulum tormentarium obſeſſis; vt niſi ex omnibus ſtationibus peditum

Galli Eporediam vrgent. *Repelluntur cum cade.*

tum cohortes immiſtæ equitum turmis ſocijs laborantibus ſubſidio celeriter accurriſſent; inde ſuæ virtutis trophæa tormenta in vrbem auecta fuiſſent. Sed cum tantæ agminum Gallorum moli ferociter incumbenti repugnare non poſſent; edito præclaræ virtutis experimento, verſa ſemper in hoſtes fronte, pugnando minimè trepido gradu, in vrbem exiguo recepto incommodo, receſſerunt. Quibus propugnantium auſis Galli difficiliorem expugnationem ſua opinione rati, veritique inſuper ne Clauaſium vndique ab obſidentibus Hiſpanis impulſum tandem violentiæ cederet oppugnantium: cui niſi maturè ſubueniretur, in hoſtium ditionem caſurum erat: ne magni momenti arcem, & Taurinorum propugnaculum in ſuis oculis amitterent: poſt quinque, & triginta acerrimæ obſidionis dies amiſſis tribus bellatorum millibus, abire ea expeditione ſubſidio Clauaſium de communi cæterorum Ducum conſilio decernunt. Sublatis igitur ſignis, contento agmine, ad Hiſpanos intrepidi vadunt. Præfectus, & Princeps ſui cupiti compotes voti, abſtracto ab Eporediæ obſidione hoſte, Padum cum omnibus copijs nauali ponte traijciunt: traductiſque vltra tormentis, & ſarcinis abſciſſo ponte, in citeriori ripa nauigia ſubducunt, ne ijs ad ſe inſequendos hoſtis vteretur. Omnia ſumma Principis, Caracenæque Demarchi militari virtute peracta nullo milite prorſus amiſſo.

Galli Eporediæ obſidione abeũt.

Hiſpani Clauaſio abeunt.

Dum recipitur vltra Padum exercitus, nuntiatur Harcurtium Clauaſium ſubſidio abeuntem integrum pontem validis cuſtodijs munitum ſupra Duriam amnem reliquiſſe, ea mente, vt decuſſo à Clauaſij oppugnatione Hiſpano, ad intermiſſam Eporediæ obſidionem rediret; aut vt inde impedimenta, & bellicum apparatum, tormentorumque farta abduceret, in caſtris relicta: quæ ſuppetias ferendi celeritatis neceſſitas auehi prohibuerat. Vincentio Gonzaghæ igitur imperatum, vt mille quingentis equitibus ad eum pontem celeri agmine properaret, atq; inde Eporediã inductis equitũ turmis, exploratis hoſtiũ conſilijs, in omnes eorũ conatus intentus excubaret. Ille vix vrbem ingreſſus vidit rediens primum Gallorũ agmẽ põti accedere, vt relicta caſtra, ſtationeſq; repeteret: quẽ vbi pars militũ traiecit, Gonzaga eductis ex vrbe protinus ſuis equitũ turmis, lectiſſimorũ manib. moſchettariorũ firmatis hoſtes adortus poſt crudele, feroxq; certamẽ fuſos hoſtes præcipiti fuga coegit pontem iterũ remetiri, atq; ſua caſtra obſeſſorum arbitrio deſtituere: quæ omni commeatuum, bellicarumq; rerum copia, atq; opulentia referta abundè multorum menſium annonam obſeſſæ vrbi, ac militibus ſuffecere. Quare Harcurtius, fœlicem eius expeditionis euẽtum deſperans iuſſit põtẽ abrũpi, ſuiſq;. copijs Viſcam, atq; in vicina loca in æſtiua ſubductis, tãtiſper à bellicis laboribus, & ſi moleſtè quieuit. Hiſpanus exercitus ad Verucã trãſmiſſo per põtẽ Erydano, Liburniũ atq; inde in ſolita ſtatiua conceſſit. Princeps cognito Gallorũ ab Eporediæ obſidione digreſſu, victoria exultãs ſuũ rediit receptaculũ. Mediolani præfectus, Cardinalis Triultius, alijq; cohortiũ Duces Mediolanum ſe contulere.

Gonzaga Eporediam ſubſidio mittitur.

Gallos inuadit, & fundit.

Verua.

Harcurtius Alexādriā intercipere cogitat.

Harcurtius aduerſo Eporediæ obſidionis euentu ira fremens, doloreque animi ſimul ingemiſcens, vt amiſſum decus aliquo glorioſo tentamento ſarciret, etiam ſi cæſis ad Eporediam pluribus militum millibus parum validus, nundum etiam in Italiam militum ſupplementis, quæ primo vere mitti cōſueuerant, trāſgreſſis, Alexandriam repentino impetu Hiſpanis ſurripere deſtinauit. Hoc facinus vt minimè arduum Caſalis præfectus illi obeundum ſuaſerat: cum hoſtilis exercitus vſquequaque diſperſus ita facile, breuique cogi non poſſet, nec vrbis præſidium ſatis validum ad ſuſtinendum impetum foret. Iuſſit itaque exeunte menſe Iunio Demarchum Villam cū vniuerſo Matris Ducis equitatu, qui ex mille octingentis lectiſſimæ iuuētutis equitibus erat, & mille peditibus Gallis ea loca verſus ſilēti agmine proficiſci. Ipſe verò cum reliquis copijs auſum adiuturus nemini communicato conſilio, ſubſequitur; Ceriſolamque Aſtenſis agri vicum prouectus accepit tentandæ repentino aggreſſu eius vrbis opportunitatem prætervolaſſe; cum Cardinalis Triultius vel cognitis Galli conſilijs, aut ſuſpicatus inſidias cum valido militum robore Alexandriam iniiſſet. Quamobrem Villa inde abducto agmine, circa Albam Pompeiam conſedit: quò etiam Harcurtius profectus, ne copiæ adulta æſtate otio torpeſcerent, quid elapſa occupandæ per inſidias Alexandriæ occaſione, tentandum, quid audendum in commune conſuluere. Planetiæ comes de expugnando Cebæ caſtello retulit, paucorum dierum expeditionem fore, & mediocribus viribus obeundam, ſed magni ad alendum bellum, ac cætera conſequenda momenti. Ipſi Harcurtio ſuas copias integras nihilominus fore, quibus hoſtium conatus compeſcere, regionem tueri donec à Gallia ſolita peditum, equitumque ſupplementa mitterentur, quibus auctior viribus maiora poſſet audere. Addebat ſe eius expeditionis Ducem polliceri; dummodo mille quingentis Ducis Matris peditibus, quibus ipſe imperabat, vna duntaxat Gallorum legio peditum adderetur. Probauit Harcurtius Demarchi conſilium, conceſſiſque extemplò petitis, iuſſit illum maturare expeditionem: qui Albam Pompeiam vna cum Demarcho Villa profectus ibi ſociatis viribus, & conſilijs Cebam verſus promouent agmen. Villa cum octingentis ex promptiſſimis moſchettarijs, & cum maiori equitatus parte ſe præcurſurum agmen pollicitus, vt primo impetu oppidum occuparet: improuiſo aduentu territos oppidanos ad fidem redire cogit. Inde aliquot caſtella, quæ expeditionem poterant remorari, vel impedire, aut facere difficiliorem, repente admoto agmine ſubigit. Planetiæ Demarchus victa itinerum difficultate, per quæ trahi tormenta ægerrimè poterant, triduo Cebæ ſucceſſit, a que illicò libratis aptè tormentis, è duobus tumulis pridie nonas Iulias arx cæpta pulſari. Dum continuato mugitu tormenta tonant; foſſores cuniculos agunt; obiectiſque contra miſſilium fulmina ab arce contorta telluris aggeribus, propius quotidie muros promouent gradum. Harcurtius circa Albam cum ſuis copijs ſubſederat, vt auxilijs occurreret; ſi quæ ab Hiſpanis obſeſſo oppido mitterentur; aut præciperet hoſtium conſilia, ſi

Galli mouent è ſtatiuis.

Subſidia Alexādriā intrant.

Cebam Galli ſubeunt.

Galli varia caſtella occupant.

Digitized by Google

quæ aggrediendæ alicuius vrbis agitarent. Verum præfecti Mediolani mora, & Principis Eporediæ quieſcentis incuria Harcurtium hac ſolecitudine ſoluit. Ad primos ſanè Gallorum motus præcipui copiarum Duces cum Cardinali Triultio Alexandriæ coierant: aliquod remedium futuris incommodis allaturi; ſed ibi decreta ſalubriter, dum Præfecti Mediolani expectatur aſſenſus, dum ad Principem conſulendum Eporediam nuntij mittuntur, abeundi, redeundi, præſtolandi, importuna cunctatio diſcuſſit, & rerum agendarum aptum tempus effluxit. *Hiſpanorũ incuria.*

Cebæ igitur arx nullo oppugnationem Hiſpano turbante, cuniculis, vineis, tormentorum pulſibus compellebatur ad vltima. Iam à Planetiæ Demarcho effoſſus ſub mœnia cuniculus illato puluere tormentario perfectus iniecto igne accendendus erat: ſed ne obſeſſi acto alio tranſuerſo cuniculo flammarum impetum exhalarent: illis indicit, vt arcem protinus dedant; alioquin ſe iuſſurum incendi cuniculum: tum nequicquam eos ſuam ſalutem ab aggreſſoribus precaturos, neq; paciſcendi facultatem futuram. Reſponſum à præſidiarijs eſt, ſe prius cupere horum euenta cuniculorum videre, antequàm arcem obſeſſoribus tradant. Quare ille extemplò compoſitis militum ordinibus, productiſq; in aciem edixit, vt diſrupto cuniculi ignibus muro per ruinas ſtipato agmine in arcem eniterentur: iuſſit cuniculo iniici flammas, quarum erumpentium violentia proſciſſis mœnibus, dataq; latè ampla quinque, & viginti paſſuum ruina, ſtatim parati apertum aditum milites aggrediuntur. Præſidiarij obiecta irrumpentibus denſata phalange intenta in hoſtium ora haſtarum ſegete, egregia virtute illos per ruinarum prona deturbant: acriùs illi reiecti inferunt gradum: ſed non minus ſtrenuè iterum repelluntur. Verum cum obſeſſi omnes ſuas vires ea pugna penitus effudiſſent; feciſſentq; vltimos ſupremæ virtutis conatus: veriti aduerſum certaminis euentum, certumq; excidium, ſi iterum inuaderentur: iam expeditos hoſtes ad impetum iterandum ad alloquium vocant: deditionemque paciſcuntur: cuius capita prima fuere, vt ſibi incolumibus in pacatum abire liceret: ducenti partim Hiſpani, partim Taurini egreſſi ex arce Bainaſcum ex deditionis legibus deducuntur.

Ceba arx oppugnatur *Deditio obſeſſis edicitur.* *Gilli Ceba arcem inuadunt.* *Præſidiarij oppidũ dedunt.*

Cebæ arcis expugnatio mirum in modum rebus Ducis Matris in ijs regionibus auctis: ad alios maiores progreſſus aditus patefecit: ſiquidem ſtatim vrbis Montis Regalis, eiuſque arcis, atque agri ſequuta deditio. Dum enim Demarchi ab ea victoria ad oppugnandum Caruuij caſtellum; quod adhuc conſtanter Principum perſiſtebat in fide ſociato agmine proficiſcuntur; Planetiæ Demarchus cum aliquot cohortibus ſe in Montis regalis conſpectum dedit, non quia ſe aſſequuturum vrbem ſperaret: ſed tantum, vt oſtentatis armis terreret. Verum ciues illa inani ſpecie decepti rati victrices copias ad ſe oppugnandos accedere, apertis portis nimium timidi ſponte vrbem, arcemque victoribus dediderunt. Quo felici euentu animoſior exercitus ſuſceptæ Caruuij expeditioni inſtitit: circumfuſoque agmine, prolatiſque tormentis, præſidium omnis prorſus ſubſidij *Mondoui.* *Mons regalis deditur Gallis.*

Ii 4 expe-

Carnuij quoque arx Gallis cedit. expes intra quatuor, & viginti horas Demarcho arcem pactione tradidit. Tota ea regione, terrarumque tractu in Matris Ducis poteſtatem, ditionemque reducta. Vrbs Cuneum ſubigenda ſupererat; quæ alijs Taurinorum vrbibus, quæ tam ab Hiſpanis, quàm à Principibus tenebantur, penitus interclusa minimè arduæ expugnationis ab omnibus Ducibus cenſebatur, præcipuè cum à Niceæ agro finitimo propter viarum aſperitatem, & inuias cautes, montiumq; deiectus nulla ſubſidia à Principe Cardinali poterant expectari: cum ille nequaquam viribus potens nulla militum agmina in campos educere poſſet, & quæ ab Hiſpanis nauibus ſubueherentur, in ipſis vallium anguſtijs circumuenta, deprehenſaq; vel ſaxorum rotatu, obtrita inulta peritura erant.

Harcurtius Cuneum ſubit. Harcurtius igitur maximè opportunam illius expugnandæ vrbis occaſionem amplexus repentè illam conuerſo agmine ſubit. Erat omninò eius expugnatio maximi momenti, & fructus, altiſſimæq; ſpei, ob ſitus præſtantiam. Iacet illa ad Montis Apennini radices, quà ab Alpibus Cottijs abſciſſus multa ſalebrarum aſperitate Niceæ agrum à Taurinis interſepit. Erat ingenti Cardinali compendio, quòd maximos prouentus, pecuniarumq; penſiones, quæ à toto eo terrarum tractu ab Apennino Carmaniolam vſq; pertinente exigebantur, illi ſufficeret: qua à reliquo Cardinalis dominatu ſecluſa, Matrique Duci reddita omnium terrarum citra Alpes illi vectigalibus, tributis ademptis, ægrè ſe poterat ſuſtinere: quibus ditioni Matris Ducis adiectis, illius prouentus hoc vectigalium incremento augebantur.

Cunei deſcriptio. Cuneum duo cadentia ex Alpibus flumina in arctum in Cunei figuram vtrinque clauſum cogunt: ex quo illi Cunei inditum nomen. Alterum quod Ghezium vocant, ita oppidum ſuis fluctibus ſtringit, vt illi tutiſſimæ, præaltæque foſſæ loco ſit: & riparum præcipiti, arduoque deiectu efficit maceſſum: alterum cui Sturiæ nomen ab oppido ad teli iactum procul excurrens non ita illud ſuo alueo munit. Hic vbi aquarum munimentum deeſt, propugnacula ad recentis militaris diſciplinæ peritiam conſtructa ſurgebant; quæ oppido obtenta oſtium impetus, conatuſque fruſtrabant: ſuperandæ præterea plures parmulæ erant; eductiq; aggeres tranſiliendi, antequàm ad exteriora propugnacula aggreſſor perueniret: quæ omnia poſt Longauillæ obſidium ſemidiruta ita ex arte reſtituta, nouis additis munimentis erant; vt tutum ſatis ab omnium hoſti-

Cunei arx munita. lium impreſſionum periculis oppidum videretur. Arx præterea duorum fluminum paulò inferiùs aquarum commertio coeuntium obiectu munitiſſima in Cunei acumine ſurgit. Mille quadringenti præſidiarij, qui partim Principis Cardinalis; partim Hiſpanorum ſtipendijs alebantur, oppidum propugnabant. Illis comes Broglia, his Cataneus Chiliarchus imperabat. Non pauci ciues gerendis armis idonei, & ex aggreſtibus nonnulli ea trepidatione in oppidum inducti præſidium firmabant. Comes Ioannes Baptiſta Viualdus vrbis præfectus omnibus præerat. Cete-

rum.

rum commeatibus, tormentarijs fartis, & bellicis rebus ſatis inſtructa ci-
uitas erat. Augebat etiam oppugnationis difficultatem munitiſſimæ, *Cunei celebris fama.*
atque inexpugnabilis vrbis didita fama, & communis bellatorum exi-
ſtimatio, non ſolum ob loci poſitus excellentiam, ſed etiam quòd qua-
tuor iuſtis regijs exercitibus quondam, & clariſſimi, primiq; nominis Du-
cibus fortiter obluctata eorum conatus, & niſus ſtrenuè eluſiſſet. Har-
curtius igitur; qui multum de ſua bellica gloria detractum, deceſſiſſeq; plu-
rimum ſuæ laudi militari, aduerſo Eporediæ oppugnationis euentu puta-
bat: hac maximè vrbe fœliciter expugnata, non ſolum amiſſum ſarcire
decus, ſed etiam antiquis Ducibus gloria, ac claritate præcellere pero-
ptabat: ſi vrbs, quæ aliorum Ducum impetus, ingentiumque copiarum ni-
ſus feroci virtute fruſtrarat, à ſe victa, ac domita Gallicis ſuccumberet
armis. Ea igitur expeditione decreta, iuſſit Demarchum Villam mille quin- *Cunei expugnatio decernitur ab Harcurtio.*
gentis equitibus, ex Matris Ducis copijs electis, & totidem ex regio exer-
citu peditibus ad priſtinas circum Cuneum ſtationes occupandas celeri
agmine feſtinare; qui eò prouectus primo bellico auſu leuis armaturæ cu-
ſtodum equitum turmam Duce Commendatore Palliero fugauit. Ducto
deinde ad Diui Dalmatij ſuburbium agmine, vt aditus omnes, poſitis cu-
ſtodijs, præcluderet Nicæam ferentes: propè Cuneum ad tormenti ia- *Galli Cuneum ſubeunt.*
ctum traduxit exercitum: trecenti equites ex vrbe in prodeuntem erum-
punt, vt velitando cohortes extremi agminis carpant: ſed Camerani Co-
mes eiuſdem Villæ filius ſummæ expectationis iuuenis eius agminis du-
ctor verſa in inſultantem hoſtem militum fronte, facto impetu fuſos vltra
Ghezium amnem compulit. Eadem virtute numeroſam agreſtium tur-
mam extremos laceſſere auſam diſſipatam per montium auia, ſyluarumq;
cęcos anfractus inſequutus ruſticæ ſtoliditatis, atq; audaciæ pęnas exegit.
Fuſis, ac cęſis agreſtibus, nullo repugnante in eodem Diui Dalmatij ſubur-
bio cõſedit. Poſtera die, cum Sturiam amnem traijcere deſtinaret, promoto
ad Diuæ Mariæ Vlmi delubrum agmine, pontẽ a quadringentis agreſtibus
obſeſſum, cuſtoditumq; vidit; qui, ne hoſtis flumen tranſiret, diſiecto, pro-
ſciſſoq; ponte, aditum in citeriore ripa conſerto agmine obſepierant. Verũ
ille in eorum oculis ponte refecto, iuſſo equitatu per vicinũ vadum amnem
traijcere, per põtem peditatu traducto, agreſtes adortus plurimis cæſis, re-
liquos abegit in fugam: deinde in vicino ſuburbio ſubſtitit: donec reliquus
exercitus adueniret: qui paulò poſt vniuerſus in vrbis cõſpectum progreſ-
ſus poſitis caſtris, eductiſq; repentè, ſe aggeribus ſepſit. Mox nuntiatum eſt
Principem Thomam ſuas copias in Canabina regione, & Mediolani Prę- *Mediolani Produx, & Princeps Thomas mouent è ſtatiuis.*
fectum Alexandrię ſua agmina coegiſſe; vt inde Clanaſium, Taurinorũ Au-
guſtam, aliaſque vicinas vrbes intentatis armis terrerent. Iuſſit idcirco De-
marchum Villam cũ Matris Ducis equitatu, & aliquot Gallicis legionibus
Taurinorum Auguſtam, atq; in vicinas terras properare, non tam, vt hoſtiũ
conſilia è propinquo rimaretur, eorumque tentamentis occurreret; quàm
vt inde tormẽtorũ faciliorẽ, tutiorẽq; faceret ductũ, quę in caſtra ad Cuneũ
trahenda

Digitized by Google

trahenda erant: quibus adductis, perfectis iam caſtrorum munimentis; mœnia miſſilium ictibus cœpta pulſari. Obſeſſi in Gallos intentos operi feroces erumpunt: pugnatum vtrinque ingentibus animis eſt, cruentumq; certamen exarſit, quo oppugnantium maiori numero cæſo, obſeſſi calamitoſum Gallis fecere obſidionis initiũ; ſuamq; eo fœlici auſu hoſti probauere virtutem duobus clarioribus Ducibus equite Ceba, & Pauſone interemptis. Tria directa contra totidem vrbis propugnacula munimenta, excitatique aggeres, quò à propugnãtium ictibus milites ſecuriores propius muros accederent. Pleſius Pralinus omnium primus ad citeriorem foſſæ murum peruenerat; ibique ſe munire parantem inde obſeſſi valida facta eruptione deturbant. Sed Mottæ legionibus cum Pleſio ſociantibus vires, in pugnam iterum reditum eſt tanta animorum ferocia; vt diù ancipiti fortuna certatum ſit; maiori tamen obſidentium numero præſidiariorum exiguum obruente, compulſis in vrbem præſidiarijs Galli locum per vulnera, cędeſque receptum tenuere. Non hic tamen aduerſus certaminis obſeſſorum animos fregit euentus: ſed acriores continua miſſilium iaculatione hoſtes propius accedentes ſtrenuè ſummouebant. Summa audacia militari peritia, virtute vtrinque certabatur: mutuò perfecta iam opera, crebro cuniculorum flaminatum impetu ſubruebant. Erant tàm obſidentibus, quàm propugnantibus cuniculorum formidandæ ruinæ. Frequenter ad interpellandos hoſtium acceſſus, demoliendoſq; aggeres, cæteraq; opera perturbanda præſidiarij miſti ciuibus erumpebant: qui qualibet pugna egregia bellicæ virtutis experimenta fecere. Comes præcipuè Brollia inter promptiſſimos claruit, inuictiq; equitis decus, ac laudem meruit. Quare apparebat maximè arduam eius vrbis expugnationem fore. Terrebat potiſſimum oppugnantes, augebatq; expeditionis diſcrimen vulgatus rumor, Principem Thomam valida cogere bellatorum agmina, & expedire ſubſidia, vt maturè periclitanti oppido ſubueniret, dicebaturq; omnium ſermone propediem cum formidandis viribus adfuturus. Certè ille Mediolani præſidem excitabat, vt accito è ſtatiuis exercitu, illicò ſecum iunctis viribus obſeſſis accurreret auxilio. Quare mutuo vtrinque impellente metu bellantes, faciles aures pacis tranſactionibus præbuere in id maximè deſudante Ripa Montis regalis Antiſtite datis ad Cardinalem Principem literis, & Abbate ſoldato internuntio illius ſubiecerat oculis maxima detrimenta, quæ ex ea vrbe à Gallis expugnata, occupataque Taurini omnes paſſuri erant; Gallos eam facilè retenturos finium opportunitate ſuadente; quibus per Demontiam vallem Galliæ regio iungebatur, & veluti clauis aditum in Niceæ ditionem pro arbitrio claudebat. Satius futurum eam vrbem Nepoti Duci in commune ſuæ domus commodum, ſplendorem, & decus, quàm pati armorum violentia à Gallis ereptã in exterorum ditionem venire. Placuit Principi Cardinali huiuſmodi ſeruandæ communi dominãtui, atq; imperio eius vrbis oblata conditio. Quare protinus Abbatem Boſchettum Limonem vltimum Taurinorum pagum

Obſeſſi in Gallos erũpunt.

Obſeſſi in obſidentes erumpunt.

Cuneũ Vrbs Gallis opportuna.

Princeps Cardinalis Cuneũ ſuo Nepoti Duci reddit.

Digitized by Google

pagum protinus miſit; vt de tradendæ Nepoti Duci vrbis conditione tranſigeret; & quàm maturrimè conueniret. Nihil quoque Matri Duci poterat acceptius, ac gratiùs accidere; quòd ea pactione non tam Principibus, quàm Gallis eius vrbis poſſeſſione euerſis, in ſuam, filijq; Ducis ſine diſcrimine ditionem rediret.

Quamobrem in idipſum ad Referendarium Philippum mandata dedit in caſtra, quò de ea re ſolicitè ageret, ſi Cardinalis in eadem ſententia perſiſteret. Sed vt mortalium ſemper dubij nutant animi, inconſtantiaque in diuerſa flectuntur, ita præcipuè cum cariſſimarum rerum facienda ſpontè iactura eſt: tum enim verò arborum frondibus vento agitante mobiliores inita conſilia, mentiſque decreta condemnant; illum facilitatis ſuæ pœnituit; puduitque à ſe eò progreſſum eſſe, vt ſine inconſtantis animi labe retrò rediri non poſſet. *Cardinalē ſui conſily pœnitet.*

Harcurtius ſine cuius conſilio nihil Dux Mater in bellicis negotijs ſanciebat; dedendæ eius vrbi Infantulo Duci conditionem probabat; magnæ ſibi gloriæ ceſſurum ratus, ſi ſuorum allato armorum terrore, vrbem alijs clariſſimis Ducibus indomitam, atque inſuperabilem ad qualēcumq; deditionem compuliſſet; quamuis illa Regi Gallo parta non eſſet; dummodo Principi Cardinali eriperetur. Multum, diuque laboratum eſt, quò ille adduceretur vt huiuſmodi deditioni aſſentiret. Verum irriti fuere omnes ſuadentium impulſus: cum, & ab aulicis, & obſeſſis ſedulò moneretur, omnes Gallorum oppugnantium conatus inanes futuros. Harcurtius diſertis verbis obnuntiabat, niſi quàm primum vrbs Duci Infantulo traderetur; ad vltima poſtea vrbe compulſa, nullis ſe pacis, aut deditionis conditionibus aures præbiturum. Sed nullæ Harcurtij minæ obſeſſorum animos afficiebant loci firmiſſimis munimentis, atq; inexpugnabili arce, & ingentium ſubſidiorum ſpe eorum pectora roborante. *Princeps à Mediolani præfecto poſcit auxilia*

Princeps Thomas tāti momenti ſaluti oppidi timens, nulla ardentia prætermittebat officia, omnes precum, ſuaſionū machinas admouebat, vt Mediolani præfecto ſubita, validaq; auxilia, ad decutiendum ea obſidione hoſtem, ſubueniendumque vrbi extunderet. Sed ille nunquam adduci potuit, vt Hiſpanas legiones Principi traderet, quibus recta iretur ad hoſtes: ex Hiſpano ingenio non calidè, neque præfractè, ſed tuto, ſenſim, cautè in bellicis rebus agente. Non enim expedire putabat, Hiſpanicas copias, quibus, volitante circumquaq; exercitu Gallico, Inſubrum ſtabat imperium; in Taurinorum viſcera, ac mediterranea in manifeſtum diſcrimen immittere: relictis a tergo tot hoſtium arcibus, cum tot fluminum obiectus: montium ſalebræ, hoſtium ſtationes eſſent aſſiduo certamine ſuperandæ: Demarchi Villæ frequentibus in latera incurſibus obluctandum; qui expedito equitatu, vt locorum gnarus procedens carperet agmen, cum per difficiles vias cœno, arduis aſcenſibus impeditas eſſent trahenda tormenta; & quod maioris erat periculi, hoſtis intra ſua munimenta ſuperior viribus inuadendus. Quare cum neque Præfecto, neque cæteris Ducibus expedi- *Principi negātur ſubſidia.*

re vi-

re videretur, copias in tanta diſcrimina conijcere, decreuerunt an aliqua arce bello tentanda, ex voto ſuccederet, hoſtem ab ea obſidione auertere; ſicuti ab Eporedia fuerat huiuſmodi arte depulſus. *Hiſpani Cherium mouent.* Valida igitur equitum, & peditum agmina Principi tradidere, qui vna cum Caracenæ Demarcho Aſta egreſſus Cherium mouit, vt inde Carmaniolæ, Clauaſioque imminens hoſti arma intentans, illas arces inuaderet. Verum Demarchi Villæ ſedulitas, ac diligentia, immiſſis in ea loca firmiſſimis bellatorum ſubſidijs, Principis conſilia euertit: qui ſuæ mentis deſtinati ſucceſſu fruſtratus, vt *Claraſcho.* parem fructum ſui conſilij referret, Claraſcum cum vniuerſo agmine aduolauit. Hoc oppidum non tam ſitus ingenio, quam opere omnium Taurinorum munitiſſimum, & ad ferenda obſeſſo Cuneo ſubſidia vt vicinum, ita maximè opportunum, exiguo præſidio tenebatur, vt in pacato, nulliq; hoſti finitimum. Quare Principi expugnatu facile videbatur, neque ardui Martis obſidium. *Clauas.* Verum hic quoque Villæ perſpicacia Principis conſilia eluſit; veritus enim ne Clauaſij, ac Carmaniolæ ſpe potiendæ deiectus huic oppido moliretur inſidias: oppidi præfectum ſubmiſſis feſtinato nuntijs, imminentis periculi admonuit, vt omnes agreſtes in oppidum euocaret: ſubita peteret ab Harcurtio ſubſidia, ipſe moſchettariorum equitum turmam eo properare iuſſit. Sabinianum præterea muniuit, deinde in campos prouectus, ita ſocijs ad Cuneum caſtris acceſſit, vt à Principe ab ijs ſecludi non poſſet, ſi futurum eſſet opus. Gallis obſidentibus ire ſuppetias. Princeps Cherio digreſſus mille quingentorum peditum lectiſſimorum agmine, vniuerſum exercitus equitatum, excepto Neapolitano, ponè trahens, Sturia amne ſuperato, ſublatis in equorum clunibus peditibus, Claraſcum verſus mouit parum ab eo amne remotum; ſubſidij ingreſſi in *Princeps Claraſcum ſubit.* oppidum inſcius ingenti animo, maiorique ſpe ſe illi expugnando expedijt. In duo agmina pedites partitus, maiorem equitum partē pedibus pugnare iuſſit; & noctis inſidias tegentibus tenebris, ſtrenuè omnes muros inuadere; ſed quia quælibet agmina in illis cæcis erroribus plurium difficultatum obiectus implicuit; ſtrenuus impetus inuadentium elanguit. Oppidani ea nocturna trepidatione exciti arreptis armis, vna cum præſidiarijs Principe ſtrenua pugna repulſo, ſe erga Ducem Matrem conſtantes in fide eo auſu oſtentarunt. Princeps ab accepta clade Summam Ripam agmine reducto, aliquot dies ibi ſolicitus, atque anxius de Cuneo Fratri ſeruando ceſſauit. Verum bellici decoris, & damni ſtimulis actus, quòd ſuæ partes *Principis cũ oppidanis pugna.* accepturæ erant domito Gallis armis Cuneo, Claraſcum aggredi iterum ſtatuit: quod firmioribus munimentis, validiorique præſidio munitum maius negotium inuadentibus faceſſebat. Pugnatum tamen plures horas fortibus animis, atque egregia virtute vtrinque eſt. Acerrimi fuerunt Principis impetus, plures inuadentes in mœnia deturbatis propugnatoribus euaſere: toties à præſidiarijs, oppidaniſque extra muros validis impreſſionibus exacti. Nonnunquam oppugnantes in ipſum oppidum violentiſſimo facto impetu irrupere; dimicatumque in compitis, & vijs mutua cla-

de fero-

de ferociter eſt;ſed diſcuſſis Auroræ lumine tenebris, Princeps cõſpecta fœdiſſima ſuorũ ſtrage,plus enim quadringentos amiſerat,magis,ac magis ſuperãtibus præſidiarijs,ſuos recipere coactus inde in tutiora agmẽ abduxit. *Princeps ſuos à Pugna recipit.*

Harcurtius Cuneo inſtabat violentior indies,& ſicuti Principis,Hiſpanorũq; molimina,vt illũ ab ea obſidione decuterẽt, omnia in irritũ reciderũt; ita ipſius conatus iuuãte fortuna,obſeſſos quotidie magis arctabat:certiſſimæq;victoriæ ſpe ductus omnes pactiones abiecerat.Princeps tamẽ,& Mediolani Præfectus nihil tot aduerſis euentibus territi alia experiri decernũt, vt Harcurtiũ circũlato aliò belli terrore, à Cunei oppugnatione deijciant. Ioannẽ igitur Vaſquez vniuerſorũ caſtrorũ præfectũ cũ omni peditatu, & Vincentiũ Gonzagã cũ equitũ turmis ad oppugnãdũ Roxinianũ miſit; qui ingreſſis in oppidũ plus ducentis Mõtisferrati accolis, ab ea oppugnatione præfecti iuſſu abſtiterũt:Montiq;caluo arma tranſtulere,cui oppido dũ totis viribus imminẽt:Princeps Produci nuntiauit,ſe ab exploratorib. didiciſſe,Clauaſiũ non amplius ſexcentorũ peditũ præſidio teneri,poſſeq;facile expugnari, ſi omnes copiarũ vires admouerentur. Verũ Produx multis edoctus experimentis omnia Principis tentamenta maiori auſu,ac virtute,quã fortuna,fœlicitateq; ſecundari, ægrè admodũ Principis volũtati indulgebat; eoq;difficiliùs quò propior, maiorq; Mõtiſcalui potiendi ſpes per eos dies affulſerat.Attamen vrgente,inſtanteq;maximè Principe illi inuito expreſſus aſſenſus, vt locis omnibus circum oppidum obſeſſis, & aditibus clauſis, ne quid commeatuum,militumq; ſubſidij inferretur, de hac re admoneret eũ ſe cũ vniuerſo exercitu adfuturum:interim Montemcaluum fortaſſe expugnatum iri.Princeps accepta à Producе fide,eiuſq; pollicitis nixus, educto ex Eporedia ſexcẽtorum peditum agmine vna cum Caracenæ Demarcho, eiuſq;equitum turmis,omnes circa Clauaſium aditus ſepſit: exploratoque per fidos factionarios nullo ſubſidio firmatũ fuiſſe præſidium: Præfectũ de omnibus rebus docuit precibus additis, vt ex data fide cũ vniuerſo exercitu adueniret.Nec dum etiã Monſcaluus obſidentibus ſuccubuerat; quãuis fœlici paſſu,ſecundiſq; ſucceſſibus ad victoriam iretur.Quare Produx ne incertã,dubiãq; victoriã,certæ,indubitatæq;præferret; promiſſis ſpebus iniectis,nuntijs,rurſum,prorſumq;mittendis, varijſq;artibus,& moris Principem ludificans tamdiu diſceſſum extrahebat;donec Monſcaluus in deditionem veniret. Princeps itaque omni ſpe prorſus abiecta Præfectum ad Clauaſium expugnandum venturum;ira fremens,Præfectoq;infenſus Eporediã agmẽ reduxit:de eius verſuto ingenio expoſtulãs,quòd ſe potiùs Clauaſio, quã Vaſquez Montecaluo decedere ſiuiſſet;non ſolũ in ſui decoris labẽ,ſed etiã in totius belli ſummã apertiſſimũ detrimẽtũ:cũ vrgẽdo Clauaſiũ Harcurtiũ in oppugnati ſubſidiũ,ab eo obſidio abducere potuiſſet:quẽ oppugnãdo Mõtecaluo,vt minoris momenti,nequaquã ab incepto abſtracturus erat.Cunei interim obſidio magno tã propugnantiũ,quã obſidẽtiũ ardore feruebat.Nuſquã maioribus animis,minoriq;mortis metu ab vtriſq; dimicatũ eſt. Nulla non die obſeſſi in Gallos validis eruptionibus incurrebant,

Harcurtius Cuneũ premit.

Princeps à Produce poſtulat auxilia ad Clauaſium occupandũ.

Princeps prodit in arma contra Clauaſium.

Principis ira in Producem.

Galli

Obſidentiu, obſeſſorūq; bellica virtus.

Galli viciſſim, & tormentorum iactibus, crebriſq; in muros impreſſionibus in propugnantes acerrimè decertabant. Summi fuere vtriuſque partis niſus, & incredibilis virtus; non animorum ardore, non militari audacia, non impauida promptitudine ſibi inuicem concedebant. Par erat vigilantia, ſolertia, diligentia, mortis præſentis contemptus, egregia vtrinque virtus cum æquali virtute certabat. Verum Harcurtij fortuna, quæ illi in Eporediæ obſidione bellanti reflauit; in hac à ſe decreta velificata illud acceptū dedecus maiori laude, ac gloria pēſauit. Clauaſij igitur, & Claraſchi amittendi cura ſolutus, quæ ſola poterat ſuam interpellare victoriam; obſidioni, premendiſq; propugnantibus acrius inſtitit. In citerioris itaq; muri labro tormenta librauit, vt viciniori, violentiorique ictu quateret mœnia. Ad Vlmi propugnaculum cuniculum ſuffodi iuſſit: vrgebat Pleſſium, vt alterum ſub Deiparæ propugnaculum perficeret; quibus abſolutis, obſeſſos ad deditionem faciendam inuitauit. Sed cum illi cuniculorum impetus violentiam conſpicere voluiſſent: mox excuſſis in aerem ingenti, atque horribili fragore quinque, & viginti mœnium pedibus, tota concuſſa terræmotu vrbe, cum tamen arduus nihilominus in interiora munimenta eſſet aſcenſus, & propugnaculi muros obiecta arena, tellus, & ſaxa fulcirēt, non citra cruorem, & cędem, ad muri diruti ruinam poſuere ſtationem. At Harcurtius nihil ea territus difficultate, iterato impetu, voluit in ipſo munimenti faſtigio fixis ſignis loricam adipiſci: & cum alter Pleſij cuniculus inexpedito foret: obſeſſi tot validis imminentibus armis metu perculſi, ad deditionem paſciſcendam tandem obſtinatos, feroceſque animos flectunt: quæ poſt mutuas altercationes datis inuicē obſidibus, ita his conditionibus conuenit. Vt ſaluum, & incolume præſidium cum ſuis impedimentis exiret, ciuium quoque ſaluti, rebuſque cautum eſt. Egreſſo quadringentorum tantum peditum præſidio poſt tres, & quinquaginta acerrimæ oppugnationis dies Harcurtius bellicæ laudis gloria triumphans ſubactum oppidum iniit; eò illuſtrior, & clarior, quò ciuitas munitior nulli ſuperioribus ſeculis Duci ceſſit, nec domita alicuius hoſtis iugum accepit. Cuneo in poteſtatem redacto, Harcurtius contento ad ferendas Monticaluo ſuppetias agmine properauit; illumque procul dubio exactis Hiſpanis, obſidione ſoluiſſet, niſi duorum dierum eius aduentum deditionis maturitas anteuertiſſet. Dux Mater Cunei expugnati accepto nuntio, Planetiæ Demarcho imperauit, vt quàm celerrimè poſſet, ad Rouellum caſtellum recipiendum deiecto inde Cardinalis Principis præſidio aduolaret. Erat hoc Pinaroli agro conterminum, atque idcircò Gallorum rebus maximè opportunum eius agri fines proferre cupientium; quòd ne eorū arma victricia occuparent, præreptis Gallorum conſilijs, præcurrendum rata, illud præcipere ſtatuit. Nec Matris Ducis cogitationes vanæ, ac futiles extitere. Nam è Gallia regia mandata allata fuere, vt Matri Duci Cuneum redderetur. Harcurtius gnarus quantum Cardinalis Richelius eius oppidi obtinendi cupidus foret; regia iuſſa ſuſtinuit, varijſque artibus vſus eſt, vt

Chiuas; e Chraſchi.

Harcurtius Cuneū premit.

Obſeſſi de deditione paciſcūtur.

Harcurtij gloria.

Galli Rouello caſtello imminent.

eſt,vt Rouelli expugnationem, vel euerteret, vel differret. Sed Gallorum aſtus, & artes Planetiæ Demarchi ſolertia, ac diligentia diſcuſſit: recepto oppido, & Taurinorum impoſito præſidio. Quo factum eſt, vt diutiùs contra Regia mandata Cunei reſtitutio proferretur. Verum tamen ſequenti anno diruta prius funditus eius arce, à Bullionis Duce Harcurtio in armorum imperio ſuffecto, Matri Duci redditum fuit; vna cum Demōtio eius tractus caſtello. Quæ Regis magnanimitas, & munificentia non ipſi ſolum æternam liberaliſſimi Regis gloriam apud mortales omnes, & exteros Principes comparauit; ſed etiam Taurinos lætitia, atque admiratione compleuit; quòd nullos ex eo maximi impendij bello fructus, niſi per ſuorum vulnera, & cædes decus, & laudem collegiſſet. Neminique iam dubium erat, quin reliquas quoque arces ſuis præſidijs, armiſque detentas Matri Duci, ſuoque Nepoti redditurus eſſet; cum maioris momenti oppida reddidiſſet.

Regis Galli magnanimitas.

Amiſſo Cuneo Principis Cardinalis authoritas citra montes omninò deficiens in Niceæ tantum agro, ditioneque clauſa non diù duratura ſuis imbecillis tantum ſubnixa viribus videbatur: ſi diutiùs cum Matre Duce conuenire differret; & à victoribus Gallis diffidere perſeueraſſet.

Paucis poſt diebus, dimiſſis in ſtatiua inuicem copijs, Monœci Princeps eiurato Hiſpano Rege, in cuius fide plurimos annos ille, eiuſque maiores conſtanti obſequio perſtiterant: expulſo per dolos Hiſpanico præſidio, Gallorum militum validam cuſtodiam induxit. Hæc arx in vltimæ ad occidentem Liguriæ finibus ſuper ſcopulum ſita, qui aliquantū in mare procurrens portum efficit Hiſpanorum rebus, ac nauigationibus opportunū. Quæ in hoc Principem præceps, præfractumq; conſilium impulerint; non ſatis patent, atq; adhuc incerta feruntur, alijs alia narrantibus. Querebatur Princeps ſe ab Hiſpano pſidio premi, vrgeri, affligi, atq; à regijs miniſtris cōtemni, nullo loco haberi, plura incommoda, detrimentaq; pati, quæ ſibi ex ſua cōſtanti erga Hiſpanum Regem fide manabant: pene ſe nullos ex Neapolitanis ditionibus fructus excerpere; quibus eiuſdē fidei præmijs à Rege donatus eſſet: immo ſe aliquādo cogi de ſuo ſtipendia militibus admetiri, ſi nulla ab Hiſpania mitterētur: quo ferociētes, minanteſq; direptionē molliret, pacaretq; inſiditionem ruētes. Præſidiarios ex preſentium bellorum occaſione ſubductos ex arce ad exiguum numerum rediſſe: eo potiſſimum tempore, quo Gallica claſſe toto Liguſtico mari volitante, Monœciq; arci imminente validiori præſidio opus erat. Quare vt ſuis rebus, fortunæq; proſpiceret, ſeq; ab inteſtinis malis, & externis periculis liberaret, ſe mutaſſe fidem.

Monœci Princeps ab Hiſpano ad Galliũ Regem trāſit.

Cauſa Pricipis ab Hiſpanis receſſus.

Hiſpani verò partim negando, partim iniqua tempora cauſando obiecta à Principe crimina diluebant: reiecta omni in eius inconſtantiam culpa. Eum maximè criminabantur, quod cum eius maiores centum, & viginti annos beneficijs Hiſpani Regis, atq; honoribus aucti eius liberalitate, ac munificentia opibus clari incorrupta, atque inconcuſſa fide Hiſpanorum amici-

Hiſpani Monœci Principem criminantur.

amicitiam coluiſſent; ipſe degener,ſuiq; officij,ac debiti immemor Hiſpano Rege temporum anguſtijs, belliſque, vndequaque exorientibus conflictante turpiter deſerto,Gallorum ſe fidei credidiſſet: quò fœlicioris fortunæ Regem ſequutus,opulentiorem ſuam faceret conditionem. Ipſi horum temporum malignos prouentus, parcoſque redditus ſuperiorum fœlicitate,atque opulentia fuiſſe penſandos. Sed hæc viderint,qui curioſiùs Principum arcana rimantur. Hiſpani miniſtri ante ſucceſſum ſuſpicati dubiam Principis fidem periculum anteuertere, atque eius conſilijs occurrere conati ſunt: verum adeò repentinus fuit Gallorum acceſſus, & impetus; vt omnes Hiſpanorum niſus eluſerint. Neſcio cuius nam fati violentia Hiſpani Regis fortuna ad ſummum rerum humanarum faſtigium, amplitudinem,gloriam, fœlicitatemque prouecta, vndique bellorum turbinibus, per duellium defectionibus integris deſciſcentibus regnis,ſupremum ferè vndique concuſſa caſum minaretur.Laletania ad Gallum regem defecit,Luſitania Brigantio Duce rege creato,Caſtellæ exuit iugum.Oriẽtis regna,Inſulæ ſuorum popularium ſequutæ conſilia nouum Regem veneratæ rebellarunt:Braſilia vicinior eiectis Caſtellanis,in noui Regis fidem poteſtatemq; conceſſit. Belgium pluribus acceptis belli cladibus trepidauit. Auſtriacæ domus Imperium in Germania tot vndiq;Suecorum,Proteſtantium, Gallorum vrgentibus armis impulſum penè collapſum multum de ſuo ſplendore,potentiaque amiſit. Hiſpaniæ æraria,tot impendijs,extractis in plurium exercituum ſtipendia pecunijs exhauſta non poterant amplius Germanorum agmina in Italica bella conducere. Quare Hiſpanis rebus vrgentibus Gallis in Italia ruẽtibus, mirum ſanè eſt quod Itali Principes diù nimium ſe prouehentem Hiſpanorum potentiam exoſi,eam quondam demittere, ac deprimere ſtuduerunt: nunc labantem conſilijs, opibus, auxilijs,contra formidandam Gallorum fœlicitatem fulcire decreuerint: rati prudenter ex Hiſpanorum caſu,ſuam tandem ruinam, excidiumque profecturum. Veneti præcipuè, qui olim efferenti ſe ſe nimio plus Hiſpanorum potentiæ validiùs quàm cæteri Principes obſtiterunt; nunc mutatis conſilijs cum mutatione fortunæ ruens in Italia Hiſpanorum imperium omnibus conatibus ſuſtinere nituntur: obiecto quaſi ſuæ potentiæ exundanti in Italiæ exitium Gallorum fœlicitati aggere; ne ſe quoque nimium intumeſcens, cæteroſque Principes obruat. Coercuere ſanè ſuperioribus annis Gallorum impetum,cum Allobrogum Duce, & Crequio Mariſcallo formidandis immiſſis in Inſubres copijs Mediolanenſi dominatui grauibus imminentib. Dux quoq; Rothomagenſis demiſſo à Volturena in Saxinũ Valle exercitu,inde in Inſubres inuehere pararet vt vna cum ſocijs Principibus tripartito Mediolanum inuaderet. Nam cum per Venetos fines,traducendus eſſet exercitus, vt in Mediolanenſem agrum peruaderet: Reſpublica,quæ ante ipſi Rothomagenſi Duci in Volturena valle ſubigenda,retinendaque commeatuum, militum,pecuniarumque auxilia ſuffecerat; tunc adeò obſtitit validis cuſtodijs obſeptis finibus tranſituro, vt nulla ratione addu-

Hiſpani imperij procellæ pericula.

Italorum Principum erga Hiſpanum Regẽ fides.

Veneti Hiſpanis ſtudent.

Gallis obſiſtunt.

Gallis in Inſubres tranſitũ negãt.

Digitized by Google

adduci potuerit, vt illum breuiſſimum tranſitum enixè petenti Rothomagenſi concederet: per quem tranſgreſſus, ſi illinc arma Inſubribus intuliſſet; tunc enim verò ſeriò Mediolanū erat maximum periculum aditurum, cum ad pulſantem bello tam vicina Ducem Allobrogem,& Crequium Mediolani ciues territi,iam fugam trepidis animis agitarēt.Quo prudenti Cōſilio Reſpublica Hiſpanis aperuit, ſe animo cupere nihil ardentiùs, quàm vt æquata Principum,& Regū potentia Italiæ libertati cōſuleretur,pro qua ſeruanda ſola indefeſſa vigiles excubat: æternamq; ſibi,ac maximam apud omnes Principes exactæ prudentiæ laudem comparauit: atq; Hiſpanos eo ingenti merito ſibi perpetui nexu amoris obſtrinxit:eò arctiùs,quò Hiſpania bellis circumfrementibus viribus debilior,ab Italia,atq; Germania militum auxilia depoſcere cogebatur, ne dum poterat laboranti Inſubrum imperio ſolita peditum ſupplementa ſubmittere. *Hiſpanis grata Venetorum erga ſe ſtudia.*

Dum in Taurinis arma ſilent, & copiæ intra ſtatiuorum otia quieſcunt: inter Matrem Ducem, & Principes cœptum agi de pace ſedulo eſt: de qua toties nequicquam fuerat à ſequeſtribus actum. Non ita arduum, ac difficile fuit inter bellantes conueniri, proceſſu rerum ſalebris complanatis; quæ diù fœdera coeundi cupidos impedierant. Mutuæ clades, exitia, ruinæ, vtriuſque partis feſſos animos emollierant. Dux Mater quotidie magis populos exhauriri, excindi regiones, euerti cuncta conſpiciens tot malis tandem pace compoſita occurrere, ac mederi cupiebat. Principes ſuas in dies magis ſpes minui, euaneſcere concepta animis, retro labi res ſuas intuiti tandem cum Matre Duce ſublatis ciuilibus bellis, fœdus pacici ſum nopere peroptabant. Princeps Cardinalis lenis, ac mitis ingenij pacis magis, quam belli amans, Neptis connubium quàm ardentiſſimè ſuſpirabat, prolis deſiderio, in quam Allobrogicæ domus imperium transferret, ſi Dux Nepos imbecillis habitudinis ſine ſobole decedere fortè contingeret. Dux Mater, quæ hunc conciliandæ pacis rationem commenta,ſuam Cardinali vxorem filiam obtulerat, huius coniugij illicio ad pacem componendam illum trahere conabatur. Ille amiſſo Cuneo tot prouentuum, vectigaliumq; facta iactura, quæ ex regionibus citra montes annua capiebat:intra Niceæ dominatus anguſtias incluſus verebatur ne ex eo quoq;tandē Matris Ducis,Gallorum q;armis exactus exul vagari per alienas terras omniū rerū indigus cogeretur; quāuis Niceæ inexpugnabilē arcē cū Herculis portus,Soſpitijq;caſtellis,omnibus bellicis rebus à Neapolitano regno ſuffectis inſtructa teneret,& validiora etiā ab eodē Regno ſperare poterat auxilia.Sed cū Hiſpani tot bellis afflicti, neq;ſibi ad copias alēdas ſuppetentibus pecunijs,neq; alijs eadē largiùs,vt ante,& expeditè ſufficere poſſent,& malignè admodū,egrèq;ſolitas pecuniarū pēſiones pberēt; amiſſo Cuneo egētiori iure,ac meritò verebatur,ne ſe maiori neceſſitate vrgēte,ac pmēte deficerēt,atq;aliquādo ſe coactū iri,vt ad eas arces ꝓpugnādas inducēda Hiſpanorū pſidia forēt,oīū malorū vltimū; quo earu poſſeſſione Allobrogū Principes ppetuo euertebātur(nō.n.min' diſcrimē a ſocijs *De pace inter Matrem Ducem, & Principes agitur.* *Vtriuſque partis pacis deſideria.* *Qua Principem Cardinalē ad pacem impulerint.* *Villa Frāca*

Hiſpanis, quā à Gallis Hoſtib. metuebat; eius gentis æquè dubia fidē, ac Gallorum hoſtilem violentiā formidans. Quod periculū vt ſibi, domuiq; ſuę imminēs declinaret, ſuaq; optata ducta ſua nepte vxore, cōſtitutaq; pace aſſequeretur; de pace cū Matre Duce trāſigere, & diſſidia cōponere cupiebat.

Princeps Thomas fratris Principis Cardinalis ingenij, propenſioniſq; ie gnarus verebatur, ne tandem Ducis Matris artibus victus eius filiam ſibi connubio iungeret: qua fratri nupta, ſe omnium rerum ſpe caſurum, & quę armis inſtabat, amiſſurū videbat: Matreq; Duce ſuo fratri cōciliata, ac fœdere iūcta, nullā poſtea ſibi causā bellādi futurā: pręter id quod nō eā ſibi ſpē, ſubſidiūq; attuliſſe Hiſpanos querebatur, quod ad ſoluendū obſidione Cuneū, cæ.eraſq; arces recipiēdas opus erāt, & ſi Eporediā tueri eorū auxilijs cōtigiſſet. Quare ſibi imminētia diſcrimina metuēs, Gallorū quoq; fęlicitate animū impellēte, ſanius cōſiliū ratus ruentis partis labātē fortunā deſerere, ne eius quoq; ſe caſus obrueret, & alteri' proſperitati accedere, & Hiſpanicæ cōpedes ſeruitutis exuere, atq; à ſe tot calamitates, periculaq; depellere; quibus procul dubio ſe iactandum videbat, ſi obſtinatius deficientibus Hiſpanis partibus adhæſiſſet: cū Matre Duce æquiſſimis quā poſſet, conditionibus cōuenire decreuit. Ad pacē ineundā vrgētioribus ſtimulis agebatur Regij exercitus de rebellibus in Gallia relata victoria. Aliquot Galli Principes Cardinali Richelio infenſi, præſentiſq; regiminis rationem exoſi Sedanij inexpugnabili Confœdiarum ditionis vrbe conuenerant, iuſſoq; per duelliū copiarum duce Sueſſionū comite è regia ſtirpe contra Regis Galli exercitum prodeunt in pugnā, cōmiſſoq; certamine penes quidem rebelles victoria fuit; ſed cæſo perduelliū imperatore Sueſſionū comite omnes eorū ſpes, deſtinata, cōſiliaq; inania atq; irrita corruere. Eius coniurationis conſcius Princeps Thomas futuri certaminis expectabat euētū: ſed ſuæ vxoris fratris Sueſſionum comitis cæde nūtiata, tū demū in Gallicas partes deſertis Hiſpanicis, animū inclinauit. Mater quoq; Dux ex hac Regiæ fælicitatis, depreſſorumq; rebelliū occaſione Principē ad pacē ſanciēdā inuitauit: qui ſua vxore in fratris ditiones ex ſemiſſe ſuccedente, amplius Galli Regis ſocietatē, amicitiāq; reijcere ſalubri cōſilio non poterat; qui ingētibus beneficijs oblatis eum in ſuas partes trahere conabatur. Tot igitur ſtimulis actus Princeps per Prothonotariū Bergerā, qui Taurinorum Auguſtę poſtea Archiepiſcopus fuit, Matrē Ducem ſuæ voluntatis admonuit; precatus, vt ſibi vrbs Eporedia pro ſuę ſalutis tutamento, atq; eius prouincię Bugellarumq; cum ſuo agro præfectura traderetur: ſe poſtea Matris Ducis omnia arbitrio, poteſtatiq; relicturum, atque in Galli Regis fidem ſine fraude iturum. Quibus Principis oblatis patefacto ad pacem ineundam aditu, nulla mora pangendo cum Gallis, Matreque vidua fœderi deſtinati ſequeſtres. Nullius fere negotij fuit res cum Principe Thoma componere: maiores, atque inſuperabiles difficultates feriendum cum Cardinali Principe fœdus abrūpebant, qui nō ſolū ſibi Niceæ, eiuſq; arcis, agriq; caſtellorū ditionē retinere omninò à Matris Ducis imperio liberā, immunēq; dominij obſtinato ani-

Princeps ad pacem motu preclinatur.

Contra Cardinalē Richelium inſidia.

Soiſons. Bulgione.

Soſons. Pugna inter Regios, & coniuratos proceres.

Principis Thomæ poſtulata à Matre Duce.

Difficultas in pangenda cū Principe Cardinali pace.

to animo contendebat; quæ cũ Matris Ducis regentis ſupremæ authoritati prorſus aduerſarentur, nec illa minimũ de ſuo iure decedere vellet: fuit maximè arduũ de pace cũ Cardinali Principe cõuenire. Tandem poſt plurium menſium altercationes, cõtentioneſq; ſequeſtrũ his legib. cõſtituta pax eſt.

Pax cum Principibus Matreq; Duce componitur his conditionibus.

Penes Ducem Matrem infantis Ducis patrocinium, tutela, Taurinorũq; ditionis, atq; Allobrogum eſſet imperium. Primatum conſilium eligeret, qui de dominatus rebus decerneret, cui etiam Principes pro arbitrio intereſſe poſſent. In patentibus literis, in quibus dicere conſueuerat; de noſtri conſilij ſententia, prius deinceps adderetur de Principũ conſenſu. In grauioribus rebus ipſi quoq; Principes ſua nomina ſubſcriberent. Cardinalis Princeps in Niceæ ditione Nepotis Ducis legatus eius terrarum tractus præfecturam obtineret; & Princeps Thomas Eporediæ Bugellis, eorũq; caſtellis & agris præficeretur. Miniſtri, vrbium præfecti, quæſtores, iudices, cohortium, turmarumq; Duces à Duce Matre eligerentur; ſed ex Allobrogicæ domus vectigalibus, qui Principibus infenſi non eſſent. Principes in Nepotis Ducis verba iurarent, cæteriq; purpurati, & proceres omnes illi iterum dicerent ſacramentum. Principum ſequuti partes, vel in ſuis miniſterijs, muneribuſq; à Matre Duce confirmarentur, vel ad eius arbitrium amouerentur. Id ſancitum omnium decreto foret; vt ſi Nepos Dux ſine prole ex humanis excederet: illi Princeps Cardinalis, eiuſq; liberi ſufficerentur. Bona belli iure erepta inuicem redderentur. Principi Thomæ præter hæc duo quoq; peditum millia, & equitum mille tributa ad Eporediæ, Bugellarumq; præſidiũ.

Alia quoq; præcipua inter Matrem Ducem, & Principem Cardinalem conuenta fuere: vt Princeps Maria Ludouica Neptis ſuo Patruo Principi Cardinali connubio iungeretur. Præfecti à Matre Duce dicti in Nicæam, eiuſq; arcem, cæteraq; eius agri caſtella cum militum præſidio admitterentur: qui tamẽ iure iurando obſtringerẽtur, vt ſe nemini arces, vrbeſq; tradituros, qui Allobrogicæ domus vectigalis non eſſet: eodem ceteri deinde ſuffecti ſe ſacramento obligarent, nemini ſe arces ſuæ fidei creditas, ſi Dux Infantulus ſine prole è mortalibus abiret, quam ipſi Cardinali Principi, aut eius maſculis ſucceſſoribus tradituros. His non contentus à Matre Duce triginta aureorum millium munus poſtulauit; quos Hiſpanis militibus à ſe exauthorandis, dimittendiſq; largiretur; qui etſi admodum exigua in tot temporum anguſtijs ſuperiorum bellorum impenſis Matri Duci pecunia ſuppeteret; ab ea tamẽ illi dono dati regia ſanè liberalitate fuere: vt pote quæ non aliud toto eo bello ſingulari prudentia ſpectaſſet, curaſſetque, quàm vt Principes quacumque ratione extinctis ciuilium bellorum incendijs, ſibi conciliaret. Ictum, quoque ſub hæc à Principibus cum Gallo Rege fœdus Regio Legato intercedente ſequeſtre, quo in eius Regis gratiam, fidemque recipiebantur, illiſque annua pecuniarum munera pendebantur, probabaturque à Rege Mariæ Ludouicæ cum Principe Cardinali coniugium. Pollicebaturque Rex, ſi pax vniuerſalis ſanciretur, ſe effecturum, vt vxor, & liberi ab Hiſpa-

Digitized by Google

nis Principi Thomæ redderentur: qui Gallica ſigna ſequeretur, proq; Rege militaret, inſuper ſe omnes vrbes, & arces, quæ Gallicis præſidijs tenerentur redditurum ex obligata Summo Pontifici, Venetis, cæteriſq; Italis Principibus fide. Inſuper ſi Dux Nepos ſobolis orbus ſuo fato concederet, Principibus, omnibus ſuis viribus adfuturum.

Mutua Prĩcipũ, Gallicique Regis promiſsa.

Principes verò viciſſim pollicebantur, ſe Hiſpanos milites dimiſſuros, eiuratis omnibus cum Rege Hiſpano fœderibus, Princeps Cardinalis Imperij patrocinio renuntiaret. Quæ omnia pridie Idus Iunias conuenta in Galliam ad Regem tranſmiſſa, vt rata faceret. Quibus prono animi aſſenſu à Rege probatis, atq; vtrinque ex obſtricta fide perfectis, bella ciuilia, quibus toti Taurini conuulſi ad vltimum excidium trepidarunt, tandem compoſita, cupitam omnibus votis à miſeris populis pacem magno cæleſtis beneficio Numinis rediderunt.

Supererat magis arduum, ac difficile inter omnia conuenta à Principibus exequendum: ſcilicet Hiſpanorum militum exauthorata præſidia ex vrbibus, atq; arcibus tuto dimittere: quod quamuis plurimi negotij eſſet: Principes tamen vtriq; vaferrimo aſtu, eluſa Hiſpanorum prudentia, eos nullo accepto incommodo dimiſerunt. Se hac difficultate Princeps Thomas primus explicuit. His forte diebus, res inter Matrem Ducem, & Principes componendas Harcurtio in Galliam accito Bullionio Duci armorũ in Italia ſumma delata à Rege fuit: qui Sedanij in Gallum Regem cum alijs infenſis Richelio Principibus coniurauerat; ſed Regis ſubmiſſius præcatus clementiã perduellionis criminis pęnę facta gratia, Italico bello præficitur. In Taurinos igitur ſumma cum poteſtate ingreſſus primo bellico facinore coacto in vnum exercitu, in Alexandrinũ agrum eam vrbẽ debellaturus inuehitur; atq; ita in Mediolanẽſiũ finiũ viſcera ſigna intulerat; vt Felizziani, Gamundijq; portas turmarũ incurſu, allapſuq; ſtrinxerit. Ioannes Vaſquez Alexandriæ præfectus veritus ne Gallus Dux Tanari fluminis vadum tentaret; iuſſit Vincentium Gonzagam cum vniuerſo equitatu, & peditum mille eius amnis litora obſidere, tranſituroq; hoſti bellatorum agmina ad prohibendum vado tota ripa prætẽdere, ne ponte ſterneret amnem. Sæpiùs procurrentia hinc inde agmina leuibus prælijs ſuã mutuo hoſti probauere virtutẽ. Verũ quia Dux Gallus alijs hoſtilis dominatus partibus minitari, præcipuè Aſturæ põti, Tridinoq; immmere videbatur. Mediolani Præfectus Vercellas cũ valido equitũ, peditũq; agmine aduolauit, vt inde exploratis hoſtiũ cõſilijs, eã partẽ, cui incũberet, tueretur: & ne in quoquã eorũ locorũ cũ ſuo exercitu inſideret. Hac arrepta occaſione Princeps Thomas monuit Mediolani Præfectũ, vt validã ſtationẽ ad Aſturæ põtẽ ſtatueret, quæ duob. peditũ millib. & equitũ legione hoſtẽ amne poſſet arcere, ſe omnẽ equitatũ, & Hiſpanos pedites, Eporediæ præſidiarios ,ꝓtinus cõceſſurũ; vt Inſubrũ copiæ his additis virib. validiores hoſtẽ poſsẽt ab Inſubrũ finibus ſubmouere. Per quã grata Præfecto Principis fuit oblatio, quòd nulla artiũ præſidia, ſubductis militum cohortibus minuerẽtur; neq; agmina Tanari litora propugnãtia Aſtæ, Alexãdriæq; obtẽtu ſuo tuẽtia aliò abducere cogeretur. Qua-

Principes Hiſpanos fallunt.

Dux Bullionius Italico bello præficitur.

Galli in Inſubres inuehuntur.

Principis Thomæ aſtus.

Quare Princeps equites omnes, ac pedites vrbe egredi, atq; Mediolani Præfecto proficiſci ſubſidio iubet: præcepit tamen clam equitum Ducibus, vt ad quemdam locum progreſſi ſubſiſterent, & pedites ſuum ſequi iter, atque ſe præire ſinerent. Sed Mediolani Præfectus accepto nuntio, Gallos, è Tanari litoribus deceſſiſſe, Eporediani peditum cohortes remiſit. Princeps Thomas eas in vrbem admittere recuſauit, pactas cũ Duce Matre, & Gallis cauſatus inducias, quas violari nefas eſſet in vrbẽ receptis Hiſpanis. Quamobrẽ illę Vercellas Eporedia excluſæ ira fremẽtes, infenſiſq; Principi animis abierunt. Quo aſtu Princeps ſe difficili cura dimittendi Hiſpanos exemit. *Hiſpani Eporedia excluſi.*

Nec minus fęliciter hoc ſe negotio Princeps Cardinalis abſoluit. Siquidẽ ſimulans ſibi inſidiarum Franciſcum Tuttauillam Hiſpanorum legionis Præfectum delatum eſſe; quòd cum arcis præſidiarijs in ſuum exitium conſpiraſſet; ſollicitaſſetq; eos, vt ſibi traderent arcem, euocatum in illam acerbiùs obiurgat; auſumq; facinus exprobrans, ex arce eum protinus mare verſus faceſſere iubet: ſuoſq; Hiſpanos nauigijs impoſitos extra Niceæ ditionis fines abduceret. Quibus inde profectis, Hiſpanorum præſidijs liberi Taurini in ſuorum Principum fide poſtea quieuerunt. *Nicæa quoque amandantur.*

Opportunè admodum ex Taurinis, & Nicea cohortes Hiſpanæ dimiſſæ nihil Principum inita cum Duce Matre fędera, pacemq; turbarunt, quæ ſi tardiùs exauthoratæ, vel repudiatæ fuiſſent: omnia Bullionis repentina captiuitas conuulſiſſet. Qui Tanari traiectu prohibitus, omnibus copijs per Montisferrati villas, & pagos dimiſſis, Caſale ſe receperat; vbi inexpugnabilis eius arcis viſendæ cupidus in illam ingreſſus à præſidij præfecto iuſſu Regis captus, validiſq; militum cuſtodijs ſeptus in Galliam ad Regem tráſmiſſus eſt. Non illum Sedanij coniurationis culpa à Rege condonata in has calamitates iniecit, ſed nouæ in Cardinalem Richelium cõſpirationis compertum Regis ira carceris ſqualore damnauit. *Dux Bullionius captus in Galliam mittitur. In vincula conijcitur.*

Ratis habitis à Rege Principum cum Matre Duce cõuentis, & quidquid ſuus Legatus cum iiſdem pepigit, probato, nihil iam conſtitutam pacẽ, initiq; fęderis fructum morabatur: ſed noua inter Matrem Ducẽ, & Principẽ Cardinalem difficultas ſuborta tantũ non omnia compoſita euertit. Diu inter ſequeſtres diſputatum eſt antequam Neptis Maria Ludouica Principi nuberet: an Matris Ducis Præfectis Nicæa, eiuſque arx tradendæ eſſent; an prius ineundũ, celebrandumq; connubium, mutuò dubiam ſuſpicantibus fidẽ; ſed tandem inextricabilem nexum miniſtrorum ſolertia ſoluit. Simul enim Niceæ, & celebratum matrimonium per Legatũ, Curatorẽq; eſt, & tradita ciuitas vna cum arce: deinde etiam Herculis portus, Diuiq; Soſpiri caſtella Matris Ducis præfectis dedita, Præſidiarij omnes ad vnum excedere iuſſi. Piſtor etiã exact', nouiq; milites in arciũ cuſtodiã inducti, quo terrarũ oĩũ integrũ dominiũ, & Regimen penes Ducẽ Matrẽ, & Ducẽ infãtulũ fuit. *Nicæa cum cæteris Caſtellis Matri Duci traditur.*

Principes exauthoratis Hiſpanis, antequam percuſſa cum Gallo Rege, conuentãq; pacem cũ Matre Duce vulgarent: à Mediolani Præfecto enixè popoſcerunt, vt occupata in Taurinis oppida, Hiſpanorũq; præſidijs detẽta *Principes petunt ab Hiſpanis vt Taurinorũ oppida ſibi reddantur.*

KK 3 ſuo

ſuo Nepoti Allobrogum Duci reſtitueret. Præfectus antequàm petitioni Principum reſponderet, ab ipſis primum percunctatus eſt, an redditis oppidis, & arcibus eſſet ampliùs cum Duce bellandum, an poſitis armis, compoſitaque pace quieſcendum: ſed ambiguis, dubijſque reſponſis ludificati præfectum, rati illum neq; arces, neque oppida redditurum, niſi prius pax inuiolabilis ſanciretur, arduumque futurum, etiam ſi eſſet de bello ſecurus, cum ex tenaci Hiſpanorum ingenio occupata, in quæ ſemel pedem intulerint, reſtituere; laruis omnibus, & verborum inuolucris abiectis, nullo amplius expectato à Præfecto reſponſo, ne dum ex Regia Hiſpana aula, cuius placita, ac decreta prius accipienda erant; pactum cum Gallo Rege fœdus, compoſitamque pacem cum Duce Matre vulgarunt: & Princeps Thomas Regis Galli miles ea ſtrinxit contra Hiſpanam Regem arma, quæ eius ſocius, & miles contra Gallum Regem paulò ante geſtarat.

Principes pacem cum Duce Matre initam, & fœdus cum Gallo Rege vulgant.

Accepto igitur in Italia Gallorum imperio, qui captiuo in Galliam abducto Duce Bullionio, ſine Ductore ceſſabant; addito ſibi cum Matris Ducis agminibus Demarcho Villa ad oppida recuperanda, quæ Hiſpanicis præſidijs tenebantur: armatus prodijt ex ſtatiuis. Primum omnium Creſcentino admouit exercitum: vbi validiorem propugnantium ſua opinione virtutem, difficilioremque oppoſitum, quam putarat, inuenit. Mediolani ſiquidem præfectus vbi vidit à Bullionis ſucceſſu Gallicas copias in Taurinos Profectas in varias ſtationes circa Verucam conſediſſe; Creſcentino periculum metuens Caracenæ Demarchum cum vniuerſo equitatu, Neapolitano excepto, eò ſubſidio accurrere iuſſit, vt contra vicinos, imminenteſque Gallos oppidum validiori præſidio firmaret. Quo ſtrenuè à Caracena peracto, ad Aſturæ pontem iterum Pado traiecto, Præfecti iuſſu ad Diui Saluatoris hoſpitia proceſſit. Creſcentini præſidij præfectus Alphonſus Vaſquez non ſolum oppugnantium Taurinorum impetũ coercuit; ſed etiam animoſis factis eruptionibus ſæpius obtriuit: & quamuis oppidum non ita munitum foret; vt ad exercitus oppugnantis aſſultus ſuſtinendos validum, aptumque eſſet; nec admodum difficile expugnatu, quindecim tamen dies hoſtium conatibus fortiter obſtitit. Interea Tridini, Diui Iacobi oppidi præfectis vacauit, ſuas arces commeatibus, rebus bellicis, & maiori numero, præſidiariorum inſtruere. Omnia impigrè ipſo Caracenæ Demarcho curante, & noctu clam hoſtibus in ea loca immitente ſubſidia multum opportuna: nam cum medio menſe Auguſto Longauillæ Dux Harcurtio in armorum imperio ſuffectus ſuperatis alpibus, in Italiam ingreſſus firma peditum, & equitum ſupplementa ſecum adduxiſſet: quibus vna cum Taurinis copijs, quando Princeps Thomas bellator acerrimus à Gallis ſtaret, Inſubres Regis iuſſu bello concuſſurus erat; Mediolani præfecto, cum inferior viribus tantæ Gallorum potentiæ apertis in campis obniti non poſſet; erant oppida, & arces firmioribus præſidijs muniendæ: ex quibus veluti è ſpecula explorandum, quò ingruiturus eſſet Gallici exercitus impe-

Princeps Gallicis armis in Italia præficitur.

Taurini Creſcentinum inuadunt.

Taurini ab Hiſpanis repelluntur.

Longauilla Gallorũ ſupremus Dux.

impetus turbo; & cum militum reliquijs, quæ ex arcium præſidijs ſupererant, ad auertendam imminentis procellæ cladem feſtinandum.

Ferebatur Princeps Thomas in Gallicas partes tractus eſſe noui illi parandi Gallorum ope in Inſubribus dominatus illicio; quem ſuæ domus peculiarem in ſuos hæredes tranſmitteret. Euentus poſtea docuit Dertonam cum ſuo agro, atque Alexandriam, & quidquid terrarum citra Padum Ligurum ditionem verſus ſe ſe explicat: illi dono deſtinata fuiſſe, iniecta etiā ſpe ſupremi Gallici in Italia exercitus ductus, vt promptiùs, ſecuriùs, liberiùſque ad arbitrium eò arma, bellumque inferret; vbi pro eius tantum commodo, opibus, imperioq; parando gerendum erat. Sed cum Regi, Gallíſque proceribus neq; tutum, neq; ſanum conſilium videretur: illi rerum ſummam, armorumque arbitria, non expertis adhuc eius fidem tam cito deferre; præcipua cum eius Vxor, & liberi obſides, & fidei pignora adhuc in Hiſpania detinerentur; Gallicis copijs Longauilla Principis apprimè neceſſarij, fidiſſimique affinis præfectus eſt. Qui cum ſuis tantum Gallicis copijs Eporediæ Principe commorante Niciæ, Statellonumq; aquis cum vniuerſo bellico apparatu ſucceſſit; vt ijs oppidis occupatis, deſtinatæ expeditioni aditum patefaceret: ibiq; Inſubricum bellum auſpicaretur. Nicia non erat huiuſmodi, vt diutiùs oppugnantibus obſiſtere poſſet, cum debilioribus ſeptam munimentis exiguum etiam præſidium cuſtodiret, & cuilibet nullo aduerſo hoſte, perſultanti campis facilis præda futura eſſet. Vuatemuillius tamen dynaſta cum ducentis peditibus in oppidum ſubſidio ſubmiſſus; qui eluſis hoſtium cuſtodijs, fœliciter ad obſeſſos ingreſſus, præſidium ad quadringentos milites auxit, modicus ſanè numerus quàm pro oppidi circuitus amplitudine propugnanda. Vuatemuillius tamen ſæpè repulit impetus oppugnantium: ſed cum tormenta maiorem muri partem ſex horarum iaculatione, quam cupierant, proruiſſent; & iam perfectis cuniculis eſſet ignis inijciendus, Vuatemuillius, ne obſtinatiùs reſiſtendo ſe, præſidiarioſq; perderet; cæpit de deditione cum hoſte tranſigere: eaſq; conditiones accipere coactus eſt, quas tulit hoſtis arbitrium. Præſidiarij per Gallias in Sequanos deducerentur Hiſpani Regis vectigales.

Quid Princeps in Gallicas traxerit partes.

Acqui Galli & Taurini Aquas Statellonum ſubeunt.

Nicia deditur Gallis.

Mediolani præfectus Niciæ iterum ſubuenire tentauit, centum equitibus, & totidem peditibus moſchettarijs in oppidum ingredi iuſſis, ſed propè hoſtium caſtra prouecti Gallos expeditos in armis ad ſe repellendos nacti Alexandriam, vnde venerant, redierunt. Sed maior clades illata equitum legioni Montaldum ſex paſſuum millibus Nicia recedentem ad prohibendos inde pabulatu Gallos progreſſæ. Nam cum illam maior equitum numerus inuaſiſſet; fuſa totis campis diſiectaq; eſt cæſis equitum ſeptuaginta. Chiliarchus pedibus in vicinum collem irrepens hoſtile ferrum effugit.

Hiſpanorũ legio caditur à Gallis.

Paulò poſt ab expugnatione Niciæ Mauritius Sabaudus Eporedia valido equitum agmine, & aliquot peditum cohortibus nocte profectus, Arbo Bugellenſis agri pago improuiſus incubuit; quò ne ſtatiuorum impenſis Inſubres grauarentur, Hiſpani Duces quingentos equites in hyberna

Hiſpanorũ ala conciditur.

dimiſerãt, vniuerſi Inſubrici equitatus legato ductore. Hanc equitum ſtationem bipartito repentino impetu aggreſſus penè totam cęcidit, quamuis Dux, & aliquot ex promptiſſimis ſtrenuè aliquandiu hoſtibus obſtitiſſent; ſed cum cæteri per noctis tenebras, cum obſcuritas fugæ dedecus tegit, per Seſithis amnis vada elaberentur, Legatus ſuorum fuga deſertus eundem vadatus amnem in Inſubres euaſit incolumis, relictis ad hoſtis arbitrium impedimentis, & pluribus equis: Hieronymo Saluaterra, & Aloyſio Bernauida turmarum Ducibus captis. Omnes Mauritius hoſtes equites penitus deleuiſſet; ſi validam manum vada cuſtodire iuſſiſſet, ſed diſcurrente per domicilia ad prædam milite, plurimos militum cupiditas conſeruauit.

Caracena in Taurinos vadit.

Caracenæ Demàrchus acceptæ cladis hoſtibus cupidus reponendæ fuſis diſſipati equitum agminis reliquijs ſub ſigna collectis, additis Vercellarum præſidiarijs equitum turmis, & quadringentorum peditum legione, quos ex vicinis ſelegerat: vt Principis equitatum circa Bugellas ſtatiua habentem repentinus inuaderet; ſub veſperam Vercellis egreſſus ſilenti agmine properabat, verum illi fęlicem aduerſa fortuna ſucceſſum eripuit, nec eandem, ac Mauritius habuit proſperitatem euentus: quòd hic per pacatum tacito greſſu, ille per hoſticum prodierit ad hoſtem; in quo ad hoſtium armorum incedentium aſpectum circumiectæ villę trepido campanarum ſonitu bellicum increpantium aduentus Hoſtis Principem, ſtationeſque equitum monuerunt; qui cum arreptis armis ſubeuntes animosè expectarent; iam multa die aperiente inſidias, Caracena irrito auſu Vercellas feſſum agmen reduxit.

Galli Aquas Statellonũ occupant.

Longauilla expugnata Nicia, admoto ad Statellonum Aquas vrbem exercitu, illamq; paucis diebus adeptus, Dertonæ vrbis obſidium tacito agitans animo in eius vrbis vicina moturus erat; niſi à Principe maiora ſtruẽte fuiſſet abductus: qui ratus inſidias, quas cum quibuſdam Nouariæ, vel ciuibus, vel præſidiarijs molitus erat, fœliciùs ex ſententia, votoq; proceſſuras, Longauillam ingentis gloriæ, & magnanimi ſpe decoris niſus illexit, vt ſecum arma, vireſq; ſociaret. Ille ne tantæ rei conatui deeſſet, ad Caſale Padum remenſus ſe Principi Balzolæ Moraui expectanti cum omnibus copijs adiunxit. Seſitheq; amne tranſmiſſo Nouariam verſus iter intenderant: ſed cum ruentibus biduo continentibus è cęlo imbribus non ad condictam horam Nouariæ portis ſuccedere potuiſſent; aut quia nunciatum eſſet Caracenæ Demarchum aliquas metuentem inſidias ne ex hoc hoſtium motu aduerſi aliquid pararetur: Nouarium cum plus quingentis equitibus, & ingenti peditum partim ſtipendia merentium, partim ex Inſubrum delectibus ingreſſum fuiſſe; Mediolaniq; prefectum in hoſtium excubantẽ conatus plures peditum cohortes eodem feſtinare iuſiſſe: Princeps ſua euanuiſſe conſilia proſpiciens, & Longauilla retro cum ſuis agminibus receſſere.

DER-

DERTONA A GALLIS Expugnata, atque ab Hiſpanis recepta

NARRATIO DECIMA OCTAVA.

INterim è Gallia cum pecuniam quæſtores in ſtipendia militum aduexiſſent; ad deſtinatam Dertonę expugnationis expeditionem arma, bellicos apparatus Duces expediunt. Principi Thomæ in exercitum nullum erat imperium, ſed tanquam tacitus Longauillæ collega pro arbitrio, ex arcanis ad Longauillam mandatis facienda militibus edicebat, & ferè omnia ex eius conſilio, iuſſuque gerebantur. Regius igitur, Matriſque Ducis exercitus vna gradiebantur quinque equitum, & decem peditum millibus validi. Primum agmen Demarchus Villa ducebat medio agmini præerat Longauilla, Princeps Thomas ſuis totum exercitum agminibus claudebat: traiectiſque nullo tranſitum prohibente amnibus Pado, & Tanaro, Demarchus Villa copias anteuertere iuſſus, vt eminentioribus, tutioribuſq; locis circum eam vrbem occupatis commeatuum, militumque ſubſidijs illam intercluderet: quòd ſi proſperè deſtinata ceſſiſſent: quatriduo tanti vrbs ad cætera conſequenda monenti in Gallorum poteſtatem veniſſet: cum centum tantum peditum, nullo claro Duce, militum præſidio teneretur: quod eam vrbem quam longiſſimè à Taurinis diſtantem, nemo hoſtes relictis, neglectiſque oppidis, quæ Hiſpanica præſidia in eorum viſceribus inſiderent, inuaſuros putaſſet, quod difficillimum foret longinquo terrarum interuallo commeatus, res bellicas, & militum auxilia ſubuehere. Verum Siruelæ Mediolani præfecti ſolertia hoſtium conſilia præuertit: cui cum hoſtis proficiſcendi celeritas ingentem curam inieciſſet; nec coniectare poſſet; quo ea Gallici belli procella ſe ſe effuſura eſſet; quamuis exiguus admodum ſuppeteret militum numerus, quo tot circumiecta oppida ab hoſtilium copiarum impetu ſecura præſtaret; iuſſit tamen Alexandria prius valido præſidio munita, protinus Ioannem Vaſquez Coronatum inexpedito eſſe, vt eò aduolaret: quò Gallorũ nimbus ingrueret: præcipuè ſi in Dertonam ictum deſtinarent: quod ſolers, ſagaxque Siruelæ conſilium a Vaſquez diligenti, celerique cura impletum Hiſpanam rem in Inſubribus ab extremo diſcrimine vindicauit: eo enim peditum agmine Dertonam immiſſo, iam ciuitas firmior, munitiorq; potuit diutiùs, cum hoſtilis exercitus clade Gallorum impetum remorari, & difficiliorẽ facere expugnationẽ; qua illius florẽtiſſimi exercitus viribus nõ ſolũ fractis ſed etiã diuturnioris oppugnationis incõmodis media pars eius

Galli Dertona expugnationem meditãtur.

Dertona vrbis diſcrimen.

Digitized by Google

eius militum conſumeretur. Qui integer, & validus omnia vltra Padum Appenninum verſus Hiſpanis eripere potuiſſet. Quadringenti tantum pedites in vrbem ingreſſi ex octingentis à Ioanne miſſis; quòd Villa ſubito accurſu tranſitum claudente, cæteri fuerint intercepti. Paucis poſt diebus etiam clandeſtino ſuggreſſu Bernardinus Galeottus Neapolitanus eius totius præſidij dictus à Gubernatore Dux, & Preſtinus Mediolanenſis ſummus machinamentorum artifex, bellicorumq; inuentorum molitor ambo in ea propugnatione maximè opportuni, qui per vicinos colles arci iunctos, nundum à Gallis poſitis militum ſtationibus cuſtoditos in vrbem ingreſſi, obſeſſos ingenti cura leuarunt.

Galli Dertonam ſubeunt.

Admoto vrbi exercitu ſuburbijs nullo vallo ſeptis facile occupatis, collineata in vrbis propugnacula tormenta; tentatique ciuium, ſed fruſtra, animi an ſponte vrbem dedere vellent. Diſploſis igitur tormentis ictuum violentia, disiecta, proſciſſaq; aliqua munimentorum parte, Galeottus vrbem ratus nequaquam diù propugnari poſſe; in arcem tanta propugnatores omnes celeritate deduxit, vt in illam commeatus inferre, demoliriq; muris vicina molendina oblitus, maximum commodum hoſtibus attulerit. Qui in vrbem quinto ab acceſſu die, à præſidiarijs deſtitutam, interceſſuq; Epiſcopi pactis conditionibus deditam ingreſſi, arcem protinus aggeribus ſepire, & Diui Dominici cœnobiũ inter vrbem, caſtellumque interiectum à præſidio minimè munitum, ne tuendæ arci neceſſarios in eo propugnando milites diſtineret; occupare, obmoliri munimenta; educere propugnacula.

Galli Diui Dominici cœnobiũ occupant.

Præſidium tamen, ne tam è propinquo hoſtis quateret arcem, & quæ ab eo Gallis infeſſo detrimenta ſibi euentura eſſent, prudenti conſilio proſpiciens, poſtera die ingentibus animis validè in hoſtes erumpit, vt inde repentina impreſſione deturbet; ſed repulsũ arcem feſtino regreſſu petere coactum cœnobium Gallorum arbitrio reliquit.

Scriuia.

Equitatus deinde à Longauilla ad populanda circumiecta loca excurrere iuſſus congeſtas vndique commeatuum, pecudum, armentorumque prædas caſtris inuexit, & Caſtro nouo Iriç occupato, in quo ſuam ſtationẽ ponere Principi viſum eſt, & in Ponte Curionis aliquot equitum turmis tendere imperatum:

Voghera.

quæ Vico Iriæ admoto belli terrore incolæ ſponte facta deditione patefactis portis in oppidum, atque adeò in caſtellum hoſtes admittunt. Collium verò Agreſtes armati, æquioribus locis, arduoque ſitu confiſi hoſtium compreſſis aſſultibus res, fortunaſq; ſuas, & vicos à rapacibus militum vnguibus defenderunt.

Galli Serrauallem occupare contendunt.

Verum cum nullum ſalubriùs, vtiliùſq; conſilium ad alendum bellum, accipiendaq; è mari ſubſidia, atq; ad claudendum exteris auxilijs aditum foret; quàm Serrauallem Hiſpanis adimere; Demarcho Villæ negotium datum, vt eò cum valido equitum, & peditum agmine profectus, quàm poſſet; illud celerrimè expugnaret; impoſitoq; ibi firmo præſidio, in caſtra rediret: qui mille quingentorum equitum agmine, & tribus peditum millibus Serraualli ſucceſſit: primoq; conatu aperto oppido potitus, arcem oppu-

oppugnare adorſus, in quam præſidium ad hoſtium aduētum perfugerat; circum tormenta librauit. Improuiſo, atque repentino hoſtis acceſſu, trepidum, ac debile præſidium nihil ad trahendum in diutius obſidium, propugnandamq; arcem commeatus, tormentariæq; rei in illam intulerat; tamdiù tamen hoſtes pugnando diſtinuit, donec Siruela de ſeruando admodum eo loco ſolicitus, quàm maximum poſſet militum numerum in tantis rerum anguſtijs non ex Inſubribus modò, ſed etiam ex Taurinis arcibus, quæ Hiſpanica præſidia tuebantur, cogeret; quibus periclilitanti arci ſubueniret. Ab Aſta Colonia Comitem Galeatium Trottum cum media parte præſidij, & Vercellis Vincentium Monſurium acciuit; qui locorum propinquitate nullo hoſtis obiectu, ſecuri Alexandriam conuenerunt, vbi erant vniuerſæ copiæ cogendæ. Ioanni verò Pallauicino caſtrorum præfecto maioribus fuit difficultatibus obluctandum; qui à Villa Noua à Siruela accerſitus, iuſſiſq; tantum præſidij in ea relinquere, quantum ad ſuſtinendos repentinos impetus ſatis eſſet; atque Alexandriam cum cæteris cohortibus contento agmine feſtinare: & vt illi faceret ſecuriorem acceſſum, ducentos equites miſit, qui venientis latera, ac terga ſuo obiectu firmarent. Abeſt illud oppidum Alexandria paulominus quadraginta paſſuū millia, vt pote in medijs Taurinis ſita; inter obiacentes vndiq; hoſtium arces numeroſis præſidijs cuſtoditas, per hoſtile ſolum totum ferè iter conficiendum erat, atque per inimica omnia vadendum. Quod tamen adeò ſtrenuè tacito agmine Pallauicinus obiuit, vt nullo accepto incommodo Alexandriam incolume agmen adduxerit. Non ita nihilominus ſecretus exceſſit, quin Carmaniolæ præſidium vigilantius abeuntem deprehenderit; quod protinus ad arma conclamans effuſum ex oppido celeri gradu prægredienti inſtans ad Villæ Franchæ pontem aſſequitur: tentauit Pallauicinum Pontis tranſitu excludere, quod non difficile futurum putabat; ob ducentorum impedimenta vehum, quas rebus bellicis onuſtas cum murali tormento pone trahebat. Verum Pallauicinus nihil territus hoſtium acceſſu, ante plauſtra denſatis in aciem ordinibus progreſſus hoſti fronte obuerſa, tam diù illum ſtrenua velitatione detinuit; donec illa pōtem omnia tranſirent; ponè quæ aduerſis ſemper in hoſtem pectoribus continua pugna feriendo, laceſſendoque cohortes ſubſequutæ incolumes euaſere. Hoſtis eundem pontem prætergreſſus vrgebat euntes, donec Pallauicinus Gombinum agmine adducto, duobus paſſuum millibus procul à ponte, ſitum nactus altiorem è planitie modicè in arduum ſurgentem, ibi ſubſtitit: digeſtiſq; in pugnam cohortibus, ſubeuntes hoſtes paratus excipere, ſi illis animus foret expectātes inuadere: ſed illi veriti cum hoſte promptiſſimo, & cum loci iniquitate pugnare, retrò vndè eruperant, redierunt. Quare Pallauicinus nullo iam hoſte inſtante, prementeque per pacata omnia incedēs Alexandriā ſoſpes, cū incolumi agmine iniȷt. Mediolani Præſes illum gratulabūdus omnibus lętitię ſignificationibus amplexus apud cęteros Duces ſtrenuè perfecti rei, impletiq; mandati ſummis laudibus exornauit.

Ioannis Pallauicini virtus.

Lou-

Gallorum metus, & trepidatio.

Longauilla egreſſu præfecti territus, quòd in caſtris exiguum militum numerum, & paucas equitum turmas haberet, & aggerum munimenta nundum ad iuſtam altitudinem educta, neque perfecta, facile ſi hoſtis ingrueret, ſuperari poſſent: trepidis nuntijs vagum, populabundumq; equitatum acciuit: quem in viciniora Dertonæ loca partitus, ſe aduerſus Hiſpanos ſatis tuto firmauit; immo neque equitatus aduentu non admodum ſecurum ſe, & validum ratus Demarchum Villam è Serrauallis expugnatione in caſtra vocauit: qui cum putaret ſe ea arce intra biduum potiturũ; pluſque ad ſummam rerum referre eo aditu, anguſtijs tranſitus expugnatis, Hiſpanos ſubſidijs, quæ è mari ſubmitterentur, intercludere, ſuiſque copijs aperire; quàm Dertonæ expeditionem. Ita Longauillæ reſcripſit, *ſibi maioris momenti videri Serrauallem, quàm Dertonã occupare; quòd eo Regijs armis aditu clauſo, ademptis Mediolanenſi dominatui potioribus auxilijs, quæ à mari ex Hiſpania, Neapolitanoque Regno in Inſubres traducebantur; Dertona ampliùs reluctari non poſſet.* Verum Longauilla ſui conſilij tenax efficacioribus iuſſis Villæ præcepit, vt ac tutum omiſſa Serrauallis oppugnatione, feſtinaret in caſtra.

Villa Serrauallis oppugnatione diſcedit.

Ille inuitus admodum ſupremi Ducis mandatis obtemperans ea expeditione abijt, quà Hiſpanos, ſi illam perficere perexiſſet; in maximas curas, angoreſq; coniecturus erat: quòd eo aditu à Gallis inſeſſo, Inſubres in maximum diſcrimen adducti, omnibus ſubſidijs excluſi, hoſtium violentiæ ceſſuri erant. Quare Mediolani Præfectus eo generoſo, ac magnanimo in campos contra hoſtes egreſſu, iam ſua opinione deſperatam Serrauallenſem arcem obſidione ſoluit; & ab imminentibus cladibus Inſubres vindicauit. In liberam iam metu arcem validas peditum cohortes ingredi iuſſit, vt ſi eãdem expeditionem iteraret hoſtis, firmiùs præſidium illam tueretur. Præfectus deinde in Alexandriæ finibus ſubſtitit; vt commeatibus, & tormentario puluere, quæ à Taurinis hoſtilia ferebantur in caſtra, interceptis Gallos ita obſideret; vt earum rerum penuria, defectuque preſſi Dertonæ oppugnatione abſiſtere cogerentur. Quæ omnia vt faciliori ſucceſſu contingerent, Genuenſi Reipublicæ ſuaſit; expoſita prius iniquiſſimi belli iniuria, ne Gallicis ſubſidijs in caſtra aditum daret: Gallorum victoriam non tam Hiſpanis, quàm Liguribus pernicioſam, funeſtamque fore. Sed Reſpublica verita ne in ſe Galli Regis iram, militumq; inſolentiam laceſſeret, ſi Gallicis aditum ſubſidijs occluderet: crabrones non irritandos rata ſe in vtroſque bellantes integram, mendiamque præſtitit: immo nec prohibuit, quò minus Galli in Nouarum nundinis frumentum in copiarum alimentum mercarentur, in quas ſumma pretia maximam frumenti vim ex Inſubribus totis attraxerant. Quare Hiſpani ęgerrimè patiebantur Gallis a Republica ſuffici alimenta; nec ſibi eamdem cõmeatuũ copiam citra Padum tendentibus ex patrio ſolo ſuppetere: atq; acerrimè de Genuenſibus querebantur, quòd ab ijs Gallo magis, quàm Hiſpano ſtuderetur: & tamen ea culpa in ipſos Hiſpanos reijcienda erat;

Reſpublica Genuenſis à neutris ſtare decernit.

quod

quod aſſiduo equitum turmarum procurſu, obſidione viarum adituum cuſtodijs aſſequi non poterant, vt à ſuis vectigalibus ingenti pretio illectis frumentum hoſtibus non ferretur.

Galli Dertona arcem oppugnant.

Interim Galli ardentiùs Dertonenſis oppugnationi arcis inſtabant: poſitiſq; circum ſtationibus, occupatiſque eminẽtioribus locis, illam circum aggere altius excitato, ſepſerunt: cęptæ quatuor vineę foſſæ admoueri, atq; ad eius citerioris labri crepidinem munimenta produci. Turenij Legatus ſuã ſtationem cõtra quãdam arcis parmulam direxerat, occupataq; parabat è viciniori loco tormẽtis męnia diruere; ſed obſeſſi ſtrenua eruptione facta, illũ de parmula multis incuſſis hoſti vulneribus pepulerunt. Nec minus fortiter aliã Gallorũ legionem iam in foſſæ muri faſtigio vexilla figentem, minoriq; cęde decuſſerunt. Pluries propugnantes in hoſtes erumpentes ex arce variante fortuna pugnarunt: ſed plerunq; ſuperantibus Gallis.

Hiſpani cõtra Gallos vadunt.

Mediolani Præfectus cum nihil ad premendos fame hoſtes interceptis eorum cõmeatibus, vel obſeſſos leuandos, tã procul ab vrbe morando proficere videt; decernit aperta vi per ipſa hoſtiũ caſtra peruadere, atq; in ſuis hoſtem ſtationibus adoriri, arciq; iam periclitãti, quę diutiùs hoſtiũ impetũ ſuſtinere nõ poterat, ſubſidia ſuperatis hoſtiũ munimẽtis, ferri violẽtia pãdẽte viã, vel inuitis Gallis inferre. Ea remota igitur ſtatione relicta, propius Padũ vers⁹ Dertonã agmine, & pugnæ, & itineri expedito mouit, vt ſi fortè ſe hoſtis inuaderet, ſicuti Lõgauilla, cæteriq; Duces ſe facturos minabantur, paratas certamini copias haberet. Animũ quoq; Præfecto addiderat Villæ ad Tanarum repentina profectio; vt ibi ingentem tormentarij pulueris vim Caſali in caſtra miſſam exciperet, vel plauſtra cõpoſito agmine cuſtodiret. Præfectus de hac re monitus Valentiæ oppidanis imperauerat; vt intenta cura plauſtrorũ aduentũ ſpeculati, illa interuerterent: qui idcircò è proximis oppidis coacta peditum, & equitũ turba, venatũ illas pyrij pulueris ſarcinas profecti incidunt in ductores: nec mora illos animoſo impetu aggrediũtur, qui vt imbelles de calonũ ſęce, relictis plauſtris, proiectiſq; aliquot in Padũ culeis, ne ijs hoſtis potiretur, cætera onera ad Auguſtam Vagenorũ in Tanari ripa relinquunt; atque inde trepida ſe fuga proripiunt. Demarchus Villa ad Tanarum prouectus in vlteriori ripa conſpectis aggreſtib. prædæ reliquias diſſipãtibus, moſchettarios toto litore prætendit, quorũ metu, ne miſſilium iaculationibus confoderentur, prædã fugientes deſeruere. Villa conſpectũ in medio amne fluitans nauigiũ miſſis natatorib. ſuũ traxit ad litus, quo pyrij pulueris cadi in citeriorẽ traducti ripam, impoſitiq; iumentis in caſtra aducti i fuerũt, prius quã propius Dertonã Pręfectus accederet.

Baſſignana.

Hiſpani Hiriæ caſtrum nouum oppugnatum contendunt.

Hiſpani Hiriæ caſtrum nouum, cui Principem Thomam diximus inſediſſe; præfecti iuſſu oppugnatum eunt, ex quo hoſtium equitum turma, eius loci præſidiũ egreſſa, vt ſubeuntes hoſtes exploraret; cũ quibus tãtiſper velitata, cũ repulſa caſtrũ repeteret, oppidani illã clauſis portis excludũt; quę Curionis Pontẽ, vt ſe reliquis turmis adiũgeret perfugit. Præfectus vero Hiria amne traiecto, ex tota ea regione Gallos euerrẽs, in eorũ com-

pulit

pulit caſtra; inde in vacuum Gallis Curienis pontem ingreſſus ibi eius belli armamentarium conſtituit, vbi aliquot equitum turmas nuper ab Inſubribus authoratas, quas ordinis patritij plures adduxerant; ſicuti quaſdam etiam peditum cohortes ex dominatus delectibus extractas ad præſidium locauit. Miſſo quoque militum agmine, centum Gallorum præſidium ex vici Hiriæ arce nullo negotio deiecit. Præfectus iam camporum dominus in vni ſubueniendo Dertonenſi arci ſuas omnes intenderat curas; quā breui hoſtibus deditum iri famā vulgauerat; atq; in ſingulas horas eius deditionis nuntium expectabat; quò tamen eam rerum adductam ſcire non poterat Gallis diligentiſſimè omnes acceſſus, atq; aditus præcludentibus. Nihilominus omnia tentamenta experiri decreuit: vt eam arcem ab hoſte ſeruaret: omniaque parabat expeditioni obeundæ neceſſaria; quò arma ſaltem hoſti procul oſtentans illum terreret, ſuoſque ad durandum diutius, vicini ſpe ſubſidij animaret.

Hiſpani cāpis perſultant.

Nullibi ad arcem patebat acceſſus omnia circum hoſtili vallo ſepiente. Igitur per montium dorſa duntaxat ad inferendum ſubſidium facilior via ſupereſſe videbatur. Verum hanc quoque inaceſſam ſuæ faciebant difficultates: nam ſi hoc Hiſpanorum conſilium hoſtis aduerteret, eductis altiùs aggeribus, atq; eo traducto copiarum flore, propugnacula verſus mōtana muniret, ſuccedenteſq; nequicquam Hiſpanos ſupernè quaſi ex tuto dimicans cum ſtrage repelleret. Alia ex montium ſitu difficultas offerebatur. Ea arx in extremo collis decline conſurgit; qui ab altioribus montibus paulatim altum ſubmittentibus faſtigium molli cliuo ad tria paſſuum millia vſque ad vrbem ad eiuſdem collis radices iacentem excurrit. Quare neceſſe erat, Hiſpanos, ſi obſeſſis ſuppetias afferre vellent; per altiora mōtium faſtigia paulatim, & ſenſim ad arcem deſcendere, atque de eminentiori dorſo iaculando in hoſtium caſtra, dirutiſque munimentis in arcem peruadere. Neque ea tantùm difficultas ab eo auſu deterrebat Hiſpanos; ſiquidem quamuis ad collis extrema, caſtris hoſtium propinqua feliciter peruaſiſſent; antequam tamen iretur in hoſtem, erat in valliculam deſcendendum, quæ non procul Gallica munimenta vtrinque deprimitur, ac deinde in arduum contra eminentia hoſtium caſtra per vallis accliuia enitendum. Hæc interiecta vallis maximum incommodum ſubeuntibus afferebat. Nam ſi Galli aduerſum collis faſtigium imminens valli poſitis ſtationibus muniſſent; ſicuti verendum erat, ne ad arcendos eo acceſſu Hiſpanos munituri eſſent; res erat inſuperabilis plena diſcriminis per collis viam tentare ſubſidium. Sed cum eius arcis iactura extremum malorū præfecto videretur, nec alia ratione illi ſuccurri poſſit; vt audaciſſima quæque belli fœlices euentus habere ſolent; ingenti animo, arci ſubſidium à collium dorſo inferre decreuit. Rapto igitur ad montium faſtigia agmine, paulatimque per collium decliuia demiſſo, nemine prorſus obſiſtente, ad interiectam illam valliculam penetrauit: vbi Longauillam obiectis propugnaculis, & aggeribus, & bellatorum agminibus bene munitum, ſeptumq;

Subueniendi Dertonēſi arci difficultas.

Arci decernitur quacūque ratione ſubſidium inferre.

Digitized by Google

in eminenti, aduerſoq; collis faſtigio conſpexit. Collineatis inſuper per crebra interualla tormentis, omnes circum aditus vias, ſemitas, calles ſupernè deſtinatis ictibus abradebat. Præfectus obiectas inſuperabiles difficultates intentius cõtemplatus cum niſi per ſemitas, & calles paucis perujos multa cęni labe, cõtinuis imbribus diluta tellure, incedentium veſtigia fallentes iri poſſet ad hoſtem; non perditæ dementiæ modò, ſed cæci furoris eſſe, ſtipatos hoſtium ordines arduis aggeribus vallatos per præcipites collis deiectus repentè agmine adoriri. Vnum dumtaxat tentandum ſupererat, ne nullo auſu, ac fructu tam vltra prouectus eſſe videretur: quaſdam ſcilicet militum ſtationes extra munimenta in collis decliue poſitas adoriri, vt hoſtem eo aſſultu laceſſitum extra aggeres in vallem traheret ad certamen: nam tunc ex æquo commiſſa cum hoſte pugna, fortè ad inferendum arci ſubſidium aliquem aditum aperiret: ſed huic quoque tentamento hoſtium ſolertia, & cautio ſucceſſum eripuit. Nam quamuis Demarchus Villa è munimentis egreſſus cum ſuis velitibus, aliquot peditum agminibus firmatibus latera in certamẽ prodierit; Hiſpanoſq; de quadã ruſtica domo inter vtraque caſtra interiacente depuliſſet; attamen inuehens ſe ſe vlterius acrius agmen continuit: immo cantato receptu, omnes intra munimenta cohortes, & turmas buccinarum ſonitus euocauit. Quò Gallorum ducum prudenti, cautoque conſilio patuit, illum Gallicum pugnandi feruorem, non ita exardeſcere, vt præceps in certamen ruens ferociam magis oſtentet; quam æquiora loca ſtudeat retinere. Præfectus cum Gallos extra caſtra in pugnam trahere non poſſet, neque à tuendis munimentis abducere: treceutos pedites in arcem immittere noctu tentauit; ſed cum longiori circuitu per remotam partem illis eundum eſſet, ſuboriente luce detecti re infecta, in ſua caſtra redierunt.

Adoriendi Gallica caſtra difficultas.

Irritum Hiſpanorũ tentamẽtũ.

Totam eam noctem hoſtiles exercitus aduerſis inuicẽ ordinibus in ſuo veſtigio ſteterunt. Poſtera die largioribus ruentibus è cælo imbribus, cum Hiſpani ſub dio aeris iniurijs expoſiti omnibus incommodis quaterentur, & ægrè admodum annona per lubrica itinerum, cænoſaq; viarum ſubuehi poſſet: de receptu cogitandum fuit. Equitatus igitur copias præire iuſſus, ac Vincentio Gonzagæ mandatum, vt contra hoſtes eodem loco, in quo copiæ tetenderant, cum firmo equitum, peditumque agmine conſiſteret, donec milites procul ſe ab hoſtium aſpectibus ſubduxiſſent. Sed recedentibus plures, & graues difficultates euincendæ erant. Quia cum quidam riuus, cui Grũ nomen, alioquin exiguas aquas vehens, ſed tum imbribus auctus intumeſcens rapidiſſimo curſu formidabilis traijciendus eſſet; erat, quoque ad eum tranandum obiectus collis vltra riuum ſurgens aſcendendus, ſed aſſiduis pluuijs ita lutulentus, vt tranſiri non poſſet, ne dum per eũ tormenta trahi: per riui alueum decretum eſt, vt tam pedites, quam equites graderentur. Quare Caracenæ Demarchus aliquot equitum turmas ad inferiora riui cuſtodienda ea nocte miſit; quę eundem ſuo obtentu exercitũ tegerent: a quibus nunciatum eſt valida equitum agmina Dertona egreſſa

Hiſpani ſe recipiunt.

Receptus difficultates.

Vighiz-

Vighizzolum verſus rapido agmine feſtinare; quà Hiſpanicis copijs erat tranſeundum. Hoc accepto nuntio Caracena, nouis equitum turmis illas cuſtodias firmauit, iuſſitque intentiori cura hoſtium conſilia, motuſque rimari. Ab iiſdem iterum ſignificatum eſt; hoſtem propiùs accedere, & caſtra ab Hiſpanis relicta verſus ingenti equitum, & peditum numero tendere. Quibus nuntijs ſubſtitere Hiſpanicæ copiæ, vt de præſentibus rebus in commune conſulerent. Omnibus Ducibus placuit cœpto itineri inſiſtere, quod incerta referentur, poſſeque etiam ſi vera eſſent, quæ de hoſtium itinere dicebantur, Vighizzolum, antequam hoſtis accederet, perueniri: ſolus Caracenæ Demarchus omnium ſententiæ refragatus eſt; quod hoſtilis equitatus tam diu extremum Hiſpanorum agmen velitationibus tenuiſſet; donec reliquus exercitus per colles contento gradu feſtinans ſuperueniret, illudque peditum moſchettariorum, & haſtatorum ope, ac præſidio nudatum concideret, inſiſtenſque victoriæ pedites quoque nullo eos equitatu tegente, deleturus erat. Afferebat igitur ſatius eſſe coactis in vnum agmen copijs, in eo munitiſſimo loco conſiſtere inter duos colles ei, quem hoſtis inſederat, eminentiori fluente à fronte inter vtrumque exercitum riuo; fieri non poſſe vt hoſtis nullo conſilio per iniqua omnia, per collium ardua fluenti lubrica cæni labe ad Hiſpanos oppugnandos velit adrepere: optandumque eſſe maximè, vt nimia audacia ſtolidus hoſtis inſano conſilio, audeat inire cum ſuperiore hoſte certamen: quo verendum non erat, quin totius exercitus clade inconſultæ audaciæ pęnas daret; denſatam aciē è ſuperiori loco pugnaturam: porrò ſubiret, clariſſimam de proſtrato hoſte victoriam, cum allata Dertona ſe relaturum ſperabat: & quando conſultius illi periculoſa inuaſio, dimicatioque videretur, atque in ſuo veſtigio hærens otioſè ceſſaret; trahi poſſe ad collis ſuperiora tormenta, quibus hoſtis eminus quateretur. Verum omnes Duces Caracenæ damnata ſententia, obſtinatiùs inſtabant, vt per riui alueum, ex inito conſilio exercitus graderetur. Demarchus certus diſcriminis, in quod eo per riuum proceſſu ſe ſe copiæ ſponte præcipites dabant: conſtantior præfractèq; negauit, ſe iter cæptum proſequi velle, atq; extemplò equitum turmis edixit, vt per viam quam ipſe monſtraret, proficiſcerentur, & ita ſuo propoſito tenaciter hæſit, vt reliqui etiam mutato conſilio, ipſius ſententiam probarint. Nec diu eius ſalubris decreti vtilitas latuit: denſiſſima nebula oborta luce omnibus circum collibus offuſa rerum prorſus proſpectum ademerat: qua altioris ſolis calore in liquidum aerē diluta, plures equitum turmæ, & peditum cohortes ſe toto aduerſi collis dorſo prætenderant; quo hoſtis acceſſu cæterorum ducum error, diſcrimenque patuit, in quod ſe acturus erat exercitus, niſi Caracenæ ſalutare conſilium ſequuti illo ſe diſcrimine expediſſent. Quamobrem copiæ tanto defunctæ periculo Caracenam ſummis laudibus, ac plauſibus proſequutæ veluti ſuo vindici, præclaroque ſeruatori fauſta, felicitiaque omnia elatis vocibus acclamarunt. Paulò poſt reliquum hoſtium agmen Vighizzolo relicto ſe cæteris copijs in colle ſtantibus ſociauit.

Caracenæ ſalubre cōſilium.

Caracenæ conſtantia. & prudentia.

Caracena exercitus ſeruatori acclamatur.

ciauit. Ex quo etiam manifeſtiùs apparuit; quam ſalubre extitiſſet omnibus Caracenæ conſilium, eumq; ſoſpitaſſet exercitum, ex cuius incolumitate totius Inſubrici dominatus ſalus, ac conſeruatio pendebat, quo deleto, incumbente vndiq; Gallo, atq; Allobroge vltimo diſcrimine laboraſſet. Diù ſtetere aduerſis frontibus immotæ acies neutris hoſtem laceſſentes: duabus ante ſolis occaſum horis Gallica Hiſpanam aggredi loci iniquitate inferior non auſa; paulatim diſcedere cœpit, retroq; in ſua caſtra redire. Profectis inde Gallis, Hiſpani iam hoſtis ſecuri, eo elapſi periculo Curionis Pōtem inſtructis ordinibus receſſere, ſed admodum feſſi, & languidi ob maxima incommoda, quibus tota ea expeditione conflictati fuerunt. Tormenta trahentibus Germanis ex principis Borſi legione propoſito pręmio in ſummum collis dorſum attracta in tutum deducta fuerunt. Receptus ſanè vt difficilis, & periculoſus, ita maximis laudibus commendandus; quòd nullo milite amiſſo, obſidentibus omnia Gallis, exercitus omnibus incommodis enectus, afflictus eo ſe ingenti periculo explicuerit. Auxiliarij exercitus receſſu rati Gallorum Duces arcis præſidium ſubſidij ſpe prorſus amiſſa, arcem protinus dediturum, illud de deditione interpellarunt: quibus ſtrenuè à præſidiarijs reſponſum eſt, non eo ſe rerum compulſos eſſe, vt arcem tradere cogerentur. Interim ingens commeatuum vis è Taurinis validis deducentibus militum cuſtodijs, Gallicis caſtris inuecta.

Acies hoſtiles in mutuo aſpectu.

Galli recedunt, et Hiſpani.

Dertonæ arcis præſidij conſtantia.

Dux Mater opportuna occaſione vtens dum alibi vrgentur Hiſpani, & modicis, imbecilliſq; præſidijs, ſubducta ad bellum potiori militum parte, in Taurinis eorum oppida tenerentur, ea ex inimicæ gentis manibus aſſerere ſtatuit. Coacto igitur non temnendo bellatorum agmine, additis cohortibus, quas in Taurinos Serrauaile recedens Villa ſubmiſerat: habitoque etiam hac ſuper re Taurinenſium procerum, Gallorumq; conſilio, & probato Matris Ducis decreto: copias illicò in campos educendas cenſuerunt, ex quo duo certiſſima commoda oriebantur; aut enim occupata loca deiectis inde Hiſpanicis præſidijs recipiebantur; aut in eas partes Dertona procul Hiſpanos in ſuorum ſubſidium Taurinorum armorum ſtrepitus auertebat: cuius oppugnatio in dies magis ardua, & Autumno in hyemem vergente, & ſubſidiorum, quæ identidem mittenda erant in caſtra, difficultate, futura videbatur. Sed cum votorum præcipuum Matris Ducis eſſet ab Hiſpanorum manibus Taurinorum oppida vindicare; de Planetię Demarchi ſentētia omnibus placuit dilata in aliud opportunius tēpus aliarū arciū expugnatione, Verucā primo belli impetu adoriri, quę cū Gallicis ſubſidiis ad Caſale aditū aperiat: & clauſo Pado, nauigationē impediat, & pro arbitrio pādat: maximi ad cætera aſſequēda momēti futura erat. Præmiſſæ igitur ante copiarū molis aduētum aliquot equitum turmæ, vt omnes circū oppidū occupatos aditus inſiderent, vt ſubſidia, quæ Aſturæ ponte, aut Tridino finitimis oppidis ab Hiſpanis mitti, induciq; poſſent, excluderent. Fœlix eius expeditionis euentus a celeritate pendebat. Planetiæ itaque Demarchus prono Pado ad Verucam deuectis cæteris copijs, & ſcalarum apparatu, alijſq;

Dux Mater Hiſpanos à Taurinis exigere ſtatuit.

Taurini Verucâ ab Hiſpanis vindicare decernunt.

aliiſq; rebus ad oppugnanda oppida neceſſariis; ipſe quoque valida ſeptus militum turma, eodem prouectus eadem nocte admotis mœnibus ſcalis, in oppidum tentauit irrumpere: quo aggredientium auſu, ac conatu factũ eſt, vt territi præſidiarij in arcem perfugerent. In oppidum oppugnantium ingreſſus faciliorem arcis reddidit deditionem: nam quamuis Demarchus nulla tormenta, quibus muros quateret, adduxiſſet, nihilominus ædium obtentu foſſorum acceſſus tegente, poterat cuniculis mœnium impunè fundamenta ſuffodere. Sed antequam vineas, & pluteos admoueret, præſidiariorum animos tentandum ratus, tubæ clangore eos ad deditionem faciendam inuitauit. Diu inter vtroſque diſceptatum eſt, præſidiarijs æquiores pro oppugnationis difficultate contendentibus conditiones: tota nocte altercando tranſacta, exoriente tandem aurora, æquiſſimis pro Hiſpanis cõditionibus de deditione conuenit. Traditã igitur ab Hiſpano præfecto arcẽ Demarchus Matris Ducis, ipſiuſq; infantis Ducis nomine accepit.

Veruca deditur Taurinis.

Recepta ita facili Marte Veruca munitiſſima arce, quam Hiſpani ex recenti militari diſciplina additis nouis propugnaculis ſepſerant; nec illam Galli Duces Bullioneus Dux, & Longauilla Inſubres inuaſuri tentare auſi ſunt. Planetiæ Demarchus bellica gloria conſpicuus maiora animo coquẽs Vercellas ſibi repentino impetu expugnandas propoſuit: quando ſubtracta maiori præſidij parte ad Dertonam tuendam, tegendoſq; ea parte ab exercitu Gallo Inſubres, alibi Hiſpanicæ copiæ bellarent; & paucis peditũ cohortibus vix ipſa ciuitas, caſtellumq; muniretur, ne dum exteriora munimenta cuſtodirentur. Demarchus duo ingentia propugnacula, quæ nuperi machinarum molitores Tanaleas, ex eius inſtrumenti figura, quàm referũt, vocant: attentè notauerat; propter eorum enormem magnitudinem nulla militum ſtatione cuſtodita; alterum Diui Andreæ, arcis alterum: quæ facile occupari poſſe videbantur, ſi in illa noctu fieret impetus: atq; inde miſſilium ſecuri propugnaculorum obtentu contra vrbem ex tuto pugnarent; quo euentu factum iri videbatur, vt præſidium militum paucitate debiliùs dubiam ciuium metuens fidem, ad tutiorem ſui ſecuritatem, ſe in arcem reciperet; atq; vrbs iã ſui iuris, præſidijque metu libera ſuis aſſertoribus panderet portas: ex quo Mediolani Pręfectus cogebatur, ſi potior illi Vercellarũ ſalus foret; Dertona Gallorũ arbitrio deſerta, ad tuendas Vercellas accurrere: vel Vercellas amittere; ſi Dertonam ſeruare, tueriq; ſatiùs putaret. Ad hanc expeditionem tutò conficiendam maiori militum numero opus erat; ita huic rei prouiſũ eſt, vt Caſalenſis arcis Præfecto Gouognes cũ maiori parte præſidij egreſſo omnes ſe iũgerẽt Galli: qui clãdeſtino ſuggreſſu extra arcẽ poſitũ propugnaculũ occuparent; Demarchus verò Planetiæ alterũ Diui Andreæ adoriretur. Dum deſtinata moliuntur, dũ ſe itineri expediunt; Gallus Legatus accepto nuntio Verucæ Taurinenſe præſidiũ, nõ Gallicũ impoſitũ eſſe, ira excandeſcens acerbiſſimè de Planetiæ Demarcho cõqueſtus eſt, quòd oppidũ Gallicis magis, quã Taurinis armis ſubactũ nõ Regi Gallo, ſed Allobrogũ Ducibus traditũ foret; nec inductũ Gallorũ præſidium,

Planetiæ Demarchi laus bellica

Vercellas intercipere molitur.

Intercipiendi Vercellas inita ratio.

Inter Gallos, & Taurinos diſſidia.

dium, qui maiorem, validioremq; in eo expugnando operam præſtitiſſent. Cui benè Demarchus ſibi Ducum, non Regis militi Hiſpanum præfectum oppidum dediſſe, atq; illud etiam ſibi Ducibus velut eorum miniſtro tradendum fuiſſe. Poſt mutuas querelas Legatus in acceptæ contumeliæ vltionē iuſſit Pinaroli Præfectū Gallos milites ex Taurinorum ſocietate ſubducere; Demarchus Gallorum cupidis, atq; dubijs ingenijs ſuccēſens, etiā Taurinis vna cū Gallis remiſſis, Taurinū ira fremens ad Matrem Ducem ſe contulit.

Longauilla Legatum acribus verbis accepit, quòd non ex ſuis mandatis, ac monitis egiſſet, initi fœderis capita omnem contentionem abſcindere. Demarchus ſui conſilij Caſalis, & Pinaroli præfectos, antequam diſcederēt, admonuerat; qui cum ex deſtinatis cū toto agmine propè Vercellas, quinque paſſuum millia nullo edito armorum ſtrepitu acceſſiſſent; protinus, quonam conſilio, in medio eſt, deflexo itinere in Diui Iacobi caſtrum repētino impetu incubuere; ea ſpe, nocte admotis mœnibus ſcalis, ſe oppidū intercepturos: ſed Gallorum mentis paulò ante Monſuriū eius loci præfectus admonitus in hoſtium conatus excubuit; Galloſq; per ſcalas in mœnium loricam enitentes non repulit modò, ſed etiam ter iterato, in muros impetu adortos ita cæcidit; vt plurium cæde, ac vulneribus illis inſidioſa ſteterit pugna. Inde Dertonam verſus proficiſci decernunt, vt Longauillæ iam fœlicem expugnationis euentum deſperanti allato opus ſubſidio maturet. Sed dum aquis Statellonum, quo iam peruenerant, ſubſiſtunt; miſſoq; nuntio à Longauilla militum auxilia precantur, quo validiores prodeunti ſibi obuiam Vincentio Gonzagæ, iterq; intercepturo reſiſtant: illis à Longauilla, & Principe Thoma eius indignatis agminis non vocati acceſſu, imperatum eſt, vt ibi expediti in omnes Taurinorum euentus ſiſterent gradum: dum Dertonenſis arcis abſolueretur expugnatio.

Galli in Diui Iacobi caſtrum arma conuertunt.

Mediolani Præfectus Vercellas verſus mouentibus Gallis, ei metuens vrbi aliquot peditum cohortes è Curionis Ponte eò ſubſidio aduolare iuſſit; miſſo quoque Vincentio Gonzaga cū firmo equitum agmine, vt circa Alexandriam vago procurſu omnes aditus obſideret: cōmeatuumq; ſubſidia, & militum ſupplementa, quæ è Taurinis identidem mittebantur in caſtra, interciperet, vel auerteret: ac proinde obſidente, obſideret, oppugnanteſq; oppugnaret. Ille acer imminens hoſti monitus Chiliarchum Manzinum cū aliquot equitum legionibus Iria amne tranſmiſſo, populabundum excurrere; prodit illum cum firmo equitum agmine venatum; inuentumq; à Didaco Villaroio turmæ præfecto, primique agminis Duce iuſſit inuadi; qui in hoſtes acriter inuectus tam diù leui pugna implicuit; donec Gonzaga cum reliquis turmis aduenïens hoſti circunfunderet agmen; atque medium deprehenſum cæſis, captiſque pluribus, ipſoque Præfecto Manzino penitus diſſiparet: paucis ex Hiſpanis occiſis, vnius Caroli Caracioli nece funeſtante victoriam, qui dum ſuo more vehementior in hoſtes incurrit, minoris tormenti ſulphurea glande caput ictus interijt.

Mediolani Præfectus Vercellas ſubſidium mittit.

Galli cæduntur.

Caroli Caracioli cædes.

Arx interea Dertonenſis non ſolum arctiſſima obſidione vrgebatur; ve-

Digitized by Google

rum etiam ingenti ardore cuniculis, vineis, tormentorum miſſilibus quatiebatur. Et iam Galli in foſſam, atq; adeò ſub ipſa mœnia productis vineis penetrauerant, effodiendiſq; cuniculis intentiſſima cura inſudabant; veriti ne ad exiguum numerum redacto exercitu, & à Taurinis eſſent omnia deſperanda ſubſidia; Gonzaga vias, aditus ſuis equitum turmis claudente; nec vaſtata circum regio pabulum, commeatuſq; nullatenus ſufficere poſſet, ab ea oppugnatione abire cogerentur; augẽte etiam curas, & incommoda vicina hyeme, cuius iniurijs leuioribus milites induti amiculis obnoxij frigore, ſi diutiùs ibi ſubſiſterent, perituri erant. Auxit anguſtias Serraualenſis arcis præſidij in vicinum molendinum repentinus incurſus; quo diſiecto, diffractiſq; molis, nulla ſpes ampliùs frumenti molendi ſupererat. Hoſtem quidem moſchettarij Galli eius cuſtodes incuſſa miſſilium grandine ſubeuntes inceſſerant: ſed poſt acerrimam pugnam cæſis ad vnum omnibus Gallis, Hiſpani molendinum diruerunt.

Hiſpani Gallos infeſtant.

Mediolani Præfectus cum debilis viribus per Gallorum munimenta in arcem perrumpere, aut ab ea oppugnatione decutere non poſſet; eos omnibus conatibus intercipiendis cõmeatibus, aditus claudendo ſubſidijs, aquis aliò à molendinis deriuandis, ſubſidia identidem quamuis tenuia in arcem ſubmittẽdo, vt quã diutiſſimè poſſet, traheret deditionẽ, pergebat vrgere: eo conſilio, vt quod Martis vis aſſequi non poſſet, iã appetentis hyemis rigidæ, atq; aſperæ algoribus, cuius inclementia femineces milites ad bellica munia, atq; opera obeunda fiunt ineptiores; obſtinatiùs Gallos obſidioni hærentes frigidiſſimi aeris incommodis victos abigeret: medius enim iam menſis Nouember effluxerat. Perfectis cuniculis ante quàm Galli inijcerent ignes, obſeſſis edicunt, vt dederent arcem, quibus poſtea ſubrutis mœnibus, non futuram ampliùs conueniendi facultatem: ab ijs reſponſum per iocum eſt, ſe ab Hiſpania regia mandata expectare. Galli ſibi à victis illudi indignati cuniculis admouent ignes, quorum immani violentia excuſſa in aerem ingens pars muri ad inuadendum aditum patefecerat: præcipuè quà caſtellum imminet vrbi, ſubruta mœnia ingenti ruina prociderant: Galli per ruinas in arcem peruadere acerrimo facto impetu enituntur. Obſeſſi prætento agmine irruentes haſtis, venabulis, pilis, omnique miſſilium genere præcipites reſupinant; ſed Galli repetito acriùs impetu in ipſis, quas dederant cuniculi, ruinis fixis vexillis, immoto gradu ſtationem ponunt. Verum Preſtini Architecti ſagacitas irritos Gallorum conatus fecit, ducta noctu intus ingenti foſſa, abſciſſoque ab arce propugnaculo ab hoſtibus occupato. Nec mora ſubitarijs munimentis obiectis, intentis, tranſuerſiſque trabibus interiùs foſſæ labrum prætexunt; atque ex æquo cum aduerſo hoſte decertant; eò fœliciùs, quò minori cuniculorum ruina exteriora arcis mœnia corruerant: quare cum nouis cuniculis ſuffodienda eſſent; maius ſe contra obiectos hoſtes firmandi obſeſſi temporis interuallum habuere. Eodem tempore, quo hæc magno animorũ ardore vtrinq; geruntur: trecẽti ex co-

Præſidiarij Gallorũ minas irridet.

Præſidiarij magis ſe muniunt.

ex copiarum promptiſſimis electi in arcem pedites irruperunt, præfecto Didaco Aluarado Hiſpano Neapolitanæ legionis maiori ſtatore. Qui Ponte Curionis noctis cadentibus tenebris digreſſus ſexcentis equitibus præeuntibus, & totidem procedentis tuentibus terga, regia via ad vrbem ducente portæ ſuggreſſus vigiles primum, deinde reliquam ſemiſomnẽ militũ cuſtodiã obtruncat: dũ cæteri vulnerũ incuſſu, pugnæq; ſtrepitu excitati raptis armis impigrè dimicant. Aluaradus cum ſuis læua ſemita, quã itur in arcem, rapido agmine tendens. Gallicis munimentis ſuccedit, fuſiſq; vigilibus, & militum ſtationibus eo repentino impetu attonitis, vel proſtratis, vel actis in fugam, nemine ſuorum amiſſo, arcem iniit. Obſeſſi tanto virium incremento aucti animis, maioriq; vigore recepto, quòd ſecum ſimul etiam non exiguam copiam tormentarij pulueris ſingulos ſacculos illius plenos è collo in humeros pendulos detuliſſent: oppugnantes ferociſſima eruptione adorti facilè de illis, quas inſederant, muri ruinis cruento edito certamine depulerunt.

Galli cuſtodes ab Hiſpanis cæduntur.

Subſidium in arcem ingreditur.

Galli cum ita validum in arcem ſubſidium vel ſe inuitis, perrupiſſe vidiſſent, neq; cuniculos, vt ſperauerant, ad eam expugnandam ſatis proficere, vna cum ſpe, etiam remiſerant animos, nec erat vlla iam eius potiendæ fiducia. Itaq; magis vt ſuas iras effunderent, animorumq; angorem exhalandũ, quã quod aliquẽ fructũ ex tormẽtorũ verberatione ſe collecturos ſperarent; tam horribili miſſilium procella arcis molem concutere cœperunt; vt tota eo terribili impulſu dehiſcens, ac corruens, quod erat reliqui cõmeatus obruerit, diffractiq; muri fragmentis, cęmentiq; puluere immiſtum nullius vſus effecerit. Qui ſupra obſidentium vota ſucceſſus, quã alia bellica tentamenta, conatus, impetus, vulnera, cædes obtinere non potuerunt; vna efflata in caſſum rabies, atq; inſana ferociæ oſtentatio victoriam iam deſperatam, conclamatamq; tradidit: effuſa quoq; molis ruina telluris ſpatio, ex quo ad conſtruendos aggeres, excitandaq; munimenta materiam egerere milites conſueuerant, alio inopinato incommodo obſeſſos afflixit: Qui cum neq; ademptis, vel corruptis commeatibus viuere, neq; ad arcendos hoſtium impetus poſſent aggeres obmoliri: ad vltima compulſi ad arcem dedendã tot malis oppreſſi feroces animos proclinarũt. Inter vtroſq; igitur de deditione conuentum. Eæ pactæ conditiones, quæ fortibus viris, ac ſtrenuis ferri ſolent, æquiſſimę honeſtiſſimę adeò, vt etiam quinq; tormenta ſecum ex arce educere illis permiſſum ſit. Inſolitum ſanè, atq; inauditũ, nunquam enim aliqua ex arce maiori etiam tormentorum numero inſtructa; tot tormenta victis extrahere indultum eſt. Additum quoq; niſi intra quinq; dies ſubſidiũ aliquod ab Hiſpanis Ducibus mitteretur, præſidiarij traderẽt arcẽ, quo nuſquã apparente, plus mille milites armati cũ ſarcinis explicatis procedentium more vexillis, funiculis accenſis, ſtrepentibus tympanis ex arce exceſſere quinque tormenta ponè trahentes, eorum inſigniã bellicæ virtutis trophæa. Vſq; ad Alexandrię fines inter incolarũ applauſus, acroamata, amplexus, oſcula à Gallorum valida cuſtodia deducti fuerunt.

Turris caſus cõmeatus corrumpit.

Inopinato euentu Galli victores.

Dertonæ arx deditur Gallis.

Digitized by Google

Galeottus ob ſingularis eius virtutis experimenta caſtrorum præfecti titulo, ac munere donatus eſt; quamuis eo diu honore frui non licuit; cum enim cuidam militari more, maiorum diſploſione ſcloporum venerantium hilari ſalutationi intereſſet;glande in incertum excuſſa,miſerabili caſu confoſſus expirauit.

Galeotti præfecti cædes.

Egreſſis Hiſpanis, Galli in deditam arcem ingreſſi ſeptimo Kal. Decembris tam lacerata cuniculis, tormentiſque mœnia, dirutaque omnia propugnacula repererunt; vt cum tantæ ruinæ excitatis latericijs munimentis ſubito ſarciri non poſſent: arcem trabibus, aſſeribus,faſcibus, aggeribus,excauatis foſſis,alijſque aſtructis operibus, munierunt; quibus aliquamdiù poterat propugnari. Victor exercitus inuectis in arcem affatim commeatibus,in Taurinos in hyberna conceſſit, ſed adeò conſumptus, & lacerus, vt nullam ferè priſtinæ alacritatis, & animi magnitudinis ſpeciem referret. Multos etiam eundo continui effuſi è cælo imbres,itinerum labores,incōmoda ſuſtulere. Soluit verò penitus copias plurimis obrutis Orbę exigui fluminis aquis accepta clades: cum enim euntes per Montisferrati confinia milites quidam terror panicus inuaſiſſet;ex diſſipato per militum vulgus rumore Mediolani præfectum cum omnibus copijs à tergo inſtare, iam iamque adeſſe illas miſeras reliquias delecturum; adeò trepidi in effuſam coniecere ſe fugam,vt in eum amnem aſſiduis pluuijs tumidum, ac rapidiſſima aquarum mole currentem abrepti, dum primi ad litus prouecti territi horrido turbidi amnis aſpectu retro referre pedem prementibus, atque vrgentibus alijs,quos eòdem par metus rapuerat;in flumen præcipites dati,vndis hauſti perierunt: plurimique alij antequàm diſcrimen,& ſociorum caſum aduerterent: dum ſe ſe inuicem impellunt, mutuo implicíti caſu ſuperuenientium curſu à tergo inſtante,atq; alij in aquas lapſi,obruti, extinctiq; ſunt. Quibus vnda pepercit:rapaces agreſtium manus non euaſere:hàc enim,illàcque palantium turba ab humanioribus *ſuis rebus nudata*, à ſæuioribus cæſa, paucis cladem elapſi per Taurinorum pagos diuiſi fuere,vt ſe à tot malis, atque incommodis ſtatiuorum quiete, & copia reficerent.

Gallorum plurimi aquis obruti.

Quare vnius vrbis deſertę, lacerę nullis ſeptę munimentis, & ſemidirutę arcis expugnatio tam victoribus, quàm victis fuit ęqua mutuis excidijs, damnis,cladibus perniciosa; niſi quod in ea recuperanda Hiſpanis omnibus viribus incumbendum, adnitendumq; fuit: ac proinde recipiendarum arcium, quas illi in Taurinis occupauerant, opportunitatem Gallis fecere: dum ad Dertonam herentes obſeſſis ſocijs opem ferre non poſſunt, quibus eo negotio liberis,diuturni laboris,arduique operis,& ſummæ difficultatis, fuiſſet eas arces ab Hiſpanorum tenaci potentia extundere: & hunc tantum potiſſimum fructum Galli; Tauriniq; ſimul ex Dertonenſi expeditione retulerunt.

Gallis magno victoria ſtat.

Mediolani præfectus quàmuis ſummopere nixus nullum laborem,diligentiam,conatuſque prętermiſiſſet; vt eam vrbem contra Gallorum conatus

tus retineret; nec ſibi vlli culpę dari poſſet, quin inſtando, vrgendo, carpendo Gallos, itinera obſidendo, prohibendoq; hoſtibus ſubſidia omnes ſuos niſus, atq; impetus effudiſſet, vt illos ab ea obſidione decuteret: tamen tantæ iacturæ maximè indolentem moleſtiſſima intus cura coquebat; quòd ſe Inſubrum produce, quod numquam alijs contigerat, ex quo illi in Hiſpanorũ ditionẽ veniſſent vrbs: fuerit Inſubrici dominatus amiſſa; itaq; ira fremens quaſi multum ſuo decori, honoriq; deceſciſſet; ſarciendę iacturæ maximè cupidus illum diem ſibi videre videbatur, quo tã ſedæ notæ ſibi inuſtę turpitudinem, ea vrbe iterum recepta, deleret. Tardè illi hyemis, brumęq: dies labebantur: pigra ſydera, lentoſq; cælorum circunactus querebatur. Vix itaque primis veris teporibus incaluerat aer; ſatius dicam, paululum hyemis ſeneſcentis poſuerat rigor, Februario menſe ineunte, quinque peditum millium, & mille equitum quingentorum exercitum ex hybernis in campos eduxit; præmiſſoque Caracena ad occupanda circa vrbem loca vrbi totis uiribus imminet. Ille ad flumen Iriam ante Auroram promoto agmine, duas moſchettariorum peditum cohortes amnem traijcere iuſſit, & Patrum Capuccinorum cœnobium repentino impetu occupare: donec effuſa denſa nebula oculorum proſpectum hoſtibus interciperet. Galli cum euanuit in liquidum cælum nebula, Hiſpanos cœnobio inſidere vidiſſent, illos ingentibus animis aggrediuntur inde pulſuri: ſed ex æquiori loco dimicans Hiſpanus hoſtẽ ſuſtinuit ſtrenuè; ſuperuenienſq; certamini commodum cum ducentis equitibus, atque alijs moſchettariorum cohortibus Caracena ſuſum in vrbem compulit. Interim reliquum agmen Duce Vaſquez Coronato, & Vincentio Gonzaga præfecto Neapolitanus equitatus, & cum ſuis prætorianis Mediolani Produx in aduerſa vrbis loca prouecti propè portam Mediolanum ſpectantem in quaſdam ędes copias inducunt. Ibi diu inter Duces non ſolum de oppugnandæ vrbis ratione, ſed etiam an eſſet cęptis inſiſtendum diſceptatum eſt: alijs alias difficultates obijcientibus. Sed omnes altercationes, & moras Producis recipiendæ vrbis cupiditas, & ardor abrupit; eò abſciſſiùs, quò vlteriùs promoto exercitu eius expeditionis interuertendæ amplius copia non erat. Omnes etiam metus, & dubia animi magnitudo Caracenæ diſcuſſit biduo vrbis expugnationem pollicentis. Singulis igitur Ducibus opportuna ad quatiendam tormentis vrbem loca deſtinata: Caracena ex occupato iam Patrum Capuccinorum cœnobio, Vaſquez ad Mediolanenſem portam, ex aduerſa parte additis duabus Hiſpanorum peditum legionibus pugnare iuſſi. Nec mora in muros excuſſa tormentis fulmina tonant; quibus ingenti eorum ſpatio deiecto, vt nullo aggeris oppoſitu fulciente maximè debilium, vrbs deditionem paciſcitur. Præſidium Froienuilla dynaſta præfecto in armis egregio bellatore, vrbe deſerta, retento duntaxat Diui Dominici cœnobio quod, eminens in collis faſtigio poſitum vrbem de ſublime deſpectat: ad tuendam arcem ſuas omnes congerit vires. Illud cœnobium ex quatuor diuerſis locis librata tormenta, adeo continenti verberatione concutiunt, vt

Producis deſiderium Dertonæ recuperandæ.

Galli Hiſpanos oppugnant.

Caracenæ animoſitas.

Dertona deditur Hiſpanis.

ruentibus tectis, & muris cum ſe tueri diutiùs Galli non poſſent, ingentibus animis, ac uiribus in oppugnantes erumpunt, quo ſe ea moleſtia, atque incommodo liberarent: tantumq; non reiectis Hiſpanis, Diuæ Euphemiæ ſtatione potiuntur, vnde certiori ictu miſſilibus ingeſtis inceſſebantur. Non ſolum eruptionum frequentia, ſed etiam vaſtata circum ſuperiori oppugnatione per duodecim paſſuũ millia regio, ex qua nec equis pabulũ, nec copijs commeatus extrahi poterant, maximum negotium obſidentibus faceſſebat: ruentes inſuper continenti procella è cælo imbres, omniaq; rigentia gelu, atq; aſperitas hyemis, inclementiaque cęli, qua torpidi milites ad bellica munera obeũda inepti ſtupebant; nec copiarum neceſſitati conſulere, nec opportuna conficiendo bello expedire, ſinebant: vt obſeſſis magis ſimiles, quàm hoſtes obſidentibus viderentur. Quamuis Præfectus futuris difficultatibus ſagaci conſilio proſpiciens commeatus, veſtimenta ad arcenda frigora, ingentem farinæ, fœni, palearumque vim ad alendos equos in vicina loca congeſſerat, quæ omnia in caſtra facili ductu mulionibus inferebantur: præter id quod rerum defectum militum conſtantia, & mali inuicta patientia ſupplebat; quòd nec longum, nec diuturnum fore putabatur. Alimenta præterea copijs Nouarum nundinæ Genuenſiumque liberalitas, munificentiaque ſufficiebat; à quibus commeatuum ſubſidia Hiſpanica identidem ſubmittebantur in caſtra; quod Hiſpanorum conceptas animis in Genuenſes iras maximè lenijt; cum paria ſibi, ac Gallis annonæ auxilia ſuperioribus menſibus attuliſſent.

Obſidentiũ difficultates.

Interea aperiente ſe vere, exercitus incommodis cum ipſis brumalis tempeſtatis rigoribus opportunè ceſſantibus, ſecuriori recuperandæ vrbis ſpe ceptis Hiſpani acriùs inſtant: quòd neq; à Taurinis, neq; à Gallia niuibus alpium aditus claudentibus, vlla miſſum iri militum ſubſidia cenſerent, quibus illa expugnatio poſſet euerti; & Laletaniæ, Belgij, Germaniæq; bella maioris longè momenti ad ſe Gallicam iuuentutem trahentia nulla militum ſupplementa in Italiam Regem mittere paterentur. Verum cum arcem aggredi, apertaq; vi illam impetere eſſet manifeſtæ neci, cum exercitus detrimento milites obiectare Præfectus poſt primos impetus, à miſſilium iaculatione, decreuit obſeſſos fame ad deditionem compellere, eos parum a commeatibus, & è tormentarijs tartis inſtructos ratus.

Hiſpani arcem acrius vrgent.

Magis igitur erectis circum munimentis, ductiſq; aggeribus, arcem alimentorum inopia vrgere, quam ferro, tormentorumq; verberatione peruincere. Nec diſſimili conſilio Galli commeatuum caritate prementes, rem gerere decreuerunt: ſeruareq; pyrium in opportuniorem occaſionem puluerem, & cętera tormentorum tarta; vt aduenientе ſociorũ ſubſidio, quod Longauilla diſcedens, & Princeps Thomas, ſe maximè validum allaturos promiſerant; dum à tergo Hiſpani miſſilibus quaterentur, ipſi eruptione facta eos a fronte pulſarent. Intermittente igitur tormentorum iactus Prefecto, ipſi quoq; eruptionibus, & miſſilium iaculationibus abſtinuerunt, & quaſi

Hiſpanorũ bellandi cõſilium.

Digitized by Google

quaſi vtrinque tacitæ pactæ eſſent induciæ, mutuis offenſis temperatum eſt. Quare obſeſſi in eam tantum curam intenti, ne arx inſidijs, repentinoq; impetu caperetur; quid quid ab egendis excubijs, cæteriſq; militaribus curis ſucciſiuum erat; totum folle ludendo, aut pila fallebant: ridebantque vanos Hiſpanorum labores, inanemq; patientiam; qui vrente omnia hyemis rigore, ſub pellibus fruſtra durarent, atq; in deprimendis foſſis, educendiſque altiùs ijs munimentis inſudarent; quæ aggredientium ſubſidiorum impetum moratura non erant.

Vix in Taurinis, & Gallia ſubijſſe Dertonam Hiſpanicas copias innotuit; vt obligatam obſeſſis liberarent fidem, promiſſaq; in diſceſſu ſubſidia ferrent; vtrobique milites authorare, vocare ad ſigna veteranorum cohortes, equites ſcribere, firma bellatorum agmina pecunia conducere, vt periclitanti arci præſentes ſuppetias afferrent, partâq; armis, armorũ quoque virtute retinerent: qua ſeruata ingentia ſibi eius belli præmia inanibus votis pollicebantur. E Gallia terra, marique militum, & pecuniarum protinus ad eam arcem tuendam miſſa ſubſidia; quæ ſociata Taurinis non pœnitendo exercitu Hiſpanis obiecto, dubiam, difficilemque eius arcis oppugnationem factura erant. Præfectus ratus in ſubmouendis ſubſidijs ſummam ſtare victoriæ, totam vrbem vallo, munimentoque ſepire decreuit. Quatuor paſſuum millia aggeris circuitus amplectebatur; alta circum depreſſa foſſa, prominentiaque per interualla propugnacula; armataque porrectis interiùs, exteriùſque ſudibus totum opus muniebant, quod tam vrbi, quàm arci circundatum aſcenſu arduum quoſcumque hoſtium aſſultus, atque impetus ipſa loci iniquitate fruſtrabant. Nec tantum ijs munimentis fretus Præfectus, quo hoſtium ſubſidia ab vrbe, atque arce quàm longiſſimè ſubmoueret, quingentos equites ad Montisferrati fines properare iuſſit, vt non ſolum ſubſidia à Taurinis venientia amnium tranſitu prohiberent; ſed etiam circum omnia vaſtando hoſtium acceſſum obtruſis difficultatibus infeſtarent. *Hiſpani vrbẽ muniunt*

Galli Pleſio Pralino copiarum Duce cum Demarcho Villa quinque peditum, & duobus equitum millibus, & quingentis, ineunte Martio menſe, ad Diui Saluatoris oppidum quinque paſſuum millia Alexandria recedens peruenerat: eodemque tempore Princeps Thomas Duria amne traiecto, duobus peditum millibus, & equitum mille Nouariæ intentabat obſidium: & cæteris Inſubrum terris grauis imminebat. Quare Præfectus, vt eam Inſubrici dominatus partem contra hoſtium vim valido præſidio firmaret; Demarchum Caracenam cum delectuum robore, bellatorumq; flore eò accurrere iuſſit; quò magis è propinquo hoſtium rimatus conſilia præcipuẽ eorũ deſtinata diſcuteret; verũ Princeps receptum Diui Euaſij Caſale exercitum Gallicis, Matriſq; Ducis copijs adiunxit; cõſtraturuſq; ponte amnem Tanarum credebatur; vt eo tranſmiſſo, effuſis in agrũ Alexandrinũ copijs, vel populabundus obtereret, vel obſeſſis auxilio feſtinaret. *Galli, & Taurini in Inſubres mouent.*

Cara-

Caracenæ igitur imperatum, vt eò cum ſuo agmine aduolans eas terras ab hoſtium inſultibus tueretur. Princeps Hiſpanorum obiectu traiectu fluminis deſperato, ad Caſale traductis iterum vltra Padum copijs, Paleſtrium, Veſpolanumque conceſſit. Caracena verò hoſtium digreſſu Mortariam agmen adduxit. Vtriuſque partis equites, vt fortuitus excurſus in hoſtiles turmas impegerat, velitationibus ſuam virtutem mutuò hoſti probabant; in quarum vna cum ſe nimium audax vlterius in hoſtes inuectus eques Aiazzius Vercellenſis implicuiſſet, captus eſt.

Taurini Inſubres populantur.

Caracena Principis veſtigijs inſiſtens, vt eius conſilia, & conatus euerteret; in Laumelli terras, Nouarienſemq; agrum ſuum agmen traduxit: cum Princeps vago exercitu, incertoque greſſu nunc Nouariæ, modò Bremio, Mortarieq; admoto vicinius agmine, minaretur; nullam tamen aggredi auſus ſibi firmis viribus Hiſpanos inſtare conſpiciens: ſed conuerſo in populationem bello, opulentas armentorum, commeatuum, pretioſiorumq; rerum cum ingenti incolarum detrimento prædas ex hoſtico actas Caſale maiori ex parte miſit; Caracena vt uiribus inferior diripienti omnia Principi non auſo obniti, camporum domino quaquauerſum liberè procurrenti: qui tandem deflexo ad Tanarum agmine, ſe illum flumen trāſiturum minabatur: vt inde vltra progrediens oppugnatæ arci ſubſidium afferret. Quo animaduerſo præfectus Caracenam, & Gonzagam cum vniuerſo ferè equitatu, & quatuor peditum millibus ad arcendum tranſitu Principem miſit. Ille Hiſpanis tam validis tuentibus litora, & copijs hoſtilibus totas prætexentibus ripas, cum admodum pernicioſum futurum videretur contra miſſilium procellam amnis vadum tentare; Aſtam coloniam ad auertendos à Dertonenſis arcis oppugnatione Hiſpanos inuadit: qui ne eam vrbem hoſtis arbitrio relinquerent, aut ad eam tuendam omnes vires Dertona abductas eò translaturi videbātur, aut obſtinatè in cœpto, & propoſito perſtituri: alterutro contingente, penes Principem victoria futura erat. Nam ſi Aſtam ſubſidio contenderent; Dertonenſis arx ſoluebatur obſidio, ſi eam pergerent oppugnare, Aſta deſerta, nulli dubium erat, quin vrbem modico præſidio defenſam capturus foret: cum mille tantum pedites, & equites ducenti Petro Gonzales præfecto viro imprigo eam propugnarent. Quare Mediolani præfectus veritus ne Aſta Principis inuadentis impetus ferre poſſet; Ioanni Vaſquez dato Dertonenſis arcis oppugnadæ negotio, ipſe cum maiori copiarum parte Alexandriam feſtinat, vt inde vrbi ſubſidium inferre tentaret. Princeps primo ſtatim acceſſu ſolito occupato nauigio quo itinerantes traijciebantur, & moleudino in pontonem verſo, aliquot peditum cohortes in aduerſum littus traijcere, ibique propugnaculum ſubitaneo opere ad illud tuendum excitare iuſſit. Præfectus vbi illos Allobroges tranſmiſiſſe flumen accepit, Vincentio Gonzagæ imperat, vt tribus peditum millibus, & equitibus ducentis eò properans hoſtes ab illo munimento, & ſtatione decutiat; qui iuſſa impigrè exequutus hoſtes partim cæcidit, partim egit in fugam, demolituſq; propugnaculum naui-

Princeps Thomas Aſtam inuadit.

Mediolani præfectus Aſtæ ſubſidio aduolat

Gonzaga Taurinos fugat.

Digitized by Google

nauigium, pontonemque recepit. Præfectus eòdem progreſſus in tumulum quemdam cum Vincentio Gonzaga, & Caracena,Serraq; Demarchis aſcendit, ex quo ſupernè vrbem, hoſtiliaq; caſtra deſpiciens cenſuit de eorumdem Ducum conſilio, mittendam equitum alam, vt Tanaro amne vadato, ſe ſe in vrbem inueheret; iuſſo tamen chiliarcho, vt in amnis tentando vado, retro, quæ è tumulo darentur ſigna, accuratè notaret: quo ſi Princeps ſe ad amnis traiectum obijceret: integrum equitum agmen nullum auſos vadū in caſtra reduceret. Vix turmalia ſigna fulſere, cū Princeps vniuerſum equitatum ponè trahens ad amnis litora aduolauit; hoſtem à tranſitu ſubmoturus: quo præfectus conſpecto, protulit ſymbolum, quod chiliarchum à flumine reuocabat. Hoc tentati ſubſidij infœlici ſucceſſu præfectus ſpem ferendi vrbi ſuppetias prorſus abiecit; cum illi ſuccurri nõ poſſet citra vniuerſæ pugnæ diſcrimen, Dertonæq; receptio Aſtæ conſeruationem prægrauaret: nec Gonzales tam exiguo præſidio amplum mœnium ambitum propugnare poſſet: poſt aliquot tormentorum pulſus ita deditionem cum Principe prudenti conſilio paciſcitur: vt illi tradita vrbe, caſtellum, arcemque retineret; dummodo tutum ducentis equitibus Alexandriam præſtaret diſceſſum; quibus vtrinque conuentis vrbs Aſta in poteſtatem Principis venit; qui nulla interiecta mora cuniculos effodere ſub arce, caſtelloq; cępit: quod & aſſiduis tormentorū iactibus verberatū, & cuniculorum violentia dirutum triduo Principi ceſſit; hac tamen conditione, vt Gonzales in arcem ducentos pedites ſecum poſſet adducere: quibus ex data fide peractis, Princeps caſtello potitus arcem illicò ſubijt; quę commeatuum inopia reſiſtere oppugnantibus hoſtibus impotens æquiſſimis conditionibus ſcilicet, vt ſaluum, atque incolume præſidium Alexandriam migrare poſſet, Principi tradita eſt.

Hiſpani vadum tentant.

Aſta Principi deditur

Aſtæ arx Principi ceda.

Præfectus veritus, ne Princeps Aſta recepta, victoria exultans animoſior Dertonenſi arci ſubſidio properaret, cum bellicos apparatus, commeatuumque copiam, & Niciæ, & Aſtæ cõgereret, vt tantis Principis conatibus intercederet; iuſſit Demarchum Caracenam cum firmo peditum, & equitum agmine ad Aquas Statellorum oppugnandas proficiſci: qui ratus non opus eſſe tormentis, mœnibus alicubi fatiſcentibus, etiamſi aggeſta tellure, obductiſque faſcibus illi hiatus eſſent obſtructi; quà diruta męnia aditum dabant, vrbem aggreditur: ſed ſemel, ac iterum cum cęde repulſus tormenta Alexandria adducenda curat in caſtra; quibus prolatis, territi ciues cum Caracena de deditione conueniunt, iis legibus, vt fœminarum pudori, ciuium ſaluti, templorum honori cautum eſſet. Ad minus ciuium detrimentum Hiſpani duntaxat aliarum gentium agminibus foris ſubſiſtere iuſſis, vrbem inierunt.

Caracena Aquas ſtatellorū oppugnat, & capit.

Caracena vrbem adeptus ne fruſtra in arce oppugnanda milites diſtineret, remiſſis Alexandriam tormentis, Ripam Altam Montisferrati ſe contulit, atque inde prædabundus omnem circum agrum diripuit: immaturaſque adhuc meſſes in equorum pabulum vel euulſit, vel procurſu obtriuit:

triuit: vt Allobrogum ſubſidijs arduum, atque difficilem ad arcem Dertonenſem faceret acceſſum. Per eos dies octingenti Neapolitani equites in caſtra peruenerant, quibus firmior viribus Præfectus maiori ſe animo ad repellendum Principem expediebat. Quotidie etiam Mediolanenſes dynaſtæ, viriq; patritij cum ſuis aſſeclis, beneficiarij, & plures ex vrbanis, ruſticanisque delectibus milites caſtra inibant Gallos ex Inſubrum finibus, dominatuque depellendi, eiuſque potiendæ victoriæ maximè cupidi ad totius dominatus tutamentum; Hiſpaniq; Regis decus, & Inſubrum gloriam. Adfuit magis inter alios inſignis cum mille quingentis ſuis vectigalibus peditibus, & equitibus ducentis ſuo ære conductis Princeps Triultius eādem fortem, fidelemque operam præſtiturus, quam ſuperiori anno eodem in bello Hiſpano Regi nauauerat.

Princeps Triultius auxilia Hiſpanis adducit.

Tandem Princeps Thomas cum valido ſubſidiario agmine ſe in conſpectum dedit; traiectoq; Iria amne, nullæ vires pares illi tentaturo ſubſidium futuræ videbantur, adeò firma equitum, & peditum robora, formidandamque copiarum molem trahebat. Propè Dertonam quatuor paſſuum millia ſubſtitit: ſub colliumque radices agmen continuit. Poſtera die cum Demarcho Villa, & quadringentis equitibus collem aſcendit, vt inde faciliora ad inuadendum hoſtium munimenta exploraret. Caſtrorum poſitus, ac propugnacula ſpeculatus, contra Hiſpanorum ſtationes tormenta librauit, eduxitque ſuos in aciem, ordineſque compoſuit, quaſi in caſtra impetum daturus; verum numquam vllas cohortes in caſtrorum munimenta immiſit. Hiſpanicæ copiæ ſe intra ſuos aggeres, & propugnacula in ſuis ordinibus ad pugnam diſpoſitis continuerunt, collineatis in hoſtium ora tormentis, intentiſque haſtarum ſegete, paratæ, atque expeditę Allobroges ſubeuntes excipere: certæ tamen non è caſtris erumpere, ne aggerum munimentis amiſſis, eam victoriam inſano conſilio facerent dubiam; quam certam caſtrorum firmitas pollicebatur. Princeps denique poſtquam quatriduo hoſtilium caſtrorum otioſus ſpectator ceſſauit; nullum bellicum facinus auſus cum vniuerſo agmine de colle deſcendit ea neglecta ſubſidij inferendi victoria, pro qua obtinenda tantopere deſudauerat. Protenſo in planum exercitu, aliquot contra arcem tormenta diſploſit: quorum ictus volantes tabellarij, ac nuntij crediti fuerunt, ex eo genere, quos in Taurinenſi obſidio quorundam ſolertia, ſagaxque induſtria commenta eſt. Nam ab ijs tormentorum iactibus, quaſi præſidiarij ſe dedere iuſſi à Principe fuiſſent; eodem die de tradenda arce cum Hiſpanis conuenere, æquiſſimis ſanè legibus deditionis: ſiquidē præter cætera decora, atque magnifica, conceſſum deditis eſt, vt quatuor muralia tormenta ſecum educerent. Mille trecenti milites egreſſi ex arce Rinaltellam vſque, vbi conſtiterat Princeps, ſalui incolumeſque deducti, & equitum agmini obuiam ad eos excipiendos prodeunti traditi fuerunt. Aliquot poſt diebus Aſtam verſus Princeps recepit exercitum. Quacumque ſe raperet furialis illa militum turba, ex itinere Inſubrum pagos, & villas populabatur. Nec nobiliſſimo illo ſacroſanctoque

Taurini Hiſpanica caſtra ſpeculantur.

Princeps Thomas Nuntios volantes mittit in arcē quæ ſtatim deditur Hiſpanis.

Taurini ſe recipiunt.

templo,

templo, cœnobioque celeberrimo Dominicanæ familię, quòd in ſuæ patrię ornamentum, & decus Pius V. Pontifex maximus extruxerat, ſacrilegas manus abſtinuit: immo ſacrarium pretioſis, auroque intextis ſacerdotalibus trabeis, argenteis, aureiſque toreumatis, & anaglyphis ditiſſimum nullo Dei metu prohibente diripuit. Princeps in Aſtenſi agro copias aliquot dies detinuit, vt eas à bellicis laboribus eo ſtatiuorum otio recrearet. Cæterum quam pernicioſæ, nulliuſque fructus, immo maximi impendij, militumque iacturæ forent in Inſubrum terras expeditiones ſuo malo expertus ad vindicanda oppida, quæ in Taurinis Hiſpanorum præſidijs tenebantur, ſuos omnes conatus, conſiliaq; conuertit. Sociatis igitur cum Matris Ducis agmine copijs, intentiſſima cura Hiſpanos ex Taurinorum oppidis depellere conabatur; cum Demarcho Villa, & comite Brollio Villæ nouæ ſuccedit, in qua præſidiarii pauci admodum curabãt; ſubducto cum militum robore Pallauicino caſtrorum præfecto, vt ſuprà memorauimus, quamuis ducenti equites Tridino, & Aſturæ ponte eò iuſſu Gubernatoris profecti aliquantum oppidum ſuo aduentu firmaſſent: quòd in abraſa planitie ſitum, nullis circum ſurgentibus ſyluis, aut arboribus proſpectum adimentibus procul aduentãtium hoſtium agmina aperiebat: faſciumque, & ſtirpium defectu nullis ad extruendos aggeres, caſtrorumque munimenta ſuppetentibus lignis, expugnatu arduum videbatur. Villa itaque oppidum laxiori obſidione vallatum, circumpoſitis ſtationibus, vndique ſepſit, ne ſubſidijs ad illud pateret acceſſus: immo in id diligentius excubabat, vt ſummotis omnibus auxilijs, fame domitum ad deditionem vrgeret. Agrum quoque populatus, vt ijs incommodis preſſi oppidani ſe tradere maturarent. Paucis poſt diebus præſidij præfectus cum nuſquam ſubſidia apparerent, deditionem cum Villa paciſcitur, ea tamen lege ſi conuenta à Mediolani præfecto probarentur; qui cum ſe tueri, propugnareque fortiter oppidum præſidiarios iuſſiſſet; ſe propediem cum firmo ſubſidio affuturum; conuentu euaneſcente, Villa continuauit obſidium: quo feruente, Gallicæ copiæ Vicecomitis Tureni cum validis militum ſupplementis aduentu Longauillæ à Rege ſuffecti firmatæ, roborateque ad numerato Matris Ducis exercitu quindecim peditum, & quinque equitum millium ſummam explebant: quarum imperium penes Principem Thomam futurum erat: cui cum Alexandriæ debile præſidium eſſe innotuiſſet (non enim plus ſexcenti illam pedites tuebantur) tam valido ſeptus exercitu non ceſſandum immo glorioſa, magnaq; audenda, atq; intercipiendæ munitiſſimę vrbis occaſionem non omitendam ratus propiùs eam vrbem promouit exercitum: ea ſpe, vt aut inſidijs quibuſdam ſecum conſentientibus ciuibus, aut admotis mœnibus ſcalis, repentino impetu in vrbem irrumperet; vel ſi hæc irrita ceſſiſſent; aperta vi applicitis omnibus copijs expugnaret. Si enim tãtũ muri tormẽtorũ ictibus ſterneret; quãtũ integræ cohorti peruiũ eſſet; putabat eo aditu à primis cohortibus occupato, irrupturis copijs nequaquã præſidiarios

Taurinorũ militum ſacrilega auaritia.

Taurini Villæ nouæ ſuccedunt.

Princeps Thomas Alexãdriæ imminet.

pares

pares futuros. Verum ſibi ipſi illudit humana cupiditas, & plerumq; belli vanæ ſpes leuibus animis concipiuntur; faciliaq;cogitatione fallaci putãtur,quę in ipſo conatu maximè ardua experimur.Princeps igitur in Caſalis planitie ſua agmina Gallicis,Matriſq;ducis copijs nihil de futuri dubius euẽtus fœlicitate ſociauit: atque inde cõtento agmine Alexandriam feſtinans vicinis mœnibus hoſtis tàm citra, quàm vltra Tanarum inſedit: in quibus ſubitis erectis aggeribus, excitatiſque munimentis ſe contra propugnantium tormenta vallauit, iuſſitq; Turenium in aduerſa vrbis parte ad orientem ſolem ſe erectis propugnaculis munire.

Princeps Alexãdriã feſtinat.

Vbi Siruelæ Mediolani Præfecto Principem Alexãdriam infeſtum ſubijſſe nuntiatum eſt; de eius vrbis ſalute,conſeruandaq; maximè anxius, atq; ſolicitus, quam exiguo, imbecilloque præſidio teneri ſciebat, Comitem Galeatium Trottum vniuerſi equitatus legatum accerſit; atq; imperat, vt coacto quàm poſſet maximo equitum numero, vel per omnia ſalutis diſcrimina,per tela,per ignes in obſeſsã vrbẽ peruadere conaretur. Ille nihil moratus imperiũ collectis mille quingẽtis equitib.facinus audacter aggreditur: & quia vtræque portæ, quà Genuam,Valentiamque itur, Principis, Turenijque obiectis ſtationibus obſidebantur;ſimulato Dertonam verſus itinere, illius firmandæ vrbis ſpecie; ſed deflexo ſtatim agmine, Gamundium dirigit iter: ibique Bormia amne ſuperato, Turenij expectationem eluſit; qui ratus illud equitum agmen Dertonam ſimulatè contendens eadem via illicò rediturum, ſuas cohortes ad vadum Dertona Alexandriam euntibus ſolitum pertranſiri, & equitum turmas obiecerat; hoſtes ab eo tranſitu repulſurus; ſed comes quatuor paſſuum millibus procul ab hoſtiũ conſpectu vadato amne, nullo accepto incommodo, impedienteque iter hoſte, ſub Auroram adeò vrbis mœnibus improuiſus acceſſit;vt veluti hoſtis tormentorum miſſilibus peteretur; & tam diù ſummotus, donec chiliarchus Stozius bene ciuibus, præſidiarijſq; notus ad mœnia prouectus illos ſui erroris admonuit: inſidias nullas latere, adeſſe validum ſociorum ſubſidium, hoſtes, non amicos eſſe telorum iactibus inceſſendos; proinde panderent portas, ſubſidiariaſq; turmas læti veluti cælo miſſas exciperẽt. Illi cognita amica ſigna ingenti gaudio perfuſi plicatili ponte demiſſo, patefactiſq; portis in vrbem accipiunt.

Galeatius Trottus Alexãdriam feſtinat auxilio.

Caſtellaccio Trottus Gallos decipit.

Subſidia Alexãdriã intrant.

Antonius Sotelus vrbis Præfectus tam valido auxilio firmatus, quaſi ab vltimo metu recepto ſpiritu, reſumptoq; animo in Principis ſtationes erupit. Pugnatum mutua cæde, obſtinatiſque animis, vniuerſo prælio, quam velitationi ſimiliùs, vſque ad ingruentes noctis tenebras eſt. Princeps ex eo violentiſſimo præſidiariorum impetu, alacritateque animorum ingreſſum in vrbem ſubſidium eſſe coniectans, ſua ſpe deiectus conſultiùs putauit incepto abſiſtere; quàm in munitiſſimæ vrbis cum copiarum diſcrimine difficili oppugnatione durare. Prima igitur noctis vigilia inde Caſale mouens Alexandriam maxima trepidatione liberauit.

Oppugnati in Taurines erumpunt.

Princeps Caſale ſecedit

Siruela Comiti Demarchus Velada ſuccedit

Siruelæ comes recepta Dertona, ſeruataque Alexandria militari gloria conſpi-

conſpicuus Mediolanēſi præfectura abijt: Veladæq; Demarchum equitum in Belgio magiſtrum ſucceſſorem accepit, in quo munere illi Caracena à Rege ſuffectus eſt. Villa noua interim, dum hæc gererentur, non ſine præfecti oppidi perfidiæ nota dedita oppugnantibus eſt. Mox Tridinum Principi ceſſit, qui à male tentata Alexandria Caſale ſecedens copias aliquot dies in circumiecta regione detinuit: deinde per exploratores accepto, Tridini præſidium à nouo Mediolani præfecto, ſubductis aliquot cohortibus, imminutum quaſi ad certam prædam duxit exercitum: ſed dum primo acceſſu in vicinis villis, & pagis milites otiari, ceſſareq; patitur; nec ſubito impetu oppidum aggreditur; Hiſpani Vercellis equitum turmam, & peditum cohortem, & Bremio trecentos equites moſchettarios in vrbem inducunt. Quamobrem Princeps ne alijs ſubſidijs oppidum ineuntibus oppugnatio fieret difficilior, quæ tenuitate præſidij prius nullius negotij, laboriſq; erat: ducto circum vallo, atq; erectis vndique munimentis, & aggeribus oppidum ſepſit; quo illud omnibus ſubſidijs intercluderet. Dum propugnacula conſtruuntur; Allobroges per tectam viam parmulæ ante oppidi portam ſurgenti ſuccedunt, dumq; in illam eniti conantur: Præfectus Vuatemuillius feroci impetu in hoſtes erumpens eos adeò cecidit, vt laceræ clade accepta cohortes recedere coactæ fuerint. Verum perfectis caſtrorum munimentis, Duces exteriora propugnacula inuicem ſibi partiti, eādem parmulā ferociori impetu aggrediuntur, quam depulſis propugnatoribus, adepti in vrbis propugnaculum inuolant; actoq; ſub eo amplo cuniculo, atque iniectis flammis accenſo, proſciſſis latè mœnibus, proſtrataque propugnaculi parte, ingens ad inuadendum ſpatium hoſti patebat, per quod in vrbem irrumpere Princeps certò ſperabat. Sed antequam ad aggrediendas mœnium ruinas copias immitteret; Vuatemuillio edixit, vt priuſquam impetum experiretur, dederet vrbem; quo ab eo conſtanti animo recuſato, Princeps admotis omnibus copijs propugnaculum ferociſſimo impetu aggreditur: quem ter acriùs repetitum non minori virtute, cum inuadentium cæde propugnātes ſuſtinuere. Sed nihil idcircò Princeps animo fractus ad ferociorem impetum renouandum ſuos milites expedit. Vuatemuillius cum nec tormentorum larta ſuppeterent, & milites aſſiduis laboribus, celiq; grauitate viribus exhauſti hoſtium impreſſionem ampliùs laturi non eſſent; æquiſſimas pactus conditiones oppidum dedidit, ea tamen dicta lege, vt ſi intra quinque dies iuſtum ſubſidium non aduenifſet: quibus elapſis, cum nuſquam apparuiſſet, (Velada enim animo propoſuerat non vniuerſæ pugnæ diſcrimine exercitum committere; vt occupata in Taurinis oppida tueretur) Vuatemuillius cum ſuis præſidiarijs egreſſus oppidum Principi tradidit; à quo illi Gallicum præſidium impoſitum, ſicuti omnibus alijs ab Hiſpanorum poteſtate receptis. Princeps Tridino exercitum, & frequenti militum fuga, & aeris malignitate in vulgus militum graſſante admodū attenuatum in ſalubriora deduxit. Nec tantum ea lues manipulares infecit, primos etiam Duces periculoſis morbis

Princeps Tridinū obſidet.

Mœnia oppidi ſubruit.

Ruinas mœnium inuadit.

Tridinū deditur Principi.

bis tentauit. Turenius enim, & Demarchus Villa cum Camerani comite eius filio mortifera febri correpti vix Medicorum diligentiſſima cura fatum euaſere. Idem Princeps graui oppreſſus diu morbo decubuit. Quare ad Pleſium Pralinum rei bellicæ ſumma rediјt. Qui acceptis, è Gallia nouis militum ſupplementis, ijs auctus viribus Aſturæ Ponti ſucceſſit, deiectaq; tormentorum violentia muri parte, nequicquam repugnantibus præſidiarijs, in oppidum per ruinas irrupit: mox arcem pactione tradente præſidio, obtinuit; quam protinus cuniculorum impetu à fundamentis euertit, ne in eius præſidium in ea ponere milites cogeretur. Ita quaſi quodam aduerſa rebus Hiſpanicis fortuna ea oppida per militum vulnera, & cædes, & magno pecuniarum impēdio quæſita alia, ex alijs facili marte Allobroges afferebant: quæ Hiſpani, ſe Taurinorum arbitros factura, cæterorumq; imperium ſibi delatura ſperabant. Sed fatali quadam neceſſitate Hiſpanorum votis omninò reflante, Gallica præſidia ijs ipſis oppidis inſederunt. Cum enim eorum conatus, & vſurpandi alieni dominatus conſpecta cupiditas Gallica arma ad ſuos ſocios, fœderatoſque tuendos pernicioſo conſilio traxiſſent; nec ſimul tot Allobrogum, Taurinorum, Gallorumque ſociatis viribus pares hoſtium potentiæ reſiſtere poſsent; ea oppida fuerunt Gallorum arbitrio deſerenda, quorum dominatum tantopere concupitum per ſummos labores, impendiaq; parauerant. Nunquam Caſalis, Taurinique arces Galli obtinuiſſent; niſi Hiſpanorum armorum, potentiæq; metus eos ſubſidio acceſſere compuliſſet.

Galli Ponte Aſturæ potiuntur.

Galli Taurinis oppidis Hiſpanos exigūt.

Nouus præfectus de ſeruādis, magis tuendiſq; Inſubrib. quā de Taurinorum oppidis retinendis ſolicitus in id ſolū accuratius ſtudium incubuit, vt inuiſendis arcibus, muniendiſq; præſidijs, & commeatibus, rebus tormentarijs inſtruendis Inſubrum ſaluti, atq; ſecuritati proſpiceret.

Mortariam itaq; proceſſit, vt hoſtium conſilia magis è propinquo, conatuſque exploraret; eo cum vniuerſo exercitu aduolaturus, quo belli neceſſitas euocaret. Intentiſſima cura Principis Thomæ ijs regionibus oberrantis acta rimanti affertur, illum Viglebanum verſus cum vniuerſo Gallico exercitu pleno gradu contendere, vt ibi Ticino amne tranſmiſſo, in Inſubres copias immitteret. Quo accepto nuntio, Velada Didaco Saiauedræ ſupremo copiarum conquiſitori mandat; vt ſexcentis equitibus per viarum compendia hoſtem feſtinato præuertens Principem amnis traiectu prohibeat: quod adeò maturè, opportunèque factum eſt; vt poſtrema Saiauedræ equitum turma Pontone flumen traijciente, Principis ante curſores primi agminis equites ad litora prouecti nauigium occupaturi procurrerint. Quamobrem Saiauedra ad amnis traiectus partitus equitum turmas Viglebani periculoſiorem, maioriſque momenti Comitem Hieronymum à Puteo impigrum, ſtrenuumque Ducem cum ſex equitum turmis cuſtodire iuſſit: vt additis etiam aliquot Hiſpanorum, & delectuum cohortibus, hoſtem amnis tranſitu ſummoueret: qui ab eo litore ad quatuor, & viginti ſtadia exiguas vndas trahens, aquarum per emiſſaria in diuerſa labentium diuor-

Digitized by Google

diuortio, vadumque pluribus locis aperiens citra nauigij vſum poterat pertranſiri. Comes itaque ad periculoſiora loca excitari in litore celeri opere aggeres, munimenta obtendi, obiectiſque moſchettariorum peditum cohortibus, traiectum præcludi hoſtibus iuſſit, adeoque ſtrenuè cum ſuis turmis excubuit, vt quamuis ſæpius hoſtis è ſuperioribus tumulis ad exploranda fluminis vada equites miſerit, traiectum ex cuſtodiarum incuria, negligentiaque tentaturus; nunquam tamen vigili ſemper comite, litoribus agmen auſus fuerit admouere.

Quare Princeps, cum citeriora litora tenentibus Hiſpanis, pernitioſum maximè eſſet amnis vadum tentare; deſperato tranſitu, in Viglebanum conuerſo armorum impetu, ne ſine aliquo moti exercitus pretio vacuus in Taurinos rediret, vrbem facili marte, nullo fere præſidio defenſam expugnat. Arx aliquandiu obſtitit oppugnanti; ſed prolatis tormentis aliquot ictibus verberata Principi ceſſit. Qui valido impoſito vrbi præſidio, illam belli ſedem, armamentariumque deſtinauerat, vt pote finitimam, & pulſandis bello Inſubribus opportunam; neſcius Hiſpanos nulla ratione paſſuros, hoſtem iam Bremio, & Inſubrum finibus pulſum iterum in ſuo figere ſedem: ſeque vix in Taurinos regreſſo, bello ereptam vrbem repetituros. Abijt Princeps iuſſo præſidij præfecto purgare foſſas, farcire mœnia, atque tumultuaria raptim educere munimenta, vt ſe contra Hiſpanorum aſſultus inſtrueret.

Velada Mediolani produx veritus, uiſi hoſtes ab eo receptaculo pellerentur, munimentis, ac propugnaculis vrbe munita, ne crebris identidem in vicina procurſibus, circumiectos vicos pagos, & villas diriperent: promoto ad vrbem exercitu, eaque primo impetu, atq; armorum incuſſu per Vincentium Gonzagam occupata, in arcem hoſtibus compulſis, excitari circum aggeres cæpti: lataque foſſa altiùs deprimi, erectaque in latera propugnacula à quibus ſubeuntes obliquis ictibus vulnerarent. Præter milites ſtipendiarios, aliæ quoque peditum centuriæ, legioneſque ab Hercule Triultio ſummæ fidei Principe ex Inſubribus adductæ caſtrorum munimenta cuſtodire iuſſæ. Mille quoque ſexcentos pedites Mediolano ad ſuam probandam eo obſequio Hiſpano Regi fidem proprio ære conductos Demarcho Vercellino Maria Vicecomite tribuno miſit in caſtra. Inde Produx Velada cum moleſtiſſimè ferret oppida inſubrica à Gallis occupari, Abiatum non procul Viglebano feſtinauit; vt ibi oppugnationem contra omnia Gallorum tentamenta, ac molimina promoueret: quos ad Diui Euaſij Caſale coire frequentes acceperat, vt oppugnatis ſocijs ſubuenirent. Gonzaga binis productis vineis, arcem vrgere inſtitit; quarum altera ad acuendam æmulatione virtutem Hiſpanos foſſæ ſuccedere iuſſit; altera Neapolitanos, & Inſubres. Mox excitatis pla-

Abiagraſſo (handwritten margin note)

Mm niſor-

niformis, pulſuum frequentia arcis mœnia dirui cœpta. Bombæ quoque ab oppugnatoribus contortæ non tam tectorum ruinam, quàm propugnantium ſtragem edebant. Neſtieri dynaſta præſidij præfectus nihil territus hoſtium violentia, bis in illos ex arce animoſus erupit: verum infælicis inconſultæ audaciæ euentu, nam in arcem cum ſuorum cæde repulſus didicit eruptiones magis eſſe ſtrenui animi indices, quàm vindices obſeſſorum. Reſpuit tamen ſpe futuri ſubſidij à Mediolani Produce per Fratrum minorum præſulem oblatas, ſi ſe ſponte dederet, honeſtiſſimas conditiones. Hiſpani interim nihil remiſſo oppugnationis ardore, quotidie propiùs foſſam agendis vineis inſudabant: obſeſſis, ob paucitatem, non morantibus opus, mox opertæ viæ præfixum vallum à Gallis mira virtute defenſum ingentibus animis aggrediuntur: quo longè numero ſuperiores deiectis tandem poſt acerrimam pugnam propugnatoribus, cum mutua ſuorum ſtrage potiuntur. Sequenti nocte Itali, ne Hiſpani ſibi bellicæ virtutis exiſtimatione præcellerent, certi vincere, aut mori, & ipſi aduerſam ſibi opertæ viæ partem aggreſſi fere momento deturbatis inde Gallis, acquirunt: libratiſq; in ea tormentis, ſubterraneas domos, in quas coierant Galli, vt foſſam obliquis tormentorum ictibus tuerentur, aſſidua verberatione diffringunt: foſſaque cœno, labe, humore adhuc ſolo madente, cedenteque veſtigio tranſmiſſa, cuniculos effodere inſtituunt. Quare præſidij præfectus Neſtieri dynaſta cum amplius arcem militum paucitate vndiq; ab hoſtibus acriter impetitam tueri non poſſet;nec Princeps Thomas inferior uiribus ſubſidio accurrere audet,deditionem honeſtis conditionibus pactus cum quadringentis,& quinquaginta peditibus arce exceſſit, atque à præfecto æquitum turmæ Morono Fraxinetum, vſque deductus Caſale profectus eſt. Viglebano recepto, eiectis, expulſis ex Inſubrum finibus Gallis, non Hiſpani modo, ſed etiam vniuerſi Inſubres ingenti lętitia perfuſi exultarunt; quòd deturbatis ab ea vrbe Gallis, ea populationum pericula amoliti eſſent, quæ ex eo opportuno receptaculo omnibus impendiſſent. Exigenti vndique è Taurinis Hiſpanos Principi vnæ ſupererant afferendæ Vercellæ: quæ expugnatu difficillimæ cenſebantur, ob aſtructa firmiſſima veteribus munimenta, numeroſumque præſidium vt eas bello tentare deſperatæ audaciæ eſſet. Diui Iacobi caſtri minus expugnatio ardua videbatur. Eam igitur expeditionem conficiendam Princeps ſibi primo quoq; tempore deſtinabat. Seductis enim vtrinq; in hyberna copijs rigidioris ſolito hyemis aſperitas aſtrictis omnibus gelu bellica munia non ſinebat obiri. Interim Marte intra hybernorum otia ceſſante; Princeps Thomas Cardinalis Richelij fidentior interitu, ampliora, gratioſioraque ſibi à Gallo Rege, atque aulicis proceribus, purpuratiſque promittens citatis equis in Galliam ad Regem proficiſcitur,

Princeps Thomas in Galliā proficiſcitur.

ſcitur: à quo ſumma humanitate, lætitiaq; exceptus maiora longè ſuis votis obtinuit delatum eſt enim illi ſupremum Gallicorum in Italia armorum imperium: cum ampliſſima ijs vtendi in quacumque expeditione, quæ illi opportunior videbatur, poteſtate. Certa pecuniarum quoque ſumma ad bellicas impenſas, & militum numerus deſtinatus. Ad decies aureorum nummum in militum ſtipendia annuũ Principi durante bello, admetiendum erat, & duodecim peditum, & tria equitum millia tribuenda.

Quæ à Gallo Rege obtinuerit.

Langhe.

Princeps in Italiam regreſſus ineunte vere, educto ex hybernis exercitu, in Clitellarum terras mouit; ibiq; modicis expeditionibus quaſi ſtatiuorum torporem militibus excuteret, futuro bello prælu ſit. Inde Mauritium fratrem ad oppugnandam Aronam cum parte copiarum miſit; quæ debilibus admodum mœnibus ſepta ęgerrimè diu violentis tormentorum pulſibus reſiſtere potuiſſet; niſi caſtrorum præfectus Frater Ioannes Pallauicinus cum ſua legione Mortaria rapido agmine ad eam firmandam feſtinans hoſtium deſtinata, cõſiliaq; præuertiſſet. Riperiæ Comes Pallauicinum cum aliquot cohortibus ſubſequutus ambo viginti quatuor horis quinquaginta paſſuũ millia properè emenſi Anghieriam profecti Mauritium circa Aronam caſtrorum munimenta ponentem, tormentarioſq; aggeres educentem deprehendunt; nihilominus per lacum nauigijs deuecti contra miſſilium grandinem, quæ ab hoſte toto litore prætento perpetua iaculatione ingerebantur: in oppido per militum vulnera ſe ſiſtunt. Quare Mauritiu tot obiectu territus difficultatum, cum inſuper Mediolani Præfectus vniuerſis copijs aduentare nuntiaretur, abſiſtere cepto decreuit, atq; inde in Taurinos regreſſus Diui Iacobi Caſtro copias admouit: vbi cum excitandis munimentis, fodiendoq; vallo intentus oppidum circunquaque ſepire, caſtriſq; cingere laboraret; non leuis momenti eius conatus interpellauit euentus. Totum diem clauſæ Alexandriæ portæ ſub primæ vigiliæ noctis finem mille quingentos equites Vincentio Gonzaga chiliarcho, & duas peditum legiones Ioanne Pallauicino, & Gregorio Britto Ducibus effuderunt. Gonzagæ nocturnis inſidijs erat Aſta ciuitas intercipienda, Britto, & Pallauicino arx eodem tempore occupanda. Gonzagæ irrito auſu, Britti, & Pallauicini conatus fęliciorẽ ſucceſſum habuere: noctu ſiquidem caſtelli mœnibus ſcalis admotis prius in muri loricam euaſerunt; quàm præſidiarij admodum pauci excuſſo ſomno, hoſtem in caſtellum ingreſſum aduerterent: qui fruſtra aliquandiu ad eluendam tanti dedecoris labem, tegendumq; pudorem hoſtibus obluctati, pulſi tandem, eiectiq; ex caſtello liberum inuadentibus reliquerunt: cuius inopinati, repentinique euentus triſti nuntio perculſi Mater Dux, & Princeps Thomas ambo protinus ad eam vrbem vindicandam arma, vniuerſaſq; copias expediunt. Illa celerius premiſſis ſuis, Filijq; pretorianis Agliei, Fruſaſchi, Piuſaſchiq; comitibus ducibus, protinus in vrbem cohortibus, & equitum turmis, vel in hoſtium oculis immiſſis, Hiſpanorum arcẽ oppugnantium impetum, conatuſq; compreſſit, tutamq; vrbem iã periclitantem ab imminenti ſeruitio, excidioq; vindicauit. Horũ aduentu fir-

Taurini ad Aronam oppugnandã tendunt.

Subſidia Aronam aduolant.

Taurini Arona profecti in Santiam incũbunt.

Aſta ab Hiſpanis intercipitur.

Subſidia Aſtam accurrant.

mato vrbano præſidio hoſtium ſtetere profectus: nec vltra vrbem tentandam rati ad propugnandam duntaxat arcem, ſuas omnes colligunt vires; cum propediem formidãdis copijs adfuturum Principem accepiſſent. Qui maiori militum numero, quos ſecum ſubſidio ducebat, celeritatem itineris remorante, opportunus tamen aduenit; adeòq; vrbem, & propugnaculis, valloq; muniuit, vt citra periculum cõſtituta, arci quoque minaretur; deinde Cameraũum ſeceſſit; vt arcem omnibus ſubſidijs, & commeatibus intercluderet; quæ tamen identidem à Mediolani Præfecto, qui Alexandriam ſuorum adfuturus conatibus aduolarat, obſeſſis ſubmittebantur.

Diui Iacobi Caſtrũ vrgetur à Gallis.

Dum ad Aſtam ab vtriſq; laboratur: nihilo ſecius Diui Iacobi Caſtri feruebat obſidium; diſcedens enim Princeps Couongium Caſalis præfectum copijs, oppugnationiq; præfecerat: qui Gallico ardore ex gentis ingenio oppidum, & tormentorũ iaculationibus, & cuniculis, crebriſq; impreſſionibus perurgebat: & quamuis præſidiũ animosè in oppugnãtes erũperet, ſemper tamen in oppidum cum ſtrage repulſum adegit, ne vltima experirentur, vt ſe locumq; dederent. Didacus igitur Aluaradus Præfectus cũ eò rerũ vẽtum eſſe vidiſſet, vt ampliùs hoſtium violentiæ reſiſti non poſſet; honeſtis acceptis conditionibus, oppidum dedidit. Princeps Thomas hoc expeditus negotio, accitis in caſtra ad Aſtam victricibus ſociorum legionibus ad decutiendos arce Hiſpanos omne ſtudium, vireſq; cõtulit. Sępe in illam impetus dati ſępe etiam repulſi & quamuis acriter omnibus bellicis machinis impeteretur; adeò tamen eggregiè ſe tuebantur Hiſpani; vt non ſolum aſſilientiũ impetus frangerẽt, ſed etiã vrbem tormentis inceſſerent. Verũ cum diutius tantæ Allobrogum violentiæ repugnare nõ poſſent; ſe Principis arbitrio dedidere: renuit enim vllas paciſci cum victis conditiones, quòd ad omnium rerum extremum, atq; ad vltima adducti ſe obſtinatius defendiſſent. Nihil tamen grauius in deditos conſultum à Principe eſt: ſed moderatè, leniterq; victoria vſus dimiſſo benignè, atq; amicè militum vulgo, Duces tantum, copiarumq; miniſtros captiuos retinuit: donec a Mediolani præfecto duo tormenta ex arce abducta, & aliquot in ijs bellis capti redderentur.

Oppidum Gallis deditur.

Aſtæ arx Principi deditur.

Aſſerta Aſta, receptaq; arce Princeps ſex peditũ millibus in Clitellas ingreſſus vſq; ad Liguſticum mare procurrit, relicto a tergo Demarchio Villa cum Matris Ducis equitatu, vt aditus clauderet, poſterioraq; tueretur. Finario imminebat Princeps, ideò eius potiendi ſecurior, quo vicinior Gallica claſſis, è Lateania in orientem nauigans propediem afore nunciabatur; qua amari oppidum tormẽtis pulſante, & Principe a continente premente, venturum erat in oppugnantiũ poteſtatem. Etiam ille a loco propè copias admouerat; vt in ſacra æde, cui Piæ nomen, ſua poſita ſtatione, alijs etiã circum ad oppugnandũ opportunis locis inſederit. Pauci admodum præſidiarij oppidũ tuebantur, ſubducta maiori eorũ parte à Ioãne à Caſtro eius domi natus præfecto ad Cengiũ tuendũ ſpe aggreſſurũ Principẽ verebatur. Exigui quoq; in ea inerãt cõmeatus, exigua etiã pyrij pulueris copia, etſi reliqua tormẽtorũ farta affatim ſuppeterẽt. Verũ vtriq; incõmodo, & Genua ab Hiſpano

Princeps Finario imminet.

apud

apud eam Rempublicã legato, & Mediolano à Prodnce prouiſum eſt: nam protiuus Genua mari cõmeatus abundè ſubuecti, & ab Inſubribus Producis iuſſu frater Ioannes Pallauicinus cum mille trecentorum peditum legione non minori celeritate, quàm ſubſidio Arona accurrerat, vicinos Genuæ montes prætergreſſus ſecundum maris litora contento agmine properans in ipſis hoſtium oculis Finarij ſe ſiſtit. Princeps non tantam commeatuum copiam ſecum adduxerat; vt in ſterili regione ſuum alere poſſet exercitum: quod à Gallica claſſe eos ſibi ſuffectum iri ſperabat; qua nuſquam in latiſſimo æquore apparente, ſatiùs duxit copias eo periculo, in quod ſe iniecerat, explicare, cum & oppidum contra vim Pallauicini legionis aduentu firmatum vidiſſet; & militum delectus ſolicito tympanorum ſonitu ad ſigna cogerentur. Quare inde in Montemferratum ſecedens Finarium eius imminentis periculi formidine ſoluit; quòd, ſi etiam diem in cœpto perſtitiſſet; ſibi proculdubio ceſſurum erat; nam poſtridie eius abſceſſus Gallica claſſis in alto conſpecta eſt; quæ audito Finario Principem abijſſe, ipſa quoque in Narbonenſem Galliam vnde ſoluerat, redijt. Hoc irrito Principis tentamento, dimiſſis in hyberna copijs, vtrinque ceſſantibus armis, eius anni bellici fremitus ſiluerunt. *Finarium ſubſidio firmatur.* *Princeps Finario recedit.*

Verum aperiente ſe vere, Caſtellæ Comeſtabilis, qui euocato in Hiſpaniam Demarcho Veladæ in Mediolani præfectura ſucceſſerat, non contentus ſolum tueri ſua, dato in conſpectum exercitu, Inſubrici proferre fines imperij illato hoſtibus ſponte bello decreuit. Ineunte igitur Maio menſe, educta ex hybernis vniuerſa equitum, & peditum agmina circa Niciæ campos, effudit; Comiti à Puteo dato negotio, vt tormenta tutiori via in caſtra deduceret; aſſiduoque ſuorum procurſu turmarum commeatibus, qui ab Alexandrino agro vehebantur ad copias, ſecurum præſtaret acceſſum; quòd ab agreſtibus iuxta, atque ab hoſtibus interciperentur, eorumque minima pars ferretur in caſtra. Iuſſis obtemperans ſtrenuè Comes abſterſa ab omnibus vijs prædantium latronum peſte, exercitum annonæ penuria, qua plures dies laborauerat, illatis affatim commeatibus, egregia virtute leuauit. Producis iuſſu Comes Galeatius Trottus rei ſupremus tormentariæ præfectus cum copiarum parte exercitum anteuertens improuiſo acceſſu omni ſubſidio vrbe interclusa, binas vineas protinus agere ceperat; alteram ad Deiparæ Virginis, alteram ad amnen Belbum, è quatuor inſuper locis, duobus è collium eminentia pari interuallo ſeiunctis, duobus è planitie librata tormenta in parmulam portæ vrbis obtentam, & mœnia continenti procella emittere inſtiterat. Nec minus acriter præſidium Breuilij dynaſta præfecto tormentorum miſſilium iaculatione hoſtibus repugnabat. *Nizza della paglia.*

Ad oppugnatæ Niciæ ab Hiſpanico exercitu nuntium Demarchus Villa

Digitized by Google

Thomæ Principis iuſſu ad Tanari litora feſtinauit, quò Gallorum, Taurinorumque agmina confluxerant, aliquod vrbi ſubſidium ex occaſione illaturi; ſed cum Hiſpanis decem bellatorum millibus validis inferiores militum numero eſſent; nondum peditum, & equitum ſupplementis, quæ mittebantur è Gallia, in Italiam adductis, vltra Tanerum ſubſtiterunt; nullum ſubſidium afferre auſi, ne temerè eas exiguas copias, quibus aliarum maioris momenti vrbium, arciumque ſtabat ſalus, vnius prælij diſcrimini obijcerent.

Quare Hiſpani ne ſegniori oppugnatione trahendo moras, perueniendi in Taurinos, iungendique ſe ſocijs ſpatium darent: tormentorum in mœnia, in paruulam pulſus, atque impetus in vrbem ingeminant: vt ſe ante Gallorum aduentum ea oppugnatione expedirent. Sed non adeò celeriter impreſſiones maturabant; quin ante vrbis deditionem aliquot Gallorum cohortes, & turmæ ſe cæteris commilitonibus conglobarint. Raptim igitur à Principe Triultio, & ſuorum vectigalium, & reliquorum Inſubrum collecti delectus feſtino gradu in caſtra deducti valido adiecto agmine, auctis obſidentium viribus, Gallos terruere; ne propiùs cum exercitus periculo accederent.

Comeſtabilis præſidij præfecto ſignificari iuſſit; vt cum ampliùs vrbem tueri non poſſet, nec vlla ſubſidij ſpes aleret animum: honeſtas ſui dedendi, quas clementer offerret, conditiones acciperet; & traderet vrbem. Verum ille nec dum adeò mœnium ruina territus, vt eas aſcenſu faciles cognoſceret, omnibus aures inuitamentis occluſit. Qua Præfecti conſtantia Hiſpani coacti acriori oppugnatione vrbem impetere, ſub eiuſdem diei veſperam ſcalarum apparatum ad aſcendenda mœnia, militumque agminum dandum in vniuerſa mœnia impetum expedita ipſius oculis conſpicienda proponunt; quòd à quodam milite transfuga accepiſſent; exiguum admodum eſſe numerum propugnantium. Quamobrem præfectus cum totius præſidij ſumma ad ducentos, & quinquaginta pedites redijſſet; & diruta funditus tribus in locis mœnia inuadentibus hoſtibus in vrbem aditum aperirent: tum demum auribus deditionem ſuadentibus dedidit; de qua vbi cum Produce conuenit: prodijt ex vrbe cum ſuo præſidio, ſarcinis, & armis, & ſolitis deditionum honeſtamentis.

Iuſſuſque Comes Hieronymus à Puteo cum aliquot moſchettariorum equitum, & ſua loricatorum equitum ala illum vltra Tanarum vſque deducere, quò ſe ad Aſtam Coloniam ſocijs ſedentibus copijs adiungeret; ne abeuntem Incolæ ex bellorum turbulentijs rapinis, & latrocinijs aſſueti, infenſique maximè Gallis, Taurinisque prædarentur. Comeſtabilis dirui non tam exteriora, quàm interiora munimenta protinus

tinus iuſſit, cum eam vrbem præſidio tenere, maximi impendij, & minimi fructus eſſet: contentuſque ſatis eo receptu decuſſiſſe Gallos, qui vicinos Inſubres infeſtabant, in æſtiua reduxit exercitum de Mediolanenſis dominatus ſalute magis ſolicitus; quàm alieni cupidus inuadendi, quòd quotidie maiora, ac maiora Gallorum agmina in Italiam deſcendere nuntiaretur.

Digitized by Google

Inter Summum Pontificem
VRBANVM VIII.
eiuſque Nepotes Barberinos, & Principes Fœderatos Bellum

NARRATIO DECIMA NONA.

FArneſij Principes bello iuxta, ac pace clariſſimi Camerini quondam Vmbriæ oppidi dynaſtæ Pauli Tertij Pontificis maximi eorum Patrui munere, auito hæredio Parma, & Placentia mutato, earum vrbium dominatu beneficiario iure potiuntur. Ruſcinoni inſuper, Caſtroque in Etruria vrbibus dominantur: quarum alterius vniuerſos prouentus, & cenſus ſoluendis annuis pecuniarum penſionibus addixerant; quas Romæ ab illis conſtitutæ menſæ plures Romani ciues, alijq; permulti ex circumiectis vrbibus ad queſtum tribuerant, eiuſque agrum obſtrictæ creditoribus fidei pignori poſuerant: quod lubens attexo, vt mali prima pateat labes, ex qua totius ſequuti belli flamma defluxit: ne lector diutiùs in ancipiti fluctuet, quid Pontificis iras in Parmenſem Ducem impulerit; Fœderatorumque Principum arma in illum viciſſim impegerit: cuius quidem belli enarratione ſic afficior, & hæreo, vt nunquam me difficilioribus pedicis, & tricis implicitum ſenſerim. Nam ſi nudam, atque apertam rerum veritatem, quòd hiſtoriæ fides, atque ingenuitas poſtularet, effoſſam ex latebris in publicum efferre

Roncilione.

voluero

voluero multorum odijs flagrandum erit, præruptam ſcribendi licentiam, narrandiq; libertatem corrupto hoc ſeculo auerſante, ſcriptorumq; blandimentis dnutaxat,verborumq;encomijs gaudēte.Si per obliqua,damnata recta,quà veritatis vis,potentiaq;trahit,inceſſero, labefacto hiſtorico nitore,vereor ne mihi veluti rudi,ignaroq;rerum à legentibus illudatur.

Trito igitur,calcatoq; à recentibus ſcriptoribus itinere gradiar, qui neque temerè pandere omnia ſuarum mentium ſenſa, animorumq; Principū arcana peruadere audent, neq; callida eorum conſilia, occultaſq; petitiones ſuſtinent aperire, ponamq; in lucro ſi non ab aliquo Critico falſitatis, aut nimiæ breuitatis accuſer. In pauciora conferam, quæ alij quàm fuſiſſimè exequuntur, ne tędio minuta narrando legentibus ſim; quorum animi cupidè rei exitum ſcire feſtinant, & ſi quid longius, & tardius properantibus intercedat; mirum eſt quantum illa inuiſæ offenſione moræ turbentur. Si cui petita, reſponſa, officia, obſequia, preces, minas, reſpectus, metus, diffidia, conuenta, & penè ſingula huius negotij, & belli interuenientium perſonarum verba ſcire cupido eſt; Victorium Sirum luculentiſſimum ſcriptorem omnia quàm copioſiſſimè enarrantem adeat; ego per præcipuarum rerum compendia progrediens me citiùs expediam.

Vrbanum Octauum Diuina nobis arcana Pontificem maximum difficillimis temporibus ferendis, peruincendiſque idoneum ex tot Antiſtitum numero deprompſerunt; vt eius eximiæ excelſi animi virtutes imminentia Chriſtiano orbi diſcrimina diſcuterent. *Vrbanus VIII. laudatur.*

Abſint intemeratæ Hiſtoriæ fidei aſſentationis blandimenta, & adulantis officioſa calami lenocinia. Surdi non palpantur manes, nec obſequentis eorum famæ vocis pretia expectantur. Vniuerſus bonorum conſenſus illum ex rerum ſucceſſibus iudicat eius virtutis, prudentiæque fuiſſe, vt eo nemo aptior, prudentior, & melior Eccleſiæ præſidere in tanta bellantium Regum, pugnantiumque inter ſe Principum tempeſtate neutris addictus, atque integer potuiſſet. Cum primum inauguratus eſt Pontifex, pro Gallo Rege facturus omnibus videbatur; cum eius Parenti Henrico quarto ſuæ ampliſſimæ faſtigia fortunæ accepta referret; & Gallicæ aulæ maximè ſuffragatione ad ſummum humanarum rerum apicem fuiſſet euectus; vt propterea nimis libera aulicorum dicacitas eum ſalſo huius diſtici ſcommate, & cauilatione præſtrinxerit;ex eius gentilitio ſtemmate tribus apibus diſtincto dicterio deſumpto

Mella dabit Gallo, Hiſpano mala ſpicula Regi
Spicula ſi figet, tunc morietur apis.

Cui non minus ſalsè, apteque reſpondit: vt qui innumerato haberet ingenium,& ad omnia fœliciter expedienda præſentiſſimum; præter id quod etiam vates erat eximius.

Mella dabit cunctis nulli mala ſpicula Regi
Spicula rex ſiquidem figere neſcit apum.

Sed præter innumera,& clariſſima animi ornamenta,quibus in tanta maie-

ſtate

Digitized by Google

ſtate vſque ad miraculum nituit; continentiæ in primis in eo fulſit inſigne. Nam cum deficientibus Rouereæ gentis ducum maribus Vrbini dominatus ad Pontificiam ditionem vt Pontificum vectigalis beneficiario iure à Iulio ſecundo ſuæ familiæ conceſſus poſt liminio iterum rediſſet; vel flagitantibus id enixè maximis Principibus, vt eius ditionis Thadæum Nepotem ſuum Principem diceret, ad imfirmandam Pontificiam potentiam, quæ eo aucta dominatu, non tam anathematum, quàm belli, tormentorumque fulminibus formidanda ſeneſcentem ſpiritalium armorum terrorem ſui ipſius ſola aſſertrix, & vindex, admoto belli metu poterat renouare: id tamen auerſatus quaſi re aliena prorſus abſtinuit: ne tam nobile membrum à Pontificia ditione diuelleret. Nepotes tamen ſuos ad inuidendam opum, diuitiarumque amplitudinem, potentiamq; ita prouexit; vt tantæ eorum fœlicitati, familiariſque rei magnitudini ſolum aliquis deeſſet dominatus, quo Italiæ dynaſtarum amplitudinem rerum ſplendore, diuitiarumque copia æquarent.

Vrbani Octaui laudabilis continentia.

Quidam parum in Barberinos propenſis animis aiunt, illos in Caſtri Ducis Parmenſis ditionem cupidos oculos conieciſſe; ſed veritos ne protinus ſuis votis Hiſpanorum potentia intercederet; intra tantum deſideria voluntatem continuiſſe. Verum cum Parmenſem Ducem illatis in Inſubres ſignis, icto cum Gallis, & Allobrogum Duce fœdere, Hiſpanos bello laceſſentem vidiſſent: eam ſua explendi vota nactos opportunitatem Carpeniæ comitem ad Mediolani Producem legaſſe in ſpetiem quidem, vt bellantium inter ſe animos conciliaret, reuera tamē, vt illum ſolicitarent: quò Parmenſem Ducem iam apertum Hiſpanorum hoſtem Parma, & Placentia mulctaret: atque hac ſibi retenta, Mediolanenſiq; dominatui adiecta, illam in Pontificis ditionem concedere pateretur. Cardinalis quoque Triultij operę pretij illicio captare conati ſunt animū, vt velificatus Pontificis votis ſuæ authoritatis impulſu Producem ad id conandum adduceret: pretium perſuaſionis fore quidquid terrarum Padi litora & Cotonei agrum interiacet: ſuis latifundijs continuandum: cui aſſentiri, remque promouere Hiſpani ſimulabant; vt hoc quaſi frœno Ducis iuueniliter ferocientis auſus cohiberent: ſibique addictos Barberinos, deuotoſque obſtringerent: qui etiam ſubmiſſis internuntijs, ab Auriæ Duce obtinuerunt, vt ſibi centum millium aureorum nummum creditum cederet; quos illi Dux Parmenſis debebat, quo Caſtri dominatum tanto ære alieno obruerent; vt neceſſario vel ipſo inuito, in ſuam poteſtatem veniret. Hæc Barberinorum inuidi potentiæ vulgarunt.

Parmenſis Ducis Romam aduentus malorū cauſa.

Omnium verò ſimultatum, odiorum, irarumque flammas Romam Ducis aduentus accendit ab ipſo Pontifice eò litteris accerſiti. Cum enim ob priuata negotia ſe Caprarolam ſuæ ditionis ſemel, & iterum contuliſſet; vt res cum Siris, & Grillis Genuenſibus patritijs componeret Caſtri, Caprarolæque locatione abire cupientibus: quorum prouentus erant Farneſiæ menſæ nominibus expediendis addicti: Dux, & Pontificis inuitamentis, & ſuorum hortatu Romam profectus venerabundus eius pedes oſculatus, à quo per quàm amanter,

atque

atque humaniter acceptus eo maioribus honoribus cultus eſt, atque habitus liberaliùs, quò memoriter eius carminibus, & latinis cantiunculis, quas ille viuida, & erudita iuuenta luſerat, pronuntiatis, ſua maiori veneratione in Pontificem obſequia teſtatus eius gratiam, beneuolentiamq; demeruèrat. Non facilè dixerim quantum Duce ea carmina recitante, Pontificis animus delinitus ſuauiter colliqueſcens in illum amoris impetu raperetur. Sed hos animi affectus, beneuolentiæque ſignificationes diuturnior Romæ Ducis mora corrupit: vt propterea eius legatus ante ſcitè admodum pronuntiarit, ſi Dux cauere diſſidia, atque amorem in ſe Pontificis cuperet conſeruare, parum peteret, parumq; Romæ moraretur. Nam procedente tempore inter ſibi mutuo obſequentium officia, cultuſq; orto de dignatione certamine, cum nec tantum debiti honoris Dux ſibi deferri a Barberinis fratribus videretur; neq; illi viciſſim tantum ſe à Duce obſeruari putarent, quantum ipſorum dignitas poſtulabat: gliſcentia intus paulatim odia, dum de officijs, & obſequijs, cultuque inuicem deterunt aliquid; in apertas contumelias, ac ſimultates eruperunt, de quo grauiter Dux cum Pontifice ipſo conqueſtus indignabundus Auguſtali, atque adeò Roma efflans iras exceſſit; iuſſo Caprianæ comite ſuo legato cæteros purpuratos Antiſtites ſuo nomine venerari, Barberinis Pontificis nepotibus inſalutatis; quem illi contemptum adeò ægrè tulerunt; vt ex illo vltionem iratis animis deſtinarint: iuſtaſq; cauſas effundendæ in Ducẽ indignationis ſumma contentione quæſiuerint; nec multum tẽporis interceſſit, cũ eorum vota ſecundante fortuna, ſuæ explendæ in Ducẽ iræ ſe illis opportunitas obtulit. Nam cum Siri Caſtri locationem relinquere vellent, quòd Dux conuentorum cum ipſis fidem præſtare non poſſet; inſtarentq; ſe nulla obligatione locationis obſtringi, liberariq; promiſſis eorum ope, ſtudijſq; ſubnixi: atq; idcircò depoſitarij Menſæ Farneſiæ creditoribus ſuarum pecuniarum prouentus ſoluere non poſſent locationis pretia ſubtrahentibus Siris: Pontifex, cuius authoritatem, potentiamque implorauerant creditores; miſſos Caſtrũ miniſtros iuſſit inde Romam omnes frumenti cenſus efferre: quibus Ducis nomina ſoluerentur: ſed cum eius vectigales Pontificijs ſtrenuè obſtitiſſent: erant maioribus viribus redituri, vt frumentum illata armorum vi, incuſſoque necis metu, inuitis ciuibus exportarent: quo Dux animaduerſo, aliquot milites cum bellicis commeatibus ad illud præſidium, vrbemq; firmandam Caſtrum protinus miſit: atq; extra mœnia aliquot parmulas iuſſit educi, quibus hoſtium impetus procul à mœnibus ſummoueret. Quòd cum Pontifici nuntiatum eſſet, anathematis fulmina perduellionis reatus pœnam comminatus eſt Duci; niſi intra triginta dies illos milites exanthoratos ab ea vrbe dimitteret; omniaq; exteriora munimenta dirueret. Quas minas, contemptuſque Dux alioquin præferoci ingenio impatientiſſimus contumeliæ æquiſſimo animo tulit, ne maiorum faces diſſidiorum accenderet: ſed animi aſperitatem Pontificis patientia, moderationeq; deliniret.

Summi Pontificis gratiam demeretur.

Eius legati dictum ſapienter.

Officia, & obſequia in ſimultates verſa.

Barberinorũ in Ducẽ indignatio.

Diſſidiorũ cauſæ.

Caſtrum à Duce munitur.

Prin-

Legatorum apud Ponti ficem officia.

Magni Ducis in componendis diſſidijs cura.

Principum Legati, ac miniſtri ad extinguendum exarſurum bellorum incendium protinus aduolarunt: conati flagrantiſſimis officijs pacata Pontificis ira, ſurgentium armorum turbines amicè difflare. Magnus præcipuè Etruriæ Dux efficaciſſimè omnium ſuis finibus timens, ad quos belli procellam ſæuituram ſciebat; obnixus eſt precibus, officijs, ſueque interceſſione authoritatis, vt efferueſcentia in bellorum tempeſtates diſſidia componeret. Sed omnia tentamenta fruſtra fuere, illud identidem Pontifice obiectante; Duci primum imperata facienda, deinde de rebus pacandis tranſigendum. Idem etiam Catholici Regis miniſtri ardenter inſtabant, vt eo compreſſo periculoſo tumultu, priſtinam rerum tranquillitatem inducerent. Multus in eo fuit Neapolis Prorex, qui ſupplex infimis etiam precibus poſtulabat, vt præſtitutum triginta dierũ monitore diplomate ſpatiũ proferret; quò interim aliquod gliſcẽti in perniciẽ malo remediũ quæreretur; cui à Pontifice abſiſſe reſponſum eſt, Pontificia ſancita, decretaq; non eſſe mutanda, neminem Principem cum ſuis beneficiarijs mitiùs, & leniùs egiſſe, quàm ipſe Parmenſem Ducem habuerit. Nullis officijs, nullis obſequijs à Regum, & Principum Legatis, Miniſtriſque parcebatur, vt Barberinos Fratres ad pacem ineundã adducerent: adeoque efficacia fuere, vt Pontificia arma iam iam in vltionem ruentia continuerint; & Pontificis Nuntius Neapoli Proregem ſyngrapha certiorem fecerit, nihil in vrbem Caſtrum hoſtile tentatum iri. Copiæ nihilominus Pontificiæ ad Viterbium nouarum in dies acceſſione cohortium augebantur adeò; vt finitimi Principes vererentur, ne tanta exercitus, viriumque mole aliud maius, quàm Caſtri expeditionem Pontifex ſpiritus bellicoſi in arcano animi moliretur: diſſidiorumque cum Parmenſi Duce prætextu authoraret milites, cogeret copias, apparatuſque bellicos in maiora deſtinata congereret; immo cum eodem ficto hoſte, Galliſque ſecreta fœdera inierit: vt quæ ſui Pontificatus initio nimis præproperè molitus eſſe videbatur, nunc maturis votis, opportuniori tempore tandem quaſi aliud agens ſalubri conſilio perficeret; vt inuadendi Caſtri, perſequendiq; bello Ducis ſpecie eos Principes exermes, imparatoſque deprehenderet, in quos eorum armorum fulmina conflabantur. Certè Neapolis Prorex vt nimia cautione magis, quàm incuria peccaret, deductis ad Regni fines peditum cohortibus, & equitum turmis eam terrarum frontem, & tractum Pontificæ ditioni finitimum aduerſus omnes repentinos impetus, aſſultuſque firmauit. Verum hos inanes metus, ſuſpicioneſque vanas ſolutis terrore finitimis Principibus, ſubitus in Caſtri dominatum Pontificis copiarum incurſus aperuit. Ciues abductis ex omnibus circuniectis arcibus, & caſtellis præſidijs, in vnum duntaxat Caſtrum propugnandum omnes vires contulerunt: eodemque tempore vt armis ſimul, & legibus certaretur; Dux Parmenſis Quæſturæ Auditori per Legatum Ferdinandum Bergontium Parmenſem patritium obteſtatus eſt ſcripto, dum ille Romæ curru veheretur, ipſius manibus tradito præſente Notario Camiia aliquantum à cæteris, teſtibus duobus fratribus

Pontificis ad Legatos reſponſio.

Principum metus.

Varij de Pontificis belli apparatibus ſermones.

Neapolitani Regni fines muniuntur.

Caſtrũ armis Pontificis petitur.

Baiardæ

Baiardæ familiæ Parmenſibus Patritijs, alijſque locis opportunis rei exitum explorantibus, ſeducto: quibus expediti, conſtratique ſuis ephippijs equi præſto erant; vt citato curſu in tutum prouolarent; ſicuti fœliciter ex fugientium voto ſucceſſit: ſe omninò Barberinos Fratres veluti ſuos acerbiſſimos hoſtes Iudices in ſua cauſa repudiare, & quidquid contra ſe conarentur, id totum hoſtile, non iure factum, & contra legum ſanctiones velle cenſeri. Dux armis Pontificis impetitus varios miniſtros ad omnes Italiæ Principes legauit per omnes eorum aulas grauiſſimas iterans querimonias: quòd præcipiti armorum violentia ſe Barberini opprimere conarentur. Venetias Lebadinum iuris prudentem diuturna rerum experientia, negotiorumque tractatione ſapientem miſit. Florentiam ad Magnum Etruriæ Ducem Spazzinum ſuum conſiliarium, feſtinare iuſſit; qui non ſolum eum Principem de ſuarum rerum ſtatu doceret; verum etiam quò à finitimo, Caſtrique dominatui contermino auxilia contra Barberinos expedita poſtularet: vt ſubito armorum obiectu hoſtilium armorum niſus, progreſſuſque præpediret. Ad Gallum quoque Regem legatos miſit; vt regiæ authoritatis, potentiæque interceſſu ab eo importuno bello Barberinos auerteret. Verum Etruſcum Ducem præcipua huius belli cura coquebat; veritum ne in ſuos quoque dominatus eius ſerpens flamma potiora corriperet. Idcircò nullum lapidem non mouit, quò precibus, officijs, legationibus exoriens belli incendium comprimeret. Demarchum Gucciardinum Parmam ad Ducem miſit, quò ruentibus in peius rebus temperamentum aliquod quæreret: eiuſque Ducis bellicos apparatus pro tuendo Caſtro exploraret: qui acriter de Florentinis, querebatur, quòd ſibi, & ſocio Principi, & affini Caſtri ditione periclitanti non modò ſubſidia militum recuſarent; verum etiam, cohortes authorare intra ſuos fines in tanto ſuarum rerum diſcrimine prohiberent veriti inani metu, ne ſufficiendis militum auxilijs, aſperato Pontificis animo, aliena pericula in ſua capita verterent: nimis cautos, & meticuloſos ſubſidia pereunti ſocio Duci ſubtrahere, qui ab ipſis foret omnibus viribus aſſerendus: vt armis coercita Pontificia potentia a laceſſendis in poſterum finitimis Principibus abſtineret. Eam ſanè ſacroſanctam Pontificis Maieſtatem venerandam, donec ſe intra quietis, pacisque limites innoxia contineret; at armatæ vim, vi admota pariter repellendam. Tandem negata diu Parmenſi Duci auxilia Florentini decernunt, ſed ſera, inutiliaque iam Pontificijs Caſtrum aggredi ſis, quæ ante oppugnationem Caſtro immittenda fuiſſent. Demarco Gucciardino cum Duce de occurrendo belli malo, afflictiſque rebus conſulendo accuratè differente, ecce tibi trepidus nuntius affertur, Pontificia arma in Caſtri dominatum cuncta belli impetu proruere: auctæ enim ad formidandum numerum Pontificis copiæ ante præſcriptum ad ſubmittendum ſe Duci Pontifici triginta dierum interuallum è ſtatiuis in campos prodiere, quo Ducem tempore intercluderent, ne intra eum menſis limitem coactis validis peditum, & equitum copijs, ſe aſtre-

Parmenſis Ducis obteſtationes.

Ad Principes Italos Legatos mittit.

Eius de Magno Duce querelæ.

Florentini Parmenſi Duci auxilia ſuffi-ciant.

Pontificia arma in Caſtri ditionem ingreſſa.

Digitized by Google

ad ſtrenuè Barberinis obſiſtendum inſtrueret, victoriamq; firmo ſuarum copiarum obiectu præriperet.

Hunc intempeſtiuum Pontificiorum motum armorum liberis vocibus ſummi, infimique damnabant, ob imminentia ex illo importuno, pernicioſoq; bello toti Italiæ mala, ſequuturaſque clades, quas ſecum bella neceſſariò trahere conſueſcunt: atq; acribus querelis Pontifici obtrectabant, *quòd cui ſummo omnium parenti, ſacrorumque Antiſtiti inducta pace, eſſent bella pacanda, conciliandæque Principum iræ, & tollenda diſſidia, ipſe Italiam bello euerteret. Illam maieſtatem (ita iuſtiſſimis armis oblatrabant) quàm auguſtiſſimè trabeatam mortales impensè venerantur; armatam verò contemnunt. Ad Pontificum tantum dirarum minas Barbarorum feritas veluti ſcopulo impacta reſilijt: nec rupi obiectæ potentius torrentis furor illiſus retro repulſus ſuas deſpumat iras; quàm quondam bellantium regum Pontificum obnuntiationibus fracti, innoxijque impetus conſederunt. Eadem fuit bellorum turbinum meta, quam Pontificiæ diræ præſcripſerant. Inermis Pontificum probitas validos exarmauit exercitus. Ecquando Numina ferro ſacerdotes armarunt? Horrent cruentas Myſtarum manus: non litant aſperſa cruore, Deo etiam metalla, quæ natiuo nitore cruentum, ac immane quid fulgurant, reſpuente. Conuerte gladium tuum in vaginam, Dominus Petrum, additis minis, inclamat: cum nec dum Pontifex Domini voce renuntiatus fuiſſet; cum ſuo iure præceptoris vindex in armatas cohortes euaginato gladio poſſet irruere: qua verborum acerbitate Pontificem illum acciperet, ſi arma parantem, ſi ad aliquod oppidum expugnandum ſuos Duces properare iubentem vidiſſet? Quid armis cum ſacris? quid diuinis ritibus cum rei bellicæ ſtudio? Feciales pacis, cæleſtes internuntios, ſequeſtreſque fœderum ſuos voluit eſſe Pontifices, non bellorum authores. Ille Deus qui domuit orbem non ferro, ſed ligno, mortalium cædes, bellorumq; fragores exhorret. Quod ſi quando ſceleribus mortalium infenſus nimborum, procellarumq; minis armatus dextera fulmina irata molitur.*

Summo Pontifici ab omnibus obtrectatur.

cuncta ſonoro

Concutiens tonitru Cyclopum fulmina defert
In ſcopulos, & monſtra maris, noſtriq; cruoris
Parcus in Oethæis exercet fulmina Syluis.

Hauriunt neſcio quid humano faſtigio maius ex intimo Numinis famulatu Pontifices, & ex ſereno diuinitatis contubernio quandam tranquilli animi ſuauitatem. Cum ille ſacratus apex è capite fulgurat; blandimentum etiam cuiuſdam irradiat pacatiſſimæ lenitatis. Ex illo ſublimi rerum humanarum culmine, non armorum terrores, non cruenta imperia, non bellorum fulmina ruere, ſed mitiſſimæ ſanctiones, lenia pacis placita, omniaque pacata debent in mortales effluere.

Peragit tranquilla poteſtas,
Quod violenta nequit, mandataq; fortius vrget.
Imperioſa quies.

Huiuſmodi Pontificem Itali omnes obtrectationibus vellicabant. Sed

num propterea Sacroſanctæ Pontificum Maieſtati ſe ſperni, ſibi vim afferri à quoquam Principum ferendum eſt? Pontificum pietas quondam cum Principum pietate certauit; nunc antiquus ille Pontificiarum dirarum metus, terrorque conſenuit: quocirca illam Deus amplo bellacium populorum non tam ditauit, quàm armauit imperio, vt ſi ſpiritalia fulmina ſpernerent, in contumaces bellica ſtringeret arma. Verum dum illi inanibus illum vocibus carpunt, Cornelius Maluaſia quinto Kal. Octobris cum nongentorum equitum agmine in plures turmas diuiſo Viterbio prodijt; duodecim plauſtra pyrrij pulueris cadis, decem reſtibus, viginti ferreis globis, pilis, ſarculis, ligonibus, batillis onuſta agmen ſequebantur. Aſtiochos etiam, bolides, bombas Libratores afferebant. Tormenta iam mari nauibus aducta expedita erant ad manus. Pedites omnes in ſuos diſtincti ordines, atque agmina procedebant vſque Tuſcaniam Caſtro decem paſſuum millibus recedentem; ibique primis ea nocte ſubſtitit caſtris. Poſtera die mane Montis alti caſtello ſignis admotis, quinquaginta militum præſidio defenſo, quod tantis viribus obſiſtere impotens Pontificijs armis ceſſit. Inde ad circumiectas arces expugnandas digreſſus exercitus, omnes nullo Marte ſubegit; vt expeditior ad Caſtrum oppugnandum omnibus viribus vna collectis procederet. Interim in campis furrentibus armis, in vrbe dirarum minis non minus horridè pugnabatur. Celebrioribus in locis affixum ſecundum monitorium diploma pependit eiuſdem cum primo exempli: quod Parmenſi Duce ad reſcipiſcendum nouum quindecim dierum terminum ſtatuebat: quod vitio non carere Dux ex legum placitis iure contendit; dum nuudum elapſo temporis limite præſtituto, non ſolum Caſtri dominatui Pontificia illata ſunt ſigna; ſed etiam illi omnibus arcibus vicinis ereptis, ipſam Metropolim admoto exercitu oppugnauerint. Quare Dux poſtea nullius roboris eſſe perduellionis reatum monitorio intentatum obteſtatus eſt. Pridie Nonas Octobris exteriora munimenta aggreſſus exercitus, turpiter, ignauèq; à præſidiarijs deſerta, eadem, qua cætera facilitate, obtinuit. Vrbs Caſtrum inter Pontificiam ditionem ad orientem, & Etruriam ab occidente in modicè accliui tumulo ex topho iacet; ſurgit ad læuam tellus in cliuum, in quo Dux Petrus Aloyſius arcem condere cœperat, non abſoluerat: quam in tantis temporis anguſtijs ex faſcibus, trabibus compactis munimentis, eductiſque aggeribus raptim Dux extemplò vallarat, vt pote vijs Caſtrum ducentibus imminentem. Muniebat præterea vrbem ingens, lataque turris rotunda figura, tribus tormentis omnem circum planitiem abradens. Portæ cui ſuccedebat exercitus munitiſſimum prætenderat propugnaculum; quo adeò tegebatur, vt nec conſpici, nec tormentis concuti poſſet, committebaturque ex craſſis trabibus confecto aggere alteri munimento. Iiſdem munitionibus altera porta erat obſepta, præter id quòd illam quoque arcis tormenta tuebantur. Ad vtramque firmæ peditum cuſtodiæ, validaque præſidia conſtituta erant. Contra vias ad vrbem ferentes fuit conditum propugnaculum

Toſcanella.

Pontificius exercitus varias arces, & oppida ſubigit.

Pontificium monitorium contra Ducem.

Vrbis Caſtri deſcriptio.

tribus

Digitized by Google

tribus tormentis in earum fauces libratis hoſtes prohibituris acceſſu. Alia itinera a Pontificia ditione ad vrbem protenſa omnia præcipitibus deiectibus interciſa, impeditaque adeò depreſſis per interualla foſſis, erectiſq; aggeribus, vt ad ea æquanda multorum dierum labor opus futurus eſſe videretur. Mattheus ſupremus copiarum præfectus quaſi nullo ſtricto enſe, omnibus exterioribus munimentis mirabili felicitate, facilitateq; potitus: illico vineas, atque aggeres promouere, educere tumulos tormentarios, vrbem propius pluteis extructis accedere; vt validiori ictu quateret mœnia: verum præſidiarij adeò ignaui, abiecti, timidique animi fuerunt; vt non expectato hoſtium impetu, & pulſibus tormentorum, neque propugnatione tentata, protinus deditionem cum hoſtibus pacti fuerint. Parum ſanè validum erat præſidium ad ciuibus etiam patriæ excidium, ſuarumq; rerum direptionem metuentibus reſiſtendum, ne dum ad hoſtilem repellendam potentiam; Pontificijſq; præualidis repugnandum. Ciues non minus dirarum obnuntiationis fulminum, quàm armorum terrore perculſi vrbem cum præſidio tueri non recuſauere modò, ſed etiam militum præfectum impulerunt, vt deditionem nullum auſus certamen turpiter maturaret. Angellierius, ad quem eius propugnationis ſumma reſpiciebat, in communi illa omnium conſternatione attonitus, atque fractus caduceatores ad ſummam copiarum Ducem Mattheum emiſit ex urbe, vt cum eo de deditionis conditionibus conueniret. Tertio nonas Octobris ijs legibus pacta deditio eſt, quæ ferri ſponte ſe tradentibus ſolent. Ad honeſtandam turpis deditionis ignauiam permiſſum præſidio eſt; vt ſinguli incolumes cum ſuis ſarcinis, & armis, funiculis accenſis, explicatiſque vexillis, ſtrepentibus tympanis ex vrbe prodiret. Ciuibus ſalua eſſent omnia, atque aliæ dictæ honeſtiſſimæ conditiones. Egreſſum vrbe ducentorum, & quinquaginta militum præſidium per medios Pontificij exercitus ordines, aciemq; inceſſit. Angellierius dum oppidi victori traderet claues, diſertè obteſtatus eſt: ſe non ignauia, vilitateque animi deditionem feciſſe, ſed ſuorum terrore, conſternationeque militum, quos tantus metus exterioribus munimentis amiſſis, inuaſerat: vt panico ferè pauore correpti de mœnibus ſe ad fugam præcipites dederint; cum exteriora munimenta primo impetu ab hoſte capta vidiſſent. Hæc tam præpropera deditio, quamuis ſe aliquot hebdomadas vrbem defenſurum duobus ante cęptam vrbis oppugnationem diebus Angellierius Duci promiſerat, qui iam aliquot peditum cohortes per Etruriæ montes obſeſſæ vrbi ſubſidio miſerat, ipſe cum reliquo copiarum robore ſequuturus; illi exitio fuit; nam in Parmenſibus montibus captus diuturno carceris ſqualore ignauiæ mulctæ nomine in Placentiæ arce maceratus eſt. Capto nullo certamine, nullo dato in mœnia impetu, nulliſque tormentorum ictibus, neque ſtricto enſe Caſtro, tanto gaudio Pontifex cum Barberinis Nepotibus exultauit, vt maiora animis complexi, iam Parmenſem Dominatum ſibi prouinciam effuſo in Inſubres exercitu deſtinarint; iam ſupplices Italiæ Principes ſuis territos armis

Caſtrū deditur Pontificijs.

Deditionis conditiones.

Præſidij meticuloſa ignauia.

Caſtri præfectus ignauiæ dat pœnas.

Digitized by Google

mis pedes Pontificis adituros,atq; pro Parmenſi Duce omnibus offic.js,& precibus interceſſuros; ne vlterius ſua arma promoueat præpotentiſſim armorum oſtentatione contentus terruiſſe Ducem. Dum armorum arbitria litem diù dicant, Dux Parmenſis Legatis quaquauerſum ad regias prudentibus viris,Principes, & Reges precibus fatigat; docet,quo ſua res Pontificijs armis impulſa loco ſit: expedita afflictis rebus flagitat auxilia. Sed verborum ſolatia, hortamenta, conſilia, & amicæ orationis obſequia non pecuniarum, aut militum ſubſidia à ſingulis referebat aliena bella ſuſcipere recuſantibus: cum nullæ offenſæ, nullæque acceptæ iniuriæ ad rumpendam Pacem, ſtringendaque in Pontificem arma animos laceſſitos accenderent: nec tanti eſſe Caſtri iacturam, vt multum eo amiſſo de Ducis fortuna decederat, aut Pontificia potentia eo exiguo aucta dominatu metuenda caperet incrementa; vt pro eo oppido aſſerendo tota Italia bellorum tumultibus miſcenda eſſet. Cum Veneta præcipuè Republica admotis omnibus machinis, ac conatibus egit vt ſicuti alios Italiæ Principes Regum armis impulſos ſuæ interictu potentię validioris vires pregrauante effuſis generoſè theſauris,ſuffectiſq;ſubſidijs ſuſtinuiſſet; ſui quoque vindex opprimentia ſe Pontificis arma repelleret afflicti Principis patrocinio ſuſcepto. Verum quamuis illam Ducis ex animo miſereret, ægerrimè tamen nullis prouocata, irritataq; iniurijs bellum pro aliena cauſa contra Pontificem capeſcebat.Ferdinandum itaq; Scotum, & ſuis diuturnis, & ſuorum maiorum erga Rempublicam obſequijs illis Patribus acceptiſſimum ad Venetum Senatum legauit, qui in ſeniorum præſtantiorem conſeſſum admiſſus ita diſſeruit.

Barberinorum de capto Caſtro lætitia.

Dux Parmenſis Principum poſcit auxilia

Pontificij belli procella,armorumq; turbo cuius terribili fremitu,ac murmure paucos ante dies Italia ferè tota perſtrepuit, in Caſtrum repentino impetu incumbens,excuſſo tandem fulmine,immani fragore detonuit;cætera quoq;finitima concuſſurus, niſi immodicæ potentiæ, irruentique latius ſuarum prouidi rerum,& cauti ſua arma Itali Principes cbmoliantur. Ille magnitudinis impotens gaudij re fęliciter,ſupraque vota geſta triumphat; quod idem fuerit ſuorum armorum ad vrbem acceſſus, & eius expugnatio, ſuorumque ſolus vndantium ſignorum fulgor,atque aſpectus territum præſidium ad deditionem impulerit. Iam fidentius vniuerſas mei Principis ditiones haurit immodicis votis, atque in Parmenſem agrum iam iam victricibus copijs effuſis, victoria tumens illum ſuo dominatu parat exuere. Verum Dux veſtræ ſpe opis inuixus, quam ſibi rebus omnibus periclitanti affuturam eſſe confidit; cum vos rerum Italiæ arbitri ſurgentia in alterius perniciem Principum arma veſtris auxiliaribus copijs comprimere laudabili inſtituto ſoletis; præualidi hoſtis excidium minantes conatus non timet. Non enim hic veſter admirandæ ſapientiæ, prudentiæque ſenatus quemquam Italiæ Principum de alieno patitur augeri, potentioremque infirmiorem opprimere. Hoc inter veſtras innumeras, & maximas gratulationes, & laudes clariſſimum ornamentum glorioſa præfert veſtra Reſ-

Digitized by Google

publica: hec illam honeſtiſſimo miſerorum effugij Principum titulo vniuerſus Chriſtianus orbis inſignit: hoc glorioſiſſimum decus pluribus adiutis veſtris armis, aſſertiſque Principibus, vos ipſi, & veſtri promeruere maiores. Neq; inter anguſtos duntaxat Italiæ limites hæc veſtra munificentia, ac liberalitas hæret: in aliena regna, in exteras terras, in longinqua loca diues, & benefica peregrina feſtinans afflictis populis, & Regibus effusè ſua ſubſidia partitur. Henricum quartum pro Galliarum regno hæreditario iure ſibi debito cum validiſſimis hoſtibus dimicantem, ſummaque omnium rerum difficultate laborantem veſtris theſauris in Galliam traductis, eo regio diademate coronaſtis. Quantam pecuniarum vim in vindicando ab Hiſpanicis armis Duce Allobrogum profudiſtis? Stetit ille Taurinus dominatus contra bellantes Potentiſſimi Regis copias veſtris armis ſuffultus incolumis: acceptas ille Princeps veſtris ſubſidijs adiutus clades hoſti repoſuit: vobis ab eo ſtantibus, Hiſpanorum impetus, atq; arma contempſit. Vix aliquis Princeps validioribus viribus in debiliorem prodit armatus: cum veſtra nec implorata potentiori obijcitis arma, nec opprimi ſinitis debiliorem. Rheti Volturena à perduellibus pulſi Hiſpanorum fretis auxilio veſtris armis, feruidis legationibus, officijs, cauto prius Catholicæ religioni, in illius vallis ditionem iterum reſtituti. Quæ copiarum robora, quæ fortium bellatorum agmina magnis authorata, altaque impendijs ad illas rupes, & cautes non miſiſtis? ne clauſo exteris auxilijs aditu, Hiſpanæ p tentiæ quaſi captiua Italia ſeruire cogeretur. Mantuanum Ducem Allobrogum armis vrgentibus, ad vos ſupplices tendentem manus militum, pecuniarumque ſubſidijs egregiè iuuiſtis. Eodem Principe in veſtram clientelam ſuſcepto, nullis paulò recentiùs peperciſtis impenſis, vt validis Cæſaris copijs Mantuam oppugnantibus, veſtrorum obiectu armorum eam vrbem à barbarorum ſæuitia ſaluam, atque incolumem præſtaretis. Vos illam, quaſi veſtri iuris, ditioniſque eſſet, firmioribus propuguaculis, munimentiſque vallaſtis; vt à Germanorum immanitate ſecurior omnes hoſtiles poſſet impetus ſuſtinere. Nullus Princeps veſtram opem afflictus inclamat; qui veſtræ munificentiæ, humanitatiſq; dona, & auxilia non capiat. Vos Hiſpani, vos Galli Reges, vos Itali Principes, vos Græci quondam Imperatores barbarorum oppugnati potentia veſtra ſubſidia ſupplices popoſcerunt: pro quibus pecunia, militum auxilijs, claſſibus non tam alacriter, quàm celeriter miſſis, non ſecus ac pro veſtro imperio inuicta virtute pugnaſtis. Ipſa Pontificia maieſtas profuga, vaga, errabunda, in illam ad inſaniam ſæuiente Federico Aenobarbo Imperatore, furentibuſque inſuper Gibellinis nullibi tutius ſuæ calamitati, quàm in ueſtra ſumma pietate perfugium inuenit. Excubias agitis vigiles in alta veluti ſpecula pro ſociorum ſalute, Italiaque libertate; ad omnia turbida potentiorum conſilia acri cura intenti, libratis æquo examine Principum viribus, veſtris auxiliaribus armis ſemper aſſeritis debiliorem. Galli Carolo Rege, ac Duce Italiæ longitudinem formidandis copijs fulminis inſtar emēſi Neapolitano Regno, Aragonijs euerſi, ad cætera, quoque adiecerant oculos: en vos de repente impellit in arma Italiæ libertatis amor; redeuntem in Galliam victorem Regem ad Tarum aggreſſi in Gallicas co-

pias

pias ſignis illatis, turbatiſque veſtrorum armorum incuſſu hoſtium ordinibus, Regem pernoctare ſub dio armatum, ſilentique agmine nocte concubia collectis vaſis, abire victo ſimilem coegiſtis. Hæc ſunt veſtræ glorioſa beneficentiæ trophæa; hæc potiſſima huius Reipublicæ ornamenta de omnibus bene mereri, aduerſa Principibus fortuna perculſis ſubſidia ſufficere; validiorum proſtratos armis veſtra ope leuare. His animatus, ac fretus veſtræ munificentiæ, ac liberalitatis exemplis Parmæ Dux Pontificijs armis oppreſſus veſtram ſupplex opem efflagitat; iiſdem ſubſidijs, quibus cæteros Principes ſubleuaſtis, poſtulat boneſtari. Non Hiſpani, non Galli Regis, ſed veſtra omnibus expeditiora auxilia, promptioraque poſcit; ne in Italiæ viſcera exteris armis accitis, aliquod periculoſum inflammet incendium: vindicatique Principis veſtra innumera ornamenta hac quoque laude cumuletis. Non opus eſt legationibus, & officijs, ad flectendos Pontificis, eiuſque nepotum Duci infenſos animos. Sat precum, ſat humilium verborum adhibitum eſt, vt ad pacem ſanciendam hoſtium irata durities molliretur. Qua patientia, quibus obſequijs, ſequeſtrumq; interceſſionibus vſus eſt Princeps, vt ad res ex æquo componendas Pontificem, Nepoteſq; proclinaret? ſuum ingenium alioquin ferox, atq; impatientiſſimum contumeliæ coegit inuitum miteſcere, ac tempori inſeruiens ſe hoſtium voluntati ſubmittere. Nullos fructus Ducis facilitas habuit, nihil lenitas, ac patientia profecit. In vltionem magis obſequijs irarum pleni indurnerunt. Quòd ampliora, quàm Caſtri dominatum cupidis animis coquant. Inter blandientis fortunæ obſequia iam minus ſibi imperant Barberini: Parmæ, & Placentiæ bella minantur, Ducemq; nudare ſuis ditionibus agitant; cum validiores comparent copias, atq; exercitus inſtruant, ut cæptum in Ducem bellum maioribus uiribus proſequantur: quibus ſi Pontificiæ ditioni duas opulentas urbes continuare proſpera belli fortuna daret; quã formidandã Pontificia potentia ſe Italis Principib. oſtentaret? Tenet illa amplũ terrarũ tractũ; quinquaginta, & eò amplius urbibus potens uberrimis prouincijs bellicoſis uiris affluentibus dominatur. Iam non Pontificium dirarum, ſed tormentorum fulmina, arma, bella, ſuarũ ſecura uirium intentat. Deinceps poterit cum anathematis minis ſociato Marte, in ſua cogere dynaſtas arbitria. Illam ſacram Maieſtatem quondam morum ſanctimonia, & uitæ integritate Pontificum metuendam, quam magni Reges ſubmiſſis eius pedibus diadematis coluerunt; nunc Regum potentiæ, & ditionum numero, & magnitudine parem Principes Chriſtiani formidant: quos certè nõ reor eſſe tam excordes, ut in ſuam perniciem creſcentem maiora capere incrementa patiantur. Vos ipſi, ueſtriq; maiores experimento, ueſtroq; malo didiciſtis, quàm noxia Principibus ſit Pontificia potentia, quæ uſq; eò creuit nouarum acceſſione ditionum; ut maiori, ſi uni demantur Hiſpani, quàm omnes cæteri Principes Italiæ parte potiatur. Nimium igitur creſcentem adeò non pati neceſſe eſt, ut etiam ad maiorem ſecuritatem ſit aliqua ſuarum ditionum parte mulctanda. Superioribus annis Ferarienſem dominatum, paulò poſt Vrbini ditionem ſuis prouincijs adiecit, nunc Parmenſem Principatum aggreditur vſurpare. Veſtra, omniumq; Italiæ Principum iuxta, ac mei domini res agitur, Patres, ſi Italiæ vultis liber-

tatem; ſi Pontificum potentiam non magis cupitis augeri Parmenſem Ducem Pontificijs armis impulſum veſtra implorantem auxilia, atq; ad veſtrum patrocinium confugientẽ veſtris prępotentibus armis aſſerite, ſuis rebus ueſtra ope receptis, retentoq; auxilijs dominatu ſibi ipſi ueſtra munificentia reſtitutus, ſuas fortunas omnes, rerum cariſſima, ſe ipſum æternum uobis deuota in ueſtra poteſtate, atq; arbitrio futura pollicetur.

Reipublicæ ad Legatũ reſponſio.

Amicis animis ab illis patribus auditus eſt Comes; reſponſumq; eſt, *iam iuſſum eſſe Legatum enixè cum Pontifice agere, ut pacatis belli tumultibus ex legum placitis cauſa cognoſceretur: mitiùſq; ac leniùs Ducem Parmenſem haberet; nec ceſſare ab officijs, donec cõſtituta pace, Dux priſtinæ Pontificis gratiæ redderetur. Arma nõ ante mouenda, quã omnibus conatibus, atq; obſequijs uerſatus eius animus componendarum ex æquo, & bono rerũ ſpem prorſus abſcinderet; tunc neceſſitate cogente in Ducis oppreſſi auxilium arma rapienda, vimq; vi pariter repellendam: pronum eſſe bella ſuſcipere, atq; certaminum flammas accendere, & diſcedere ab armis, bellorumq; incendia extinguere, arduum. Quod peragi ſine Martis violentia poteſt, imprudentis, inſaniq; eſſe id per belli diſcrimina quærere, ſe Ducis aduerſæ fortunæ miſereſcere ſanè; ſed primo ſtatim impetu, nullis antea tentatis ad leniendas Pontificis iras pacis artibus, inconſulto in arma ruere, atq; extundere bello, quod precibus, & verborum officijs exprimi poteſt, præcipitis periculoſiq; eſſe conſilij. Bono tamen, præſentiq; animo eſſet: illi Reipublicæ magis opportuna non de futura ſubſidia.*

Principes Itali fœdus vna percutiunt.

Gero.

Belli fomẽtum.

Comes Parmâ ad Ducẽ ſpe lætus auxiliorũ regreſſus paulò poſt ineunte menſe Nouembri, expugnati Pontificijs armis Caſtri nũtius Venetias redijt: ſeduloq; flagrantibus officijs agebat, vt Rempublicã in tuẽdo ſuo Principe contra Pontificem implicaret. Tantumq; accurata profecit induſtria, vt non eã ſolũ in Barberinos accenderet; ſed etiã Principũ curatoribus internuntijs Magnum Etruriæ Ducem, Mutinẽſẽ Principẽ, adduxerit: vt omnes ſimul percuſſo fędere cũ Parmẽſi Duce ad mutuũ tutamẽtũ, & cõmodũ arma ſociarẽt. Oriẽti belli flammæ Epirotarum audacia fomẽta ſubiecit: qui cucullionibus induti ruſticos mẽtiti inuectis in Sagis ſinũ myoparonibus Põtificiã nauim frumẽto onuſtã, dũ nautę, & epibatę ſecuri incõtinẽtẽ exſcenderãt, interceptã ad Diui Marci fori colũnas quaſi debitũ fraudãtẽ vectigal ſuæ rapacitatis trophæũ ouãtes traxerunt; quod mutuo ſibi, ſed in arcano infenſos animos magis accendit. Cardinalis Antonius vt acceptũ detrimentum repoſito Venetis furto ſarciret; aliquot aphracta ſecundo Pado Venetias onuſta mercibus nauigantia detinuit: quibus mutuis iniurijs aſperatos inuicem animos facilè fuit ad bellum capeſcendum accendere. Verum antequam ad acerbiora mali remedia, ira prorumperet, atq; armis, populorũq; ſtragibus diſſidia diiudicarẽtur: omnia ſibi tẽtãda, preceſq; & officia Reſpublica iterãda putauit: vt nullo pernicioſi belli ſtrepitu trãſigeretur. Iuſſit itaq; Hieronymũ Bonũ ſuũ Romę internũtiũ cũ cæteris Regũ, & Principũ legatis agere, vt eorũ interuẽtu Põtifex Ducis Legatum admitteret, qui eius pedibus prouolutus ſui Principis, quam

ſubmiſ-

ſubmiſſè officioſæ voluntatis obſequia teſtaretur, & quàm leniſſima oratione cauſam ageret. Ad hoc quoq; à Pontifice exprimendum Antiſtitis Vitellij Pontificij Legati opera, interceſſuq; vſa obfirmatum in ſuo ſenſu eius animum mouere nõ potuit, vt Duci tandem lenita, expugnatione Caſtri ira, miteſceret. Quare deinceps ne operam luderet, huiuſmodi officijs abſtinuit.

Pontificis animus iratus.

Magnus Etruriæ Dux cæteris ardentior, ne bellorum furor ſuos quoq; præſtringeret fines, quando negatis Parmenſi Duci ſubſidijs, Caſtri expugnationi intercedere recuſauit: per Demarchũ Nicolinũ ſuũ legatum efficaciori conatu ſuę interiectu authoritatis connixus eſt; vt Pontificem ad leniora, mitioraq; conſilia, condonatis publico Italiæ bono Ducis offenſis, optimi parentis more compelleret.

Ardentia magni Ducis officia.

Sed cum Demarchus raró admodum Pontificem alloquuturus adiret, Mediceis, & Barberinis in arcano ſibi inuicem infenſis, atq; omnia Regum legatis Sequeſtribus ageret: nec certa, & libera Parmenſis Ducis mandata proferret, eius tentamenta nihil Pontificis animum affecerunt. Eandem duritiem, aſperitatemq; Pontificis animi Frãciſcus Montecuculus Demarchus offendit: qui Mutinenſis ſui Principis iuſſu, in omnes componendi diſſidij, amoliendiq; belli vigili cura occaſiones intenti, id vnum ſedulo ſtudebat, vt Parmenſem Ducẽ Pontifici conciliaret. Sed quamuis Cardinalis Franciſcus Barberinus illum de ineundæ pacis rationibus differentem audiret, alloqueretur que benigniùs, ſiue ne Italiæ tumultuum, bellorumq; author videretur, ſiue ad Mutinenſem Ducem demerendum, cuius ditionis hoſpitia, & commoda, ad traducendas in Parmenſem agrum copias, quod iã diu tacito animo proponebat: ſibi futura erant opus: nihil tamen certi, ſed dubia, mediaq; reſponſa, tegente per ambages ſui animi ſenſa à Cardinali, retulit.

Cardinalis Barberini ſagacitas.

Dux nihilominus Mutinenſis his Nepotum beneuolentiæ declarationibus vtens, vt concordiæ tranſactionem omni ſtudio roboraret: Mõtecuculo præcepit, vt ſuo ſineret ori excidere, quãdo id gratum, acceptumq; Pontifici eſſet, Mutinenſem Ducẽ præſentem de pangendæ pacis negotio agere, libenter illum Romam Pontificem aditurum; vt imminentibus malis aliquod commentus remedium occurreret. Annuit Põtifex, adiecitq; id maximè accidere opportunum, ſi libera ſecum mandata Parmenſis Ducis afferret: eiuſq; rerum penes illum liberum quoq; foret arbitrium: cui ſubdidit Montecuculus id nullam difficultatẽ habiturum; dummodo Roma eius negotij fęlicis futuri exitus ſpes certa fieret; ſicuti ſequeſtris Principis dignitas poſtulabat.

Mutinenſis Dux Romã pacis ſequeſter ire cupit.

Sed Cardinalis Barberinus noluit ad hoc illi ſua obſtricta fide certi aliquid polliceri: de permutanda aliqua Inſubriæ dominatu Caſtri ditione, aut Eccleſiæ vendenda relatum fuit; ſed cum in Inſubribus nulla eſſet ditio, quæ Caſtro poſſit æquari, aut componi, & Parmenſis Dux obfirmaſſet animum eam ditionem, quam ſui maiores tamdiu tenuiſſent; ad ſuos ipſe quoq; poſteros tranſmittere, omnes Montecuculi conatus in irritum recidere.

Irriti Mutinenſis Legati conatus.

Hiſpaniarum quoque Regi Parmenſis Ducis indemnitas curę fuit, egitque per Legatum ſuũ cum Põtifice, vt ſi quid in eius maieſtatis veneratio-

Hiſpani Regis pro Parmenſi Duce officia.

nem ab illo Principe minus ſubmiſſè peccatum eſſet, id totum ſolita Pontificum clementia remitteret. Verum cum ſua obligata Dux fide cauiſſet, ſe Gallorum ſubſidia quamuis ſponte oblata in ſuas ditiones non admiſſurum: dummodo ſibi Hiſpanica afforent auxilia; Rex non ſolum Principem in Inſubribus authorare milites ſiuit; verum etiam auxilia ſuffecit, quæ ipſi duntaxat à Pontificijs armis tuendo eſſent opus: validiora etiam miſſurus, ſi Pontifex nec dum etiam Caſtri dominatu cõtentus in Parmenſem ditionem ſuas copias immitteret. Quare Ioannes Chiumazzerus Catholici Regis legatus ſæpius Pontificem adijt eius iuſſu, ac nomine ſuppliciter flagitans, vt remiſſiùs, leniùſq; mollita animi duritie Parmensẽ Ducem per ſuos Legatos ſe illi ſubmittere, flectiq; ſe ab eo omnibus humillimæ venerationis obſequijs pateretur: ſicuti ſummi ſacrorum Antiſtitis lenitas, ac facilitas poſtulabat. Eadem, quæ cæteri Principum Legati reſponſa tulit Chiumazzerus: immo Pontifex acerbiora ſubiecit offenſarum vltionem intentans; ſi Dux Iudicum ſententijs perduellionis reus haberetur: in quem ex legum placitis ſe animaduerſurum minabatur, adeò turbato animo, vt Legatus hæc abſciſſè reddiderit; Catholicum Regem nunquam Parmenſis Ducis excidium paſſurum; immo ſi quid contra illius in Inſubribus dominatus moueretur. Ducem omnibus ſuis uiribus defenſurum.

Reſpublica Genuenſis pro Duce intercedit.

Reſpublica etiam Genuenſis verita, ne bella in Italia cum populorum cladibus cierentur; quæ in vtriuſque partis auxilia ruentibus exteris, & noſtratibus principibus, difficilè poſtea dirimi poſſent: Cardinali Raggio internuntio Pontifici acceptiſſimo ſummis precibus contendit, vt Parmenſem Ducem condonato, ſi quid offenſarum eius animum acerbaret; natiuæ ferociæ, in ſuam gratiam reſtitutum beneficiarium eadem, qua quondam beneuolentia amplecteretur: futurum enim eſſe, vt Dux cum ſe formidandis eius armis obſiſtere nequaquam poſſe videret; extera in Italiam in ſui tutamentum ad omnium exitium arma acciret. Cui Pontifex mitiùs reſpondit, ſuam mentem, conſiliumque non eſſe; vt Ducem Parmenſem ſuis armis obrueret, in anguſtias impulſum, nec ſe eius excidium, ruinamque moliri: ſed tantum, vt illum ſui auſus pœnitere, ac reſcipiſcere cogeret: nec ſe vnquam adductum iri, vt Caſtrum, Montemq; Altum reſtitueret; quorum propugnaculorum obiectu Pontificiam ditionem à Mediterrano mari firmarat, ſicuti illam ad Adriaticum ſinum Vrbini ditione Eccleſiæ parta munierat.

Mitius Põtificis reſpõſum.

Nec tantum Itali Principes, Hiſpanus, Galluſque Rex de turbatis Pontificio bello Italiæ rebus erant ſoliciti, ne pulcherrimam prouinciarum mota importunè arma incendijs, ac cædibus funeſtarent; ſed etiam longinquos Reges eadem cura tangebat. Vladislaus Sarmatarum Rex, vt Italis Principibus declararet; quãti huius adamatæ Prouinciæ quietem, tranquillitatemq; faceret; & quantum Chriſtiani cruoris iacturam, populorumque clades ex hoc pernicioſiſſimo bello profecturas horreret; certo nuntio ad Magnum Etruriæ Ducem miſſo, illi ſui animi de hac re aperit ſenſa, percun-

Di Polonia. Vladiſlaus Rex Polonus pro Duce intercedit.

ctatuſ-

ſtatuſque, an ille putaret Pontifici gratum futurum, ſi ſe pacis ſequeſtrem, ſuaq; officia ad componenda diſſidia exhiberet. Rex Sarmata per obliqua tendens rectà Pontificem noluit conuenire, quòd in eum amaro animo foret; quia Antiſtitem Vicecomitem apud Sarmatas Pontificij Legati magna cum laude per omnia virtutum exempla munere functum ipſo Rege id enixiſſimè flagitante, Cardinalem dicere recuſarat. Iuſſit itaq; Chriſtophorum Apollinarem Religioſum virum Florentiam ad Magnum Ducem proficiſci, vt ab eo mandata hac ſuper re, documentaque acciperet: quibus in tranſigendo cū Pontifice vteretur. Romā profectus Apollinaris tā ardenti animo Sarmatici Regis apud Pontificem obijt legationem: vt eius oratio in minas deflectere videretur; quando verba nihil ab eo penſi haberentur. Pontificis in iram pronum, feruidumque ingenium prudentia cohibuit; ne feruidi oratoris acribus verbis caſtigaret inſcitiam, cæterum ſeuero obtutu inconſultam auerſatus audaciam, amarulento ſub riſu reſpondit; non ita facilè eſſe Sarmaticas lanceas in Italiam extendi; ſicuti abundantiùs, effuſiùſque ab ea regia verba proferebantur; nihilominus ſe Regis libenter obſequuturum voluntati; ſi debitæ à Duce Parmenſi pecuniæ, ſe conſtituto prædе, regia fide interpoſita creditoribus caueret: quamuis ipſe vereretur, an illi Regi fidei iuſſori acquieſcere vellent: quem Ducis expedire nomina recuſantem, nec conuenire, nec ab eo extorquere pignora poſſent; admonitoque acerbè dicaculo legato, ne deinceps ita audacter cum Principibus ageret, ita dimiſſus eſt, vt ſe nunquam ad huiuſmodi odioſa munera obeunda internuntium à Rege iuſſum eſſe percuperet. *Pontificis dictum.*

Galliarum Rex quamuis immiſſis in Italiam identidem copijs, Hiſpanis aliquem dominatum eripere ſæpè tentaſſet; aliaſque, atque alias ſubinde, & claſſibus, & terreſtribus agminibus huius partes prouinciæ carpſiſſet; attamen, quis crederet? Italiæ quietis, paciſque cupidus iuſſit Demarchum Fontaneum ſuum Romæ Legatum omnem regiam authoritatem interponere: vt Pontificis animum ad pacem, concordiamq; proclinaret; illi oblatis omnibus humilibus Parmenſis Ducis obſequijs, dummodo illum in ſuas ditiones reſtitueret: ſed Pontifex interpellata dicentis Legati oratione, reſpondit, ſe omninò velle quęſtionem, iudiciumq; abſolui, quòd de Parmenſi Duce quæſitores inſtituerant: vt ſuæ cauſæ æquitatem toti orbi probaret: ac proinde nulla ſe poſſe ſubmiſſa Ducis obſequia, & ſupplices preces admittere. Legatus nihil Pontificis animi offenſa duritie reſiliens ſemel, & iterum ſubiecit Regi fore gratiſſimum, ſi generoſa clementia, & propria Summorum Pontificum lenitate Parmenſi Duci, ſi quid ab eo imprudēter delictum fuiſſet, ignoſceret. Verum obfirmatum in ſua ſententia Pontificis animum nihil iteratæ Legati mouere preces; immo ſubiratus adiecit, nō eſſe cur amplius de hac re a quoquam ageretur; cum ipſe animi ſui decretū aperuiſſet; neq; ſe alienis diſſidijs, & cauſis Principum cū eorum vectigalibus intercedere: quamuis id Pontificij muneris eſſet: ſibiq; graue *Galli Regis officia pro Italiæ quiete.* *Galli Legati inſtantes pro Duce preces.* *Pontificis amara reſponſio.*

Nn 4 eſſe,

eſſe, atque ægrè ferre, quòd alij ſe ſupremi domini cum Beneficiario, & Parentis cum Filio diſcordijs importuno interuentu pacandis obtruderent. Dimiſſus irritus petitionis legatus ad Nepotes Barberinos conuerſus admonuit: maximè eos Gallum Regem demerituros, ſi Patruum ad mitiora in Parmenſem Ducem conſilia, lenioreſque cogitationes adduxiſſent: iniecta ampliorum ſpe rerum, oblatiſque honeſtioribus pro Pontificia maieſtate conditionibus, ſeu parandæ pro Caſtro ditioris in Inſubribus vrbis; ſeu penſandæ aliquo maiori dominatu eius loci reſtitutionis. Quæ etſi difficillima eſſe, nec Pontificem propoſitis aſſenſurum cognoſceret; hæc tamē ingeſſit; vt Nepotum animos commoueret.

Barberini nihil Gallorũ promiſſa faciunt.

Verum neq; Pontifex, neq; Barberini fratres nulla de re minus, quam de Galli Regis interceſſione laborabant; quem tota ciuilibus bellis Gallia concuſſa, maximis implicitum difficultatibus parum, aut nihil Parmenſis Ducis res curare ſcirent. Præter id quòd Gallia tot bellis pecunijs, atq; incolis exhauſta non magnopere valida in Italiam militum, pecuniarumque auxilia miſſura eſſe videbatur: immo omnes legati conatus, & officia in caſſum ceſſura credebant, quod proprij in Parmenſem Ducem propenſione ingenij magis, quàm certo Regis iuſſu eius rei ſatageret.

Cæſar pro Parmẽſi Duce interuenit.

Omnium Principum poſtremus Cæſar Pontifici ad turbatas res componendas ſuum obtulit interuentum: qui antequam his diſſidijs intercederet; Magnum Etruriæ Ducem conſuluit, an è ſua dignitate, atq; optimum factu eſſe putaret; ſuam interponere in hoc pacando futuri belli turbine authoritatem: cui cum reſponſum eſſet ab eo, nonniſi maximum pondus tanti Principis officia apud Pontificem habitura; illicò iuſſit ſuum Legatum à Summo Pontifice ſuo nomine flagitare; vt Parmenſis Ducis miſertus futurarum cladium radices euelleret, quæ ex accenſo in Italia pernicioſiſſimo bello profecturæ erant: clementem ageret Patrem, cuius eſt amoris filios quaquam contumaces, & inconſulta audacia ferocientes ad ſanam mentem leniter tractando pertinaces eorum animos, ignoſcendoq; adducere; hoc maximè mitiſſimi Chriſti, cuius ipſe vicē in terris impleret, ſuaues mores expreſſurum; qui niſi in latrocināteſ in templo clementis præceptoris more, non ferrum, ſed flagra ex funiculis ſtrinxit. Cui Pontifex, ſe valdè mirari, quòd ſupremo Principi cum vectigali beneficiario de conueniendo

Pōtificis ad Cæſareũ legatum reſponſio.

pactionibus loqueretur: eſſe primum Parmenſi Duci arrogantiam, elationemque animi ſubmittendam, deinde de ignoſcendo, admittendoque eo iterum in gratiam agendum: ſe optimè ſcire ſuos diligere vectigales, eorumq; miſereri; non tamē vllius contumaciam ſibi, audaciamq; ferendam; atq; ad Apoſtolicæ Maieſtatis exiſtimationē retinendā, inducendāq; ſibi, nec diuinam opem, nec pecunias, nec milites, aut animum defuturum. Quare ſe poſſe vi admota retractandi Ducis confringere pertinaciam: eumque vel inuitum, repugnantemque ſibi ſubmittere: nec cum eo de re quapiam velle tranſigere, niſi exermis Romam profectus pronus ſuis pedibus accidiſſet. Cæſar cum ſuas irritas preces, interceſſionemque videret, nec

tot

tot obiectas difficultates peruincere poſſet; nihil per ſuum Legatum vlterius inſtitit.

Rex Gallus pro Duce intercedit.

Ceſſauere ab officijs cæteri Principes; ſolus Gallus Rex nihil aſperis, acerbiſq; eius reſponſis Pontificis clementia diffidens ſpem prorſus abiecit Pontificis indignationem vrgendo, inſtandoque poſſe leniri. Quamobrem, vt Principem iam dudum ſuam receptum in fidem ſemel conceſſę gratię, amoriſq; tenax, ex regia munificētia tueretur; Lionnis dynaſtam in Italiam properare iuſſit, magnę ſanè indolis patritium, & ad omnia ſumma natum, vt aditum Pontificem de ſuis ſenſis hac ſuper re, deſiderijſque admoneret: aperiretque non priuata in Ducem Parmenſem beneuolentia impulſum ſuum Legatum flagrantibus officijs ab eo contendiſſe, vt Caſtrum Duci reſtitueret; ſed abſciſſis Regijs mandatis id iuſſum egiſſe.

Dux Anathemate fulminatur.

Dum Principes alius ex alio bellorum ſemina abolere nituntur; datæ obeundi vadimonij Duci publicæ fidei, ſiſtendiq; ſui ante Pontificis pedes tempus effluxit; ſeruatiſq; in agendo aliquo reo placitis iuris, atq; actibus iudiciarijs, alij quindecim Duci præſcripti ſunt dies, quos peremptorios cauſidici, & iuris periti appellant. His elapſis abſoluta quæſtione, . iudicibus Ducem perduellionis reum anathemate obſtrictum omnium ſuarum ditionum etiam Parmæ, & Placentiæ poſſeſſione cecidiſſe pronunciatum eſt. Mox in celebrioribus vrbis locis Cardinalis Antonij Barberini Pontificij dominatus Queſtoris edictum parietibus affixum pependit; quo Caſtri, Ruſcinonis, caſtellorum, villarum, bonorumq; omnium tàm mobilium, quam ſtabilium Ducis Parmenſis iuris ditiones venalia, id exigētibus eius creditoribus, proponebantur: emptoribus pluris intra quindecim dies licentibus, ſiue omnia ſimul, ſiue eorum partem, & ſingula ceſſura.

Eius bona venalia proponuntur.

Principum legati, miniſtriq; tam inopinato Pontificis decreto perculſi à quo ſperabant mitiùs in Parmenſem Ducem cōſultum iri; attonitiq; rei nouitate mala ex tam præcipiti, ſeueroq; iudicio profectura taciti præſagiebant. Pontifex autem è contra ſibi perſuadere non poterat, Parmēſem Ducem ſui, ſuarumq; rerum acerrimum vindicē futurum, aſperatumq. Barberinorum iniurijs, contemptuq; ſui armis fiſco addicta repetiturū; nec Principes Italos alienę cauſę aſſertores Ducis patrocinio ſuſcepto, in arma pro eo vindicando, tuendoq; ſociatis conſilijs, & viribus ſurrecturos: quòd eorum non magni intereſſet, exiguum Caſtri dominatum Pontificiæ ditioni annecti, quo non magnopere Pontificij potentia creſcebat; nec formido aliqua eo Romano agro cōtinuato, finitimis afferretur. Sed credulæ nimis ſuæ cogitationes Pontificē fefellerunt; quòd neq; Dux eius irā offenſis acuētib. nihil animo cōcitēs quieturus erat ab armis: donec legib. ablata bello reciperet, nec Itali Principes erāt amici Ducis excidiū cōpreſſis manibus conſpecturi: qui citatis tabellarijs, de Romæ ſucceſſibus moniti, tacitis cōſilijs rationē inibant, qua imminentia Italię mala, ac clades auerterēt: verebātur etiam ne Dux ingenio ferox, & acer, pręſentiq; animo ſe exterorū fidei, tutelęq; cōmitteret; qui opportunā ferendi in Italiā arma cupidè occaſionem

Italorum Principum ſuſpitiones.

amplexi

amplexi,cuncta erant belli impetu ruituri. Dux cæteris ſolicitior,& promtior, vt pote in quo ea faba cudebatur, vndique cogere milites,ad ſua ſigna largiorib.ſtipendijs accerſere,authorare veteranos,expertoſq; belli Duces vbique conquirere. Iamque validam bellatorum manum raptim congeſtam in Parmenſi, Placentinoque agro in ſtatiuis alebat, educi in campos, & cum hoſte confligere cupidam.

Dux ſe parat ad bellum.

Quamobrem vbi Parmenſem Ducem anathematis fulmine ictum pontificijſque diris afflatum innotuit: pleriſq; dilapſuri milites, defluxuræque copiæ indignationis Diuinæ formidine videbantur; & Dux à ſuis ſtudioſis,amiciſque deſertum iri;immo vectigales ipſi, ne iiſdem ſpiritalibus pœnis inuoluerentur, ab eo defecturi putabantur. Verum has inanes omnia pauentium mortalium opiniones fuiſſe euentus edocuit. Nam,& Vectigales conſtantiores in fide erga ſuum Principem perſtitere: nec milites de anathematis fulmine magnopere laborarunt: hoc parum pio ſeculo ſpiritalia arma temnente.

Eius vectigaliũ conſtans fides.

Demarchus Monte cuculus conuento Cardinali Barberino ab eo Roma abeundi petita licentia, ſe itineri expedierat; ſed monitus ab eodem Cardinali, ne nimis præpropera componendæ rei deſperatioue diſcederet; adhuc aditum ad pacandum Pontificis animum,tollendaque diſſidia patere: quamuis iudicium perfici voluiſſet: aliquot etiam dies Romæ ſubſtitit experturus, an factæ, à Cardinali mitibus verbis leniendi Pontificis ſpei res ipſa quoq;,ac cætera reſponderent.

Dux in rebus ſuis gerendis acer, & impiger huius furentis impauidus procellæ audijt à quibuſdam ſuorum vectigalium animos pontificiarũ dirarum iniecto metu,incuſſaque ſimplicibus religione ſolicitari, veritus ne arcani ſuſſurri pietatis ſimulatione à ſe ciuium animos alienatos ſoluerent ſacramento; omnes admonendos curauit monitorijs diplomatis contra ſe Pontificis iuſſu vulgatis nullum ineſſe robur, & vim appellationis virtute ab ipſo ad ipſum melius, & verius de vniuerſis rebus edoctum;*cum nulla*,vt Dux ira impos ſui aiebat,æquitate niterentur.

Ducis ſuſpicax animus.

Sed quia abijt in vulgus propediem Duci, eiuſque vectigalibus ſacris omnibus interdictum iri; quod Ducis rebus erat maximum incommodum, detrimentumque allaturum: & Religroſorum exempla in quancumque partem inclinent, ſecum populos plerumque trahant: nulla re efficacius, potentiuſque mortalium mentes concitante, quàm religione,ac pietate ſeu vera, ſeu falſa illa ſit: edixit abſc.ſſẽ, vt omnes alterius ditionis Religioſi, exceptis Venetæ Reipublicæ vectigalibus, Parmæ, Placentiæq; finibus ac tutum excederent; cui Ducis iuſſo expeditè ab omnibus obtemperatum eſt, ſine myſtarum cultu ſqualentibus cęnobijs, & templis.

Eius edictũ quo exteri Religioſi è ſuis ditionibus amandantur.

Deinde accitos, qui remanſerant, præſules religionum per Demarchum Gaufridum à ſecretis ſingulos ſeorſim ſuæ voluntatis admonuit: præcipuè non eam eſſe Ducis mentem, vt eos quicquam facere cogeret, quod eorum pietati,conſcientięque repugnaret: immo ſuarum vrbium pandere cuilibet portas, vt in amiciora ſe loca reciperet; dummodo antequam anathematum fulmina torquerentur, abirent:

Ducis ad viros Religioſos obnũtiationes.

nunc

nunc nulli fraudi profectum futurum; at ſi poſt diſceſſum differret, grauioribus pœnis coercitum iri quaſi ſeditionis flabellum cum ſuis hoſtibus in arcano conſpirantẽ: eos verò, qui Ducis rationibus, æquitateque cauſæ adducti inconcuſſa fide, conſtantes, immotique perſtitiſſent; tranquillos ſub Ducis patrocinio ſuos dies acturos; quibus vt à culpæ cuiuslibet labe ſecuri degerent: ſingulis illis Ducis literas tradere, quæ eius rationes, & iura, & Pontificij anathematis inanem vim, & robur oſtenderent. Gaufridi voces omnium præſulum acclamatione teſtata excepit alacritas ex animo pollicentium, ſe vſque ad extremos ſpiritus in Ducis fide manſuros.

Verum Gaufridus ſcripto expreſſis promiſſis ſibi caueri voluit; quòd non ſolum à Religionum prælatis, ſed etiam à ſingulis religioſis viris impenſioribus, quàm poſcebantur, animis actum eſt. Patres Ieſuitæ duntaxat ad hoc erga Ducem obſequium, officiumque obeundum non acciti, nec etiam in eius verba iurauerant, quòd Summo Pontifici nimium addicti ſuam fidem nullatenus Duci obſtricturi putarentur: quòd illi veriti, ne eius ditionis cœnobijs excluſi Collegijs ſumma cum induſtria, ac laboribus conditis priuarentur; Horatium Smeraldum præpoſitum ſuum ad Demarchum Gaufridum legarunt; qui omnium nomine ſuarum mentium immutabile propoſitum aperiret; ſe Duci voluntate, atque animis coniunctiſſimos fore, & in eius ſereniſſimæ domus perpetuum ære totos futuros. Hoc adhibitum apud religioſos viros officium valdè continendis in fide populis iuuit; quòd ij errantes de more per ciuium ædes eos in obſeruantia erga ſuum Principem doctis alloquijs confirmarent. Portarum cuſtodibus, & vigilibus imperatum, vt neminem virum religioſum in vrbem iniuſſu Ducis admitterent. Religioſorum metu, & cura ſolutus eandem fidem ſcripto teſtatam à Cleri Vicarijs, & Canonicis Dux per eũdem Gaufridum exegit: illiq; omnes nemine reclamante, dixere ſacramentum. Supererat Placentinus Antiſtes, qui vt Pontificis vectigalis in eo rerum articulo Duci ſuſpitionem aliquem afferebat: ſed à candidiſſimi animi nunquam fallacis, nunquam turbidi Antiſtite panici terroris erat, inſidias, & fraudes formidare. Non eius tamen in illa vrbe mora Ducis animum ſecurum quieſcere patiebatur. Quare per Monguidum à ſecretis illum ſui admonuit deſiderij, vt omnem ſuſpicionum vmbram ſuo diſceſſu tolleret; ſe in aliquem alium ſuæ diœceſis locum procul ab vrbe reciperet: oblatis vltro illi quingentis aureis, quibus impenſas, quas eo nomine faceret, ſupra quotidiana impendia ſarciret. Antiſtes ea Ducis obnuntiatione perculſus valetudinem cauſatus abnuit ſe poſſe Ducis obſequi votis: ſui quoq; morbi medicorum teſtes ſyngraphas dedit, quæ ab ipſis eblanditæ eſſe videbantur; quibus ſubterfugijs Dux acriùs indignatus monitis addidit minas; ſe cum eo grauius acturum, niſi aliò vrbe excederet. Quare ne magis Ducis iram accenderet, Antiſtes Blandinonam Mediolanenſis dominatus oppidum, ſed Placentinæ diœceſis ſeceſſit.

Religioſorũ erga Ducẽ fides.

Religioſi omnes Duci ſacramẽtum dicũt.

Conſtitutis prudenti cura Eccleſiaſtico ordine rebus, vrbis Primates

acciuit;

acciuit; quos ita alloquutum ferunt.

Neminem veſtrum huius mei cum Barberinis fratribus, atque adeò cum ipſo Pontifice diſſidij, imminentiſque belli cauſas latere arbitror, fidiſſimi ciues; quorum iras in me non dignationis Romæ orta contentio, non ego ab ijs minùs dignè habitus, & acceptus, non repoſiti inuicem contemptus, aut alicuius acerbitas iurgij ſuccendit: ſed hanc belli procellam Caſtri potiendi dominatus cupido conflauit. Eò vſque exceſſere Barberinorum opes, vt maiora incrementa recipere priuata fortuna non poſſit: aggeſtis auri aceruis per tot annos, & diuitijs, regnum mercarentur, ſi quòd uenale proſtaret. Eorum abſolutè rerum tantum fœlicitati deeſt, aliquis dominatus, cuius ſtabili firmitate eorum potentia, opeſque nitantur. Sed cum illius aſſequendi ſpem omnem uicini Principes ſui tenaces prorſus abſcindant; in Caſtri dynaſtiam tota cupiditate feruntur; quam alieno ære obrutam, expediendiſque meis nominibus fidei pignori poſitam cauſati cuperent ſubijci haſtæ, ut ſibi pluris licentibus addiceretur. Verum inania ſibi effingunt, rationeſque nimium creduli abſente creditore, ſubducunt. Armis ſiquidem, quando tranſactione non poſſim, illam à Fratrum cupidine aſſeram, hæreditariamq; mihi à maioribus meis relictam, poſteris itidem de manu tranſmittam; nec ſinam mihi inuito eripi. Hæc ſunt diſſidiorum fomenta, hæ orituri belli faces; non aliqua mea in Pontificem contumacia, quem ut optimæ uoluntatis, & probitatis eximiæ ſubmiſsè ueneror; pigetque me illius nimium teneri in Nepotes amoris, quo in arma, in belli difficultates, in obliquum ſe ſinit abduci. Non tamen eius minas, neq; arma formido. A me ſtat æquitas cauſæ, pro qua Superi præter amicorum auxilia, pugnabunt. Mihi aderunt Veneti, magnuſque Etruriæ, Mutinæque Duces, ſociatis una uiribus, percuſſoque ſimul fœdere pro me induent arma; quorum permagni intereſt, ne Pontificia potentia fiat noui dominatus acceſſione ualidior; ne amici, conſanguinei, affiniſque Principis incendium in eorum quoque ditiones obrepat, ad quod extinguendum fœderati Principes tripartito armati prodibunt; illatiſque in ipſa Pontificiæ ditionis uiſcera ſignis, tantum Barberinis negotij facient; ut illos crabrones irritaſſe pœniteat. Cur me impetunt bello? cur Caſtri dominatum inuadunt? meiſque ditionibus conantur euertere? quid quod etiam in has ipſas urbes cupidos oculos adiecerunt? Me forſan perduellionis criminantur, quòd eam urbem contra eorum uim munimentis, ualidiorique præſidio firmauerim?; nouum crimen, atque ante hunc diem inauditum perfidiæ agere reum; qui ſtrenuè ſua tuetur, qui ſuas vrbes ſibi eripi ignauè non patitur, qui vim ſibi illatam propellit. Meorum nominum ſolutionem ſuæ cupiditati prætexunt. Si creditorum indemnitas tantum illis curæ eſt: cur vim parant, quaſi illa expedire recuſem, armiſque id obtinere contendunt; quod pacatè, nulloque ſtrepitu forenſi, ne dum violenti Martis periculis aſſequi poſſunt. Mitiùs, ſuauiùſque cum Principibus agendum eſt, non protinus arma intentanda. Sed, vt libet, fremant, arma expediant, bellumque minentur; ſi Caſtrum ab his meis terris procul auulſum, ac proinde hoſtili violentiæ obnoxium violenter abripient; efficiam profectò, vt citò malè ingeſtum euomant; nec

me

me hoſtium potentia terrebit; quominus ablata repetam bella, armiſque repoſcam. Vnus tantum meum metus animum pungit; ne ad alienandos à fide populos, ſolito Pontificum more, ferro validius armis ſpiritalibus, diriſque puguet, nobiſque ſacris omnibus interdicat. Verum ſi me vectigales eadem, qua ego illos charitate amplectentur; nihil ijs armis terreri ſe ſinent; quorum fulmina vt iuſtè vibrata formidanda Chriſtiano homini ſunt; ita iniuſtè incuſſa, non admodum metuenda eſſe puto; ni me fallit ſacrarum rerum imperitia, vt præſentis virtute Numinis deſtituta, æquitati duntaxat ex ſuo inſtituto fauentis. Sed quæcumque illa futura ſint; à meis illa terris amoliar, nec vulgari, aut publicis locis patiar affigi, nequam religionem populo iniiciant. Verebar aliquid de ancipiti Religioſorum fide; vt pote qui Pontifici addicti in eius verba iurarunt. At ipſi alienis malis edocti, qui vt Pontificis imperio parerent, deſerta Principum cauſa, ſub quorum patrocinio, fide, munificentiaque quieſcebant; opulentis domicilijs, & ditibus prouentibus mulctati, exactique ab ijs etiamnum dominatibus exulant, à quibus imprudenter, inconſultoque diſceſſerunt; impenſius etiam, quàm poſcebantur, ſe conſtantiſſimè in officio manſuros receperunt. De meorum vectigalium fide non dubito, quos ad vltimum illam culturos certo ſcio. Vos verò acciui, non vt ad eandem fidem ſeruandam hortarer. Iniurioſè enim me vobiſcum acturum putarem; ſi quos dicti ſacramenti religio, natiua in veſtros Principes obſeruantia, ac veneratio, æquitas cauſæ per ſe ipſa in meum cogit obſequium: id à vobis ſuaſionibus obtinere contenderem, quòd iam teneo: ſed vt mei fidi miniſtri quidquid virium, quibquid roboris, conſilijque eſt, in tutamentum veſtri Principis proferatis. Veſtræ conſtantia fidei, & amoris innixus quid aduerſi, ac mali potero à meis hoſtibus formidare? Pontificia ingruant bella, eius fulminent diræ, nulla me hoſtilium minarum, & conatuum terrebit atrocitas. Vectigalium beneuolentia armata Principis maieſtas quibuſcunque propugnaculis, munimentiſque validior hoſtium auſus, niſuſque ſecura ridet, circumfuſoſque non pauet exercitus. Amantium ciuium obtentu pectorum vallatum Principem nulla aduerſæ fortunæ iacula ferient. Vobis mea ſtipantibus latera, veſtriſque ſtudijs, præſidijſque validus contra quælibet mala audentior ibo, quàm firmo obſeptus exercitu. Tanti veſtra ſtudia, obſequiaque facio, vt me ſatis eſſe contra hoſtium vim munitum putem: ſi veſtra opera vtar. Amatum à populis, & proceribus Principem nunquam ſanè, aut admodum raró fœlicitas fortunæ deſtituit. Si dominatus æternum perennant, qui vectigalium charitate fulciuntur. Mutua tamen debet eſſe inter Principes, & ciues beneuolentia, ſtudia, auxilia. Nunquam ego ſanè, maioreſque mei, quantum mihi videor, nec fallor, noſtro officio defuimus, clementer, benignè, ſuauiter à nobis habitis vectigalibus, quos omnes filiorum loco duco, omniaq; eorum cauſa volo: patritium præſertim ordinē mei dominatus columen, fulcimentumq; præcipua charitate complector: iiſq; omnibus honoribus augeo,

quibus

quibus à me pro cuiuſque virtute, dotibus, ingenio, meaque fortuna coli, atq; affici poſſunt: ſic ego à vobis conſtantem fidem, præſidium, operam, ſtudia in hoc rerum mearum turbine uiciſſim expecto.

Non fuit valdè Duci laborandum ſpontè in Farneſiam domum, ſuopteque ingenio propenſos in ſui ſtudium, officiumque impellere; ab omnibus promptis vocibus acclamatum eſt; *nihil de ſua in ipſum voluntate, veneratione, beneuolentiaq; uereretur, ſe ſuas fortunas omnes, liberos, uitamq; ipſam eius obſequijs, ſalutique deuouentes, ſe eadem diſcrimina cum ipſo, fortunāq; ſubituros, quam fata dediſſent. Non remiſſiùs in Ducem Placentinorum ciuium ſtudium efferbuit, certatim ſiquidem ſuam fidelem, fortemque operam Farneſiæ tuendæ familiæ obtulerunt.*

Primatum erga Ducē fides, & beneuolentia.

Quamuis Pontificis iræ eò prouectæ fuiſſent, vt iam bellum Parmenſi Duci coactis vndique in id bellatoribus, minarentur; & Dux ad illud propulſandum Italis Principibus ſolicitatis ad arma, animum, præſidiaque expediret: non deerant tamen aliqui nimio plus ſuſpicaces; qui ea diſſidia ſimultatum imitamenta, ſimulationeſq; odiorum inani coniectura cenſebant; eaq; inferendi, repellendiq; belli ſpecie tegi aliquod pernicioſum in Inſubres, aut in Neapolitanum Regnum conſiliorum, odiorumq; prætextu vtrinq; arma parati, vt quo magis repentinus, eò acrior, violentiorque belli impetus foret.

Maligna mortalium ſuſpitiones.

Etenim fieri nō poterat, vt Parmenſis Dux dynaſtā Etreum inuito Gallo Rege, à quo toties in Galliam fuerat accerſitus, præcipuè cum in ea temporis difficultate illius ſubſidia Duci maximè eſſent opus, in ſua aula retineret quem tamen miſſis ad Regem, Cardinalemque Richelium ſupplicibus nuntijs, enixiſſimè ad armorum imperium, & regimen eo Pontificio bello expetitum obtinuerit: niſi ex mutua ingeniorum propenſione Pontifex, Parmenſiſq; Dux cum Gallis arcana conſpiratione conſentirent. Quæ tamen deliramenta hominum otioſorum erumpens in vtriuſq; partis exitium bellum aperuit.

Venetæ Reipublicæ anceps conſilium.

Veneta Reſpublica quamuis amaro eſſet animo, quòd Pontificem nec precibus, & officijs lenire, pacareq; potuiſſet: immo omnium Chriſtianorum Principum flagitationes non exoratus reſpuiſſet: & quadam natiua miſeratione ad Ducem armis aſſerendum raperetur: dubia tamen, ne illi facta ſubſidiorum ſpe in maiores auſus eius ferox ſpiritus efferueſceret: eaque bellorum mala in Italiam inueheret, quæ totis conatibus contendebat auertere; ardori animi temperauit, continuitq; ſe ſe ſuarum parcior opum, ſubſidiorumque ſpei tenacior, ne alienis ſe inſerens rebus, aliquod ſibi pernicioſum bellum conflaret: ſi tamen Pontifex Caſtri dominatu contentus, ab inceſſendis bello Parma, & Placentia abſtineret; quibus ſi Ducem extorrem facere, immiſſis exercitibus, deſtinaret: tunc communi malo ſociatis cum cæteris Italiæ Principibus armis, communibus etiam viribus occurreret.

Eius prudentia.

Antiſtes Vitellius Pontificis apud Rempublicam legatus ſenatus occulta con-

ta conſilia incertum qua ratione, ſolerter aduertens ad Collegij patres ingreſſus multa de optima in Rempublicam Pontificis voluntate diſſeruit; vt eos à Parmenſis Ducis tuendi cogitationibus, & conſilijs auerteret: omnia illum molliora expertum eſſe remedia, vt Ducem ad ſanam mentem reuocaret; magis illum lenitate ferocire; ſacroſanctam Maieſtatem inſolentius aſpernantem, armaque Pontificiæ ditioni inferre minari. Verum cum Patres, ſeu Ferdinandi Scoti monito, ſeu aliunde cognouiſſent, Pontificem de occupanda Parma, & Placentia meditari; actis Legato gratijs, quòd hoc ſingulari officio Rempublicam Pontificis nomine coluiſſet, cum eo egerũt, vt Pontificem admoneret, ſibi perſuadere ſenatum, illum poſitis armis, abſiſtentemque bello clementem Patrem in Parmenſem Ducem acturum; vt ipſe mitius habitus oblata ſpe veniæ reſipiſcens ad officium rediret. Cæterum ipſius ſeueritatem non ſolum Principes Italos, ſed etiam exteros Reges in bella, atque arma tracturam; quibus Legatus ſubdidit, quidquid Pontifex minus mite feciſſet, eò ſpectare, vt Eccleſiæ iura, debitamque à ſuis beneficiarijs, & vectigalibus ſupremæ inter Mortales maieſtati venerationem, obſeruantiamque tueretur. Parmenſem Ducem non tantum intra verba peccaſſe; ſed auſum acerbiora, quàm vt ad illa foret Pontifici conniuendum. Quare ſi ad Ferarienſes fines armorum fremitus audirent, ſi cogi eo milites, atque arma viderent: optare ſe omnem ſuſpicionem à ſuis animis amouerent: non ea in Reipublicæ detrimentum, perniciemq; expediri: quæ ad contundendam duntaxat Parmenſis Ducis contumaciam, ſubmittendamque ferociam parabantur: cui cum humilibus obſequijs eſſet lenienda Pontificis ira; aggerans offenſas Pontificiæ ditioni arma intẽtaret. Hæ Pontificis molitiones, atque ad Venetos fines armorum congeries magnam Patribus ſuſpitionem iniecere, ne aliud grauiùs, quàm Parmenſe bellum turbido animo agitaret; præſertim cum Melaram in Ferarienſi agro non ſolum milites induxiſſet; ſed etiam ad Veneti dominatus confinia munitiſſimum propugnaculum excitaſſet. Nec Hiſpani erant à metu ſecuri, ne in ſua quoque damna ea belli procella coiret: quod Dux Parmenſis dedita opera illis amicè ſignificaſſet, ſe a Gallis ingentibus pretijs oblatis, quàm flagrantiſſimis officijs ſolicitari, vt Parmam, & Placentiam Gallicis præſidijs muniri pateretur. Quocirca Regis Catholici rebus conducere, ſeruatumq; iri in Italia eius incolumes dominatus, putabant; ſi ſuis armis eo Principe vindicando, Gallica auxilia amouerentur, Pontificiaq; arma intra Latios fines procul ab Inſubribus diſtinerent. Verum primum omnium ad Ducem tuendum, atq; ad belli impenſas illi erat ſuſficienda pecunia; ne Pontificijs armis, inopia premente, ſuccumberet: decretumque fuit id maximè efflagitante Magno Etruriæ Duce: vt viceaa quina aureorum millia in menſem à Mediolani Produce, & Prorege Neapolis penderentur. Id a Prorege abſciſsè negatum: Mutinenſis Dux idem ſentiebat ab omnibus Principibus in cõmune conferendam pecuniam, qua geri bellum, aliq; poſſet. Veneti quoque Mutinenſis Ducis non improbato conſilio,

Vitellius Legatus Venetos patres alloquitur.

Senatus reſponſio ad Vitellium.

Hiſpanorũ decretũ de Parmenſi Duce iuuãdo.

conſilio, non ſolum officijs, ſed etiam militũ pecuniarumq; ſubſidia laturos ſpem dabant, ſi ſuos conatus alij quoque Itali Principes ſecundaſſent.

Summi Pontificis mens, & destinata.

Demarchus Montecuculus de Parmenſibus rebus cum Pontifice diſſerens cognouit eius fixum inſidere animo Caſtrum, Montemq; altum Pontificio velle adijcere dominatui; quòd ex illius pretio ditionis expedire Parmenſis Ducis nomina promiſiſſet, Farneſiæque menſæ creditoribus debita ſoluere. Quo animaduerſo Dux Mutinenſis conciliandæ diſcordiæ, euellendique pullulantia bellorum ſemina in ſpem rurſus erectus, quòd Parmenſis Ducis nominum expeditio retinendi Caſtri Pontificis prætextum abſcinderet, & omnes diſſidiorum cauſæ, eo ſoluto ære alieno, tollerentur: rationẽ intenta cura tantæ congerendæ pecuniæ inibat: nam ad decies centena, & ducenta aureorum millia debita Ducis exceſſerant: ex quibus tamen ſi ſexcenta tantum millia Pontifici ſoluerentur; ea ſumma contentus futurum, vt etiam facilior, pacatiorq; cæteris poſtulatis acquieſceret. Erant hæc optimè prudenti mente, conſilioque conſtituta, atq; digeſta; eodem rebus ſtantibus, quo antea loco; ſed cum Dux vulgato diplomate, eiectoq; ex ſuæ ditionis finibus Placentino Antiſtite, expulſiſque alterius dominatus Religioſis viris, nimium Pontificis animum aſperaſſet; vani, irritique laboris erat, cum illo ampliùs de pace ineũda, cõponendiſq; rebus pactione tranſigere, vel illum pacare conari. Mutinenſis itaque Dux ad alia conſilia conuerſus Parmenſem conuenire cupiebat, vt ſimul in commune conſulerent, quid magis rebus afflictis leuandis expediret. Ad Niciam itaque amnem ambo progreſſi ad vtriuſque ditionis fines arcanis alloquijs ſemotis arbitris, diu acri cura de occurrendo huic Pontificij belli incommodo, redimendoq; Caſtro alia, atque alia ſpe, metuque inuicem ſubijciente, plurima diſcuſſerunt.

Parmenſis Ducis nomina.

Lenza. Mutinenſis Ducis cum Parmenſe colloquium.

Viſum fuit, vt Dux Mutinenſis officiorum ardore, exactaque cura exprimeret, quid Veneta Reſpublica, Etruſcuſque Dux de hoc negotio planè ſentirent. Inſtanti Duci illa reſpondit, *ſe nũquã recuſaſſe ea ſubſidia ſufficere, quæ in commune Italiæ commodum redundarent; hoc ſibi ſemper fuiſſe propoſitum, ut omnium ſociorum Principum ſaluti caueretur; eumdem quoq; nunc morem retenturã*; eadem Magnus Dux Etruriæ reddidit. Idcircò Dux Mutinenſis vtriuſque in aſſerendo Parmenſi Duce alacritate conſpecta, ſuaſit non tantum pecuniam, ſed etiam arma, vires, conſiliaque ſocianda, vt imminentia non Parmenſi tantum Duci, ſed toti Italiæ mala propellerent. Interim vt pacatius nullo belli ſtrepitu ageretur, Reſpublica acrioribus officijs Pontificem vrgeret, inſtaretque premendo, vt Caſtrum Duci reſtitueret. Hoc fuit ſagax, tolerſque Mutinenſis Ducis conſilium, quo in tuendo Parmenſi Duce Rempublicam irretiret; ex quo poſtea illius belli incendium exarſit; quòd ægrè a Venetis, Etruſcoque Duce, atque inuitè ſuſceptum, imperite, tumultuariè; adminiſtratum, nulloq; partum fructu immo pernicie profligatum eſt.

Reipublicæ Venetæ ad Mutinẽſem Ducem reſponſum.

Ritus apud Pontificem officia pro Caſtro reſtituendo.

Huius Principum in Pontificem conſpirationis quamquam in arcano

coale-

Principum conſpirationem Barberini ſuſpicantur.

coaleſcentis murmura Barberinorum aures peruagata pulſarunt. Nihil tamen trepidi, vel quia non crederent Italiæ Principes pro aliena cauſa cum militum, & pecuniarum impendiis velle ſe bellorum periculis obiicecere: vel nunquam ſimul fœdera percuſſuros in Pontificem vererentur; validis copiis armati per Mutinenſem agrum in Parmenſem à Duce ſuis armis tranſitum poſtularunt. Tunc enimuerò non amplius dubii de Pontificis deſtinatis fremere Principes, communicare conſilia, arma acuere, de Pontificio bello totis conatibus propulſando cogitare, ne Eccleſiaſticum imperium nimio plus in Inſubres proferretur.

principum bellici apparatus.

Caſtel Frãco.

Summus Pontifex iuſſerat Thadęum Barberinum Põtificii exercitus ſupremũ Ducẽ omnes copias ad Caſtrum Gallorũ in ſtatiua deducere; ibiq; vniuerſa militũ agmina cogere, quę vndiq: de Põtificio dominatu authorata mittebantur; eòq; ſimul tormentorũ apparatũ, impedimentaq; omnia in caſtra deuehere; quò expeditiora omnia in promptu eſſent, cũ in Parmensẽ agrũ profecturũ foret exercitus; quãdo eodẽ tẽpore Marillianus Cardinalis Durazzii Bononiæ Legati auditor Mutinenſem Ducẽ aditũ Pontificiis copiis per eius ditionẽ trãſitũ poſcit: *addens Pontificem Parmã, & Placẽtiã admoto exercitu, inuadere decreuiſſe; vt eũ Principẽ turbida cõſilia a itantẽ ad totius Italiæ quietẽ ſe cogeret exarmare: tranſactiones omnes nullos fructus habuiſſe: irritos, inaneſq; omnium interceſſionum conatus, vt Dux ſubmiſſa cõtumaci ferocia, vectigalis, & beneficiarius ſuo domino pacatior obſequeretur: nullum aliud domandæ tantæ peruicaciæ remedium ſupereſſe: quàm armorum vim ad compeſcendã refractarÿ Principis audaciã admouere; immiſſis in Parmenſem agrum copÿs, quibus Dux ad quietiora conſilia ineunda cõpelleretur: illatiſque eius ditionibus ſignis, translato in hoſticum bello, clades quas ille Pontificio dominatui intentaret, in ipſius caput, exitiumq; auerterentur: non dubitare Pontificem, quin tam pia vota conceſſo per ſuum dominatum copÿs aditu, eius quoq; ſublimitas ſecundaret.* Hac repentina attonitus petitione Dux, quã non ita cito maturatum iri putauerat; quòd inermis, omniq; præſidio nudatus numeroſis Pontificis copiis ad ſuos fines tendentibus, atq; in Mutinensẽ agrũ pro arbitrio irrupturis repugnare non poterat: varia arte, cautaq; tergiuerſatione Marilliani poſtulata Auditoris eludens rationẽ ſedulus veſtigabat; qua Pontificiũ exercitum à ſuæ ditionis ſtatiuis, atq; hoſpitiis auerteret, & ab inuadendo Leuiro ſuo hoſtium arma impunè ſummoueret: quare Auditori ita reſpondit; *ſe minimè vereri quin Pontificis deſtinata pia, iuſtaque eſſent, atque ad Italiæ quietem, tranquillitatemque ſpectarent; ignorare tamen ſe, an cæteri Principes de eo armorum intempeſtiuo, importunoque motu eadem cum ipſo ſenſuri eſſent: an Pontificis conſilia ad parandam bello Italiæ quietem, an ad excindendum Parmenſem Ducem, vſurpandumque eius dominatum collinearent: ſeq; iure timere, ne illi turbidi aliquid, violentiq; ab eo tentamento ſuſpicati ad fruſtrandas eius petitiones, eludendaſq; artes percuſſo fœdere conſilia, vires, atque arma coniungerent: quo paria bellatorum robora Pontificÿs copÿs obmolirentur: ex qua poſtea armorum conten-*

Pŏtifex per Mutinenſẽ agrum trãſitum ſuis copÿs petit.

Mutinenſis Ducis reſpõſio.

tione in ſuarum ditionem excidium periculoſum belli incendium erumperet. Poſt varia mutuo iterata reſponſa ſubiecit inſuper Dux; *ſe Summum Pontificem enixè precari, vt has ſuas iuſtas excuſationes boni conſuleret; neque ſe illi cogeret aduerſari, quòd inuitiſſimus, & niſi vltima neceſſitate preſſus, compulſuſque faceret: amiciſſimi Principis, ſuiq; affinis res ſibi non eſſe negligendas; immo ab eius capite omnia pericula propulſanda: magis tamen ſe peculiaria ſui animi ſenſa alio congreſſu eſſe dicturum.* His verborum officijs moras trahere ſtudebat: quò longioris temporis beneficio potiora, vtiliora ad ſuam, leuerique ſui incolumitatem, ſalutemque ſuggererentur.

Italorum Principum indignatio.

Vbi in vulgus petiti Pontificijs copijs à Mutinenſi Duce rumores tranſitus exierunt; mirum eſt quanta non ſolum Veneti, magnuſq; Etruriæ Dux, ſed etiam Hiſpani indignatione fremuerint. Alios Mutinenſis Ducis miſerebat inter anguſtias deprehenſi, coactique ſuum dominatum continuis armatorum, atq; agminum tranſeuntium violentiæ, rapinis, inſolentiæque obnoxium intueri; cum manifeſto amittendi alicuius oppidi periculo: quo ſibi Pontifex ad ſeruandam conuentorum fidem caueri poſcebat. Interim ad Diuum Hilarium ſæpe Mutinæ, Parmæque Duces congreſſi; ibi arcanis alloquijs perquirebant, quomodo ingruentis belli turbinis impetus frangerent: ſaluberrimum omnium decretum viſum eſt: conſilia ſimul, atque arma ſociare, in primis verò omnibus officijs, atq; obſequijs Rempublicam Venetam pro communi cauſa tuenda in fœdera trahere: cuius valido, potentique patrocinio poterant hoſtiles ridere conatus. Dux Parmenſis ſui affinis potiora ducens, ne quid detrimenti ſua cauſa pateretur; aſſenſit, vt Pontificijs copijs per ſuum dominatum tranſitum daret: quòd inermis ſuis eas finibus prohibere non poterat ſine pernicie: quamuis Pontificius exercitus octo bellatorum millium ſummam non excederet; tyro miles omnis, militariſque imperitus diſciplinæ, tumultuario magis, quàm accurato delectu conſcriptus ab aratro, & ſarculo ad militiam adſcitus; ac proinde belli ſcientium iudicio non adeò formidandus. Etenim cum ijs tantulis copijs inuadenda eſſet Parma munitiſſima ciuitas pro pugnaculis per interualla ſurgentibus in latera valido pugnaci, bellicoſoq; præſidio defenſa, impigro, ſtrenuo, animoſoque Principe in ea curante: non erant magnopere metuendæ; præter id quod ad ampli eius ambitus vrbem obſidendam quadruplo maior exercitus opus erat. Attamen cum ex Pontificijs prouincijs bellicoſorum hominum, ferociumq; incolarũ feracibus alijs, atq; alijs aduenientibus in caſtra militum agminibus, ad formidandam molem creſcere, augeriq; poſſet: adeò ſpernendæ non erant, vt etiã eſſent maximè pertimeſcendæ; atq; idcircò citiùs, maturiùſq; hæ Pontificis minæ Principes Italos in mutua fędera compulerunt.

Crebri Mutinenſis, Parmenſiſq; Ducum cõgreſſus.

Veneta Reipublica auxilia depoſcunt.

Celeres tabellarios vtriq; Duces Parmenſis, Mutinenſiſque Venetias alterum ad Demarchum Taſſonem, alterum ad Comitem Ferdinandum Scotum miſerunt cum mãdatis; vt protinus Venetos proceres, purpuratoſq; Patres de petito per Mutinenſem dominatũ ſuis copijs à Pontifice tranſitu, de eius conſilijs, & mo-

litio-

litionibus admonerent; orarentq; munificentiſſimæ Reipublicæ impetito hoſtilibus armis Parmenſi Duci ſubita,expeditaque ſubſidia: nec amicum Principem, quod ſuæ clementiæ erat, Pontificijs armis proteri, exſcindique ſinerent. Ambo ſui mandata Principis exequuti grauiora etiam de Pontificis deſtinatis retulerunt: non vnum Parmæ, & Placentiæ dominatum, ſed etiam ad Mirandulæ munitiſſimam arcem anhelantis, arcanoq; conſenſu in id ingentibus pretijs oblatis delinitas eius oppidi Principes Fœminas cum Pontifice conſpirare. Quo nuntio commoti Patres animaduerſo Pontificis molitiones non eo ſolum tendere, vt Parmenſem Ducem incuſſo belli metu, eius ditionis oppugnatione ad debita venerationis, obſeruantiæque beneficiarij, & vectigalis obſequia compellerent: ſed etiam Parma,& Placentia occupatis, obtentaque Mirandulæ arce, latiùs protenderent Pontificij fines imperij, non ampliùs cunctandum rati reſpondent. *Suos maiores perpetuo, laudabilique inſtituto conſueuiſſe ſemper pro Italiæ quiete, incolumitateque eius Principum excubare: ſe pariter ab auita virtute, ac ſolicitudine non degeneres animos habituros, vt in alienos inuolantes dominatus ab hac prouincia armis expellerent.* Deinde admiſſo in Collegium Pontificio Legato grauibus, & ſerijs querelis obnuntiant, *ſe nunquam paſſuros Parmenſem Ducem à Pontifice opprimi; cuius importuna arma in totam Italiam maxima cladium, calamitatum, omniumque malorum pericula inductura erant: illum etiam arcanis conſpirationibus in Mirandulæ arcem irrepere tentare: quod omnium indignationem, odiaque Principum, atque adeò arma conciturum erat: proinde Pontificem miſſis per Reipublicæ tabellarium literis, admoneret; ne Italiam armorum tumultu miſcere pergeret, cuius, vt omnium mitis Parentis muneris erat, illam, etiam decedendo aliquid de ſuis iuribus tranquillare.* Iubent præterea Valerium Antelmum Florentiæ apud Magnum Etruriæ Ducem nuntiũ illi Principi ſignificare neceſſitatem, qua in tanto rerum turbine Pontificiarum minarum terrore ſe præſidiarijs copijs armare omnes Italiæ Principes cogebantur: ſe omninò decreuiſſe, non modo acribus remedijs ingruẽti in omnium exitium malo occurrere: verum etiam alijs Principibus ſuadere, vt ad communem ſalutem, incolumitatemq; tuendã conſilia, atq; arma ſociarẽt. Magnus Dux ardens in ſeruanda Italiæ quiete Reipublicæ ſtudium ampliſſimis laudibus proſequutus adiecit; *quando eo prouectæ res erant, vt ab importuno Pontificiorum armorum tumultu non niſi clades, calamitateſq; timeri poſſent; non amplius tranſactionum negotijs, pangendiſq; fœderibus tempus terendum; ſed omnibus ſubito ad ſui tutamentum procurrẽdum ad arma; & quaſi inita ſolis tantum nutibus ſocietate, voluntates, vireſq; iungendas; in id quoq; conſilium Mutinenſem Ducem conſenſurum, cuius tanti intererat Pontificia arma à ſui dominatus finibus ſummouere.*

Quondam Iulia Taurica.

Venetæ Reipublicæ reſponſio.

Eius de Pontifice querela.

Eius ad magnum Ducẽ Legati alloquium.

Magni Ducis reſpõſio.

Parmenſis Dux adeò impauido, præſentique animo erat; vt illum diem ſibi videre videretur, quo vniuerſa acie cum hoſte confligeret; immo certo propoſuerat animo Pontificiarũ copiarum non in ſua ditione impetum

Parmenſis Ducis ferocia.

Oo 2 expe-

expectare; ſed hoſte occupato, ſigna vltrò eius prouintijs audacter inferre; qui etiam ſi inferior militum numero eſſet, ſuorum tamen bellatorum virtute, reiq; militaris peritia longè hoſtem præſtaret; tutius, vtiliuſq; eſſe in hoſtico bellare, atq; a ſuis terris in hoſtiles belli mala regerere; quàm ſuum dominatum rapacis, cruentiq; Martis aream facere; proinde ſe per Regienſem, Mutinenſemq; agrum ab eo ſupplicē ſuo agmini tranſitum poſtulare; ſuam fidē obſtringere, milites ſine maleficio prætergreſſuros; nec ſe in Mutinenſibus terris moraturum, niſi quantum neceſſitas poſceret; atq; pœnis indictis frenaturum militarem inſolentiā, vt eius rebus magis, quā ſuis proprijs in tranſitu parcerent. Mutinenſis Leueri ſui poſtulatis indulſit, eiuſque animum magno Duci ob neglectas Caſtri res infenſum, auerſumq; pacauit. Vincentio inſuper Donnelino ſuo à ſecretis Florētiam miſſo, Magnum Ducem ad expedienda pro eo auxilia ſolicitauit; qui ſe paratum ad conueniēdum cum Veneta Republica, Mutinenſiq; Duce eſſe reſpondit: ſuaſque eſſe pro Italiæ quiete, Parmenſiſq; Ducis ſubſidio, ſaluteque partes acturum: ſuggerere ſe tantum Pontifici prius hoc inter Principes ineundum fœdus, quo communibus viribus eius ſerpenti latius potētiæ obuiam irēt, armorumq; curſum præciderent, ſignificandum; ſi forte huius obnuntiationis territus acerbitate a perſequendo Parmenſi Duce bello mitior abſiſteret.

Magni Ducis prudens conſilium.

Galli Regis Legatus Romæ accepto petiti à Mutinenſi Duce Pontificijs copijs tranſitus nuntio, conſcenſo curru, Cardinalē Antonium Barberinum conuenit: vt certiora de tam animoſæ expeditionis cōſilio, ac decreto cognoſceret, diſertiſq; verbis obteſtatus eſt, *ſuum Regem nunquā paſſurū Parmæ Ducem ſuo dominatu euerti*. Cui Cardinalis *Pōtificē à Duce armato, Romaniſq; ditionibus identidem arma intentante in hæc belli conſilia, expeditionumq; cogitationes impelli; vt cōtumacis Ducis ferociam, quā lenire molliora non poterāt, acriora remedia cōſtringerent: credere ſe Pontificē poſitis armis, abſtiturū bello, ſi aliquis Princeps ſua obligata fide ſe prædē conſtitueret, Parmenſem Ducē nullā Pontificijs ditionibus facturū moleſtiā*. Hac voce Gallus Legatus cupidè excepta, promiſit, ceſſante ab armis Pontifice, ſe Lionnis dynaſtā Parmā miſſurum; vt eum Principem ad conueniendum de pace, cōponēdaq; pactione diſſidia adduceret: eandē ſpem fecit Etruſco Legato Cardinalis Antonius, eadēq; Antiſtes Bichius Pontificis iuſſu Legato affirmauit: eo intentati belli metu nihil aliud à Parmenſi Duce contendi, quā vt ille exarmatus, ſe Chriſtianis ſacris, ſublato anathemate, reſtitui poſtularet. Bonus tamen Venetus nuntius ſuis officijs à Pontifice certi, decretiq; nihil de non promouendis in Parmenſem agrum, vel intra ſui dominatus fines continendis armis, expreſſit: hoc tantum Pontifex ſæpius ingeſſit, *ſe propoſuiſſe animo Parmenſem Ducem ad officium, obſequiumque cogere, quod ſuo ſupremo Domino à ſuo beneficiario debetur*. Nuntio ambiguis reſponſis implicito, neque certiora retulit Legatus Etruſcus, hoc amplius addidit Pontifex, *ſe tantum in Latio, quantum in Inſubribus redditurum, ſi Dux reſcipiſcens, elatos, feroceſque ſpiritus humilis ſubmiſiſſet*.

Galli Legati ad Cardinalem Barberinum obteſtationes.

Eius oblationes.

Pontificis reſponſa.

Hiſpa-

Digitized by Google

Hiſpani Legati officiũ

Hiſpanus verò Legatus variante ad impetus animi ſententiam Pontifice, inter loquendum minus elicuit: dum enim pericula graui oratione Pontifici ſubijceret, quibus mota intempeſtiuè arma Italiæ quietem turbatura erant: & quantum hoc importuno bello Italię Principes indignati commouerentur; reſpondit Pontifex *ſuam mentem non eſſe, traductis in Inſubres armis Duci eius urbes eripere; ſed dum ille ageret cerebroſum, & contumax*

Pontifex eãdem reſpõſionem inculcat.

Pontificiam ſperneret maieſtatem, ſe ſtatuiſſe in eius terras tranſlato bello, ſuperfuſis obrutum copijs ad petendam ſuæ audaciæ ueniam vi admota compellere: cum id ſua dignitas poſtularet; ut uectigalem, beneficiarumq; Principem ad debitum ſupremo domino officium, & fidem uel cogere recuſantem: de partis bello Ducis rebus in Inſubribus ſe quaſcumq; conditiones ferrent arbitri, accepturum; de reddendo uerò Caſtro preces omnes, flagitationes obturatis auribus excuſſurum. His Pontificis iteratis ſæpiùs ad Principum, Regumq; legatos mentis ſuę declarationibus cum magis de eius deſtinatis, conſilijſq; dubitarent: pręcipue explorato, illum in ipſo ſuorum in Parmenſem agrum armorum ingreſſu, propoſuiſſe vulgato diplomate, Duci, atq; eius vectigalibus ſacris omnibus interdicere, eoſque dicto ſuo Principi ſoluere ſacramento: acriori ſolicitudine in eã curã incubuere, vt Pontificis cõſilia, minas, decretaq; diſcuterent. Ille vero ſuarũ ſecurus viriũ, potẽtiæq; fidẽs gaudebat in

Principum vanæ cogitationes.

ſinu nullos Reges ſuis conatibus interceſſuros; cũ Regis Galli exercitus Laletania, Germania, Belgiũq; maioribus expeditionibus implicitos deſtinerẽt; nec Hiſpanis vndiq; hoſtilibus armis impulſis, impetitiſq; bellis vacaret alienis ſe immiſcere diſſidijs, eiq; Duci ſubſidia ſubmittere; qui paucis ante annis inito cum Gallis, Allobrogeq; Duce fędere, in feſta ſigna Inſubribus intuliſſet. Rempublicam autem Venetam non magnopere, minuſque alios Italiæ Principes formidabat; qui conſpectis ad Caſtrum viribus Põtificijs, pro meliore habituri erant ex tuto aliena pericula intueri. Quamobrem audentior animo, atque alacrior noua iuſſa repetit, Mutinenſem Ducem

Põtificis fiducia.

ſolicitari, vt per ſuam ditionem Pontificijs copijs aditum præbeat. Qui tandem frementis ad ſuos fines exercitus vicinitate territus ſatius duxit eius poſtulatis acquieſcere; quàm obſepto aditu, in ſuas terras irruentium ſe inuito copiarum impetum, belliq; clades pernicioſo conſilio con-

Ducis Mutinenſis prudens cõſiliũ

uertere. Verum, vt tranſitum moraretur, diuturniuſq; temporis ſpatium percutiendo inter Principes fœderi interijceret: de tranſeundi ratione prius ad vtriuſque partis ſecuritatem tranſigendum eſſe ſubiecit. Qua Mutinenſis Ducis facilitate admodum læti Romani miniſtri Romam regreſſi, ſtatim Carpeniæ comitem nutu Pontificis ad Ducem legarunt, qui allatis eius litteris, cum ampliſſima tranſigendi authoritate, cum Mutinenſi Du-

Dux Mutinenſis tranſitum Pontificijs copijs cõcedit

ce de exercitus per eius ditionem prætergreſſu conuenit; ſed tot, ac tantis præſcriptis tranſituro agmini conditionibus, vt neque ingenioſius, prudentius, cautiuſque aliquid à perſpicaciſſimo Principe conueniri potuiſſet. Trium dierum ſpatium ad tranſeundum Pontificijs copijs præſtituit, vias ingrediendas, loca, in quibus agmini ſubſiſtendum ad quietem, quã trahen-

 da tor-

da tormenta; cui equitum, peditumq; numero, ſimul iunctis cohortibus, & turmis gradiendum foret: quomodo commeatus, fęnum, fruges, atq; alia iter habentibus neceſſaria habituri, ita accurata, ſagaciq; ſanctione præſcripſit, vt comes nihil de Ducis animi ſynceritate ſuſpicatus, ſe omnia compoſuiſſe fęliciter lętaretur. Dux conſultò moras trahens ſe ad repugnandum inſtruebat, ſi quid de conuentis conditionibus, rupta à Pontificijs fide, deceſſiſſet; qui toto eo negotio parum cauti, exiguiq; conſilij ab acerrimi iudicij Principe ad eius arbitrium ſe circumagi paſſi; ſi per Mutinēſem agrũ, vti cum Duce conuenerāt, tranſijſſent; eodemq; tempore ſolutis ordinibus, quaſi palantes nulla validos copiarum mole, ſed exiguo turmatim incedentium numero robore exercitus eneruato, Parmenſis Dux ſtipatis agminibus inuaſiſſet; ſicuti facturus dicebatur, procul dubiò primo eos impetu obtriuiſſet. Interim Dux Mutinenſis per Demarchum Taſſonem expoſito ſui, Parmenſiſque Ducis imminenti diſcrimine, Venetam Rempublicam vrgere inſtitit; vt deſtinata perficere maturaret; anguſtias, in quas ipſe coniectus ingemiſceret, longiores non pati moras; ſed poſcere, vt illicò iunctis viribus, totis armorum conatibus ingruentia in vniuerſam Italiam mala, fracto Pontificis copiarum impetu, in ipſa hoſtium capita auerterentur. Miſſus itaq; protinus Ballarinus à Secretis Mutinam à Senatu, vt ſanciendo fœderi, ſociandiſque armis aditum patefaceret; iuſſus præterea ex tranſitu Mantuanum Ducem, & Mirandulæ Principes fœminas adire, vt mutua ſtudia, beneuolentiamq; renouaret, exploraretque accuratè Pontificiorum de ea arce occupanda conſilia.

Venetam Rempublicã ad arma ſolicitat.

Eodem tempore à Franciſco Maria Zatto magni Etruriæ Ducis Venetijs internuntio ad Senatum ſui Principis conſilia expoſita fuere; quæ cum Reipublicæ vota, & placita ſecundarent: ijs ſtatim à patribus aſſenſum eſt, à Mutinenſi tamen, Parmenſiq; Ducibus improbata, quòd ijs tranſactionibus nimias rei protinus ob vrgentia pericula perficiendæ, pernicioſaſq; inijcerent moras. Sentiebant hi duo Principes ſtatim, ac Pontificia arma ſe in Mutinenſem agrum inueherent; iam expedito exercitu ingredientibus occurrendum; atq; Mutinenſibus excluſa finibus in Bononienſes campos compellenda. Quamobrem Dux Mutinenſis, Demarcho Alphonſo Fontanella Florentiam miſſo, Magnum Ducem ad feſtinandum extemplò fœdus, ineundamque belli ſocietatem conatur accendere: qui commendato in aſſerendo Leuiro ſuo ardente Mutinenſis ſtudio, ſuis miniſtris Venetias miſſis libera mandata dedit, vt fœdus cum Republica ad communem ſalutem, Parmēſemq; Ducem tuendum ferirent. Nec Demarchus Taſſonus interim Patribus ceſſabat ingerere omnem moram eſſe perniciē; & ſinere Pontificias copias in agrum Mutinēſem effundi, peſſimũ conſiliorũ, laborioſiſſimum poſtea fore eas inde reijcere. Quare Senatus iuſſit ſupremum Veneti exercitus Ducem Georgium traiectis vltra Mincium vniuerſis copijs, præter ſolita vrbium, arciumq; præſidia ad Policini fines conſidere; duoq; alia peditum millia in expedito habere, obijcienda, mittendaque quo-

Magnũ Ducem ſolicitat ad fœdus ineundum.

Veneti arma mouent. Poleſine.

quocumq; neceſſitas exegiſſet. Imperatum præterea Aloyſio Theupolo, vt in bellici negotij procuratione Policinij finibus præſideret. Varijs deinde præfectis data diplomata, vt equitum agmina authorarent, ſolicitatique equites Epirotæ, vt coactis extemplò ſuis turmis, in caſtra properarent. Miſſi interea ad Gallum Regem, & Romam celeres tabellarij, alter vt Regis animi ſenſis de hoc Italiæ armorum motu, & Principum fœdere exploratis, eam maieſtatem omnibus obſequijs in ſuas partes, fœderatoſq; propēſū, beneuolūq; demereretur: & in cōmune cōmodū conſpirātibus ſua regia authoritate faueret, quod vltrò facturus videbatur, cum iteratis precibus inſtitiſſet; vt Reſpublica labantem Parmenſis Ducis fortunam ſuis viribus, armiſq; fulciret; quem Pontificijs copijs opprimi nullatenus vellet: alter tabellarius Mutina, Florentiaq; tranſiens, vt illis Principibus ſenatus de pāgēdo fœdere litteras redderet: Romam ad Venetū nūtium erat iturus; quo allatis Reipub. iuſſis, ille cū Magni Ducis, Mutinēſis Principis legatis adito Pōtifici abſciſſa obnūtiatione, obteſtaretur, Italiæ Principes in expedito eſſe; vt percuſſo ſimul fœdere, cōſilia, armaq; ſociarent, quò ruētibus in Parmenſis Ducis perniciē eius armis obſiſterēt. Quibus minis Pōtifex ita reſpondit, *ſe iam nouē mēſes ſtrictis armis in exercitu alendo nimijs diſpēdijs exhauriri, ſeq; nō poſſe amplius cōtineri, quin in Parmensē agrū copias immitteret, neq; fas eſſe in Mutinenſis Ducis eas dominatu in ſtatiuis ceſſare: ſe quoq; maximo angi dolore, quòd obtorto collo Parmenſis Ducis contumaci audacia in bella traheretur.* Eadem Reipublicæ nuntio iterauit, quibus tamen adiecit, *ſi Dux interpoſita alicuius Principis fide premitteret, ſe nihil hoſtile in ditiones Pōtificias moliturū, ſe quoq; à proſequendo bello pariter ceſſaturū: addidit inſuper ſubiratus omnes officijs, precibus à ſe contendere, vt arma cōtineret, belloq; abſiſteret; ſed neminē Ducis libera cōponēdarū rerū ſibi mandata proferre, nec ſuā obligare fidē, de illius continendi ſui intra moderationis fines, obſequendique ſuo ſupremo domino voluntate. Verum ne Ducis minæ, expeditaque arma ſe terrore percellere mortalibus viderentur; cum inſigni Pontificiæ maieſtatis dedecoris labe ſuſceptis belli conſilijs inſiſtendum ſibi eſſe; armaque Parmenſi dominatui inferrenda, vt tandem iudice Marte decerneretur, vtrius iuſtior, & æquior cauſa foret: diſſidiaque bello arbitro tollerentur, ad debitam Pontifici venerationem Duce compulſo.*

Pontifici Principum fœdus pro aſſerendo Parmenſi Duce obnūtiatur.

Pontificis reſponſio.

Gallus Legatus cum ſui propoſiti tenacem primo inferrendi Parmenſi agro ſigna, immotum hærentem conſilio videret, immo ſpiritalium armorum ſociata potentia Ducis vectigales ad rebellandum accendere: nuntium ad Lionnis dynaſtam citatis equis feſtinare iubet, afferreq; literas, quibus illi ſuadebatur; vt ſtudio quàm poſſet maximo, Parmenſem Ducem ad pacatiora conſilia adducendum curaret: obtineretq; ſuadendo, precando, vt vel arma cōtineret, vel ſe penitus exarmaret. Hic Parmā profectus Duci ſignificarat expreſſum a Cardinali Antonio reſponſum, dummodo aliquis Princeps fide ſua eſſe iuberet, illū Pontificias ditiones non aggreſſurū eſſe, neq; à Pontifice ſuas copias in Parmēsē agrū immiſſū iri: cæterū quidquid

Gallus Legatus depacando Duce ſolicitus.

Lionnis dynaſtæ hortamenta ad Ducem.

ipſe à Duce iure cõtenderet,illũ libenter publicæ quieti,tranquillitatiq; deuouere; ſe decies aureorum nummum ob Caſtrum impendiſſe, proinde Dux ſpem omnem eius oppidi iterum recipiendi abijceret, donec ipſe in Pontificatu ſpiritum traheret. Addidit quoq; dynaſta ſe Cardinalẽ Franciſcum Barberinum iſta promentem audiſſe;eſſe prius Duci anathematis abſolutionem petendam, expulſoſq; religioſos viros ſuis domicilijs reſtituẽdos,deinde clementiam Pontificis, implorandam: omnibus viribus illi adnitendum eſſe; vt huius Pontificij belli turbinis impetum declinaret. Mox ſinu extractas Cardinalis Richelij Duci literas reddidit;quibus abeo ſolertiſſimi,ſagaciſſimiq;ingenij purpurato Antiſtite feriò monebatur:vt tantiſper ſuſt.nẽdo,ferendoq; nectetet moras, donec regia arma in Ruſcinonis

Richelij Cardinalis ad Ducem litera.

oppugnatione diſtenta,ea expeditione ſoluta, liberaque in amicorum ſubſidia excurrere poſſent.Cui Dux,ſe libenter arma contenturum, exauthoraturumque milites, dummodo Caſtrum in alicuius amici Principis manibus deponeretur: lite futuro dijudicanda, decernendaque Pontifici reſeruata;cæterum ſe quæcumque pericula ſubiturum, ne Caſtrum diu in Pon-

Farpignano.

tificiorum poteſtate ſeneſceret. Interea ad Gallorum Caſtrum coactis in vnius agminis molem Pontificis cohortibus, & turmis, paratiſq;ad vehenda impedimenta,& ſarcinas plauſtris, atque ad trahenda tormenta equis, bobuſq;expeditis,& foſſoribus in promptu ad æquanda,complanãdaq: itinera,opportuniſq; mandatis à Thadeo Barberino ſummo exercitus Duce cohortium,turmarũ præfectis datis,copiæ iter ingreſſuræ erant,nullatenus

Pontificius exercitus expeditus in armis.

numero imminutæ;quæ,& ſi plurimorum ſuga; ad ſua vicina domicilia dilabentium,& multis morbo, difficultatibus, incommodiſq; conſumptis ad exiguũ numerum redijſſent:cõtinuis tamẽ militũ ſupplementis,quę vndiq; ex amplis Pontificijs dominatibus mitrebantur in caſtra,validiores in dies, firmioreſq; vigebant. Dum Mutinenſi agro Pontificiæ imminent copiæ, Magnus Dux triginta aureorum millia in militum ſtipendia Parmenſi Duci tranſmiſit,vt eo ſubſidio ſua agmina animaret,ſuamq;fortunam in ea rerũ procella fulciret:ſimul ſuo Venetijs nũcio præcepit, vt ijs patribus ſigni-

Magni Ducis auxilia Parmenſi ſubmiſſa.

ficaret, *nolle ſe tranſactionis fœderis pernicioſis cunctationibus prohiberi, quo minus armatus ſororio ſuo periclitanti ſubſidio feſtinaret; iturum ſe cum omnibus copijs Etruſcis in agmina Pontificia ſupremum excidium affini Principi minitantia, ſe quoq;ſperare Rempublicam ſua auxilia in vindicando ab hoſtilibus armis Parmenſi Duce pro ſuis opibus,potentiaq;collaturam.*

Hæc ſolita ſua cunctatione librabat incommoda ex hoc contra Pontificem bello profectura: curæ ſanè erat libertas Italiæ, augebant illam pariter Parmenſis Ducis anguſtiæ,ardens erat illi ſubueniendi deſiderium, quatenus tamen, ne res ſuas in aliquod graue diſcrimen darent. Magna verò animoſitas,ferociaque Ducis, præfracta inque Pontificijs armis obſiſtendi decretum commodum incidens in ipſum articulum, quo Apoſtolicus Nũtius Cardinalis Barberini iuſſu in Collegium ingreſſus acerbiora quædam, aſperioraque Patribus oblocutus eorum animos irritaſſet, Rempubli-

cam

cam tandem perpulit, vt diſertis verbis declararet, *ſe Parmenſis Ducis patrocinium ſuſcepturam; ac ſuorum armorum obiectu Pontificis deſtinatis interceſſuram; miſſiſq; in compendium percutiendi fœderis tranſactionibus, ſociatis cum fœderatis Principibus conſilijs, & armis, eius conatibus occurſuram: quando in ancipiti hærentem an è re ſua eſſet, alienis ſe bellis immiſcere, nec dum etiam ſuffectis Duci auxilijs, tam acerbis Venetos proceres obloquutionibus vellicaſſet.* Accito mox Etruſco internuntio, magni Duci, flagrans in tuendo ſuo ſororio, ſolicitumque ſtudium magnifica laude commendant: ſe quoque communi omnium ſententia ſanxiſſe Parmenſi Duci omnibus viribus præſto eſſe: interim illũ quadraginta aureorũ millium ſubſidio leuare, quos comes Scotus ad Ducẽ tuto perferẽdos curaret; pro rata ei' parte, q̃ ſibi eſſet ex percutiẽdi fęderis legib. cũ alijs Principib. cõferẽdũ. Nec diu ĩ ineũda huiuſmodi ſocietate cũctãdũ. Mitteret igitur Cõquiſitorẽ cũ liberis mãdatis, qui cũ cęteris Principũ legatis de fęderis cõditionib. conueniret. Parmenſis Dux tranſigentibus de fędere Principum Cõquiſitorib. animoſus, fiducię q; plenus, tot ſociorũ affuturis ſibi ſubſidijs, valida ad reſiſtendũ auxilia cogebat; affluentibus, vndiq; ad eius ſigna ex vicinis vrbibus volonibus bellatoribus. Parmã ad vetera propugnacula adiectis interiorib. atq; exteriorib. munimẽtis ex recẽti militari peritia firmabat; Caſtrũ Pouilũ ad cõfinia, per quæ hoſtilis irrupturus erat exercitus, aggeribus, loricis, parmulis accuratè vallabat: illatis in omnia cõmeatibus loca, aggeſtiſq; pluribus pyrij pulueris cadis, atq; ad tendenda tormenta ferreis globis infatigabili cura, diu, noctuq; inquies, atq; audax hoſtilium armorũ excepturus impetum ferociebat. Per comitẽ Scotũ Rempublicã monuit: Põtificias copias quarto, aut tertio idus Auguſti in ſua dãna moturas; ſe ſalubriori conſilio, decreuiſſe nõ expectare in ſuo dominatu hoſtis impulſus; ſed illum extra ſuos fines audacter inuadere, vt plus animi, potioriſq; fortunæ eſt inferenti bellũ, quã propulſanti, quo vltro occupatus ijs belli malis iactetur, quę ſuã expectantis domũ inuecturus erat: id nõ difficile fieri poſſe, ſi aliquam ſuorum militum partem ſibi ſubſidio ſubmitterent. Reſpublica audax Ducis conſilium cautior ſueta incedere non probauit: vt pote que ſperaret res citra belli diſcrimina poſſe cõponi. Territus enim tot Principum in aſſerẽdo Parmenſi Duce conſpiratione Pontifex ab inuadendo fortaſſe eius dominatu fracta eius duritie, remiſſoq; rigore, abſtinuiſſet; quòd ſi vltro inferendo bello Dux eius animum acerbaſſet; efferatior, vt à ſuo beneficiario, vectigalique Principe laceſſitus auctis ad formidandum numerum copijs, magis, quam deſtinaſſet, ſæuire potuiſſet. Igitur non ſani eſſe conſilij putabat, Ducem Venetorum ope ſubnixum, ſubſidijſque præſentibus fretum in maiores ſpes crectũ ea belli tentamenta audere; quæ ipſa cauere ſumma contentione niteretur. Dux tamẽ Mutinenſis eiuſdẽ cum Parmẽſi Principe mentis, ac propoſiti, quatuor ſcilicet peditũ millib. & aliquot equitũ turmis Parmenſi agmini iunctis, communibus viribus Pontificios dominatus inuadere ſtatuit: eodẽ tempore, quo Pontificis copiæ ſe in Parmenſem agrum

Reſpublica aſperata bellum in Pontificem decernit.

Dux Parmenſis milites conducit a-maq; expedit.

Eius audax decretum.

Reſpublica Ducis conſilium damnat.

Mutinenſis Ducis propoſitum.

inue-

inueherent; vt qui in alieno ſolo belli flammas accenderẽt, iam ardentia in ſuo incendia ad extinguenda recurrere cogerentur. Miſſo nihilominus Venetias Aloyſio Patruo ſuo eos Patres de ſui animi ſenſis edocuit: quorum conſilium etiam cum ſuarum iactura rerum ſeu ineundum bellum, ſiue eo abſiſtendum ſuaderent, ſe omninò ſequuturum pollicetur. Cui Reſpublica reſpondit, *Ducem iam locupletiſſimos eius ſalutis, incolumitatiſque deſiderij ſui teſtes habuiſſe, ſuæque menti fixum inſidere una cum Ma no Etruriæ Duce Parmenſem Ducem omnibus ſubſidiorum generibus adiuuare: in ſingula momenta illius Conquiſitorem expectari cum ampliſſima, liberaq; feriend cum Republica fœderis poteſtate; quo ſancito ſtatim trium fœderatorum Principum arma in bellum pro Duce Parmenſi profectura*.

Etruſci Legati Venetijs.

Poſtridie quarto videlicet idus Auguſti Eques Dominicus Pãdolphinus Venetias aduenit, qui vna cum nuntio Zato in Collegium admiſſus conſilia ſui Principis magni Ducis aperuit, quæ ſibi proprio ore credidiſſet: patenteſq; litteras protulit, quibus vtriſque pangendi fœderis libera facultas, poteſtaſque dabatur. Reſpublica verò, vt omnibus moris abſciſſis, fœdus cæleriter maturaret, cuius tardior, & longior tranſactio futura erat; ſi omnium Collegij Patrum ſcita, ac placita expectanda, ac ſolitis cautelis libranda fuiſſent; duobus grauiſſimis ſenatoribus id negotij remiſſum, qui Reipublicæ vtiliora, ſocijs Principibus ſalubriora accurato examine trutinarent.

Reipublicæ procerũ, & Legatorum cõſeſſus pro fœdere ineũdo.

Hi ſæpius vna cum magni Ducis Miniſtris, cum Principe Aloyſio Atheſtino, & cum Demarcho Taſſone frequentius in conclaue Venetiarum Principis conueniebant: vt ibi dictis ſententijs, ſerio, atque accuratè diſcuterent, quid communibus rebus magis expediret. Primum omnium relatum eſt, an in illum conuentum Ducis Parmenſis miniſtri accerſendi eſſent: viſum eſt, eos admittendos non eſſe, ne accito in fędera Parmẽſi Duce, eo in partes diſceſſu, cõciliandę pacis ſequeſtrum honore, poteſtateq; priuarentur: nec ipſe Dux eo includi fędere, magnopere laborabat eorum Principum ſubſidio contẽtus: quo ſua arma pro arbitrio circumferret nullius addictus imperio, eaq; conſilia ſolus iniret, quæ ad recipiendũ caſtrum vtiliora eſſe viderẽtur: quã vrbem nihil penſi fęderatos Principes habere cõſtabat.

Parmenſis Dux excluditur fœdere.

Quidquid in eo cõgreſſu decerneretur: in Senatũ a Principe, & ad ſuos Duces à miniſtris per celeres tabellarios referebatur, vt eorum placita, ſenſaq; cognoſcerent.

Pontificius Nuntius his arcanis conuentibus animaduerſis, ſuſpicionem Gallis miniſtris inijcere ſatagebat: eos Principes Parmenſis Ducis tuendi ſpecie, re vera, vt aliquod contra præſentem fęlicem Gallorum fortunam omnibus Principibus formidandam funeſtum perniciosumque molian tur: ijs crebris congreſſibus fœdera pangere. Verum has Nuntij artes Galli Regis preces, flagitationeſque eluſere; quibus cum Republica enixiùs agebat, vt arma, uires, ſubſidiaq; ad Parmenſem Ducem tuendum expediret, iamq; eadem ad omnem ſuſpicionem a Regis animo auertendam, de hoc ſanciẽdo, ob Parmẽſẽ Ducẽ à Põtificijs armis tegẽdũ illũ fędere admonuerat.

Dum Venetijs frequentibus miniſtrorum cõuentibus cõſulitur. Põtificij

exer-

exercitus à Gallorum Caſtro in Mutinenſem agrum profectioni idus Auguſti præſtitutus eſt dies; typis impreſſis Pontificis diplomatis in ipſo ſtatim in Parmenſem agrum copiarum ingreſſu celebrioribus locis affigendis, quibus Ducis vectigalibus, ipſique Duci ſacris omnibus interdicebatur, ea ſpe huiuſmodi ſpiritalium armorum terrore perculſos, ſolutoſq; ſacramento populos à ſuo Principe defecturos; fœderatoſque Principes à Ducis partibus, & fœdere diſceſſuros. Satius tamen Pontifex duxit eorum ſpiritalium armorum iaculationibus abſtinere: quæ cum pectoribus immunibus, ſolam animam feriant: recens mortalium impietas aſpernatur.

Pontificij diplomatibus Ducem bellare parant.

Sed quamuis Pontificius exercitus collectis vaſis ad iter agrum Parmenſem verſus ineundum in expedito foret; bis tamen, aut ter, neſcio quibus superuenientibus difficultatibus, detentus continuit gradum; vexato interim moleſtiſſima cura Mutinenſi Duce, quod hac Pontificiorum in ſuis finibus mora in parandis commeatibus, hoſpitijſque inſtruendis, aliiſq; rebus alendis copijs neceſſarijs expediendis angeretur. Ex quo expoſtulandi, incusãdiq; acribus querelis Pontificios occaſione arrepta, obteſtatus eſt Ducibus, ſe non tutum illis per ſuas ditiones tranſitum præſtiturum; niſi intra quintum Kalendas ſeptembris ſuos fines intrarent. Hæc in ipſo itineris aditu offendicula Romam Demarchi Matthæi, aliorumque ducum nunciata litteris, quibus etiam diſertè affirmabant inſanæ temeritatis eſſe, ad Parmenſem dominatum inuadendum audere proficiſci: quòd ad lanienam milites ducerentur, quorum tanto terrore occupati, attonitiq; animi erant, vt turmatim dilaberentur à caſtris: mortis horrore eorum occulos perpetuo obuerſante: & equitis Pandolphini, cum reliquis Principum legatis frequentes congreſſus, vt de ſanciendo fœdere conuenirent, quaſi certum Pontificem de aliqua pacta, vel pangenda contra ſua arma ſocietate, perpulerunt, vt mutato conſilio vlterius ſuas copias non inuehi iuſſerit: regredi tamen eò loci progreſſos quaſi Ducis territos armis, & tantis conatibus, ac minis abſiſtere, niſi ſumma cum dedecoris labe, & bellicæ exiſtimationis iactura non poterant. Quare Pontifex Galli Regis efficaciter flagitantis, vt ſuæ temperans indignationi Parmenſi bello abſtineret; precum obtentu ſuorum texit ignauiam, meticuloſique receſſus turpitudinem honeſtauit.

Pontificius exercitus mouetur in Parmam.

Pontificia territa copia dilabuntur.

Miniſtri ſiquidem Pontificij cum Gallo legato egerunt, vt à Põtifice quindecim dierum moram inferendis Parmenſi dominatui ſignis enixè contenderet; vt minori pudore ab eo loco diſcederet, ſuæ formidini Galli legati interceſſione prætexta; qui ab ijs belli periculis Parmenſis Ducis cupidus eruendi ſupplex à Pontifice poſtulat; vt in eius dominatum differri iubeat copiarum ingreſſum. Annuit Pontifex, vt quindecim dierum pangerentur induciæ, nihilque hoſtile in Ducem moueretur: hoc pio titulo indulgendo Principum votis pro eo precantium proſequendi eleuans belli metum, & ad confirmandam clementiæ fidem, iuſſit ſummum exercitus Ducem militum agmina ad colligendas quiete vires, reficiendaque corpora, in vicina ſtatiua dimittere; cum mandatis tamen, vt ad nutum inſtructi ad

Quindecim dierũ panguntur induciæ.

iter

iter forent, quocumque eos imperia vocaſſent.

Principũ ad Pontificem pro Duce Parmenſi obteſtationes

Principum miniſtri Romæ cum Pontificis, Barberinorumque fratrum pectora formidine trepidare vidiſſent, ob conſpirantium vno ſenſu Italiæ Principum in Parmenſis Ducis auxilium contra pontificia arma, arcanaq; conſilia liberiùs, audaciùſq; alloquendum Pontificem putarunt. Quare vna voce obteſtantur ſuos Principes nolle omninò Parmenſem Ducem Pontificijs armis exſcindi, neque eius oppida ab Eccleſiaſticis occupari. Pontifex quamuis varijs cum Principum Legatis, nuntijſque congreſſibus ad alloquium ſuum admiſſis acerbiſſimè de illorum Principibus querens acribus verbis conceptam animo indignationem, & iram fateretur; ingenti tamen dolore commotus eſt, cum Principum fixum animis inſediſſe cognouit, eos numquam paſſuros in Parmenſem ditionem Pontificias copias inuehi.

Dux inducias auerſatur.

Solus Dux Parmenſis ſe ijs inducijs grauari, vt detrimentum rebus ſuis afferentibus querebatur; quòd milites ſui p caſtra vulgatis inducijs aliò moras pertæſi dilaberentur; qui libenter ſub ſignis durabant ob flagrans confligendi cum Pontificio exercitu, hoſtileſque terras inuadendi deſiderium: ſe interim nimijs impenſis abſumi, copiarum ſtatiuis exhauriri incolas, expilariq; loca; præter id quod ſibi gloriam, honoremque adimi ægrè ferebat, quem ſibi de victo acie hoſtili exercitu ceſſuram pollicebatur, quo etiam ille ſanciendi fœderis ardor elanguit.

Parmenſis Ducis ferocia.

Verum Lionnis dynaſta eiuſdem cum Gallo legato conſilij ratus elapſis induciarum diebus, Parmenſem Ducem à Pontificijs copijs inuaſum iri; ſummo ſtudio contendebat ad conueniendum cum Pontifice illum adducere, ſed ab obfirmato in ſuo propoſito animo nihil aliud extundere potuit; quam abſciſſum, præfractumque reſponſum *nequaquam ſe à belli conſilijs abſceſſurum, niſi in priſtinum, atque in integrum omnia reſtituerentur, aut in medij Principis manibus Caſtro depoſito, de eo amittendo non dubitaret.* Sed cum Dux nihil de ſua ferocia remittere, aut aliquid de ſuo iure decedere recuſaret, & Pontifex hac eius contumacia ad priſtina belli conſilia rediturus videretur: nec res pacari, niſi fracta altera parte belli cladibus, poſſent;

Principum conſpiratio pro Duce aſſerendo.

tandem Principum legati Venetijs in has Leges in Barberinos fœdere percuſſo conſpirant: hæc paucula ad armorum ſuorum iuſtitiam declarandam præfati.

In Nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, Beatæ Mariæ Virginis, & Diui Marci.

TVmultus, quos in Italia in Parmenſem Ducem Pontificia mota arma ciuere; non ſolum Rempublicam Venetam, Magnum Etruriæ Ducem, &

Mutinæ

Mutinæ Principem, vt ſuorum vectigalium ſaluti, atque incolumitati conſulerent, impulerunt, ſed etiam, vt excitas turbas ad commune cõmodum, & quietem quacumque ratione ſedarent. Ad hæc pia vota implenda pridie Kal. Septembris inter ſe percuſſo fœdere conſpirarunt; nullo prius officiorum genere intermiſſo, vt hæc eadem citra belli diſcrimina, armorumque ſtrepitus obtinerent. Verum ſicuti huius inter Principes ineundi fœderis incuſſo terrore, effectum eſt; vt intentata Parmenſis Ducis in Inſubribus dominatui Pontificia arma ab ijs terris inuadendis auerterentur; ita non datum, vt omninò compreſſo belli incendio, irritis officiorum conatibus, Italia prorſus quieti priſtinæ redderetur. Quare cum certis propoſuerint animis omnes diſſidiorum cauſas tollere, quæ illam ſublata pace, turbarunt: neque hoc ſine efficaciori, acriorique remedio obtineri poſſit; Ioannes Baptiſta Nanus, Vincentius Guſſonus eques, Ioannes Baptiſta Gondus primus Magni Ducis à ſecretis, & Franciſcus Maria Zatus, eius aulicus patritius, & Eques Dominicus Pandolphinus eiuſdem magni Ducis interuntius, & Demarchus Hippolytus Taſſonus rei tormentariæ Ducis Mutinenſis præfectus prolatis ſuorum Principum literis, quibus illis ampliſſima fœderis percutiendi facultas dabatur: in has leges, conditioneſque conuenere.

1 Vt ad duodeuiginti peditum, & duo equitum millia, & ſeptingentos fœderatorum vires augerentur; quibus maior etiam bellatorum ſumma, pro vt commodum poſtulauerit; adderetur: communibus ſociorum impendijs pro ratione authoranda. *Iſti fœderis conditiones.*

2 Vt ex ea copiarum mole duo conflentur exercitus, alter octo, aut nouem peditum millibus, & mille nongentis equitibus validus, qui in Pontificias ditiones ab Etruria bellaret; alter cæteris peditum, & equitum millibus conſtans alibi ſe, quò hoſtis ingrueret, obijceret; omnes ex exteris gentibus conducantur.

3 In vtroque exercitu fœderis ſigna explicentur: dicaturq; procerum, vel Ducum de rebus bellicis decernentium conſilium; in quo ſociorum ſinguli Principum ſua ſuffragia ferant; exequanturque copiarum Duces quidquid plurium conſenſus ſanciuerit.

4 Copiarum ab Etruria Pontificias ditiones inuadentium Magnum Ducem penes ſit imperium; Dux Mutinenſis in alteris curet; totius verò exercitus imperator cum aliorum fœderatorum Principum aſſenſu, à Republica renuntietur.

5 Commeatus, fruges, pyrius puluis, ferrei globi, tormenta à Magno Duce in Etruſco exercitu expediantur; alteri viciniores Principes pro ratione ſufficiant; conferentibus ad ea emenda remotioribus pecuniam.

6 Eodem die communi ſociorum ſententia præſcribendo ambo exercitus in Pontificias ditiones irrumpant; ſed in primis Padi litora ad Venetos fines validis præſidijs firmentur; vt tutior ſit in Ferrarienſem agrum copiarum traiectus.

7 Oppida

Digitized by Google

7 Oppida communibus viribus expugnata ſociorum Principum nomine teneantur ijs præſidijs impoſitis, quæ bellico conſilio ſatis eſſe videbuntur.

8 Nemo pacem ſeorſim cum hoſte componat, induciaſque pangat, ſine aliorum Principum fœderatorum conſenſu.

9 Mutuo ſe ijs copijs, & viribus fœderati Principes tueantur.

10 Aditus Parmenſi Duci ingrediendi fœderis relinquatur, qui iiſdem, quibus cæteri fœderati obligationibus teneatur: & cum eius res toto eo bello agerentur, ſuis copijs omnibus ſcilicet mille equitum, & ſexcentis equitibus moſchettarijs, & mille quadringentis peditibus ſociorum conatus iuuaret.

11 Mutinenſis, Parmenſiſque Duces alterni imperent armis. Parmenſi cum cæteris ſocijs par ius ſit in bellico conſeſſu ferendi ſuffragij, quæ cum paria ſint, ſi fortaſſe in diuerſas bina ſciſſa ſententias à cæteris diſſiderent, ea pars prægrauet, cum qua Reipublicæ ſuffragium conſenſerit.

12 Fœderati totis conatibus adnitantur, vt Caſtrum Parmenſi Duci, & quidquid illi ereptum fuerit, reddatur, occupataque oppida hactenus teneantur, donec eidem Duci adempta reſtituantur.

13 Hæ percuſſi fęderis leges intra quindecim dies rata à ſocijs Principibus habeantur.

14 Primum omnium prætento valido agmine Padi litora occupentur. His pacti fœderis conditionibus à Legatis ſingulis ſubſignatis, vulgatiſque litteris, quibus cauſæ initi fœderis, mouendiq; arma continebantur: Roma auocatis fœderatorum Principum internuntijs, dimiſſoque Venetiis Pontificio Legato, ingens, opinioneq; maius bellum exarſit: ſed primo impetu validum, mox ſeneſcens, poſtremo neutrius partis fructu, immo militum rapinis indigenis exitiale, irritis conatibus prorſus inane in mutua ſtudia, officiaq; abijt. Huius fęderis rumor quamuis occultiſſimè Venetijs icti, Romæ tamen ditidus Pontificis, Barberinorumq; fratrum quoq; aures afflauit: nulla primo veluti fallaci habita fides, quòd nunquam Reſpublica, magnuſq; Dux conſpiraturi fuiſſe in Pontificem crederentur: quia ſecus Venetijs, Florentiaq; Legati Romam nuntiarant.

Pontificius Legatus Venetijs amãdatur.

Fœderatis Principibus in mutuam auxilium, Italiæq; libertatis tutamẽtum expedientibus arma, & bellicorum fremitu apparatuum, turmarum, cohortiumq; concurſibus vniuerſa ſtrepente Italia: iam Dux Parmenſis valido volonum equitum ex prima nobilitate procerum ſtipatus agmine Pontificias ditiones inuadere feſtinabat: certus cum primum occurreret, cum hoſte certare: atq; in hoſticum auerſo à ſuis ditionibus bello, ijs cladibus excindere Pontificias, quas ſuis vectigalibus minabantur. Quantis Lionnis dynaſta officijs inſtitit, vt Ducem ab eo audaci conſilio abduceret? ne ab ipſo primum, vltroq; armis Pontificijs illatis, componendarum rerum ſpem prorſus abſcinderet? Verum Duce obfirmato animo ſuas copias

Bellici Principum apparatus.

copias in Bononienſem agrum effundere: ſuis irritis precibus Bononiam aduolauit; vt à Thadęo Barberino ſupremo Pontificij exercitus Duce, alijſque miniſtris aliquam ſpem pacis exprimeret, de firmo aggrediendi hoſtiles terras Ducis propoſito prius admonitis. Hæc dynaſtæ nuntia anilia deliramenta, meræque nugæ Pontificijs, ac ridicula videbantur; cum in ſuum animum inducere non poſſent; quin Dux tot illi minantium excidium armorum, atque è propinquo frementium fragore metu attonitus latibula quæreret: & præcipuè Ferragallus à ſecretis ad hos nuntios dulces cachinnos dicitur ſuſtuliſſe; miſereri potius Ducis, quàm eius arma, minaſq; formidare viſus: dynaſta ſuis dictis, quaſi de ſomniantium viſis fidem ab illis miniſtris non haberi indignatus, citatis equis Romam magnis itineribus contendit; vt Pontifici ſynceram ſuorum officiorum fidem probaret, ageretq; cum eo, vt affectis rebus aliquid conſuli pateretur.

Pontificiorũ nimia credulitas.

Parmenſis Dux affirmata ſibi iterum à Mutinenſi liberi per eius ditiones tranſitus facultate, Rempublicam Venetam de ſui perficiendi conſilij neceſſitate literis docet; tam diuturnis ſuarum copiarum in Parmenſi agro ſtatiuis, quidquid commeatuum, & pabuli erat, exhauſtum, nimijs incolas impenſis affligi, conſumique aſſiduis incommodis, grauari vectigales: ſe pecuniæ egentem non poſſe militibus ſtipendia metiri: longiori mora ſe vltimi excidij manifeſtum periculum aditurum; nam tædio vſquequaque effluentibus copijs, ſe nudum, deſtitutum afflictum hoſtium iniurijs, ſæuitiæ, arbitrioque obnoxium futurum. Venetorum procerum animos perculit tam audax, præfractumque Ducis propoſitum tantopere ſui moderati regiminis placitis, atque inſtitutis aduerſans, ſeque in implicitos, ac difficiles rerum anfractus, & pedicas præcipites ſponte ruiſſe ingemuere. Nam ſeu victus, ſeu victor Dux eo certamine foret: verebantur ne maximarum calamitatũ fluctibus tota Italia iactanda eſſet; ac fędiſſimis cladibus obruenda: cum à Ducis fœderi non adſcripti ferocientis animi impetu ad eius libita rapi neceſſe erat. Quare Ferdinando ſcoto in Collegium accito, graui oratione, atque acribus ſenſis de tam præcipiti Ducíſ conſilio queruntur; reſponſumq; pari verborum acerbitate eius litteris eſt: miſſumq; Parmam Ballarinum à ſecretis iubent admotis omnibus precum, officiorumq; machinis Ducem ab eo audaci conſilio, decretoque auertere de debito Apoſtolicæ Sedi ab eo obſequio, venerationeq; monitũ. Pōtificius Legatus, qui nec dũ Venetijs exceſſerat accepto de Ducis Parmenſis decreto nuntio, ad Collegij patres ingreſſus acerbis querelis expoſtulat; *quòd cum Pontificia arma à Gallorum Caſtro in Parmenſem agrum irruptura erant, aſperatis eorum animis impleſſe queſtubus acrem, totamque Italia eorum tonuiſſe minas: quamuis iuſta ſigna refractarij, contumaciſque Ducis, rebelliſq; beneficiarij dominatui inferrentur: nunc mutata vice Duce tam impudente, quàm temerario auſu in Bononienſem agrum, Pontificiaſque ditiones, moturo, Rempublicam alto ſilentio quieſcere, non fremere, non iraſci hoc tam proterno conſilio, neque de turbanda bellis Italia nullã cura, nulla ſolicitudine angi.* Cui hæc reddidere Pa-

Venetæ Reipublicæ cura, & ſolicitudo.

Reſpublica Ducem ab inferendo Pōtifici bello deterret.

Pontificij Legati de Republica querela.

tres

Patrum reſponſio. tres, *ſe adeo hoc Ducis pernicioſo decreto affectos eſſe, vt Ducem acribus litteris increpuerint, vt tanto facinore abſiſteret. Miſſoq; Ballarino à ſecretis officia iterarint: quo illam belli tempeſtatem à Pontificio dominatu diſcuterent. Patres niſi æqua ſuo antiquo more, iuſtaq; velle.*

Verum Dux cæteris verborum contentione iurgãtibus, obloquentium, ſuadentiumque vocibus ſpretis, accita è uicinis hoſpitijs agmina ſub ſuorum tribunorum, ducumque imperio, inter quos Mariſcallus Etreus vniuerſi exercitus Legatus diuturno bellandi vſu conſpicuus eminebat, quæ tria equitum millia ex velitum, loricatorum moſchettariorumque turmis conflata complebant, in ſuburbanis pratis in ſuos ordines explicata ipſe mox ſplendido volonum equitum, & procerum comitatu ſtipatus, præeuntibus ſagittarijs corporis cuſtodibus vniuerſa in conſpectum dat: exploratque accuratè ſingulas turmas; deinde luſtratas iuſſit Regium verſus iter intendere. Luceſcentibus primis Auroræ candoribus, exercitus iter ingreditur, ſecuſque eius vrbis mœnia procedens primis caſtris Marzarã peruenit: ibi obuium habuit Ballarinum; qui illi Reipublicæ nomine omnibus vſus officijs vt ſuaderet, ne eo præcipiti, audacique conſilio, iratoq; animi impetu in obliquum ſe abripi fineret; ſubſiſteret paulìſper temperaretque armis, donec à Republica mitiora, pacatioraque afferrentur; vel quid ſatius agendum putaret. Cui Dux, actis Reipublicæ de ſui boni, ac commodi deſiderio maximis gratijs: *ſe eò prouectum eſſe, vnde rediri ſine turpi dedecoris labe non poſſit; ſuam exiſtimationem non pati ſe ne palmum quidem cedere retro: rogare cæterum Principes fœderatos, vt ſibi magna audenti, belloq; Caſtrum repetenti præſtò ſint, ſuoſque conatus ſubmiſſis ſubſidijs ex eorum munificentia ſecundent: ſuo voto damnatum, fracto enſe, reliquos vitæ dies innoxio quietis ſilentio tranquillos acturum: ſe nolle vnquam à mortalibus dicatur: Parmenſem Ducem hoſtium poſtulatis terrore compulſum acquieuiſſe; ſed potiùs ex nimia animi ferocia, atq; auſus magnitudine corruiſſe:* ac nequicquam ingerente preces Ballarino, decreuit Bononienſem agrum prætergreſſus in media Pontificij dominatus viſcera copias immittere. Eadem Comiti Teſti à Mutinenſi Duce miſſo idem poſtulanti reſpondit. Decimo quarto Kal. Octobris ad Pontificiæ ditionis fines ad diui Cæſarij Pagum prouectus agmen Bononienſi agro prætendit. Thadæus Barberinus iam ſerò vera eſſe, quæ Lionnis dynaſta retulerat, ex euentu cognoſcens, vt Ducis conatibus obſiſteret; copias omnes Diui Ioannis Caſtrum accerſit, vt ab eo opportuno loco, quò neceſſitas vocaret, accurreret: relictis ad præſidium Pumatij duabus peditum cohortibus, quò ſe ſe primo erant hoſtium impetus effuſuri. Ratus inſuper Ducem tam audacia tentamenta non auſurum, niſi ſubſidio venturis Fœderatorum Principum armis fidentem: ſin ſecus, ineuitabile futurum ipſius excidium; cum inter Vrbani propugnaculum, Bononiam, pontificiaſque copias tantulo exercitu ſe imprudens immitteret; his fallacibus de hoſtis metu cogitationibus ſibi ſuarum copiarum robore freto adblanditus alluſit: magna ſibi de Pontificij firmitate exercitus,

Dux Parmenſis ſuas copias luſtrat.

Ballarini officia apud Ducem.

Ducis reſponſio.

Dux in pontificium dominatum mouet.

Pontificiorũ incuria.

ac numero pollicenti, vt nimia incuria ſupinus vix quinto idus mẽſis Octobris hoſtis acceſſum audiuerit. Tum Bononiam terror percurrens ita ciuiũ animos diuturnis pacis ſtudijs aſſuetos, imbelleſq; concuſſit; vt tota vrbe pauore vltimo trepidaretur: ipſiq; copiarum Duces, quibus erant cæteri confirmandi, vultibus pallore, nimio metu ſuffuſis, terrorem augerent; atq; inde in vniuiuerſum idem metus diffuſus exercitum militum animos occupauerat, eòq; timidior fluctuabat; quò hoſtilis audentior, animoſiorq; ferociebat. Dux primo in Plumatium copiarum incuſſu fugato præſidio, atq; aliquot agreſtibus auſis obſiſtere, trucidatis, oppidum momẽto diripuit: quo vniuerſi circuniecti incolæ ſubito metu correpti, atq; perculſi, vix cõpotes ſui vſq; quaq; fugere: implere omnia terrore, cõfuſione, clamorib. fugiẽtiũ cuncta loca perſtrepere. Ipſi primates Bononiæ attoniti metu, ignari quid in tanta rerum trepidatione conſilij explicent, tota vrbe anheli diſcurrere.

Dux Plumatium capt um diripit.

Ad Thadæum tamen aliquantũ recepto animo, nuntios de rei ſucceſſu properè mittunt. Iã Parmẽſibus vrbis mœnia pulſantib. ſe omnium bellicarũ rerũ indigos eſſe; nõ pyriũ puluerẽ, nõ plumbũ ad cõflãdas minorũ tormẽtorũ glandes, nõ funes, alioſq; torm ẽtarios cõmeatus, nullos ſuppetere; admoneat proinde quid cõſilij in tanta vrbis perturbatione capiendum ſit. Miſſi extemplo in Vmbriam, Picenum, Æmiliam feſtini tabellarij, qui vndiq; militum, bellicarumq; rerum ſubſidia ſupremi iuſſu Ducis accerſerent.

Bononiæ rerum difficultates.

Marca, Romagna.

Dux verò ad læuam Gallorum caſtro relicto, deflexo ad dexteram agmine, per vicinorum collium crepidines quatuor paſſuum millia emenſus in regiam viam Bononiam ducentem euaſit; atq; inde ad Reni amnis põtem progreſſus cadente iam ſole vltra flumen Bononiã verſus in periculoſo admodum ſitu caſtra locauit. Si Pontificijs copijs animus, audaciaq; ſuppetiſſet, circunfuſus vndiq; Diui Ioannis Caſtri, Creualcoris, Centi, Bononiæque hoſtilium copiarum ſtatiuis vno impetu deleri potuiſſet. Verum Dux quocunque ſpreto diſcrimine, inde Bononiam ad Cardinalem Legatum Durazzium, ſenatumq; vrbis officioſas literas dedit: per tubicinem caduceatorem allatas, quibus trepidationem omnem à timidis ciuiũ animis prorſus abſterſit. Aiebat enim, *ſe eò loci ſuum exercitum promouiſſe, non vt aliquid damni, aut detrimenti Bononienſibus patritijs, aut alijs ciuibus inferret, quos ſemper ex animo coluiſſet: ſed vt illis ſuam operam ſtudium, atq; arma; ſi quid ijs indigerent, offerret ob perpetuum erga Summum Pontificem venerationis obſequium, obſtrictamque Sedi Apoſtolicæ ſacramento fidem; quam in concuſſam, intemeratamq; vſq; ad extremos ſpiritus ſeruaturus erat: & ob præcipuũ erga Bononienſes proceres obſeruantiam: ſe ibi ex tranſitu eſſe, eò profecturus, vbi ſuarum rerum vindex iniurias vlciſceretur, quæ ſibi, erepto Caſtro, illatæ fuiſſent; & ob intentata ſuis ditionibus in Inſubribus arma, vt ad propria tuenda hoſtes auerteret.*

Dux in Bononienſem agrum inuehitur.

Eius ad Bononienſes literæ.

A Cardinali Durazzo, ſenatuq; Duci paribus literarum obſequijs, atq; officiis reſpõſum eſt. Poſtera die præſens myſtarũ ſacrificijs operatus Forũ Cornelij verſus primum agmen conuertit: quocunq; exercitus raperetur,

Digitized by Google

infœlicium incolarum, agreſtiumq; fortunas inſolentia militum populante, quamuis Dux capite ſanciuerit, ne quis innoxijs colonis eorum reculas eripere auderet. Vix ſtadium proceſſerat agmen, cum ab exploratoribus Duci nuntiatum eſt; aliquot peditũ cohortes cum firma equitum turmarum cuſtodia Foro Cornelij Bononiam proficiſci. Ille extemplò ſuas Loricatorum equitum turmas Duce comite Ludouico Capra vlterius properare iuſſit, vt venientem hoſtem inuaderet; in colliquijs occultatis equitibus moſchettarijs, qui tutum receptum loricatis equitibus facerent, libero viæ ſpatio relicto, vt ſeruatis ordinibus, nemine iter impediente, ſi ab hoſtibus vrgerentur, ad ſocia agmina impunè recurrerent. Pontificij properante contra ſe hoſte conſpecto, illicò arrepta fuga equites Forum Sempronij pedites in colles citato curſu feruntur: duobus tantum Ducibus, & ſeptem equitibus retro relictis, qui à Parmenſibus occupati captiui abducti fuere. Duas quoq; alias equitum turmas, quæ ſe hoſtem è propinquo exploraturę prouexerant, Mariſcallus Etreus egit in fugam. Mirabantur vniuerſi Pontificium exercitum, qui formidanda ſui mole totam Italiam terrore concuſſerat; Parmenſi omnia belli turbine proterente, hoſtiliq; agmine inter tubarum clangores, tympanorumq; ſonitus villas, pagos, mapaliaq; diripiente, ſegnem, ignauum, meticuloſumq; ceſſare: & cum Dux ſine tormentorum apparatu, ſine pedeſtribus copijs perſultans totis nemine Pontificiorum repugnante, ferocienſq; campis incederet; ſpectare è ſtatiuis ſuorum actas, abreptaſq; impunè ab hoſte prædas fœdiſſimo otio torpentem hoſtibus regionem prædantibus non occurrere. Plurimi ſuſpicati Parmenſem cum Pontifice arcano fœdere conſentire, atque Hiſpanis eam belli conflari procellam; ſed hæc erant inania hominum aliena nimis curioſè rimantium commenta. Dux ſuo inſiſtens itineri prope Forum Cornelij ad duo paſſuum millia ſubſtitit; miſſoque Iacobo Spazzino conſiliario ſuo cum tubicine ad vrbis præfectum per mediam vrbem ſuo agmini tranſitum poſtulauit; ſine maleficio ſua obligata fide prætergreſſuro. Heſterna die veſperi Cardinalis Franciottus Æmiliæ legatus vrbem intrauerat, cui remiſſo reſponſo ægrè admodum, atque inuitè aditum Duci daturus videbatur; veritus ne Romæ eo conceſſo, ſibi obtrectaretur: ab aulicis, atq; ſua nimia vel facilitas, vel timiditas carperetur. Tum Spazzinus abſciſsè ſubdidit, *Ducem tranſitum popoſciſſe, non quia de eo ſibi armis patefaciendo, aperiendoq; dubitaret; quòd procul dubio futurum erat, ſi longiores necterent moras; ſed vt vrbanitatis officium, atque obſequium obſeruantia perſolueret: cæterum ſi quæ mala, damnaque ex vſurpato armorum violentia tranſitu ciuibus inferreutur; ſua eminentiæ culpa datum iri*. Hac præerupta obnuntiatione territus Cardinalis ſatius duxit, Thadęi Barberini exemplo, qui validis ſeptus bellatorum agminibus, atq; equitum eius latera ſtipantibus turmis, Gallorum Caſtri inſuper animum vicinitate faciente, pro meliore habuit; irruentibus Ducis armis liberos cedere campos, trepidè, raptimq; ſuis in ſeductiora loca receptis; quàm temerè tranſeunti aduerſando, alquam

Pontificijs ſtruit inſidias.

Pontificij fugiunt.

Inanes mortalium opiniones.

quam à feroci hoſte cladem accipere: nullo præſidio vallatus, nullo armorum obtentu firmus trāſeunti Duci aditum pandere; quàm ciues diripiendos ea inconſulta repugnantia hoſtibus obijcere. Patefactis itaq; portis vrbis primates curribus vecti obuiam Duci prodeunt ad officium: qui oblatis clauibus ineundæ vrbis non copiam modò faciunt, ſed etiam ſe eius arbitrio, fideiq; committunt. Ille recuſatis generosè clauibus, inquit, *ſe non Sedis Apoſtolicæ perduellem, quam ſemper vt fidus beneficiarius ſubmiſsè veneratus eſt, armatum in Pontificias ditiones intraſſe; vt ſuus acceſſus foret incolis, ac ciuibus luctuoſus; regionemque rapinis incendijs, ac cædibus deuaſtaret; ſed vt ſibi ablatum per ſummam iniuriam Caſtrum bello repeteret*: eoſque vt conſtantes in fide erga Pontificē eſſent grauibus verbis admonuit. In vrbem ingreſſus: validis equitum cuſtodijs firmato portarum aditu, cæteras equitum turmas in ſuis quaſque inſtructas ordinibus per mediam vrbē præteruehi iuſſit. Iucundū quini, & quini procedentes è feneſtris, & vijs omnium ordinum, & ſexus aſpicientibus ciuibus ſpectaculum præbuere. Dux Cardinalem Legatum officij cauſa conuenit, à quo omnibus lætitiæ amoris, honoriſq; ſignificationibus exceptus, & cultus poſt mutua verborum officia diſceſſit in caſtra. Poſtera die Fauentiam profectus, vbi ciues vrbis portis aggeribus obſtructis, alijſque excitatis munimentis, ad repugnandum ſe expedire vidit: vrbis interminatus excidium, ni protinus patefactis portis, intra vrbem agmen acciperet: illi Fori Cornelij exemplum ſequuti, veriti ne ſe in vrbem vel inuitis irrumpens illam diriperet; pandunt portas, Ducemque intra mœnia, eiuſque agmen admittunt. Inde Forum Liuij promoto agmine, ciues obniti contra ægerrimè pandere portas, difficultates obmoliri, vt Ducem excluderent vrbe; magno ſanè cum militum imbribus madentium incommodo è cælo perpetuo flante Noto ruentibus: quare cum nequicquam inſtante Spazzino, vt pluuijs imbutos milites ſub tecta reciperent: nouaſque ciues ſubinde difficultates ingererent. Dux ardenti ira ſuccenſus aliquot equites moſchettarios ex equo in pedes deſilire iuſſit; atque aſtiocho portis affixo, diſiectis eius impetu valuis, & poſtibus in vrbem aditum aperire; quo audito abſciſſo Ducis imperio, territi ciues Patrum Capuccinorum cuſtodem caduceatorem emittunt ex vrbe; vt de ciuium ſalute, mulierum pudore, fortuniſque ſeruandis cum Duce pactione conueniat; verum eius Religioſi viri precibus reiectis, prodijt vrbis Antiſtes, vt tranſitus leges cum Duce paciſceretur. Verum nec inſulæ dignitas Ducis lenijt iras, obnuntiantis, ſe nullis vrbem conditionibus accepturum, niſi ſuo ſe permitteret arbitrio; ſubijcienteque Antiſtite omnes ciues armis inſtructos ad pugnam eſſe audacter impetum excepturos, nec ita pronum fore eos impellere: tum Dux iubebo, inquit, aſtiochum portis affigi, proſtratiſque foribus, vrbem à furente milite diripi, vaſtarique omnia, & cædibus, atque incendijs vniuerſa proſterni, nullo ſexu, nullaque ætate à malorum immuni. Hac atroci minarum aſperitate perculſus Antiſtites in-

Dux Parmenſis Forū Cornelij ingreditur.

Eius generoſitas.

Fauentiam init.

Ducis ira in Foroliuiēſes ciues.

Eius minæ.

ſtitit enixè precari, vt ab inferendis vrbi belli cladibus abſtineret: cui Dux ſacroſancta fore templa, nec mulierum pudorem inceſtatum iri, cætera licentiæ militum permittenda. Quamuis in vrbem ingreſſus non ita irati animi impetu paſſus ſe abripi eſt; quin aliquantum intentatis malis, ac cladibus temperarit. Totum poſterum diem in vrbe ſubſtitit ad colligendas quiete equorum vires continuo ſeptem dierum itinere languidas. Ceſena interim Patrum Capuccinorum ſuperior aduenit, vt liberum Duci in vrbem ingreſſum, & tranſitum offerret.

Sua temperat ira.

Pontifex Parmenſis Ducis contumacibus auſis maximè indignatus non ſolum ſe nunquam Caſtrum Duci redditurum iratis vocibus pronuntiauit; ſed etiam bello perſequuturum, & Ducem, & Principes, qui illi ſubſidia ſufficerent: & vt minas re ipſa ſanciret; ſtatim ad centuriandas peditum cohortes, & equitum turmas præfectis centum diplomatis datis, ſe ad cogendos bellicos apparatus, atq; ad acerrimum bellum ciendum inſtruebat: minatus abſciſsè ad belli impenſas ſe pecuniarum aceruis in mole Adriana ſeruatis vſurum. Quare magnus Dux ſuorum vectigalium in tanto rerum turbine tranquillitati, ſalutiq; metuens, vt Pontificem oſtentatis fœderatorum Principum viribus, obiectiſq; validis copijs ad pacem ineundam compelleret: iuſſit ſuos Nuntios Venetijs ſenatui cogendi in vnam exercitus molem vniuerſas ſociorum Principum copias neceſſitatem exprimere; non ſolum ad retinendam icti fœderis exiſtimationem: ſed etiam ad illud belli extinguendum incendium, quod pace Italiæ turbata, poſſet in fœderatorum dominatibus excitati.

Pontificis ira in Parmēſem Ducem, & minæ.

Inter hæc tabellarius Venetias cum literis à Parmenſi Duce miſſus aduenerat per Comitem Ferdinandum Scotum Reipublicæ reddendis, quibus ille ſuorum auſus armorum Venetis probare proceribus conabatur; vt ſi quam propter ſuum in Pontificias ditiones ingreſſum, eorum mitiora cōſilia indignationem animis cōcepiſſent; ac proinde ſua in eum ſtudia remiſiſſent, allatis æquioribus ſui conſilij cauſis ſibi beneuolentiam iterum conciliaret. Verum illæ literæ plus ſuſpicionis procerum animis, quàm iucunditatis iniecerunt: quòd non eſſent Ducis nomine ſubſignatæ, quamuis id per imprudentiam accidiſſet, cum illas Dux ex equo dictaſſe conſtaret: ob alias tamen cauſas inſidias aliquas latere Reſpublica metuebat; quòd inuehenti ſe ſe in Pontificij viſcera dominatus, circunfuſæ Pontificis copiæ illum ſine tormentis, ſine pedite equitum latera firmante euntem obterere validæ non modo nullo ſuo obiectu aliquam moleſtiam intulerint; verum etiam aditum aperuerint; vt vna conſpirare aliquo arcano fœdere Dux cum Pontifice videretur. Quamobrem Reſpublica in ancipiti inter ſpem, metumque hærens aliquod malum potius ex occulto erupturum formidabat; quàm fœlicem aliquem ex eo armorum concuſſu euentum profectutum ſperabat.

Parmenſis Ducis apud Venetos ſui auſus excuſatio.

Venetæ Reipublicæ ſuſpitiones.

Grauior cura Mutinenſis Ducis animo inceſſit primis irrumpentium

tium

tium hoſtilium armorum impreſſionibus obnoxij. Miſſis igitur properè Venetias, Florentiamque nuntijs, ea ſolicitabat ſibi auxilia ſubmitti, de quibus in fœdere mutuo conſenſu conuenerant. Primus magnus Dux ſocij Principis animaduerſo diſcrimine, duo peditum millia, & ducentos equites Mutinam feſtinare iuſſit. Reſpublica verò, & ſi in fœdere percuſſo condicta perficere mens erat; maioribus tamen belli tricis, ac pedicis irretiri præcipuè cum Pontifice auerſabatur. Ipſius potius vota erant, Pontificem tot Principum conſpiratione, armorumque præpotentium minis incuſſo terrore; ad pacis componendæ cogitationes, deponendumq; caſtrum impellere; quàm aperto, violentoq; bello in anguſtias adigere, idq; ab integro ſequeſtre aliquo Principe apud Pontificem agi cupiebat; quo ſociorum exiſtimationi Principum caueretur, & imminentium ab eo bello malorum diſcrimina fugerentur; tria nihilominus Mutinam peditum millia, & trecentos equites miſit, Duce Alphonſo Antonino Veneti equitatus ſupremo conquiſitore, iuſſo equite Angelo Corrario probatæ virtutis, exactæq; prudentiæ Senatore, qui in Gallica legatione, alijs obeundis Reipublicæ muneribus clariſſima virtutum documenta prębuerat: ijs bellicis negotijs pręſidere, atq; agmini maieſtatem Reipublicæ repreſentans ampliſſima authoritate imperare: Dux Mutinenſis feruidiori animi impetu raptus otij impatiens, non tantum Pontifici armorum apparatus oſtentare, ſed omnibus ſimul ſociatis agminibus Pontificios dominatus circumferendo bello, Pontificem ad eis indulgendum cogere armorum incuſſu: quæ officijs, & obſequijs, precibuſq; obtineri non poterat, peroptabat: quod tamen Reſpublica maximè omnium horrebat.

Auxilia à Magno Duce Mutinēſi ſubmiſſa.

Veneti Mutinenſi Duci ſubſidia mittunt.

Ducis Mutinenſis ferocia.

Parmenſis Dux Meldulam profectus Aldobrandinæ familiæ illi ſanguine coniunctiſſimę omnibus humanitatis, beneuolentię, honoriſq; ſignificationibus exceptus eſt. Inde ad magnũ Ducem litteras propria manu ſcriptas Monguido à ſecretis perferendas dedit; quibus ab eo per Etruriam ſuo agmini tranſitum poſtulabat, ſua obſtricta fide recipiens, nemini incolarum noxium futurum: immo quanti commeatus, aliaque venalia agreſtes, cęterique incolæ indicarent: tanti milites mercaturos. Alacriter, atque expeditę magnus Dux facta ſororio ſuo tranſeundi per ſuas terras, ditioneſque copia, Demarchum à Monte, ſuoſque aulicos, & domeſticos ad eum omnibus amoris, obſeruantiæ, munificentięque declarationibus obuiam excipiendum miſit ad Etrurię confinia: iuſſo pariter Demarcho Laurentio Mediceo ſtatiua, commeatus, pabulum in Aretij agro turmis Parmenſibus expedire. Nullę difficultates toto eo itinere properantem Ducem ęquè infeſtarunt; ac continui ruentes è cęlo imbres, quibus madentia agmina per lutulenta itinera identidem veſtigio lapſantia ęgrè iter moliebantur. Verum Ducis exemplum omnia incommoda forti, inuictoque animo perferentis milites animabat. Aretium poſtera die Princeps Matthias Ducem alloquuturus aduenit,

Pluuiæ Parmenſes copias infeſtant.

præſenſque hortaretur, ne vlterius promoueret agmen; ne in medios ſe hoſtes certò periturus immitteret, cum fremente in circumiectis vrbibus ad ipſius irruentia arma communi claſſico, equitum, & peditum agmina, ad eum intercludendum confluerent; ſed pauliſper ſubſiſteret: donec certiora de Pontificijs apparatibus afferrentur. Dux [..]ditus turpitudinem ipſa amariorem, peioremque morte putabat; vlterius progredi arduum, ac diſficile, periculorumque plenum, ſtrepente, vbique formidabili bellicorum apparatuum fama: qui vndique ad ipſum oppugnandum aggerebantur.

Romæ trepidatio.

Verum hos inanes metus per feſtinos tabellarios allatæ miniſtrorum Gallorum litteræ diſcuſſerunt; Parmenſemque Ducem in primo ſuſcepto conſilio firmarunt: nuntiabant enim tanta formidine coſternatos Romanorum ciuium animos eſſe; ac ſi copijs mœnibus vrbis admotis tormentis munimenta pulſaret.

Principis Etruſci hortamenta ad Parmenſē Ducem.

Hortanti nihilominus Principi, vt reducto retro agmine, à proſequendo tam periculoſo, bello abſiſteret, quod in hoſticum nimis audacter inuectus nullo peditum, agmine, nullis tormentis, & bellicis commeatibus firmus à conuolantibus vndique, quaſi ad certam prædam indigenis opprimi inultus poſſet; reſpondit, *ſe rediturum libenter eſſe, ſi fœderati Principes ſua obligata fide promitterent, ſua arma ad recipiendum quoque Caſtrum prolaturos: Magnuſq; Dux eorum turmis per ſuos dominatus tranſitum daret. Commeatus inſuper ad alendum agmen, & pecuniam in ſtipendium per totam hyemem communibus eorum impenſis ſufficerentur: alioquin ſine maxima ſuæ exiſtimationis labe in Etruria diutius morari non poſſe.* His adductus rationibus Princeps Duci ſuaſit, ſi omninò propoſuiſſet animo iterum in Pontificias ditiones agmen immittere; Caſtellam ad Lacum

Caſtiglione.

duceret, ibique paululum ſubſiſteret: deinde lento gradu moueret, vt ſpatium tranſactionibus foret, & in hoſtium animis magis gliſceret metus. Poſtera igitur die eidem itineri, progrediendique conſilio inſiſtens Caſtellam

Dux Caſtellam prouehitur.

cadēte ſole prouectus ſub dio apertis in campis vltra Cortelonam amnem caſtra locauit; quibus mane inde celeriter motis, ne oppidani firmioribus propugnaculis arce, & loci ingenio, & arte munita, ſe validius ad repugnandum inſtruerent. Præſidij præfectus prodierat ex vrbe, vt res cum Duce aliqua pactione componeret; negato tamen abſciſſè in oppidum eius turmis ingreſſu; quod cum Duci turpe admodum dedecus videretur; terribili obnuntiatione minatur; ſe cuncta ferro, igneq; corrupturum, atq; in oppidum aditum omnium turmarum admoto impetu facturum: præfectus tot acribus Ducis territus minis Ducis votis indulſit; in caſtris tamen vario rerum prætextu detentus, atq; in oppidum redire prohibitus, donec omnes equitum turmæ cōpoſitis ordinibus ingreſſæ, effuſæq; per vias, & fora illud

Dux Caſtellā occupat.

nemine hiſcere audente, occuparent. Ibi quatuor muralia tormenta eximiæ ſtructuræ inuenta, quibus vti Dux in cæteris eius belli expeditionibus deſtinabat. Inde ad Principem Matthiam litteras dedit, cum ampliſſima gratiarum actione, quod ſibi tantopere vtilia, ſalubriaque ſuaſiſſet: & vt ſe magis ad quietem, quàm ad bellum propenſum declararet, addidit *ſe di-*

ſceſſu-

ſceſſurum ab armis, ſi Principes fœderati Caſtrum apud ſe depoſitum accipere, tenereque voluiſſent; ea tamen lege, vt intra præſcriptum aliquod tempus in eius ſe poſſeſſionem inducerent; quo Pontificis decori, exiſtimationique conſuleretur: ſe protinus inſuper cum ſuo agmine Parmam rediturum pollicebatur: atque inde citatis equis Romam aduolaturum, vt Pontificis pedibus aduolutus demiſſis precibus ſibi Caſtrum reſtitui poſtularet: ſed Radicofanum prouectus ab aliquo Romæ obuiam ſibi à Pontifice miſſo obſequij ſpecie rogaretur: ne ſe tam longi itineris labore cum ſuæ ſalutis diſcrimine pergeret fatigare; idcirco rediret, huic ſuæ officij, obſeruantiæ, venerationiſq; declarationi Pontificem acquieſcere. Condictumque communi conſilio eſt, vt Princeps Matthias Romam extemplò profectus hoc negotij apud Pontificem ſequeſter obiret: Dux interim Caſtellæ ſubſiſteret, donec quid Romæ tranſactum fuerit, nuntiaretur. Verum hoc fortaſſe ſalubrius conſilium turbas omnes penitus ſublaturum maior ſpes oborta diſcuſſit; ſcilicet an terror Romanorum ciuium animis frementium è propinquo Ducis armorum impulſu Pontifici meliores honeſtioreſque pacis conditiones exprimeret. Namq; adeò trepidari Romæ nuntiabatur, tantaq; formidine attonitam vrbem vario tumultu miſceri, atq; confundi; vt impotes ſui, quid potiſſimum ad propugnandam vrbem expedirent, imbellium ſacerdotum turba ſalubria corrumpente conſilia, quid irruēti hoſti obmolirentur, quæ præſidiaria agmina obijcerent, explicare neſcirent. Quotidie à primatibus vrbis in Capitolio conuentus de rebus bellicis habebantur: quaternis ſingulis vrbis regionibus Romanis patritijs præfectis, qui idoneos ſacramento deſcriberent, ciueſque omnes, & aduenas, præter regum, Venetæ Reipublicæ, Magni Ducis, & Mutinæ, Parmæque Principum, Lucenſiſq; Reipublicæ veſtigales armarent. In Cardinalium quoq; conuentu de eruendis in militum ſtipendia è mole Adriani pecunijs relatum eſt. Sed huic legi Cardinalis Lantus, & Bentiuolus interceſſere. Nam quamuis Parmenſis Dux in Pontificios dominatus inuectus vniuerſa belli terrore concuſſerat; tamen nemini noxio agmine, ad ſuū Caſtrum repetendum feſtinabat: & ſicuti vulgatis litteris manifeſtis, explicatis ſui conſilij cauſis, ſua arma nulli nocitura promiſerat: ita præſtita ingenuè fide, ingentes Pontificij dominatus terrarum tractus, vrbes, oppida ſine maleficio præteruectus Caſtellæ conſtiterat: quare non eſſe cur illæ pecuniæ ad maxima bella propulſanda ſeruatæ, pro vnius imbecillo Principis incurſu ab ærario extraherentur: cum Xiſti Quinti Pontificis diplomata non ita ſancirent. Vrbis tamen mœnia poſitis firmis per interualla militum excubijs, ſumma cura cuſtodiebantur: populus tota vrbe incedebat armatus, clauſis portis Etruriam ſpectantibus: cœteras valida præſidia ſingulis præſidente Antiſtite tuebantur; omnia verò tam interiora, quàm exteriora munimenta Diui Clementis Cardinalis procurabat; qui ſummo ſtudio, inceſſanteq; labore aggeribus excitandis extruendiſq; propugnaculis, claudendis obſtructis parietibus portis; deprimendis foſſis, præcidendiſq; vijs, antiquis munimentis ſarciendis inſudabat: quaſi Gothorum exa-

Eius oblationes.

Romæ conſternatio.

Romani ciues arma expediunt.

Digitized by Google

mina,vel alicuius Sueci Regis validæ, bellicoſæq; copiæ in vrbis excidium ingruerent. Ad demerenda populi ſtudia, leniendamq; animorum acerbitatem vini Romani vectigal ſublatum eſt. Deinde Religioſis viris publicæ ſupplicationes indictæ, quibus Romanæ Eccleſiæ hoſtes diris omnibus deuouerent. Auxit populi trepidationem Pontificis à Quirinali colle,ad Vaticanum repentinus traiectus, vt inde in molem Adrianam breuior, & expeditior receptus foret. Aliquam populi ſeditionem dicitur Pontifex formidaſſe. Quo circa ingens commeatuum,vini,farinæ,aceti,olei,ſalitarum carnium copia in arcem inducta. Nec minor terror Barberinorum fratrũ animos percellebat;metuentium,ne etiam præter militaris diſciplinæ,peritięque bellicæ placita Dux vrbis mœnibus vniuerſo agmine promoto, ſuccederet:in qua ab ancipitis fidei, imbelliq; populo ex aduenarũ colluuie omni penè conflato nihil ſtrenuum,forteq; poterat expectari;nec aderant vlla militum belli ſcientium præſidia;quæ animoſis Ducis auſis obijcerent;pręter id quod ciues ſuo ingenio rerum nouarum ſtudioſi iam tam diuturnum Barberinorum regimen, quamuis mitiſſimum faſtidiebant; & maior Romanorum procerum pars Farneſiæ familiæ,vel affinitate coniuncti,vel ſtudijs,& clië telis addicti fauerët:cuius ſubſidijs,præſentiſq;Ducis ope ſubnixi poterant aliquam ſeditionem in vrbe ciere. Hæ meticuloſæ cogitationes, mordaceſq; curæ Pontificis Barberinorumq; animos lacerabant.

Romæ ſupplicationes decernũtur

Verum Cardinalis Franciſcus Barberinus,quaſi compulſis rebus ad vltima,ad tutiora,ſalubrioraq; conſilia conuerſus ad Gallorum operam,quorum interceſſionem contemptim paulò ante reſpuerat, priſtina ſubmiſſa feracia,confugit:effecitq;precando,vt Lionnis dynaſta ad Parmenſem Ducem pacis ſequeſter adiret; vt illius lenita ira,debiti erga Pontificem obſequij,venerationiſq;admoneret,atq;ad aliquam honeſtam de ijs controuerſijs tranſactionem adduceret: & vt pignore ab ipſo benè agendæ rei ſecurior, atq; alacrior negotium obeundum ſuſciperet: Cardinalis aperuit, à Cardinalium, atq; Antiſtitum de imperij rebus conuentu ſancitum eſſe, vt caſtro depoſito,tota lis ad arbitros iudices componẽda referretur; cui cõditioni Ducem aſſenſurum, acquieturumq; idem dynaſta nuntiauerat: ab eodem Cardinali Barberino Gallo Legato ingenuè ſignificandum erat, Pontificem quoq; idem depoſitum probaturum; ſi illud Dux non recuſaret:Cardinalemq;cum ampliſſima authoritate miſſurum, qui vrbem illam alicuius amici Principis fidei crederet. His, & Pontificis, & Barberinorum fratrum pollicitis,atq; Antiſtitum conuentus decreto, & placito prius hac ſuper re Pontificem alloquutus, ex cuius ore eadem expreſſit,magnis itineribus ad Parmenſem Ducem contendit:vt de Caſtri depoſito præſens cum eo tranſigeret.Pleriq;putarunt Ducem Romanorum ciuium terroris, trepidationiſq; gnarum Gallorum interceſſione contempta, excuſſiſq; ex auribus ſequeſtrum precibus,contento agmine ipſis vrbis mœnibus ſucceſſurum:vbi a ſuis amicis cupidè ſe expectari cognouerat: ſed vel ſuorum hoſtium ſtudio,ac opera,vel ſuorum amicorum incuria tranſactiones inductę

De Caſtro deponendo decretum.

Liõnis dynaſta ad Parmẽſem Ducẽ legatur.

Ducis ſuccedendi Romæ propoſitum.

huius

huius ſalubris animoſitatis fructus Duci copioſiſſimos ademerunt. Nemini enim dubium erat, ſi ſe armatum, minantemque in vrbis conſpectum dediſſet; quin ſtatim Caſtri claues ad auertenda maiorum cladium diſcrimina illi afferendæ fuiſſent; atq; in confecti itineris impenſas numeranda pecunia. Sed amicorum non ſunt reſpuenda conſilia, quamuis tutiora ſæpius, quàm vtiliora ſuadeant. Lionnis dynaſta Ducem Caſtellæ conuenit; adeoq; illi ſuaſionibus, & precibus inſtitit, vt Caſtri depoſito acquieuerit; Galli Regis magis veneratione, cuius ille nomen negotio, atq; authoritatē intexuit; quàm quod ſuis votis aliquid indulgeret. Dux tamen adiecit, certam ſibi dandam de facto depoſito intra tres menſes teſtatam ſcripto fidem, & quidquid ſui fiſcus publicarit, ſibi eſſe reddendum: dynaſta, vt magis Ducis rebus, cui omninò cautum volebat, ſalubri conſilio proſpiceret: ſuaſit, ne Roma eius armis imminentibus trepidante, verita ne ſe Duci Etruſca quoque arma ſociarent: Princeps Matthias à Parmenſibus ſuas longè copias abduceret, vt tot ingruentium oſtentatione armorum, Barberinos ad citiùs, expeditiuſq; res componendas impellerent. Satius itaque viſum, vt Dux Parmenſis poſtera die ad Plebis vrbem ſuum agmen promoueret, eodemq; tempore Princeps Sartianum ſuis copijs, Cluſiumque prouectus illius arma firmaret; & Lionnis dynaſta Viterbium contenderet, vt ibi de hac re cum Cardinali Spata ad concilianda diſſidia iuſſo Legato tranſigeret, cui ſi libera conueniendi cum Duce, ſanciendæque pacis mandata forent; cum eo pactione negotium abſolueret; ſi ſecus Romam protinus aduolaret. Prudens Principis conſilium Florentiæ à Primatum conſeſſu probatum eſt; quod non ſolum Etruriam Parmenſis agminis ſtatiuorum moleſtia, ac grauitate leuaſſet; ſed etiam propiori Pontificium dominatum hoſtilium copiarum acceſſu, ad feſtinandam tranſactionem pacis Barberinos efficaciùs, potentiùſque impuliſſet.

Caſtiglione.

Lionnis dynaſta Ducis animū flectit ad pacem.

Lionnis cōſilium.

Dux igitur Parmenſis indicto Plebis vrbem verſus ſuis turmis itinere, præmiſſo tubicine caduceatore ciuibus imperat; vt ac tutum ſibi vrbis portas aperiant: vltima interminatus, ſi ſuis iuſſibus obluctentur; ſe illas tormentorum pulſibus patefacturum, agrumque fœda populatione vaſtaturum. Ciues protinus aliquot ex primoribus vrbis ad Ducem legarunt oratum, vt innoxio agmine, atque impunè tranſiret: acceptaq; fide à Duce nemini ſuas turmas moleſtiæ, fraudiq; futuras; illum læti patefactis portis in vrbem accipiunt. Panicale oppidum frequens in collis faſtigio conſurgens auſum in Ducis pabulatores hoſtilia, per agrum palantes minorum ictibus tormentorum inceſſere. Dux certam pecuniæ ſummam mulctæ nomine imperauit; quam cum audacius pendere recuſarent; Dux iratus tectis faces ſubdi iuſſit; quæ concepto igne cuncta horribili incendio conflagarunt. Panicalis excidium ingentem terrorem circumiectus terris incuſſit, adeò, vt frequentiora, nobilioraq; oppida certatim ad demerēdā tā vltriciū turmarū clementiā cōmeatus, pabulum

Dux Plebis vrbe excipitur.

Paninale oppidum excindit.

fruges

fruges caſtris abundè ſufficerent. Princeps Matthias, vt perculſis adderet metum, Corytum propius Ducem proceſſit; compoſitoq; agmine ſimulans ſe longius profecturum: quamuis magni Ducis nomine Parmenſem monuerit, ne remotius ab Etruſcis ſuas turmas abduceret; ſed ſimul ſociatis agminibus graderentur, cum ea copiarum moles hoſtium animis metum afferret.

Oruieto. Cardinalis Spata Oropiti, quo ſe Viterbio tranſtulerat, crebris congreſſibus Lionnis dynaſtam eò per tabellarios accitum de componendis rebus alloquitur: ſed nouis ſubinde in ijs tranſactionibus ſuborientibus difficultatibus, iniiciente negotio Cardinali inſuper moras; ij congreſſus non ad conueniendum de pace, ſed ad trahendum in diuturnius tempus negotium inſtituti conſultò videbantur. Quo animaduerſo Parmenſis Dux Aquulam ſtatuit proficiſci, vt admoto propius armorum terrore, ad abſoluendum negotium Barberinos vrgeret. Petito itaq; à Magno Duce per eius terras ſuo agmini tranſitu, quas per tria paſſuum millia ſtricturus erat, Diuum Caſſanum verſus iter ingrediens ad Pontem Centinum, vſque prouectus Equitem à Ghetta cum duabus moſchettariorum equitum turmis Aquula præmiſit, ipſo cum cæteris turmis ponè ſequente; quo Pontificias copias propius promoto agmine eas repentino aliquo impetu incautas diſſiparet. Aquulæ ciues miſſis duobus ad Ducem pacis internuntijs Patribus Capuccinis, illi commoda, laxaque hoſpitia in ſuo oppido obtulerunt; iam milites mercede conductos, indigenarumq; delectus ad eius aduentus rumores protinus abijſſe. Dux Aquulam ingreſſus ſuis turmis partitus hoſpitia, plurimos è Caſtri, Ruſcinoniſq; dominatu ſuorum vectigalium fortem, ac fidelem operam pollicentium excepit. Interim dum Aquulæ Parmenſes turmæ otioſæ morantur: de Caſtri depoſito cum Cardinali Spata à Lionnis dynaſta, Fœderatorumq; Principum Legatis, ipſiuſq; Parmenſis Ducis miniſtris, Matthiæ quoque Principis interuentu ſeriò actum eſt. Verum tot implicitі rerum nexus explicandi hinc inde obtrudebantur: vt maximè arduum videretur ab illis tricis expeditos poſſe Legatos conuentionem abſoluere: pangendas inducias aliqui cenſuerunt, vt eius temporis beneficio remiſſa vtrinque animorum duritie, ſolutiſque nodis, de pace tranſigi poſſet. Sed illas Dux Parmenſis varijs de cauſis reſpuebat, primum ne Pontificijs ea mora maiores colligendi vires, recipiendique à terrore animi tempus daret; deinde ne ſuæ copiæ eo ſtatiuorum tędio diffluerent, & quòd ad eas diu alendas pecunia nulla ſuppeteret, ne dum ad ſtipendia ſoluenda. Quare Dux amiſſa componendarum pactione rerum ſpe, Aquula abſcedere ſtatuit; tum quod ibi commeatuum, pabuliq; penuria plures equites elaberentur: tum quia ibi diutius ſubſiſtere admodum periculoſum eſſet, cum ad quindecim bellatorum millia Pontificias copias exceſſiſſe fama vulgaret; Valenzeo dynaſta ſupremo Duce bellica virtute conſpicuo, expertoq; militaris diſciplinæ bellatore, quæ poterant ſuo tantulo agmini circunfuſæ illud incubitu ipſo obterere: præter id quod

Fruſtra de pace agitur

Acqua pendente.

Dux Aquulam tendit.

Aquulam ingreditur. Roncilione.

Inducias reſpuit, et cur

Pontificij exercitus firmitas.

quod ingruente iam hyeme in ijs locorum anguſtijs diuerſari maximi fu-
turum eſſet incommodi. Idem igitur, quo ierat, remenſus iter Pontem
Centinum redijt, vbi aliquot dies moratus magis ſuis rebus conſultum fo-
re putauit; ſi in Inſubres ſuum incolume reciperet agmen; vt ibi aliquo *Dux in Inſubres regreditur.*
oppido occupato, cum ſuis turmis in Pontificijs ditionibus hyemaret; mi-
litibus edixit, vt ſe itineri, collectis vaſis, in Inſubres expedirent. A quo
redeundi ſuſcepto conſilio, Magni Ducis efficaciſſimæ preces omnis ge-
neris obſequijs, auxiliorumque oblationibus ſociatæ abducere nequiue-
runt: ſe commeatus, pabula, fruges eius turmis affatim præbiturum. Ve-
rum Dux ratus longiorem in ijs regionibus moram omninò pernicioſam
futuram, atque arduas viarum ſalebras, & anfractus per aſpera, ſteriliaq;
Etruriæ montana proceſſurum equitatum perditura; præter quam quod
ibi otiosè ceſſando, poterat aliqua bene gerendæ rei in agro Ferrarienſi
elabi è manibus opportunitas: diſcedendi propoſito inſtitit in hoſtico hy-
berna ſuo agmini quæſiturus vbi ſicuti condixeraut, ſuas turmas Muti-
nenſis Ducis copijs ſociaſſet: vt mutuis inuicem viribus innixi, ſuos vecti-
gales hybernorum incommodis, ac diſpendijs eximerent. Magnus Dux
cum illũ à diſcedendi propoſito amouere nõ poſſet; vt ſaltem octo dies in
ſuo dominatu ſubſiſteret, flagitauit; intra quos Roma poſſent afferri re-
ſponſa, tranſactioniſq; ratæ habitæ nuntius à Pontifice expectari: ne ſuo-
rum hoſtium vota impleret, nihil cupidius, quàm eius à Pontificio domi-
natu receptum anhelantium. Nihilominus Parmenſis cum ab eo parum
ſuæ indultum voluntati putaret; vel ita cum Mutinenſi Duce de inua-
dendo Ferarienſi agro conuenerat, in eadem diſcedendi ſententia perſtitit
obſtinatiùs. Erat illius acerbior de Magno Duce querela, quòd nunquam *Ducis de Magno Duce querela.*
ſuas copias iungi Parmenſibus voluiſſet; quarum ſociato robore incuſſa
Pontificijs formidine, poterat pax à Barberinis extundi. Sed Magnum
quoque Ducem ſua iura tuebantur, ne parum ſyncera fide cum Sororio
ſuo egiſſe videretur: permagni ſiquidem illius intererat: non apertas ini-
micitias, declaratumque hoſtem cum Pontifice præpotenti finitimo Prin-
cipe bella pro aliena cauſa ſuſcipere; quæ ſibi vectigalium cladibus, regio-
num excidijs, pecuniarum impendijs, ſtatura erant. Dux verò Parmenſis
ſuſpicabatur à Magno Duce ſuorum gloriæ armorum inuideri, ægrèque
ferri proſperos eorum profectus; vel illum tacito aliquo conſenſu cum Põ-
tifice conueniſſe. His anxius curis Dux miſſo ad magnum Ducem tabel-
lario alimenta, atque hoſpitia ſuo per eius terras tranſituro agmini poſtu-
lauit: quibus ſtatim ſupra ipſius vota conceſſis, Parmenſis per Caſeronia- *Dux in Inſubres feſtinat.*
nam regrediens in Inſubres contento agmine feſtinau.t; vt iunctis cũ Mu-
tinenſi Duce viribus, in Bononienſem agrum repentino impetu inuectus
ad hyemandum ſuis turmis aliquo oppido occupato, ex eo circumiectis
villis, & pagis pecuniarum penſiones in Militum ſtipendia imperaret; quã-
do commeatuum caritas, aliarumq; rerum difficultas vlterius in Pontifi-
cias ditiones prouehi, ſperatoſq; progreſſus facere prohibitum redire, in-
cuſſo

Parmenſis Ducis acerbitas animi. cuſſo tantum hoſtibus metu, in Inſubres compuliſſet. Fremebat vel amicorum inſcitiam, vel hoſtium verſutiam incuſans, qui ſuis artibus deceptis pacis ſequeſtribus, & nimium credula amicorum ſpe, ſe iam Romæ minaci agmine mœnibus imminentem inductis tranſactionum negotijs auertiſſent; quæ tamen omnia vel ſatagentibus Principum legatis Cardinali Spata ſequeſtrum vota eludente in irritum reciderunt: magno ſanè cum Galli Regis, Fœderatorumq; Principum dolore Italiæ quietem afflictam ſuſpirantium.

Magnus Dux quamuis Parmenſibus turmis ſua agmina iungere recuſaſſet, ne forſitan præter attextas ſuperius cauſas ferocientem inconſulta audacia Sororium ſuum, Romæque portis ſuccedere cupientem in eius excidij pericula præcipitem ageret: tamen ne omninò illum deſeruiſſe videretur: fœderatos Principes ad eum pecuniarum, militumque ſubſidijs aſſerendum excitandi ſibi cura deſumpta, expeditis ad Rempublicam Venetā tabellarijs ſuaſit; vt omnibus ſimul ſociatis armis, vna copiarum mole in Peruſinum agrum impetus fieret: alioquin erat Pōtificijs copijs viginti peditum millibus, & mille quingentis equitibus validis ſuccumbendum. Omnibus Fœderatorum conſertis viribus Pontificijs arma poſſe in ipſius, ad propria tuenda dominatibus diſtineri: captoque aliquo aut in Spoletino agro, aut in Piceno, vel in Peruſino tractu oppido Vmbriam ab Æmilia Bononia, Ferrariaque ſecludi: aperto aditu, quocumque belli compendia vocarent, in hoſticum erumpendi. Verum hi erant animi ſibi nimium placentis, adblandientiſque dubij diſcriminum ignari Martis ardores: cum maximo ardui futurum negotij eſſet eò locorum Fœderatorum copias adducere; quæ itinerum longitudine, viarumque difficultate multorum effugijs laceræ, imminutæque in Etruriam peruenire potuiſſent, valido interim hoſte ad fines in omnes opprimendi hoſtis occaſiones excubante.

Magni Ducis pro Parmenſi officia.

Marca.

Romagna.

Iam Parmenſis Dux paucis caſtris Mutinam cum ſuis turmis progreſſus ab eo Duce ſummis precibus contendebat, vt ſecum ſociatis armis, communibus viribus Pontificios dominatus inuaderent: neque hoc ſororij ſui audax conſilium Dux Mutinenſis improbabat; cum neceſſarium, atque opportunum cognoſceret, belli violentia id à Pontifice, Barberiniſque exprimendum, quod obſequijs, atque officijs, negotioque obtineri non poterat. Fœderati tamen Principes dedita opera trahentes moras non audacibus ducum conſilijs aſſentiebant, ea ſpe: vt tot vndique ſtrepentibus, ac minantibus armis ad aliquam tranſactionem Pontifex adigi poſſit. Sed cum, & Galli Regis authoritate, & ſociorum Principum dignitate deluſa, Legatorum, ſequeſtrumque labores Cardinalis Spatæ artificioſa tergiuerſatio diffiaſſet: ad retinēdam ſuorum armorum exiſtimationem, ſociatis viribus conſurgendum in arma, occupandumque hoſtem putarunt; veriti ne Dux Parmenſis ſperatis à ſocijs Principibus fruſtratus auxilijs rebus ſuis deſperans in alicuius Regis fidem cum maximo Italiæ diſcrimine, maloque conce-

Parmenſis Dux Pontificis ditiones inuadere cupit.

Fœderati Principes bellum decernunt.

Digitized by Google

concederet, accitis ad ſui tutamentum exterarum gentium præſidijs. Certi igitur & Parmenſem Ducem aſſerere; omneſq; hoſtiles impetus Mutinēſis agri finibus prohibere: agunt cum magno Duce, ne Mutina ſuas turmas abducat, vt ſuis copijs totis Etruriæ, quà Pontificium dominatum ſpectat, finibus prætentis pluriſariam hoſtilia arma diſtineat. Verum cum Magnus Dux ægrè id facere, inuitoque animo in id bellum trahi videretur: Veneta ſuſpicata Reſpublica eſt, ne Magnus Dux diſſidia cum Pontifice perhorreſcens belli incommoda auerſaretur, vel illum impenſæ tęderet, ac proinde à perficiendis decretis effugeret. Accerſitum igitur Etruſcum internuntium iubent ſuum Principem admonere; Mutinenſem, Parmenſemque Duces omninò decreuiſſe iunctis ſimul agminibus, Pontificias ditiones inuadere; quibus ſi deſtinatis inſiſterent, cogitandum eſſe, qua ratione in fœdere conuenta perfici poſſent. Mandatum præterea conquiſitori Corario, vt de hac re pluribus Magnum Ducem alloqueretur, nuntiaretque interim à Republica ſuas iuſſas eſſe copias in Mutinenſi dominatu tuendo perſiſtere; rata id quoque eius celſitudinem eſſe facturam. Demiſſæ quotidiè in Inſubres Pontificiæ cohortes, & turmæ aliquo metu Reipublicæ allato, in audax Ducum conſilium de aggrediendis Pontificijs dominatibus impulerunt; alioquin belli diſcrimina, ac mala peroſam præcipitibus, ac calidis conſilijs ex ſuo ingenio obnitentem. Corarius nullum lapidem non mouit, vt magnum Ducem in Reipublicæ, Ducumq; ſententiam traheret: ſed nunquam adduci potuit, vt ferocientium iuuenili ardore Principum ſequutus audaciam maximum, ac periculoſiſſimum in Italia bellum accederet: adeoq; validis rationibus ſuam ſententiam firmauit; vt Reſpublica quoq; iiſdem impulſa eius ſalubria, atq; ad Italiæ quietem maximè vtilia conſilia probauerit. Dux tamen Mutinenſis à ſua Pontificij dominatus inuadendi ſententia abſterreri non potuit; quamuis illi Demarchus Guicciardinus Magni Ducis iuſſu acribus, accuratiſq; cum eo congreſſibus obnuntiaſſet; ſi quid inuitis ſocijs principibus, mouiſſet, nulla eum ſubſidia militum habiturum: & prævalidas Pōtificis copias, aduerſantēq; bellicis conatibus tempeſtatē, & periculoſiſſimi belli diſcrimina diſertè ipſius oculis ſubieciſſet. Hic Mutinenſis Ducis Pōtificiæ inferendi ſigna ditioni obfirmatus animus pluribus ſuſpicionē iniecit illum tuendi ſororij ſui Principis ſpecie, parandiq; in hoſtilibus terris ſuis copijs ſtatiua hyberna, quo vectigales ſuos hoſpitiorū impendijs, ac moleſtia eximeret, de irrumpendo repentino impetu in vrbem Ferariam alta mēte agitaſſe conſilia; quorūdam Ateſtinæ Familiæ clientum ſtudijs, atq; auxilijs innixum; neque tota ex vano hauſta ſuſpitio erat, cum ea, quæ poſtea ſequuta ſunt, criminationem adiuuerint: & Fœderatorum Principum mora, cunctationeq; noxia plerumq; laudabilium auſuum fęlicitatem corrūpente, quos arcana Mutinenſis conſilia latebant; & ſupina nectētiū inſidias incuria, exiguaq; ſolertia, tectæ fraudes in lucē emerſerint: ſtatimq; pro ditorū oppreſſa perfidia pęnas ſtructi parricidij dederit. Verū alij cādidius

Magnus Dux ægrè audet in Pōtificem hoſtilia.

Reſpublica ſurgit in bellum.

Magni Ducis ſalutare conſilium.

Dux Mutinenſis de occupanda Feraria agitat.

ingenui

ingenui Ducis facta rimari non harum conſcium inſidiarum illum, ſed tantum aliquot ciues Ateſtinæ Familiæ addictiſſimos, de accipiendo in Vrbem Ferrariam Mutinenſi Principe cogitaſſe aſſeuerant.

Magnus Dux Mutinenſem in ſuam trahit ſententiam.

Magnus Dux per ſuos miniſtros, & litteras validis rationibus, & firmis argumentis efficaciùs Veneta Republica ad ſua amplectenda cōſilia compulſa, ferocem Mutinenſis Ducis animum, ſi non in ſuam ſententiam proclinare, ſaltem cohibere aggreditur; ne importuna maximè tempeſtate belli flammam excitaret, quæ niſi mutuo partium excidio, & cladibus poſſet extingui. Reſpublica etiam efficacibus officijs conata eſt eũdem Principẽ à tam periculoſo conſilio auertere. Verum adeò in ſuis decretis obduruerat, vt difficile admodum ad leniora conſilia ineunda molliri poſſet: forſitan quia arcano conſenſu Parmenſi Duci ſuam fidem obſtrinxerat; ſimul cum eo iunctis in Pontificios viribus bellaturum, occupatoque oppido Cento inter Bononiam, Ferrariamque iacente exiguo præſidio defenſo, atq; nullis fere munimentis vallato, in circumiectis pagis, & uillis hyberna ſtatiua ſuis agminibus ponere, pecuniamque in ſtipendia Pontificijs ſuorum militum imperare: eaq; hybernorum quiete additis militum ſupplementis, mancas numero ſarcire cohortes, & turmas, ſeq; ab omnibus bellicis rebus inſtruere; vt primo quoque tempore aperiente ſe vere, ſociatis agminibus, & conſilijs, vel cum cæteris iuncti Principibus fœderatis, vel ſeorſim in Pontificios dominatus irrumpere; eaq; communi conatu moliri, quæ vtiliora, melioraque oblata opportunitas ſuaſiſſet. Tantamque bene gerendarum rerum ſpem hi duo Principes conceperant animis; vt neque à Demarcho Guicciardino rei militaris, & bellicæ apprimè perito eorum fallacia deſtinata, & futiles ſpes, cogitationeſq; monſtrante, ab eo propoſito nunquam abſtereri potuerint: efficaciori verò, acrioriq; oratione Corarius inſiſtens tandem Mutinenſem Ducem perpulit, vt nimis audax ſororij ſui conſilium improbaret, remque periculi plenam accuratiùs expendens inanibus ſpebus ſe abripi non paſſurum promiſerit: præcipuè cum mutata rerum facies, ex quo Parmenſi Duci ſuam fidem obſtrinxerat, ſe cum eo in campos egreſſum iunctis viribus bellaturum; alia inire conſilia ſuaderet. Verum ſe ægrè admodum obligationũ vinculis, quibus ſe Parmenſi deuouerat, potuit expedire: cui prorſus fixum inſederat animo, non in hybernis otio marceſcere, neque nimis ſera verna tempora expectare, ſed in ſuis ipſorum ſtatiuis ceſſantes vel alta hyeme Pontificios inuadere: nihilque Mutinenſi ægrius factum eſt, quam, vt obiectis præcipitis conſilij periculis, eius impetum in ineuntem vſque Menſem Ianuarium erupturum moraretur: quem, vt eò vſque differret; ſibi fuit illa ſua obliganda fides, ſe quoque cum eo ſociatis turmis eandem fortunam ſubiturum. Miſſo poſtea Florentiam tabellario Magno Duci efficaci officio ſuaſit, vt Venetias aliquem extra ordinem ſuorum procerum legaret; vt Rempublicam ad maturandos bellicos apparatus, expediendaque in vernas expeditiones arma adduceret. Quæ etſi inuita in bella ęgerrimè raperetur, maluiſſetque diſſidia potius

Mutinenſis Parmenſiſque Ducum conſilia.

Ducis ſpes inanis.

Dux Parmenſis Pontificios inuadere deſtinat.

tran-

tranſactione, quam armorum violentia componere: attamen cum iam icti fœderis pactis conditionibus teneretur; ne fluxæ, inconſtantiſque fidei labem ſuo ingenuo ſplendori aſpergeret; authorare peditum cohortes, centuriareque equitum turmas atq; omnibus ad bellum gerendum apparatibus inſtruere aggreditur; quando id, & Fœderatorum Principum exiſtimationi, & Italiæ tranquillitati conducere videbatur; vt à Pontifice omnia officia varijs artibus eludente bello extorqueretur; quod precibus, & obſequijs exprimi non poterat.

Veneta Reipublica bellici apparatus.

Dum Fœderati de perficiendis deſtinatis opportuniora conſilia venantur: Hiſpani cum omnibus ſocijs Principibus agunt miſſo Comite à Rocca ſagaci, prudentiq; viro, atq; ad omnia difficilia negotia obeunda, expediendaque maximè idoneo, vt ſe quoque in eam fœderis ſocietatem admitterent. Parmenſem Primum Ducem adijt comes, mox ad Mutinenſem ſe contulit; deinde Venetias, poſtremò Magnum Ducem Florentiæ conuenit, omnibus imminentia Italiæ Gallorum arma, atque in omnium perniciem alpes tranſgreſſura perſuadere conatus: perhumaniter exceptus, à nullis eorum præter verborum officia, atque obſeruantiæ erga Hiſpanum Regem ſignificationes potuit de adſciſcendis in ſocietatem Hiſpanis aſſenſum elicere; ne aliorum vlciſci iniurias ex fœdere cogerentur: eamq; potentiam laceſſere, quæ ad illud fœlicitatis faſtigium nimia fortunæ ſuffragatione prouecta formidandam ſe toti terrarum orbi, atque omnibus Principibus oſtentabat. Tres igitur tantum Principes eodem aſtricti fœdere ſe communibus viribus ad bellum expediunt: rati nullam præſenti conficiẽdi Pontificios quodam terrore afflatos opportuniorem affore tempeſtatem; cum cuniculis timidiores demiſſi, abiectiq; animi ad tantuli Parmenſis Ducis exercitus minas paulò ante ſe vrbes, populi vltrò patefactis portis ſe ſe inuehenti ſubdiderint. Sed hoſtium vires fallaci plerumque æſtimatione metimur, cui ſi recipiendi animi, colligendique à terrore ſui ſpatium des, fruſtra reparatis, & auctis viribus validiorem ſuperare conabere. Pontificij ſiquidem ea mora excuſſo imminentis periculi metu, ſolicito tympanorum claſſico ſub ſigna cogere militum delectus, recẽſere idoneos ſacramento, conſcribere peditum cohortes, & equitum turmas pecunia conducere, vt formidanda copiarum mole in inuadentium terras eam funeſtam belli transferant ſcenam; quam illi in Pontificijs dominatibus deſtinauerant conſtituere. Solum Picenum tam Truenti, quam Vſentis pars, nemine inuito ad. cto ſacramento, vnde viginti peditum millia, & ſexaginta, & nongentos, nonaginta octo equites ex volonibus ſufficiebat: bellicoſæ gentis, & efferæ, quæ ſi paululum militaribus diſciplinis, & bellicis artibus erudiatur, inuicta bello manus; quibus ſi quæ ex Æmilia, Vmbria, Bononia, Ferraria, Latio, alijſq; Pontificijs dominatibus ex indigenarum delectibus deſcriptæ cohortes adijcerentur: quam metuendam copiarum molem conſtituerent? Aucto igitur ad formidabilem numerum Pontificio exercitu: maiorem illius partem Cardinalis Antonius hoſtibus ad Gal-

Hiſpani petunt vt ſe Principes in idem fœdus admittant.

Tronto; Chienti.

Pontificij exercitus potentia.

lorum

lorum Caſtrum, Mutinenſeſque fines obiecit, vt ſi illinc in Bononienſem agrum infeſti Duces irrumperent; ad eos firmos bellatorum oppoſitus fractis primis conatibus, ſuas vires eliderent. Cupiebant Principes Fœderati Parmenſem Ducem eius traductas in Etruriam turmas cum magni Ducis exercitu iungere, vt inde ſociatis viribus validiores Pontificios vrgerent; dum Veneti, Mutinenſiſque Dux Ferrarienſem agrum bello quaterent; verum cum ille alternum cum Magno Duce copiarum imperium obtinere non potuiſſet; conuerſo in viciniora ſuorum armorum impetu, Stellatæ Bodincomagique oppugnationem tacito animo moliebatur. Iamque Ducem Carolum Soldatum conſpicuæ famæ bellatorem, qui Belgicis in bellis conſenuerat, atque in expugnandis vrbibus notæ virtutis ad ea loca exploranda pręmiſerat, qui accuratè ea propugnacula contemplatus retulit, illa ex recenti militaris diſciplinę peritia loricis, aggeribus, parmulis, depreſſis altè, latiſque foſſis, munimentis in latera exporrectis eſſe vallata: permagnique ipſius, Fœderatorumq; Principum futurum; ſi Bodincomagi opportuno aditu potientur, cum flumine nauali ponte conſtrato, expeditus, & facilis Ferrariam, & Bononiam tranſitus pateret: & eo infeſſo à Fœderatis propugnaculo, Mutina, Mantua, Gardiſtallum, Parmenſis ager, & Mirandula tegerentur: pręter id quod in vberi, copioſaque regione commodè, laxèque copiæ proprijs vectigalibus ſtatiuorum impendijs, curiſq; leuatis ali, ſuſtentariq; poſſent: apertaq; ac libera Padi amnis nauigatione potiti vltrò, citròq; nauigijs excurrere commeatns, & militum ſuplementa in caſtra prono amne ſubuehere.

Bodincomagi oppidi opportunitas.

Guaſtalla.

Pontificij Bodincomagum firmāt.

Huius, quoq; momentum, & opportunitas loci Pontificijs metum iniecerat, ne in poteſtatem hoſtium veniret: illum idcircò quingentorum peditum præſidio additis quadringentis equitibus firmant, Duce Franciſco Muricone Neapolitano iuſſo ſtrenuè oppidum tueri; quidquid accideret, expedita, ac valida ſubſidia protinus habiturum. Valenzeus, quoque ſupremus caſtrorum præfectus penes quem in ijs partibus erat copiarum imperium: Ferraria prodire cum ſua agmine deſtinauerat, atq; ad nouam Cauponam paucis Ferraria, Bondincomago, Centoque paſſuum millibus recedentem, vt medius, cuicumque hoſtis incumberet; feſtina auxilia ſubmitteret. Sed longo vſu compertum eſt, ſalubria imperantium conſilia inerti, ignauoq; propugnantium timore fruſtrari, impauidaque præſidiariorum pectora quibuslibet propugnaculis eſſe firmiora; optimè ex militari peritia conſtituta defenſorum metus eluſit.

Parmenſis Dux ſui propoſiti tenax cum tribus Italorum peditum legionibus, & totidem exterorum, ſex equitum, & vna moſchettariorum equitum legione Parma egreſſus, menſtruumque ſtipendium, ad erigendos militum animos ad fortiter audendum admenſus capite ſanxit: ne quis militum incolarum, agreſtiumque fortunas, per quos tranſirent agmina, prædaretur: mox Bodincomagum verſus contentiori agmine properauit; iuſſo equites ſubſequi celeriter peditatu, qui eorum curſum æquare non pote-

rat præ-

rat præmiſſis antea equitibus moſchettarijs,vt incautum repentino acceſſu hoſtem opprimerent;ſi quis extra munimenta per campos erraret.Preſidij Præfectus Valenzeum,miſſo Ferrariã trepido nuntio, de Parmẽſi Duce aduentante monuerat; à quo imperatum eſt,vt omnes vias,per quas trãſiturus erat hoſtilis equitatus,effoſſis ſcrobibus, tranſuerſiſq; arboribus impediret;omninoq;ſe ſtrenuè gerens oppidum propugnaret;ſe poſtera die manè,vel,vt tardiſſimè,veſperi ſubſidio cum valido agmine affuturum.

Parmenſis Dux Bodincomagũ aggreditur.

Verum eodem die ſub primæ noctis vigiliæ finem prouectis ad mȩnia Parmẽſibus equitibus moſchettarijs,diſploſiſq;immani fragore ad Diui Rocchi portã, minoribus tormentis,præfectus abiectiſſimi animi qualibet muliercula timidioris nullam auſus defenſionem, ne dum expectato ſubſidio,conſcenſo equo per aduerſam portam, quà Ferrariam eſt iter,cuius claues penes illũ erant, elapſus oppidum deſeruit; ſuæ ignauiæ, viliſſimoq;animo panicum terrorem ſibi, ſuoq; præſidio offuſum eſſe prætexens: ſed inertiæ compertus, demiſſi, abiectiq; animi pȩnas ſecuri Carnificis manibus percuſſus in ferali pegmate luit: vt qui glorioſam pugnando mortẽm oppetere formidauit: eamdem infamem truncatus capite pateretur.

Bodincomagi Præfecti fugentis ignauia.

Præfectus capite plectitur.

Valenzeus iam Ferraria cum equitum, & peditum agmine profectus Bodincomagum verſus Parmenſem Ducem præcurſurus feſtinabat: verum ille citatiori gradu Põtificios anteuertens repẽtino dato in mȩnia impetu oppidanis,præſidiarijſque territis ſibi ferro viam in oppidum patefecit. Eò incolȩ ex cirumiectis pagis,& villis tanquam in tutiſſimam arcem rerum chariſſima, fortunaſq; ſuas,atq;armenta congeſſerant;illataq;ingens commeatuum copia,rerũq; bellicarum apparatus eximius:quo Dux potitus extemplò ad Stellatã oppugnandam aliquot equitum turmas, & peditum cohortes properare iuſſit.Præſidiarij aliquantulum obluctati ceſſere victori.

Parmenſis Dux Bodincomagum occupat.

Hæc duo propugnacula quæ diu hoſtium moratura impetum videbantur, Dux nullo Marte adeptus emiſſis circũquaq;equitum turmis,regionem omnem terrore conſternatam,Ferrarienſis,Bononienſiſq; agri partẽ ſibi vectigalem pecuniarũ penſiones in militum ſtipendia admetiri coegit.

Stellata quoque potitur.

Deinde loci ingeniũ accuratiùs contemplatus,cum ad earum regionum imperium retinẽdum aptiſſimum videretur;quod circumfuſis aquis,acceſſu difficile natura munijſſet; ſi quoq;artis adderetur induſtria,inexpugnabile fieri poterat; Carolo Soldato imperat, vt conſtruendæ arcis graphidem ex recentis militaris diſciplinæ præceptis, & bellica peritia deſignet: qui iuſſis impletis Duci inſuper pollicetur; ſe intra quadragiuta dies ita educturum opus, vt poſſet quemlibet inuadentium impetum ſuſtinere. Nihil artis, ingenij, induſtriæque militaris prætermiſſum eſt; quod ad municiſſimam arcem abſoluendam facere videbatur: qua Dux Ferrariæ, Bononiæque immmens ſibi eius vbertimæ regionis firmabat imperium:

Bodincomagum munit.

Caſtri abundè cum copioſo auctario penſata iactura, eò acceptius, & gratius, quo Parmenſi ditioni vicinius;coacto quoq;Pontifice,ad eum metum à ſuis vrbibus depellendũ,omnib.virib. adniti; vel ipſo reddito Caſtro,occupatũ oppidũ è Ducis mani-

Qq bus

bus vindicare. Stellatam quoq; Soldati opera, atq; induſtria nouis aſtructis propugnaculis, aggeribus, & loricis ita muniuit; vt diu vel præualidi exercitus fruſtratura conatus videretur. Metu attoniti, confuſique mentibus Policinij incolæ opulentiſſimæ, feraciſſimæque regionis ditibus caſtellis, Pagis, & villis frequentiſſimæ, vt ſe Parmenſium populationibus, atque incurſibus liberarent; ad redimenda belli detrimenta, miſſis legatis, cum Duce conueniunt: vt ſexcenta aureorum millia pendant: ad quam pecuniam exigendam cum inſtructo agmine tranſmiſſurus eſſet Padum; à ſupremis Veneti exercitus præfectis obnuntiatum eſt, eum Policinij terrarum tractum ſuis copijs cōmodè alendis ex initi fœderis legibus deſtinatum; proinde abſtineret alieno, quod erat ex decentia iuris ſuis ditionibus committendum. Subſtitit acerbo dolore perculſus, indignationeq; fremens Dux; quod ſibi tantum compendium alendi, augendiq; ſui agminis opportunitas adimeretur.

Veneti Parmēſem Ducem Cherſoneſo excludunt.

Ad occupati Bodincomagi, Stellatæq; nuntium Pontificius Legatus Venetijs Collegium ingreſſus, eos patres præſenti, bonoque animo eſſe iubet: Summum Pontificem citò ſe eo bello expediturum; cui Princeps, Rempublicam nihil maioribus votis expetiſſe, quàm vt ſublatis prorſus bellorum tumultibus, pax in Italia perpetua ſanciretur: atq; in id aſſequendum totis conatibus incubituram. Deinde ſatius ijs Patribus viſum in poſterum cum ſolemnibus ſacris Princeps, ſenatuſq; intereſt; non illum accerſere, neq; amplius in Collegium admittere; immo ſuum internuntiū Roma reuocarunt, iuſsū prius, vt cum Etruſco Magni Ducis legato de diſceſſus ratione, ac tēpore conueniret; vt communi conſenſu id factum eſſe videretur. Summus Pontifex vbi captum à Parmenſi Duce Bodincomagū, Stellatāq; audiuit, mirum eſt quantis curis, & cogitationibus inquies eius animus æſtuauerit, & in quantas iras exarſerit; quod numquam ſibi nimium adblanditus putaſſet, Italos Principes Catholicos nullis laceſſitos iniurijs pro Parmenſi Duce in communem omnium Parentem, ſummūq; Chriſtianæ Religionis ſacrorum Antiſtitem conſpiraturos: quos potius efferentis ſe ſe nimium Gallorum fortunæ, alieniſque ditionibus iam grauiùs imminentis metu coercitum, compulſumq; iri; vt de ea frænanda, continendaq; intra moderationis limites conſilia agitarent: quàm ſe periculoſiſſimo bello pro aliena cauſa, obæratoque Principe ſua nomina expedire recuſante implicitum cogitaſſet. Verum illum ſpes ſua fefellit, quòd Cardinalis Richelij interitus, & Galli Regis grauiſſimus morbus, quæ veluti quodam ſufflamine Gallicę fęlicitatis curſum morabantur: omnem ab eorum mentibus potentium armorum formidinem depulerunt.

Veneti ſuū Legatū Roma Venetias reuocāt.

Bodincomagi, Stellatæq; iactura diſperſas vſq; quaq; vires in vnam tuendā Ferrariā cōtrahere Pontificij cōpulſi; quòd tā exiguo militū numero tā lōgè, ac latè porrectū terrarū tractū tueri nō poſsēt; paſſi ſunt Venetos, nec vllo ſtricto ferro Padi litoribus, circūiectoq; Policinij agro potiri. Sed ad totius imperiū fluminis obtinēdū, quatuor erāt loca Venetis occupāda; Me-

Veneti reliquo Policinio potiuntur.

lara

lara ſcil.in qua ſurgebat turris aggere circũducto,quã cētũ agreſtes tuebãtur; præter incolas ad oppidum tuendum armatos: Vicus Varonis, debili munimento vallatus exiguo præſidio defenſus: Caſellæ quoque aditu patentiores nulla militum firmatæ cuſtodia; poſtremo Lacus obſcuri pons maximi omnium locorum momenti; quòd illac Ferraria ad Padum omnes merces,& onera deuehantur. Caſellæ verò obiacet inſula è medio Pado ſurgens,qua flumen ita coercetur in arctum; vt poſſet ponte conſterni: cui ſi aliquod propugnaculum imponeretur: clauſo flumine, nulla nauigia impunè inuito eius præſidio, neq; ſecundo, neq; aduerſo amne agi potuiſſent: in Bellico Ducum conſilio decretum eſt; vt eadem quatuor loca eodem tempore ſimul occuparentur; ne mora,primo expugnato, alia captu fierent difficiliora,& fortuitus inuadentium conatus. Octo peditum millibus, & mille, & ducentis equitibus lectiſſima bellatorum manu ſupremus Veneti exercitus præfectus Piſaurus Padi verſus litora tendit. *Figarolo.* *Fœderatorũ decretum.*

Ad Caſtrum Guilelmum ſubſtitit agmen, donec, quæ vltra Padum agerentur à Parmenſi Duce, nuntius afferretur. Interim Candam flumen ponte iungunt parmulæ obtentu munito. Mox Piſaurus audito Parmenſium armorum Bodincomagum acceſſu, equites Epirotas Caruccio eiuſdem gentis chiliarcho Melaram, Vallettæ verò legionem Vicum Varonis, Lacũ obſcurũ Græcos, & Corſos comite Ioanne Baptiſta Porto Duce ad expugnandum miſit; alio agmine veluti in ſubſidijs Salmæ ſub Vallettæ imperio morante;reliqua copiarum parte Iacobo Contareno,& Echenfelto præfectis ad Candam ſociorum auſuum ſucceſſus expectante. Iuſſit quoque Piſaurus occupari Trecentam valde hoſpitandis militibus opportunam: ea cura Demarcho Martinengo cum Italorum agmine demandata. *Varia Venetorũ molimina.* *Figarolo.*

Quatuor deſtinatis locis nemine obſiſtente,nulloq;Marte in poteſtatem redactis, pronum erat Policinij cætera occupare; cum Pontificij terrore exanimi, deſerto agro intra Ferrariæ mœnia pauidi deliteſcerent. Ad reliqua belli tamen cautiùs, fœliciùſq;obeunda, bellici Conſiliarij decernunt: vt in Padi litore Scultennæ influentis in Padum faucibus aduerſo propugnaculum excitetur: quo ibi nauali ponte amne conſtrato, eiuſque capite firmo munimento vallato, interclusa ad arbitrium nauigatione, imperium fluminis obtinerent. Venetis tam feraci, vberique regione potitis, milites rapax hominum genus, & maleficum alienis cladibus viuere,exultareque aſſuetum ſpretis Senatus edictis,quibus ſeueriſſimæ ijs pęnæ obnuntiabantur;qui incolarum fortunas diripuiſſent;omnia circumiecta loca fœdiſſimis populationibus deformarunt: impotenti militari licentia pagos, villas crudeli, ac nefaria cupiditate prædati. Vniuerſi eius tractus incolæ eiuſdem calamitatis terrore correpti in loca tutiora vſquequaque diffugere, aliò ſuas fortunas auehere, pauore, fuga, trepidatione confuſi, ſalutem à tam immanium latronum ſæuitia aliò quærere dilabendo compulſi ſunt. Ipſi quoq; Indigenæ nouarum rerum ſtudioſi Pontificis pertęſi dominatum popularium ſuorum clades per ſummam perfidiam cumula- *Veneti quatuor oppida occupant.* *Panara.* *Veneti milites Policinium populantur.*

Pontificij Codigalensiū perfidia. Goro.

tum. Clanculum ſiquidē Nicolaum Delphinū ſolicitarunt, vt protinus ſubmiſſis validis bellatorū agminibus Fauciū propugnaculū, Sagis turrim, Arrianumq; repentino impetu occuparet; priuſquam peditum cohortibus firmarētur, quæ Ferraria in ſingula momenta mittendæ erāt. His fęlicib. lętus auſpicijs, oblatiſq; Delphinus celeri curſu ad hoſtia plena prouectus, admotiſq; continenti myoparonibus, vt eorum interiectu tolleret cum Arriano

Torre delle Bocchette.

cōmercia; alijſq; cohortibus in ſaltus traductis Faucium Turrim ineūte prima noctis vigilia vndiq; adortus præſidiarijs bellicæ diſciplinæ penitus rudibus nimiū alto ictu maiores librantib. ſclopos, ac proinde irrita plaga Vene-

Venetis Sagis oppidū deditur.

tos inceſſentibus, impunè cum ſuis cohortibus foſſa breui aqua ſtagnante traiecta, in propugnaculū irrupit. Sagis præſidiū Veneti agminis ferocia, terrore perculſum facta vltrò deditione, cum ſuis ſarcinis, atq; armis abſceſſit. Idem exemplum ſequuti Abbatis Turris præſidiarij Veneto ſpontè

Alia oppida occupāt.

ſe dedūt. Arrianum quoq; nemine auſo repugnare, in Victoris fidem, ditionemq; conceſſit: quòd oppidum vt tutius retineret, præter validum impoſitum præſidium, adacto crebro vallo, obiectaq; aditū parmula firmat: librato inſuper in via tormento, quo fluminis latitudinem abradebat. Aggerem pręterea tormētariū in media Turris area condit, vt duobus in illo collineatis tormentis ſupernè ſociorum acceſſus tueretur, hoſtiumq; repelleret: cętera munimenta demolitus. Ingentem tamē, latumq; aggerem ponè Meſolæ palatium è regione Arriani, atq; ante eius frontem educit, vt illud à repētino aliquo impetu propugnaret; exciſis præterea ligneis, & lapideis pontibus, ne quà improuiſus hoſtis ingrueret.

Hoſte è propinquo fremente territum Codigaurum ne tacito hoſtilium copiarum ſuggreſſu caperetur; expedita ſubſidia miſſis Ferrariam trepidis nuntijs, expoſcit. Diditus per ea loca rumor Delphinum, vt ſuos milites animaret; omnia diripienda militari licentiæ conceſſurum, indigenas terruerat. Miſſus igitur Ferraria extemplò ſubſidio cum duabus equitum turmis, & peditum ex popularium delectibus cohorte Federicus de Comitibus ſtator maior; vt illud oppidum Pado impoſitum tueretur. Tripartito

Veneti Codigaurum adoriuntur.

antequam erumperent Auroræ cādores, oppidi muros Veneti adoriuntur: nec minori promptitudine, ac virtute præſidiarij ciuibus immiſti per plures horas ingenti cum aggredientium cęde munimenta propugnant: adactis in hoſtium pectora, & guttura pilis, de ſcalis præcipites reſupinant: illi pluries cum ſtrage repulſi ferociores iterant impetus; tandem paucorum virtutem multitudine ſuperante, in munimentorum faſtigium enixi

Captum oppidum diripiunt.

in oppidum irruunt: atque omnia promiſcuis militum, ciuiumque cædibus, incendijs, ac direptione excindunt; in omnem ſexum nullo diſcrimine deſęuit ira victoris. Nulla Turcarū rabies ita crudeliter in ſuos hoſtes graſſata eſt. Prædis, & ſpolijs tria ingentia aphracta onuſta Arrianum abducta

Militū barbaries, & auaritia.

fuere; quibus nec dum expleta Ducum auaritia, eodem inſatiabilis cupiditatis impetu, omnes circūiecti pagi, & villæ direptæ, atq; incenſæ, trucidatique incolæ, effuſis miſerorū precibus ſe militū genib. aduoluentiū nihil ani-

morum

morum diritatem, barbariemq; mollientibus, quamuis mortem precario mutare ſpiritu,ſeruitioq;ſupplices paſſis manibus,proſtratiq; humi omnibus precibus poſtularent. Nec ſacrarijs,templorumq;donarijs abſtinuit nefaria perditorum latronum auaritia: addicta diuino cultui velamenta, deuotaq; ſacrificijs va ſa aurea, atq; argentea expilata: nec horruit Chriſtianus miles ſacrilegas manus diuinis rebus inijcere. *Impietas execranda.*

Pontificij ad vaſtantem,diripientemque omnia hoſtem ſuas omnes vires ad Caſtrum Gallorum coegerant: quibus Bodincomago, Finarioque minabantur: in quo cum Prouiſor Corrarius ſtatiua cum tribus peditum mil libus, & equitibus trecentis haberet;metueretq; ne in ſuam ſtationem tota hoſtium copiarum moles incumberet; Mutinenſem Ducem crebris literis efficaciſſimè perurgebat;vt ſibi ſubſidio cum ſuo agmine feſtinaret: ſe tãtulis copijs valido, numeroſoq; hoſti imparem futurum, ſi ſuas ſtationes impeteret: ſe continuis periculis conflictari: quæ niſi proſpero ſubſidiorum accurſu maturè pellerentur; aliquam procul dubio cladem à ſe acceptum iri. Dux Mutinenſis ne imminenti obnoxias diſcrimini Venetas turmas desereret: ſuaque mora aliquam cladem illis hoſtis infligeret,celerius, quàm animo propoſuerat, in bellum prodire decreuit. Cum tribus igitur peditum millibus, & quingentis, equitum mille, & quingentis moſchettarijs equitibus, ſex campeſtribus, & totidem muralibus tormentis Mutina Padum verſus egreſſus ad Finarium cũ Venetis copijs ſua agmina iunxit.Sed cum in aduerſo amnis litore Piſaurum ceſſantem vidiſſet; ſolicitis, atq; efficacibus precibus inſtitit: vt otio diſcuſſo, tranſmiſſo Pado, conuenta in fœdere obiret. Magnum Ducem ſuas turmas in Etruriam reuocare, vt inde Pontificios inceſſens eorum arma in tuendis ſuis finibus diſtineret.Se quoq;etſi Mutinenſium incolarum delectibus opportuniora loca firmaſſet; validioribus copijs ſuorum vectigalium ſaluti ab hoſtiũ inſultibus tuendæ,quidquid accideret conſulturum.Venetos Ferrarienſi Policinio opima,vberiq; ad alẽdas copias regione,Parmenſem Ducem Bodincomago,Stellataq;fertili agro potitos,ex quibus commeatus, pecuniarumq; pẽſiones poterãt haurire;ſuis reb.ad fœlicẽ belli fortunã prouectis:ſibi verò nihil hactenus de tantis laboribus, curis, & impenſis pretij ceſſiſſe: in nullo terrarum tractu ſuas poſſe copias tanquam in vectigali ſuo explicare, ſtationẽq;ponere,omnibus occupatis à ſocijs: immo ſibi totius expeditionis onera ſubeunda:ſufficiendiq;de ſuo fœderatis exercitibus cõmeatus,ac de ferendi ad hoſtium arbitrium ſui fines dominatus.Si capto Bodincomago, Policinioq; ſubacto,ſtatim ſociata fęderatorũ agmina bellũ circũtuliſſent; terrore attonitis Põtificijs vix nimio metu potentib. ſui, aliquos fructus ex tanto armorũ apparatu haberi potuiſſe: at Veneto exercitu ceſſante, optimam rei benè gerendæ prætervolaſſe opportunitatẽ: pauore ſtupentibus Põtificijs inſtandũ fuiſſe; qui ea mora, pernicioſaque cunctatione receptis animis, ſe ad bellum ſtrenuè propulſandum expediunt. Nihil in bellorum ardore mora damnoſius; idcircò, ne diutius copias ſociare differrent;

Finale.
Venetorum periculum.
Mutinenſis Ducis opem implorant.
Dux Mutinenſis in arma progreſſus ſe Venetis iungit.
Poleſine.
Mutinenſis Ducis querela.

 rent;

Mutinenſis pacta in fœdere à Venetis poſtulat auxilia Figarolo.

Piſaurus ea Duci negat

rent; adhuc aliquos factum iri profectus, ſi Piſaurus Pado traiecto, cum cæteris turmis ſua agmina iunget. Corrarius Mutinenſis Ducis iuſtis queſtubus motus ad Vicum Varonis Piſaurum conuenit; monitumque de Ducis cum ſuis copijs acceſſu, orat enixè, vt illi condicta in fœdere peditum, equitumque ſubſidia ſubmittat: negat Piſaurus ſe eum militum numerum à ſuo exercitu auulſum aliò mittere iniuſſu Reipublicæ poſſe: quo reſponſo ſibi nuntiato, Dux Mutinenſis indignatus comitem Franciſcum Fontanam protinus ad Piſaurum legat oratum; vt ſibi promiſſa in fœderis legibus militum ſubſidia mittat: iuſſum prius, ſi Venetus auxilia ſibi pergeret recuſare, per tabellarium Demarchum Taſſonum de ea re literis admoneret; vt ille cum Republica ageret, vt ſibi conuenta ſubſidia mitti à Piſauro pateretur. Demarchus expoſitis in Collegio ſui Principis votis, obtinuit; vt Patres Mutinenſis Ducis ſolicitudine, ac ſedulitate probata, protinus Piſauro mandaret, vt promiſſa in fœdere militum agmina vltra Padum traducta cum Mutinenſibus iungeret turmis: & quamprimum belli

Veneti auxilia Duci Mutinenſi ſubmittũt.

fortunam experiundam curaret. Piſaurus Reipublicæ mandatis obtemperans tria peditum millia, & quingentos equites dynaſta Valletta chiliarcho iuſſit Pado traiecto, ſe agmini Mutinenſi committere: quo toto litore prætento quamuis Dux è pluribus locis aphracta prono amne demitteret, quibus Venetæ cohortes traijcerentur; tamen ſua ardenti ſolicitudine, ac cura aſſequi non potuit; quin fuerit multos dies in litore caſſandum; donec omnes nauigijs impoſitæ traducerentur: quæ Mutinenſibus ſociatæ ex fœderis legibus nouem peditum millium ſummam implere de-

Incuria omnia ſalubria cõſilia peruertit.

buerant, cum non ſeptem millia excederent; ſine commeatibus, ſine tormẽtis, ac ſine rebus, quib. tẽdi ſolent; ſine vllis bellicis machinis; quæ ſupina incuria omnia in fœdere conſtituta peruertit. Angebantur ea pernicioſa mora cæteri Principes Fœderati: ſed præcipuè Dux Parmenſis ſumma indignatione fremebat, ea temporis importuna, damnoſaq; iactura; quando Pontificij metu conſternati, tam conſilij, quàm virium expertes, nec adhuc

Mora in bellis omnibus pernicioſa.

ad ſe tuendos inſtructi, erant inuadendi. Nec vlli dubium eſt, quin Fœderatorum arma maximos progreſſus factura fuiſſent; ſi Pado ponte iuncto, cum Mutinenſibus copijs ſe iungere maturaſſent. Pontificij ſiquidem in varijs ad cuſtodiam diſperſi locis Bodincomago, Stellataq; captis, terrore confuſi, exanimes facili Marte impelli, fundi, deijciq; omnibus arcibus, ac propugnaculis potuiſſent. Fœlix belli fortuna in celeritate eſt; quam incurioſa mora corrumpit.

Pontifitiorũ trepidus receptus.

Dum vltra Padum Veneta agmina traijciuntur; Pontificij ad Nouam Cauponam ſtatione relicta, ſe trepidi, ac fugientibus ſimiles Centum recipiunt; vbi ſe aggeribus, propugnaculiſq; munierunt. Ille hoſtis receptus curam Fœderatis iniecit conſulendi, quid potiſſimum aggrediendum foret; ſed cum alij alia ſuaderent, & quæ cuiq; ſibi vtiliora, ea obeunda cenſeret; & nihil explicaretur, in hoc tandem conueniunt; vt miſſo valido bellatorum agmine Centi munimenta, præſidium, poſitum loci peritus Dux aliquis exploraret.

Digitized by Google

Federati Centum occupare decernunt.

ploraret. Vallettæ negotium datum, qui protinus cum quinque equitum grauioris armaturæ,& duabus Epirotarum velitum turmis, & quadringẽtis moſchettarijs iter ingreditur; vt ad erumpentem Auroram propè Centum accederet: ſed ductorum inſcitia,atq;alijs offenſis, nonniſi multo iam mane in hoſtium conſpectum venire potuit. Statim compoſito agmine, turmas opportunis partitus in locis, præſertim moſchettarijs ponè conſidere iuſſis,vt receptum ſuo obiectu firmarent: moſchettariorum equitum turmam quatuor ſtadia procul Cento prouectam inuadit: qua ipſo feroci incurſu fugata, non contenti equites Epirotæ Loricatorum equitum turma Vinciguerra comite præfecto, eorum impetum ſecundante tanto animorum ardore in duas alias hoſtium equitum turmas inuecti ſunt; vt nihil ægrius Vallettæ factum ſit,quàm vt illos eo diſcrimine explicaret. Epirotarum ex oppidi munimentis conſpecta audacia, ad eam comprimendam cum valida equitum ala dynaſta Matthæus, & chiliarchus Radettus in hoſtes erumpunt: atq; ita graui incubitu recedentibus inſtant, vt niſi ſe per viarum anguſtias non plus denis equitibus obuias celeriter immiſiſſent; ſędam aliquam cladem Veneti accepturi fuiſſent, qui in quandam exiguã planitiem ex trepido receptu, ſubducto agmine, iterũ in ſuis ordinibus inſtructæ cohortes, & turmæ ſe ad ineundum ad caſtra iter expediunt. Nundum duo ſtadia per illam planitiem proceſſerant, cum vniuerſus Pontificius equitatus ſe ſe recedentes aggreſſurus oſtentat: procuriſſetq; in hoſtẽ, niſi comes Bencius chiliarchus, qui cum ſua equitum ala vltra planitiem ſubſtiterat, vt extremum tegeret agmen: in Venetos ſigna tam feroci impetu intuliſſet, vt pulſos loco ferè diſſipatis ordinibus, in fugam coniecerit: cęcidiſſetq; plures, niſi Valletta iterum in vnum denſatis cohortibus, Pontificijs irruentibus obſtitiſſet. Lento poſtea gradu aliquot amiſſis, verſa in hoſtem fronte,receſſit.Non inſtitere perculſis Venetis Pontificij veriti,ne ſtructis inſidijs interciperentur. Valletta quamuis improſpero ſuo explorationis euentu,ſuorum cæde ille procurſus ſtetiſſet; tamen ſuo ſe voto damnatum ratus,quòd tantula militum iactura Pontificiorum caſtra,munimenta,bellandi peritiam,militaremque diſciplinam, vias, locorum ingenium,diligentiam, curam, cæteraque hoſtium quàm diligentiſſimè exploraſſet; retulit in conſilium, Centum lata, altèq; depreſſa foſſa circunducta aqua in ea reſtagnante difficile eſſe ad mœnia ſucceſſu: crebro circumuallo defixo, munimentorum proiecturis latera abradi tormentis:Pontificias copias intra tormentorum oppidi ictum caſtra habere; non minus Fęderatorum exercitu validas, immo militum numero ſuperiores: Rheno amne ad frontem fluente, Euripoq; ad dextram caſtra muniente. Quare cum omninò arduum videretur,munitum oppidum in præpotentis hoſtilis exercitus oculis ad illud tuendum,frangendoſq;ſuccedentium impetus expediti inuadere;aliò ſua conſilia conuertunt. Finarium Dux Mutinenſis,& Corarius ſtatuunt proficiſci;vt ibi conſulant:quæ opportuniora, vtilioraq; ſint ſuis agminibus obeunda; ſed cum ad pedites tuendos deeſſet equitum

Epirotæ equites Pontificios inuadunt.

Præſidiarij in hoſtes erumpunt.

Veneti à Pontificijs fugantur.

Centi oppidi munitiones.

Fœderati Cento abſtinent.

Qq 4 robur;

Digitized by Google

robur; à Parmenſi Duce aliquot eius equitum turmas efflagitant; ſed ille obfirmato animo negat abſciſsè petita equitum ſubſidia; ſe nullis fœderis legibus teneri; quamuis Fęderatis Principibus obſequi, atq; omni ope iuuare percuperet; ſe neq; vel vnum militem poſſe concedere, Bodincomago non adhuc bene in propugnationem munito; immo ſe aliàs militum cohortes Parma expectare; vt validiori oppidum præſidio tueretur. Sed præcipuè Venetæ Reipublicæ erat infenſus, quòd à Ferrarienſi policinio vberrimo ſolo, quod ſtatiua ſuo agmini deſtinauerat, ſe occupando prohibuiſſent; nec minus Magno Duci ſuccenſebat; quòd ab eo cæteris aſſentientientibus fœderatis, alternum in Etruria ſibi fuiſſet negatum imperium: qua intempeſtiua Parmenſis Ducis indignatione, animiq; duritie interciſus Fœderatorum Principum afflantis fortunæ curſus, ſe ad eorum vota fœliciter prouehentis, eorumq; res cæptæ retrò lapſæ referri. Turbatis igitur fœderatorum conſilijs, peruerſiſq; decretis, Parmenſi Duci fatale, totiq; Italiæ cenſebant; quòd ille, neq; fœdus cum alijs percuſſiſſet, neque ſuas turmas cum cæteris ipſius cauſa, pro eoq; aſſerendo bellantibus iungere voluiſſet; eorumq; preces aliquot Parmenſium equitum turmas enixè poſcentium reſpueret. Quare illi obnuntiatum eſt; quando pergeret cum fœderatis nolle aliquid conuenire; aut ſuorum equitũ ſubſidia ſubmittere recuſaret; ipſi ſuarum rerum cura relicta, eum ſolum in eo bello deſerturos; immo eo excluſo, pacem cum Pontifice inituros. Hæc Parmenſis Ducis moroſa fœderatos Principes habendi ratio adeò optimis conſilijs conſtituta confudit; vt Veneti, cum nulla equitum auxilia ab eo extorquere poſſent; ſuas ipſi quoq; Magno Duci conuentas in fœdere militum copias mittere recuſarent: ne in Inſubribus robur exercitus eneruarent.

Eius indignationis incommoda.

Fęderatorũ in Parmenſem Ducem indignatio.

Dux Mutinenſis Sororij ſui inexorabilem diritatem animi auerſatus relictis paluſtribus Scultennæ lucis, ad colles ſubducto agmine, ſuos incolas ab hoſtium populationibus vindicare feſtinat; qui Mutinenſem agrum crebris incurſibus habebant infeſtum: ea mentē etiam, vt Creualcorium ex itinere occuparet, vel cum Pontificijs acie confligeret, ſi Cardinalis Antonius ſubſidio cum ſuo exercitu accurriſſet. Veneti eo die in primo agmine gradiebantur, ponè ingens foſſorum numerus ſequebatur; vt celeri opere caſtrorum munimenta perducerent: iuſſiq; primi agminis Duces locis eminentioribus inſidere, explorareq; oppidi propugnacula, ſitum, deq; omnibus certa nuntiarent; vt meliora, vtilioraq; iniri conſilia poſſent, antequàm mœnibus admoueretur exercitus, ne in hoſtile ferrum cęco impetu nõ benè explorato raperentur. A Valletta, qui cum primo agmine exercitum anteuerterat, de oppidi ſitu, munitioneq; doctus Dux Mutinenſis ſpe illius potiendi animo concepta, promotis copijs in foſſę margine tribus in locis aliquot peditum agmina inſtruit; cæteris copijs in Prati fronte ſubſiſtere iuſſis, equitatu ducentis moſchettarijs eorum firmantibus latera, in viarum faucibus conſtituto, quà poterant Pontificia ſubſidia venire, eaſq; pluribus locis depreſſis ſcrobibus interciſas tranſuerſis arboribus impediuit: quo

Tanara.

Pontificij in Mutinenſē agrum incurrunt.

Dux Mutinenſis Creualcorium innadit.

difficilior eſſet acceſſus. Accuratè Dux loci contemplatus ingenium cum foſſam prealto obſitam cœno ingredientium hauſturo veſtigia, ſtagnantemq; circum aquam vidiſſet; iuſſis ad foſſæ labrum libratoribus admouere tormenta mœnia frequentibus ictibus quatere inſtitit; vt murorum ruinis in foſſam procumbentibus denſatum cœnum inuadentibus ſolidum præberet acceſſum. Sed tantula murorum maceria foſſa nõ potis erat oppleri, neq; aqua exſiccari. Interim oppidi præfecto Cauto Aſculano ſtatori maiori probatę virtutis bellatori per tubicinẽ caduceatorẽ vltima obnũtiat, niſi protinus oppidũ dedat; qui etſi duas omninò peditũ cohortes alterã ex incolarũ delectibus, alterã ex ciuibus poterat inuadẽtibus hoſtibus objicere; reſpondit ferociter, ſe vſq; ad vltimos ſpiritus velle ſuæ fidei creditũ oppidũ propugnare: miſſiſq; Centũ quatuor peditibus moſchettarijs à Cardinali Antonio ſubita auxilia ad pellẽdũ mœnibus hoſtẽ efflagitat. Ad hũc nũtiũ Cardinalis cũ Principe Præfecto fratre ſuo, Valẽzeoq; dynaſta, atq; vniuerſis copijs celeri gradu ſubſidio cõtẽdit: propè oppidum prouectus Frãciſco Altierio aciei ſtatori imperat, vt cum ſua legione ex promptioribus, pugnacioribuſq; conflata in Venetos impetum faciat: prætoriana Cardinalis Legati turma, cum alijs equitũ manipulis in id ipſum prodeũtẽ ſubſequẽtibus. Valletta aliquot loricatorũ equitũ turmas in accedẽtes Põtificios immittit; iuſſis prius libratoribus tormenta à foſſæ labro abducere, ne ijs potiretur hoſtis: efficaciſſimiſq; precibus, miſſo de imminentis prælij diſcrimine nũtio, reliquos Duces ſolicitat, vt cũ vniuerſo exercitu ſubſidio feſtino properent gradu, nec ſe ab irruentibus Pontificijs copijs obrui paterentur: inſtare vniuerſæ pugnæ diſcrimen; adeſſe vniuerſum hoſtiũ exercitum. Dux Mutinenſis, vt præſumeret tempus è caſtris ſuas turmas, & cohortes eduxerat, inſtructurus in aciẽ in ſtationũ fronte; quo vix perfici cœpto, ſtatim velitãtiũ propè oppidũ, pugnãtiũq; fremitus auribus ſociorũ obſtrepuit; nũtiuſq; à Velletta trepidus aduolauit ſubita auxilia poſcẽtis, orãtiſq; vt vniuerſus in pugnã exercitus feſtinaret. Non aſpectum hoſtiũ tulere Venetæ loricatorum equitũ turmę, ne dum impetũ feroci impetu incũbentiũ: effuſa, inerti, turpiq; fuga in peditum agmina reuolutæ ipſo incuſſu protritis cohortibus, ordines fęda proculcatione ſoluerunt. Accurrit Valletta aliquot equitum globo ſtipatus, vt reſtitutis ordinibus, cohibitaq; ſuorũ fuga, acceptũ incõmodũ ſarciat; ſed iterũ acriori impetu Põtificio vrgẽte equitatu, nihilo animoſius inuadẽtibus obſtitere Venetę turmę; in turpẽ cõuerſę fugã pedites hoſtibus equitibus proterẽdos deſeruere. A Valletta nihilominus exceptæ paulatim deſidente metu, inſtructęq; in pugnã iterum in ducũtur. Verũ vbi ſemel militum animos terror inuaſit: fruſtra hortamenta, & preces adhibes, vt eos ad fortiter audendum accendas. Cæſi aliquot Veneti, vulneratique, ſe poſt quaſdam ædes ſub moſchettariorum ictus ſubducere coacti ſũt. Ipſe Valletta, vt pręſes magis cæteros exercitus Duces ad ineũdã pugnã vrgeret; ſubditis equo calcarib⁹ ad caſtra celeri curſu feſtinat: obſecrat, inſtat, hortatur, ne pulcherrimã cõficiẽdi hoſtis, inſigniſq; parãdę victoriæ

Præfecti animoſitas minas ſpernit.

Pontificij in hoſtes vadunt.

Pontificij Fœderatos aggrediuntur.

Veneti loricati equites fugantur.

Veneti funduntur.

Digitized by Google

ctoriȩ occaſionē effluere paterentur. Nundū copiarū agmina in vnam molem coierant, & Duces à ſe inuicem diſſentiebant, alijs receptum, alijs ſuadentibus pugnam; pluribus verò videbatur non eſſe in vniuerſi prælij copias diſcrimen dandas: quod validum præſidium oppido eſſet illatum, effuſaque turmarum, ac trepida fuga, militeſque terrore conſternati à conſpecto vix hoſte ſuæ ſaluti intra copiarum ordines effugium quærendo in tutum diſceſſum, non pugnam ſuaderent. Quis enim Dux timidum militem, pauore attonitum in prælium induceret? Alacer, fidenſque ſui, animoſus, & audax obijciendus eſt hoſti; non omnia formidans. Primum copiarum agmen ſex integras horas ceſſarat in campo, antequam in aciem explicari poſſet: aut quod plauſtrorum multitudo ordinibus interiecta ingens viæ ſpatium impediret, per quam in prata euadendum erat: aut quia Valletta non aderat, nec Camillus Gonzaga alienas partes agere vellet; vel correpti eodem militum timore Duces vultuum pallore conceptum animis metum prodente, dedita opera traherent moras, medio amplius die acies ad pugnam inſtructa non erat. Valletta nequicquam cæteros Duces hortatus ad prælium ad priſtinas ſtationes regreſſus, cum in ſingulas horas hoſtem viribus augeri, roborarique nouarum acceſſione cohortium vidiſſet: perniciosam ratus audaciam futuram eos inuadere; ſuos diſcrimini maturè ſubduxit: ducentis ex ſuis amiſſis, in hoſtium poteſtate tormento relicto, quod ductores eodem, quo cæteri perculſi metu in colliquias ex fuga deuoluerant: tractumque Bononiam inter feſtas Pontificiorum acclamationes veluti victoriæ trophæum, fælix totius belli exitus auſpicium.

Pugna cōſilium prudentiores dānant.

Fœderatorū in conſulta mora.

Pontificij victores exultant.

Fœderati exercitus metus.

Tantus Fœderatorum copias terror inceſſerat, panico quodam metu animos occupante; vt exanguia pauore militum ora trepidationem teſtantia pectorum terrorem traducerent. Iamque Finarium impedimentis præmiſſis, procul ab hoſte in pacatum recedere deſtinauerant; niſi quidam animoſiores Duces præcipitem futuram ſociorum fugam veriùs, quàm receptum precibus, obteſtationibus obiecta turpis dedecoris labe remorati illas iiſdem in locis ſubſiſtere compuliſsent.

Romana curia de victoria lætitia.

Hic primus agminum occurſus, mutuumque bellicæ vtriuſq; partis virtutis experimentum omnem ex Pontificiorum animis de hoſtium ferocia, veteranaq; diſciplina conceptum metum prorſus excuſſit; cum re ipſa vidiſſent Fœderatorum turmas, quȩ ſe bellicoſas, pugnaces, bellique expertas nimis glorioſè iactauerant; in pugna, Martiſque diſcrimine non ſua maiorem ferociam, ac fortitudinem protuliſſe. Huius fœlicis nuntio ſucceſſus tantis gaudijs Romana Curia cum Pontifice exultarunt: ob inde commoda ſequutura, vt receptis à pauore animis, quos Bodincomagi, Stellatæq; iactura perculerat, in ſpem melioris erecti fortunæ non amplius Fœderatorum Principum arma formidarent: etſi eorum legatos Romæ retinere conati ſint, ſpe illis obiecta paciſcendæ tranſactione pacis. Verum illi arbitro Marte ferro decernere vtrius partis iuſtior cauſa foret, atque ab vtris iura ſtarent certis animis propoſuerant. Quare Legati ſuaui pacis obſtructis

auribus

auribus ſono, omniq; pactionis mentione repulſa, Roma non venerati Pontificem, nec quẽquam purpuratorum Antiſtitum, ſalutatis tantum popularibus ſuis Cardinalibus, ſuorum Principum iuſſu diſcedunt.

Fœderatorũ Principum Legati Roma diſcedunt.

Interim Pontificij demiſſo in plana è Montanis exercitu, ſecumq; deductis pagorum obſidibus, quò certiores eſſent imperatæ pecuniæ penſiones, belli procellam agris Mutinenſibus minabantur. Quare coacto fœderatorum Ducum conſilio decretum eſt; vt omnes copię feſtino gradu profectę, ſe contra hoſtium frontem Mutinæ vrbi prætenderent; quò periclitantis Ducis dominatus ab hoſtium incurſibus tegeretur; & agreſtes, eo freti auxilio ſuas metere ſegetes poſſent: prohiberenturq; hoſtes ne mutua ſubſidia, commerciaq; cum Magno Duce, ſuo interceſſu præciderent: ad quod aſſequendum in montana ſubducto exercitu, Iuliã occupauerant; poſſe interea impunè Parmenſem Ducem Ferrarienſem agrum pro arbitrio populari, Bodincomagiq; per otium perficere munimenta; deinde ſua agmina, eo ſoluta negotio Fœderatorum copijs adiungere. Pontificij verò cum valido equitum, & peditum agmine, & quinque tormentis Primari Turri ſuccedunt, prolatiſq; tormentis, illam vehementi verberatione concutiunt: deiectoq; plicatili ponte, præſidium territum fugere compulerunt. Erant tantum duodecim milites libratore duce, qui ponè turrim ad ima delapſi conſcenſis myoparonibus, in pacatum contento remige nauigarunt.

Fœderatorũ copiæ Mutinenſi Duci ſubſidio feſtinant.

Dum hoſtilia arma ſibi inuicem imminent, ſeq; mutuis accenſa odijs intercipere conantur: Veneti Proceres Antiſtiti Vitellio Apoſtolico Nuntio per Padauinum à ſecretis edicunt; vt triduò cum ſuis domeſticis Venetijs, atque adeò toto dominatu excedat. Ille popoſcit, vt ſibi dato aliquot dierum ſpatio, ſinerent hac de re ſe ad Summum Pontificem litteras mittere, eiuſque reſponſa, mandataq; expectare; verùm Reſpublica ante tabellarij aduentum illum diſcedere coegit; commodatis quatuor onerarijs nauigijs, iuſſiſque nautis, ne naulum aliquod, aut ſtrenam acciperent: immo Nuntius Foſſæ Clodiæ regia munificentia exceptus ciborum ſcitamentis, cupedijs, tragematis, & omnis generis bellarijs ex ſaccaro donatus abſceſſit.

Vitellius Pontificius Legatus Venetijs excedere iubetur.

Reſpublica Veneta ex dubijs Parmenſis Ducis actionibus ancipitem quoque eius fidem, occultius aliquod conſilium ſuſpicata, miſſo ad eum prius Buſinello eximiæ in dicendo, & efficacis eloquentiæ, deinde Piſauro flagitauit; vt Stellatam Fœderatorum Principum traderet poteſtati. Ille tam importuna petitione indignatus abſciſsè reſpondit; *ſe Stellatam ſuis armis, turmiſq; cepiſſe, ſe quoque ad eam retinendam idoneum fore; illudque animi robur ad eam propugnandam, conſtantiamque allaturum; qua ad Caſtrum repetendum vſurus erat; ſe ſanè cum cæteris fœdus inire paratum: ſed non æquum putare, ſuis parta labribus ſibi eripi.* Mutinenſi quoque Duci enixiſſimè flagitanti, vt ſuas turmas cum cæteris ſociaret; vt vna copiarum mole, iunctis viribus dignum aliquod Fœderatorum Principum exiſtimatione auderẽt, petita conſtantiſſimè recuſauit: quæ Parmenſis conſiliorum

diſſidia.

diſſidia,& aduerſa vtiliora ſuadentium opinionibus animi ſenſa præpotentium armorum conatus diſcuſſerunt.

Pontificij in Mutinenſem ditionem inuehuntur.

Dum fœderati certant ſententijs,& inanibus diſceptationibus altercando tempus terunt: Pontificij animaduerſo nullo ſe hoſtium auſu diſtineri, aut bello à ſuis deſtinatis auerti; vago agmine in extrema montana inuecti eam Mutinenſis ditionis partem auehendis prædis,diripiendiſq;incolarum mapalibus, cuncta hoſtilibus incurſibus proruebant. Quocirca à conſiliarijs ſtatutum eſt, vt Corrarius cum ſuis legionibus Boni poſti ſubſiſteret, ex quo æquè facilè poterat hoſti occurri; Mutinenſique agro hoſtium incurſus, populationeſq; prohiberi: & Dux cum ſuo agmine, duobus additis moſchettariorum millibus,feſtinaret in montes Pontificiorum vbicunque occurrerent, vaga agmina compreſſurus. Motum igitur Conſilij placito, ſub noctem agmen expeditum ſine ſarcinis,ſine tormentis hora ante Auroram paſſuum mille propè Mutinam acceſſit. Ibi Dux Mutinenſis accepit Pontificias copias quinque peditum millibus validas in mõte Diui Iolis arci aduerſo poſitis caſtris eandem arcem aggredi cogitare: quòd ab eius montis eminentiori faſtigio supernè tormentis poſſet inceſſi. Quare ne inexplorato admotum hoſtibus agmen in aliquod diſcrimen daretur; equitum globus ad loci ingenium, hoſtiliumq;munimentorum poſitum contemplandum emittitur: interim, vt maturaretur acceſſus, ad Caſtrum nouum feſtino gradu pergeret agmen, ibique feſſas duo deuiginti paſſuum millium difficilimo itinere vires quiete colligeret. Huius rei monitus Corrarius ſuſcepto viſo ſibi mutato conſilio, quòd non recta,non interrupto itinere, Iuliam exercitus tetendiſſet; ipſe quoque conuenta turbat; mandatq; Camillo Gonzagæ moſchettariorum peditum tribuno, ne vltra Caſtrum nouum ſuo iniuſſu progrediatur. Interea exploratores miſſi renunciant, hoſtium munimenta, quibus ſe vallaſſe fama vulgauerat, nihil aliud eſſe, quàm impeditas paucis tranſuerſis arboribus vias; ſpolia, prædas trepidè plauſtris ingeſtas auehere, tumultuariè omnia in caſtris agi; quòd Mutinenſem Ducem quatuordecim bellatorum millibus validum inter eos rumor accedere percrebuerat. Denique illos poſſe facilè fundi, proteri, diſſipari, ſi in turbatos, confuſoſq; repentinus impetus fieret. Veſperi igitur habito hac ſuper re Ducum conuentu, placuit nocte concubia militibus iter indici; vt ad orientem Auroram hoſtilia caſtra ſubiens agmen territos Pontificios inuaderet. Sed cum ex condicto Gonzaga iuſſus eſt ſuam moſchettariorum legionem illicò mouere, & reliquo profecturo agmini iungere; Ducis detrectauit imperium, Corrarij iuſſa cauſatus; quibus ſe prohiberi dixit: ne vlterius gradum proferret; vt mandatis Reipublicæ fungeretur iubentibus,nè procul à Padi litoribus copias abduceret, nè cum Policinio commercia amitteret; quare irrita tam ſalubria ſuſcepta inſignis parandæ victoriæ conſilia cum ingenti Mutinenſis Ducis angore ad nihilum reciderunt:feruidus animo præclara ſemper belli facinora obire cupientis. Quocirca indignatione fremens acriter querebatur,

Mutinenſibus Veneti ſubſidio feſtinant.

Corrarius ſuas ſiſtit copias.

Fœderatorũ de inuadendo hoſte conſilium.

Digitized by Google

rebatur, quòd hæc reſes Venetorum difficultas ſibi illuſtris victoriæ decus eripuiſſet; quam trepidus, confuſuſq; hoſtium ſimilis fugæ receptus, conſternatio, pauor eorum incuſſus animis de Fœderatorum exercitus numero illos inuadere feſtinantis certam, ſecuramque pollicebatur.

Huic non dubiæ fidem ſpei Ducis fecit Mathias Sciton Neapolitanus ſupremus equitum conquiſitor; qui iuſſus à Duce, vt cum trecentorum equitum ala in hoſtium conſpectum prouectus eorum res intenta cura exploraret: in recedentes in compoſito agmine Pontificios ſignis illatis, præcipites egit per ſallebrarum anfractus, & montium deiectus, centumq; equos, cum aliquot captiuis abegit in caſtra, nuntians ſi in conſilio decreta Duces perficere maturaſſent; futurum fuiſſe, vt inſignis de hoſte palante, territo ſolutis ordinibus recedente victoria acquireretur. *Pontificij fugantur.*

Quamuis Dux Mutinenſis præcipuæ parandæ laudis de fugato hoſte occaſionem ſibi ademptam doleret, inſtitit tamen petere à Corrario, vt ſecum ſua arma ſociaret; quò iunctis vna viribus firmiores in Bononienſem agrum, quà colles molli cliuo aſſurgunt, vbi nullę arces, nulla propugnacula expugnanda occurrunt; effuſo exercitu bellica exiſtimatione dignum aliquod molirentur: ſed Corrarius ſuo propoſito tenaciùs hærens adeò non ſociaturum ſe cum illo ſua arma reſpondit; vt etiam Ducem viciſſim orarit, vt damnato bellandi in montanis conſilio ad ſe cum ſuo exercitu feſtinaret. Quare Dux Venetis deſtitutus auxilijs, cum ſuis tantum copijs nihil aggredi auderet; periculoſæque temeritatis eſſet, in medios hoſtes tantulum agmen immittere; ne ſuam ditionem præſidio nudatam hoſti impunè diripiendam obijceret: reducto propè Mutinam exercitu, caſtra locat: ibique varijs curis anxio animo in ancipiti fluctuans angebatur; quòd nihil à Venetis miniſtris opis, nihil ſubſidij poſſet exprimere; immo ſibi eſſent eorum agminibus commeatus, tormenta, pyriuſque puluis, ac cætera ſufficienda. Quocirca Demarcho Taſſono ſuo Venetijs legato mandat; vt Reipublicæ Patres edoceat, quo res loco ſit; *quot bellandi, conficiendique hoſtis eripuerint occaſiones; ſibi negata à Venetis Ducibus auxilia; nihil in fœdere ſtari conuentis: Mutinenſem Ducem iuuenili feruore hoſtem vrgere, expugnare arces, Pontificijs vrbibus terrorem incutere, atque in hoſticum irrumpere peroptantem deſeri, deſtitui, illique petita ſubtrahi auxilia; quod eſſet tamen vtcunque ferendum, niſi etiam cum magna ſuorum vectigalium iactura, ac detrimento eorum copijs commeatus ſufficere cogeretur; præter id quod tormenta quoque in maxima iumentorum difficultate ſibi ad eorum obſequium trahenda erant.* Cui Patres, *copiarum Ducum incuriæ, malæque belli adminiſtrationi maturè conſultum iri; parandæ annonæ, & commeatibus expediendis Antonium Venerium præfeciſſe, admetiendis verò militi ſtipendijs, Georgium Contarenum iuſſiſſe Quæſtorem; omnia deinceps melius, conſultiuſque obitum iri, cum ij integerrimi Senatores omnia è Republica facturi eſſent.*

Veneti ſe iūgere Mutinenſi Duci recuſant.

Mutinenſis de Venetis querela.

Magnus

Magnus Dux ſuas copias in Pontificiam ditionē immittit.

Magnus Etruriæ Dux, ne ſolus ceſſare cæteris fœderatis ſocijs bellantibus, videretur; immo tranſlato in Pontificios dominatus bello auertendis hoſtibus eorum armis robur addendi cupidus valido authorato exercitu, grauis hoſtibus imminebat. Principem Mathiam ſuum fratrem Germanicis bellis exercitum, militarique diſciplina in ea Martis ſchola eruditum cum ſummo imperio vniuerſis copijs, belloq; præfecit, addito Alexandro à Borro collega, ad cuius conſilium potiſſimum omnia referenda erãt; qui habito Ducum de belli adminiſtrandi ratione conuentu, ſuaſit in ipſa Pontificis terrarum viſcera adigenda belli tela; hoſtiliumq; interiora ditionum bello quatienda, quò hoſtes ſua tueri compulſi, eò coactis omnibus viribus, cætera ſocijs Principibus occupanda, aut inuadenda nuda relinquerent. In Peruſinos campos ad Tiberinam maiori copiarum mole incumbendum eſſe ſentiebat; vt communicatis cum Fœderatorum turmis quas per Æmiliam, Picenumque in Vmbriam mittere deſtinabant, conſilijs, & viribus, ex compoſito, varijs agminibus in ampliſſimis circa Romã campis ſpargere bellum, ipſique vrbi è propinquo frementibus armis, afferre terrorem. Collectis igitur ex vniuerſa Etruria delectuum cohortibus, in vnam copiarum molem, diligentique luſtratione recenſitis militũ

Etruſci exercitus numerus.

agminibus, quæ octo peditum legionibus ex mercenarijs partim, partim ex popularium delectibus conflatis, & vna peditum Germanorum legione, & ſexdecim equitum turmis, quarum quatuor loricati equites Germani faciebant; cum moſchettariorum equitum legione ſarcinarum, & impe-

Cortona, Montepulciano, Chiuſi. Lechiane.

dimentorum plauſtris, ac duodeuiginti tormentis Corytum, Montem politianum, Cluſiumque verſus iter intendunt; quæ loca toti Pontificiæ ditioni prætenta ſpatioſam planitiem latè ad Peruſiam procumbentem opportunam incurſibus pandunt. Inde ad Danam Paludem flexo agmine, in duos exercitus partiti copias altero Plebem vrbem inuadere, altero in

Caſtiglione. Orvieto.

circuniectis Caſtulæ campis circumferre bellum putabant; vt Pontificia agmina ad Oropitum tendentia ad pugnam ferendam in medio deprehenſa compellerent. Octauiano Ricaſolio purpurato ſupremo aciei ſtatori mandatum, vt dextera equitum ala, & aliquot peditum cohortibus, Plebi vrbi ſuccedens vicinis locis inſideret. Vix poſitis caſtris, nuntiatum eſt Pontificias copias militum numero validas ſupremo Duce Dynaſta Federico Sabello, propero gradu Carnaiolum verſus iter intendere; quo audi-

Caſtiglione. Etruſci Vrbi Plebi ſuccedunt.

to Macthias, mutato conſilio, Caſtulaq; relicta, vrbi Plebi vniuerſum exercitum admouere decreuit; metatuſq; in valle Trieſia duo paſſuum millia propè vrbem caſtra, quatuor peditum cohortes, & equitum turmam regiæ viæ inſidere iuſſit. Interim Ricaſolius Patrum minorum ex Diui Franciſci familia cœnobium à meridie imminens vrbi in ſublimis collis ſitum faſtigio occupauerat; vt inde libratis tormentis, vrbis mœnia pulſaret: iuſſo equita-

Orvieto.

tu totis campis procurrere; vt Oropito venientia ſubſidia oppugnata vrbe prohiberent. Princeps Mathias cum reliquis copijs ab Aquilone in vrbis conſpectum prouectus in Patrum Capuccinorum cœnobio; & aliquot cir-

cumiectis

Digitized by Google

cumiectis ædibus, quibus exiguum ſuburbium efficitur, ſua caſtra muniuit. Eductis tumulis tormentarijs, crebris pulſibus diruta mœnium parte, oppidani, præſidiarijque aggredientium impetum non auſi expectare, vrbem magni Ducis poteſtati tradunt; qui Cluſio venerat in caſtra; exarmatum præſidium abſceſſit. Splendido procerum, Ducumque comitatu ſtipatus triumphantis more inter feſtas circunfuſi populi acclamationes inijt vrbem. *Chiuſi; Vrbs Plebs deditur Etruſcis.*

Ad Carnaiolum pontem duo equitum millia prægreſſa rumorem diderant, Sabellum cum reliqua copiarum mole ſubſequuturum, vt Etruſcos à Plebis vrbis oppugnatione decuteret. Quare Magnus Dux iuſſit illorſum exercitum feſtinare, vt Pontificios ad pugnam ferendam laceſceret: eodemque tempore alia agmina Montis Leonis caſtro ſuccedere iuſſit; quod ſtatim nullo certamine adepta Magni Ducis iuſſu valido præſidio firmarunt; quòd veluti propugnaculum Plebi vrbi obtenderetur. Sabellus audita præpropera eius deditione, quæ omnem ſuam celeritatem anteuerterat; nullius fructus iter proſequi fore ratus eo cōſilio ſuſceptum, vt Etruſcos ab ea obſidione depelleret: ad amnem Neſtorem agmen diuertit in omnem lędendi hoſtis occaſionem intentus. Magnus Dux omnibus circumiectis vicinis locis vago agmine exploratis, de diruendo antiquo muro Danæ Paludis aquas ſuſtinente, ne in Tyberis alueum præcipites lapſæ auctis ſua mole fluminis aquis, litoribus ſuperfuſus obruat Romam, agitaſſe conſilia dicitur: ſed ab inferenda tanta vrbi clade abſtinuit; iuſſitque copias Lacus Caſtellæ ſuccedere; quo ſuorum conatus armorum collineabant. Munitis caſtris, relicta in vrbis oppugnatione exercitus parte, alteram Pontificij agminis frontem oberrare iuſſit: vt ſi obſeſſo oppido ſubſidium inferre tentaſſent; cum illis fererent manus: ipſe verò Corytum ſeceſſit. Caſtella munitiſſimi ſitus præſtantia firmiſſimis totius Italiæ arcibus componi poteſt; quod in collis dorſo ſurgens Traſimeni lacus tota ferè circum fluctibus alluatur; & quaſi inexpugnabili aggere vallata nullam hoſti ad ſe inuadendam aperit viam, præter anguſtam terræ lingulam; quæ ſola oppidum adeuntibus patet, benè munita, defoſſiſque profundis ſcrobibus intercisa, tranſuerſiſque aggeribus ſepta, cui propugnandæ poſſunt omnes oppidanorum, præſidijque vires impendi. Extra igitur tormenti ictum Etruſci ſe circumducto aggere vallant: protenſis ad leuam vſque ad lacum caſtris, ad dexteram verò poſitis in eminente colle obſito, impeditoque ſyluis ſtationibus, cuius radices eiuſdem lacus vndæ præſtringunt; cui obiacet Montaleræ planities, per quam Pontificijs obſeſſo oppido patebat acceſſus. Libratis nulla mora tormentis, tripartito vrbem horribili fragore quatere aggrediuntur. Eodem tormentorum impetu eminentiores ædes pilarum incuſſu diffractæ, proſciſſæque corruerunt. Partem portæ vicinam firmo aggere munitam, validoque, ac ſtrenuo præſidio defenſam frequentiora fulmina verberabant: vt præſidiarij diſſilientium muri fragminum ictibus ferirentur, vel cadentibus ruinis obruti perirent; aut vrgente vndiq; *Le Chiane. Cortona. Etruſci Caſtellam oppugnant.*

Digitized by Google

te vndiq;præſentis terrore mortis abſcedere cogerentur. Oppidani, præſidiarijque tot reboantium tormentorum fragoribus, volitantiumq; globorum ictibus, & fulminum iactibus, vtpote bellicæ, Martiſq; inſolentes violentiæ territi facilè ad deditionem compulſi, ne obſtinatiùs acerrimo hoſti obluctando communi patriæ excidium pararent: in magni Ducis fidem, ditionemq; concedunt. Timor, reiq; militaris inſcitia, abiectio animi, & vt plerique autumant Corniæ Ducis ipſius oppidi dynaſtæ cum hoſte conſenſus tanti arcem momenti in vtraq; fortuna Etruſcis turpiter prodidere. Nec culpa vacant ij, quorum intererat finitimum oppidum primis ingruentis belli ictibus obnoxium ex bellica diſciplina firmiori præſidio munire.

Caſtella Lacus deditur Etruſcis.

Capita deditionis conditionum fuere, vt præſidiarij globulis ori inditis, funiculis accenſis, explicatis vexillis, ſtrepentibus tympanis, vrbe faceſſerent; ignauiæ ſanè velamenta, dedecoriſque labis, atque inquinamenti ſolatia.

Dedita Etruſcis Caſtella Sabellus cum Decem peditum, & quatuor equitum millibus validus ad Montaleram ponè collem ad lacum vſque excurrentem munitiſſimo ſitu caſtra locat: feſtinoq; opere ſe firmiſſimis aggeribus ſepſit: quorum interiectu, non tam hoſtium in Pontificij dominatus interiora excurſus cohibuit, quàm interrupto eius fœlici victoriarum curſu, intra Caſtellæ mœnia illum latere coegit: eaque ſtatione Etruſco omnia iam immanibus votis haurienti, maioraque meditanti omnem futuri profectus ſpem prorſus abſcidit. Magnus Dux Caſtellam progreſſus, Pontificijque exercitus oppidanis indicibus caſtra contemplatus, ac planitiem ſe ſe circum lacum explicantem, ſurgentibus ad latera collibus, cum Ioanne Carolo fratre ſuo inde abducendi Montaleram exercitus communicato conſilio, vt Pontificios ab ijs locis depelleret; vel è munimentis excuſſos, vel inuitos traheret ad certamen; cæteris Ducibus eius placitum probantibus, ad Diuum Fatuchium tria paſſuum millia propè hoſtem caſtra mouit: miſſo interim cum moſchettariorum equitum legione Paſſinianum Adamo chiliarcho; vt illud repentino impetu aggreſſus Pontificij exercitus partem in oppidi ſubſidium traheret, ac proinde Sabellus virium ſolito robore defectus minori periculo poſſet inuadi. Adamus intempeſta nocte Paſſiniano admota legione, datoque in mœnia impetu, nequicquam repugnantibus oppidanis, noctis horrore, vt in re trepida, ac repentina augente terrorem, per tela, per ignes in oppidum irruit, eoque potitus ad Peruſiam viam patefecit. Verum admodum lugubris, funeſtaq; Etruſcis Paſſiniani expugnatio fuit. Sabellus ſiquidem aduerſo loci momento, nocte concubia quadringentos pedites moſchettarios cum loricatorum equitum turma terreſtri itinere, & ſexcentos pedites myoparonibus impoſitos per lacum miſit; qui in oppidum pluribus è partibus irruerent. Illi altum dormientibus præſidiarijs, feroci dato in mœnia impetu, paucorum cęde propugnantium, captis cæteris de præſidio, oppidum recepere. Sabellus Mon-

Pontificij ad Montalerã caſtra locant.

Etruſci in Pontificios mouent.

Paſſinianũ occupant.

talere

taleræ cum ſuis copijs, Paſſinianoque inſidens latè nullo riuali lacui, omnibuſque inſulis dominabatur: poteratque ad arbitrium commeatus, ſubſidia, quòcunque neceſſitas poſtularet: expeditè ſubmittere. Quod lacus liberum imperium, vt Sabello adimeret Princeps, duo catafcopia, ſeu Liburnicas naues conſtrui iuſſit: quibus Epibatis impoſitis pugnis naualibus aſſuetis, toto lacu procurrentium hoſtilium myoparonum compreſſa ferocia, ſubſidia, commeatuſque interciperet. Infeſtis ſæpè proris variante fortuna, concurrere copiæ nauales, terreſtribus pugnã ex tuto ſpectantibus. Magnus Dux non hoſtis nauigationem in lacu turbaſſe contentus, triremes ſuo more inſtructiſſimas omnia Pontificij dominatus litora, mariaque aſſiduis incurſibus habebat infeſta; prohibebatque, ne commeatus, & ſubſidia Romanis portubus inferrentur: immo obiecta triremium ad Tyberis fluenti fauces claſſ:, quà Romam, declinato amnis, quo in mare euoluitur, impetu, naues tranquillè, & citra vndarum pericula ſubducuntur: grauem curam Pontifici, totique vrbi iniecit; ne quid violenti contra obiectas terras procurſibus tentare expoſitis in continentem militibus agitaret. Magnus Dux miſſis ad ſuum legatum Venetias litteris ſenatui perferendis, de ſuorum profectibus armorum monitam Rempublicam Venetam conuenta ex fędere auxilia popoſcit; quò territi Pontificij illatis ad vitalia ſignis, maioribus viribus vrgerentur: ſe maiori in bellũ exercitu prodijſſe, quàm pacti fęderis legibus teneretur, vt ſocialium armorum exiſtimationẽ augeret. Reſpublica magno Duci eius virtutẽ, & bellicã fortitudinem omnibus laudibus proſequuta reſpondit: *ſe fęderis legibus ſtaturam, & quidquid ſuarum partium foret, à ſocijs non deſideratũ iri*. Idem Dux Mutinenſis inſtabat; lentè enim, atq; admodũ tardè pacta in fœdere auxilia à Venetis expediebãtur; quo non arcano cõſilio, adhuc in incerto eſt. Aliud quoq; fatale ſatis mirari non poſſum; quòd quãuis Fęderati Principes Parmenſis Ducis beneficio, & commodo arma ſtrinxiſſent, ipſius tãtum rebus profutura, ſuas turmas pro ſua cauſa bellantibus iungere tam obſirmato in ſuo propoſito animo, vel id ipſis enixè petentibus, recuſaret.

Inter Pontificios, & Etruſcos pugna nauales.

Etruſcæ triremes ad Tyberim Romã terrent.

Magnus Dux Veneta poſtulat auxilia.

Quid Pontificios iuuerit.

Expugnatæ Caſtellæ nuntium lætiſſimis acclamationibus Dux Mutinenſis excepit; maiorum in Inſubribus fœderatorum profectuum armorum certa ſpe animo concepta; miſſoque Bodincomagum ad Parmenſem Ducem Comite Teſte, illum ſollicitauit, vt excuſſo tandem ſomno non exiguis partis ſegniter incubans, ac modicis progreſſibus acquieſcens prodiret tandem ex latebris, iunctiſq; ſuis cum fœderatis Principibus turmis, digna ipſius animi magnitudine auderet. Verum celi decreto factũ eſt, vt tanto animorum ardore ſuſceptum bellum tam ſegniter non proſequerentur modò, ſed etiã a ſe inuicẽ, in eo adminiſtrãdo diſſiderẽt, nec vnquam in idẽ belli facinus conſentirent. Credo vel cæleſte Numen ſui Pontificis vindex Fęderatorũ Principũ corrupiſſe cõſilia, ne cõmunem Catholici orbis Patriã exteros quoq; ad ſũmos honores, atq; ampliſſimas dignitates prouehentẽ, ſuoſq; veluti proprios indigenas, vectigaleſq; amplectentem bello euerterent.

Mutinenſis Dux Parmẽſem ſollicitat ad bellandum.

rent: vel piiſſimos Principes importunum, funeſtumq; omnibus pertæſos bellum animorum impetum, Martiſq; violentiam cohibuiſſe; ne Pontificijs dominatibus, quos ſacroſanctos iura pronuntiant, belli clades inferrent.

Cardinalis Antonius, ne intra ſtatiua milites ſegni otio torperent: inertique ſitu ceſſantia marceſcerent arma; decreuit educto ex æſtiuis exercitu, atque in Mutinenſem agrum immiſſo, acerrimum hoſtem Ducem bello quatiendo, Fœderatorum Principum conſilia peruertere. Iubet igitur dynaſtã Valenzeum quatuor peditum millibus è Diui Ioannis Caſtro deductis, Nouantulam aggredi; vt eam adeptus ſibi in plana patefacta via, ipſam Mutinam vniuerſis copijs impeteret. Admoto ille oppido agmine ſub Auroram, cõdicto prius, vt Demarchus Mattheus ſupremus caſtrorum præfectus eodem tempore ad intercludendum ſubſidijs hoſtem, Nauicelli põtem occuparet; atq; eo idcircò Conquiſitor Oddus aliquot equitum turmis contento agmine progreſſus, nemine occurrente pontem inſedit: per tubicinẽ vltima præſidiarijs obnuntiat, niſi extẽplò portas aperiant: à præfecto equite Fontana, & Diui Martini chiliarcho Veneti agminis Duce ferociter reſponſum eſt; ſe oppidum vſq; ad vltima velle tueri, neq; ſe inanes minas terrere, quo minus locum ſuæ fidei, tutelæq; commiſſum pro viribus, atq; omnibus conatibus propugnent. Antiquis tantum mœnibus, nulliſque propugnaculis ad diuturnam oppugnationem tolerandam; ſed tãtum altè depreſſa, lataq; foſſa ad repentinos impetus elidendos oppidum vallatum erat. Quamobrem Valenzeus aliquot vicinis ædibus occupatis, quarum obtentu veluti aggere milites tegebantur; prolatis duobus tormentis muros ad Diui Franciſci cœnobium, & portam aggeſta tellure obſtructam frequenti globorum incuſſu diuerberat. Dux Mutinenſis oppugnatæ Nouantulæ accepto nuntio, quamuis ſciret Demarchum Matthæum ſeptem bellatorum millibus validum poſſe ſibi ſubſidio properanti ſuo obiecto agmine pontis Scultennæ amni impoſiti tranſitum impedire; vel iam tranſgreſſi ſua terga pulſare, inter duo Pontificiorum agmina deprehenſi; ratus tamen expedita celeritate ſe omnia impedimenta, oppoſituſq; victurum: iubet comitem Raymundum Montecuculum cum equitatu, & aliquot campeſtribus tormentis ad Nauicelli Pontem contento agmine feſtinare: ipſe ante primos peditum ordines cum muralibus tormentis ſubſequuturus. Eò prouectus Comes vidit quatuor ſuas equitum turmas, quæ cæteris animoſiùs ad inuadendam hoſtium ſtationẽ agmen anteuerterant, & quater iterato impetu pontem adipiſci tentauerant; a Præfecto Panzetta fuſas, fugataſq; ſtrenuè totis campis palantes errare. Quare ille vniuerſi agminis mole in Pontificios incumbẽs, promptiſſimis hoſtium cæſis, reliquos feſtino gradu ſe in tutum recipere coegit. Conquiſitor Oddus ea pugna latere graue vulnus accepit. Subſtitit comes ad pontem donec accepto à Duce trecentorum peditum ſubſidio, poſſet validior oppugnantem hoſtem inuadere. Acceſſu comitis oppidani, præſidiarijq; receptis animis alacriores, ſe contemptim pro mœnibus oſtentant: & quantum animorum propugnan-

Pontificij Nouantulã aggrediuntur.

Panara.

Dux Mutinenſis Nouantulam ſubſidio properat.

Pontificij fugantur.

gnantibus additum eſt; tantum Pontificijs deceſſit. Interitus igitur comes imperat ſupremo exercitus Conquiſitori Sittoni, vt cum ſuo agmine inferat ſigna. Ille tam acriter in perculſos inuchitur; vt Pontificios nihil minus, quàm hoſtium acceſſum, atq; impetum metuentes, quod Nauicelli pontem, ex conuentis à Demarcho Matthæo teneri, prohiberiq; Mutinenſium ſubſidia putabant: primo armorum incuſſu diſiecerit, protriuerit, diſſiparit. Superſtites turpiter abiectis armis, quò expeditiores eſſent ad fugam, ſe inde celeriter abripiunt. Plures capti, vulnerati, cæſiq; eò nobiliorem, gratioremque, quò incruentiorem fecere victoriam. Franciſcus Gonzaga Stator maior exercitus Pontificij veteranæ virtutis bellator egregius cladis auxit acerbitatem. Excuſſo ab oppugnatione hoſte, validum Nouantulæ præſidium inductum. Non inſtitere fugientibus Mutinenſes ſano metu veriti; ne in Matthæi copias inciderent; quæ tardo admodum gradu ad pontem prouehebantur.

Pontificij à Mutinenſibus caeduntur.

Nouantula ſoluitur obſidione.

Cardinali Antonio moræ impatienti ſciendi cupido, quæ à ſuis ad Nouantulam gererentur; conſcenſo equo, volantique ad caſtra affertur, Mutinenſem Ducem iam cum ſuis copijs deturbatis ſtationibus militum, Pontem tranſgreſſum ſubſidio Nouantulam properare. Accitis igitur celeriter alijs peditum cohortibus, & equitum turmis ad pontem feſtino agmine tendit. In vtroque viæ latere aliquot moſchettariorum peditum cohortes Dux Mutinēſis poſuerat in inſidijs; in quas imprudens Pontificiorum equitum agmen illapſum vndiq; miſſilium procella inceſſitur. Quinque loricatorum equitum turmæ ad glandium incuſſus turpi fuga ſe diſcrimini ſubtraxerunt ſclopettariorum peditum defectum, quibus erant ſua latera firmanda, cauſatæ: qua inani excuſatione turpis dedecoris labem eluere conabantur. Solus Cardinalis Antonius cum Demarcho Matthæo, & viginti equitum globo inter volitantium miſſilium turbinem impunè, atq; animosè verſatus reſtitit ad ferientem vndiq; hoſtem: quamuis caſſo vulnere, diſplodentium moſchettariorum inſcitia, qui in elicum labro appoſitis fiſtulis, depreſſiùſq; quàm ad vulnerandum hoſtem, fodiendumq; opportebat, libratis non altius palmum ab humo, innoxia tela torquebant. Vbi verò ad inſidiarum locum Pontificius peditatus acceſſit: Matthæus eo ſubſidio animoſior, & firmior, occupatis aliquot vicinis ædibus, è feneſtris Mutinenſes miſſilium iactibus confodiebat; ſed maturè à Duce ſuis periculo ſubductis cohortibus, campeſtribus tormētis admotis, illæ ædes globorum pulſibus diruuntur: exactiq; inde tectorum cadentium ruina Pontificij. Nouantulæ oppugnatione hoſte decuſſo, Dux Mutinenſis bellica inclytus gloria, quòd in hoſtilis exercitus oculis viribus imbecillior, inferiorq; numero non ſolum laboranti oppido ſubueniſſet; ſed etiam pulſum, exceptumque inſidijs benè mulctatum fudiſſet: Pontem remenſus in pacatum conceſſit.

Pontificiorū equitum fuga.

Cardinalis Antonij animoſitas.

Mutinenſis Ducis bellica gloria.

Hoc magnanimo Mutinenſis Ducis auſu erectiores animis Principes Federati, & feliciorum euentuum ſpe concepta non iam ampliùs inſuperabilis conficiendi hoſtis, adimendiq; Pontifici alicuius dominatus anxijs mē-

Digitized by Google

tibus hærent; ſed in bello ſibi victi Pontificij, fuſi, proſtratiq; videbantur. Adeò ex leui proſpero ſucceſſu ſibi glorioſè mortalitas placet. Veneti Duces, qui ad illam vſq; diem ſuas copias Mutinenſi Duce id vel enixiſſimè flagitante, ſociare cum Mutinenſibus recuſauerant mandata Reipublicę cauſati, imperantis, ne agmina à Padi litoribus longiùs abducerent: tunc poſt fuſum ad Nouantulā hoſtem molliores, ſuam duritiē remittere, Ducis hortamentis pronas præbere aures, ipſius monitis aſſentire, ingeſtamq; ab eo ſæpius fęlicium euētuum ſpem magis credulis animis haurire. Dux arrepta cupidè occaſione, rurſus hortatur, vt ſecum ſua arma coniungant; poſſe debellari, Bononienſiſq: ager euerti; atq; oppida expugnari, ſi hoſte recenti clade metu perculſo, iunctis ſimul agminibus, in Pontificium dominatum irrumpant. Veneti Miniſtri tot Ducis precibus, monitis, atq; hortamentis adducti cum eo coeunt in conſilium Albureti villa; vt communibus ſententijs, quò vtiliùs admouenda ſint arma, decernant. Alij Nouantulam mouendum omnibus viribus ſentiunt: vt inde exploratis hoſtium conſilijs; velut ex opportuniori loco eò agmina emittantur, quò neceſſitas trahet; alij aggrediendum Centum ſuadent, ibiq; vniuerſum in aciem exercitum explicandū; vt ſi hoſtis oppugnato oppido ſuccurrere auderet: in rerum ſummam collatis ſignis, confligere cogeretur: vel ſi in Mutinenſem agrum ingrueret, circumfuſis copijs, in medio deprehenſus cæderetur.

Veneti ad iungenda cum Mutinenſibus arma propenſiores.

Mutinenſis verò Dux ipſam Bononiam ſubeundam putabat: dignū tātis armorū conatib. pmiū: *primis impreſſionib. ceſſurā vrbē nullis propugnaculis, nullo aggerum, parmularumq; ſepimento vallatam: ciues imbelles diuturnæ pacis otijs molles vix tormentorum fragores ſuſtenturos; exiguo firmā præſidio, quod validius tam amplus vrbis ambitus poſtularet; patritios ſeuerū, ac rigidū ſacerdotū imperium pertæſos alios dominos mitioris ingenij votis tacitis anhelare: vrbi imminere colles, in quorum faſtigio librata tormenta vniuerſas ædes habere ſub ictu: obluctantes tectorum ruinis ad deditionem facili negotio poſſe compelli: non foſſam altè depreſſum, non aquis ibi ſtagnantibus impeditā militū acceſſum mœnibus prohibiturā: inſignē, præclarāq; victoriā nullo Marte, incruentoq; auſu partū iri, ſi glorioſum facinus aggredi animus foret*. Hæc Mutinēſis Ducis hortamenta, atq: euidens rationū veritas tanto ſpiritus ardore, efficaciaq; pronuntiata, atq; in Magni Ducis Legato libero arbitro Griffone affirmata, tādē Duces Venetos perpulere: Nouantulæ fęlicitate ſucceſſus erectos, vt ad Mutinam cogi vniuerſa agmina paterentur; quò vna exercitus mole in Pōtificios dominatus inuecti aliquod oppidum interciperet. Corrarius igitur poſtera die ex conuentis Mutinam cū Venetis copijs proceſſit. Finario valido prius præſidio firmato; quod magno vſui eo bello futurum erat. E Mutinæ mœnibus Spilimbertum profectus exercitus inde vel ductorum inſcitia, vel nimia copiarum Ducum cautela, regia via relicta, qua latè patente nullo offenſo ingredi poterat agmen; ſenſim in cuiuſdam viæ effoſſis per interualla ſcrobibus interciſæ ſe inſinuauit anguſtias; vt vix pedes ſolutis ordinibus progredi poſſet; nę dum illac ſarcinarum vehicula, tor-

Dux Mutinenſis Bononiam inuadendā ſuadet.

la, tor-

la, tormentaque trahi, quæ in illas quoque viæ difficultates illata ductores ægerrimè moliebantur; præſentique Duce opus fuit, vt ex illis tricis, cænique pedicis explicarentur; quæ tandem militibus, & Ducibus ipſis admouentibus manus, ex anguſtijs educta Spilimbertum iterum reuehuntur. Hoc proficientis exercitus impedimentum ad rerum ſummam maximè obfuit. Nam quamuis Venetæ, Mutinenſeſque peditum cohortes illas viarum eluctatæ difficultates eodem die ad deſtinata hoſpitia proceſſerint: impedimentorum tamen pars, equitumque extremum agmen, niſi poſtera die peruenit: qua mora priſtinus ille animorum ardor deferbuit: collectis tamen ibi vtcunque vniuerſis peditum, & equitum agminibus, rurſus Dux Mutinenſis de immittendo in Pontificiam ditionem exercitu non plus mille paſſus diſtantem vltra Scultennam Spiliberti mœnia alluentem cum Venetis Ducibus diſſeruit; ratus illos non à Conſilio pronuntiatis, decretiſq; receſſuros, neque damnaturos, quòd ipſis aſſentientibus conueniſſet. Verum illi nouis per tabellarium eo temporis articulo in caſtra prouectum allatis Reipublicæ mandatis, ſe prohiberi aiunt, nè procul à Padi litoribus abſcedant; magis itaque Ducis votis reſides obluctantur: illò tantũ poſtulante, contendenteq; vt in hoſticum vniuerſo iretur exercitu, acquieuere; vt aliquot peditum cohortes, & equitum turmę ad Plumatium Pontificiæ ditionis oppidum duodecim ſtadia ab amne recedens occupandum mitterentur. Quod nullius negotij fuit à Pontificio præſidio deſertum intercipere: cuius iactura tantum Pontificiorum exiſtimationi deceſſit, quantum eorum rebus illatum eſt damni; quod locum firmioribus munimentis, quàm Nouantula, vallatum, qui diù defenſus poterat hoſtium vires elidere, vel diſtinere, donec ſubſidio Pontificius exercitus feſtinus accurreret: turpiter hoſtium arbitrio deſeruerint: & quòd illi ſtatiuorum commodum in ſuo agro præbuerint; vnde hoſtilibus turmis in Bononienſe ſolum liber patebat excurſus. Hos Venetorum Ducum obniſus, obluctationeſque impatientiſſimè ferebat Dux Mutinenſis; quarum obiectu deſtinata turbante, benè gerendarum rerum opportunitas effluebat; non tamen animum ita deſpondit, quin Corrarij mentem à bellicis auſibus reſilientem ſperaret in ſua ſe placita, ac ſenſa tracturum. Illum igitur admotis omnibus precum, rationumq; machinis aggreditur expugnare: *dum pauent hoſtium, dum calent animi inuadentium effuſis in hoſticum copijs, in Pontificios terrore exanimes, impotenteſque ſui audentius eundum; nullum munitum oppidum tam validis, ſtrenuiſque agminibus obſtaturum: turbatos, confuſos iuxta milites, ac indigenas trepidare metu, irruenti hoſti non auſuros obniti; præter id quod ſtatiuorum moleſtia, atque impendio ſocio leuato agro, quem Equites Epirotæ diripiebant, iiſdem incommodis vectigales Pontificis grauarentur.* Ad quæ Ducis ſub irata verba Corrarius inexpectata indignatione reſpondit; *ſi Reipublicæ copiarum in ſua ditione moram ægrè ferret, ſe ſtatim vltrà Padum vniuerſum exercitum traducturum.* Tam abrupto Veneti Ducis reſponſo eius animus alioquin ſedatus, & pa-

Panara.

Veneti ab inſtituto, cõuentoq; recedunt.

Rr 3 tiens

Digitized by Google

tiens ſuccenſus ira ſubiecit; *ſi copias procul abduceret; ſe ſine Venetis auxilijs bellum ſolum acturum: quod ſi ab vniuerſo Pontificio exercitu ſuis duntaxat turmis innixus ſe tueri potuerat; ita non minori animo, ac ſpe idem eſſe facturum*. A congreſſu amarioribus animis vtrinque diſceſſum; cum ex inexpectato, quaſi melius conſulti ab errore reſipiſcentes Veneti Miniſtri, vel vi rationum adducti Ducem adeunt, impenſiùs ſuam operam pollicentur; ſe ipſius votis, voluntatiq; indulturos: illumq; præeuntem quocumque duceret, ſequuturos. Hæc ſpontè facta à Venetis Miniſtris oblatio, quò inſperatior, eò Duci fuit acceptior: accenſæq; in vicem iræ in mutuam beneuolētiam, obſeruantiã, amicitiamq; abiere. Corrarius tam obfirmato in ſuis ſenſis, ac placitis animo Ducis cõſilijs ſolitus refragari, ſe in Ducis arbitrio futurum promiſit. Dux vbi cum Venetis de mouendo in Põtificium dominatum exercitu cõuenit; Mutinã aduolauit, vt Principi Cardinali fratri ſuo expediendorũ cõmeatuum, procurandæq; copijs annonæ negotiũ daret. In dicto igitur Plumatiũ verſus itinere agminibus, collectis vaſis, exercitus è Spilimberti ſtatiuis egreſſus eò inſtructis ordinibus prodit. Mutinẽſis equitatus in primo agmine prçibat; mediũ Veneti, Mutinẽſeſq; pedites tenebãt: Venetus equitatus poſtremũ agmen claudebat. Duos amnis ramos ligneis põtibus cõſtrauerat, quò expeditiùs traijcerẽt pedites. Proficiſcentibus fçderatis nullum hoſtiũ aduerſum agmen occurrit: vna tãtum equitũ turma, ad lçuum proficiſcentis exercitus latus ſe oſtentans ad ſe perſequendã Venetos equites traxit, inde ſe celeri fuga proripuit. Poſtquam Plumatij fçderatæ ſtetere copiæ; milites manipulatim contra ſeuera Ducum imperia vago procurſu mapalia, villas ab agreſtibus deſerta populabantur, & quò ad auehẽdas prædas expeditiores eſſent, nullo telo niſi gladijs armati palãtes totis campis prædabundi errabant; tantus erat vel hoſtium cõtemptus, vel indigenarum metus, quo ingruentis exercitus perculſi tempore metendis ſegetibus opportuno ſua domicilia trepidè deſeruerãt. Eodem terrore Põtificij correpti, ſe intra arciũ, vrbiũq; munimenta cõtinebant, nõ auſi populãtiũ audaciã, inſolentiãq; coercere: immo ita ſuis diffiſi virib. demiſſis animis intra munimentorũ ſepta torpebant; vt interceptis ab vna hoſtili turma procurrente ducentis cõmeatuum plauſtris, quæ ferebantur ad caſtra: pane nautico toſto ex arcis promptuarijs extracto exercitus veſceretur. Prædæ erãt armenta, & triticum à militibus in caſtra ab acta. Tantaq; erat tritici copia, vt vel dupplo maioribus copijs alendis ſuffectura eſſet.

Veneti Ducis voluntati obſequuntur.

Fœderatorũ exercitus in Pontificios vadit.

Militũ auaritia.

Pontificiorũ metus.

Verùm hanc turpem in miſerorum agreſtium reculas, pauperemque ſupellectilem, & boues bellandi rationem, qua nihil in ſummam rerum proficiebatur, Dux Mutinenſis generosè damnans ad comprimendam militum cupidam inſolentiam capite ſanxit; ne quis ex hoſpitijs, ſtationibuſque egrederetur, niſi facta ſcripto à cohortium, turmarumque Ducibus copia; ea à ſupremis copiarum præfectis ſuis ſubſcriptis nominibus affirmata. Interim circumiecta oppidula expugnari iuſſit, in quæ cum rerum chariſſimis, tanquam tuta, quod foſſa, & antiquis mœnibus cingerentur,

Ducis Mutinenſis pauperum miſeratio.

agreſtes

agreſtes profugerant. Quare Ornano Reipublicæ chiliarcho mandat; vt cum ſua legione Bazzianum inuadat ſatis firma arce defenſum, ducentis præſidiarijs cuſtodita: qui à chiliarcho de ea dedenda interpellati negant, ſe arcem tradituros, niſi tormenta admota in mœnia librentur; quibus Chiliarchus ait, ſe illa protinus adducturum: quæ dum trahuntur, illi deditionem his legibus paciſcuntur; vt ſuas reculas quantas humeris efferre poſſent, ſecum aueherent; dummodò non eſſent bellici commeatus: qua violata lege, ruptaque fide inuentis eorum manticis, ſeu hippoperis pyrio puluere refertis; Plumatij captiui detenti fuere.

Bazzianũ deditur fœderatis.

Dum Fœderati expugnandis arcibus, atque oppidis belli terrorem circumferunt; Pontificius exercitus intra caſtra ceſſabat; à Matthęo ſub caſtri Vrbani tormentorum ictus receptus. Bononia ipſa, in quam ex circumpoſitis pagis, & villis ab hoſtium armis territi agreſtes affluxerant, ita metu conſternata nutabat; vt quamuis Codreus ab Æmilia cum peditum legione ad eius præſidium contento agmine aduolaſſet; & Cardinalis Antonius, cæterique Pontificij miniſtri pauidos ciuium animos confirmare niterentur; per ſanctèque promitterent, ſe paucis diebus ea populantium latronum peſte ab agris, villiſque abſterſa, eaſdem terrarum direptiones hoſtibus repoſituros; tamen à nimio terrore animos recipere nullo modo poſſent. Nam cum ſub ipſis vrbis mœnibus totis campis perſultans hoſtis in ciuium oculis impunè ageret prædas; & à Villicis abacta armenta, atque animalia, auectam tritici annonam, direptas ruſticas ædes, expilatam ſupellectilem nunciaretur; tantorum impatientes malorum totam vrbem queſtubus, ac mœrore miſcebant. Hæc totius vrbis conſternatio, & pauor effecit, vt Veneti Duces, quod prius damnabant, de aggredienda Bononia conſilium, oblata celeberrimæ occupandæ vrbis occaſione, cupidè amplecterentur; iamque animos, atque arma ad hoc inſigne facinus audendum expediebant; hauſerantque mentibus ditiſſima ſpolia, ampliſſimas prædas: cum circa meridiem ſibi inuicem ad Bononiæ dominatum inter prandendum propinantibus, per celerem tabellarium Piſauri literæ afferuntur: quibus Corrarius in Policinium copias ſine mora reducere iubebatur: quòd Valenzeus ad Lacus obſcuri pontem furtim, ſilentique agmine Pado traiecto, obiecta in vlteriori ripa militum ſtatione remiſſa cuſtodia ſegniter excubantium partim cæſa, partim capta, ſex bellatorum millibus ſecundum litora omnia latè belli impetu euerteret. Quamobrem illicò ſubſidio cum Venetis copijs accurreret. Pridiè ſanè Fœderatorum auribus rumor inſonuit, Pontificios aliquam expeditionem moliri; ſed cum Finarium inceſſuri putarentur; eò Comes Pompeius cum quingentorum Epirotarum agmine feſtinare iuſſus eſt, atque ex tranſitu Mutina centum pedites eius præſidij, & duas equitum turmas, cum quadringentis popularibus ſecum abducere. Optimo conſilio ſanè Valenzeus traducto in Policinium bello, immi-

Bononiæ trepidatio.

Veneti in Policinium reuocantur.

Pontificij in Policinium inuehuntur.

Digitized by Google

nentia Bononiæ fœderatorum arma decuſſit, fortuna fœlices, animoſoſque eius auſus ſecundante. Hoc inexpectato Mutinenſis Dux nuntio perculſus, quo ſalubriter deſtinata in irritum cadebant; hæſit in ancipiti an Corrario ſuaderet inſtandum eſſe conuentis; atque in Bononiam omnibus viribus incumbendum; quo ad detrahendum ex Policinio hoſtem nihil expeditius, potentiuſue foret; cum illic nullum oppidum occupandum occurreret, quod Bononiæ iacturam prægrauare, damnumque ex tantæ expugnatione vrbis ſarcire poſſet: ſed cum de hoc ſummis labris aliqua effatus eſſet; obnitentemque ſuis conſilijs, ac ſuaſionibus offendiſſet; ſiluit, ne laboranti proterente Policinium hoſte, Reipublicæ eius velle copias ſubducere videretur. Quocirca eadem nocte, cum ingenti omnium eo bello aliquid proficere cupientium dolore Mutinam à deſtinata Bononiæ expeditione Venetus reductus exercitus poſtera die Padum verſus proceſſit.

Pontificij fœderatos à Bononiæ oppugnãdæ cõſilio auertũt.

Magnus Dux ad Traſimenum lacum cum ſuo exercitu conſederat: oppoſitis Sabelli caſtris coercitus, ne in vlteriora Pontificiæ ditionis inuectus eos haberet profectus, quos cupido animo propoſuerat. Princeps verò Mathias Etruſcas copias nullo ſepſerat vallo, immo in apertis ſtatiuis tendens modò explicato in aciem exercitu, modò populatum cohortibus, ac turmis emiſſis, modò hoſtem exploratum Pontificijs caſtris obequitare, atque excurrere iuſſis, ex illis firmiſſimis munimentis oblata intercipiendi hoſtis occaſione, ad certamen elicere conabatur. Verum Sabellus Fabij artibus Etruſci aſtus eludens nulla bene rei gerendæ ſpe illectus, ſe intra aggeres continebat: hoſtium victoriarum curſum ſuarum obiectu copiarum ſregiſſe nullo ſtricto gladio contentus: acrique cura excubabat; vt ſuæ ſaluberrimæ cunctationis ſructus excerperet.

Sabellus cũctator prudens laudatur.

Quadam die animaduerterat: hoſtium armenta longiùs, quàm par erat, à caſtris per campos errare; poſitiſque ponè collem in ſaltu trecentorum moſchettariorum peditum agmine in inſidijs, varias electorum equitum turmas in planitiem latè patentem iuſſit excurrere; quæ collem modico circuitu ad Etruſcas ſtationes pertinentem ſubeuntes, quamuis in eius dorſo dextrum hoſtium cornu tetenderat; clam tamen iis vſq; ad Etruſca hoſpitia ſuggreſſæ, armentiſq; circumfuſæ illa in hoſtilium ſtationum oculis abegerunt. Borrus inſolitæ infenſus audaciæ diu intra caſtrorum munimenta timidè latitantium, collectis raptim vicinioribus turmis, citatis equis, abigeos inſequitur, iuſſo dextro cornu, demiſſo in plana agmine, in abeuntes incurrere; inſtareq; recedentium veſtigijs læuo vt in medio deprehenſi cęderentur. Verum illum ſpes vana feſellit: Pontificij ſiquidem actis ante agmen rapidè armentis, feſtino receptu in ſaltum incolumes euaſere. Borrus occaſione cędendi hoſtis elapſa, impatientibus votis certamẽ anhelans, alia eliciendi è caſtrorum aggeribus Sabelli conſilia inibat. Præcepit itaq; Alphonſo Strozzio maiori aciei ſtatori, vt cum ſeptingentis moſchettarijs, & equitibus ducentis Pacianum arcem in Montaleræ latera in medio colle,

Etruſci Põtificios ad pugnam elicere cupiũt.

Digitized by Google

colle,quà deficit ſaltus,in quo Sabellus caſtra munierat,ſurgentem inuadat: ea mente,vt ſi Sabellus ne in ſui exercitus oculis ſumma cum dedecoris labe capi ab hoſtibus pateretur: educto ex munimentis agmine ſubſidio laboranti caſtro feſtinaret;illum extra caſtrorum propugnacula adeptus inita pugna concideret.Succedit ille caſtro,ferociq; dato in mœnia impetu intra mœnia nititur tranſilire;ſed ab oppidanis, & præſidio non minori virtute repellitur,& Etruſcis iterantibus impreſſionem arx capitur,& diripitur. Sabellus maiora, quam exiguæ arcis ſubſidium animo coquens è caſtris nō extulit pedem; ſed intempeſta nocte ſui exercitus partem è munimentis emittit;vt ſub auroram celeriter interiacens viæ ſpatium emenſa Plebis vrbi ſuccedens repentino illam impetu,dum præſidiarij gratiſſimo matutino ſomno quieſcunt,intra mœnia inuecta reciperet. Verum ſtrenui milites vicino,inſidianteq; hoſte non dormiunt: vbi ſiquidem ſuggredientis patuere murorum cuſtodibus doli; conclamato protinus ad arma, quaſi ad claſſici cantum vndique ad pellendum mœnibus hoſtem concurritur: per ſcalas proni reuoluti Pontificij didicerunt fruſtrà bello expertis inſidias ſtrui. Equitis Nicolai Brandolini caſtrorum præfecti præcipua virtute,retentum ea nocte oppidum eſt.

Patianum inuadunt.

Captum diripiunt.

Equitis Brādolini virtus.

Magnus Dux cum Borri conatus irritos, inaneſque ceſſiſſe conſpexit, vt Sabellum è caſtrorum munimentis ad ferendum certamen educeret; ne Etruſci agminis elanguiſſe vigorem, remiſſamque priſtinam ferociam Pōtificij putarent;iubet Statorem maiorem Gallettum cum duobus peditum millibus,& equitibus trecentis, Citernam oppidum frequens in ſublimi ſitam colle ad Pontificij dominatus fines inuadere. Iam oppidani ad ſubitos hoſtium impetus repellendos portas aggeſta tellure præſepſerant; cognitoque Etruſcorum conſilio, ſe pro mœnibus frequentes oſtentant. Hoſtem acta teſtudine ſubeuntem, non deturbant modò de ſcalis, ſed etiam contis,haſtis,venabuliſq; pulſum, cęſumq; ſe propero gradu recipere coegerunt:Duce Cardino confoſſo, ipſoq; ſtatore mortifero vulnere afflicto. Pontificij,vt inanes Etruſcorum conatus,atq;inſidias vlciſcerentur;duo peditum mille, & quingenti, ſexcentiq; equites cum quatuor campeſtribus tormentis Cornelio Maluaſia Duce, Monterchium ſubeunt infeſti: cuius præſidiarij,oppidanique, vbi ferocibus animis diuturna pugna aſſilientem hoſtem mœnibus repulerunt; tandem obruti multitudine ceſſere victori: oppidum militari impetu direptum: oppidanorum, & militum cędibus parſum. Ita mutuis cladibus partium acuentibus iras, aſperatis vtrinque animis bellum ſęuius recrudeſcebat in dies:eòq; malorum euaſurum belli erat incendium, vt extingui ſine alterutrius partis ruina non poſſet: cum Fontaneus Demarchus Galli Regis legatus Romæ cum Pontifice,& Cardinali Franciſco,Fęderatiſq;Principibus agebat enixè; vt vtriſque aliquid de ſuis remittentibus iuribus,iam lenioribus animis pacis tranſactionibus dederent aures;ſinerentq; ab amicis ſequeſtribus pacem componi. Eiuſdem negotij ſatagebat apud Venetos Cardinalis Bichius, quos ad pangendas

Etruſcorū irriti conatus.

Pontificij Mōterchiū occupant.

Galli Legati de componenda pace ſolicitudo.

Bichius Cardinalis Venetijs de pace agit.

poſitis

poſitis armis, inducias, incundamque pacem impellere nitebatur. Gallus Legatus efficaciùs inſtando,cò Pontificem,& Barberinos adduxerat;vt reſtitutioni Caſtri acquieſcerent; paterenturque Farneſiæ menſæ creditores eiuſdem, cuius fuerant ante bellum, conditionis eſſe, nec Parmenſis Ducis nominibus expediendis Caſtri dominatus eſſet addictus. Immo amplius expreſſum eſt, vt Rex Gallus pro eo cenſurarum abſolutionem à Summo Pontifice poſtularet, quæ duo poſtrema illum maximè auerſantem ab aſſentiendo pacis conditionibus auertebant. Dum in pacando bello, componendiſque rebus Venetijs,& Romæ à ſequeſtribus laboratur;hoſtiles copiæ in mutua damna, & clades intentæ perdendi hoſtis occaſiones ſolicitè venabantur. Cardinalis Antonius ratus hoſtem à Bononiæ iugulo detrahi poſſe, ſi arma ipſius terrarum viſceribus figerentur: traductoque in Policinium exercitu proprijs malis conſulere cogeretur:iuſſit aphracta, nauigia, rates, vndique conquiſita ad traijciendas copias quàm poſſet occultiſſimè expediri. Comiti Roſſetto locorum peritiſſimo opportunioris explorandi Padi litorum ſitus, in quo agmen explicari, tegique poſſet, negotium datum.

Cardinalis Antonius expeditionẽ parat in Policinium.

Comparatis intenta cura nauigijs, coactiſque Ferrariæ in foro nouo mille, & eo amplius foſſoribus,addendi aliquid munimenti vrbis aggeribus ſpecie, atque ibidem ingenti nautarum numero cum artis nauticæ inſtrumentis collecto,ſub accurata vigilum cuſtodia, nè quo furtini elapſo,eius deſtinati rumor ad Venetos manaret. Cadente ſole educti omnes ex vrbe, valido militum agmine ad eorum latera procedente,ne quis eius rei ad hoſtem nuntius efflueret.Foſſorum opera complanatæ viæ: ad trahenda facilius tormenta. Interim in Viuarium Cardinalis Antonius cum Valenzeo dynaſta,& Frãciſco Altierio, atque omnibùs copijs peruenerat:incedebatque agmen tam alto ſilentio,vt ſimile portento fuerit,in tanto cohortium, turmarum,equorum,iumentorumque tormenta trahentium numero,nullum gradientis exercitus fremitum,nullam vocem,non equorum hinnitum auditum; eodem profundo ſilentio nautæ, vbi ad litora ventum eſt; in ſua quiſque nauigia diuiſi,quadringenti pedites veterani electiſſimum agmen, nauigijs impoſiti; additis eius tractus incolis,vt Padi litorum gnari exſcenſione facta,militibus itinerum indices quà ad hoſtem gradiendum foret, oſtenderent. Iuſſi milites in amnis traiectu litori vertere terga, ne ab accenſis funiculis proderentur. In moliendis à ripa nauigijs, quæ iam Valenzeus, & Altierius conſcenderant; Veneti vigilis vox excepta a circumeunte cuſtodiarum exploratore teſſeram poſtulante;ſuſtinuere nautæ remos,donec vigiles hoſtes ab eo loco procul abirent,ad quem rates appellere deſtinauerant. Tum nauium agmen ſubmiſſo remigio a ſtatione auulſum nautis ſua miniſteria nauiter obeuntibus, partim prono,partim aduerſo amne interſecans vndas obiectum tenuit litus. Non adeò ſilenti traiectu nauigauere Pontificij;quin Veneti vigiles tranantes aduerterint,diſploſiq; minoris rotati tormenti fragore vicinas militum ſtationes ad arma conciuerint.

Gradientis exercitus Portentoſũ ſilentium.

Pontificij Padũ traijciunt.

Verum

Digitized by Google

Verum nemine exſcenſionem prohibente, Pontificij in aggeres enixi raptim in tutiori ſitu ſe muniunt. Comes Ioannes Baptiſta Portus Vicentinus Venetarum turmarum præfectus Dux bello acer, armiſque ſtrenuus, qui in eo litoris tractu curabat à quodam equite loricato ex Ducis Nicolai Barbullij turma admonitus Pontificios ad Pauiolam fluminis tentare traiectum: ſubito claſſici cantu ad arma conclamat: ſuaſque militum cohortes opportunis in locis apte, vt in ea feſtinatione inſtruit ad pugnam: ipſe cum quindecim Epirotarum equitum globo ad explorandum hoſtem progreditur, eoque tam equitum, quam peditum numero valido comperto, & ſexaginta pedites Venetos Duce equite Strozzio, quibus eius litoris cuſtodia mandata erat; nec vno quidem minori tormento in appellentes hoſtes emiſſo, turpiter diffugiſſe; iuſſit Barbullium cum ſuis cohortibus eo feſtinare, vbi deſcendentium è nauibus hoſtium fremitus audiebatur, eorumque conſilia ſolicitè explorare; dum ipſe ad ſtationem regreſſus peditum cohortes non tam numero imbecillas, quingentos enim milites ſubtraxerat Piſaurus, & plurimi pauore diffugerant; quam animis conſternatas pauore attonitas, confuſaſque in ſuos quaſque ordines conaretur inſtruere. Trepidantem tamen militem non educit è caſtris, ſed intra munimenta continuit; vt ex tutiori loco in hoſtes, ſi forte ſtationi aſſilirent; maioribus animis depugnarent: protinus feſtinato foſſorum opere, ad frangendos hoſtium impetus Duci foſſam, atque excitari aggerem iuſſit. Iam nauigia redierant cætera agmina exceptura primis erumpentibus Auroræ fulgoribus; atque in hoſtile litus traiectura. Quare Pontificij iam ſuas prodente inſidias die, rupto ſilentio, nullo hoſtium metu, tanta ſolicitudine, feſtinationeque vltra amnem ſua agmina traducebant; vt tertia diei hora omnes copiæ traiectæ in aduerſo litore in ſuis inſtructæ ordinibus ſteterint: ceperantque ſe educto munimento vallare; cum à Comite Roſſetto nuntiatum eſt, Venetorum propugnaculum ad Lacus obſcuri pontem, quà Boream ſpectat, nec dum eſſe ad iuſtam propugnationem eductum, ſatiuſque eſſe vniuerſo admoto exercitu, illud deiectis propugnatoribus, expugnare; quàm ibi munimenta pernicioſa temporis iactura circumeductis aggeribus excitare: & quò cautiùs, tutiùſque propugnaculum ſubiretur; aliquot ducibus imperatum, vt illi obequitando rem diligentius explorarent: eadem, quæ Comes Roſſettus retulerat, nuntiauere, vix ſurgere ab humo, eminereque altiùs propugnaculi loricas, poſſeque facilè primo in illud impetu irrumpi. Pontificij, itaque ingentibus animis militarem ſpirantes audaciam propugnaculo pleno gradu ſuccedunt, non tam à gregarijs militibus, quàm ab ipſis ducibus deſerto: nulla opus fuit pugna, non cruor effundendus, vt hoſtium munimento potirentur. Solus Comes Portus impauidus cum quinque, & viginti ſtrenuo ſuorum militum globo, ſe in Ricciæ palatium in medio propugnaculo recipiens miſſilibus è feneſtris in audatiores temerè ſubeuntes fortiter dimicabat; vt aliquod ſpecimen bellicæ virtutis, ad dedecus amiſſæ ſocij exercitus exiſtimationis eleuandum præberet. Sex ipſas horas hoſtes

Vltra Padum ſe muniunt.

Pontificij Lacus obſcuri Portis propugnaculum aggrediuntur.

Comitis Torti virtus egregia.

Digitized by Google

hoſtes frequenti miſſilium iaculatione ſummouit,& quamuis nulla prorſus ſubſidij affuturi ſpes affulgeret;bis tamen de deditione interpellatus ab hoſte negauit, ſe ſe eius arbitrio permiſſurum, niſi de deditionis legibus conueniret. Huius impatiens audaciæ, moræque Taſſonus tormentorum ictibus quati palatium à ponte iuſſit; quibus ædium cadentium ruinis animoſi deffenſores obruerentur;quod ægrè tulit Cardinalis Antonius; quaſi tormentorum pulſibus indigna eſſet imbecillitas loci.Sed tandem à Pontificijs proſtratis arietum incuſſu foribus, victoris arbitrio ſe dedere coacti ſunt, ſignaque turmalia relinquere, quæ intra tibialia abdita, deprehenſa Pontificij Venetis abſtulere. Omnes captiui abducti, benèque habiti ab hoſte fuere.

Architectorũ æmulatio damnoſa.

Architectorum ſibi inuicem aduerſantium, improbantiumque mutuo alterius artis inuenta importuna æmulatio hæc maxima incommoda Reipublicæ comparauit. Dum enim Vicentinus Machinator, cæpta à Serres Architecto munimenta proſequi, ac perficere indignatur,aliudque alia ratione propugnaculum capto longo, vaſtoque circuitu molitur; tantum temporis conſumptum eſt; vt operis magnitudine abſolui non potuerit: quo perfecto, atque ad iuſtam altitudinem educto, munitoque Veneti non tam Policinij dominatum ſecuriùs retinebant; ſed etiam Ferrariæ vrbis ceruicibus impoſito iugo,omnem turbandæ bello ſuæ ditionis ſpem Pontificijs penitus adimebant:atque inde quocumque in hoſticum ad arbitrium excurrere, bellumq; poterant circumferre.

Trepidis nuntijs alijs,atque alijs monitus Piſaurus de Pontificiorum traiectu,oppugnatoq; ab ijs propugnaculo,quadringentos pedites cum equitum turma Duce Brancaccio ſubſidio laborantibus ſuis illicò properare iuſſit: adiectis mandatis, vt ſi iam propugnaculum in hoſtium poteſtatem veniſſet:procul ab eo duo paſſuum millia ſiſterent agmen,expectarentque cæteras copias ibidem paucis horis affuturas. Illi propiùs progreſſi comperto hoſtes militum numero eſſe,quàm putauerant,validiores, aliquantulum velitati in ſuas ſtationes receſſerunt.

Pontificiorũ barbari incurſus.

Pontificij populabũdi quocumq; cupiditas,ac feritas raperet, procurrebãt,impreſſis vbiq;barbaræ ſæuitiæ veſtigijs,& ſi vlteriùs forent inuecti,antequam Veneti à primo terrore confirmatis animis, vndique ad comprimendam hoſtis audaciam accirent auxilia; ſanè occupatis aliquibus magni momenti oppidis, in maximas curas Rempublicam conieciſſent.

Pontificij propugnaculum adepti pendebant animis, an eo perficiendo inſtandum eſſet: vel aliud peritioris ſtructuræ excitandum: in hoc omnes Duces conuenere, vt diruto Veneto munimento, vt non ex bellica peritia excitato, ad Lacus obſcuri pontem in vtroque litore duo ſibi inuicem aduerſa propugnacula conderentur; præter cætera munimenta in loco, cui Inſulæ nomen, educta duo foſſorum,& eò amplius millia excitando celeriter operi admota,magnaque etiam militum contentione,diu, noctuque in orbem adeò feſtinato laboratum eſt; vt paucis diebus in vtroq;litore pro-

Pontificij in Padi litoribus propugnacula condunt.

pugna-

Digitized by Google

pugnacula fluminiimminentia ſurrexerint; eodemq; tempore circum Inſulam aggeres, loricæ, munimentaque condebantur; interim copijs ſimplici vallo ſeptis abſolutionem operum expectantibus. Omnes circumfuſæ ædes æquatæ ſolo: ſucciſæque arbores, omniaque ſublata, quibus in longinqua proſpectus intercipi, aut hoſtis à propugnaculorum ictibus tegi poſſit. Hic animoſus Pontificiorum in Policinium traiectus ingentem eorũ armis exiſtimationem, belliciq; decoris laudem attulit; erexit iam ſuis timẽtium rebus Romanorum animos effuſè lętantium, quòd eo auſu fuiſſent hoſtium deſtinata diſcuſſa, confuſa conſilia ad certam tendentia victoriam, Bononia imminentium armorum metu ſoluta; hoſteſq; illatis eorum ditionibus ſignis, in anguſtias adducti, coactiq; ſuis malis proſpicere: quibus alios affligere properabant. Veneti nè tragici ſpectaculi ſuus dominatus fieret ſcena; impunèq; ſuas terras popularetur hoſtis: deductis ex vicinis arcibus celeriter præſidijs, accitoq; der feſtinos tabellarios Corrario, validum agmen Pontificijs audacibus procurſibus cuncta vaſtantibus obijcere parant. Verum Dux Mutinenſis Venetas copias in Bononienſi agro retinere; atq; in ipſam vrbem vna cum ſuis ſalubri ſanè conſilio impingere nitebatur; eo enim in Bononiam copiarum incuſſu, facilè hoſtem ad eximiæ pulchritudinis, celebritatiſq; vrbem propugnandam potiſſimum detractum iri. Sed præſentia Reipublicę oculis obuerſantia diſcrimina ſalubria illos Ducis cõſilia accipere non ſiuerunt. Terror Venetiarum viciniæ à Pontificijs armis illatus procerum mẽtem ab vtiliorum ſenſu, decretiq; vſu melioris auertit. Corrarius proficiſcendi propoſito firmiùs inſiſtens, nequicquam Duce reclamante, obnitenteq; pernicioſi diſceſſus decreto, nihil periculis æſtimatis, quibus Venetis nudatus auxilijs ſocij Principis dominatus erat obnoxius, ad Gallorum Caſtrum tendente Matthæo, ac proinde Mutinenſi agro imminente, inſtructo agmine eodem die veſperi ad Finarium, quò ſexcentos pedites ad firmandum præſidium præmiſerat; proficiſcitur. Piſaurus à Duce Parmenſi quadringentos equites poſtularat; ſi ipſe laboranti Reipublicæ cum vniuerſo agmine ſubſidio accurrere grauaretur: vt ijs turmis Venetis copijs adiectis, latè vaſtantis omnia hoſtis inſolentiam cohibere poſſet. Dux varia arte Piſauri ludificatus vota petitum equitum auxilium mittere differebat; pontificiorum vires validiores, quàm vt imbecillis Venetis copijs vrgeri, inuadique poſſent cauſatus: manifeſto cladis periculo obiectum iri equitum turmas, ſi cum firmiori hoſte componerentur; vſuſque ſolerti aſtu Reipublicæ difficultatum opportunitate ſex & triginta aureorum millia in militum ſtipendium, alimentaque enixè popoſcit: ſe omnium rerum anguſtijs premi, niſi Reipublicæ munificentia ſibi, ac benignitas ſubueniret: & quia in dies acriùs Pontificij, validiùſque Venetis numeroſiores inſtabant; quaſi ad certas prædas ex Ferrarienſe agro in Policinium affluentibus incolarum manipulis, Piſaurus à Parmenſi Duce ſummis precibus, atq; enixè cõtendit, vt ipſe cum ſuis equitum turmis

Veneti Parmenſis Ducis poſtulãt equitatum.

Parmenſis Dux viciſſim pecunia ſubſidia depoſcit.

Digitized by Google

mis tranſmiſſo Pado, hoſtium aſſultibus, & populationibus conflictanti Reipublicæ ſubueniret, cui Dux reſcripſit *horam, & diem ad inuadendum hoſtem præſtitutam ſibi ſignificaret: ſe maturè cum omnibus equitum turmis traiecto Pado affuturum, cum nihil aliud cupidius optaret, quàm ſuam fidelem operam poſcenti Reipublicæ præſtare.* Matthæus, profecto ad Padi litora Corrario, Gallorum Caſtro mouens eodem feſtinat, vel vt ſui agminis propinquitas Valenzeo bellanti adderet robur; vel vt iunctis cum eo viribus, grauiori Venetos premeret bello; ſed Dux Mutinenſis abeuntem ſubſequens hoſtem illum Centi ſigna ſiſtere coegit. Quinque dies in traijciendo amne conſumpti. Bidui profectus exercitus propè Pontificios acceſſerat, ea mente, vt illum intra ſua ipſius munimenta inuaderet: ad eorum exiſtimationem armorum retinendam, augendãq; ſed deducta in conſultationem pugna, alijs aliã ſentientibus verboſis, vaniſque altercationibus, non ferro pugnatum eſt: & dum ſuam quiſque mordicus ſententiam tuetur, inanibus diſceptationibus nullo fructu tempus effluxit, & hoſtibus ſe validiùs munire, altiuſque educere propugnacula, ac firmiùs vallare vacauit: compertumque ipſo vſu eſt, ſicuti vna mens corpori moderatur, & imperat; ſic vnum Ducem penes eſſe debere armorum imperium; qui abſciſſis mandatis, vbi ſecum ipſe belli momenta expenderit, iubeat quod futurum videtur vtilius. Dum diu conſulitur, dum ancipites hærent animis conſiliarij, bene gerendæ rei prætervolat opportunitas. Deghenfeltus Germanus bellator egregius equitum magiſter cenſebat, nulla interiecta mora propugnaculum, cui Ricciæ cognomen, aggrediendum; ſuadenti obſiſtebat Gonzaga, id non eſſe ſine tormentorum ictibus audendum; quibus proſtrati hoſtiles aggeres aſſilientibus militibus panderent viam. Piſaurus Allieniaco ea protinus iubet adduci. Pontificiæ cuſtodiæ viciniùs prouectæ Venetas ſtrenuè, animoſeque inuaſerant. Quare cum nimis offenſa eius exiſtimatio exercitus videretur; ad acceptam delendam contumeliam decretum eſt, vt extemplò hoſtes intra ſua ipſorum ſepta inuaderentur. Deghenfeltus cum ſolo equitatu, ſe Pontificios aggreſſurum recepit; promiſſoque citiùs, & promptiùs confertis agminibus in hoſtes inuehitur, atroxque pugna, & cædes mutuo velitantium turmarum incurſu efferbuit: ſed cum Pontificij in certamen numeroſiores affluerent, ipſorumque nouis ſubinde ſubmiſſis è caſtris equitum turmis dimicantia creſcerent agmina; Deghenfeltus aliquot loricatorum equitum turmas ad ſuas firmandas, roborandaſque ſibi ſubſidio mitti depoſcit obteſtatus: vnà cũ bellico decore turmas amiſſum iri; niſi protinus valida equitum, & peditum auxilia inducerentur in pugnam: id enixè poſtulanti negatum, obiecta cuiuſdam foſſæ difficultate, quæ vel a claudo ſaltu poterat tranſiliri. Ipſe, quando per nuntios nihil profecerat, ad exercitum peruolat; vt ſubſidia increpando moras, extundat; explicata opportuna parandæ victoriæ occaſione. His ſtimulis concitus Gonzaga, & Valletta ſubditis calcaribus ad certamen concitant equos. Vix foſ-

Pontificia copia ad Padi litora tendunt.

Legnago.

Pontificia cuſtodia Venetas inuadunt.

Pugna inter Venetos & Pontificios.

ſam

ſam præteruecti Piſauri iuſſibus reuocantur in caſtra: ceteræq; copiæ, quæ iam pugnę cupidæ promouerant gradum, ſe intra munimenta recipere iuſſæ: gregarijs etiam militibus huic, degeneri timori acerbis vellicationibus obtrectantibus. Deghenſeltus deſtitutus à ſuis à pugna conſertis ordinibus turmas reduxit ad caſtra. Vbi Venetias Pontificios traieciſſe Padum, Policiniumque populationibus, incendijs, bellique impetu omnia protercre nuntiatum eſt; damnare omnes ſuſceptum pro aliena cauſa bellum nullum fructum, immo maximam perniciem, & damnum Reipublicæ allaturum; pœnitere omnes initi dãnnoſi conſilij, querique de Ducum bellum adminiſtrantium inſcitia, incuria, quòd litora cuſtodienda, ac munienda non curaſſent: & ſicuti mortalium ingenium eſt, publici boni ſpeciem priuatæ vtilitati, quàm ſolam ſtudent, rebuſque ſuis prætendere, *prodi Rempublicam, interuerti militum ſtipendia imperantium auaritia: negligi bellica negotia; ſocordiaque omnia confundi acribus querelis inclamant.* Nobiliores verò familiæ, quæ ampliſſimos prouentus ex ſuis latifundijs in Policinio capiebant, metu perculſæ, ne ſuas fortunas hoſtes euerterent: palatiaque incendijs abſumpta, diruerent; iteratis queſtibus ſidera feriebant: ſuam maximè pertæſæ imprudentiam, qua ſuis ſuffragijs pernicioſum, funeſtumque publicis, priuatiſque rebus bellum probaſſent. Iamque metu conſternatæ Pontificios Policinij dominos victricibus ſignis totũ illum terrarũ tractum nullis arcibus munitum, infeſtoque agmine procurſuros: neque poſſe ingruenti malo occurri, exteros authorandi milites difficultate, & ſuorum delectuum militaris diſciplinæ imperitia, ignauoq; timore. Piſaurum præcipuè exercitus Ducem omnium dirarum execrationibus deuouebant. Infælix imperantium conditio, vt rerum ſucceſſu conceptis ſpebus minimè reſpondente, ipſi aduerſæ fortunæ iniquitatem vel capite, vel mulctati honoribus luant omnium latratibus obnoxij. Quare abrogata illi ampliſſima poteſtate Corrarium, Michaelemq; Priolum imperij ſocios adiungunt: ad quorum arbitrium erat de rebus bellicis decernendum; quo multum eius authoritati, poteſtatiq; decedebat: neq; hunc illi pudorem impoſuiſſe contenti paulò poſt armorum priuatum imperio, cauſam dicere è vinculis iubent; ſuffecto illi Marco Iuſtiniano. Impauida tamen Reſpublica vel è propinquo hoſte minante; omnes ſuorum vectigalium delectus in Policinium feſtinare iubet; Epibatas quoque claſſi detractos, reuocatoſque exules eòdem ſolicitè mittit, vt latè vaganti, prædantiq; hoſti aliquod copiarum robur obijciat.

Cautus Venetorum receptus.

Veneti ſenatus de ſuis Ducibus querelæ

Piſauro ampliſſima abrogatur poteſtas.

Matthæus hoſtium cunctationibus vtens Cento cum omnibus copijs, Ferrariam proficiſcitur; vt indè Pado tranſmiſſio, iunctis cum Valenzeo viribus Policinium maiori belli mole peſſundet. Dux verò Mutinenſis Matthæi diſceſſu nudati præſidio Centi occupandi occaſionem arripiens Fœderatis ſuadet, illud oppidum, dum procul ageret hoſtis, protinus inuadendum; quòd, præter id quod efficaci incurſu à Policinio ad propria tuenda detraheretur; opportuniſſimo etiam loco potiti Ferrariã, Bononiaque frænaren-

Dux Mutinenſis Centum inuadendũ ſuadet.

naren-

narentur, Veneti Ducis ſuaſionibus aſſenſere; atque in id coacto ad lacus obſcuri pontem exercitu, Centum moturi erant, niſi Parmenſis Dux rogatus, vt cum ſuo equitatu in hoſticum excurrens Pontificios populando, vexãdoque diſtineret, ſuo Bodincomago egredi recuſaſſet. Quare equitatus negatis auxilijs, tam ſalubre conſilium in irritum euanuit. Conuenere tamen Vici Varonis Dux Parmenſis, & Mutinenſis, Iuſtinianuſque ſummus Veneti exercitus præfectus conſulturi, quò nam vtilius copiarum vires eſſent potiſſimum impendendæ. Duces Bentiuolum propugnaculum inuadendum eſſe ſentiebant; verum cum Iuſtinianus tria peditum millia ad hoc bellicum facinus obeundum Mutinenſi Duci negaret; in alias expeditiones ſuſcipiendas conuerſa conſilia. Iuſtinianus ſuadebat, hoſtem intra ipſa munimenta acta teſtudine, inclinatiſq; haſtis aggrediendum; ſed cũ res plena periculi, nimiæque audaciæ cæteris ducibus videretur, illum ab hoc pernicioſo conſilio auertere conabantur: verum ille ſuo propoſito conſtantiùs inſiſtens Venetas copias expediebat ad pugnam Ricciæ propugnaculum ſubiturus; cum efficacibus copiarum ducum hortamentis admonitus, ne in tam manifeſtum diſcrimen Venetum exercitum daret, neque rem maximè arduam ſolus ſine ſociorum ducum auxilio tentaret: gradum continuit admodum inuitus pugnæ auidus quaſi victoriæ ſecurus: cupidus enim gloriæ ſuum imperium aliquo præclaro auſu, fœliciquc ſucceſſu inſignire cupiebat, putabatque multum ſuæ exiſtimationi detritum iri; niſi obſtrictum in diſceſſu Venetijs fidem, ſe vt primum copiarum præfecturam iniſſet, conſerta cum hoſte pugna, aſperſas aliorum ignauia, demiſſiſque animis Veneto nomini labes aliquo glorioſo facinore deleturum, liberaret. Gaudebat à ſocijs ducibus ſibi recuſata eſſe ſubſidia, vt ſibi ſoli cederent partæ victoriæ decus, & gloria. Verum, ne temerè cum Veneto tantum agmine difficilem oppugnationem auſus eſſe videretur; iterum à ducibus equitum, & peditum poſtulat auxilia: ſed cum illi inuiti valificari Reipublicæ votis, iuuareque auſus viderentur: multo ille ſui tenacior propoſiti rem aggredi ſuis tantum viribus innixus decreuit. Imperat idcircò Vallettæ, vt cum tribus exterorum peditum millibus, atque Italo equitatu inferiorem propugnaculi partem ſecundum Padi litus inſideat, eductoque agmen à Propugnaculi tormentis aggere vallet; dum ipſe comite Gonzaga cum peditibus Italis, Corſis, Græcis, & Epirotis in ſuperiori caſtra muniret: vbi cum propugnaculo vicinæ aliquot ſurgerent ædes, nullo fere labore copias à miſſilium iactibus texit. Valenzeus Romam citatis equis, tetenderat, vt Pontificem belli euenta ſcire cupientem, de ſucceſſibus omnibus ex fide doceret. Qui ad caſtra extemplò regreſſus animaduerſo propugnaculi diſcrimine, iratuſque quòd torpentibus præſidiarijs, Veneti tam propè, atque impunè aggeres admouiſſent; iubet eorum munimenta continuis tormentorum pulſibus verberari, quò proſtratis aſſidua miſſilium iaculatione aggeribus, ad eos inuadendos ſterneret viam. Diu, noctuque incuſſa in Veneta munimenta tormentorum fulmina tonuerunt. E quatuor quoq;

Parmenſis Dux Fœderatis ſua ſubſidia negat.

Figarolo.

Varia Fœderatorum cõſilia.

Iuſtiniani Veneti Ducis ferocia.

Veneti Ricciæ propugnaculum adoriuntur.

Veneta caſtra & Munimenta à Pontificijs diruuntur.

quoque tumulis tormentarijs in aduerſo amnis litore excitatis, præter Bentiuoli propugnaculi tormenta in Venetas ſtationes torquebantur continenti diſploſione miſſilia: quibus vſquequaque proſciſſa Venetorum munimenta ruebant. Aſſiduo tamen militum, foſſorumque labore ſarciris ruinis, eductoque ad iuſtam altitudinem vallo: hoſtilis propugnaculi munimenta globorum iactibus lacerabant. Litora, & flumen tormentorum fulmina horribili ſibilo abradebant; quò mutua vtriuſque propugnaculi commercia tollerentur. Succedebant paulatim proiecta ante frontem tellure, propugnaculo Veneti certa illius obtinendi ſpe. Valenzeus, vt Venetorum inſtantem moleſtiam repelleret; atque ab omni Policinij retinendæ poſſeſſionis ſpe omninò deijceret: illos valida eruptione, repentinoque impetu concidere ſtatuit; deſtinatoq; in Gonzagæ ſtationem fulmine, quòd graui errato nullum circum ad ſubitos hoſtium incurſus prohibendos, fixum vallum caſtra muniret: ex omnibus legionibus promptiſſimos quoſque, ac fortiſſimos omnium militum florem, ſubductos ad duo millia flumen traijcere clanculum tacito agmine iuſſit; ipſo mox cum Matthæo ſubſequuturo, vt præſens erumpendi rationem, inuadendiq; hoſtis ordinem præſcriberet. Comiti Miroli expeditionis cura mãdata. Subſtitit plus horam poſt aggerem inſtructũ in ſuis ordinibus agmen, neq; auditum, neq; conſpectum ab hoſte erumpendi ſignum expectans; quo dato, formidabili impetu in hoſtile munimentũ irruunt. Gonzaga, quamuis repentino incurſu Pontificiorum deprehenſus, tamen raptim vtcumq; cohortibus in certamen inſtructis, amplius hora irrumpentium impetũ infatigabili pugna ſuſtinuit; donec è cæteris ſtationibus dimicantium fremitu, fragoreq; excitatis, cantato claſſico, ſubſidio ſociæ cohortes accurrerent. Verum vrgẽtibus acriùs Pontificijs impulſi, diſiecti, actiq; in fugã ſtationẽ, tormenta, ſarcinas hoſtium arbitrio reliquerunt. Victores ſtatim prædarũ cupiditate abrepti palantes per tabernacula populabundi diſcurrũt; grauiſſimo ſanè in tanta hoſtis vicinia diſciplinę militaris errore; qui ſæpiſſimè iã partam victoriam cum clade victoribus interuertit; auaritia felicis euentus decus, fructumq; corrumpente. Fędè quoq; peccatum à Pontificijs eſt, non conuerſis in fugientium terga tormentis, quorum fragor tantum reliquum hoſtium exercitũ terruiſſet: vel non abductis, vel ſaltẽ adactis ſpiraminibus clauis, nõ occęcatis, aut in foueas deuolutis. Quare Gonzaga ad primos Auroræ fulgores cõfirmatis à terrore ſuorũ militũ animis, cõſertiſq; in pugnã cohortib. ſtricto enſe egreſſus irato leone ferocior cũ Epirotarũ turmis in Pontificios à victoria ſecuros valido dato impetu incũbit: nõ tulere diu ferocẽ irruẽtiũ impreſſionẽ Põtificij, ſtatim mutata fortunæ facie repoſita funeſtiori hoſtibus clade, ſtatim diſſipati, protriti, cæſiq; latè à Veneto equitatu fuere documento, non eſſe hoſtem quamquã victum, contẽnendũ; cum exultãtẽ, ferocientẽq; victoria aliquãdo Fortuna proterat ab abiecto Veneti ſarcinas, tormenta, cæteraq; ablata ab hoſtibus recepere. Plurimi in hoc certamine perierunt, inter quos Sanctæ Crucis Demarchus: pluribus

Pontificij in hoſtes vadunt.

Põtificij Venetos inuadunt.

Veneti fugantur.

Veneti Pontificios inuadunt.

Pontificij cæſi.

Tt ab ira

Digitized by Google

ab ira victoris intra propugnaculi tormentorum ictum receptus ſaluti fuit; multi etiam amnis fluctibus hauſti. Moiolus, & proprio, & alieno cruore madens in litore, dum traiectum molitur, captus lætiorem, gratioremque Venetis fecit victoriam: quamuis illam Carucij Epirotarum peditum chiliarchi aliquantum interitus funeſtauerit: dum enim ſtricto enſe fugientium tergis inſtat maioris ſclopi glande confoſſus protinus expirauit. Octingenti milites in hac cruenta pugna ex vtraque parte cecidiſſe dicuntur.

Pontificios cladis dedecoris pudor in Venetos agit.

Pontificij, & ſi ex victoribus repentè victi præter inuſtam dedecoris ſuæ audaciæ notam, acceptamque cladem, inſignem victoriam turpis auaritiæ ſordibus defœdarint; animoſiores tamen aliam validiorem in venetos impauidis animis meditantur: quòd non hoſtium virtus ſuos conatus, ſed prædarum cupiditas perfregiſſet. Quare maiores in auſus accenſi eruptionem in Venetos in quintum diem indicunt. Verum illi, quorum magis animos pauore, quàm corpora vulneribus præterita Pontificiorum eruptio perculerat, Iuſtiniani iuſſu, ne in tanta caſtrorum propinquitate repentinis hoſtium paterent incurſibus, longiùs à propugnaculo caſtra ſubducunt. Quare Pontificij per otium nemine infeſtante, aut terrente propugnacula firmioribus aſtructis munimentis, abſoluunt.

Reſpublica in irritum ſuis cadentibus ſpebus, afflicta eādem Iuſtiniano, quam Piſauro, mulctam dixiſſet, niſi abrogato paucis diebus duobus ſupremis Ducibus imperio, ſui cauillis præſtringendæ cauſam ſe præbituram timuiſſet.

Cardinalis Antonius à Pōtifice laudatur.

Summus Pontifex ſuorum in Policinio armorum fœlicitate effusè lætatus Cardinalis Antonij prudentiam, peritiam, virtutem, conſilium, animoſitatem ſummis laudibus exornabat; quod decuſſum Bononiæ ceruicibus hoſtem ad propria tuenda, translato in hoſticum bello, accurrere cōpuliſſet. Hoc præcipuo Superum beneficio tribuens, quò tutior in ſuis animoſis expeditionib. foret, illi Diuinæ Crucis fragmē baccatū, pretioſiſq; lapillis intextum miſiſſe dicitur; vt eo collo appenſo inter miſſilium procellas impunè verſaretur, atque præſentis Numinis arcano terrore hoſtes afflaret. Inſuper proſperis belli animatus euentis militum cohortes vndique congerebat: Gallicæ gentis præcipuè authorata agmina Romam Melitenſium equitum triremibus deuehenda curauit: quorum in Pontificem obſequio Fœderati Principes oppidò illis infenſi eorum prouentus in ſuis quiſq; dominatibus ſequeſtro poſuere: quibus remiſsè admodum gerentibus bellum, Etruſcus exercitus eodem ſemper continuato fœlicitatis curſu ipſis vrbi propinquis locis ferociùs inſultans Sabelli copijs imminebat infenſior; quas Borrus ex illis munimentis extundere, aut aliquo aſtu elicere conabatur. Quamuis hoc extrahendi ex eius ſtationibus hoſtis deſideriū altè varia arte tegebat; vt eos inſidijs, quas ſtruebat, incautos, atque imprudentes exciperet. Perfectis igitur Caſtellæ propugnaculis, vt Pontificios ea opinione imbueret, vtraſque copias in

Melitenſiū equitum in Pontificem ſtudia.

Etruſci exercitus ferocia.

Caſtiglione.

mutuo

Digitized by Google

mutuo conſpectu ceſſantes hæſuras, nullumque ferro factum iri virtutis experimentum: imperat, vt numeroſum peditum agmen maiori ſtratore Strozzio præfecto, à cæteris copijs auulſum Aretium verſus iter iniret, Citernam poſtea profecturum: ipſe verò ad Etruriæ fines cum cæteris copijs ſe ſimulat feſtinare, ea mente, Pontificios eo repentino hoſtium diſceſſu incompoſitis ordinibus procedentium, palantiumque ſpecie animatos, ſuiſque validioribus viribus fretos Etruſca agmina egreſſos è caſtris, quaſi ad certam victoriam inſequuturos; ac proinde ſuſpiratam diu ſui opprimendi occaſionem daturos.

Etruſci Pōtificys inſidiantur.

Profectus igitur è Diui Fatucchij ſtatione minimè dirutis munimentis circumeductis, ad Etruriæ fines quarta noctis vigilia ineunte, iter capeſcit; vt inde, quæ inituri eſſent Pontificij conſilia, proſpiceret: qui emiſſis aliquot equitum manipulis ad deſertas hoſtium ſtationes explorandas, poſt extractos commeatus, incenſaque tabernacula, vnde venerant, redierunt. Borrus ſua ſpe fruſtratus eluſis ſuis ab hoſte inſidijs, in Peruſinum agrum Etruſcum exercitum immittere decreuit; vt tandem Pontificijs ſuorum cladibus è ſuis caſtris excuſſi opem ferre popularibus ſuis laborantibus cogerentur.

Etruſci Peruſiæ imminent.

Cum firmo igitur equitum, & peditum agmine Paſſiniano ſuccedit; cuius præſidiarij, atque oppidani ſtrenuè feroces Etruſcorum aſſultus, ac fortiter repulere; nec prius vllam ſui dedendi ſpem hoſti faciunt; quàm tormentorum fulmina proſternere mœnia, tectaque diruere conſpiciunt.

Etruſci Paſſiniano potiuntur.

Ad Etruſcorum belli tumultus omnia miſcentium nuntium Pontificij tandem egredi è caſtris, hoſtemque ſequi decernunt; vt ſuo obiectu, interceſſuque eius felicem armorum curſum abrumpant: fatalique errore Sabelli Ducis Peruſiæ tum ex febri decumbentis inculcatum ſæpius monitum Colonioli montis loci ingenio munitiſſimi occupandi Cardinalis Rapacciolus oblitus in ſua conſtans ſententia peruicit, vt ad Montem Bonum iretur; hoſtis arbitrio deſertis omnibus arcibus, & caſtellis, quæ toto lacus litori prætexuntur.

Pōtificij caſtris excedūt contra Sabelli conſilium.

Princeps ſiquidem Mathias inter Coloniolum, Lacuſque montes cum vniuerſo exercitu inſidens non plus duo paſſuum millia à ſe inuicem recedentes; validum ſuorum militum agmen in Coloniolum montem immittit: qui firmis mœnibus ſeptus, & quatuor peditum cohortium præſidio munitus diu fortiter aſſilientibus hoſtibus obſiſtens Etruſcos adegit; vt tormenta è caſtris petita diruendis mœnibus admouerent: quæ ingenti labore per illos difficiles ſalebrarum anfractus, arduoſque aſcenſus ægerrimè milites moliebantur; quibus tamen opportunis libratis in locis, emiſſiſque in mœnia, dato amplo eorum hiatu, cum iam Etruſci ſtipatis ordinibus facturi eſſent impetum; cohortis præfectus, & ciues per mœnium ruinas egreſſi Principem Mathiam oratum adeunt; vt oppidum in ſuam fidem, & ditionem accipiat.

Etruſci Coloniolū Mōtem inuadunt.

Excepit ille perhumaniter adeuntes; & beniguius ipſorum votis indulſit. Nulla cædes inhorruit, nulla rerum, fortunarumque direptio oppidanos afflixit,

Deditur Etruſcis.

Principis lenitas,miteq; imperium cætera lacum circumiecta loca in ipſius poteſtatem, fidemque traxit;vna excepta Montalera in ardui, abruptique collis dorſo ſita. Dux Sabellus, incertum qua cauſa, ſe Pontificij exercitus abdicauit imperio: illi Vincentius à Marra melitenſis eques ſuffectus ab agrorum vaſtatione, pabulique incendijs auſpicatus imperium, neque à corrumpendis ferro popularium ſuorum fortunis, diruendiſque domicilijs abſtinuit; quibus victor Etruſcus hoſtis pepercerat: quò ſubductis commeatibus, & pabulo, in ſqualentem ſolitudinem agro redacto, illum famis terrore à Peruſino agro detraheret. Verum ea agrorum populatione, corruptioneq; commeatuum par ſibi quoque intulit damnum:cum ad ſuas copias alendas ea longè fuiſſent emendicanda, atque petenda. Interim Strozzius Civernæ admoto agmine, oppidum repentino dato in mœnia impetu, nititur occupare; verum propugnantium virtute cum ſuorum clade repulſus, aduectis tormentis infenſior mœnia globorum incuſſibus pulſat: quare territi oppidani in poſterum diem ſe deditionem facturos pollicentur;ſed accepto in oppidum nocte ſubſidio, in oppugnantium ſtationes primis Auroræ fulgoribus feroces erumpunt: Etruſcoſque ex obſtricta deditionis fide ſecuros, & ſemiſomnes, inopinato caſu attonitos latè cædunt, & fugant: captis tormentis, & caſtris; quibus paucas horas inſederunt. Siquidem ad pugnæ fragorem, inſtantium, fugientiumque fremitum ad certaminis locum Etruſcus equitatus accurrens tam feroci impreſſione in Pontificios inuehitur, vt primo impulſu diſiectos, mulctatoſque depulerit. Cornelius Maluaſia Tiferno cum velitum equitum legione egreſſus ſecundum amnem Neſtorem proficiſcens eo conſilio,vt Caſtellam Florentinam repentino impetu occuparet: detectis eius inſidijs,re infecta,agmen aliò conuertere coactus eſt. Ex reditu Comitis Sebaſtiani Zeffirini caſtellum antiquæ ſtructuræ tentauit:ſed adeò feroces, & ſtrenuos propugnatores offendit,vt fruſtrà portas arietis incuſſu deijcere conatus miſſilium cōtinenti iaculatione, glandiumq; ignearum procella repulſus proiectis totis campis armis,quo expeditior eſſet ad fugam; inde vulneratum agmen abſtulerit.

Sabellus a' morti im perio ſe abdicat.

Etruſci Citernam aggrediuntur.

Præſidiarij in Etruſcos irrumpunt.

Città di Caſtello.

Caſtiglione.

Pontificiorum fuga.

Le Chiane.

Etruſci Dana Paludis murum diruunt.

Hoſtiles vicinę copiæ mutuis variante fortuna,ſe cladibus conficiebant. Cum ad triſte nuntium, ab Adamo Chiliarcho Danæ paludis antiquum murum admota operi ingenti foſſorum multitudine dirui, iamque occupato Carnaiolo,ampliore quinque, & triginta paſſibus illius parte poſtratæ, impendere diſcrimen, ne refuſa in Tiberim Paludis aqua, auctus amnis Romam obrueret: valde, vt par erat, commotus Princeps præfectus totius Pontificij exercitus imperator:illicò iuſſit Cornelium Maluaſiam equitum magiſtrum cum octo ſuarum legionum turmis, & duobus peditum millibus eò contento agmine feſtinare, vt tam pernicioſum opus ſuo obiectu impediret: verum nullum illius magnis itineribus properantis fructum habuit feſtinatio: iam enim Adamus,data ampla muri ruina, proſciſſoque aggere,

aggere, cum foſſoribus in tutum abierat. Quare Cornelius, ne omninò alicuius bellici operis inanis ſuus profectus foret: Monti Leoni ſucceſſit, coegitq; præſidiarios, aliquandiu ſuis impreſſionibus repugnantes ſuo ſe arbitrio permittere. Princeps Mathias tã vicinis hoſtilibus armis vrbi Plebis timens, validum militum ſubſidium Coſmo Ricardo ſupremo aciei ſtatore in vrbem inducit: obſeſſiſq; circum Danam Paludem locis, prohibet Pontificios, quominus ab ijs muri ruinæ ſarciantur. *Maluaſia mõtem Leonem occupat.*

Cardinalis Franciſcus Barberinus Antonij fratris Cardinalis bellicæ æmulus gloriæ Peruſiam ſe contulit; vt ipſe quoque militaris aliquid laudis compararet: & quia nihil belli proſperè cedit, niſi cælo propitio, & auſpice, à Patribus Capuccinis admonitus agi impiè in caſtris, nullumq; Superum metum ſcelera cohibere: vt ritè offenſo militum impietate cæleſti Numini litaret; propitiaretque Superos, edixit, vt milites omnes ſacra ſynaxi expient criminum labes; quò Deus à Pontificijs copijs ſua auerſa ira, earum conatus, ac deſtinata ſecundet; fortunamque hactenus Thadęo fratri obſtinatè infenſam fœlicitet. Pretioſa quoque ſecum attulit premia, quibus ſtrenuos bellatores pro cuiuſque virtute donaret; propoſitiſq; fortitudinis pretijs, vnumquemque ad præclara audenda animans inertium acueret ignauiam. Mox cum Thadæo Fratre conuenit; vt exercitus pars Diui Martini via clam hoſte incedere iuberetur: quò ad lacus litora prouecta ponè hoſtium terga ſubſiſteret; dum altera à fronte proficiſcens Etruſcos medios deprehenſos, & æquiori locorum ſitu, & militum numero ſuperior aggreſſus concideret. Verum optimo conſilio conſtituta quorundam Principi ſtudentium perfidia diſcuſſit; arcanis enim nuntijs de Cardinalis Barberini decretis edoctus, vt irruentium turbinum iras, atq; impetus declinaret; ſtatuit non hoſtium aduentum ſegniter expectare; ſed præceptis eorum conſilijs, audacter obuiam venientibus ire: atque eos vbicunque nactus cantato claſſico protinus oppugnare: dum copiarum diuortio viribus imminutis, altera exercitus pars facilè obteri, concidique potuiſſet; antequam ab altera à tergo ſequente ferri poſſet extremo diſcrimine confligentanti ſubſidium. Subdebat Borrus niſi Pontificij vniuerſa acie confligere cogerentur; illis incruentam cedi victoriam; Etruſcoſque ab ijs nullo ſtricto ferro debellatum iri; ſi namque hoſtes lacus tantum litora inſediſſent, interceptis commeatibus, quæ per lacum nauibus afferrebantur in caſtra; fame Etruſcum exercitum confeciſſent. Salubriùs igitur conſilium ratus primam obuiam Pontificij agminis turmam inuadere; intenta cura explorat, qua ſe copiæ hoſtiles oſtentent: cum ab exploratoribus nuntiatum eſt, Pontificios ſociato ſimul cũ pedite equite, ineundi itineris inſigne præbere. Quare extemplò vndecim dierum cibarijs agmine inſtructo, Borrus tanta militari peritia exercitum iam luſtratum in aciem inſtruit; vt quocumque hoſtis ingrueret, verſa tantum facie, nihil ruptis ordinibus, ancipiti acie illum exciperet. Marra comperto Etruſcos pugnam optare; ne ſe

Franciſci Cardinalis Barberini pietas.

Pontificiorũ ſalubre cõſilium.

Perſidia diſcuſſum.

Pontificiorũ erratum.

Etruſci Pontificios inuadere deſtinant.

apertis in campis deprehenſum inuaderent; in collis faſtigio caſtro Monti-Iouino vicini caſtra munit; vbi quarundam foſſarum, murorumq; ad culturæ ſepimenta ſurgentium beneficio ſolicita cura aggeres excitare, lori-cas educere, tormenta collineare, atque agmen in pugnam cœpit inſtrue-re: & vt maius temporis caſtra muniendi, condendique propugnacula, ſpatium foret; ad collis radices, aliquot peditum cohortes, & equitum turmas in hoſtium motus excubare iuſſit; vt ſi fortè Etruſci collem ſubirent, primos eorum impetus velitationibus frangerent. Primum Etruſcorum agmen trecentis peditibus, & quatuor equitum turmis validum chiliarcho Longaualle, & ſtatore maiori Rota Ducibus in Pontificiorum conſpe-ctum venere; reliquis pleno gradu ſubſequentibus copijs. Pontificij in Etruſcos per collis accliuia enitentes ſupernè diſploſis tormentis ſubeun-tia hoſtium agmina inceſſebant: prohibebantque quominus compoſitis ordinibus ad pugnæ locum accederent. Verum pertinaci niſu vbi con-tra miſſilium iactus, & tormentorum fulmina cætera Etruſca agmina ad æquiora, planioraque collis prouecta, ex aduerſus hoſtes ſtetere; tum ſine mora libratis tormentis, Princeps Mathias iuſſit hoſtes inuadi. Bor-rus accito caſtrorum præfecto Paulo Conſaccho cum mille ducentorum electiſſimo peditum agmine, quos iam pridem in id ex omnibus cohor-tibus ſelegerat, audacter vadit in hoſtes: pulſoque Pontificio equitatu, per abrupta collis adreptans hoſtium munimentis potitur. Marra ni-hilominus minimè animo concidens prima ſtatione amiſſa, ad vlteriora montis ad pagum quemdam recepto agmine, & ædium parietibus, quos ad tutiùs ab hoſtium miſſilibus commeandum, perforarat; Maluaſia Etru-ſcorum ſtrenuè hoſtium impetum ſuſtinente, tranſuerſiſque trabibus, atq; arborum truncis, vijs obſeptis, defoſſiſq; altè ſcrobibus, omnes aditus im-pedit; vt tam diu Etruſcos deſtineat, donec ſicuti conuenerat, Princeps præfectus cæteris copijs adductis, hoſtium terga pulſaret. Eius virtutem, at-que induſtriam iuuabat æquitas loci in hoſtes ferè ex tutò pugnantis. Bor-rus Pontificiorum munimenta, virtutemq; contemplatus aduertit, firmio-rem accerſendam eſſe peditum manum, validioreſq; admouendas vires, vt hoſtem munito tectum loci ſitu ab eo pago deijciat. Quare omnibus copijs in Pontificios cruentiſſima pugna, ingentique ſuorum cæde intra villæ ha-bitationes inuectis ſingulæ ædes fuerunt multo Etruſcorum ſanguine ex-pugnandæ. Marra verò loco hoſtium pertinaci certamine pulſus, in Mon-tis Iouini arcem, & ſitus ingenio, & opere munitam copijs pugnæ ſub-ductis, ibi ſe ad vltima tueri decreuit. Maluaſiæ igitur imperat, vt eòdem cum equitatu feſtinet; tormenta quoque, atq; impedimenta trahantur; dum ipſe ſupremo ſui peditatus conatu irruentes hoſtes tam diu pugnando di-ſtineret: donec omnia ſiſterentur in tuto. Verum Etruſci primi fœlicitate niſus aucti animis primas hoſtium ſtationes adepti cæteris etiam acquirē-dis audaciores inſiſtunt; adeòq; violento impetu in Pontificios incurrunt; vt loricatorum equitum turma protrita, in poſtremo agmine iuſſa con-

ſiſtere,

Pontificÿ ſe muniunt.

Etruſci Pō-tificios inuadunt.

Pontificÿ hoſti reſi-ſtunt.

Etruſcorū virtus.

Pontificiorū receptus.

ſiſtere, vt ſecedentium terga muniret; Marram celeriùs, quàm deſtinauerat, ſe in arcem recipere compulerint: tormentis, & ſarcinis recedentium potiti. Borrus ſtatim arci propius circumfuſis copijs, in Maluaſiæ turmas equitum procellam immittit; qui ſemotus in cliuo conſt.terat, eo conſilio, vt Etruſcos victoriæ fiducia palantes inuaderet: ſi vt plerunque ſolet, ex hoſtis fuſi contemptu ſolutis ordinibus, ad rapiendas ſarcinas diſcurriſſent. Non expectauit Etruſcorum incurſum Maluaſia, vſque ad Montaleræ planitiem ſuis tergis inſtantium: ſed laxatis habenis, ad Cartianum trepido agmine aduolauit, acerba militaris imperitiæ ſugillatione præſtrictus: quòd nudatum equitum præſidio peditatum proterendum, concidendumque hoſtium arbitrio deſeruiſſet. Marra quamuis ſciret Præpotentis hoſtis violentiæ ſe diu obniti non poſſe; interpellatus tamen de arce dedenda audacter reſpondit: *non eò rerum ſe eſſe adductum, vt ad ſolum verborum minas, atque inuitamenta arcem tradere cogeretur*. Borrus igitur quando nihil obnuntiationibus ſe proficere videt; tormentorum pulſibus quati arcis mœnia iubet; quibus magna parte proſtratis, non expectato Etruſcorum impetu, Marra Mathiæ Principis ſe permiſit arbitrio: à quo benignè exceptus captiuus cum cæteris Chiliarchis, & Ducibus Florentiam abducitur. Borrus ne mora fructus victotiæ corrumperet, à dedita arce, varios Duces vſquequaque ad occupanda circumiecta caſtella miſit; quæ omnia vix admoto armorum terrore, in Principis Mathiæ fidem, poteſtatemque conceſſere.

Pontificiorũ fuga.

Montis Ioanini arx deditur Etruſcis.

Marra captiuus.

Interim Princeps Præfectus diſſipata ab hoſte altera Pontificij exercitus parte, nouis ſuo agmina additis militum ſupplementis validior ſuarum oppoſitu copiarum Etruſcorum fœlicitatis curſum intercidere nitebatur. Verum nullibi grauiùs, quàm belli peccatur; cum ſolum duntaxat erratum plures aggeret clades, immo ſæpiùs rerum ſummam euertat. Princeps præfectus multorum carpitur cauillis, quòd ſicuti Cardinalis Barberinus, ipſe, & Marra ſalubri conſilio condixerant; vt medium hoſtem interceptum Marra fronte, præfectus verò eodem tempore à tergo feriret; oppugnantium Marram Etruſcorũ non ſolum ex compoſito non inſtitit tergis: ſed etiam ſuorum cædis otioſus ſpectator nullum è caſtris extulit pedem, purgant tamen aliqui illius factum, quòd in tam aduerſa Pontificijs, atq; iniqua fortuna, non erant vniuerſæ copiæ in vnius prælij protrudendæ diſcrimen, nudatiq; præſidijs eccleſiaſtici dominatus hoſtium arbitrio deſerendi. Sed Principum errata plures habent excuſatores: ſicuti neque obtrectatur impenſiùs, quàm magnis viris. Sed hæc dijudicanda Ducibus relinquamus, euentus edocuit ſaluti fuiſſe eam præfecti Principis moram; quòd ea incolumi, atque integra exercitus parte, reparatis viribus acrior, aduerſus hoſtem, ne omnia belli impetu peſſundaret, inſtructo agmine oberrabat.

Etruſci varia oppida occupant.

Belli errata grauiſſima.

Principibus accuſatores & excuſatores non deſunt.

Dum Summus Pontifex ſuorum infœlicibus in Etruria armorum euentis iratus immiſſis vndique ex circumfuſo Pontificio dominatu in acerri-

mi hoſtis ditionem agminibus eius terras obruere deſtinaret: aliud quoque in Parmenſem Ducem bellum moliebatur; vt eius agros incurſibus populando illum Bodincomago detraheret. Cum Diui Secundi Comitibus Guerrerio Bergomate ſequeſtre Hoſtiliæ ad Mantuanos fines morante tranſegerat: vt ducentis equitibus, quos iſte turmatim, hìc, atque illìc, ne ſui conſilij præberet inditium, clanculum authorarat; cum alijs trecentis in Bononienſi agro ab ipſius Guerrerij fratre mercede conductis per Mutinenſium montium iuga in Parmenſem agrum demiſſis, omnia ferro, flammaq; vaſtaret. In exeuntem Septembrem huius Comitum incurſus erat deſtinata procella. Quæ quamuis eſſent hominũ ferocioris ingenij tentamenta, nec vllo firmo fulcimento niterentur: Dux tamen Parmenſis non negligenda ratus, ob damna, quæ ſuis vectigalibus turmarum populatium incurſus afferre poſſent: grauibus querelis apud Catholici Regis miniſtros Mediolani, & Mantuanum Ducem in cuius dominatu equitum manipuli cogebantur, expoſtulat futura mala obnuntians, ni opportunè, maturèque Guerrerij perniciofis molitionibus occurratur: quibus Ducis officijs in liquidum aerem ille turbo dilutus euanuit: dilapſo fuga Guerrerio, ne in inſidias ſibi ſtructas incideret.

Oſtia. Pontifex alias in Parmenſem Ducem inſidias molitur.

Dux Parmenſis Parmam migrat.

Dux Parmenſis reumatis affluentia tentatus Bodincomago Parmam migrare decreuit experturus, an natiui cæli temperies ſe priſtinæ valetudini reddere poſſet; ſecumque partem ſui equitatus abducere, quòd pabuli penuria Bodincomagi ſtrigoſiores equi vix ſtarent; vt turmas vberioribus hybernis recreatas, validiores in verna bella, ac robuſtiores haberet. Veneti Ducis diſceſſu veriti, ne illud tanti momenti oppidum exiguo præſidio defenſum hoſtes inuaderent: ſuam operam, vires, ac ſtudium in eo propugnando, cuſtodiendoque Duci offerunt: Supremum Veneti exercitus Ducem ad eius nutum firmas peditum cohortes, validumque præſidium in oppidum protinus inducturum. Quibus Venetorum oblationibus Ducis aures obſurduere.

Veneti Bodincomagi cuſtodiam à Duce petunt.

Barberini vires vndique cogunt in Etruriã.

Barberini fratres animaduerſo fatalia Etruſcorum arma ſua conſilia, ac deſtinata peruertere; vt perniciosã illius fati vim cõſtantia virtutis peruincerent, generoſo auſu peditum agmina, & equitum turmas ex Pontificijs dominatibus coegerunt; quibus quadripartito acerbum hoſtem aggreſſi Etruriam effuſis latè agminibus inundarent; & præcipitibus ferri, flammarumq; torrentibus iufenſam nimis prouinciam exciderent. Ad tantæ molis exercitus in Etruriam incumbentis nuntium Parmenſis Dux datis litteris magno Duci ſuas omnes vires, ſeipſumq; exhibet; vt irruentibus Pontificijs iunctis copijs occurrant. Venetam verò Rempublicam monet ſocio Principi hoſtilibus armis oppugnato communibus viribus ſuccurrendum: ſi ſibi octo exterorum militum millia, & equitum mille darentur, ſe protinus in Etruriam ſubſidio profecturum: cui Reſpublica gnara belli diſcriminum, quod eam ſuſcepiſſe pœnituerat; cum nec illa exteræ gentis millia

Dux Parmenſis magno Duci ſua offert auxilia.

ſuppe-

Digitized by Google

ſuppeterent, nec ita repentè authorari poſſent: nec præſidijs eſſet, obequitante hoſte confinia nudandus proprius dominatus, vt ad aliena tuenda ſuas vires ſufficerent; reſpondit, *ſe quàm maxima poſſet peditum, & equitum auxilia, vt in tanta militum paucitate, magno Duci ſubſidio miſſuram.*

Interea Pontificiæ copiæ magno Barberinorum ardore coactæ in Piſtorium primo belli impetu incubuere. Valenzeus enim Bononia cum tribus peditum millibus, & equitum mille egreſſus quartis caſtris in eius vrbis conſpectum ſe dedit: in obiectis collis dorſo poſitis munimentis, milites confragoſi itineris, ſalebrarumque anfractus labore feſſos quiete refecit: ſi quies opus erat ijs, quos ſtatim populabundos per indigenarum gurguſtia, mapaliaque omnium fuga deſerta habendi libido rapiebat. Caponius Senator chiliarchus ſtrenuus, animoſuſque bellator præſidij præfectus in ea vrbe, militum, armorum, tormentarijque commeatus experte omnes ſuas curas intendit; vt inductis in illam ex vicinis delectibus aliquot peditum cohortibus ſe contra hoſtem inſtrueret. Magnum verò Ducem per crebros, celereſque nuntios ſolicitat, vt ſubita equitum, & peditum auxilia, pyriumque puluerem, & cætera ad tendenda tormenta neceſſaria ſubmittat. Interim conſcriptis ex omnibus ciuium ordinibus patritiorum, atque opificum cohortibus, ſingulis mœnium ſtationes cuſtodiendas, propugnandaſque partitur. Valenzeus opportunas ſtruendis inſidijs, hoſtiq; efficaccius terrendo tenebras noctis opperiẽs tegente quoque latè offuſa denſiſſima nebula ſubeuntiũ conſilia, & dolos; profundo ſilẽtio nullo militũ mutiente, ad mœnia ſuggreſſus, dum Diui Marci portæ affigit aſtiocuhm; ſcalas iubet mœnibus admoueri; alter quoque aſtiochus ſuburbij portæ applicitus, aliæque ſcalæ in eos muros erectæ vniuerſa exercitus mole in tria ingentia agmina diuiſa Grillione dynaſta, Villano, & Pucardo præfectis, ſociorum conatus exitum præſtolãtibus. Diffractis cancellis, violentoque aſtiochi impetu proſtrata porta, Pontificij valida impreſſione in vrbem conantur irrumpere; exciti pugnantium fragoribus ciues, ad menia, quò certantium clamor vocat; raptis armis prouolant vniuerſi: tum ibi cruentiſſima pugna pluribus vtrinq; ferociùs, quàm pro numero dimicantium cadentibus inhorruit: dum Pontificij denſatã ciuiũ, prẽſidiariorũq; ordinũ frontẽ incuſſis in pectora, atq; ora haſtilibus, & gladijs diſijcere nituntur; oppidaniq; conſerto agmine irruentiũ impetũ propellunt. Tumulus tormẽtatius Diui Marci portæ propugnaculi nullo præſidio cuſtoditus, quòd ibi ob loci iniquitatem, arduumq; aſcenſum, nunquã hoſtes in mẽnia obnixuros ciues putaſſent: iam in illũ tranſgreſſis Pontificijs captus, atq; inſeſſus ferè ſupremã attuliſſet vrbi perniciem; niſi ipſe præfectus Caponius aliquot peditũ cohortibus ſeptus conſpecto vrbis diſcrimine, iam iam irrũpentẽ in vrbem hoſtẽ magno animo aggreſſus de mẽnibus præcipites deſilire coegiſſet. Tantum non capta ab ea parte vrbs perijt; ſi quantum animi, atque induſtriæ fallendi hoſtibus fuit, tantundem in demittendo celeriter in vrbem agmine audaciæ, feſtinationiſque fuiſſet. Altera Pontificij

Piſtoia. Pontificij Piſtoriũ inuadunt.

Caponij præfecti animoſitas.

Pontificij Piſtoriũ inuadunt.

Põtificij vrbis propugnaculum occupant.

Põtificij ab occupato propugnaculo deturbãtur.

tificij exercitus pars ab agreſti captiuo per imuios calles, abruptaſque cautes præeunte ducta, an dolo, an viarum imperitia; tardiùs, quàm conuenerat, ſuburbij portæ aſtio chum affixura acceſſit. Itaq; ſua ſpe fruſtrati, & è maioribus ſclopis excuſſa tempeſtate ſummoti, nequicquam applicitis ſcalis, in muros duas continuas horas eniti tentarunt. Receptis à tam feroci, conſtantique propugnantium ardore copijs, hoſtis poſt arborum ſepimenta, denſa nebulæ caligine tectus, & vicinarum ædium parietes delituit; donec obortis primis Auroræ fulgoribus in collis dorſum in tutum ſecederet. Poſt hoſtis abſceſſum Caponius præfectus oppilari aggeſta tellure portas: additis munimentis mœnia firmari, dirui ſuburbanas ædes, vt liber eſſet vſquequaque proſpectus, neq; ijs pro uallo vteretur hoſtis, ſi rurſus vrbem bello petere deſtinaret; omniaque ad ſuſtinendos Pontificiorum impetus parari iuſſit. Hoſtilis equitatus Piſtorij mœnibus pulſus quaquauerſum procurrere, populari agros, obuia quæque proterere inſtitit.

Pontificij diſcedunt.

Princeps Mathias, vbi accepit, Pontificium exercitum dato fruſtra in Piſtorij mœnia impetu, obiectis vrbi montibus inſidere; Strozzio imperat, vt contento agmine diui Laurentij pagum feſtinet; vt ibi coactos popularium delectus cum Puteano caſtrorum prefecto in ijs partibus cum ſupremo equitatus conquiſitore Meazzia bellare iuſſo ſociet. Ipſe verò cum moſchettariorum equitum legione Pratum prouectus, mandat Adamo chiliarcho, vt cum ſuis turmis hoſtibus inſtet; qui in montibus circunducto vallo, eductiſq; ex arborum ſtipitibus ſe aggeribus muniebant. Adamus omnibus eius tractus locis exploratis, accepto nuntio Pontificiàs copias ad Mutinenſium acceſſum vlterius proceſſiſſe, ne mediæ inter duos hoſtium exercitus prehēderētur, trecētorūq; militum Samubucam oppidum præſidio teneri; ſuas cohortes mœnia iubet inuadere; dum chiliarchus Columbus cum aliquot Mutinenſium peditum manipulis à ſuperiori eius oppidi parte ingrueret; quò hoſtem medium interceptum commeatibus intercluderet; ſi ad pugnam trahere non poſſet. Poſt ſtrenuum, obſtinatumq; præſidiariorum certamen receptum oppidum ab Etruſcis eſt: abſterſique eodem armorum impetu ab infeſtis Pontificiorum agminibus montes: totoque Apennino Æmiliæ finitimo hoſtiles copiæ depulſę, multum Etruſcorum conatus Mutinenſium iuuantibus cohortibus; quæ Comite Monteculo Duce, cum aliquot equitum turmis Vergeam Bononienſis agri frequens oppidum, vbi ad præſidium Valenzeus in receptu ducentos pedites chiliarcho Piccardo præfecto reliquerat: progreſſæ facilè præſidiarijs ab eo oppido decuſſis, ingentibus animis Bazzianum inuadunt: quibus præſidium vicini ſubſidij ſpe, propinquo Plumazzio quoque audaciam addente aſſilientibus obnituntur; quamuis non plus ducenti pedites, & quinquaginta equites Moſchettarij oppidum tuerentur. Quare fuere admouenda tormenta, vt proſtrata mœnium parte, miles in oppidum poſſet irrumpere; nec mora, qua data ruina, nequicquam repugnantibus præſidiarijs, inuectus Mutinenſis in oppidum cuncta diripuit: habitantium ſaluti tamen

Etruſci oppidum Samabucam occupant.

Mutinenſes Bazianū aggrediuntur.

Oppidū occupant.

vel à

vel à milite victoria ferociente conſultum. Monteuiam quoq; maiori aciei ſtatore in illam immiſſo, obtinuit Mutinenſis, quæ ne eamdem Bazziano fortunam,calamitatemq; pateretur, aliquantulum oppugnanti obluctata victori ceſſit. Inde omnem circumiectum agrum hoſtis fędè populatus Bononienſibus ciuibus magnam curam iniccit,ne cætera quoq;vagis,ac liberis excurſibus prædaretur.

Princeps Præfectus Valenzei in Etruria bellantis induſtria,viſceraq; hoſtilis prouinciæ bello pulſantis audacia auerſo ad propria tuenda à Pontificijs vexandis dominatibus hoſte, ac proinde tot agminum abſceſſu debilitatis Etruſcis Peruſinum agrum inſidentibus ſpontè rumorem vulgauerat; ſe vniuerſa copiarum mole hoſtium caſtra inuaſurum. Borrus tamen nihil hoſtium territus minis,ſe accuratè rebus omnibus inſtruebat, quibus illius impetum valenter exciperet:motiſq; caſtris, Pontificijs copijs adequitans illarum populationes, quaquauerſum excurrentium vicinorum metu armorum frænabat.Tobias verò Pallauicinus,vt ſuorum dedecus elueret;qui à Magiſtro comite Etruſco Duce dum agmen demittere in Etruriæ plana conantur, fuſi, capti, cæſique fuere; Monterchium aduerſum Citernæ caſtrum firmis vallatum mœnibus aggreditur:aſſiduiſque illud maiorum ictibus ſcloporum, tormentorumque pulſibus vrgens per eius ruinas in Etruriæ viſcera peruadere nitebatur. dum Cardinalis Barberinus ſacrato apice ærea caſſide,purpureaq; trabea lorica mutata, quatuor peditum millibus, & equitibus octingentis,tormentorumque,& pyrij pulueris apparatu, ſarcinis Petiliam ſubit infeſtus. Ad tam vehementes, minaceſque armorum hoſtilium in Etruriam irruentium motus acriùs Magni Ducis animus irritatus,excuſſo quaſi lenitatis torpore,qua non ita acerbiùs,ac ſæuiùs, vt poterat,in Pontificios bellarat:rèparare ardentiùs bellum,cogere peditum,& equitum agmina, ſe accuratiùs ad tam acres impetus propulſandos inſtruere.Mandat in primis ſupremo ſtatori à Magiſtro, vt omne ſuum ſtudium,induſtriam, atque operam collocet in id,vt Monterchio aliquod validum ſubſidium inducat: quo ſi hoſtis potiretur,non in Anglarium ſolum, ſed etiam in totam Etruriam illi patebat excurſus. Verum inanis eſt omnis induſtria,& diligentia,vbi ignauia, metuſque imperat. Oppidi præfectus, quamuis efficacibus literis ſæpius monitus fuiſſet, vt ad mortem vſque, & quam diutiſſimè poſſet,hoſtes arceret; breui affuturum ſubſidium,poſt ſeptem obſidionis dies ſe,præſidium, atque oppidum illorum permiſit arbitrio.

Pontificij Etruriæ minantur.

Pontificij Etruriam adoriũtur.

Pitiliano.

Anghiari.

Pontificij Monterchiũ obtinent.

Princeps Mathias decuſſis ex Piſtorij montibus Pontificijs, non tamen minaces armorum turbines in Senarum perniciem ſe ſe glomerantes, imminenteſque diſiecerat. Alia Pontificiorum agmina vaſtitatem illis terrarum tractibus intentabant. Quocirca ſupremo Statori Strozzio imperat, vt quàm celerrimè poſſet, Petiliam ſubſidio feſtinans Cardinalis Barberini conatus,Etruſci obiectu agminis fruſtret; dum ipſe breui cum cæteris copijs Radicoſanum properaret, inde quò belli neceſſitas accerſeret accurſurus.

ſurus. Borrus verò ne tot, & tam validis hoſtis in Etruriam impreſſionibus Etruſcos territos deſpondiſſe animos, immo audaciores in bella conſurgere demonſtraret: ad Peruſiam in Pontificij exercitus conſpectum copias adduxit, tormentorumque miſſilium crebra iaculatione Principem præfectum laceſſit ad pugnam: quamuis fruſtra, ſe hoſte intra munimenta continente. Tres Epirotarum equitum turmæ, quæ Etruſcum exercitum præcurrebant; in totidem moſchettariorum equitum poſtremi agminis Pontificij exercitus turmas incidentes nulla eas mora commiſſa pugna, fuderunt, triginta in caſtra captiuis abductis. Præfectus cuius ſpes Etruſcorum audacia fefellerat; quos à tam firmis Pontificiorum agminum incurſibus latibula timidos quæſituros putarat: poſitis in equiori propè Peruſiam ſitu caſtris, vt tutior ab hoſtium aſſultibus, eorum minas ex tuto rideret; ſupernèque vtiliora proſpectans eò agmen immitteret, quò incumbentis hoſtis impetus, ac pericula euocarent. Iuſſit quoque in vrbem tormenta trahi, parte, etiam copiarum inducta, vt quidquid fortuna ferret: tanti momenti vrbs à tam feroci, propinquoque hoſte validiùs muniretur. Chiliarchus Longauallis cum equitibus Epirotis, & Germanica turma poſtremi Pontificij exercitus agminis tergis ferociter inſtans aliquot milites carpſit. Poſtera die Borrus circum vrbem agmine ducto ſpectantibus è mœnibus ciuibus, impauidam Etruſcorum audaciam, ad Diui Petri portam Mõtem Cornu ſubijt: vbi Pontificij in eminentioribus locis caſtra munierant, in omnes hoſtium motus, & conatus intenti; iuſſis extra munimenta aliquot electiorum equitum turmas excubare; in quas inuecti acriter equites Epirotæ Germanorum loricata turma eorum latera firmante, cruentiſſimam pugnam cient. Tum enim verò Peruſinorum virtus, quò potentiùs oppugnata, eò clarior emicuit, iniecitque militibus mercède conductis pudorem; qui paruo Marti deuotas animas pro aliena cauſa profundunt. Pontificij, ne ab æquioribus locis Etruſcorum incurſibus pellerentur, miſſilium tormentorum iaculatione ab aſcenſu deterrent; quorum pulſibus, ac fragore Etruſcus territus equitatus conuerſis habenis per prona montis decurrere cœpit ea ſpe hoſtem recedentibus inſtaturum.

Princeps præfectus Peruſiam munit.

Inter Pontificios, & Etruſcos pugna.

Quare Borrus aliquot moſchettariorum cohortes ad vtrumque viæ latus in inſidijs locat: cum duodecim minoribus campeſtribus tormentis, vt victoriæ calore in prouehentem ſe ſe incautiùs hoſtem hinc, indè contorto telorum nimbo confoderent. Verum continuere gradum Pontificij hoſtem tantum ſummouiſſe contenti. Borrus cum neque aſſultibus, neque ſpe oblata victoriæ ex ſuis ſtationibus hoſtem poſſet eruere; tormentis illum inceſſere ſtatuit, & iam noctis cadentibus tenebris horribili fragore tormentis excuſſa fulmina tonuerunt. Crebra intermicantia bolidum, flãmarum, iactuum fulgura nocturnos horrores adeò illuſtrabant; vt bellicis ignibus toto coruſcante monte cuncta clariora die fulgerent. Cardinalis Barberinus ijs tormentorum fragoribus martio ardore exæſtuans pugnã anhelans, metus, ignauiæq; dedecus ſuis ducibus obiectabat, quòd nimium meti-

meticuloſi hoſtibus militum numero validiores ſe intra munimenta, vrbiſque mœnia tenerent; moræq; impatiens vrbanas copias nocte inſtruit in pugnam, eductiſq; ex vrbe, oppugnandi hoſtis occaſioni imminebat. Borrus noctu excubans varia, quod magni Duces vicino hoſte ſolent, imperatoris munere, curaque ſubijciente conſilia, ſolicito verſabat animo; quanam ratione Pontificios extra munimenta ad certamen trahere poſſet; atque in id quaſdam peditum cohortes in monte reliquit, iuſſas ad primos hoſtis impetus ſimulata ſe fuga, metuque recipere: cuiuſdamque vicini pars ſaltus ſucciſis arboribus complanati; vt illàc alæ ſiniſtræ equitatus expeditior, ac liberior excurreret; reliquum agmen obiecto hoſtibus colle tegente, eo vafro conſilio, vt hoſtem Etruſcis peditibus quaſi fugientibus inſtantem ex improuiſo in eius latera, & terga incurrens equitatus concideret. Sub orientem itaque ſolem impedimenta prius, deinde tormenta iter præcipere iuſſit: aliquot libratis in acie, in quam cæteras copias eduxerat: mox imperat, vt illæ cohortes ad eliciendum è munimentis hoſtem in monte Cornu relictæ ſe paulatim denſatis ordinibus recipiant. Vix Etruſci retulere pedem, cum aliquot moſchettariorum equitum turmas, loricatâque alam Pontificij Duces in recedentes immittunt: qui tam feroci incurſu in Etruſcos incubuerunt: vt illos aut verſa facie ſiſtere nutantem aciem in pugnam, aut terga vrgentibus dare compulerint: ſed duarum loricatorum equitum turmarum Etruſcæ cohortes ſubſidio firmatæ ſtetere impauidæ hoſtium impetum inclinatis haſtis exceptturæ. Sed quamuis Imperialis ſupremus caſtrorum præfectus à Cardinali Barberino acribus obiurgationibus carperetur; immo conuitijs propè laceraretur, quòd cum hoſte non vniuerſa acie confligere auderet: ipſe tamen Cardinalis acerbis cauillationibus obſurdeſcens ex bellica diſciplina, militarique peritia prudenti conſilio ſuos continuit, ne temerè in hoſtes procurrerent: quòd eo Etruſci exercitus circum vrbis mœnia ductu, non recipere ſe hoſtis, ſed pugnam cupere putandus eſſet; ac proinde non eſſe militaris prudentiæ ex hoſtis arbitrio, votoq; pugnare; quare ad primos ſe ſe inuicem oppugnantium impetus, non ſolum reliquū agmen cohibuit, ne in certamen irrueret; ſed etiam ab ipſo pugnæ feruore ſtrenuè dimicantes cohortes abſciſſis iuſſibus reuocauit: quibus inſequens hoſtis non exiguum intulit damnum; Borri artes, atq; aſtus eludens, manifeſtæ cladis periculo à Pontificijs copijs ſua prudentia depulſo. Borrus itaq; animaduerſo Pontificios ſalubri conſilio nolle à munimentis, æquioribuſq; locis longè diſcedere, nec vllo vaframeuto è caſtris ad pugnam elici poſſe, in Etruriæ interiora ſeceſſit.

Pontificij Etruſcos innadunt.

Imperialis Ducis prudentia.

Etruſci ſecedunt.

Magnus Dux cum vndiq; ſe varijs hoſtium agminibus premi, Etruriamque Pontificijs copijs obrui ſociorum nemine ſibi auxilium ferente, conſpexit: immo illos ceſſare inertes, nec vlla in Pontificias ditiones facta impreſſione, grauem ſibi imminētem hoſtem auertere: Venetam Rempublicā ſummis precibus orat, vt valida peditum, equitūq; ſubſidia Mutinēſi Duci ſubmit-

Magni Ducis de cæteris fœderatis querela.

ſubmittat; quibus ille firmior, in Bononienſem agrum inuectus Valenzei turmas à Piſtorij male tentata oppugnatione reduces, poſſet obterere. Se vnum ex fœderatis eductis in bellum validioribus,quàm ex fœderis legibus teneretur,agminibus,hoſtem inceſſere,ſocialiumque armorum decus,atq; exiſtimationem adacto ad Pontificij dominatus viſcera telo, fortiter, ſtrenueque fulcire;alijs quoque ſuas partes implendas,conuentaque in fœdere obeunda;ne in ſe vnum totius Pontificij belli reuoluta moles Etruriam opprimat. Reſpublica iuſtis Magni Ducis querelis,ac precibus victa imperat Iuſtiniano,vt coactis ex Rodigio, Vicoque Varonis, atque alijs Policinij locis in vnum agmen peditum cohortibus, atque equitum turmis, in Ferrarienſem agrum moto,aliquid Reipublicæ dignum exiſtimatione moliatur. Ille vrgentibus Reipublicæ iuſſibus excitatus Lacus obſcuri propugnaculi oppugnationem decernit: eductoque ex caſtris exercitu,recta compoſito agmine,ad propugnaculum tendit. Venetos proceres,patritios,ordineſq; omnes animoſa ſui Ducis decreta expeditio lætitia perfudit: quòd rubiginem tandem ex Venetis armis ſitu marcentibus Iuſtiniani animoſitas Ducis abſtergeret.Sed vix in propugnaculi conſpectum venit,illius munimenta, aggeres, loricaſq; accuratè contemplatus ijſdem ordinibus inſtructas, eademq; via copias in caſtra reduxit.

Figarolo.

Veneti in Ferarienſē agrum mouent.

In vna igitur Mutinenſis Principis virtute,ardoreq: bellandi Magni Ducis ſpes omnis ſita erat; quòd ille facto identidem in Bononienſem agrum impetu,hoſte belli terrore intra mœnia, ac munimenta compulſo, egregiè conceptæ de ſua virtute opinioni,amiciq; Principis deſiderijs reſponderet. Verum illius quoque pugnandi cupidinem Pontificiorum ſeu metus, ſeu virium imbecillitas morabatur: cunctatioque hoſtium pugnacis Ducis virium,animorumque vigorem elidebat.Flaceſſit enim,hebetaturq; viuidum bellantium robur cauta hoſtium inertia intra munimenta ceſſante. Quare cum neque eos inuadendi copia fieret; nec captarum arcium præſidia,aut agmina expedita in armis,ſine maximis impendijs ali poſſent:& iam appetente bruma,in hyberna eſſent deducenda. Dux Mutinenſis occupata loca mœnibus, & propugnaculis nudare conſtituit; ne præſidia repentinis hoſtium impreſſionibus obnoxia, aliqua fraude, aut inſidijs intercepta perirent.

Dux Mutinenſis occupata oppida munimētis nudat.

Per eos dies Cæſar Oddus cum peditum mille, & equitibus ducentis à Cardinali Rapacciolo Petiliam iuſſus erat inuadere. Ille oppido admoto agmine,libratiſque tormentis mœnia quatere frequenti pilarum iaculatione inſtituit. Petrus Griſonus caſtrorum præfectus ingentis,pugnaciſq; animi Dux non contentus murorum ſarcire ruinas, in interiori pomœrio deprimere foſſas, aggeres obmoliri, ac receptacula condere; in Pontificios, quoq;erumpere deſtinabat; vt illos à dando in mœnia impetu deterreret. Regiæ quoque viæ pontem ad oppidi portam ferentem dirui iuſſit, vt hoſtem quàm poſſet longiſſimè à mœnibus ſummoueret. Oddo quoque ſe ad deditionem faciendam ſæpè per caduceatores tibicines inuitanti feroci

Pontificij Petiliam inuadunt.

reſponſo

reſponſo obnuntiat ſe illius inuitamentis nō comiter, & humaniter, ſed miſſilium iactibus reſponſurum: non verborum lenocinijs, ſed armorum violentia oppidum eſſe capiendum. Pontificij igitur ſpe deditionis abſciſſa aggreſſi ducere aggeres, vallumque figere; paulatimque pluteis ad mœnia promotis in ipſo viæ, arciſque foſſæ labro nequicquam moſchettarijs telorum effuſa in ſubeuntes grandine prohibentibus hoſtis acceſſum, tormenta librant. Nulli eos pluuij ignes, & bolidum, flammarumque iactus, quibus ſuccedentes obruebantur, Pontificios deterruere; quominus ad foſſę vſque marginem vineas admouerent: qui & tormentorum pulſibus, & crebro in mœnia impetu, & bombarum iaculationibus nō tecta ſolum, ædesq; ruebant: ſed etiam oppidanos continuo præſentis mortis horrore quatiebant. Viciui tamen ſubſidij ſpes tantis vndique malis vrgentibus, propugnatores animabat. Princeps enim Leopoldus Senis popularium delectus ſolicito tympanorum claſſico congerebat; vt ſtatim ac Strozzius cum ſuo agmine aduenisſet, ſociatis viribus per medias hoſtium ſtationes in oppidū ferro ſibi panderent viam: dum aditum ſibi molientibus Etruſcis, obſeſſi quoque valida in hoſtem facta eruptione medios interceptos conciderent. Strozzius ſuos ſub ſuis quæq; ſignis duo peditū millia, & equites ſeptingentos luſtratione recenſuit; quibus erant Chiliarchi Tadini, & duæ Loricatorum equitum turmæ à Veneta Republica in Etruriam ſubſidio miſſæ iungendæ. Strozzius Sorianum prouectus de ſuo aduentu certo nuntio Griſfone admonito, qui per eundem extemplò remiſſum Strozzio ſignificat, ſe ex Souana porta animaduertiſſe hoſtem equitum, peditumq; ſtationes vna iunxiſſe: ex quo, quantum coniectura aſſequi poterat; coniectabat, velle ab ea obſidione diſcedere; cuius rei ſe vnius tormenti diſploſione inſigne facturum; ſin continuaturi eſſent obſidium, duo tormenta emiſſurum. Oddus accepto nuntio, Strozzium Sorianum vſq; profectum de inducendo vel ſe inuito, in oppidum ſubſidio animoſa conſilia agitare; optimum factu ratus, ſi deductis ex omnibus ſtationibus cohortibus, & turmis, obſidio ſoluto, inuenientem hoſtem conuerſo impetu, eius deſtinata præuertens audaci facinore nihil huiuſmodi opinantem opprimeret; Caſonis occupato loco, vt liber aduehendis commeatibus aditus foret; in hoſtem ferociter vadit. Verum Strozzius qui eodem tempore, & oppido ſubuenire, & hoſtem ab ea obſidione decutere deſtinabat: iuſſit ſupremum vniuerſi Meazzij equitatus conquiſitorem cum ducentis moſchettarijs, & duabus equitum turmis Caſonis ſtationi ſuccedens inde hoſtem protinus deturbaret: qui in Pontificios acerrimo impetu inuectus facili Marte locum obtinuit hoſtibus cæſis, aut captis. Oddus infelici territus ſuorum euentu copias mille paſſus Petilia reduxit: cuius abſceſſus tormentis diſploſi fragore ex condicto monitus Strozzius illicò pedites quadrato agmine cum duobus campeſtribus tormentis ad quorundam ſaltuum exitus in aciem inſtruxit; iuſſo Meazzia cum ſuis turmis propius hoſtem pleno gradu contendere. Oddus ad hoſtium acceſſum ingentia equitū agmina in fronte prætēderat: eorum

Pōtificij Petilia recedunt.

duabus

duabus peditum legionibus firmantibus terga; ponè quos reliquæ copiæ cum quatuor tormentis erāt in pugnam in ſuis ordinibus expeditæ. Meazzia Strozzij iuſſu adeò vehementi impetu in equites Pontificios inuehitur; vt ipſo incurſu loco pulſas in turpem, effuſamque fugam nullo tentato certamine, diſſiparit; qui in pedites agmine recumbente, ſolutis, diſiectiſq; ordinibus aciem ita turbarunt; vt patens vndique peditatus Etruſcorum incurſu ferè omnis obtritus, proculcatus perierit. Tormenta omnia, ſarcinæ bellici commeatus in victoris poteſtatem venere; omnia ſigna capta; vix à clade celeri fuga Cardinali Rapacciolo, & Cæſare Oddo in Valentanum nullis mœnibus ſeptum, nec præſidio firmum elapſis. Interim ad Peruſiam non otioſa Pontificia arma torpebant; ſed varijs motibus alijs, atque alijs partibus belli fulmen minantia ita Etruſca agmina diſtinebant; vt ea nihil aggredi, moliriue ſinerent. Idcirco eorum inſidias noctis oculentibus tenebris, Diui Æneæ caſtrum applicito aſtiocho repentino impetu occupare tentarunt; ſed in omnia Pontificiorum conſilia, deſtinataque ſolicitè excubante præſidio, excepti ferociter haſtarum cuſpidibus re infecta eluſis inſidijs, bene mulctati in caſtra redierunt. Imperiali repudiato armorum imperio, Peruſia in Patriam profecto Demarchus Aloyſius Matthæus, qui in Inſubribus hactenus armis præfuerat, ſuffectus eſt. Inclinante in hyemem tempeſtate aſſiduis ruentibus è cęlo imbribus madida, ac lutulenta, Etruſci in aliqua vberiora hyberna in hoſtili ſolo concedere deſtinabant; quando Peruſienſis ager populantium incurſibus direptus, vaſtatuſque nec militibus commeatus, nec equis pabulum ſufficere poterat. Princeps igitur Mathias circum Tifernum in feracem agrum copias effundere ſtatuit; eo conſilio, vt in Tyberis litore libratis tormentis, obiecta vrbis mœnia frequenti globorum iaculatione dirueret; quo milites tranſmiſſo flumine per ruinas in vrbem deiectis propugnatoribus eniterentur. Sed magis in dies ſæuiente hyemis rigore, omnibus circum Peruſiam occupatis locis, præſidio firmatis, Aretium copijs adductis, ibi ſuum fixit prætorium, equitatum in varias ſtationes partitus, quò expeditior eò accurreret, quò Pontificiorum conatus irrueret. Peruſini ciues graue nimis bellum ex ſuis finibus excutere cupidi cum ad calamitates ab hoſte ſibi illatas, amicorum quoq; militum acerbitas adderetur, pariq; aſperitate ab auxiliaribus agminibus vrgerentur: ita malorum impatientia fremebant peſſimè à ſocijs habiti, vt ex bellicoſæ gentis ingenio, iniuriarum impotentes Romanis proceribus dubiæ fidei viderentur.

Etruſci Pontificios inuadunt, & fugant.

Pontificiorũ inanis conatus.

Imperiali Matthæus ſubſtituitur.

Cita di Caſtello.

Etruſci in hyberna diſcedunt.

Peruſinorũ ciuium calamitas.

Fœlicibus ſuorum armorum ſucceſſibus lætus Magnus Etruriæ Dux Venetam Rempublicam iterum ſolicitat, vt maioribus viribus acriores animoſiùs renouent bellum, atque ſubmiſſis in Etruriam auxilijs ſuos conatus, conſiliaq; ſecundet: breui, ſi paululum adnitantur, bellum cum vberrimo Fœderatorum Principum fructu profligatum iri. Sed Reſpublica: quam neſcio, quæ occulta vis fati in id bellum traxerat inuitam: ægrè illud cum tantis incommodis, & impendijs nullius ſpe fructus continuabat: vereba-

Magnus Dux Venetos ad bellũ ſolicitat.

reba-

Digitized by Google

rebaturque ne Magnus Dux pacem reſpueret, vt bello parta ſeruaret; quæ alijs temporibus ſibi polliceri non poterat: videbatque cæteros Fœderatos eius ſeu pacẽ volentis, ſeu damnantis arbitrio acquieſcere coactũ iri. Quocirca Reſpublica ne diuturno, inutilique bello immo maximè pernicioſo, ſe tenaciùs implicaret: ſuos ſenſus maturiùs, quàm cupiebat, aperuit, nihil aliud ſua arma contendere, neque aliò collimare: quàm vt Caſtrum Parmenſi Duci redderetur; quo à Pontifice, ſeu vi, ſeu tranſactione expreſſo, ſe bello poſito quieturos. Non parum Fœderatos Principes, Rempublicam præcipuè ad pacem ſeuerum Cæſaris edictum proclinauit; quo exilij pœna ſanciebatur, ne quis Imperij vectigalium in Italiam ad bellum tranſirent ſine facultate à ſe, aut ſuis miniſtris ſcripto obtenta: cum Germani milites authorari, aut ſtipendijs conduci non poſſent: quorum virtute, ferociaque totius fœlicis ſpes belli exitus nitebatur. Dux tamen Mutinenſis, vel ceſſantibus Venetis, ſerio pro virili parte bellabat; compertoque ex varijs coniecturis Creualcorium facilè repentino impetu intercipi poſſe: Commendatori Panzettæ imperat, vt peditibus trecentis, & equitum globo oppidi mœnibus alto ſilentio ſuggreſſus oppreſſo ſubita impreſſione præſidio, loco potiatur. Ille ſub tertiæ noctis vigiliæ finem ad foſſæ marginem nullo obuio, præter pauculos vigiles, quos ferro occupatos oppreſſit, tacito agmine vſque prouectus, dum vigilum morientium vocibus, & ſcloporum ſtrepitu exciti è ſomno oppidani, & præſidiarij ad arma diſcurrunt; ſe ſe foſſæ ſaltu librauit in aquas ante prima ſigna, & militum ordines vadens, cæteroſque ſuo, vt idem auderent, animauit exemplo; nec mora nemine obſiſtente in munimenta alij alijs innixi tranſiliunt, elatiſque vocibus vita Duci Mutinenſi inclamant: quibus clamoribus attoniti, territique præſidiarij vix aliquam auſi pugnam turpi fuga oppidum hoſtibus diripiendum deſeruere. Tum militum inſana habendi cupido potuit prædis, & ſpolijs ad vota impleri. Octo horas per ædium receſſus, domorumque conclauia peruagata militum auaritia ad ſatietatem inſontium fortunas populata eſt: nulla ſeruandi oppidi cura militari diſciplina in tanta rapiendi licentia contempta. Celeri nuntio Venetias miſſo, patres illos Dux Mutinenſis de proſpero ſui conatus euentu monuit; quo illis animos faceret, vt eadẽ ipſi quoq; ſuis validis viribus tentarent. Verum breuis admodum occupati oppidi exultatio, eorũ internecione, qui illud interceperãt, funeſtata. Veritus enim Cardinalis Antonius ne Fœderati ei inſidentes loco ſibi ad maiores progreſſus ſternerent viam, atque in agrum Bouonienſem copijs inductis, ipſi vrbi terrorem afferrent; generoſo conſilio Codreo imperat, vt actutum Mutinenſes de eo oppido deturbet. Cui pronum fuit illius muris accedere nullo agmine ex militari diſciplina per agrum equitãte, omnibus in auehẽdis prædis, ſpoliãdiſq; ędibus, neglectis ſolitis cuſtodijs, intentis. Quamobrẽ potuit ſecuro gradu agmen oppido circũfundere; atq; per otiũ in munimenta nemine repugnãte adrepere. Ad enitentiũ in mœnia ſtremitum Muti-

Venetæ Reipub. ſenſus de bello proſequẽdo.

Creualcore.

Mutinenſes Creualcoriũ inuadunt, & occupãt.

Pontificij Creualcoriũ armis repetunt.

Tt nenſes

nenſes relictis prædis accurrunt, adeoque forti, audacique pugna irruentes excipiunt; vt præcipites per aggerum prona reuolutos hoſtes celeriori, quàm venerant gradu, abire compulerint: cum equites vehendi in tutum cupidi prædas ſe ex portis demiſſis pontibus omnes effundunt; per quos Pontificij in oppidum inſtructis ordinibus inuecti pedites repentino attonitos caſu, vel abiectis armis precarium ſpiritum ſubmiſſis precibus orantes obtruncant, Ducibus, copiarumque miniſtris nobilioribus captis. Codreus paria bellicæ partæ exiſtimationi, ac gloriæ ſpolia adeptus oppidum firmioribus propugnaculis, validiorique præſidio muniuit.

Mutinenſes caeduntur.

Fœderatorum Principum cum Pontificijs varia fortuna luctantibus armis, Cardinalis Bichius ſanciendæ pacis, extinguendiq; pernicioſi belli cupidus flammas cũ Summo Põtifice Romæ, cũ Barberinis fratribus ſedulus agebat, vt aliquid de ſuo iure decedentes remiſſiori ira, ac mitioribus animis diſſidia cõponerent. Verũ Barberini tãta in peracrẽ hoſtẽ Magnũ Ducẽ erant indignatione ſuccenſi; vt omnem pacis mẽtionẽ obturatis auribus reſpuerẽt, donec tot ſibi inflictas clades, aliquo illi fœlicis fortunæ euentu reponerent. Idcircò Etruriã omnẽ tot effuſis agminibus obruerãt: quò tot incuſſis hoſtili terræ belli fulminibus, aliquod impacto vulnere ferirent. Verum ſemper compertum eſt inauſpicata ſacerdotum arma infœlices ſucceſſus habuiſſe; quod adeò non tot Pontificiorum validæ copiæ in Etruriam immiſſæ aliquam acerrimo hoſti cladem intulerint, vt etiam ipſæ alias, atq; alias acceperint. Poſt fuſum tamen ab Etruſcis ad Petiliam exercitum, remiſſa aliquantum ferocia, Barberini non ita pacis tranſactiones iratis animis auerſabantur: quamuis indignabundi fremerent, quòd non aliquam victoriam adepti æquiorem, melioremq; ſui conditionem feciſſent. Cardinalis Bichius acrior in dies conſtituendæ pacis negotio inſiſtens cum trahi moras, nouaſq; ſubinde difficultates interijci à Cardinali Barberino conſpiceret; liberioribus vocibus acerbas iratè querelas ingeminans pronuntiauit, *illius tantum cauſa fieri, vt non optata pax alijs omnibus aſſentientibus pangeretur*: immo quia ſolus inter tot Cardinales Barberini votis, ac poſtulatis obſtiterat, ne ex Adriani mole pecunia in belli impenſas extraheretur; quòd æquum non eſſet, cum de pace ipſe tranſigeret, bellicos apparatus expediri, cogiq; in militum ſtipendia pecuniam: ne Romani proceres, ſacratiq; cydares, quibus erant ex ſacerdotalis pietatis officio pacis ſancienda fœdera, chriſtianoq; orbi tranquillitas inducẽda, cruenti Martis lanienæ horrores cupere viderentur: adeò à ſe, Fratreq; ſuo Cardinalis Barberini animum alienauit: vt ipſis diffidens eorum, quoq; aſpectum grauaretur. Pontifex tamen illum ad auditum libenter admiſſum de pace agentem, differentemq; pronis auribus audiebat, ſuaq; animi ſenſa, aperuerat: ſe, quamuis contra aliqui Principes ſuaderent; nolle Caſtrum depoſitum, ſed Parmenſi Duci redditum velle, dummodo ille poſita animi ferocia, ſe domino humilis ſupremo ſubmitteret: ſe nec vllum de alieno cupere terræ pal-

Cardinalis Bichius pacem componere ſtudet.

Inauſpicata Sacerdotum arma.

Cardinalis Bichius Barberinis inuiſus.

Vrbani Põtificis abſtinentia.

palmum: hanc ſui animi moderationem, temperantiamque ipſum Cardinalem Bichium poſſe teſtari, cum à ſe Galli Regis, omniumque Gallorum procerum nomine poſtulauit; vt Thadęo Barberino nepoti ſuo Vrbini dominatum iure beneficiario concederet: abſtinuiſſe ſe huiuſmodi conceſſione, ne Pontificijs ditionibus ſuos nepotes contra ſuperiorum Pontificum ſanctiones velle ditare videretur. Queri tamen ſe iuſtiſſima expoſtulatione; quòd ita facilè contra Apoſtolicam Sedem Itali Principes fœdus inierint: cum à Pio Quinto in Turcarum Regem tum formidandis viribus vaſtitatem, & compedes toti Chriſtiano orbi minitantē ad ſacrum bellum concitari ægerrimè potuiſſent. Grauioribus curis eius coquentibus animum hęc eius querula, mæſtaq; vox à ſuis fidis excepta. Noſtri Nepotes noſtra conſilia non æſtimant: noſtra authoritas nihil ab illis penſi habetur: at hoc ipſi viderint, ſuo malo diſcent; iuſſitq; ſacroſanctum Chriſti corpus in omnibus baſilicis ad propitiandum Cæleſte Numen, impetrandamq; pacem pijs ciuibus ad adorandum proponi. Non deerant aliqui turbidioris ingenij, qui æterna cum Fęderatis Principibus diſſidia, ſimultateſq; cupiebant: qui aſperis conſilijs Pontificis animum in illos ira ſuccenderent, eorum iacta in Barberinos conuitia, cauillaq; identidem criminando: fœliceſque in hoſtilibus terris eius armorum ſucceſſus, fructuſq; mentiendo; vt illum ad proſequendum in Fœderatos bellum imflammarent. Verum Cardinalis Bichius mendacium dolis, artibuſque retextis, vera ex fide Pontifici aperiens fraudolenter impreſſam ſuorum armorum exiſtimationem, & gloriam ab eius mente delere, atque auellere conabatur. Nulli rei difficilius, quàm veritati ad Principes aditus patet: circumſidentur aſſentantium, adolandientiumque cętibus fores, qui nullo triſti nuntio eorum animos ſuſtinent acerbare. Quare Pontifex cognitis adulantium mendacijs, libenti animo pacem amplexurus videbatur, vel Nepotibus obnitentibus: qui ægerrimè Caſtri reſtitutioni acquieſcebant; quod in eo acquirendo, muniendoq; aliquot decies centena aureorum millia profudiſſent: ingenuaq; ſui ſenſus confeſſione Cardinalis Barberinus affirmabat, ſe iniquiſſimo animo pati Caſtri reſtitutionem: omneſque ſuas vires in hoc, conatuſque impenſurum, ne illud oppidum, per quod tanti belli exarſiſſet incendium, è Pontificis manibus excuteretur; ſed quando ita ſuperis placuiſſet; ſe neceſſitati, quamquam inuitiſſimè obſequuturum. Cardinalis Bichius, vt malignè ingeſtam quorumdam mentibus opinionem aboleret, ſe Romæ de alio cum Pontifice, quàm de pace tranſigere, ſeq; à Gallo Rege, purpuratiſque aulæ in Italiam ad concilianda Principum cum Pontifice diſſidia miſſum, conſtitutæq; pacis gloriam cupere Galliam: Roma diſcedere ſtatuit; vt ex tranſitu magni, quoque Ducis animū tentaret: an eſſet ad pacem cōponendā propenſus; quem de hac re ſerio alloquutus non alienum ab amplectenda pace præter ſpem reperit: quem armis, belloq; ſuperiorē, & fęliciorē auerſaturum putaſſet: ſed longiores pertæſus moras, aut celeriter pangendam pacem, aut ardenter proſequendum bellum aiebat: ſe ad vtrumq; expeditum.

Eius querula voces, & pietas.

Veritati ad Principes non patet aditus.

Cardinalis Barberini voces.

Tt 2 Dam

Digitized by Google

Dum in hybernis fremente ſolitis imbribus, ac rigoribus hyeme, arma ſilent, non tamẽ frigidæ tẽpeſtatis horror ita intra ſtatiua milites cohibet; quo minus ſibi inuicẽ Pontificij, & Etruſci vagis agminibus inſidientur. Illi ante Auroram tacito agmine Monti Coloniolo ſuggreſſi magni momenti oppido, ſulphureatum glandium excuſſo è maioribus ſclopis nimbo, ſibi viam ſtruere nituntur, vt admoto portæ aſtiocho, illiuſq; proſtrata impetu aditum in oppidũ moliantur: ſecũ quoq; ſcalas attulerant, vt pugnante in portæ veſtibulo præſidio applicitis mœnibus in oppidũ tranſilirẽt; ſed à Laurẽtio Bernardo pręſidij pręfecto, militũq; virtute cũ cæde repulſi Põtificij iterũ validiori peditũ, & equitũ agmine, cũ duobus muralibus tormẽtis regreſſi oppidum violẽtius oppugnãt: ferociq; dato in mœnia impetu, in muri loricam eniti conantur; ſed non minori virtute, à præſidiatijs excepti rurſus è mœnibus inflictis vulneribus deturbantur. Quare illius ſpe oppidi potiendi prorſus amiſſa, aliò conſilia, atque arma conuertunt. In Petiliæ agrum inducto agmine, dum animis pendent in quam potiſſimum partem daturi impetum forent; aliæ turmæ Peruſię egreſſę in diui Martini oppidũ Etruſco pręſidio defenſum incurrunt: quo ſtatim deiecto, loco potiti Preggium quoq; eodem impetu recipiunt. Princeps Mathias animaduertens Põtificiorũ eſſe cõſiliũ eo agminum circumductu, vt paulatim amiſſa loca recipiant. Comiti a Magiſtro imperat, vt luſtratis Etruſcorum circa Peruſiam ſtationibus, actutum cũ valido agmino properet, atq; è Diui Martini oppido Pontificios repentina facta in muros impreſſione deturbet. Abijt ille non tam virium robore, quàm Etruſcorum fatali armorum fœlicitate ſubnixus, ac facili marte oppidum decuſſo inde hoſte, recepit.

Põtificij Coloniolũ intercipere tẽtant.

Pontificij à præſidiarijs pelluntur.

Etruſci occupatum Diui Martini à Põtificijs oppidũ recipiunt.

Interim Fœderatorum Principum rerum arbitri legati frequenter in Veneti Principis ædes de bellicis negotijs conſulturi coibant. Res magis ad bellum, quàm ad pacem ſpectare videbatur: cum ad renouandum acriori impetu bellum Heluetiorum legiones, Germanorumque cohortes conducere decreuiſſent. Nec ſegniùs Pontifex ſe ad illud propulſandum expediens ex iiſdem gentibus authorari agmina iuſſerat, atque ad ea in Latium deducenda per Inſubres tranſitu ab Hiſpanis quamuis comite à Rocca acriter obnitente, exorato, eorum cupidè præſtolabatur aduentum. Sicuti Fędérati per Rhetorum valles, & montes Heluetijs cohortibus ab ijs Pagis in Italiam aditum poſtulauerant. Gliſcentibus bellici turbinis iris, mutuaq; ſibi minitantibus fulmina, Cardinalis Bichius enixiſſimè contendebat, vt diſcuſſa in liquidum aerem tenebroſa procella, pacatis Principum animis, diſſidia ſublatis ſimultatibus, conciliaret. Poſt obita Romæ apud Summum Pontificem, & Barberinos officia Magnum Etruriæ Ducem adierat monitis, precibus, flagitationibus pacis ab eo deſiderij ſenſum expreſſerat. Supererat Veneta Reſpublica expugnanda, cuius cum Magno Duce potentia totius belli vis, momentaque nitebantur. Aduolat itaque Venetias: adeunti obuiam ex vrbe ſplendidus purpuratorum patrum comitatus effunditur ad officium, atque à Principe omni-

Pontifex, & Fœderati ſe acrius ad bellum expediunt.

Cardinalis Bichij in pãgenda pace ſolicitudo.

Cardinalis Bichius Venetias contendit.

Digitized by Google

omnibus honoris, ac venerationis, cultuſque ſignificationibus excipitur: fuͤctuſque verborum obſequijs, quibus inuiſentes ſe Principes viri mutuò ſe colere ſolent: adiecit, *ſe Gallli Regis iuſſu, omniumque Regiæ aulæ purpuratorum conſenſu in Italiam pacis ſequeſtrem veniſſe, vt hæc vniuerſa miſcentia bella componeret: ſubtractaque bellicis incendijs diſſidiorum materia, bellantium Principum æterna conſtituta pace iungeret dextras: ereptum Parmenſi Duci à Pontifice Caſtrum Italos Principes mutua fœdera ſancire coactos in arma rapuiſſe; idem ſuo Principi redditum, quando nihil aliud tot ſtrepentia contenderent arma, illudque vnum bello repeterent: iratos pacare animos debere, bellumque comprimere: ſe inſtante, precante, omnibus admotis officiorum, obſequiorumque machinis à Pontifice extorſiſſe reddendi Caſtri pollitum; obſtrictamque Gallo Regi fidem fallere ſine acerbioris concitandi in ſe præpotentis Principis belli diſcrimine non poſſe; id armis Gallum Regem vindicaturum; quando Pontifex promiſſa non impleret: ſed nemini verendum eſſe, quin Pontifex cupidus pacis, reddito Caſtro, tot incendiorum cauſam ablaturus eſſet: propenſum quoque Magni Ducis animum ad pacem ex eius alloquijs comperiſſe: Mutinenſem Ducem illius Reipublicæ ſenſa, conſilia, decretaque ſequuturum. Parmenſem Ducem ſuo damnatum voto diſceſſurum ab armis, quòd nihil aliud quam Caſtri redditionem inſtaret: expectari tantum Reipublicæ decretum, cui cæteri Principes fœderati erant aſſenſuri: ſe inanem operam putare ſapientiſſimis Patribus diuturna rerum experientia, ſuperiorumque temporum euentis edoctis pacem ſanciendam ſuadere; pro qua conſtituenda ab ijs ipſis, atque ab eorum maioribus tantopere laboratum eſſet: nullam ſalutem afferre bellum, immo clades, calamitates vtrique bellantium parti ſæpius infligere: vectigalium cæde, agrorum populationibus theſaurorum profuſione, fortunarum ruina, emi ditionum excidia: ſi pro Caſtro aſſerendo in bellum proſilierunt; ſi hic erat eorum ſenſus armorum, ſuſceptique belli ſcopus, & meta; eo proprio domino reſtituto, diſſidiorum cauſa ceſſante, eſſe quoque armis abſiſtendum.* Inter varias ſententias anceps Reſpublica fluctuabat: feroculis, & turbidis bellum proſequendum ſentientibus, grauioribus verò, ac prudentioribus pangendam pacem ſuadentibus. Sępius efficaci oratione, atque ardentibus monitis Bichio Cardinalis Barberinus Roma abeunti inculcarat; ne quid à Pontifice præter Caſtri reſtitutionem contendi à Fœderatis Principibus pateretur: vt huic vni acquieſcerent, ſolaque contenti ponerent arma, omni ſtudio curaret. Ille iampridem has pacis conditiones Fœderatis Principibus tulerat; quas à Pontifice quoque probatum iri ſperabat; cum eſſent huiuſmodi, vt illis vtriq; aſſentiendum foret.

Vrbs Caſtrum, omniaque bona publicata, fiſcoque addicta Parmenſi Duci reſtituantur: de quo Summus Pontifex Gallo Regi fidē ſuam obſtrinxerat: certioribus etiam pignoribus ad eam liberandam cauturus, ſi quid firmius, & certius Gallo Rege ſubieciſſent. *Pacis conſtituendæ conditiones à Bichio propoſitæ.*

Fœderati Principes à Pontificijs dominatibus ſua arma deducant, & quidpuid eo bello occupaſſent, Pontifici reſtituant.

Digitized by Google

Parmenſis Dux non cogetur ipſemet anathematis abſolutionem, aut veniam à Summo Pontifice petere, quãdo ille id fraudi ſibi futurum exiſtimet: ſed Rex Gallus pro eo id officij obeat: aut aliqua alia æquali ratione eadem à Pontifice impetrentur.

Farneſiæ menſæ creditores eodem loco ſint, quo ante mota arma, accenſumque bellum erant, eademque ſua iura retineant.

Se integrum, mediumq; ſequeſtrem nulli parti addictum Cardinalis Bichius exhibet; vt bellantium diffidia componat; eaq; paciſcatur, quæ magis ſalutaria omnibus accidere poterunt.

Vt expeditiùs, & citiùs inter partes conueniat; & longioris in ſancienda pace moræ tædia tollantur: Principes ſingulos eligant legatos nullis certis, ſed liberis mandatis, quorum arbitrio negotium committant.

Quæ omnia excuſſa Romæ accuratiùs ab Antiſtitum conuentu ſuâ difficultates habuere; nimis acutè Romanis ingenijs cuncta rimantibus, non ſine acerba Cardinalis Bichij indignatione, qui remiſſiori ingenuitate propoſita expendi cupiebat. Verum non omninò repudiatis, quæ à Cardinali referebantur; alias præſulum conuentus conditiones adiecit.

1 Si Rex Gallus pro Duce Odoardo abſolutionem, & veniam à Summo Pontifice poſtulabit.

2 Si cum omnibus Fœderatis Principibus de pace conueniat, & non ſecus, Summus Pontifex; publicæ tranquillitatis, ſalutiſque cupidus adducetur; vt non ſolum Parmenſem Ducem anathemate abſoluat, veniamq; illi condonet, ſed etiam vrbem Caſtrum, cæteraque omnia ablata, atq; in fiſcum relata reſtituat; munimentaque, ac propugnacula demoliatur.

3 Vt Caſtri reſtitutio ſit certior, nullumq; vocetur in dubium; illius apud aliquem Principem, vel Rempublicam deponendi conditioni aſſentietur.

4 Locus habendo Legatorum arbitrum conuentui etiam extra Pontificios dominatus deſtinetur: modo ſit Principis neutri parti ſtudentis.

Quæ omnia tamen cautior, ac perſpicacior Antiſtitum prudentia moderata eſt.

1 Appoſitum eſt, ſi pax cum omnibus Fęderatis Principibus componetur, quò tranſactio cum ſolo tantum Parmenſi Duce excludatur; ita vt ſi cęteri Principes non conſenſerint: nullius roboris, virtutiſq; ſint conuenta, & quidquid in Parmenſis Ducis fauorem conceſſum fuerit.

Secundo loco adiectum eſt, munimenta omnia, ac propugnacula diruantur, ſcilicet, non tantum quæ Pontificis Miniſtri, ſed etiam quæ ipſe Dux excitauerit.

3 Dictum eſt bona omnia in fiſcum relata; ne alia ad fiſcum non ſpectantia Dux à Pontifice contendat.

5 Summus Pontifex Legatis pacis ſequeſtribus declarauit: ſe neq; Ge-

nuenſ.

Digitized by Google

nuenſi Reipublicæ,neque Helueticæ catholicæ diffidere.

6 Ex Sedis Apoſtolicæ maieſtate, & dignitate Fęderatorum Principum poſtremus ablata deponat.

7 Sequeſtrum, Legatorumq; conuentus extra Pontificios dominatus pluribus de cauſis habeatur.

8 Excluditur Mantua, aliæq; vrbes mœnibus, præſidijſq; munitæ,non tamen alia oppida in Mantuana ditione aperta Gonzagi generis dynaſtarum vt Gardiſtallum,Nouellaria,aliaq; huiuſmodi. *Guaſtalla.*

Nulla de Farneſijs nominibus Parmenſiſq;Ducis creditoribus mentio illata eſt:ne quid illis damni,detrimentique pareretur.

Cardinalis Bichius ad omnes Principes Fœderatos literas dedit, quibus eos de optima Pontificia voluntate, paciſque deſiderio monebat: nihil illum ardentius ſuſpirare, quàm ſublatis bellis, compoſitam pacem: inconcuſſumque eſſe illius, ac firmum ad concordiam propoſitum.

Dum pacis arbitri decernuntur, & quò accerſendi ſint, locus eligitur; ſubeunt Fœderatos incommoda, quæ ex Cæſaris, Catholicique Regis Legatorum in arbitrum congreſſu importuno interuentu proficiſci poterãt. Illi enim inſtiterunt, vt in ſequeſtrum conuentum admitterentur: verendumque erat,ne eorum Principes in contumeliam acciperent;ſuos Legatos ab eo cętu, conſilioq; excludi: maius ex aduerſo periculum imminebat,pati illos conuentui intereſſe; quod pacis tranſactioni erat iniecturum moras,conſtituendaq; turbaturum;præcipuè cum Mutinenſis Dux nihil de ijs, quæ contendebat,remitteret, & Fœderati freti vnuſquiſque Regum patrocinijs, & ſtudijs ob infenſa ſibi inuicem eorum ingenia, inter ſe commiſſi, vel maiora petere eſſent auſuri, aut grauiora bella exarſura; cum maiora petitum iri à conuenientibus dicerentur;quàm quæ bello Fœderati Principes contendiſſent; quod difficilem, atq; arduam pacis tranſactionem, tot altercantium inter ſe diffidijs,aduerſiſq;votis, & poſtulatis facturum erat. Præter id quòd Cardinalis Bichius ægerrimè ferebat, hanc a ſe compoſitæ inter Italos Principes tot exantlatis laboribus, & difficultatibus ſuperatis, pacis gloriam Gallo Regi ſequeſtri, ſibique à Cæſaris, Catholicique Regis miniſtris intercipi; quaſi ſuo interuentu pacati bellorum turbines ſiluiſſent. Soluendus igitur erat ſequeſtrum conuentus; nec vllibi habendus, ne abſolutum iam,perfectumque pacis negotium tot importunè ingerentium ſe Principum legatorum contraria ſtudia turbarent: euerterentq;iam ſalubri tranſactione conuenta. Pax igitur nullo ſequeſtrum ſtrepitu, in eas leges, quas Cardinalis Bichius tulerat, & Summus Pontifex moderatus erat, ſumma cum eius laude, ac gloria, totiuſque Italiæ lætitia conuenit: inaniaque, perniciosa, vana, atque inutilia ad agrorum tantum vaſtationem, populorumque calamitates, & clades inducta Superum ira bella quieuere. *Pax inter bellantes cõſtituitur.*

Sed qua aduerſi arcana vi fati, aut quo piaculi oculti reatu vrbs illa bellorum fax, & origo Diuinæ in ſe iræ fulmina prouocauit; vt vix con-

Digitized by Google

Caſtri excidium.

ſtituta pace Pontificio bello defuncta, atque ex diti cladibus Martis elapſa in ſui Antiſtitis cædis vltionem munimentis nudata, atque antiqui epiſcopalis decoris exors æterno ſitu, mœroreq; ſqualeat? Cum enim Summus Pontifex Innocentius X. Vrbano VIII. ſuffectus Patrem ex inclyta Dominicana familia Parmenſi Duce inuito, immo illum repudiante, Caſtri Antiſtitem elegiſſet; quidam iniqui ſicarij ſpe ducti ſe gratum Duci ſacturos, ſi illum è medio tollerent; ſubſeſſores Pontificis iuſſu collatum ſibi honorem adeuntem ſcloporum miſſilibus confoderunt: quo immani nefariorum latronum ſcelere, feritate, ſacratique apicis contemptu Pontifex iuſta ira ſuccenſus vrbem non exui tantum mœnibus, ſed etiam in pagum abire, immo in ſyluam iuſſit.

CA-

CATHOLICI REGIS LEGATI cum Lamaci Antiſtite Luſitano Legato Romæ rixa

NARRATIO VIGESIMA.

LVſitania Hiſpaniæ prouincia Iberico mari prætenta, ſi terrarum ambitum ſpectes,exigua, ſed fortibus viris, armiſque valida cuicumque Europæ prouinciæ potentia par; vt pote quæ ſuis innixa viribus potuit Romanis,quondã bello ſe inceſſentibus repugnare,& recentius inſanæ longitudinis totius Africæ litora,Malabaricãq;oram,Arabicũ,&Perſicum ſinum,atq;vltima orientis regna audaciſſima nauigatione fęliciter preteruecta potẽtiſſimos aduerſi orbis Reges ſibi facere vectigales:à Sebaſtiani vltimi eius Regis interitu, qui in Lybicis campis cum Mauritaniæ Rege acie dimicans cecidit; in Philippi ſecundi Hiſpaniarum Regis triginta armatorum millibus veluti hæreditarium regnum adeuntis fidem,ditionemque conceſſit. Verum ſuis popularibus regibus aſſueta exteri dominatus ſibi iniecta frœna irata momorderat; demuſſataque diu inuiſi imperij violentia, tandem eiurato Caſtellæ Rege,Brigantium Ducem popularem ſuũ Regem ſibi conſtituit. Qui ad ſuum regnum maiori authoritate firmandũ, Lamaci Antiſtitem ad ſummum Pontificem legauit; vt ad pedum oſcula eius admiſſus inter cæterorum Regum legatos cenſeretur. Catholici ſiquidem Principes ſolent ſtatim dominatum adepti per legatos ſummum ſacrorum Antiſtitem venerari;quibus in publico pupuratorum Patrum conſeſſu ab eo auditis,id habiti in Romana aula legitimi regis putatur inſigne.

Luſitania à Catholico Rege rebellat.

Lamego.

Demarchus igitur de los Veles Catholici Regis Legatus, vt ſui Principis iura tueretur, ſicuti qui authoritate, & potentia aliorum legatos Principum prægrauaret; contendebat enixiùs, ne Lamaci Antiſtes, vt Luſitani Regis legatus non à ſummo Pontifice ſolum, ſed etiam à patrum nemine exciperetur: egeratque cum Cardinali Franciſco Barberino Summi Pontificis nepote,ne ſolita,quoque aliorum legatorum pompa, & ſplendido comitatu Roma ſpatiari Antiſtitem pateretur; alioquin grauius in eum aliquid conſultum iri, atq; inde incommodum aliquod oriturum, quo Summi Pontificis turbari animus poſſet:ad quæ cauenda, indulgendumq; Catholici Regis legati votis Antiſtitum conuentus dictus eſt: cui Luſitani Regni negotia diſcutienda,moderanda,abſoluendaque referebantur; cui cum minimè conſentaneum videretur inceſſu per vrbem Antiſtitem prohibere; illi

Catholici Regis Legati poſtulata

Antiſtitum conſeſſus gradiendi per Vrbem modũ Luſitano perſcribit.

Digitized by Google

re;illi tamen aulicorum, circumpedumque numerum, gradiendiq; per vrbem rationem,modumq; præſcripſit: iuſſo obductis curtus velamentis per vrbem vehi. Hoc itaq; imperato cultu,duodecimo Kalend. Septembris ille Galli Regis Legatum adit de rebus præſentibus conſulturus:cum, & eodem die Hiſpanus Legatus ad Cardinalis Romæ ædes curru vectus acceſſerat, vt illum ſalutaret. E curru deſilienti quidam aulicus defluentibus ad pedes amiculis indutus nuntiat, Lamaci Antiſtitem in Galli Regis Legati ædibus eſſe;quo accepto ſtatim cum ſuo Oeconomo conſuluit,quid in huiuſmodi rerum articulo conſilij ineundum foret; decretumque eſt, vt currus minoribus rotatis ſclopulis plenus ſua domo protinus adduceretur domeſticis,& familiaribus diuidendis: conſcenſoque iterum curru, circumpedum ſeniorem per viarum compendia Diui Bernardi templum verſus ducere iuſſit; eo conſilo,vt ſi obuium haberet Luſitanum Antiſtitem clauſis eius currus velamentis, ſinerent illum libero tranſitu præterire; at ſi aperto curru veheretur: nec ſe tranſeunte,ſubſiſteret, equos ſoluerent curru. Conſueuerat Hiſpanus Legatus ad huiuſmodi fortuitos euentus ſecum ducere milites eodem circumpedum cultu telis armatos. Iam Luſitano Antiſtiti nuntiatum erat,ad Catholici legati ædes plurimos ſclopulos currui impoſitos fuiſſe. Forte eodem die cum Cardinali Barberino Inquiſitor Pantaleo de Luſitanis rebus agebat;à quo cum inter loquendum Cardinalis percunctatus fuiſſet,*an Lamaci Antiſtes bellè ſe haberet, an præclarè cum illo ageretur*: cui Pantaleo,*Antiſtitem optima valetudine vti in eius eminentiæ obſequium,& officium,atque in expedito eſſe, vt domo egrederetur Galli Regis legatum inuiſurus, iunctumque currum ante fores ſtare Antiſtitem excepturum, eodem temporis momento, quo ipſe domo prodibat Quirinalem montem verſus,vt eius eminentiam veneraretur*. Hoc nuntio Cardinalis commotus præſulem Bichium in Procoetio morantem iubet acciri: illumque remotis arbitris alloquutus, mandat, vt ad Cardinalem Antonium ſuum fratrem contento gradu feſtinet,admoneatque,vt nulla interiecta mora aliquot ſuis cohortibus imperet,quò poſitis opportunis in locis cuſtodijs, amoliantur incommoda inter Catholici Regis Legatum, & Lamaci Antiſtitem oritura: dimiſſumque Pantaleonem Inquiſitorem iubet illicò Antiſtitem adire, illumque ſuo nomine ſedulo monere; vt antequàm noctis appeterent tenebræ,domum ſuam rediret,ne in aliquod diſcrimen incideret.Bicchius Cardinali Barberino renuntiat ſuum fratrem Antonium venatum ex vrbe profectum. Quare ille Præſuli Fachinetto præcipit, vt in curriculum properet,& tam diu Hiſpanum Legatum loquendo detineat, donec Lamaci Antiſtitis occurſum euitet. Iam Inquiſitor Pantaleo Cardinalis Barberini nomine ſuaſerat Antiſtiti,vt domum ſuam regredi maturaret:& iam diſceſſurus ad ima ædium cubicula deſcenderat currum aſcenſurus;cum Gallus legatus aliquod maius incommodum veritus, reducto iterum intra conclauia Antiſtite, tutiora excogitat remedia quibus imminenti diſcrimini occurratur; nullum in rem præſentem melius viſum,quàm vt armati raptim dome-

Catholici Legati decretum.

Cardinalis Barberini ſalutare conſilium.

Lamaci Antiſtes de imminente diſcrimine admonetur.

Digitized by Google

domeſtici, famuli, & circumpedes redeuntem domum Epiſcopum ſequerentur, ſtiparentque eius latera; qui nobili quoque ſuo aulico imperauit; vt curru ac tutum ad agonis forum ad ſuas ædes feſtinans inde ſcloporum copiam eodem curru aueheret, arcaniq; bellici cantu Laletanos, Luſitanoſq; omnes excitos ad arma ad ſe properè tuendum vocaret: abnuens ad retinendam dignitatem, & exiſtimationem, noctu Summi Pontificis iniuſſu alienæ domi degeneri metu ſubſiſtere. Frequenti, vtriuſque gentis totis vijs diſcurſu quædam murmura mali alicuius imminentis indicia dirum ſubmiſſe fremebant: turmatim Laletanis, & Luſitanis ad Galli Legati ædes ſubſidio accurrentibus. Quod Præſulem Spatam Romæ Gubernatorem adduxit, vt circitorem cum ſatellitum turba eodem properare iuberet.

Arma, atq; ſubſidia congerit.

Ingruentibus iam tenebris, Lamaci Antiſtes ſuo curru cum Inquiſitore, aliiſque patritijs ſueta via domum ſuam vehebatur. Ante currum Luſarſtſi dominus Galli Legati cubiculariorum præfectus præeuntium Gallorum Luſitanę, Laletanæque gentis multitudinem procedebat. Ad compitum prouecti, in media via, quæ inter diuæ Mariæ in Via templum, & Spatæ comitis, Veraldorumq; ædes in curriculum excurrit, Hiſpani legati currum intuentur: qui cum Gallos, Luſitanos, Laletanoſque ſtrictis telis contra ſe audacter, fidenterque gradientes vidiſſet, & fatalis hoſtium occurſus vitari nullatenus poſſet; cum ſuis eadem voce Caſtellanis aduerſus Luſitanos exclamant, *ſiſtite gradum*, quibus reddita eadem vox à Gallis, Luſitaniſq; eſt; *ſiſtite vos*, eodemq; momento contorta vtrinq; igneorum miſſiliũ procella, diſploſiſq; rotatis ſclopulis, aliquot cadunt, plurimi vulnerantur. Hiſpani legati auriga adductis habenis, ita equos cauto conſilio in pedes erexit; vt eorum corporum obtentu, quaſi obiecto munimento ſui domini ſaluti proſpiciens incuſſa tela exceperit. Equorum itaque cæde Legati, eiuſque filiorum, Demarchi de Taxis, Alphonſi Verdughi Cardinalis Albernozij nepotis, qui eodem curru vehebantur, vita ſtetit. Ex Hiſpanis Didacus è Vargos cum duobus alijs ſpreto ruentium telorum diſcrimine, impauidis animis contra Luſitanum Antiſtitem vlterius promouent gradum; ſed ad ipſius currum peruadere non potuerunt, denſata comitantium turba neminem admittente. Ipſe Antiſtes in Equitis Serræ ædes effugit, ante cuius fores currus ſubſtiterat. Quidam Galli Legati acerſecomes melitẽſis eques ad Hiſpani legati currum ſtricto enſe prouectus ſtatim graui vulnere ictus paucis poſt horis extinctus eſt. Galli quoque legati auriga enſe traiectus occubuit: inſuper duo circumpedes Peruſini ſcloporum glandibus confoſſi cecidere: maiorq; Antiſtitis aſſeclarum foret edita cedes, niſi duo Luſitani circumpedes ſtrictis enſibus ſe ante ſociorum agmen Hiſpanis furentibus obieciſſent; qui obtento ſuorum corporum vallo, ſtrato Didaco, cæſoque quodam Aſcenſio Hiſpani Legati cubiculario, & ſiculo milite vulneribus confoſſo, egregiè, & ſtrenuè Hiſpanorum impetum repulere. Maior Hiſpanorum numerus, quàm Gallorum creditur cecidiſſe; ſed ex quæſtione hac de re habita conſtat, hos tantum, quos ſcripſimus interemptos. Saucij tamen

In viam ſe dat.

Hiſpanum Legatũ obuium habet.

Legatorum aſſeclæ digladiantur.

Qui caſi ea rixa fuerint.

Digitized by Google

men plurimi diſceſſere: Hiſpaniq; legati Oeconomus dextra mulctatus. Satellites infame, timidum, vile hominum genus quamuis plus centum Gubernatoris iuſſu accurriſſent; ad ſcloporum tamen ictuum fragores pauidi ignaui ſuo intercurſu pugnam dirimere non auſi eminus ex tuto certamen ſpectarunt.

Catholici Legati ædes cuſtodiuntur.

Omnes Catholici Regis ſtudioſi vno agmine ad Hiſpani legati ędes protinus confluxerunt. Quare Hiſpanorum ita feruente, vltioniſq; cupida, cum maiora profectura incommoda timerentur; Cardinalis Antonius valida militum ſtipatus manu domo egreſſus duas peditum cohortes ante Legati ædes in ſtatione conſtituit, cum quinquaginta equitum turma, iuſſos ne quemquam exire ab illis ædibus paterentur: totidem milites ad Diui Andreæ templum excubias agere iuſſit, vt vtriuſque gentis occurſibus, atque aſſultibus intercederent; & totidem quoque ad Lamaci Antiſtitis ædes poſuit ad cuſtodiam. Heluetios etiam prætorianos maioribus ſclopis armauit: præterea leuis armaturæ equitibus imperauit, vt ea nocte vijs incurſibus magis obnoxijs ad rixantium ędes ferentibus irrequieto curſu diſcurrerent. Roma tranquillæ paci aſſueta placidiſſimo Pontificum imperio acquieſcens pluribus ab hinc annis nulla huiuſmodi certamina viderat: ideoque inſolito armorum fremitu trepida in tanta rerum turbatione ſilebat maioris pugnæ expectatione ſuſpēſa. Ideo ad viarum compita, ad Tabularium, & Principis præfecti Barberini ædes poſitæ firmæ peditum cuſtodiæ, pluresq; noctis horas à Cardinali Antonio ingenti labore diſcurſum. Cardinalis Franciſcus Barberinus, vt Hiſpani Legati iras leniret, ex ſuis aulicis clariorem miſit, qui illi conceptum de eo triſti euentu ſuum dolorem teſtaretur, ſuaderetq; vt arma deponeret; Pontificia in expedito eſſe, omnes defenſura. Verum Legatus à ſe iura ſtare contendens acerrimè cō queſtus eſt; *quòd eius Eminentia veriora non inquireret; nec rei ſucceſſum, ſicuti acciderat, ſcrutaretur: ſe quidem exarmaturum ſuos, ne Pontifici ægrè faceret; ſed iniuriæ ſibi illatæ acerbitatem altiùs ſuæ menti haſuram.* Gallus verò Legatus Summum Pontificem Cardinalemq; Franciſcum adit, atque acriter cum ijs expoſtulauit, *quòd Hiſpanus Legatus ſacro ſanctæ Antiſtitis dignitati incuſſi vi, Regis miniſtrum eius perſonam agentem violaſſet: Pontificiamq; poteſtatem imploraauit, vt allatæ violentiæ iniuriam vlciſceretur.* E contra Hiſpanus Legatus vehementiùs inſtabat, vt pro offenſæ magnitudine Lamaci Antiſtitem plectendo ſui Regis decus, quod ille in ſua perſona læſiſſet, acri pœna ſarciret: ſed cum tātum ſibi verba dari, lenirique ſe mollibus pollicitis conſpexiſſet; coactos in ſuis ædibus populares Cardinales conſuluit, quid melioris ſibi conſilij in huiuſmodi re ineundum decernerent. Omnes in hoc conueniunt, vt Pontificio dominatu excederet; quandoquidem in illo citra honoris ſui labem diutius perſiſtere non poſſet: ea offenſæ acerbitate ſua irritata patientia, vt intra moderationis limites contineri non poſſet; quin in ſui decoris vltionem cum Pontificiæ maieſtatis offenſa proſiliret. Ad iter igitur vehicula ad ſarcinas ferrendas iubet expediri; vt proximo die dominico

Cuſtodia tota Vrbe diſpoſita.

Legati Catholici de Cardinali Barberino querela.

Galli Legati de Hiſpanis queſtus.

Catholicus cogitat de receſſu.

nico vrbe diſcederet, ſicut ſummum Pontificem ipſe monuerat: ſed ad duos etiā dies diſtulit profectionē; quòd habito præſulum de imperij rebus cōgreſſu Cardinales Roma, & Sacchettus hanc illi nomine Pōtificis cōuento officioſis verbis expreſſerant; *quanto, eius diſceſſus nuntio audito, ille dolore premeretur: quàm ægrè illius rixæ ſucceſſum tuliſſet*: orantque enixè, vt tam diu vrbe proficiſci cunctetur, donec re clarius per iudices cognita, interrogationeque abſoluta, ratio potiſſima decerneretur; qua illi ex iure planè ſatisfieri poſſet. Quibus Legatus reſpondit, *pergratum ſibi accidere honorem, quem ſibi Summus Pontifex, & præſulum conuentus haberet: publicum, manifeſtumq; fuiſſe illius concertationis eueutum; tantumque temporis interceſſiſſe, vt eius criminis rei cōperiri potuiſſent: ſi Iudices de noxijs inquirere maturaſſent. Nihil hactenus eſſe grauius in reos conſultum, vt caſus acerbitas poſceret, & offenſæ in Regio legato, regiæ maieſtatis dignitas poſtularet: omnem ſuam induſtriam, curam, atque operam in eo collocaſſe, vt cauſas turbandi animi ſuæ Sanctitatis auerteret; ſeduloque ſe à Cardinali Barberino flagitaſſe, vt Lamaci Antiſtitem per vrbem ingredi probiberet; vel ſaltem eius familiarem cultum, aulicorumq; numerum moderaretur: vt non regij legati ſplendorem, ſed priuati Antiſtitis habitum præſeferret; alioquin tumultum certiſſimè excitum iri, atque aliquod incommodum oriturum; non alia ratione Hiſpanorū irarū impetū cōpreſſū iri, quin in inſoleſcētis perduellis damnum erumperent: ſe quidem habere ad manus arma, quibus à rebellibus acceptæ iniuriæ pœnas expoſceret: ſi ſua Pontifex ab ijs abduceret; ſed malle ſe inultum corde premere dolorem, quàm aliquid tentare, quod Pontificis animum poſſet afficere.* Hoc Legati reſponſo dimiſſis Cardinalibus, alios dies ſubſtitit Romæ, ſi eo breui ſpatio ſibi aliquid ſatisfieret, inflicta temerarij auſus ſuis hoſtibus pęna. Verum cum nulla vltionis ſpes affulgeret: Legatus ijſdem Cardinalibus ſcripſit, ſe ab illis Romæ fruſtra fuiſſe detentum, nulla videri mulctæ noxiorum culpæ inſignia. Libratis accuratè ab Hiſpanis Cardinalibus varijs nuntijs, quæ à Cardinali Roma Pontificis nomine afferrebantur, expenſiſq; multa commentatione omnium reſpectibus rerum, itum eſt vnanimi conſilio in hanc ſentētiam; vt in mercurij vſq; diei veſperas diſceſſum differret: interim in eiuſdem diei manè ad alloquiū cū Summo Pōtifice poſtularet admitti, vt illi obteſtaretur, ſe proculdubio Roma profecturū; niſi violatæ ſuæ dignitatis, & exiſtimationis pęnas à noxijs rebellibus expetiſſet; atq; in hanc ſentētiam ad Cardinalem Romam miſſo chyrographo, illum admonuit; *ne ſe diutiùs ad Pontificē differetur admitti, ne longiori in vrbe mora ſuum decus, atq; exiſtimationē aliqua aſpergeret labe: deinde ne Sūmus Pōtifex ſe cogeret diutius in vrbe morari, ſi rebelliū audaciā plectere in tardius tēpus reijceret*: cui Cardinalis reſcripſit, *ne Mercurij diem peteret ad colloquiū cū Sūmus Pontifex illū diē ad habendū de dominatus reb. præſulū cōuētū indixiſſet, diſceſſūq; in diē Iouis prorogaret.* Cardinalis cōſilio libēter Legatus acquieuit. Celebrato cōuētu, diligētiq; cura teſtiū reſpōſionib. diſcuſſis, iudicioq; accurato examine pōderato, ſācitū eſt, vt Hiſpano legato referretur,

Legati Catholici ad Cardinales reſponſio.

Syngrapha Catholici legati ad Cardinalem Romam.

prius

Digitized by Google

Antiſtitum Cõgregationis reſponſio ad Catholicum Legatum.

prius eſſe cauſæ cognitionem abſoluendam; quã aliquid durius de noxijs ſtatueretur. Pontificẽ cẽſere ſibi prius cum ambobus Regibus expoſtulãdum eſſe, quod ea importuna, audacique digladiatione publica quies, & boni regiminis habitus fuiſſet ab vtroq; legato turbatus: & quamuis Lamaci Antiſtes Epiſcopali caractere, ſit in Summi Pontificis poteſtate; illũ tamen niſi perfecta quæſtione, dictaq; ab ipſo cauſa, poſſe damnari. Huius decreti exemplo ſolicitis, & ſerijs Hiſpanorum Cardinalium congreſſibus expenſo, aſſidente quoque Cæſareo Legato, qui Imperatoris iuſſu aderat Hiſpano ipſius cauſæ acerrimus propugnator; ſtatutum eſt, vt huius exempli ad Cardinalem Romam ſyngrapham daret.

Catholici Legati litera ad Cardinalem Romam.

Poſt data cras mane Summi Pontificis pedibus oſcula, decreui eodem veſpere Tibur verſus iter intendere; & quia huius vrbis quietem ſemper optaui ob à me habitum ſuæ maieſtati ſanctitatis honorem; mihi viſum eſt tuam eminentiam docere, me omni diligentia, curaque vſurum, ne quis de meis domeſticis inquietis ingenij, aut turbidi animi aliquod prodat inſigne. Exibunt ſanè vrbe in equis minoribus ſclopulis hinc inde ex ephippij collo pendentibus, atq; adeò etiam ſclopis oblongis, quales ruri ab equitantibus ferri ſolent. Mihi gratiſſimum feceris, ſi de his Summum Pontificem, & Cardinales Barberinos edoceas; vt ipſi ſuas impleant partes, operamque dent, vt nullo tumultu, nulliſq; turbis, ſed pacatè cuncta ſuccedant, ne ſicuti die Dominico veſperi in vrbe turbetur; vt mihi omnia tranquilla ab optima Pontificis voluntate polliceor, tuæq; Eminentiæ pro Epiſtolæ clauſula manus deoſculor. E meis ædibus hodie die Mercurij quinto Kalend. Septembris.

Adiecit legatus *ne in meo diſceſſu quid in vrbe turbetur, ſicuti die Dominica*; ſiquidem eo diſceſſuro in ſuarum ædium area ingens populi multitudo conſtiterat; aderatque ibidem campeſtris Cæſarei legati currus Hiſpanum proficiſcentem comitaturus; tum à Pontificio auguſtali ad vrbanas peditum cohortes, & leuis armaturæ equitum turmas exiere mandata, vt protinus ad fora, & compita cuſtodienda properarent. Quod adeò confuſè, tantoque cum ſtrepitu actum eſt; vt quaſi claſſici cantu raptis ab vniuerſo populo armis tota vrbe fuerit trepidatum, cum manifeſto alicuius cladis, malique diſcrimine; & niſi Legatus illicò intra ædium ſepta ſuos domeſticos euocaſſet: certè funeſtius aliquod infortunium iratis, & ferocientibus animis accidere potuiſſet: expurgarunt ſe tamen Cardinales Barberini, reiecta in cohortium Duces culpa, quibus iuſſa, non obtemperandi modus, & dexteritas datur: eorumque imprudentia, atque inſcitia illum tumultum cum magno regentium dolore obortum. Adeundo Pontifici Legato Iouis deſtinatus eſt dies, ſed prius admonito, vt quàm poſſet pauciſſimis, ne Pontificis animum ſenio grauatum acerbiori querela turbaret; ſui dolores pectoris aperiret; eodemque die veſperi decretum iter iniret. Cardinales Hiſpani Tuſculanum conceſſere. Præſtituto die Legatus aditum Summum Pontificem poſt pedum oſcula ſic affatus eſt: *ſibi propitiam fuiſſe fortunam, quòd eo obſequentiſſimæ venerationis officio ſuam in illum propenſiſſimam*

Roma turbatur, armanturque ciues.

Catholicus Legatus Sũmum Pontificem adit.

ſiſſimam voluntatem declarare potuiſſet; ſe maximo dolore angi, quòd à ſua Sanctitate ſuorum nepotum iniuriarum impulſu diſcedere cogeretur: ſucceſſuque rei cum Lamaci Antiſtite breuiter enatrato, eius nepotes acriter criminatus eſt, *quorum alter ſuum non obeundo munus, & partes, alter Cardinalis videlicet Antonius conſilijs, & armis rebellibus adfuiſſet; quare, vt omnes occaſiones turbandæ ſuæ ſanctitatis abſcinderet; quod eam venerari, colere, obſeruare ſui muneris, & debiti eſſet: ſe decreuiſſe ab vrbe diſcedere eius pedes cum ſummo ſui angore animi non oſculatum. Si ſibi tantum res cum rebellibus eſſet, nunquam in ſuum animum inductum fuiſſe ab vrbe proficiſci: cum tot ſui Regis vectigales, & aſseclæ in vrbe forent: quibus facilè poſset rebellium infringere audaciam; & obtinere, vt eius miniſtris honor debitus haberetur; ſed cum videret clariſſimis argumentis ſuæ Sanctitatis potentiam, & vires pro rebellibus ſtare, rupto gentium iure, & ſacroſancta Legatorum immunitate violata, ne ſuæ debitæ erga Pontificium faſtigium venerationis officio deeſset, ſtatuiſse ſuo ab vrbe diſceſſu maiorum turbarum occaſiones effugere; admonita prius de omnibus rebus Hiſpani Regis maieſtate.* Summus Pontifex pacatè reſpondit, *ex teſtium reſponſis nihil de ſuorum culpa, exterorumque conſtare; neque vllius criminis comperiri: ſuo tempore ſe in noxios quoſcumque ſeueram dictūrum mulctam, proinde ſereno animo iudicum ſententiam opperiretur.*

De Barberinis fratribus queritur.

Pontificis reſponſio.

Legatus igitur eiuſdem diei veſpere vrbe profectus Aquilam verſus in Brutios iter capeſcit indignabundus, irarumque plenus, quòd à Barberinis fratribus magis quàm Hiſpano Regi, perduellibus faueretur; ardentioraque eorum eſſent in Gallos, quã in Hiſpanos ſtudia: atque acerrimè querebatur, ſed falſa ſuſpitione, quòd ad tegendum ſucceſſus veritatem iudicij corruptelam molirentur, & cauſam doloſa, fallacique teſtium interrogatione corrumperent. Cardinales Hiſpani, alijque Antiſtites Catholici Regis ſtudioſi Roma poſt Legati diſceſſum extra Põtificiam ditionem vno agmine profecti ſunt. Mox ad Neapolitani Regni fines ingens armorum fragor obſtrepuit: cuius Roma terrore perculſa aliquam belli cladem reformidans ſcribere milites, centuriare cohortes, cogere equitum turmas, atque ad propulſandam Hiſpanorum vim arma, vireſque expedire. Verebatur enim ne Prorex popularis ſui legati iniurias vltum ire properaret: eòque maior ijs Hiſpanorum motibus armorum cura Romanis inceſſerat; quò eodẽ tempore Dux Parmenſis animoſior Romæ coacto ex Italicæ nobilitatis flore exiguo numero, ſed virtute ſtrenuo exercitu minaretur. Abſoluto iudicio, & perfecta quæſtione, huiuſmodi in Lamaci Antiſtitem lata ſententia, vt irregularitatis reus, & perduellionis crimine obſtrictus cenſeretur; atque ideò illi ad Summum Pontificem acceſſu, & ad Cardinales, cæteroſque Romanos Antiſtites aditu prohiberetur: quò omnium alloquijs, & conſuetudine intercluſus Roma diſcedere cogeretur: ſicuti mox hac iudicium ſententia indignatus abſceſſit.

Legatus Catholicus vrbe diſcedit.

Hiſpani Cardinales Roma diſcedunt.

Iudicij ſententia in Lamaci Antiſtitem.

Compoſita pace, ſedatoque Pontificij belli tumultu, Vrbanus Octauus

clariſſi-

LOCVSTARVM

ingruentium portentum.

INter Turcici belli murmura, claſſiſq; molimina, antequàm in Venetæ Reipublicæ perniciem è Boſphoro Thracio in Cretam erumperet; ſolito plerunque prodigio Deus periculoſiſſimi belli mala, calamitateſq; portendit. Nam adeò numeroſa Locuſtarum examina in Foroiulienſem agrū effudit; vt momento omnibus agrorum herbis, arborumque folijs eroſis, non ſolum vniuerſo dominatui Veneto, ſed etiam toti Italiæ vaſtitatem, excidiumque minarentur; & niſi Patrum ſedula cura cauiſſet, vt immiſſis vndiq; in fœdiſſimam peſtem foſſorum, atq; agreſtium agminibus, nouo, inaudito, portentoſoq; belli genere graſſantium animalculorum exercitus perſequuta tam exitialem proluuiem in paludum cęni ſcrobibus obruiſſet; maius illi negotium in huiuſmodi hoſte conficiendo, quàm in repellendo à ſuis ditionibus Turca futurum erat. Soboleſcebant enim per ſingula ferè momenta in numeroſiſſimam prolem, ebulliebat tellus entomata, ſcatebant ſpurciſſima labe campi. Nulla numeroſiori fętura aliquando nouerca Natura fœcundior ſua abigit inquinamenta. Singulæ ouis grauidæ illa vagis ſaltibus enixæ quaqua verſum pernicioſa ſatura ſpargebant; ex quibus mox nullo parientis incubitu fœtus excluſi in aliam ſobolem multiplici, portentoſoque incremento grauidabantur. Celeri occurſu ab omnibus pagis, villis, & vrbibus Patrum iuſſu ligonibus, & ſarculis agreſtium armatæ cohortes ad eam luem internecione delendam trepidæ feſtinarunt: fruſtra erant in ijs conficiendis verberum incuſſus: putreſcentia ex tabo cadauera numeroſiorem ſobolem pullulabant. Erant viuæ ſummo manè capiendæ, cum adhuc nocturni roris humore madidis alis, altiori volatu ſe tollere humo non poterant: incluſæq; culeis in profundè depreſſis, latiſque ſcrobibus defodiendæ, ingeſtaque affatim deſuper calce necandæ; vt illius vredine citiùs adeſæ nulla viroſa fluentes ſanie vitiato aere peſtem afflarent. Deniq; fuit ingenti labore, cura, ſolicitudine incolis deſudandum, vt ſublati ſerpentis per eas terras latius mali ſe eo terrore, ac diſcrimine liberarent. Excidia, bella, calamitates ijs gentibus portendere dicuntur, quarum terris ſe feralia iſta examina ſuperfuderint.

Digitized by Google

COSSÆ, SIVE ORBITI

Oppugnatio

NARRATIO VIGESIMA PRIMA.

1646 QVamuis Gallis pluribus bellis implicitis commeatus, copiæ, theſauri eſſent in Belgicis, Laletanicis, ac Germanicis expeditionibus profundendi, exhaurirentq; pecunijs, & incolis Gallias tam varia, ſparſaque bella; attamen ac ſi nullæ eos curæ, negotiaque diſtinerent; vna eorum animos parandæ alicuius in Italia vrbis, munitique loci ſolicitudo angebat. Hæc illos cupiditas impulit fœdera cum Allobroge, Parmenſi, Mutinenſiq; Ducibus ſolicitatis ad bella ferire: vt eorum auxilijs innixi, quod ſola non poterant ſua arma conari, conglobatis *ſimul*, cum Italis Principibus viribus, obtinerent. Idcircò identidem carpunt Italiæ immiſſis exercitibus, terras: in eius latera, frontem infeſtis armis incurrunt; ſi quid fortaſſe detur, intercepta aliqua arce, ſuo voto damnari. Alias è Taurinis duntaxat in Inſubres repentinis incurſibus deuolabant; illatiſque Mediolanenſi dominatui ſignis, armorum violentia, quod alia ratione non poterant, repetebant: nunc quòd duriorem opinione Italiæ frontem, ſua ſtrenuè aſſerentibus Hiſpanis, offenderint: media eius *latera* fodiunt; aliquo in ora maritima propugnaculo potiri nituntur: vt *finitimi* Principes Gallicæ vicinia potentiæ territi in Galli Regis, vel inuiti flectantur obſequia; eamque impensè maieſtatem venerentur, quæ iam toti Chriſtiano orbi formidanda ſuæ fere magnitudinis impotens omnes terras impletura ſui fulgore nominis videbatur. Totus in hoc erat Cardinalis Mazzarinus, cuius arbitrio omnia gerebantur, vt pote ſecretioris regij conſilij primas agens; accuratèque diſcuſſis omnibus rebus, cum Principe Thoma conuenerat, vt inſigne aliquod in Italia molirentur.

Verum condicta in eorum tantum pectorum arcanis receſſibus latuerunt, nemini nota, vt impar: tum hoſtem nihil tale metuentem deprehenderent. Inſtructa igitur epibatis, commeatibus, tormentorumq; fartis, atq; omnibus bellicis apparatibus quadraginta magnarum nauium, duodeuiginti triremium, incendiariorumq; nauigiorum, & plus centum onerariarum ornatiſsima claſſe, conſtrato toto mediterraneo nauigijs mare, non hoſtes, tantum, ſed etiam amicos, ſocioſq; terruere.

Gallicæ claſſis potẽtia.

Princeps Thomas ſummus Nauarchus præerat claſſi; quo Tyrrheni maris oram legente, vbi illa foret ſuum impetum effuſura procella, detonituræq; tam horribilis minæ tempeſtatis, ſuſpenſis, & pauidis hærebant animis maritimi incolæ. Sed quæ ſuo formidando aſpectu terrorem mortalibus latè faciebat, ventorum impetu ab imo ciente mare diſiecta hàc, illàcq; fluitauit; donec ponentibus ventis, iterum in vnum collecta Telamonis litora, Sinenſemq; appulit oram inter amnes Ombronem, & Oſam. Vbi Princeps Thomas Vxelles demarchũ, & Diui Auuais dynaſtam caſtrorum pręfectos in continentem iuſſit exſcẽdere, Salinarumq; propugnaculum inter veterem Telamonem, Albeniãq; amnem inuadere; ipſe per caduceatorem tubicinem Telamonis præfectũ, vt honeſtis, æquiſq; conditionibus arcem ſibi dederet, inuitauit; qui vel tãtæ claſſis terrore, vel ignauia, poſt aliquot tormentorum ictus ad turpis magis deditionis dedecus honeſtandũ, quã vt aliquid hoſtile in propugnaculũ tẽtaretur; ſe dedidit.

Telemonis arx deditur Gallis.

Poſtera die ipſe Princeps cũ reliquo peditatu, cui Refuges dominus imperabat; & equitum Crequij legione in continẽtem egreſſus Salinarum arcem cum reliquis inſtitit oppugnare. Hiſpanicum pręſidiũ aliquandiu cũ ſuccedentibus hoſtibus velitatum, cũ circũfuſis vndiq; copijs ſibi omninò impar videretur; in tutum effugit. Eodẽ die cęteri Galli Duces Ognonis comes Brezei Ducis legatus, Rochæ eques, Inſulę, Clẽuillę, Lunas, Villæ nouæ, Broſſæ domini, cũ omnibus nobilibus volonib. in litus expoſiti, mox circũ Diui Stephani arcẽ vniuerſa acie explicata, eius pręfecto edicit Princeps, vt ſe protinus dedat; cui cũ ille animoſiùs reſpondiſſet, eã arcẽ nõ huiuſmodi eſſe, vt ita facilè hoſtiũ cederet minis. Prĩceps à cõtinẽte, à mari triremiũ tormẽtis arcẽ quati iuſſit: quorũ frequẽtiũ globorũ horribili tẽpeſtate, iaculationeq; męnia verberata, dehiſcẽtiaq; & laceratus præfectus p̃ſidiarios metu pculſos cõpulere, vt hoſtis ſe arbitrio nullas pacti cõditiones traderẽt.

Galli Diui Stephani arce potiuntur.

Inde Princeps bellũ fęliciter auſpicatus expugnatis facili Marte vicinis arcib. cõpoſito, inſtructoq; agmine Coſſæ ſuorũ metę votorũ feſtino gradu ſucceſſit. In medio Marino lacu Petellini quondã vocato oppidũ ſurgit terræ lingula continenti coniunctũ, per cuius anguſtias terreſtri itinere aditur: cętera lacu circumfluo inacceſſa.

Orbitello. d'Orbitello.

Princeps Thomas Coſſæ exercitũ admouet.

Inter montis brachia vtrinq; protenſa aquæ reſtagnant: quẽ olim Herculis promontoriũ, nunc Montẽ Argẽtariũ incolæ vocant: in media Tyrrheni maris ora ſublimior lõgiùs, porrectiùſq; alijs montibus inter Macrã amnem, & Tyberim in mare procurrit: capitis corporis trunco coniuncti ſpeciem procul intuentibus refert: in peninſulæ maximè modũ cõtinenti annexæ inſtar Peloponeſi Achaiæ cõmiſſi

Coßæ deſcriptio.

in duos ſinus cogente ſe mare,qui duos quoq;portus aperiunt;quorũ alteri ad orientem Herculis, alteri ad occidentem Diui Stephani portui nomẽ ex antiqui vicinia delubri illi Diuo ſacri.Abeſt hic portus à Telamone duodecim paſſuum millibus. In huius montis iugo planicies fœlix,amœnaq;ſoli vbertate procumbit : duodecim paſſuum millia eius ambitus patet,tritici,vini,fœni apprimè ferax,palmarum,oliuarumq; arboribus conſita,Argẽti quoq;fodinæ ineſſe dicuntur,ex quibus Argentario monti inditũ nomen.

Galli Coſſã oppugnant.

Supremi duces paucis copiarũ præfectis eorũ ſtipantib. latera,& ducẽtorũ moſchettariorũ cuſtodia ad oppidũ ſui oculis explorandũ progreſſi, tandẽ ceſſantib.imbrib.qui toto triduo è cęlo pręcipites ruerãt;vniuerſum exercitũ oppido circũfũdũt;neceſſaria ad oppugnationẽ vicina claſſe,quæ propè litora ſtetit in anchoris,copijs terreſtrib.ſufficiẽte. Nec mora vineæ agi cęptæ,ſinuoſiq; aggeres excitari; ſed difficillimè poterant promoueri : fulminante è męnibus tormẽtorũ procella;& validis eruptionibus Gallorũ conatib.obnitẽte pręſidio, cui Carolus à Gatta cõſpicuæ famæ, ac nominis dux præerat;ab Arcos duce, Prorege Neapolis præfecti titulo Coſſã iuſſus accurrere.Huius Gallici motus,belliq;nũtius Italiæ pręcordijs illati vicinis Principibus curas iniecit:vt ſuis reb.ſeriò cõſulerẽt,aduerterẽtq;tãdẽ nimis cupidos Gallorũ animos,arcanaq;cõſilia, qui non vt Auſtriacos Principes ad pacẽ cõpellerent, Italiæ viſcera bello quatiebant; ſed vt aliquo oppido expugnato,ſibi perpetuas in ſuſpirata prouincia figerẽt ſedes,poſitoq;bellicoſæ gentis armamentario,vicina queq;bello corriperent. Sũmus Põtifex pręcipuè,purpuratiq; Antiſtites tã repẽtino in media Italiæ latera Gallorũ incurſu trepidi,miſerrimã Chriſtiani vicẽ nominis doluerũt;quod Turcicis armis petitũ,ipſis quoq;Chriſtianis populis ĩgerẽtib.vulnera fœdiſſimè laceraretur;cũ prouehenti ſe nimiũ, efferentiq;in omniũ perniciẽ Turcarũ potentiæ eſſet vniuerſorũ Principũ collectis ſimul virib. occurrendũ;ne cũcta auido,immaniq;ore voraret. Romana Curia nouorum Hoſpitũ vicinia attonita ad aliquorũ audaciã conniuebat, nullo ſupremæ in terris poteſtatis reſpectu milites in vrbe authorantiũ, eoſq; ad Coſſam in Gallorum caſtra mittentiũ. Magnus quoq; Etruriæ Dux Gallicis tam propè ſuũ dominatũ fremẽtibus armis, ſuorũ vectigaliũ quieti, trãquillitatiq; cauẽs ampliſſima Hiſpanorũ,Gallorũq;pollicita reſpuit enixiſſimè flagitãtiũ;vt pro ſe ſtaret, ſuaſq;partes ſequeretur;perniciosũ ratus alteri gẽti adhęrẽdo,alterius in ſe odia,atq;arma ciere;inſaniq; cõſilij eſſe flãmis vicinas ædes vrẽtib.ligna ad augendũ incendiũ,inijcere.Quare ſtatuit nec ſe ab Hiſpanorũ amicitia, beneuolẽtiaq;auellere;nec mutua in Gallos obſequia,officiaq;intermittere:& quãuis aliqui ſibi perſuaderẽt,illũ oblata à Gallis ſpe ijs potiẽdi arcib.,quæ in Sinẽſi maritima ora ab Hiſpanis tenebãtur, in Gallorũ fędera cõſenſurũ; aut Gallicis ſibi auxiliantibus armis,iura tandẽ deciſurũ, quæ ſe in Lucã vrbẽ habere obteſtabatur : tamen neutrò cõſtãter inclinãs ſe integrũ nemini addictũ,mediũq;ſeruauit,nulla ſe vana ſpe à ſuo ꝓpoſito paſſus abduci.Cõuenit igitur cum Gallis Abbate Bentiuolo ſequeſtre, quem in primo Coſ-

Romana Curia de importunis Gallorũ armis dolor.

Orbitello.

Magni Etruriæ Ducis prudentia, & ſolertia.

ſenſis

ſenſis belli conatu,ad ipſius tentandum animum, atque in Gallica fœdera trahendum ad illum legarant; vt ſibi pro neutris facere liceret, vtrinque hoſtilibus abſtineretur; Gallicæ claſſes in Etruriæ portus ingredi, ibique morari ad arbitrium poſſent; commeatuſque ab incolis ſuo pretio mercari: per Etruſcum dominatum Gallica agmina impunè, ac ſine maleficio tranſirent. *Se neutrius partis eſſe decernit.*

Dux Arcos Neapolis Prorex, qui Gallicæ claſſis fulmen in ſe deſtinari, eiuſque impetum belli in Neapolitani Regni perniciem ruiturum metuerat: vbi ad Coſſam alliſam Gallicorum armorum procellam in Tyrrheni maris oram didicit erupiſſe; vt ſui Regis fidiſſimus vectigalis, omnibus oppidis bellicis periculis magis obnoxijs validis præſidijs, veteraniſq; præfectis inſtructis, accitis vndique è ſtatiuis peditum cohortibus, atque equitum turmis, triremibus, alijſque nauibus claſſicis apparatibus exornatis, Beſidiani Principem Caraffam Roma accerſitum Neapolitanis præficit copijs. Viti Demarchus,& Nicolaus Auria Turſi Ducis filius, quinq; nauibus longis duplici remigum ordine ſeptingentorum lectiſſimo peditum agmine impoſito inſtructiſſimis; duabus onerarijs nauibus bellicis commeatibus refertis Proregis iuſſu celeri curſu in altum prouecti Ianuttum Inſulam verſus Argentario monti quindecim procul paſſuum millibus obiacentem dirigunt proras, ſed furtiua, occultaque nauigatione, quò Gallicæ claſſis aſpectum, occurſumque declinarent: nonoque Kalendas Iunij ſub primos Auroræ nitores in Herculis portum feliciter inuecti pedites,omnemque bellicum apparatum in oppidum intulerunt: maximi ſanè eius oræ tractus propugnaculum in Argentarij montis capite mari prætentum ad orientem ad exigui fauces amnis; qui è Polpo monte cadens ſuas tantum vndas trahens in mare influit. Firmiſſimis mœnibus, munimentiſque cingitur ex loci ingenio, actiſque induſtria, validæ, mirandæque ſtructuræ. Expoſitis omnibus, claſſis fœliciori regreſſu incolumis Neapolim tenuit. Eodem tempore Prorex quadraginta myoparones, & biremen quadringẽtis peditibus,præfectis,& ducibus expedita iuſſit auxilo Coſſam nauigare; ſed non eodem fœlici, quo ſuperiores euentu: nam Galli ex illato Herculis portui ſubſidio excuſſo incuriæ ſomno, vigilantiores excubias in omnes hoſtium conatus,& motus intentiores egerunt: animaduerſoq; eorum nauigiorum aduentu,concito ea remigio triremibus perſequuti, atq; in fluentum,quo in emiſſarium Tyberis aqua deducta leniori nauigatione Roma lintres in mare, celoceſq; deuehuntur,vitato fluctuoſo eiuſdem amnis faucium in mari ſe euoluentis æſtu,inuecta ſeptem,& viginti eorum capiunt: maior tamen militum, nautarũq; pars fuga ſalutẽ deſiliẽtes in litora quæſierũt.Qui Romã ingreſſi eã vrbẽ quæſtubus impleuerũt; ſe neq; in põtificia ditione,in quã veluti tutũ aſylũ perfugerãt,à Gallorũ armis fuiſſe ſecuros;potuiſſe Pali arcis præfectum, in cuius oculis prehenſæ fuere celoces, Gallicas naues tormẽtorum miſſilibus ſummouere;quãdoquidem illæ nihil penſi habita ſummi Pontificis Maieſtate, in ipſius terras hoſtiliter

Neapolis Prorex contra Gallos expedit militum auxilia.

Hiſpani Herculis portum ſubſidijs militũ firmant.

Galli Hiſpanorum nauigia capiunt.

Hiſpanus Legatus de Pontifice queritur.

incurriſſent. Caſtellæ Almirans, qui nec dum etiam Roma diſceſſerat, grauiter cum Summo Pontifice conqueſtus eſt; quòd Hiſpanicis nauibus tutum in eius ditione non eſſet effugium; nec Pali arcis præfectus Pontificij dominatus exiſtimationem propulſis tormentorum procella Gallicis triremibus, defendiſſet. Verum Pontifex cum non ſe tam viribus validum, neque tantæ potentiæ eſſe animaduerteret; vt Gallorum incurſu in contumeliam accepto, vlciſci poſſet iniuriam: Gallicisq; armis obſiſtere, ne irritata inquietæ gentis ferocia, ſe maiori illata contumelia laceſſeret; nullum tutius ad vitanda maiora diſcrimina, Gallicæq; potentiæ violentiam diſſimulatione conſiliũ putauit: vnicũ Principũ, ſalutareq; in rebus arduis perfugium, vt ea mala, atque incõmoda declinent; quæ aperta libertas, nimiaq; moroſitas ſecum vehere ſolet.

Pontifex cõtumeliã diſſimulat.

Galli Coſſã oppugnant.

Interim Galli promotis vineis, ac Pluteis acriùs oppugnare Coſſam inſiſtunt; duaſque parmulas iterato impetu deiectis propugnatoribus, aſſequuntur; ſed vineæ ex trabibus, aſſeribuſque compactæ iniectis flammis frequenti ignium ab oppido iaculatione incenſæ nullam operam oppugnantibus præbuere. Princeps Thomas accepto nuntio, magnos a Prorege Neapolis bellicos fieri apparatus, claſſemque inſtrui, qua laboranti oppido validum ferret auxilium. Munitiſſimum propugnaculum ex equitis Grauieri Architecti propoſita graphide educi iuſſit in via, quæ ab Herculis portu, Philippoque Monte Coſſam ducit; vt ſuorum ſtationem, tergaq; militũ tueretur; impoſitoq; ſexcentorum peditum præſidio, cum ſex tormentis Tobiam Pallauicinum Statorem maiorem præfecit. Eodem tempore Telamonem quoq; firmioribus munimentis vallari iuſſit; acceptoq; octo magnarum nauium, & validi peditum agminis ſubſidio, nonis Iunij nocte vineæ obtentu Galli tecti tranſgredi foſſam conantur; verum tranſuerſis tormentorum miſſilibus, atq; à fronte omnium telorum procella percuſſi referre gradum multa cum ipſorum clade coguntur. Periere ex Gallis audaciſſimi quiq; cum equite Landæ. Carolus à Gatta vbiq; aderat inter promptiſſimos dimicans, ſuoq; exemplo ad pugnam milites animans: quos tamen non opus erat vrgere, cum natiua in Gallicæ gentis odia iras acuerent, ad certamenq; accenderent animos propugnantium.

Princeps Thomas propugnaculũ condit.

Galli cum cæde pelluntur.

Hiſpanica claſſis Gallicam quærit. Cagliari

Dum ad Coſſam feruet obſidio, à Gallicis Cœlocibus toto mari procurrentibus Duci Breſeo nuntius affertur Hiſpanicam claſſem cum Neapolis triremium agmine ſociatis viribus, ad Calarim in Sardinia appuliſſe conſpectam. Pridie nonas Iunij triduo poſt claſſe conſcenſa quatuor, & viginti Britãnicis nauibus Montadæ, Tropeziq; dynaſtis nauarchis viginti triremibus, quatuor myoparonibus, & octo incendiarijs nauigijs valida, à Diui Stephani ora ad Herculis portum curſum intendit; vt ibi Hiſpanicam oppugnaret: ſi illàc prætervecta Coſſæ ſuppetias ferre auderet: quæ quinque, & viginti ingentibus nauibus, & vna, & triginta triremibus, & decem incendiarijs nauigijs potens Antonio Pimento ſummo nauarcho eo mari Monte Chriſto exiguæ inſulæ incolis vacuæ ſupra Planoſam, Ægi-

Iſola del Gilio.

liumque

Digitized by Google

liumque inſulas ſitæ quæſitum Gallicam oberrabat. Prouecta igitur ad Telamonis litora pridie idus Iunias erumpente Aurora, in Gallicæ claſſis conſpectum venit. Breſci Dux ſublatis anchoris Nauarchos ſe expedire iuſſit ad pugnam, aſſtanteque à continente vento, ſecus Argentarij montis litora nauigabat. Hiſpanica verò claſſis Telamonis oram in aciem digeſta legebat, ipſis quoque propitijs aſpirantibus ventis. Verum Gallos, vbi Ægidij inſulæ prima litora tenuere, dum claſſem in pugnam componunt, fauens aura omninò quarta diei hora defecit, ita vt vlterius in Hiſpanas prouehi non potis eſſet. Hiſpanica verò leni carbaſa implente aura, quæ ab amnium influentium in mare faucibus, & vallium identidem ſe aperientiū ſinibus erumpit; lenta nauigatione Gallos verſus dirigit proras, horaque minus medio die intra tormenti iactum propè hoſtes promota, curuata in cornua tormentorum miſſilibus quatere naues cœpit hoſtiles; non minoribus animis, minuſq; feroci audacia Hiſpanis Galli omnium telorum iaculatione reſpondent. Non tamen Hiſpani ita in Claſſem Gallicam inuehuntur, vt cominus congredi cum hoſte cogantur: diſſipari victoriæ pretio, & cladis incommodo, amiſſique prælij iactura pugnandi cupiditatem coercente. Nam victorem Gallum dominatus, prouinciæ, regna victoriæ præmia ſequebantur; victus autem nihil præter nauigia, & epibatas amittebat: è contra Hiſpanis nihil victoria collatura erat, præter deleto hoſte, abſterſum ea peſte mare. Res igitur eminus tormentorum tantum iaculis agitur; totoq; triduo, quo pugna tenuit, tormentorum fragores, ac fulmina tonuerunt: quibus diffractorum fragmenta malorum, antemnarum, nauigiorumq; ramenta toto mari natantia fluitabant. Crebris, horrendiſque tonitruis feruebat, æſtuabatq; mare, intermicantia fumi nebulas fulgetra, offuſaq; ſoli caligo, ſimul auferebant, reddebantque diem: natura in ſuum chaos confundi, miſceri, ruere, euertiq; omnia frequentibus tormentorum mugitibus videbantur: obiecta montium ſaxa, vicinæq; valles accepta tonitrua multiplicato fragore reddebant. Verum cum neutri iniectis hoſtili claſſi harpagonibus cominus pugnare auderent: nauigiorum magis ligna, tabulæq; proſciſſæ, quàm epibatarum edita clades. Dux tamen Breſceus tormenti miſſile ventrem ictus, laceratuſq; ingenti cum totius Gallicæ claſſis dolore inter Fontanellæ domini ſui equiſonis brachia expirauit; nullo alio clariori bellatore tanto claſſium concuſſu perempto. Ex Hiſpanis centum epibatas, & nautas ea miſſilium abſtulit pugna. Gallica nauis adacto tormenti globo in pyrij pulueris cados concepto igne flammarum violentia tota in fruſta diſſiliens in aerem excuſſa. Hiſpanica incendiaria in Gallicam claſſem propulſa nullo fructu arſit. Reliquæ vtriuſque partis naues ita fatiſcentes, laceræque à certamine abiere quales poſt quatuor millè tormentorum mutuos miſſilium incuſſus, pulſuſq; fuiſſe credendum eſt. Quare æquata vtrinq; nauigiorum laceratione, à qua parte victoria ſteterit ad huuc in obſcuro eſt, vtriuſq; gentis ſtudioſis ſibi vnoquoque ſuperati hoſtis decus mordicus vindicantibus. Ingruens Africus immani flatus violentia,

Iſola del Gilio.

Hoſti'es claſſes ſe inuicem miſſilibus verberant.

Ducis Breſcei cades.

Par vtrinq; clades accepta.

lentia, quo Tyrrhenum, Liguſticumque mare ab imo cieri ſolent: prælium diremit, claſſeſque vſquequaque diſiectas in vicinos compulit portus. Terreſtres Gallorum copias Ducis Brilei interitus ingenti dolore perculit: quod ſummæ indolis iuuenis ſeptem tantum, & viginti annos natus naualibus bellis exercitus, vt pote qui naualis rei peritia conſpicuus Gallicæ ſummus claſſis nauarchus ter Hiſpanicam fuderit; ſemperque victor toto mediterraneo mari formidandus volitaret.

Linares Comes de Noroiua familia Luſitanus, Vitiq; Demarchus Hiſpanicæ claſſis præfecti ſexcentos milites ad Herculis portum expoſuere: ex cuius arce, Philippoq; propugnaculo octingenti pedites egreſſi ad quandã ruſticam ædem lacus impoſitam litori proceſſere, ea mente, *vt ibi excitatis* munimentis, atq; inde *iactis* in aquas lintribus, has cohortes ſubſidio Coſſam aduehérent. Verum hæ Hiſpanorum ſpes in irritum reciderunt; nam quamuis Nauaillem caſtrorum præfectum munimentis ferociter aſſilientẽ ſtrenuè repuliſſent; validiorem non tamen Gallorum impetũ, alijs, atq; alijs ſuccedentibus peditum manipulis, ſuſtinere hoſtiũ *viribus* impares potuerunt. Deiecti igitur eo propugnaculo Hiſpani quinquaginta ſuorũ eo certamine amiſere, præter trecentos ab Hoſte captos. Ex clarioribus cecidere eques Paulus Auenatus ſtator maior Neapolitanus, Hieronymus Mendozza præfectus Hiſpanus, Ioannes ab Auſtria Neapolitanus. *Vincentius* Siclus, Leonardus de Foſſo cohortiũ Duces, alijq. minores agminis miniſtri.

Galli Hiſpanorum munimenta oppugnant, et capiunt.

Hiſpani interim Nauarchi, dum ſocij ad lacus litora Gallo repugnant, Telamonis, Diuiq; Sſephani arces furente tormentorum miſſilium iaculatione diuerberant, ſed irrito conatu. Nam quamuis è Britannicis nauibus, & triremibus in arcium munimenta innumera fulmina contorſiſſent, nihil ea tamen pulſuum frequentia labefactata, aut fatiſcentia ruebant. Inſtant nihilominus conſtantiùs Hiſpani, quamuis illud tentamentum in caſſum iuerit: aliquod oppugnato oppido ſubſidium immittere. *Firmata igitur* ſex aliarum nauium aduentu ſua claſſe, in Gallicam *inuecti* tantam in eam è tormentis miſſilium procellam effuderunt, vt plures Gallorum naues, vel depreſſerint, vel incenderint. Verum Princeps Thomas ratus Hiſpanorum conſilium in eo eſſe, non vt tanta tormentarij pulueris, pilarumque iactura inani conatu claſſem furentibus illis iaculationibus verberarent: ſed ab altera parte faciliori aditu in Coſſæ ſubſidium conarentur inferre. Quamobrem iuſſit decem equites excubias agere in eo terræ tractu, quo lacus àmari diuiditur; ſpeculariquè intentiori cura euripum, quo lacus mari committitur. Sed non adeò vigiles equites in hoſtium tentamenta excubuere, quin milites quinquaginta in lacus aquas ingreſſi, & breuium ope, & lintrium auxilio, quos ad eos excipiendos obſeſſi ſubmiſerant, incolumes tandem in oppidum magno ſanè periculo defuncti peruaſerint.

Hiſpani Diui Stephani arcem oppugnant.

Hiſpanica claſſis Gallicam oppugnat.

Militum ſubſidium Coſſam intrat.

Quo fœlici ſucceſſu animoſiores Hiſpani, aliud validius peditum agmen in litore exponunt, vt eadem via in oppidum enitantur: ſed Princeps

Thomas

Thomas Nauailes dominum cum peditibus ducentis de Vxelles dynaſtæ legione per eã terræ lingulam properare iuſſit, vt adeuntes Hiſpanos miſſilibus ſummoueret. Seyroni quoque domino præcepit, vt expedita bellatorum manu ad Garnieri propugnaculum hoſtium conatibus intercederet: & dum Refuges dominus caſtrorum pręfectus, cui eius loci cuſtodia illo die contigerat, militum cohortes itineri inſtruit; Princeps Diui Annes, Tyllijque dominis imperauit, vt à portus Herculis parte per eamdem terræ lingulam euripi faucibus ſuccederent. Hiſpani interea duo ingentia peditum agmina in montis iugo ædibus ruſticis viciniori à Gallis in lacus litore inſeſſis explicauerant; & alia quatuor in remotioris montis faſtigio quaſi in pugnam inſtruxerant. Quare Princeps certus eos oppugnare, eorumque conſilia euertere, mille fortiorum peditum ex omnibus legionibus ſelectorum cum ducentorum nobilium equitum ala, quos ex ſuis popularibus domeſticis, & Crequij, Grimaldique turmis excerperat: in Hiſpanos immiſit: iuſſis Refuges, Tyllijque dominis Lugdunenſium, Narbonenſiumq; legionum ſubſidio eorum firmare latera, atq; adeſſe pugnantibus, cæteriſq; turmarum equitum præfectis idem ad montis radices agere, eoq; celeriter equitare; quo ſociorum neceſſitas euocaret. His ita conſtitutis, bellatorum ordines contra Hiſpanos ineunt iter: qui quia alteri ruſticę domui ad ima mõtis Gallicis ędib. vicinę centũ quinquaginta peditũ pręſidiũ impoſuerãt; ſubito eos tãto impetu Seyroni domini agmen inuaſit; vt momento expulſos ad ſuorum aciem in montis dorſum confugere coegerint: in quem enixi Galli ſtrictis in Hiſpanos enſibus inuehuntur. Plures eo primo agminum incurſu, impulſuque cecidere: miſcuere ſe illatis in aciem ordinibus Hiſpanis militibus Galli: vbique oritur pugnantium virtute cruentiſſima cædes; ſed tandem inuehenti ſe acriùs, furentique. Gallo ceſſit Hiſpanus cum montis iugo victoriam. In altera quoque parte Nauailes dominus ſtrenuè hoſtium conatus infregit; agmina militum litori exponere, ſub nauium, triremiumq; tormentorum iactuum tutamento, obtentuque deſtinantium: & tam diu quinquaginta tantum moſchettariorum manu Hiſpanos exſcenſu prohibuit; donec Demarchi Vxelles legionis aduentu æquatis viribus, pari quoq; animorum vigore, & corporum robore pugnaretur. Quinq; horas bellicæ æmulatione virtutis fortiſſimè vtrinque dimicatum eſt; tandem ſuperante Gallorum ardore, cum ingenti clade Hiſpani trepido receptu naues repetere compulſi ſunt. Par vtrinq; numerus ſauciorum, cęſorumq; fuiſſe creditus eſt. Plures Galli patritij eo certamine periere. Comes Amadeus Carailus ipſius Principis nobilis cubicularius, Baldiſſeræ, Liuernique domini, Retzius cohortium Duces, alijque equites, & nobiles volones. Refuges dynaſtæ, & comiti Frontenachi incuſſa vulnera. Ex Hiſpanis quatuor caſtrorum præfecti Hiſpani, & eiuſdem militaris dignitatis Neapolitanus eques eo certamine occubuere; plurimi verò gregarij milites interempti, ſed maior numerus ſauciorum, multos præſertim copiarum Duces vulnera tardarunt: inter

Galli in Hiſpanos vadunt.

Inter Hiſpanos, et Gallos ſeritur pugna.

Gallis victoria cedit.

Altera inter Hiſpanos, Galloſque pugna.

Hiſpani recedunt.

quos

Nicolaus Auria vulneratur. quos natalium ſplendore, bellicaq; virtute eminet Nicolaus Auria.

Orbitello. Princeps Thomas propulſis vbiq;, fugatiſq; Hiſpanis acriùs Coſſæ oppugnationi, animoſiuſque inſtitit; quamuis præſidiarij egregia virtute oppidum propugnantes omnes Gallorum niſus, aſſultuſq; eludendo difficiliorem quotidie, magiſq; arduam facerent obſidionem. Veritus tamen Dux Arcos Neapolis prorex ne aſſiduis vigilijs, pugnis, & laboribus laſſati tandem pertinacibus Gallorum conatibus cederent; niſi valido allato militum, commeatuumq; ſubſidio contra hoſtiles impetus firmarentur. Decreuit contractis illicò peditum, & equitum auxilijs, vniuerſis copijs admotis, Gallos ab ea oppugnatione decutere. Coactis igitur ſex peditum, & duobus equitum millibus Demarcho Torrecuſa, & Aloyſio Poderico ſupremis ducibus imperauit, vt quàm celerrimè poſſent, periclitanti Coſſæ ſubſidio feſtinarent. Pedites nauibus impoſiti eò tranſmittere iuſſi. Equites terreſtri itinere per caſtri dominatum Parmenſi Duce Regijs copijs tranſitum concedente, in imminentem oppido collem prouecti in ſummo iugo equeſtrem explicant aciem. Aderat Torrecuſæ Viti Demarchus, alijque nobiliſſimi equites parandi aliqua pugna bellici decoris cupidi. Princeps Thomas exploratis diligenti, accurato q; intuitu hoſtium viribus, cum ſe illis longè inferiorem, minuſq; validam eſſe conſpiceret; ſuorum pluribus fuga dilapſis, & certaminum frequentia conſumptis, & cæteris, qui ſuperfuerant, aſſiduis militiæ incommodis, ac laboribus fractis, eneruatiſq;, accitos ad ſe præcipuos copiarũ Duces conſulit, an ab ea oppugnatione abeundũ foret. *Imminere validum hoſtem, pedeſtres copias citò claſſe ad vectas ijs litoribus appulſuras, ſe ancipiti diſcrimine circumuentos, ſi ibi diutius perſtitiſſent, coactum iri perniciosum aliquod prælium inire; ſolam propugnantium virtutem vinci non potuiſſe, quæ vna eliſura erat Gallorum vires, fruſtraturaque conatus; quanto maiori audacia inſultaturam oppugnantibus eſſe, tam firmis equitum, peditumq; ſubſidijs opem ferentibus auctam? Inſtantem vndique hoſtem ad naues reditum interclusurum, niſi protinus reductis tormentis, amotoq; agmine, antequam vicinior hoſtis inceſſat, naues conſcendantur.* Quare excuſſis omnibus continuandæ oppugnationis difficultatibus, & periculis, in hanc ſententiam omnes Duces conuenere. Quando Gallica claſſis promiſſa militum ſupplementa, aliarumq; rerum ſubſidia non in ſuo in Italiam reditu adduxiſſet; poſſe ſine vlla bellici dedecoris, exiſtimationiſq; labe ab ea oppugnatione diſcedi. Quo Ducum placito, ac decreto auecta primum muralia tormenta, deinde ægri, impedimentaq; omnia nauibus impoſita, mox vniuerſus exercitus in ſuos ordines, atq; agmina inſtructus quarto decimo Kalendas Auguſti re infecta abijt incepto. In abeuntem Carolus à Gatta cum fortioribus præſidiarijs erumpens proſtremos ordines carpſit; coegit aliquot grauiora tormenta relinquere, quæ feſtinus receptus, maioriſq; accipiendi incommodi metus abduci prohibuit. Galli Telamonem claſſe prouecti abducto inde pernicioſo ſane conſilio, præſidio; quod illud munitiſſimum propugnaculum tenens finitimis terrorem incutere, frænumque

inijce-

Neapolis Prorex valida ſubſidia cogit.

Hiſpani Coſſæ ſubſidio feſtinãt.

Princeps Thomas Duces de receptu conſulit.

Galli à Coſſæ oppugnatione diſcedunt.

Digitized by Google

inijcere poterat partim in Galliam,partim in Taurinos indecores rediere. Ita eo Gallici belli diſcuſſo turbine,ſerenatiſq;armorum nubilis,quæ vaſtitatem vicinis regionibus, ac populis intentarant, reddita priſtina quies Italis Principibus,ac tranquillitas eſt;qui eo Gallicę viciniæ,inquietæ,ferociſq; gentis metu amoto,ſuos quiſq;fines exarmarunt. Nam ſummus Pontifex,Magnus Etruriæ Dux,Reſpublica Lucenſis,Genuenſeſq; finitimas arces,& oppida validis præſidijs munierant, ne flagrantibus bello vicinis, eadem flãma in ſuos,quoq;fines irrepens cuncta ſuccenderet. Exactis è Tyrrheni maris litoribus Gallis, Hiſpani miniſtri delẽdæ penitus,deprimendęq; Gallicę claſſis omiſſa ducum pertinacia, & ſimultatibus occaſione,querebantur. Caſtelleq;Almirans Hiſpanici triremium,nauiumq;agminis ſummus nauarchus,& Linares comes Neapolitanę claſſis pręfectus malè adminiſtratæ reipublicæ poſtulati à purpuratorum conſilio in Hiſpaniam acciti, actiq;rei cauſam dixere, atq;de ijs diligens habita quæſtio.

Acerbiores, dolentioreſq: infœlici Gallicorum ad Coſſam armorum euentu de Cardinali Mazzarino in regia aula erant Procerum querelæ; *eius nimis cupidis,violentiſq;conſilijs liberè,atq;acriter obtrectantium; quòd Gallicæ iuuentutis,bellatorumq; florem ad ſuo nomini exiſtimationem, decuſq;conflandum in longinqua nullo compendio bella miſiſſet; cum in propinquo vtiliores,minoriſq;impendij expeditiones ſuſcipi poſſent: parta magis tuenda,muniendaq;quàm bella ferendo ex bellis inuiſam Gallicam gentem alieni cupidam, rapacemq; Italis Principibus facere. Adhuc plures Belgij vrbes ſupereſse bello ſubigendas,in quas Gallicus ardor,armaq;verti,impendiq;poterant.* Huiuſmodi querimonijs Cardinalem Mazzarinum Galli proceres vellicabant;ſed vt gens ſuo ingenio exteris ſemper inſenſa aduenas omnes natiuo odio peroſa; ita Antiſtitis Itali nimiam in Regia aula potentiam ægerrimè patiebantur.

Gallica aulæ de Cardinali Mazzarino querela.

Hiſpanorum victoriæ lætitiam Torrecuſæ Demarchi fœdauit interitus, qui depulſi Coſſa Galli forti,ac fideli Regi ſuo præſtita opera, plenus bellicæ virtutis, militariſq; decoris gloria ſeptuagenarius exceſſit è vita, inter prima Caracciolæ gentis clariſſimi generis ducum, Heroumque parentis nomina recenſendus:qui manu promptus,conſilio cautus,animoſus quantum ſui Regis obſequium poſtulabat, ea ſolitus bellorum, ac certaminum pericula eluctari, quæ ipſi ijs defuncto ſtrenui imperatoris laudem, ac nomen acquirerent: exiguam ſuæ æquandæ bellicæ gloriæ ſpem cæteris ſui ſeculi ducibus fecit.

Torrecuſæ Demarchi interitus.

Eius animi dotum excellentia.

ILVA-

Digitized by Google

ILVA INSVLA, ET POPVLONIA à Gallis expugnatæ

NARRATIO VIGESIMA SECVNDA.

GAlli quondam alpium clauſtris intra ſuas compulſi Gallias libero aliquo in Italiam aditu potiri votis omnibus expetebant: ex quo Henricus tertius tota Gallia fremente, è Sarmatis rediens, quorum rex fuerat omnium dynaſtarum eius gentis, & procerum ſuffragijs renuntiatus, auitum regnum hæreditario iure aditurus ad demerendum Allobrogum Ducem illi Pinarolum, Peroſam vallem, Sabinianumque reſtituerat, à præceſſoribus Regibus eorum fidei Principum pignora ad illum diem vſque detenta. Tandem Ludouico decimo tertio imperante, omnibus Gallorum conatibus velificante fortuna, implenteque vota, iterum Pinarolum adepti aditum ſibi in Italiam aperuere.

Quare non erat cur amplius liberi deſiderio in Italiam tranſitus angerentur; cum in illam ad arbitrium poſſent irrumpere. At non reſeratis alpium foribus, nec Caſalis ſede contenti in media Prouinciæ viſcera penetrare, atque ad præcordia peruadere omnibus viribus nituntur; ad quod aſſequendum, vt ſibi præſtruant gradum, adiacentes Tyrrheni maris litoribus inſulas ad recipiendas in tutam ſtationem claſſes, obtinendumque eius maris imperium occupare conantur: & quamuis pluribus ſimul bellis diſtinerentur Gallica arma: non tamen poſterior de Italicis rebus Gallis proceribus inerat cura; immo quaſi Italia foret ſuorum omnium deſideriorum meta, claſſibus in Tyrrhenum mare, atque in Italiam copijs immiſſis, in hæc bella acriùs animos intenderunt: notataq; Etruſcis litoribus vicina, interfuſo tantum latiori Euripo, Ilua Inſula, dum vltrò, citròque ad Neapolis ſeditionem fouendam in Inferum mare Gallicæ claſſes excurrunt; ad intercludendam Hiſpanis nauigationem, atque in media Italiæ latera exponendis exercitibus opportuna; hanc repentino impetu aggredi ſtatuunt: rati nullam magis parandæ in Italia ſedis idoneam occaſionem futuram, quam cum Venetis grauiſſimo Turcico bello implicitis, & Summo Pontifice quietioris ingenij bellicos tumultus, & ſtrepitus, ex animo auerſante, nullus erat, qui ſuis conatibus intercedere poſſet: non enim alias paſſuri erant inquietam, atque indomitam Gallorum feroциam maiores in Italia bellorum flammas accendere, importuniſque armis tranquillum rerum ſtatum turbare. Ad hoc audendum Gallos in Italiæ terrarum acquiſitionem ſuo ingenio propenſos plures Gallicæ gentis ſtudioſi oblatis

oblatis auxilijs, atque opibus animabant. Præcipuè Barberini fratres Cardinales, ſuæ contemptu amplitudinis aſperati, quo ſe vicina Gallorum potentia fulcirent, in hoc multi erant: nec deerant alij proceres, & dynaſtæ, qui Gallorum in Italia incrementa percuperent. (iam enim continua Gallicæ gentis vbique fortunæ fęlicitas ab Hiſpanis alienatos plurimorum illis animos conciliarat)

Galli, itaq; tantis ſubſidiorum, pecuniarum, militum ſpebus innixi, nihil minus, quàm hoc metuentibus, aut cogitantibus Hiſpanis, in orientem rurſus verſis proris, claſſem propellunt; Milliareo, & Pleſſio Pralino caſtrorum prefectis Iluam inſulam, Populoniamque Etruſcis litoribus prætentam aggredi iuſſis, eo conſilio; vt ibi poſitis ſedibus, non ſolum tutum claſſium receptum haberent; ſed etiam copias exponerent, quòcumq; caſus ferret, ac neceſſitas vocaret in mediterranea Italię promptiùs expeditiùſq; mittẽdas.

Gallica claſſis in orientẽ nauigat.

Milliareus igitur inſtructa epibatis, ac commeatibus claſſe, Telo Martio ſoluens ſexto Kalendas Octobris in Liguſticum mare decurrit, vt in ijs litoribus Pleſij Pralini legiones exciperet; à Taurinis per Dianiæ vallem in eam oram abductas; miſſis prius Genuam Tolini domino, & equite Tebaulſio non tam, vt Hiſpanorum conſilia, apparatuſq; explorarent, quàm vt illius ſenſa Reipublicæ rimarentur, an integram, ſe ea belli occaſione præſtitura eſſet. Quinq; itaq; bellatorum millibus in claſſem acceptis, ad Iluam Inſulam ex aduerſo Portus Longonij appulit naues; exploratis ante per equiſonem ſuum facilioribus ad exſcenſum litoribus, impoſitaſq; lembis, cymbis, myoparonibus Saultij, Caluierij, Berengierique cum equitibus ſexaginta de Reginæ agmine comite Bourgij præfecto bipartito in litus exſcendunt.

Tolone:
Oneglia:

Gallica claſſis Iluã Inſulam aggreditur.

Procedentibus aliquot Hiſpani pedites occurunt; qui ſemel minoribus tormentis in Gallos emiſſis, relato celeriter gradu, in vicinam turrim refugiunt. Lunas dominus Gallici maris præfecti Dux prætoriæ cohortis cum Villa noua ſuo legato, diuerſam inſulæ partem aggreſſus, in Italorum primo ſe ſe offerentium cohortem inuehitur; qui intra eas montium ſalebras collineatis in ora maioribus ſclopis, denſatis ordinibus Gallos excepturi videbâtur. Verum hi quoq; diſploſa glandium procella, in alios montes intenta fuga in oppidum trepidi ruunt. Subſtitere Galli ignari locorum, donec Pleſſius Pralinus Milliareus per ſalebrarũ anfractus, tortuoſos calles, & inuia ſaxa, & torrẽtiũ obiectus oppidũ verſus recta iter capeſſũt: quo ſupernè deſpecto, accuratèq; ſpeculati poſitum loci claſſem iterum vniuerſi conſcendunt; relictis tamen in Inſula Faber, Curcelleſq; dominis caſtrorum pręfectis cum duobus peditũ millibus, vt ibi poſitis caſtris, aggeribuſq; vallati oppidũ oppugnarẽt: ipſi cum cætera claſſe quarto nonas Octobris Populoniã verſus dirigũt proras; expoſitaq; in litus Auerniæ legione, Grillone tribunitio legato, & quatuor Helueticis cohortibus Monteſi dynaſta præfecto, & Pleſſij Pralini legione cum Pontoui Nauailei cohortibus duce Sus domino chiliarchi Monpezati legato, & Amayzi Gaſti peditum centarijs, ibiq; nemine copiarũ exſcenſionẽ prohibẽte, pręter centum quinquaginta

Galli in litus exſcendunt.

Galli Populiniæ ſuccedunt.

Hiſpanos

Hiſpanos equites toto eo litore procurrentes, qui ad primos triremium tormentorum ictus celeri ſe inde fuga intra vicina latibula abdidere: obſtrepentibus militari ſolito procedentis agminis pulſu tympanis, ſucceſſe- *Piombino.* re compoſitis ordinibus Populoniæ ad maioris ſclopi iactum: nocteque ſe- *Populoniam oppugnant.* quenti ad portam verſus continentem admouere vineas, ac pluteos aggrediuntur. Manicampi dynaſta in veteri propè oppidum æde ponere legioni ſuæ ſtationem parabat: ſed frequentibus tormentorum iactibus, quæ è mœnibus diſplodebantur, diruta funditus domo, retro agmen abducere extra miſſilium iactus compulſus eſt. Galli tamen nihil terrente telorum frequentia, quæ à propugnatoribus in ſubeuntes ingerebantur, acto ſub mœnibus cuniculo, excidium oppidanis minantur niſi ſe protinus dedant: cum interim Louuiere dominus rei tormentariæ præfecti ſupremus legatus educto altiùs tumulo tormentario, quinque ingentis formæ tormentis nonis Octobris adeò horibili globorum procella mœnia, oppidi interiora, tecta quatere inſtitit, vt obſeſſi immanibus tormentorum fragoribus atto- *Populonia deditur Gallis.* niti, ne tectorum cadentium ruina obruerentur; Gallos de paciſcenda deditione compellarint: vrgebat inſuper oppidanos acriùs cuniculi timor, ne concepto igne muros euerteret, ac proinde per ruinas denſato agmine in oppidum hoſtis irrumperet. At Milliareus reſpuit ciuium deditionem, niſi caſtelli, arciſque præſidium iiſdem deditionis paciſcendæ conditionibus includerentur. Multum, diuque Gallorum petitionibus obſiſtenti, obluctantique arcis præfecto Franciſco Bezo Neapolitano maiori Statori, ea ſpe, tam diu ſe poſſe tueri, donec alicunde ſubſidia ab Hiſpanorum Socijs, ac ſtudioſis accurrerent: per Abbatem Cameram, & Ducem Hieronymum Pilem Italum Milliareus obnuntiat abſciſſè; ſe illum necari ſuſpendio iuſſu- *Arx, quoq; deditur Gallis.* rum, ſi cuniculi erumpentis impetum expectaſſet. Tam acri fœdiſſimæ necis obnuntiatione territus prefectus promiſſis ingentibus inſuper delinitus non ſolum adductus eſt: vt de propoſitis deditionis conditionibus conue- *Deditionis leges.* niret; ſed etiam Galli Regis ſtipendia mereri decerneret. Sic igitur de deditione conuenit, vt niſi triduo validum ſubſidium afferretur, obſeſſi oppidum, arcemque traderent: omnium ſaluti, fortunis, libertati eſſet conſultum, qui Gallo Regi dicerent ſacramentum, atque in eius verba iurarent, ſe ibi eodem modo ſub Gallorum imperio acturos, quo ſub Hiſpano Rege vixiſſent. Cuicumque profugo, qui belli metu aliò migrauit, integrum foret in patriam regredi, dummodo eodem ſe ſacramento obſtringeret: acceptiſque a Gallis tribus ex primatibus vrbis, & totidem præſidij miniſtris obſidibus, ſeptimo idus Octobris oppidum deditur magni ea tempeſtate *Populoniæ ſitus magni momenti.* momenti: cum ab eo tutiſſimo receptaculo vicina quæq; intentatis armis, non modo terrere, ſed etiam in mediterranea procurrere poſſent. Iacet Populonia ad Tyrrheni maris littora, quibus ab arce imminet, & mare latè proſpectat, amplo circuitu ouali figura, atque ædium magnificentia conſpicua, quà deſinit hinc ingentem parmulam obtendit; illinc ſui Principis regiam oſtentat: qui oppidum ea lege teneb at; vt arcem Hiſpanicum præ-

ſidium

ſidium tueretur; quæ quatuor propugnaculis aggeſta tellure munitis ad mare vallatur: in media arce caſtellum exurgit ſitu firmiſſimum, quod facili opere, atque exigua impenſa inexpugnabile fieri poſſet. Aditus portus mediocris, à quo terræ lingula in mare protenditur, in cuius capite aliud caſtellum ſaxo impoſitum ingreſſum tuetur. Hic dominatus quatuor oppidis incolarum frequentia ditibus opulentum viginti paſſuum millibus patentem agrum feraci, pingui, vberiq; ſolo amplectitur.

Galli Populonia potiti liberi poterant toto inter Iluam, & continentem euripo ſua claſſe, pyraticiſq; myoparonibus in nauigia illàc tranſeuntia procurrere, circuniectaque maria ſuis triremibus habere infeſta: magno ſanè præternauigantium mercatorum incommodo, quòd ea Gallorum ſtatione clauſo mari, Neapolim, Siciliamq; ſuas merces tranſmittere prohiberentur. Aditum præterea ſibi in Etruriam, Pontificiamque ditionem patefacere poterant Galli, quotieſcumque occaſio inferre ſigna ijs ditionibus poſtularet. Quare patuit finitimis Principibus potius, quàm Hiſpano Regi Populoniæ adeptione impoſitum iugum. Ad quadraginta tantum Gallorum cæde, plurimorum tamen vulneribus celebris oppidi expugnatio ſtetit. Betunæ Demarchus peditum legionis tribunus, Faræ dominus aciei præfectus, Gaſti dynaſtæ legatus occiſi. Heluetiorum chiliarchus, & Alumarus ordinum ductor vulnerati. *Populoniæ opportunitas.*

Pleſſius Pralinus Milliareo in Populoniæ oppugnatione relicto, pridie nonas eiuſdem menſis, triremibus in Iluam inſulam in caſtra redierat: eodemque Milliareus relictis ad Populoniæ cuſtodiam peditibus octingentis, & equitibus quadringentis cum Fleuri domino Magalotti legionis tribuno, oppidi verò præfecto Manicampi dynaſta ſupremo copiarum legato, prouectus, aggeres oppido ſimul inſtituunt promouere. Mille ducenti foſſores Saulſi legione firmati tanto animorum ardore munimenta excitarunt; vt ducentos, & quinquaginta paſſus productis aggeribus ad ſclopuli iactum ad exteriorem murum proceſſerint: ibique mille peditum legio ſubitaria ſe lorica vallauit; quamuis obſeſſi frequentibus tormentorum ictibus, & crebris, validiſque eruptionibus opus impedire, vel ſaltem remorari tentauerint. Gallorum tamen octoginta, & plures foſſores inter moliendum miſſilibus cęſi. Verum, vt clarius expeditionis, obſidioniſque difficultas legentibus innoteſcat; ſubijciendum eſt oculis ingenium loci, & oppidi poſitus cognoſcendus. *Galli in Ilua Inſula ſe muniũt.* *Ilua Inſulæ deſcriptio.*

Ilua Inſula in mari Tyrrheno Italiæ continentem, & Cyrnem interiacet, de qua Virgilius, 10. Æneidum *Aſt Ilua trecentos* *Corſica.*

Inſula inexhauſtis chalybum generoſa metallis

De qua etiam Plinius, ferri metalla vbique propemodum reperiuntur, & minima difficultate cognoſcuntur ipſo colore terræ manifeſto. *Plin. lib. 34 cap. 14.*

Augent metalli feracitatem, vel incolæ ſibi in patrio ſolo adblandientes: vel communis mortalium error; ibi ferrum in iiſdem ſodinis, è quibus effoſſum fuerit, renaſci, vt iterum effodiatur; ſic enim aiunt, cum in alijs regio-

Digitized by Google

Mirum de- ferri fodinis naturæ be- neficium.

regionibus effoſſis metallis terræ ſint vacuæ inani loco relicto: apud Iluam hoc eſſe mirum, quòd ſublata renaſcuntur, vt iterum effodiantur. E media inſula fons adeò mirus erumpit: vt creſcentium, decreſcentiumque dierum magnitudinem, breuitatemque ſequatur: vt æſtiuis caloribus ſole agros vrente, cæleſteque ſignum Cancri oberrante, cum longiſſimi ſunt dies, tanta aquarum copia fluat, vt molendini rotas facile verſet: altiſſima hyeme penè ſiccus areſcat. Mediam inſulam, quà in oriētem excurrit, tenet Hiſpanus: ad oppidi frontem ad meridiem ampliſſimus, ac tutiſſimus totius Italiæ latè patet portus, cuiuſcumque numeroſæ claſſis capax; alteri ad occidentem parti magnus Etruriæ Dux dominatur: hìc quoq; Inſula ſe in cornua curuans Ferraium efficit portum abſolutiſſimo opere munitum, vigilique cura ab Etruſcis militibus cuſtoditum. Portum Lōgonium oppidum vocant totius inſulæ primarium naturæ munere, humanaque induſtria munitiſſimum; quod firmiſſimis mœnibus, & quinque prominentibus propugnaculis ſolidiſſimæ ſtructuræ vallatum, è diriſſima caute in ſublime ſe tollat; foſſa lata, altèque depreſſa circum mœnia ducta. Exterior murus aduerſum interiorem altitudine æquat. In ea Inſulæ parte, cui primum Galli appulere, tres frequentes pagi maris litori prætexuntur, qui ingentem vini copiam ſitientibus epibatis ſuffecere: octingenti quoque tritici modij reperti, quorum pretio incolis Magni Etruriæ Ducis vectigalibus benignè à Gallis, comiterque ſoluto, aliquot dies copijs annona ſuppetijt. Quare deinceps oppugnatione durante, omnibus frugibus, quas Inſula fert, lucri cupidis conuehentibus illas in Gallica caſtra indigenis, miles affluxit. Primum omnium antequam vlterius procederent copiæ, fuit illa turris expugnanda, in quam Hiſpanos à prima velitatione refugiſſe diximus. Iuſſus igitur Salnouæ dynaſta cum ſuo agmine, firmante latera Montadæ domino, eiuſque legione illam inuadere. Vix ſuccedentia propè ſigna Gallica micuerunt: cum præſidiarij tutum pacti diſceſſum turrim dedidere, relictis quatuor campeſtribus tormentis in illam adductis, vt miſſilium incuſſu à litore hoſtes arcerent. Alia ſurgebat in montis vertice turris captæ imminens, quæ Pharos nocte nauigantibus erat: hanc Valernaui dominus Saulti legionis Dux aggredi cum centum Gallis peditibus iuſſus ſubit infeſtus: præſidiarij animoſiores Gallos omni telorum genere ſummouent; & adeò non aliquam deditionis ſpem faciunt, vt etiam triduò ſtrenuè hoſtibus aſſilientibus obluctati plures audaciùs propiùs accedentes occiderint. Galli, cum neque terrore, nec minis, obnuntiationeque cædis, aut vi aperta Hiſpanos ad deditionem compellere poſſent; in militares aſtus verſi terræ tumulo excitato, actum ſub turris fundamentis cuniculum ſimulant, edicuntque præſidiarijs, ſe cuniculo incenſo turrim funditus euerſuros, ni ſe protinus dedant; quo præſentis ruinæ allato terrore, ſe Gallorum arbitrio tradidere.

Quondam Argeum.

Portus Longonij deſcriptio.

Turris deditur Gallis.

Pharos turrim Galli inuadunt.

Pharos Turris deditur Gallis.

Pleſſius verò Pralinus turribus captis, cum Faberi domino caſtrorum præfecto alio producto aggere, propè exteriorem murum leui propugnaculo

culo aduerſum ſucceſſerant: ad quos arcendos cum, & tormentorum miſſilium frequentia, & crebris eruptionibus obſeſſi in ſubeuntes impetus darent; ardua, difficilis cruenta ea oppugnatio futura videbatur; cum Gallorum plurimi caderent, & vulneribus tardarentur. Eductis deinde duobus tumulis tormentarijs, ternisque impoſitis tormentis, oppidi mœnia miſſilium pulſibus concuti cæpta; ſed cum non minori induſtria, atque arte collineata tormenta in Gallos ab obſeſſis emitterentur: eorum pulſu telorum vnum hoſtile tormentum diſruptum, duo alia de rotis decuſſa, diſiectaque, & lacerati plurimi libratores, & tormentorum præfecti nonnulli diſcerpti fuere. Nihil tamen Gallos propugnantium virtute morante, reſtituto tormentorum apparatu, continua globorum tempeſtata propugnacula, interiacentiaque mœnia diuerberant: quorum ictuum violentia, proſciſſa, fatiſcentiaque primum, deinde ingenti ruina ſternuntur, denudatiſque loricis, tutiùs Galli foſſæ ſuccedere poterant; in quam tandem vel contra frequentium miſſilium iactus, crebraſq; Hiſpanorum eruptiones per cædes, & vulnera euaſere, admotiſq; repente vineis, pluteis ſub aduerſo propugnaculo cuniculum effodere aggrediuntur; ſed non adeò impunè, vt non plures in eo conatu ceciderint ex clarioribus bellatorum: funeſtiorem fecit cladem Claruilles egregij architecti, & machinatoris cædes.

Oppidum à Gallis oppugnatur

Galli in oppidi foſſam euadunt.

Oppido, prementibus acerrimè hoſtibus ad vltima compulſo, Dux Arcos Neapolis Prorex de Hiſpani Regis ſui rebus maximè ſolicitus, & Caſtellæ comeſtabilis Mediolani produx, Vitiq; Demarchus ſupremus Neapolis triremium nauarchus raptim coactis ad oppugnatæ Iluæ inſulæ nuntium auxilijs, aliquod periclitanti oppido ſubſidium afferre, antequam magis vrgeretur ab hoſtibus, properabant; opportunaq; tanto malo intentiſſima cura quærebant; ſed adeò confuſi eo repentino Gallici belli impetu, atque attoniti omnium animi trepidabant; vt neq; cogere agmina, neq; claſſem inſtruere, neq; arma expedire in tam ſubito, inopinatoq; Gallorum aggreſſu ſatis noſſent. Non enim putaſſent Gallos à Coſſæ oppugnatione tanta cum eorum bellici decoris iactura, ac clade decuſſos difficilius facinus auſos, expeditionem magis arduam ſuſcepturos. Quare breuitas temporis ea valida accire, ac colligere militum auxilia prohibuit; quæ ad Gallos ab Ilua pellēdos, ſeruandāque ab hoſtibus inſulam Hiſpani Duces congerere voluiſſent. Tum maximè conſtitit, eo Gallorum auſu, non eadem eſſe illis ingenia inconſtantia, à primo irrito impetu torpida; quę quondam eorum maioribus fuerant; de quibus illud iactabatur, diuturna rerum experientia ſcomma probante, Gallos primis conatibus mortalitatis faſtigium excedere; potentioreſque humanis vires afferre: at vbi primi impetus conſedere, fœminis eſſe minores. Siquidem amiſſæ ad Coſſam bellicæ exiſtimationis pudor eorum acuit iras, accenditque animos, vt longè maius opus aggrederentur: non enim infœlicibus expeditionum terrentur euentis, ſed aduerſa fortuna acriora aggerat incitamenta

Caſtiglia.

Hiſpanorū de Gallico bello trepidatio.

orbitello.

Dicterium in Gallos fallax.

 vrgen-

Digitized by Google

vrgentiùſq; ſtimulat; vt ad reparandum bellicum decus longè difficiliora conentur.

Vbi ab hoſtibus in foſſam penetratum eſt; repentè vineæ agi cœptæ, vt tecti ab obſeſſorum miſſilibus mœnia tutò ſubirent: verum opus intermiſſum eſt; cum glareoſum, ſabuloſumque ad ſeptem, aut octo pedum craſſitudinem glutinari non poſſet. Quamobrem Pleſſius Pralinus, & Manicampi dynaſta, qui Populonia in caſtra oppugnationem promoturi aduenerant, explorata accuratiùs per plures milites foſſa; cópertoq; obſeſſos nullos tranſuerſos aggeres obmolitos, ſub propugnaculo duabus ingentibus parmulis defenſo agi cuniculum iubent; ſed cum murus lapidibus quadris, magniſque eſſet extructus; non ita facilè foſſoribus fuit; quemadmodum in aliis ſtructuræ mœnibus, ad interiora peruadere, ſeque intra effoſſum murum à miſſilium iactibus abdere; idcircò nullis tecti pluteis, immo ictibus inceſſentium obnoxij plures bolidum incendijs, ſulphureis glandibus, alijſque telorum generibus, quæ vndique in inuadentes à propugnatoribus torquebantur: confoſſi, exuſti, ſaucijque cadebant. Quatuor cohortium ſtatores, & duodecim pedites momento confecti miſſilibus perierunt. Verum nihil horum nece morante, Galli tranſuerſos aggeres ad duas illas parmulas agunt: eodemq; tempore in exteriori foſſæ labro tormenta librant; vt Hiſpanos ab interiorum mœnium propugnatione depellant, ſuoſque in muros enitentes miſſilium iaculatione defendant. Nocte ſequenti Milliarcus parmulas iuſſit inuadi; ideò Mottæ dynaſta Auerniæ legionis ſtator maior, Vollieresque domini Saultij agminis maiores ſtatores, & Fauinus Pleſſij cohortium primipilus quinquaginta totius fortiſſimis exercitus ſtipati, præeuntibus agmen Plaupicorti, Pholampriſæque dominis eorum legatis augente animum militum exploratorum nuntio referentium, oppidi portam aſtiochi impetu poſſe proſterni; animosè aduerſus parmulas promouent gradum. Inter conandum nuntius affertur, aliquot Hiſpanas triremes, & myoparones accedere, Carolo à Gatta Duce, vt in oppidum ſexcentorum peditum ſubſidium immittant: quo rumore ſoliciti Galli Duces Heluеticis legionibus, & Pleſſij, Monpezati, Gaſtique agminibus imperant; vt litori vicinioribus, in quod Hiſpanum ſubſidium exſcendere poterat: ſe propè oram prætendant; vt ad tormenti fragorem quò vocarentur, accurrerent, celeriuſque ad hoſtem litore prohibendum expediti in armis, atque ordinibus eſſent; hanc fore teſſeram procedendi. At nullo Hiſpanorum apparente ſubſidio, Pleſſius Pralinus, Faberi, Guilotieræque domini tranſuerſos hinc inde aggeres educi iuſſerunt, vt cuniculi foſſores à præſidiariorum miſſilibus tegerentur: tormentaque in foſſæ ſupercilio tuto collineari poſſent: quò manibus attracta ob ſalebroſæ, aſperæque viæ inuios anfractus: mox incenſi cuniculi violentiſſimo impetu ſubruto propugnaculi muro, aditus quindecim paſſuum latus ad inuadendum hoſtibus patuit. Quò conſpecto Curſelles dominus viginti promptiorum militum globum

Galli à præſidiarijs cæduntur.

Subſidiariæ claſſis aduentus falſus nuntius

Cuniculi impetu mœnia diruũtur.

globum in cuniculi ruinas iuſſit eniti; ibique poſita ſtatione, conſiſtere. Sed aduerſo periculo propugnantes artificioſorum ignium, bolidum, omniumque telorum iactibus Gallos de propugnaculi ruinis deturbare conantur; quo certamine plures Galli confoſſi miſſilibus cecidere: ipſe ſtator maior Motta cæſus, & Curſelles dominus grauiter vulneratus. Sed quò tutius Galli in propugnaculi faſtigium eniterentur, duos aggeres in ipſis ruinis obtendunt; quorum obiectu, ſe à telorum incuſſibus tuerentur: verum ad propulſandum diſcrimen affluentibus præſidiarijs, vinearum opus proſciſſum, abruptumq; eſt; nec vlterius, quam decem paſſus à Gallis potuit penetrari, quamuis ſupremos ſæpius conatus edidiſſent, Hiſpanis contis, haſtis, pilorum cuſpidibus ſtrenuè audaciores arcentibus Galli cum obniti inuictæ propugnantium virtuti, atq; ſtipatos eorum ordines ad ruinarum aditum prætentos perrumpere non poſſent; immo nec pedem vlterius prouehi, niſi manifeſta cum pernicie, certiſſimoq; ſalutis diſcrimine potis eſſet: vicenos quinos ex copiarum agminibus manu promptiorum, fortiorumque, ſingulos Duces, binos ſtatores ex omnibus legionibus ſeligere ſtatuunt; vt bellatorum florem, exercituſque robur propugnantibus objiciant. Erat omninò inuicta, lectiſſimaque Gallorum militum manus, quæ in imo ruinarum inſtructa acie, denſatiſq; ordinibus bellici cãtum, inuadendiq; ſignum cupidè expectabat. Comes Pleſſius ante primos ſuæ legionis ordines bellator, & ductor ingenti animo contra effuſam miſſilium grandinem per ruinas prætento clypeo, ſtrictoq; gladio impauidus, in obiectos Hiſpanorum ordines, confertaq; agmina irrupturus enititur. Hic enim verò tam inuadentium, quàm propugnantium virtus inclaruit. Galli inter miſſilium nimbos impauidi hoſti inferunt gradum, & quãuis inter confertos ordines nullis caſſo vulnere incidentibus telis, plurimi caderent; eſſetq; per ſociorum ſtrata cadauera, diſcerptaq; viſcera aditus ad propugnaculi faſtigium moliendus, atq; per vulnera, flammas, ſaxorum turbines, pluuioſq; ignes, feruentiſq; olei effuſas procellas in oppidum irrũpendum: illi tamen nullo præſentis necis horrore, neque fœda pereuntium commilitonum ſtrage deterriti eodem veſtigio hærent, pugnantq; contra ingruentia miſſilia, immo contra ipſam mortem in ſocios immani clade graſſantem. Hiſpani verò quanti in ea acerrima pugna fuerunt? in rerum ſummam pro ſuo Rege, pro bellicæ virtutis exiſtimatione, ſeruandoq; ſuæ fidei commiſſo oppido nulla ſalutis cura certabant. Nunquam duæ mutuo ſibi infenſæ gentes maioribus odijs, infeſtiſq; animis concurrerunt. Stipata ordinum fronte ruinis obiecta, contra è ſclopis incuſſam gladium tempeſtatem in morientium integris protinus ſubeuntibus locum, nihil ſuo moti gradu ferociſſimos Gallorum impetus ſuſtinebant: impactis in pectora, oraque ſe audaciùs, ac temerè prouehentium haſtarum cuſpidibus, hoſtes de ruinis in foſſam reſupinant: gladijs, bolidum iactibus, prætentaq; pilorum ſegete irruentes excipiunt. Fœminarum quoque, ac puerorum ferocitas, ac virtus emicuit ſaxa, arma, tela militibus ſufficientium,

Galli ruinas inuadunt.

Propugnantium inuicta virtus.

Galli militum florem præſidiarijs objiciunt.

Gallorũ inuadentium & propugnantium virtus egregia.

Cruentiſſima in mænium ruinis pugna.

Imbellis turba ferocia.

Digitized by Google

atque inter volitantium vndique miſſilium pericula impunè verſantium. Verum ſeptem tormenta in aggredientium latera aptè librata, diſploſaq; Gallis propè vltimam attulere perniciem, quæ plumbeis glandibus cupreis filis ſimul annexis, ferreis clauis, aliiſque peſtibus grauida in ſubeuntes emiſſa ita horribilem, fœdamque ſtragem Gallorum edidere; vt ne cunĉti inulti perirent, referre gradum omiſſo certamine cogerentur: conſtitere tamen in ipſis ruinis inuitis Hiſpanis: accurrentibus enim auxilio ipſis ſupremis copiarum ducibus cum lectiſſima volonum nobilium bellatorū manu, ruentibus certatim in pugnæ diſcrimina, quamuìs è propugnaculi faſtigio ignium effuſa diluuia Gallos flammis obruerent; aduerſaque tormenta, quidquid telluris foſſorum labor educeret, incuſſis globis per aera raperent; retentæ tamen inter frequentiſſima tormentorum contorta fulmina, ſumma virtute ruinæ, atq; in ijs valida fortiorum militum poſita ſtatio. Quatuor horas cruentiſſima tenuit pugna; qua plures Gallorum clari Duces, vt iniquo loco cum hoſte supernè inceſſente certantes occubuere. Baumæ purpuratus, & quatuor alij cohortium præfecti ciciderunt. Comes Pleſſius ſaucius pugnæ ſubductus relatus in caſtra, Neſtici, Cauĉtique dynaſtæ vulnerati reliquum militum vulgus miſſilibus laceratum, exuſtum, hauſtumque flammis tota iacuit foſſa horrendo ſanè ſpectaculo.

Gallorum à pugna receptus.

Galli ruinas retinēt.

Obſeſſi animaduerſo quo animorum ardore, vigoreque virium, qua inuicta virtute à Gallis inuaderentur; veriti ſi huiuſmdi impetus iterarent, ne in oppidum tandem pertinaci niſu, depulſis præſidiarijs, inuecti ignibus in tecta, ferroque in oppidanos, & milites ſueta victorum ſæuitia pro inſolentiæ arbitrio graſſarentur: cum pluribus vigilijs, laboribus, pugniſque conſumptis, iam præſidium ad exiguum numerum recidiſſet; omnique ſubſidio deſtitutos ad vitam trahendam multa deficerent; tertio Kalendas Nouembris nocte per tubicinem Gallos ad colloquium vocant: nec mora duobus præſidij ducibus ſequeſtris de deditionis conditionibus vtrique conueniunt: quarum ſumma hæc fuit, vt domnus Alphonſus de Ribera oppidi præfectus cum omnibus armis, & ſarcinis, & duobus muralibus tormentis exiret: Præſidium, cuius ſaluti, rebuſque cautum eſſet, Gallicis nauigijs ad Herculis portum deduceretur: qua iurata præſtita fide, Canillachi dynaſta pridie Kalendas Nouembris victor oppidum inijt, ſequentibus Auerniæ legionibus, & Helueticis cohortibus. Sexcenti, & quinquaginta quinque præſidiarij oppido prodiere omnes fermè Hiſpani paucis Italis de Inſulæ indigenis admiſtis. Ita illa maximi momenti arx cum amplo portu, in quæ ſe Hiſpanicæ claſſes nauigiaque Neapolim tranſmittentia ſe recipere plerumque ſolebant; in Gallorum poteſtatem venit: eo potiſſimum tempore; quo iam mare autumnalibus nimbis, rigoreque hyemis aſperantibus Galli ad Coſſam fracti, victique expeditionem longè difficillimam nunquam ſuſcepturi videbantur. Verum docuit euentus nihil eſſe inuium,

Propugnātiū metus de Gallorū virtute.

Præſidiarij Gallis opidum dedūt

Orbitello.

in ac-

inacceſſumque virtuti, militareque robur, ac conſtantia omnia peruincere. Huius iactura loci, vt Hiſpanorum animos grauiter perculit; ita finitimorum Principum mentes valdè pupugit, grauiorq; cura illis inceſſit, ne inquies, & ferox hominum genus in vicinorum perniciem in continentem arma proferret; tranquillumque rerum Italiæ ſtatum Gallorum habendi cupiditas perturbaret. *Nihil inuium virtuti.*

Milliareus, & Pleſſius Pralinus valido præſidio ea arce firmata, commeatibuſq; & tormentarijs apparatibus abundè munita, Populoniã cũ reliquis, ſe cohortibus contulere: vt illo quoq; oppido tutioribus munimentis vallato, cætera ex Regis mandatis, & procerum conſilijs adminiſtrarent. Hoc felici Gallici exercitus in Italia ſucceſſu, tanto gaudio tota regia aula exultauit: vt Rex, & Regina cum ſplendido procerum, purpuratorumq; comitatu ad Deiparæ templum profecti iuſſerint phonaſcorũ choros hymnum *Te Deum* eruditis cantibus modulari. *Gallica aula lætitia pro victoria*

In Ilua inſula bellantibus Gallis, Demarchus Villa, qui in Taurinis Gallicis, atq; Allobrogibus copijs imperabat, vbi didicit Mediolani producem decreuiſſe aliquod bellatorum robur, & equitum, peditumq; ſubſidia Petro Molina Duce in Etruriam miſſurum; vt ſociatis cum Neapolitanis agminibus, quæ à Prorege in idipſum authorabantur, armis, Hiſpanica in eo tractu, oraq; oppida tuerentur: duo equitũ millia per Dertonensẽ, Placentinũque agrum eodem mittere ſtatuit. Quatuor itaq; equitum, & duobus peditum millibus Fregarolum propè Alexandriam proceſſit, vlterius iturus, niſi à Mediolani Produce in omnes Villæ motus intento Vincentius Gonzaga cum tribus equitum millibus, & peditum legione, in hoſtem fuiſſet immiſſus; mox ipſo cum reliquo copiarum robore ſequuturo, vt inito cum Villa certamine pugnanti adeſſet; at Villa animaduerſa tranſitus difficultate, ſubſtitit, traiectoq; iterum flumine, Caſſinum verſus iter capeſcit, veluti munitiori ſitu ſecurius, ibi opportuniorem tranſeundi occaſionem arrepturus, ſi illam hoſtium aliqua incuria negligentiaq; obtuliſſet: direptis ex itinere Gamalerio, Gamundio, Sezzeo; qua hoſtis inſolentia irritatus Mediolani produx in illum mouit infeſtus populationes, & incurſus ab Inſubrum finibus propulſurus. Conſtitere Sezzei Hiſpanicæ copiæ, & procurrentibus ob viciniam hinc, inde equitum turmis, aliquot leuia commiſſa certamina, variante fortuna, neutris tamen in ſummam rei collatis ſignis pugnare audentibus, ne milites amitterent, quos tantis impenſis, & laboribus centuriarant. Villa quarto Kalend. Nouembris medio iam die aliquot equitum leuioris armaturæ turmas Bormiam amnem tum exiguas inſolito more aquas vehentem traijcere iuſſit: mox Gallicis turmis Diui Andreæ dynaſta præfecto ſequuturis: ſed eodem tempore Hiſpanæ cohortes, & equitum agmina in hoſtem inuecta, quod nuper abnuerant, cogente diſcrimine, cruentius, maiorique militum numero, quàm pro velitatione cum hoſte confligunt. Ardet vtrinq; pugna ferocior alijs, atq; alijs in certamen ruentibus: par æquat cladem, *Villa equitum ſubſidia in Etruriam ducere parat.* *Caſtellaccio* *Mediolani produx in villam mouet.* *Pugna inter Hiſpanos, & Taurinos.*

prælijq; pericula virtus: pari numero vtrinque cadente. Villa quadraginta Gallis,& Alenuillæ domino in Lugdunenſis Galliæ legione cohortis præfecto amiſſis, & equitum turmarum legato Saucio, Caſſinum agmen reduxit; Mediolani verò Produx Sezzeum ingruente iam hyeme ſeceſſit;pari ferè Hiſpanorum numero cæſo, præter plurimos vulneratos, inter quos Matthæus Aluarez Dux Hiſpanus, & alius Sequanicæ cohortis præfectus penè ſupremum vitæ diſcrimen adiere. Vbi aliquot dies hoſtiles exercitus nullo tentato certamine, quieuerunt: Galli Aquas Statellonum, circumiectaque rura in hyberna conceſſerunt. Mediolani Produx Alexandriã profectus Demarchum Schinchinellum ad Imperatorem legauit; vt authorata Germanorum peditum, atq; equitum agmina ſolicitè, maturèq; in Inſubres mitteret. Hiſpanum quoque Regem de egente Inſubrum rerum ſtatu per Patrem Biumum Capuccinum edocuit. Deinde propè Genuam octo paſſuum millia Pontem Decimum progreſſus Turri Ducem, & Balbaces Demarchum de Spinula gente, ex Hiſpaniarum magnatibus Antonium Bricennum Ronquillium, alioſq; Regis Hiſpani miniſtros acciuit; vt de rebus præſentibus in commune conſulerent; quid in tot bellorum periculis explicandum, quid ſanciendum Regis iniuſſu; qui dum miſſis tabellarijs conſulitur, rerũ bene agendarum pręteruolat opportunitas;immo antequàm in Hiſpaniam nuntia perueniant, ne dum in Inſubres purpuratorum, & procerum oracula, decretaque afferantur, vel alicuius intercipiendi repentino acceſſu oppidi, vel conficiendi hoſtis, vel certè affligendi ampliſſimæ effluunt occaſiones. Alijs quoque ſalubriter, prudenterque decretis, ſcilicet vt Nouaria, & Mortaria firmioribus munimentis, ac propugnaculis vallarentur, Mediolanum hyematurus redijt, primo quoque tempore in Gallos exercitum hybernorum quiete refectum educturus.

Normandia Taurinorũ receptus.

Acqui.

P A-

PANORMITANA SEDITIO

NARRATIO VIGESIMA TERTIA.

SIcilia Poetarum carminibus inclyta vbertate ſoli, & tritici affluentia, aliarumque rerum ad mortalium vſum, & alimentum copia inſularum clariſſima; vt pote quæ olim Romanorum horreum ampliſſimæ vrbi octies decies, & eò ampliùs centenis ciuium millibus frequentiſſimæ annonam abundè ſufficeret; & nunc in Hiſpaniarum regna, & Liguſticam oram de ſuis areis regerat alimenta; & quæque Italiæ vicina ſegetum perpluat abundantia: ita æſtiuis vaporibus aruerat, vt nimia ſiccitate rimis fatiſcentibus aruis, acerbiorem ſuperioris anni meſſium caritatem perpetua cæli ſerenitas minaretur. Quare populi in preces verſi ad emolliendum ſolidiſſimum cælorum adamantem, eliquandamque in rores, & pluuias duriſſimam incudis ætheris inclementiam, ſurda ſidera ſupplicationibus pulſant, fatigantque precibus Superos, ſi quid roris, & imbrium ex pertinaci aeris diritate poſſint extundere. Chriſti tandem è cruce pendentis ſimulacro, quod ciues antiqua religione venerabantur, per celebriores vrbis regiones ſumma pietate circumlato, quaſi diuina reſeratis cęli foribus claui, patefactiſque æthereis emiſſarijs, effuſiſſimos imbres ab exorata aeris duritie aruis ſitientibus expreſſerunt; quibus non ſolum arenti telluri ſuetus redditus eſt vigor, & viror; ſed etiam ægris mortalium corporibus, quæ varijs morbis accenſi aeris vapor afflauerat, ſalus priſtina reſtituta. Quo inſigni beneficio imminentis famis terrore diſcuſſo, Cerere popularibus ſuis copioſas ſegetes pollicente, voto damnati ciues ad omnes Diuorum aras debitis Deo gratijs perſolutis, ſperabant immodico tritici pretio modum poſitum iri, viliùſque futuram annonam: quæ ad illum vſque diem magno proſtiterat; cum quorumdam cupiditas primatum panes venales in foris ſexta parte ſolito minores proponi iuſſiſſet; quo detrimenta ſarcirent, quæ minoris, quàm triticum ſtaret, vendendis antea panibus, illi feciſſent; tam acerbum, durum, crudele poſt imbutum affatim imbribus ſolum, viſum eſt plebi (ſicut ſemper ineſt quiddam malignum, & querulum tenuioribus in Primates) vt vno agmine paſſos vellentes crines matres, plangentes pectora mares effuſo eiulatu ad templa panes manibus ferentes affluxerint: Diuinamque vltionem in cupidos iteratis queſtubus inclamarint: *ſua quidem vota cæleſte Numen impleſſe, at illius beneficia, munificentiāq; hominum corrumpere, atque interuertere auaritiam; Superum ope ſuam leuatam miſeriam, ſed cupidorum iniquitate augeri, fieriq; acerbiorem.* Inclināte in veſperam die, impuberes, & mulieres ad ducentos Prætores ædibus circumfuſi inuiſum deuouēt diris omnibus caput;

Populi conſternatia, et queſtus.

Plebs Prætorem maledictis inceſſit.

illum auarum, latronem, inopum hirudinem, crudelem tenuiorum Harpyam deteſtantur, maledictis lacerant, conuitijſq; proſcindunt mala vltima imprecati. Quare Prætoris domeſtici ad arcendam viliſſimæ plebeculę inſolentiam, compeſcendamque fœdiſſimi vulgi procaciam ex ædibus erumpunt: alios minis abterrent, alios fuſtibus pulſant, atque inde abigere illa vrbis purgamenta conantur; ſed, vt ſunt petulantia,& audacia vrbanæ plebis ingenia, adeò non ſummoti quieuere; vt etiam quaſi ventilabri afflatu ignis, in maiores iras exarſerint; gliſcenteq; magis, ac magis tumultu, clamoribuſq; acrius aera ferientibus, affluente ad popularium voces, querimoniaſq; multitudine, Prætoris ſamulos bacillis in ædes, & lapidibus compulerunt. Inde plebs furialibus ſtimulis acta iratior ad Diui Antonij

Popularis ſeditio.

delubrum ad arma reliquum populum crebro ſacri æris pulſu concitura cucurrit: ſed à Parocho templi prohibita, ad publicum vrbis prætoriũ conuerſo impetu, eius portam fonti aduerſam ſubiectis facibus incenderunt. Quo inſano ferocientis plebis aſſultu Prætor, iuratiq; Patres (Hi ciuili iuri dicundo præſident) territi ſatius rati ſæuienti cedere multitudini, per poſticum egreſſi in tutum è furentium manibus euaſere. Ad hos populi inſaniẽtis fragores,& ſtrepitus Clerici Regulares religioſiſſimi Patres accurrunt, atque inter ipſas pene flammas, plebiſq; minas craſſiorem panem oſtentãt; ſuam obligant fidem, poſtera die eius magnitudinis panem venalem futurum. Sed Patrum monentium, mulcentiumq; plebis iras pietas fruſtra fuit: cum magis, ac magis creſcẽs tumultus in ſeditionem erumperet; iam enim

Multitudinis furor.

ad pacantium voces,& preces popularis furor penitus obſurduerat. Pars conciti ad Proregis palatium feruntur, ferociterq; ſucclamant: *hanc plebis tumultuantis ſeditionem ex prætoris, aliorumque miniſtrorum triticum nundinantium, mercaturamq; ſuper inopum miſeris fortunis exercentium cupiditate profectam.* Prorex ad obſtrepentis populi fremitus ad feneſtram progreſſus iuſſit panem eiuſdem ponderis, cuius fuiſſet antea, confici, venalemq; proponi:& Didacum Lantiam,& Franciſcum Gueuaram cũ Sperlingæ Principe ad populum ſequeſtres legauit; qui illi ſuo nomine pollicerentur: *ſecum clementer, liberaliter, ac munificè actum iri; proinde quieſcerent, annonam vilius proſtaturam eſſe.* Quibus purpuratorum officijs mollitus populi furor aliquantum deſediſſe viſus eſt: ſed excitus ſemel plebeius tumul-

Iterum populus furit.

tus difficile compeſcitur, adeò vt aliquid etiam vltra verba audeat, cum cęco impetu populi animi in obliquum agantur. Inde enim illa mortalium purgamenta, nec ſpebus iniectis, nec pollicitis a quieſcentia ex tranſitu ad Demarchi Altamiræ regiorũ vectigalium quæſtoris, & Franciſci Medrani Hiſpani è iuratorum primatum vrbis magiſtratu ædes eodem rapta furore illos proditores, paupertatis hoſtes iratis vocibus inclamant: ædiumq; feneſtras lapidum effuſa procella diuerberãt; ſubdidiſſentq; tectis ignem; niſi ijdem Patres clerici Regulares opportuno occurſu obteſtationibus, precibus inſanientis turbæ conatus, audaciamq; cõpreſſiſſent: ea ſpe iam cadẽte ſole noctis tenebris ingruentibus, illas furialis turbinis minas in liquidum

aerem

Digitized by Google

aerem abituras. At ſecus cęleſtis ira ſaucierat, quæ ad plectenda prouinciarum ſcelera, regentiumq; cupiditatem frenandam plerumq; ſuæ vltionis miniſtra vtitur plebis inſania; nam quamuis aucto pane, imminutoq; eius pretio, potuiſſet plebis ira pacari; tamen illa ad vana, grauiaq; iuxta leui, ſolita quocumq; veſanus compellit impetus, inconſultò ferri, præcepsq; ruere, ino pia nullius rei iacturā metuenti animū faciente, viliſſima vulgi fęce ſuadēte prima noctis vigilia cōcito iterum tumultu, ſe ſe in planum litoris maris effundundunt, ibiq; furcis auulſis, effractiſq; carcerum valuis, & foribus ad ſeptingentos noxios, ſicarios, & ſontes è vinculis exſoluerunt; quorū acceſſu aucto tumultuantiū numero, & audacia, Nino quodam Peloſa, & Blaſio Hortulano profligatiſſimis nebulonibus ſeditionis facibus inſoleſcentis plebis animos inflāmantibus, ad Montagnanæ Ducis regiorū prouētuū quæſtorum præfectū ædes feruntur; iniectiſq; foribus ignibus aditum intrò moliuntur, nulla auguſtiſſimi Sacramenti reuerentia, quod eò Patres Ieſuitæ, & Clerici Regulares ſacris in trabeis ſupplicantes attulerant; qui pro patria, diuinoq; obſequio impletis omnibus pietatis, religionis, charitatiſq; numeris, ſe in media præſentis necis diſcrimina iniecere; penèq; violata ſeditioſorum inſolentia Patrum dignitate, inde ſe recipere compulſi ſunt. Peloſa in ipſum diuiniſſimum Sacramentum procacius, ſceleratiuſq; aliquid conſulturo, niſi Vincentius Lombardus incredibili virtute, aliorum quoq; pia audentem iuuante pietate nefarij latronis ab eo violentiam repuliſſet: quāuis ipſe Lombardus ſclopi glande traiectus ſummo cum omnium dolore ceciderit; quidam etiam eorumdem patrum in eo tumultu acceptis vulneribus receſſere. Inde nec dum ſatiata ira, ad vrbis teloneum rapitur, quo cum adiacentibus ędibus diruto, immani rabie rationum codices ſcindunt, aliaq; inſolentiſſimè audēt. Poſtera die ferox turba popelli multitudine pro ſequente tota vrbe lymphata diſcurrens elatis clamoribus iterat, *foras vectigalia, tributa, penſiones*, ipſiq; Regiæ aſſultat; in cuius foribus centum quin quaginta Hiſpani prætoriani armati excubabant; quos propiùs accedere non auſa ſaxis eminus, conuitijſq; inceſſebat. Ad Franciſci Bellini telonei mercium ponderis libratoris impetu rapitur; quibus momento direptis, aſportataq; omni ſuppellectili, rationum libros exurunt; nihil à nefarijs auſis furentem turbam religioſis remorantibus viris, quamuis ſuos omnes conatus intenderint, vt pręcipitis plebis ſęuientes animos, iraſq; lenirent. Verū impotens ſui turba furentior proſtratis Diui Antonij foribus templi, duas horas trepido campanarum ſonitu claſſicum canens omnes ciues ad arma conciuit; tanto cum omnium terrore, vt ſibi præclarè conſultum putarent ij, qui è tanto rerum turbine, furentiumque manibus elabi arcana fuga potuiſſent. Plerique tamen nobiles viri conſcenſis celeriter æquis, ad compita prouecti ab obuijs percunctantur; quid ſibi velit ille populi furor? quo præcipites inſania ruant? quid eo tumultu contendant? inter quos conſpectum Geracis Demarchum ſuum dominum, atq; imperatorem acclamat, illud identidem iterans, vita Geracis Demarcho. Verum ille ſuo Regi fidiſ-

Tumultuātis plebis inſolentia.

Religioſorū hominum pietas, & vulgi furentis impietas

Gliſcit populi tumultus.

Geracis Demarchū ſuū imperatorē populus acclamat.

ſimus

ſimus ſeditioſorum, obſequia, ac ſtudia recuſans, quibus forſitan poterat ad regium faſtigium efferri; ſe ægerrimè eas officioſas voces pati monſtrauit; quin potius addidit lætiſſimis ijs clamoribus ſuum Regem ſalutarent. Ab ipſo tamen Demarcho, aliјſque dynaſtis pacatus populi furor pollicitis ſubito vectigalia à Prorege ſublatum iri. Qui ſatiùs ratus aliquid condonare, indulgereque pauca ne omnia perderet; in Antiſtitum, procerum, conſiliariorumque conſeſſu mendauit, vt farinæ, olei, vini, caſei, carnis vectigalia omninò abolerentur: conceſſit inſuper, vt populus de ſuo ordine ſingulis annis duos iuratos eligeret, æquata cum Meſſana vrbe poteſtate: atque hæc priuilegia publicis tabulis, & literis Petro Graſſeo Notario firmauit, Prætoriſque officio Marium Graffeum Partanæ Principem, & Iuratorum magiſtratu Gaſparem Dentem, Ludouicum Alliatam, Gaſparem Gallettum, Hieronymum Claramontem, Franciſcum Medranum, Thomam Barrem protinus abdicauit: illiſque vrbis moderatores Bernandum Requeſenſium, Vincentium Landolinam, Aſdrubalem à Termine, Stephanum Regium Statorem Maiorem ſuffecit; qui cum duobus popularibus iuratis ciuilibus negotijs præſiderent: tradita inſuper poteſtate, vt fori præfectorum officia annua decernerent, ſoluto tamen ijs pretio, qui illa perpetua in ſuos poſteros tranſmittenda emiſſent. Vniuerſis præterea omnium delictorum pœnam condonauit; qui è carceribus effugiſſent; facta quoque ſcelerum gratia, quæ poſt fugam patraſſent, atque hoc Proregis placitum ipſe, & Iuſtitiæ præſes, omneſq; Conſiliarij ſubſcriptione ſanxerunt. Quibus inſignibus beneficijs aucti, lætique populares ſublatos in humeris Geracis Demarchum, & Conquiſitorem Traſmicram per Caſſerum celebriorem vbis viam feſtis acclamationibus detulerunt: impoſque ſui prę nimio gaudio populus tot vectigalium onere leuatus ſummas Deo gratias agebat, quòd tandem à ſe inopum ſanguinis hirudines decuſſiſſet. Verum, neſcio quo malo genio impellente, iterum ſæuior popularium ſeditio recruduit. Noui Rectores ſubducta diligenti ratione quanti oleum, & caſeus ſtaret; iuſſerunt tantidem illa venire, omni amoto vectigali. Sed cum à Propolis paulò pluris condicto, conuentoque venderentur; populus ſibi ratus illudi, atque à primoribus decipi; vt ſemper eſt ſuſpicax, vmbrarumq; metuens violatam fidem, impoſitum plebi, circumuentos omnes impatientiſſimè tota vrbe ſuccłamant; ſæuiuſque feruеſcente efferatiori ſeditione, quidam turbidioris ingenij vna cum eodem Nino è ſuis cupido ſordibus emergendi, ſuæque inopis mutandæ fortunæ raptim ad Prætorium feſtinauit; ſub ipſiſque feneſtris ſeditioſis queſtibus obſtrepunt, ſe prodi, ſe decipi iratas voces ingeminant. Alij vero ſceleratiores aliud quàm de tollendis vectigalibus, iniquius animis agitantes vltimæ plebi malorum, quæ timet, credulæ ſuadent, neq; Hiſpanorum fidei, neq; pollicitis acquieſcendum; hos ſæuæ gentis, odiorumque tenacis aſtus, doloſque eſſe, quibus incautos ſopirent, plecterentque ad arbitrium ſui imprudentes mali, iniuriaſque vlciſcerentur; promiſſis non ſtaturam fidem. Quibus vocibus populus incitatus no-

Populi vota implentur.

Pacatur populi furor.

Iterum popularis ſeditio recrudeſcit.

Ad maiora plebis animi concitãtur.

ćte

ctæ cum ſingulis faſcibus ad vrbis domum eius fores incenſurus accurrit: vt theſaurum, pecuniamque diriperet; ſed valida equitum ala cuſtodias agente, excubanteque pro foribus domus, impetum tenuit, quo in Demarchi Altamiræ ædes conuerſo, momento domeſtica ornamenta, ac ſupellectilem populatus illas funditus euertit. Qua plebis indomita inſolentia Prorex vt par erat, iratus, opificum conſules iubet accerſi, quibus antea ingentem armorum omnis generis copiam diſtribuerat, ratus eos in fide, atq; in officio manſuros: grauiterq; de plebis audacia, atq; iniurijs expoſtulat; cui cum omnia vltra ipſius vota indulſiſſet, nullo nouo incommodo laceſſita, nulla de cauſa tam impia, nefariaque moliretur: ſibi omninò grates iniquas rependi, referrique non meritam gratiam. Illi impotentem plebeculæ inſolentiam cauſati, maximo in ſpeciem doloris ſenſu ſeditioſorum facinora deteſtantur; recipiuntque ſe cum ſuorum opificum agmine vrbem excubijs, cuſtodijſq; defenſuros, iniecturoſq; inſoleſcentibus frena, ne quem deinceps tumultum audeant concitare: mox plus triginta cōſules cum ſuorum artificum cohortibus militari more ſub ſignis armati in ſuos ordines in publicum prodierunt. Eadem de cauſa ſe rotatis ſclopulis præter enſes ordo patritius armauit: & Ferdinandus Andrada eius vrbis Archiepiſcopus eorum facinorum authores, conſcios, & participes anathematis fulmine perculit: iuſſis etiam myſtis ſe telis armare. Quare vndecimo Kal. Iunij vniuerſa ciuitas expedita ſtetit in armis; diſcurſumque vſquequaque noxios, ſonteſque venatum à rectoribus eſt: captiſq; Onufrio Rainiero, & Blaſio fructuum propolæ ad palum alligatis toto ſpectāte populo ad aliorum terrorem eliſæ fauces fidiculis extemplò fuere: nullo ſuorum ſcelerum inſigni pœnitentiæ, quàm damnati plerūque perditarum rerum articulo deceſſuri ſupplicijs præferre ſolent: immo ſalute corporis deſperata, animam quoque æternis ſupplicijs mactandam ſe cacodemoni deuouere dixerunt: mox tota vrbe raptati oſtentui patibulis pependerunt. Extractus inſuper è Diuæ Zitæ cœnobio ipſe Ninus Peloſa cū comite ſicario præteritæ noctis incendiorum, furtorumq; præcipuus author: qui acerbiſſimæ quæſtioni ſubiectus faſſus eſt, ſe abactis prædis, & ſpolijs è diuitum ædibus populo munificè largiendis eius beneuolentiam demeriturum putaſſe: ac proinde plebis Ducem acclamatum, ſibiq; Inſulæ liberum imperium delatum iri. Adeò etiam viliſſima vulgi capita regni cupiditas ſubit, & ſupremi faſtigij libido afficit nebulones. Horum infami, aliorumq; ſontium ſupplicio coercita tumultuantium audacia, ciuitas pacata quieuit. Ijdem conſules in Diui Ioſephi templo aſſidentibus aliquot Clericis Regularibus, quatuor ex popularibus iuratos ſummo cum vniuerſorum aſſenſu iuſſerunt. Quibus ita conſtitutis diſcuſſa ſeditionis procella, omnibus ad ſua domicilia abeuntibus, tranquillata ciuitas videbatur; cum paulò poſt è maris litorum cuſtodijs aliquot equitibus turmatim in vrbem regreſſis populum tantus terror inuaſit; ratum equitum agmina ad ſe opprimendum acciri, (difficilè enim ſeditionum authores adduci poſſunt, vt credant

Proregis ira

E populo eminentiores, & nobiliores armantur.

Noxij capite plectuntur

Eorum deſperatio.

Importuna vilium capitum ambitio.

Offenſa Principum difficile cõdonantur.

credant ſe diutiùs indulgentia Ipſi Principis fruituros, cuius offenſæ, aut nunquam, aut rariſſimè condonantur) vt omnes artifices armati inſtiterint, vt ſibi vrbis propugnacula cuſtodienda traderentur: atque ac tutum ingreſſi equites vrbe faceſſerent: quorum inſolentiæ, atque audaciæ cum Prorex nullis, vel ſaltem imbecillis vallatus præſidijs obſiſtere non auderet, ſtatim propugnaculorum claues illis dari iuſſit: ac ideò rurſus nubila tempeſtatem minantia ſerenata.

Proregis nimia facilitas.

Qua Proregis facilitate opificum conſules in maiorem fiduciam erecti, audacioríque tumidi arrogantia, in idem diui Ioſephi templum coeunt frequentes, eòque magis ferociunt; quò debiliores ad reſiſtendum regios miniſtros vident, & eò effuſæ licentiæ, temeritatiſque prouehuntur; vt ſibi vrbis regimen moderandum, ſanciendamq; eius regendæ rationem inſolentiſſimè arrogarent. In hoc maximè conſequendo deſudabant; vt regijs quæſtoribus vrbis nomina expedirent, nullis tamen ſuper annona impoſitis vectigalibus.

Popularis ſeditio referuet.

Sed cum alijs alia referentibus, nihil explicaretur: iterum ab opificibus tota vrbe diſcurritur; mala, clades, neces obuijs quibuſque nobilibus, & ditioribus intentantur: deniq; omnibus popularium inſolentiam, audaciamque perhorrentibus in vrbana æde alius conuentus habitus eſt, Proregeque, & Regij patrimonij miniſtris annuentibus ita conuenit; vt vectigal ſuper ædium feneſtris, curribus, bobus, vaccis de laniena, alijſq; huiuſmodi rebus cõſtitueretur.

Iterum pacatur ſeditio.

Quo plebiſcito iterum ſeditionis æſtus detumuit. Verum nondum diuina expleta mortaliũ malis ira ſolita tum maximè in ſcelera animaeuertere, cum impudenti pertinacique impietate peccantes minus facinorum metuunt pœnas, rurſus ſeditio ſæuior efferbuit. Tertio ſiquidem nonas Iulias accidit vt Caſſeri Principe geſtatoria ſella domum ſuam euecto in pretij ſolutione iurgio inter gerulos, & Principis ſeruos oborto, hi non ſolum conuicijs, & contumelijs per ſummam iniuriam ab illis acciperentur; ſed etiam alijs eiuſdem ordinis feſtinantibus auxilio male pugnis, & fuſtibus mulctarentur: ipſeque Princeps ne ſe vulgi purgamenta obruerent, in vicinum delubrum in tutũ effugere cogeretur.

Iterum populi in ſeditionem verſus.

Quo piaculo, quinq; geruli eius iurgij, tumultuſque authores à ſatellitibus capti in vincula coniecti fuere. Quorum vxores incompoſito, ſolutoq; crine domo egreſſæ miſerabili comploratu viciniam queſtubus implent; ſuos viros inſontes, innoxios indicta cauſa Proregem ſupplicio occidi iuſſiſſe: ad quarum ploratus, clamoreſque puerorum, fœminarumque multitudo confluxit; gliſcenteque magis, ac magis tumultu, aggerenteque ſe popularium turba, quò vxorum agunt furiæ vniuerſi ſequuntur. Opificum conſules adeunt, effuſioreſque iterant eiulatus, opem ſuis afflictis rebus implorant, tandiuque precibus, lachrymis inſtiterunt; vt non ſolum conſules, ſed etiam plurimos è plebe ad arma perpulerint: qui vno agmine ad prætorium furiali impetu rapti, gratiam vniuerſi conclamant, atque inde quaſi à Prorege fuiſſet poſtulationibus ſuis indultum: ad carceres illati è vinculis eos gerulos extractos, ſublatoſque in humeros quidam

Populi inſolentia.

populares tota vrbe inter lætas populi acclamationes illud identidem repeten-

Digitized by Google

petentis, viuant Panormi fidelis vrbis opifices, geſtarunt. Qua plebis inſolentia attoniti regij miniſtri, quòd tribunalium poteſtate, authoritateq; iudicum populus vſurpata, omnia pro arbitrio nullo regentium metu, nullo pudore, effręni licentia moderaretur; tacita comentatione rationem excogitabant, qua tanto malo audaciùs, latiùſq; ſerpenti proſpici poſſit. Conſules reiecta in audaculos culpa, ſe inſcijs id auſa eſſe plebis ſedimenta, ſeq; eſſe eius temeritatis exortes multa aſſeueratione Proregi ſuadere conantur: immo fidem ſuam ſacramento obſtringunt, ſe ſtatim occiſuros, qui ſimile in poſterum tentaſſent: atq; vt ſua promiſſa re ipſa ſancirent, eorum duos gerulorum cuſtodiæ tradunt; quibus leui in dicta mulcta, in paucorũ dierum exilium eiecti. Qua callida Hiſpanorum clementia compertum eſt, pluris vilia plebis capita, quàm patritios, & Principes æſtimari, quo diſſidia, ſimultateſq; inter vtrumq; ordinem ſerant; qui ſimul ſociatis viribus, & conſilijs Hiſpanos eius inſulæ regno euertere potuiſſent. Neq; idcircò tamen turbidi popularium animi quieuere, ſed audaciores, licentioreſq; maiores concient turbas: Hiſpanorum vafritie, verſutaq; arte cõtrarium omninò, quàm intenderant, euentum ſortiente.

Callidum Hiſpanorũ conſilium.

Percrebuerat tota vrbe incerto rumor authore; immo id ad turbandas res callidiores conſulto vulgauerant; Neapoli valida militũ agmina citò afforre, vrbiſq; Patritios in ſua damna cum Hiſpanis conſpirare, vt ſuperioris audaciæ pęnas, & ſupplicia à noxijs expoſcant; vltimumq; excidium plebi moliantur. Quo inanis metu rumoris opificum conſules territi, ſuis quoq; Iuratis popularibus in conſultis, clam in Diui Matthiæ templo conueniunt: ibiq; expeditioribus ad imminẽs diſcrimen vitandum remedijs diligẽti cura exploratis, expenſiſq; ſtatuerũt: contendendum eſſe à Prorege, vt milites omnes ex vrbe dimitteret, quã ſoli opifices cuſtodirent; irritum faceret, expungeretq; diploma, quo concedebatur, vt omnes ignea arma deferre poſſent; quod eo permiſſu patritij minoribus ſclopis, & ſclopulis armati incedebãt.

Falſus rumor ad ſeditionem concitat populares.

Poſſent opifices omnes, quãuis cuſtodias non agerent; ſe enſe, & pugione præcingere, nulla tamen lacerna tegente latera: quæ omnia promptè, atq; expeditè à Prorege Conſulibus fuere conceſſa; acerba tamen cum totius patritij ordinis indignatione ęgrè ferentis, infidæ plebis ſcelerum pęnam, perduellioniſq; reatus mulctam in ſe iniquè refundi: ſed indomitæ belluæ non erat laceſſendus furor, & ira, immo in præſens immodica petenti aliquid indulgendum; præcipuè cum per eos dies à Rege Catholico Neapolis rebellaſſet, arreptiſq; armis populus, mutata ratione regiminis, Rempublicam ſtatuiſſet: quam audaciam ne iam in ſeditionem concita Panormitana plebs ſequeretur: erat multa arte tractãda, facilitate, atq; imperij ſuauitate lenienda.

Inſolentia Populi poſtulata.

Patritiorũ indignatio.

Quamobrem Prorex accitis duobus opificum conſulibus audacioribus, frequentioriſque clientelæ cum ijs ſedulò de bono vrbis regimine, componendiſq; rebus diutius egit: re vera tamẽ, vt amplis oblationib. & promiſſis eorum operã, ſtudiũ, ſicuti fama vulgauit, beneuolentiamque demereretur: qui cum tardiùs ſolito domum regredi cunctarentur; abijt rumor in vulgus conſules vinculis conſtrictos

Populi furor non irritandus.

ſtrictos

Digitized by Google

ſtrictos extremo vitæ diſcrimine conflictari, propèque eſſe, vt laqueo eliſis faucibus necarentur. Quo falſo rumore populus ſuo ingenio turbidus, & iam ad ſeditionem efferuens tanta excanduit ira, vt ciuitas vniuerſa ad arma diſcurrens ſuorum conſulum necem vltum ire properaret; reflante Hiſpanis rebus, etiam ſalutaria, & vtilia in noxia, damnoſaque vertente fortuna: nec exiguo contenta mortalium malo prima tela iaculata quieſcit; ſed acerbiora, peioraque molitur, donec cladibus ſaturata ceſſat vltra ſæuire.

Rurſus ciuitas turbatur.

Quidam ſiquidem turbulentiores, vt inclinato ſemel in caſum imperio vniuerſum ruinę pondus incumbit; eam maximè ſua implendi vota opportunam occaſionem rati in antrum vna conueniunt, beneque poti de rebus præſentibus inuicem conſulunt; miſſiſque in congium, quod exhauſerant, ſortibus, extractiſque fortuito ſingulis cuidam Ioſepho Alexio audaci, ingentiſque ſpiritus viro in philiras auri tenuandi, trahendique perito opifici contigit eſſe populi Duci. Hic fœlici ſortis omine, auſpicioque lætus, ardente iam populi ſeditione, primus expeditus in equo armis fulgentibus tectus exilit domo ſtrictum enſem manu tenens, exclamanſque malum regimen moriatur, foras Hiſpani, ingentem popularium turbam ponè ſe traxit; a quibus illicò ſuus imperator, dictatorque renuntiatus tota vrbe, turbis ſequentibus equitabat: cum ecce conſules crediti cuſtodiri prætorio egreſſi in illum forte incidunt, quem alter illorum macte animo eſſe iubet; iret audacter quò proſpera fortuna vocaret, & deſtinata fortiter, ſtrenuè, animoſèque perficeret: ad quas conſulis voces vniuerſi populi claſſico conclamatum ad arma, maiorque opificum pars omni telorum genere armata in publicum prodijt, atq; ad Tronti propugnaculum furiali impetu prouecta inde campeſtre, muraleque tormentum prætorium verſus abduxit ea mente, vt ijs diſploſis illud expugnarent. Nec mora vbi in prætorij area ventum eſt; tormenta in illud ingenti fragore diſplodunt; à quo cum Prorex trepidus cum ſuis domeſticis effugiſſet; ducenti Hiſpani pretoriani contra populi impetum emiſſis maioribus ſclopis, ædes egregie tuentur. Illa incondita turba audaces animos demittere aſſueta, vbi aliquid durum offendit, quod eius inſolentiam infringat; ſicuti indomita, lymphataq; quæcumque audet nemine eius audacibus conatibus repugnante; ad illam ſulphurearum glandium procellam in confertos ordines contortam, ac proinde nullo irrito ictu, effuſam turpiter ſe conicit in fugam, ad Hiſpanorum deſertis arbitrium tormentis, & aliquot faſcium plauſtris, quos ad ſubdendas tectis faces adduxerant: confoſſis præterea ſcloporum ictibus decem popularium, & plus quadraginta vulneratis. Quare Fernandus Garcia eius prætoriæ cohortis præfectus per otium ea tormenta trahere in pretorium, munimentaque ante portas educere, atq; aggeribus vallare militum ſtationem, vt contra nouos popularium aſſultus tutiùs prætorium firmaret, potuit. Alexius ſua animaduerſa rei bellicæ imperitia, quòd nullis moſchettariorum cohortibus tuentibus agmen, Hiſpanos aggredi, prætoriumque oppugnare auſus fuiſſet: protinus iuſſit regij armamentarij fores aperiri;

Ebriorum cōiuratio.

Ridiculus imperator.

Ad rebellionem à conſule animatur.

Seditioſi prætorium oppugnant.

Seditioſi fugantur ab Hiſpanis.

riri; ex quo minus duab. horis extractis ad ſexaginta millia omnis generis telis populus ſe vniuerſus armauit: & funibus, pyrio puluere, & plumbeis glandibus vnuſquiſque affatim inſtructus iterum audacius prætorio ſuccedunt: vt illud iterum aggrediantur. Hiſpani cum ſimplicem domum contra viginti armatorum millia longè numero inferiores ſe poſſe tueri diffiderent, clanculum Prætorio elapſi in vicinas litori triremes, in quas ſe Prorex ipſe quoque receperat, effugerunt. Quocirca libero patente in palatium ſeditioſis ingreſſu, in illud irrumpunt: Alexijque iuſſu poſitis ad fores cuſtodijs, præter omnium expectationem intacta Proregis ſeruata ſupellex. Poſtera die mane Alexius numeroſo ſtipatus ſuorum agmine popularium in forum procedit armatus ea mente, vt quatuor præcipua vrbis loca diriperet; atque in tranſgreſſu ad vicinum delubrum equo desiliens ante Deiparæ ſimulacrum genibus flexis ſuas ſtatas preces orauit. Ab ea precatione repentè ferocia in lenitatem mutata, viſus eſt omnem prorſus feritatem exuiſſe, immani damnato tanti facinoris audendi propoſito; à quo illum etiam Clericorum Regularium, Iuratorum Patrum, & opificum Conſulum admotæ efficacius preces, hortamentaque abduxere: quibus miti vultu ſubiecit; ſe populi plebiſcito dictum imperatorem delatum honorem ideò accepiſſe, vt deprauati regiminis ſua authoritate conſuleret; manantiaque quotidie ex regentium impotentia incommoda tolleret, in ſui Regis obſequium; non vt innocentium fortunas populandas latronũ arbitrio traderet: atq; idcircò opus eſſe, vt populorum bono, & commodo caueretur; de quibuſdam interceſſu Conſulum, Iuratorumq; Patrum conditionibus conuenire. Condictumq; eſt, vt in eodem loco ſequeſtres eo ipſo die coirent. Interim plebis furor tota vrbe diſcurrens obuios quoque Hiſpanos obtruncat; rimatur eorum cædem anhelans latibula quæque, ſi quos iugulandos venetur. Vbi conueniendi adfuit hora, Alexius Trabbiæ, Carini, Scordiæ, Caſtrique termini, Monarchiæque iudicem iuſſit acciri; voluitque etiam Conſulum nomine quatuor præcipuos cauſidicos vrbis acceſſi. Initoque conuentu, alijs alia ſentientibus Alexius ſalubriora, vtilioraque probans, ſe recti, compoſitique animi eſſe monſtrauit: præcipuè omnem dedit operam, vt ſibi conciliandis, demerendiſque patritijs fortunam ſuam, vt in homine plebeio prouehendo, nutantem aliquo ſtabili fundamento firmaret. Hi Patritiorum cum Plebe conuentus, & fœdera valdè Proregis animum pupugere: quòd eorum ſociatis ſimul conſilijs, & armis, omnis prorſus authoritas regia poterat ab imo conuelli, atque eius Inſulæ Hiſpanicum imperium euerti. Quare diſertis verbis obteſtatus eſt, ſe nolle ea conditionum, conuentorumque capita rata habere, neque ſua ſubſcriptione ſancire: ſubmiſſiſque aliquot vafris hominibus, inter nobiles, & populares diſſidia ſerere, dubiam eorum fidem facere conabatur: ipſumq; Alexium ingẽtibus oblatis aggreſſus expugnare, in ſuas partes allicere, & ad fidem reducere ſumma cura contendit. Minatus eſt inſuper ad infringendos ciuium animos, contundendamque audaciam, ſe

Seditioſi Prætorium iterum aggrediuntur

Vmbratilis imperatoris authoritas, & pietas.

mira orationis efficacia.

Plebs Hiſpanos iraſta perſequitur.

Nobilium populariũque conuentus Proregi ſuſpecti.

ſuum

Proregis ob- ſuum tribunal,& ſedem Meſſanam infenſam Panormo æmulamque vrbem,
nuntiatio- atque implacabilem hoſtem translaturum. Quibus rebus, varijs quoq; alijs
nes. additis artibus, ita ciuium animos impulit; vt denuo habito Iuratorum, Conſulum,& Alexij conuentu ſtatutum fuerit omninò quibuſcumque conditionibus Proregem in vrbe retinendum. Quare illis placuit, quod antea pertinaciſſimè recuſarant,illum in arcem ad mare ingredi,Hiſpanoſq; corporis cuſtodes prætorianos adhibere, mollitaq; animorum peruicaci duritie,iam ſe minus aſperè in Proregem,Hiſpanoſq; gerebant.

Alexius in illa ampliſſima poteſtate cum dominum ſe ferens omnia pro arbitrio agens nihil eorum votis indulgeret, qui illum ad vrbani imperij faſtigium extulerant: quibus animus erat furtis, latrocinijs,& ſpolijs, aliorumque fortunis diteſcere, ditiorumque rebus ſuam cupiditatem explere; acerrimo concepto in illum odio,non amplius nobilium excidium moliri, ſed inſidias eius capiti ſtruere, arcaniſque ingratum ſocium petitionibus oppugnare cæperunt: captataque ex quibuſdam fortuitis euentis ciendi tumultus occaſione, ijdem, qui illum ad ſupremum honoris culmen euexerant, atque ad illum vſque diem veluti ſuum Ducem ſequuti fuerant, 1647
elatis eum vocibus criminantes cum Gallis communicatis conſilijs conſen-
Alexius ab tientem eorum ope Inſulæ imperium vſurpare conari. Decimo Kalend. Se-
eius ſequa- ptembris Franciſco primum eius fratri capite detruncato, ipſi quoq; Ale-
cibus occi- xio,& aliquot eius aſſeclis ceruices abſcindunt: paucis diebus magno fortu-
ditur. næ ludibrio à ſublimi ſupremi honoris faſtigio eo delapſo, ad quod ideo fuerat popularium ſuffragijs elatus, vt inde maiori impetu præceps deiectus violentius eliderctur: præclaro ſanè ambitioſis,ſuamque pertæſis conditionem documento, non eſſe mobilis vulgi fauoribus, inconſtantiſque plebis ſtudijs magnopere fidendum, mox damnaturæ, quod ante coluerat.

Hoc fœliciſſimo popularis Ducis necis euentu læti Regij miniſtri rati hoc paucorum ſupplicio cæterorum audaciam, atque inſolentiam coercitum iri; ſaponis primum,deinde cupri opificum cõſules à lictoribus captos in vincula conijci iubent,& nuſquam aliquo eorum apparente,exijt in vulgus, Hiſpanos idem ſingulis conſulibus eſſe facturos, & numquam iniurias
Iterum po- ex eorum animis expunctum,deletumque iri: immo iratis animis præteritæ
pularis ſe- ſeditionis vltionem coquere: quo terrore perculſi populares ſicuti ſuppli-
ditio conci- ciorum metus magis efferat ſeditioſos, & in turbidis ſequendis conſilijs
tur. pertinaciùs obdurat: indignatione ſimul, & ira furentes ad nouum rurſus ædificium accurrunt; ſibi tradi ſolutos è vinculis ſuos conſules poſtulat; extemplò è cuſtodia productum caldarij æris opificum conſulem ſublatum in humeros domum ingenti populi lætitia vniuerſis, viuat, acclamantibus detulerunt. Inſtante deinde, vt alter, quoque conſul dederetur,cum
Seditioſi pro reſponſo à carcerum præfecto emiſſi ſclopi glandis ſibilum, pluraque
ſuos conſu- conuicia accepiſſent; tanta rabie populi furor inſanijt; vt in cuſtodes illicò
les poſtulāt excuſſas è maioribus ſclopis glandes igneas grandinarit; obteſtatus diris omni-

omnibus obnuntiatis,ſe velle omninò, vt ſui populares è cuſtodia educti ſibi traderentur: quibus à Prorege expeditè conceſſis, alios quoq; perditos ſicarios omne ſupplicium meritos eadem ſecum è vinculis gratia traxit: pacatoq; iterum populari tumultu,ille horrendus, ac funeſtiſſimus dies effluxit; quo raptata tota vrbe cadauera, cruentaq; capita haſtarum infixa cuſpidibus,tumultuantis populi fragores, rabidæq; ſtrepitus plebis, & varij ferales euentus impauidos etiam,conſtanteſq;terrebant.Stupebant attoniti ciuium fortiores, horroreque perfuſi, ac trepidi vltimum patriæ excidium timebant. Cæſorũ cadauera plebe per vrbis regiones,viaſque trahente,ſubito offuſa cælo,ſolique nubila auferunt diem,denſiſſimæq;toti inſulæ incubant tenebræ. Ipſum mare ita repentina procella intumuit, fuſcoque colore inhorruit, vt intuentium animos ingenti terrore percelleret. Ingruentibus verò noctis tenebris, tanta ventorum violentia toti vrbi incubuit, vt vehementium flatuum impetus non ſolum vrbis tecta, ſed ipſos montes è ſuis ſedibus erutos ſecum rapturus per aera videretur. Poſtera die cadauera è patibulis,è quibus ad infamiæ notam pependerant; abſtracta ingenti populi eiulatu per honorifico funere condita ſunt; qui ſui Ducis Alexij patratæ pœnitens cædis illum Martyrem, & beatum inclamans patritium ordinem acerrimè criminabatur; quaſi omnium malorum cauſa extitiſſet. Eodem tempore tota vrbe rumor increbuit, armata equitum agmina in agrum, atq; in vrbem inducta, quibus populares Hiſpani omninò ſubigere decreuiſſent: quo falſo nuntio iterum populus in arma proſilijt,ſuum Ducem Alexium flebilibus vocibus ſuſpirans,tactiq;religione vrbem diris expiari,luſtrariq; ſupplicationibus poſtularunt: aliquo malo genio,infernisq;furijs obſideri noxijs ſpectris,& Lemuribus infeſtari. Quo circa ſolemni pompa expiata ciuitas eſt. Prorex ad pacandos Popularium animos eorum religioni,pietatiq;adiecit honeſtiſſimas conuentorum conditiones,quibus eorum ſaluti,incolumitati,commodo conſulebatur;ſed cũ ambigua quædam verba quæ diuerſo ſenſu poterant explicari,popularium prudentiores in ijs aduertiſſent; rurſus concita plebs alia conditionum capita clariora,ab omni amphibologia remota ferri,ac ſanciri popoſcit. Dũ vario idẽtidẽ ciuitas tumultu miſcetur; quædã anus dũ intẽtiori intuitu in Cruciferorũ tẽplo tumulũ cõſpicit, in quo Francus Daniel conditus erat, qui à furente plebe cũ ipſo Alexio fuerat obtruncatus, quãuis inſons, & ab omnibus vitæ, morũq; probitate conſpicuus noſceretur;ſiue aniculæ deliranti ſpecies aliqua fuerit obuerſata, ſiue eius inſanientis commẽtum,protinus huiuſmodi voces mittere cœpit; aſpicite, aſpicite viri, vt Magiſter Francus genibus flexis ſuper ſepulchro conſiſtat:manauitque tota vrbe rumor,Magiſtrum Francum miracula edere,capiteque ſuo trunco iuncto appatuiſſe;atq; ab ipſius tumulo ſuauiſſimũ, cæleſtemq; odorẽ efflari. Quãobrem ingens Populi multitudo ad illud templũ Franchi tumulum venerabunda confluxit. Mulctati,capti, luxati membris preces ingeminant, & à nouo Indigete æternitate donato ſalutem piè, ac deuotè precantur, & ſi

Plebis furentis immanitas.

Horribilis aeris procella.

Iterum populus in ſeditionẽ vertitur.

Aniculæ delirantis commentũ.

Plebis ſuperſtitio.

Yy cui ſa-

cui ſanitas, quamuis naturæ munere contigiſſet; miraculum miraculum elatis vocibus inclamabat voto damnatus. Dum ad Franchi tumulum inani ſuperſtitione, vaniſq; precibus populus fruſtra delirat; quamuis in vrbe ſicarij turbidi, myrmilloneſque non deeſſent; qui excidia, clades, cædeſq; nefarijs animis molirentur; tamen cum abſente Prorege,& Patritijs in ſua rura,& caſtella à populi furore dilapſis, ciuium in frequentia non ſolum vrbs ad ſolitudinem, ſed etiam ad inopiam redigeretur; nec iam artifices

Nobilium abſentia incommoda.

ad vitam tolerandam, alimentorum lucro, ſuam operam locare poſſent; inuerecundæq; iuxta audaciæ, ac proiectæ inſaniæ eſſet, contendere, vt nouē, & quadraginta iniquarum conditionum ſibi à Prorege capita ſeruarentur; quæ illi neceſſitas, & acerborum euentuum metus expreſſerat: Populares, vt ſibi patritium ordinem conciliarent, præſentibuſq; vrbis incommodis ſeriò proſpicerent, decreuerunt, ijs conſilijs acquieſcere, quæ duodeuiginti ciuium conuentus prudentioris, rectioriſq; mentis,& ſpectatę virtutis, integritatiſq; cępiſſent: atq; idcircò ſex Iuratis, duobus Principibus, tribus conſiliarijs, quatuor Theologis à Conſulibus electis componendarum ſumma

Populares mitiora conſilia incunt.

authoritate rerum cura mandata: quidquid illis placitū, ſancitumue foret, id omne ratum populum habiturū: Proregem inſuper adeunt, orant, inſtāt, ne quemquā patritium, aut diuitem ciuem vrbe excedere pateretur; immo digreſſos, pęnis indictis, reuocaret. Quibus ille, irēt, maturarētq; cū patritijs pacem inire; ſe effecturū, vt intra octo dies nobiles omnes in vrbē redirent.

populi incōſtantia.

Verum quamuis ad tollenda diſſidia, pacandamq; vrbem Conſules aſſenſu populi ita cenſuerint, res ſuas illius prudentiorum cœtus fidei committendas; nihilominus poſtera die ſolita inconſtantia nutantem pœnituit, ſe illius virorum conſeſſus arbitrio crediſſe; plebiſcitoq; ſanxit, vt conſules omnibus rerum explicationibus intereſſent: ne quicquam ijs inconſultis decerneretur. Quidam Carbonarius interim concire turbas, atq; ad tumultum iterum plebem accendere: ſeq; illi Ducem conſtituere meditatus Trenti propugnaculi ſui conſilij cuſtodes admonuit; à quibus, iam à Prorege captatis eorum ſtudijs, comprehenſus patibulo, vt proditor, & per-

Carbonarij audacia, et ſupplicium.

duellis ſuſpenſus temeritatis, inconſultæq; audaciæ pęnas luit. Quare nullo iam populi quietem abrūpere audente, firmatæ, conſtitutæq; pacis in vrbana domo, ſummo omnium ordinum plauſu, ac gaudio conditionum capita euulgata. Inquieta tamen ingenia tranquillitatem peroſa res iterum miſceri, turbariq; cupiunt; & cum capitale eſſet facinus apertè moliri, horribiles voces nocte intempeſta ad arma clamantium tota vrbe fremebant: & ſeptimo Kalendas Octobris quidam Carolus Vintimillia ſpurius plebis imperium anhelans noctu ſyngrapham publico xiſto affixit: quo populum

Seditioſi cuiuſdam molitiones.

monebat, ne ſe à Conſulibus decipi, prodiq; pateretur; quod ij in omnium opificum necem cum viris nobilibus cōſenſiſſent; proinde cum cani bellicū noctu audirent; nemo eo doloſo claſici ſonitu domo egrederetur; eum obtruncatū protinus iri, ſi quis ſecus faceret: ſed Dominica die mane in maris oræ planum armati prodirent; ibi equitem in candidis armis inuenturos,

qui

qui eos arcanis inſidijs, deſtinatæq; eriperet cædi. Verum regiorum vigilantia, cura, diligentiaq; miniſtrorum turbidorum molimina, conatuſque in nihilum euanuere: immo & Spurius, & qui nocte populum claſſico vocis ciebat ad arma, capti laqueo perduellionis pœnas fracto gutture pependerunt.

Prorex Demarchus de los Velez vigilijs, laboribus, curis, mæroreq; conſumptus extabuit. Grauitate primum cæli affectus febri tentatur, quæ paulatim ſe ſe acriùs intendens paucis diebus illum abripuit: Regijs miniſtris, & Montis Allegri Demarcho præcipuè claſſis ſummo nauarcho prius Inſulæ regimine commendato, donec Cardinalis Triultius dictus à Rege Catholico Siciliæ Prorex, qui Neapoli populari ſeditione feruente, ſubſtiterat; adueniret. Eius acerbiſſimo funeri illachrymati ſunt omnes, quibus integritas, probitas, munificentiaq; viri cognita erat. Mira erat in eo clementia, morum ſuauitas, & facilitas animi, rara auis in terris in ſumma poteſtate, eòq; clarior; quò generoſior, ſuiq; profuſior, & in ampliſſima fortuna pauperior, neq; enim illi inuenta tanta pecunia eſt; quæ funeri celebrando, atq; exequiarum impenſis ſufficeret: vt propterea ipſius heredes mutuam accipere cogerentur; quo ex dignitate, claritateq; generis illum efferrent. Erat è Laletania, quæ à Rege Catholico rebellarat; maluitq; cum rerum ſuarum iactura profugus patrio ſolo extorris conſtans in ſui Principis fide perſiſtere, quàm perduellionis labe ſordeſcere.

Prorex extinguitur.

Eius egregia animi dotes, et laudes.

Interim Cardinalis Triultius duabus triremibus in Panormi conſpectũ prouehitur: commodum, cum populus inſoleſcens quotidie magis, Prorege extincto, audacior ditiorum bona prædari, diripere nobilium fortunas, cunctaq; pro libidine euertere feſtinabat: animoſo namque iſtius Principis, impauidoque, ac fidente in vrbem ingreſſu, quaſi ſuperfuſo incendio imbre, inhorreſcens ſeditionis flamma ferè omninò compreſſa, vlteriùs furere deſijt. Suadebant plerique Cardinali, vt contra populi inſolentiam, atque impetus prius ſe in arce firmaret: quod pauidi animi, aut vltionis cupidi inſigne poterat eſſe; verum ille timido, ac noxio damnato conſilio, egreſſus è prætoria recta ad maius templum Proregum Inſulæ Regni Gubernacula ineuntium ſolemne, impauido animo pergit: ibique de more dicto ſacramento, regimen auſpicatur; ſalubri ſanè conſilio, nam ea Cardinalis audaci fiducia turbidiores etiam moti eius currum turmatim ſequerentur: inter prætentam hinc, inde tota via popularium multitudinem lætiſſimis vocibus acclamantium illud fauſtum, Viuat Cardinalis Triultius: momentoque mutatis in officia, atque obſequia animis perduellium, effuſis gaudijs vniuerſa ciuitas exultauit; cum Italum Principem ſuum Proregem læta conſpiceret, fauſta omnia, fœliciaque ceſſura non falſo omine diuinaret. Qua populi animorum in ſe propenſionis, atque obſequij opportunitate vtendum ratus fidentem ſe, atque impauidum ferens eodem veſperi aliquot ſeditioſos triremium remigio damnauit: quòd ciuibus inſolenter, iniurioſèque acceptis, tumultum concitare

17. Noučbr. Cardinalis Triultius Siciliæ Prorex.

Eius aduentus Panormum vtilitas.

Cardinalis Triultij fiducia.

Populi de eius aduentu lætitia.

auſi fuiſſent, & duabus Hiſpanorum cohortibus ad prætorij cuſtodiam ex arce euocatis,cæteriſq; in ſuas,quibuſq;ſtationes redire iuſſis, præcipuè ad portam nouam prætorio contiguam ſe aduerſus inſoleſcentium vim, iniuriaſque muniuit.Poſtera die mane ſe cuique adeundum,alloquendum facilis,& comis exhibuit.

Eius facilitas.

Vnumquẽq; omnibus horis familiariter admittere, audire querelas, opificum Conſules alloqui,ius dicere tenuioribus,omnes comiter compellare, polliceri,ſe præteritorum futurum in memorem, recentemque ſe rationum, nominumq; librum eſſe facturum communi Italorum adagio,ſublataque vectigalia minimè reducturum;

Eius verba ad Populũ.

dummodo ipſi ſuæ optimæ in eos voluntati, & meritis ex animo reſponderent, & beneficijs, beneficia reponerent, nullas ciendo turbas, nec nouis ſe criminibus obſtringendo, ſe omninò vel ipſius vitæ impendio Catholici Regis authoritatem, dignitatem, iura, ſuamque poteſtatem noxiorum ſupplicijs eſſe ſancturum.Mirum in modũ hæc grauis facilitas, & quedã gratæ maieſtatis decore condita ſuauitas,abrupta,abſciſſaq; imperia,& idem iuſtitiæ rigor in omnes,ciuium animos affecere:maiorẽq;indies exactæ prudentiæ exiſtimationem, & iuſti regiminis laudem comparauit.

Eius regẽdi rationes.

Ad ſua tribunalia ad incolarum cauſas cognoſcendas iudices reuocauit; qui iã quatuor menſes ſilentibus forẽſibus negotijs,cũ ciuiũ detrimẽto ceſſarãt.Cũ Patritijs quoq; ita egit,vt omnibus beneuolentiæ ſignificationibus eorũ ſtudia,atq;officia demereretur:clam tamẽ,& in arcano, ne populus patritio ordini infenſiſſimus ſuæ in illũ voluntatis propenſionẽ aduerteret. Verũ vbi ſemel ſeditionis virus perditorũ animos imbuit,ciuilẽ quietẽ,paciſq;ſtudia, & rerum tranquillitatẽ iniquis animis ferunt: vt quod pacata vrbe aſſequi deſperant,turbata,euerſaq;potiantur.

Iterum turbidi ſeditionem moliũtur.

Conſpirãt itaq; peſſimi quiq; habitis ſecretis conuẽtibus,vt plebem rurſus ditiorum,nobiliumq;opũ direptionis, & libertatis illicio ad arma cieãt,diemq;conceptæ Deiparę ſacrum nefarijs perficiẽdis deſtinatis præſtituunt: quo Prorex cũ omnibus regijs miniſtris in Diui Franciſci templo ſolet ſacris ſolemnibus operari.

Proregem deſtinant neci.

Decernunt primũ nefario conſilio,ipſum Proregem cũ vniuerſis vrbis primoribus,Hiſpaniſq;miniſtris repentino facto in eos impetu obtruncare;patrandæq; cædis munia partiuntur.Sed cum difficillimum ſit coniurationum conſilia,quorum plures conſcij,ac participes ſint,non emanare, vulgariq;conſpirantium decreta:Cardinalis Prorex ſui adeundi facilitate nullius indignatus tenuitatẽ vota omnium excipiẽs,atq; omnibus horis ſublatis cuicũq; thiatyris,ſua deſideria proferentes audiens, & acta cuiuſq; veſtigãs facilè prodentibus conſcijs coniurationis arcana detexit.

Coniuratio detegitur.

Nec mora captis,ac quæſtioni ſubiectis huiuſmodi cogitati parricidij expreſſa cõfeſſio.Cõiurauerãt ceſo cum omnibus Regijs miniſtris,& Primatibus Cardinali, vrbis ærarium populati, ſe Turcarũ imperatoris facere vectigales, extractũq; ex arce Tuneti Regis filiũ ab Hiſpanis captiuũ diu in illa detẽtũ ſuũ Principẽ dicere.

Coniuratorum ſupplicia.

In hos parricidij cõpertos ſolito perduellium ſupplicio animaduerſum in caput altero pede ſuſpenſi è patibulis pependerunt. Tanti facinoris audendi fecerant pro-

profligatiſſimis latronibus animos Neapolitani tumultus, quibus tum maximè flagrante regno, euerſo Hiſpanorum imperio, ac Republica conſtituta, ſibi auxilia à rebellibus ſubmiſſum iri ſperabant. Interim Cardinali à Catholico Rege Inſulæ præfecturæ affirmata poteſtas, atque ampliſſima cum magnifica honoris præfatione moderandi pro arbitrio regni ei tradita authoritas: ab ipſius prudentia, cura, diligentia omnia ſalubria, pacataque expectari: ſperare ſe illum priſtinæ quieti Inſulam compreſſis tumultibus, redditurum. Itaq; ille fidentior Hiſpanorum legiones regni præſidia militum ſupplementis implere, nouaſq; triremes extruere, augere additis nauibus, claſsem; remigibus adornare inſtituit: non paſſus præſtituti temporis pœna defunctos ibi in vinculis perpetuò detineri: ſicuti non tam impiè, quàm auarè à Nauarchis fieri conſueuerat. Plus trecenti vno duntaxat die mane cathenis ſoluti libertate donati; vrbem tamen ingredi prohibiti, ne mortalium inquinamentis, & fœce populo immiſta plebis multitudo ſordeſceret. Obtrectabant Nauarchi Proregis decreto, horum miſſione triremes remigibus exarmari, alios in eorum locum ſufficiendos non eſſe. Verum breui animaduerſum eſt iuſtitiam bono regimini non obeſſe, ſed res moderantium firmare, atq; in maius augere. Nam ferè ſubito totidem remiges carcerum purgamenta in eorum ſubſtituti vicem, immo ex quatuor triremibus ad ſeptem auctũ agmen numeroſo epibata, & remige, omniq; bellico apparatu inſtructiſſimum. Cardinalis populares mitiùs, ac clementiùs habendo omnes ſcopulos, & ſyrtes feliciter præteruectus ſibi videbatur, & leniùs agendo ad bonam frugem turbidos redigiſſe. Sed perfidia nullis meritis mitigari poteſt; quam cum mitius tractaueris, ſæuiùs in arcano graſſatur. Quidam enim quam occultiſſimè conſpirant, vt die Iouis cœna Domini celebri, cum omnes parentalibus ſacris mortuo Redemptori dant inferias, matutiniſq; precibus litant; non Proregẽ modo, ſed maiorẽ etiã nobiliũ partẽ in ipſo tẽplo perimere; inde prędatũ cęterorũ fortunas tota vrbe diſcurrere: adeòq; altũ latuit cõiuratio, vt quãuis aliquid dubio autore ſuſurri, & murmuris Proregis auribus inſonuiſſet: non tamen huiuſmodi erat; vt fides leui vulgatę famę eſſet habẽda. Nihilominus cũ de coniurationis veritate, deq; perduelliũ deſtinatis, futuroq; vrbis excidio, niſi protinus oriẽti malo occurreretur, certior fact9 eſſet Cardinalis: nulla interiecta mora, peditũ cohortibus, Hiſpanorũq; legione ad pretorij, vrbiſq; cuſtodiã accitis, eadẽ nocte cuidã Melano iuriſcõſulto parricidarum ductori, & alteri cui Gãbę groſſæ cognomẽ, vincula iniici iubet, ſuſpẽſiq; toto, ſpectãte foro ſolito perduelliũ ſupplicio pedibus cruci ſuſpenſi pęnas cogitati, ſtructiq; ſceleris dedere. Cardinalis aduertens parum cum refractarijs, contumacibus, & rebellibus proficere lenitatem, aſperioraque remedia carcinomatis morbo eſſe admouenda; intentiori cura mores cuiuſque, acta, conſilia, molitiones, petitioneſque cœpit expendere: quietis publicæ turbatores alios ſupplicio mactare, alios eijcere in exilium, alios perpetuis vinculis damnare, nouas peditum cohortes authorare, iam ſcriptas ſupplementis farcire,

Proregis bellici apparatus.

Eius aequitas et clementia.

Alia nefariorũ ciuiũ conſpiratio.

Coniuratio detegitur.

Coniurati pleƈtuntur.

Proregis ſolicitudo, et cura.

implere Hiſpanorum legiones; admotoque armorrm terrore coercere populi inſolētiam. Verum hęc via acriùs Cardinalis animum cura torquebat; quòd ad tam numeroſum populum alendum exigua admodum frumenti copia ſuppeteret, & in tanta annonæ caritate erant, & Ioannis Auſtriaci claſſi ad Neapolim in anchoris ſtantis, & Meſſanæ famæ pereunti fidiſſimæ vrbi ſufficienda alimenta. Itaque ille vrgente neceſſitate commeatus ex arce clanculum ſubtrahi iuſſit vberiorum meſſium tempore reponendos, iiſque & Panormo laboranti, & claſſis, Meſſanæque inopiæ proſpexit.

Eius prouidentia.

Giorgento. Gurgētum ad ſeditionē concitatur.

Dum Cardinalis in componendis Inſulæ rebus inſudat; Gurgentum vrbs regni præcipua Panormi ſequuta tumultus concita ſeditione, clericis, ipſique Antiſtiti violentas manus iniecerat: biſque à Prorege remiſſa ſcelerum pœna pacata quieuerat; rurſus inſolentior cœperat inſanire, ac furere audaciùs: aliquot ideò peditū cohortes, & equitum turmas Montis aperti Demarcho Duce in ſeditioſos immiſit, qui præcipuis tumultus auctoribus ſupplicio ſublatis, priſtina vrbi reddita tranquillitas eſt; iterumque impoſita eadem populo vectigalia, & regia tribunalia rurſus cauſidicorum clamoribus ſtrepuere. Alia quoque loca tumultuantia huius vrbis exemplo adducta damnatis turbis, quieuere. Ipſe Panormus amaros, acerboſque fructus de ſuarum ſeditionum ſatione decerpens, ceſſantibus commertijs, deſinentibuſque mercium negotijs, & Xenodochijs, Noſocomijſque ſublatis vectigalibus, ac proinde ſuis amiſſis prouentibus, ad vltimam inopiam, egeſtatemque ruentibus: iterum ſibi induci cœpit cupere vectigalia. Vno itaque agmine Proregem aditum orant, ſummiſque precibus iſtant, vt vectigalia ciuibus iterum imponantur. Ille prudens ſupplicanti turbæ reſpondit; ſe obſtrictam ſacramento fidem de non reponendis vectigalibus omninò abrumpere nolle; nec eſſe cur ſecum de hac re agant: quo reſponſo maius exarſit populi deſiderium, vt negata plerumque ſolent magis habendæ recuſatæ rei cupiditatem accendere; rationemque taciti ſecum inibant, qua poſſent à Prorege hanc conceſſionem exprimere; cum repentè nec dum prorſus euulſis ſtirpibus ſeditionum, nonis Iulij quidam nefarij conueniunt, vt excitato tumultu vrbem populentur: paulòque ante quàm adueſperaſceret, Diui Antonij turrim aſcendere tentant, vt campani æris crebro pulſu plebem ad arma vocent; & carcerum fores, & vectes conantur effringere: nec mora torrentis inſtar obiectos aggeres prouentis vniuerſa plebs armata ſe ſe in fora, ac vrbis regiones, & vias effundit: inconditoque per vrbem diſcurſu quaſi certa obuios quoſque nobiles fuſtibus pulſat, vulneribus fodit: aliaque facinora inſolentiſſimè audet: Cardinalis ea populi andacia, procacitateque irritatus, quàm maximas poteſt cogit peditum manus; & omnes acceſit equitum turmas, quas huiuſmodi populi contumaciam præſago animo diuinans, Monte regali propè vrbem duo paſſuum millia ſtatiua habere iuſſerat; vt expedita, vicina-

Seditioſi ſupplitio affecti.

Vectigaliū commoda.

Rurſus ſeditio pullulat.

Prorex militum auxilia contra ſeditioſos vocat in vrbē.

vicinaque ad manus arma in tales euentus accita extemplò eſſent; & aliquot Æduis equitibus, qui iam aduenerant, iuſſis equos conſcendere; iam aduerſus prætorium armato ſe populo prouehente, non amplius cunctandum ratus, cum nihil ſit pernicioſiùs, quàm perpetuo cedere populi inſolentiæ, & timidè nimis eius audaciæ ſuccumbere: varia loca, viarumque fauces iuſſit à militibus inſideri; atque aliquot minora tormenta clam populo aliquot ante diebus prætorio inuecta proferri: quæ contra ſe collineari cum illa incondita popularium turba vidiſſet; tantus viliſſimam multitudinem terror inuaſit, vt fluctuans vndarum more, confuſaque palans fugam protinus arripuerit. Quare equitatus ſtrictis enſibus, & minoribus ſclopulis tota vrbe ad augendum metum diſcurrens præcipuos ſeditionis authores, coniurationiſque capita in vincula detruſit; qui poſtera die manè eliſis laqueo faucibus de furcis ad populi ferale ſpectaculum pependerunt. Quare deſpondente quotidie magis animum populo, creſcenteque viribus Cardinali, validis præſidijs vrbe firmata, plebs abiectis turbidis conſilijs, ſubmiſſaque ferocia, tandem contumaces ceruices ſueto iugo ſubiecit. Immo etiam opifices propugnaculorum, portarum, publicæque vrbis domus cuſtodias Hiſpanis cedere, exarmareque ſe, omniaque tela tradere, quæ illis Demarchus de los Velez defunctus Prorex ingenti numero diſtribuerat; ſolitaque vectigalia accipere decreuerunt: & ſcripto, ſupplicique libello à Cardinali flagitarunt, vt illa iterum ciuibus imperaret. Eodem tempore aliæ Inſulæ vrbes, quæ ſe ad Panormi exemplum, conſiliaque conformauerant, depoſita pertinacia, redierunt ad fidem. Pacata vbique compreſſis tumultibus inſula, fidentiori animo Cardinalis vniuerſi Regni primatum conuentum indixit; quamuis plerique veriti tot capitum vna coeuntium ferociam ſecus ſuaſiſſent; qui tamen nullo ſtrepitu, nullis turbis, ſed pacatè, tranquillèque habitus eſt, & ſolito ampliora donaria Regi obtenta. Quæ omnia tanto vniuerſorum conſenſu, lætitiaque acta ſunt; vt interioris voluptatis inſignia exteriori ſignificatione deprompſerint Cardinali Inſulæ indigenarum iure, & prærogatiua donato. Ille ſuis votis velificante fortuna prætorium in arcis modum efformatum duobus adſtructis propugnaculis, libratiſque ſuper illa tormentis, firmiùs muniuit: ſeptingentorumque peditum legione in Inſubres ſubſidio miſſa, vrbem ciuium inquinamentis, & ſordibus repurgauit; exarmatumque ferocem, contumacemque populum ſupplicem ſuis genibus aduolui, vectigaliaque ſibi petere imponi coegit; pro quibus tollendis ſub Demarcho de los Velez tumultus, ſeditioneſque ciendo, minandoque vltima tantopere obſtrepuerat. Quare Cardinalis prudentia ſolertia, animoſitateque illud Catholico Regi ſeruatum regnum; acceptaque eius dexteritati, probitatique conſiliorum Panormi, atque adeò totius inſulæ ſalus referri poteſt. Reſtituti quoque ſuæ quieti regni magnam laudis, gloriæque partem ſibi vindicat ordo patritius: qui nihil erga ſui Regis fide nutans à pernicioſis, & turbidis populi conſilijs abhorruit, cui ſi aliquis

Seditioſi ſupplitio plectuntur.

Vrbs omninò pacatur.

Vbiq; ſeditiones ſedantur.

Prorex Inſulæ iure natiuo donatur.

Cardinalis Proregis merita.

Digitized by Google

tumultuanti ſe ducem nobilis præbuiſſet: poterat vicinæ Gallicæ claſſis, quæ toto infero mari volitabat Neapoli incubitura ſubſidijs vel diuturnius alere bellum, vel oppreſſis Hiſpanis, Inſulæ regnum facile vſurpare.

Sed non ex toto Catholici Regis aduerſa fortuna rebus ſuffecto Prorege Italo Principe ſtricto duntaxat telo, terruiſſe contenta affligendis ſæuius eius in Italia dominatibus mitior abſtinuit.

Digitized by Google

NEAPOLIS POPVLARIS SEDITIO

NARRATIO VIGESIMA QVARTA.

NVnquam procaciùs, aut inſolentiùs, rebus humanis illuſit, nec ſe impudentiùs, crudeliùſque cerebroſam in mortalium oculis Fortuna traduxit, vel turpiùs ſe ſuis iniquis fauoribus infamauit: quàm cum paucis ante annis Neapolis celeberrimæ, atq; nobiliſſimæ vrbis imperium, & frequentiſſimi populi faſces, tribunitiamq; potentiam vltimæ ſortis deſpicatiſſimo nebuloni ſubmiſit. Obſtupeſcet certè poſteritas omnis de Plebis fæce Therſitem, purgamentiſq; vulgi lacerum Irum, excalceatum, cucullos venales paulò ante minoris denariolo alimenta ementibus diſtrahentem, inopum puerorum turba ſeptum ſeditioſæ claſſico vocis ad rebellium ciuium animos accendere potuiſſe: mox ſuum imperatorem ſuffragijs populi renuntiatum abſterſis ſordibus, poſitoq; ſqualore, auro diſtinctis indumentis inſignem regiam penè ſuperbo faſtu egiſſe perſonam: ſplẽdidoq; ſtipatũ ſatellicio, imperatorio faſtigio, maieſtatiq; parem equitaſſe per vrbem, prætereuntẽq; à venerabũda plebe impenſiùs, ſubmiſſiùſq; cultum abſciſſa toti populo mandata dediſſe, formidatumq; ſediſſe cuiuſq; necis, vitæq; arbitrum: ſolo nomine, & vocis fulmine terruiſſe patricios: ponè ſe iuſtos propè perduellium exercitus tota vrbe traxiſſe: vel ſolos ipſius nutus pro metuendis habitos imperijs: vniuerſam vrbem vni eius acquieſcentem arbitrio, quidquid illi libitum, damnatumue foret; idem nemine hiſcere, mutireq; audente, probaſſe, odiſſeq; ad eius voluntatem: pro ſuggeſtu literarum prorſus ignarum natiua tantum facundia aptè ad populum peroraſſe: honeſtioris conditionis ciues ab eo iuſſos abſciſſis ceruicibus mori; quibuſdam præſentem necem interminatum, ni ſuos pedes oſculatũ feſtinaſſent. Quid plura? ſe regem ita ferebat, vt nullus vnquam regũ abſciſſiùs ſuis vectigalibus imperarit. Verum eadẽ fortuna ſui pęnitens facti reducto calculo, fędiſſimum dedecus exuere properauit; illamq; puduit; vt plerumq; ſuis ipſa muneribus inuidere ſolitam, tantos honores abiectiſſimo balatroni detuliſſe: atq; errati à ſuo gratioſo pęnas exegit, abrogato illi imperio, obtruncatoq; lanienæ immani cultro, vt tantam belluam decebat, capite.

Fortunam itaq; diceres hiſtrionicam egiſſe, quæ mentitum imperatorẽ in ſcenam induxerit; mox intra ſpatium retractum exutum paludamento decollarit. Vanum hoc phaſma, atq; inter anilia deliramenta cenſeretur à poſteris; noſque mentiri commenta, & fabulas texere putaremur; niſi præter ſcriptorum turbam inſolitæ rei, atque incredibili innumera videntiũ teſtiũ multitudo, qui his tragicis ſpectaculis interfuere, facerẽt fidẽ.

Nullibi

Digitized by Google

Nullibi certè clariùs patuit, quàm Neapoli, vulgus multorum capitum belluam eſſe, quod inſano impetu eodem tempore in contraria diſtractum quocumque furor impulerit, lymphatum feratur, paulòq; ante acceptiſſima damnaturum. Aniellum enim ſuum veluti Regem veneratum eſt, mox quaſi perduellionis reum capite plexuit, deinde vt indigetem adorauit, poſtremo etiam mortuo quaſi triumphanti funebri pompa pluſquam regias dedit inferias. Quæ quia maiora verò fortaſſe alicui videbuntur; nec ſæuior alibi ſeditio, vel cruentior exarſit; vel parem populi furentis conſternationem vix vna, aut altera vidit ætas: ſingula ex ordine, vt quæque acciderint, acuratiùs lectoris oculis ſubijciemus à primis cauſis opus exorſi.

Quomodo in Hiſpani Regis ditionem venerit Neapolitanum Regnum.

Neapolim Græci, ſicuti pleraſque alias Italiæ vrbes, condidere; exciſo Romano Imperio, Reges plerumque exteri tenuere. Conſalui magni Ducis induſtria Hiſpaniarum regnis adiunxit: qui Aragonio ſuo conſobrino tunc Neapoli imperanti à Ferdinando Caſtellæ Rege contra Gallos illud regnum belli turbine, atque impetu proruentes ſubſidio miſſus, cum hoſte in vſurpando communibus armis regno conſenſit; pactuſque vt in ſocialium armorum præmium partum regnum æquis portionibus ſibi inuicem partirentur; in ponendis partium finibus ab exorto iurgio ad arma ventum eſt: in quibus Conſaluus ſecundiori afflante fortuna, fęlicior exactis Gallis, totum ſui Regis imperio ſubiecit, & ad hæc vſque tempora Hiſpanis parere Regibus perſeuerat. Vrbs, & amplitudine, atque ædium magnificentia, innumerabilis populi frequentia, & procerum, dynaſtarum, purpuratorum, & Principum multitudine inter clariſſimas vrbes Europæ cenſetur. Ampliſſimi dominatus regia, in quo omnes ſuas diuitias, & dotes largiùs Naturæ munificentia congeſſit. Ab Auſtro toto litore prætexta latè mare proſpectat, ab Aquilone patentior intra continentem ad colles vſque procurrit, quorum obtentu Boreæ rigor arcetur, ne poſſit eius aſperi ate perflari. Quare in amphitheatri maximè ſpeciem hybernos colligente ſoles, tepente aere, mitique cælo, alibi omnia hyemalium frigorum inclementia coquente, perpetuo ibi virore rura florentia vernant. Tres arces totam vrbem habent ſub ictu; quibus populi identidem ferocientis audacia coercetur.

Neapolis deſcriptio.

Huius vrbis eximium ſplendorem, & pulchritudinem quorumdam inſanientium de plebeculę ſedimento furor, ac crudelitas deformauit, & cędibus, incendijſq; ſuorum ciuium cruore madentibus vijs, foris, & compitis funeſtata tantum non ſupremum tulit excidium: cuius mali labes non ex vectigaliũ multitudine, & exactionum acerbitate defluxit; ſed ex mobilis vulgi in nobiles odio manauit.

Verum cum Hiſpani Reges vrgentibus vndique bellis impulſi nec Indicis theſauris, qui alternis annis ad Hiſpaniæ litora à Peruanis fodinis aduecti claſſib. perferũtur, tot copiarũ in Belgio, Germania, Italia, Hiſpaniaq; ipſa impendijs ſufficere poſſent: creſcẽte ęrarij inopia, coacti ſunt aliquãdo pecuniã ſuis vectigalibus imperare, & ad bellicas impẽſas indictis acerbioribus tributis populos grauare; à quibus cum Neapolitani præcipuè ciues.

Caro-

Caroli V. munere, atque indulgentia eſſent immunes, & vacui ægerrimè patiebantur ſibi noua identidem vectigalia, tributaque indici: tacitas iras accendebat magis exactorum acerbitas; ſed tot arcibus, caſtellis, præſidijs terrentibus incolas, exactionem grauitatem demuſſare cogebantur; immo ſubmiſſiùs ad Regis imperium ſuas in bellica impendia conferre pecunias; quibus exhauſti Neapolitani ciues, à regijs miniſtris inclementer in ſuper habiti ſuam vicem, conditionemque dolebant. Quidam Hiſpano nomini apprimè infenſus turbidi, ſagaciſque ingenij ſeditionum quondam ſub Vrſonis Duce artifex mirus nouas res animo coquens ciendi alicuius in Hiſpanos tumultus, concitandæque plebis imminens occaſioni, quam illi malus Genius obiecit, cupidè arripuit. Nam cum populus alia onera quamuis grauia ægrè ferret ſanè, ſed tamen iratis animis temperabat; at cum fructibus etiam, qui è ſuburbanis villis, & ruribus vrbi inferebantur, vectigal à Prorege impoſitum eſſet; tum enim verò indignatio tacitis cõcepta mentibus foras ebulliens, iam non ferendi impotens oneris affixis in celebrioribus vrbis locis libellis, nec dum etiam in Proregem exuta prorſus reuerentia, illum enixè populus hortabatur, vt odioſiſſimo tributo vrbem leuaret; grauiùs ſe in authores conſulturum minatus, niſi illud protinus aboleret: ſuæque iræ inſignia præbuit exuſta ſæpius, dirutaque taberna, in qua huiuſmodi vectigal exigebatur. Prorex quamuis minacia huiuſmodi monita non parui facienda putaret, & ad cauendos tumultus populi votis indulgendum cognoſceret: tamen vrgente maximè pecuniæ neceſſitate, fideque regia exigente, qua freti publicani octoginta aureorum millia ærario intulerant; ex hoc vtique fructuum vectigali capienda, eorum compenſatura diſpendium, vt præſtarentur indemnes; nunquam in animum induxit hoc tantulo beneficio iam in Hiſpanicarũ rerum perniciem erumpentes iras ciuium mollire. Sed reparato toties, quoties dirutum eſſet, huius vectigalis domicilio, illud pergebat exigere, ſpe tamen ſuadentibus iniecta, ſe quam primum tam odioſum populo ſublaturum tributum. At fruſtrà vbi neceſſitas imperat, ſupplicum vota, deſideriaque proferuntur; obſurdeſcit egentium poſtulationibus inopia. Hæ Proregis inconſultæ moræ magis populi omnis impatientis cunctationis animos aſperauit; ſeque illum Hiſpanis artibus ludificari ſuſpicatus maiori in arcano indignatione fremens iras minabundus efflabat. Genouinus itaque nullam conflandæ ſeditionis opportuniorem occaſionem ratus optimè patrij moris gnarus propediem Deiparæ Virginis de monte Carmelo ſolemnia ſacra in vrbe inſigni pompa, ciuiumq; lætitia peragenda eſſe; eodemque die arcem ligneam in templi area conſtructam ludicro certamine expugnandam, atque in id bellici impetus ſimulacrum quaſdam puerorum cohortes centuriatas eſſe; quibus inter alia militaria munera obeunda, erat illa arx circumfuſis ordinibus aggredienda: qui quia pueri plerunque nudi arundines manibus geſtantes ſuis quiſque ſub ſignis terni, vel quaterni procedebant, Alarborum cohortes voce punica vocabantur. His puerorum agminibus

Neapolitani populi querela.

Eius minæ.

Proregis pernitioſa duritiés.

Ludicrum puerorum certamẽ ſeditionis initium.

Digitized by Google

Aniellus pueris præficitur. minibus chiliarchus præfectus eſt quidā Thomas Aniellus, vulgo contracto nomine, Maſaniellus quinq; & viginti annos natus inops, vltimę ſortis, abiectiſſimiq; generis, obſoletoq; laceroq; amiculo ſuccinctus, nudis cruribus, excalceatus, icthyopolæ arte vitam, vtcumque tolerans immo ſolitus ob inopiam cucullos piſces ementibus minoris obolo vendere.

Eius obſcuriſſimum genus. Hunc veluti audacis ſpiritus, procaciſque impudentiæ ad ciendum tumultum aptiſſimum ſubdolis artibus aggreditur Genouinus; ſuadetque vt cum ſuis puerilibus cohortibus ſeditionem accendat: monetque, vt plebe domicilium fructuum vectigalis demoliente, iubeat ſuas puerorum turbas tota vrbe elatis vocibus clamare, vt huiuſmodi tributo populus eximatur; ſubijcereque, vita Hiſpaniarum Regi, deprauatoque regimini diræ omnes; ex quo puerili tumultu, tāquam etiam innocentia nimiam miniſtrorū auaritiam damnante, ſperabat Genouinus ciuium animos aſſiduis vectigalium exactionibus acerbatos, ad ſeditionem aliquam concitum iri. Commodum aduerſa vrbi fortuna opportuniorem ſua ſpe Genuino, Anielloque Nonis Iulij dominica die obtulit occaſionem. Nam cum fructuum domini, & eorum propolæ mutuis altercationibus diſceptarent, vtris pendendum eſſet huiuſmodi vectigal: ſe eius immunem, vnoquoque aſſerto; Andreas Naclerius Populi electus ſecundum propolas litem dat. Quidam Puteolanus fructuum dominus aduerſa ſibi Naclerij ſententia ira frendens ficuum alliſo telluri quaſillo, deſperatione animum alienante, ficus pedibus proculcauit, obtriuitque plura ferociter, impatienterque obloquutus; à præſentibus etiam nulla Naclerij habita ratione ferociùs ſucclamatum eſt. Tunc Aniellus, quem neſcio quod vrbis fatum eò tranſtulerat, optimam ciendi tumultus occaſionem aduertens cum ſuis aſſeclis mediaſtinis proiectas ficus auidè edere, quāuis ſummoti, vetitique cęperunt, aliaſq; fructuum corbes toto ſolo diſijcere. Accurrit ad tumultum ſatellitum globus, pueros non ſolum acribus verbis accipiunt, ſed etiam impactis verberibus pulſant. Aniellus in ſuorum tutamentum audacior inſurgens arreptos lapides in ſatellites torquet, atque ad idem audendum ſuos ſectarios accendit; tum enim verò in ſatellites ſaxorum effunditur turbo, & lapidum procella torquetur; qui ne eo miſſilium nimbo obruerentur, indè ſe præcipiti fuga proripiunt. Ipſe populi Electus ſuæ vitæ timens ſe furentium manibus ægrè ſubtraxit, conſcenſoque curru ad mare peruolans, vix inſtantium violentiam nauigio exceptus effugit. Ea rixantium pugna alios egentes puberes, & quoſdam etiam maturioris ætatis è foro ad locum elicuit: confluenteq; vndiq; ciuium turba, vt in vrbanis tumultibus fieri ſolet, vno agmine quaſi rapidus torrens ad odioſi vectigalis domicilium allapſi eo momento demoliti, omnia chirographa, tabulas, acceptique, rationumque libros ſubiectis flāmis incendunt; contentiſque vocibus clamant; leuandam eſſe huiuſmodi vectigali ciuitatem. Tunc Aniellus ſe ipſo maior arrepto de quadam vicina caupona vexillo, anteſignanus omnes præcipuè pueros ad ſe ſequendum inuitat, coactoq; ingenti de plebea fęce adoleſcentium, iuuenumque

Ciendi in vrbe tumultus occaſio.

Seditionis origo.

Rixa exoritur.

Aniellus ſe Ducem furentibus præbet.

que agmine rectâ compoſitis militari more ordinibus, rapitur ad prætorium, vrbiſq; regiam. Quacunque agitur ille rapidus turbo obuia quæque domicilia, in quibus alia vectigalia exigebantur, facto impetu diruunt; proſtrataſq; fores, & feneſtras, atq; omnia in ijs reperta in media via ignibus tradunt: prouectaq; illa furialis turba ad prætorij parietes Proregi minacibus, atq; horrendis clamoribus obteſtantur; vt tot vectigalia, quibus miſeri ciues deglubuntur, aboleat. Verum ille tanta viliſſimæ turbæ audacia, atq; inſolentia nimia ira vix ſui potens, ad fineſtram ſe præbuit conſpiciendum abnuēs toruo obtutu, iratoq; capitis motu ea ſe minimè ſublaturum, acerbaſq; pęnas à tumultuantibus expetiturum. Quare illa multitudo quaſi furijs acta in prætorij conclauia conſcenſis rapidè ſcalis irrumpens, omnem ſuppellectilem, & quidquid domeſticorum ornatuum foret, de feneſtris in forum proijciunt: ipſiq; violentas inferunt manus, qui in regiæ penetralia, ſecretioreſq; receſſus elapſus, cum nec ſic quidem ab illa inſana turba vllū pateret effugium; ſpontè ſe in populi conſpectum dedit, pollicitus ſe eorū vota impleturum: quo promiſſo aliquantum furentiū animos, iraſq; leniuit: ſed cum non ſe ſatis in tanta circumiecta multitudine ferociente tutum putaret; profuſa quoque ex auro, argentoq; pecunia, vt eo illicio captādæ monetæ vulgi animos à ſe auerteret; ex foro elapſus fuga ſalutem quærens, in Diui Ludouici Paulinæ familiæ cœnobium ſeceſſit.

Plebs ad Proregē minitabunda rapitur.

Seditioſorū inſolentia.

Proregis fuga.

Vbi populus è ſuis oculis Proregem euanuiſſe conſpexit; ad idem cœnobium furibundus aduolās ſe ſe in eas ædes effudit; clamores ingeminās edicit Proregi, vt ſe vectigalium oneribus leuet; deiectiſque primis foribus, alteris etiam arietem admouere parabat: cum Prorex in feneſtra conſiſtens admonet populū, vt ſedato tumultu quieſcat; ſe promptè eorum petitionibus indulturum. Iam plurimi ex patritio ordine ciues Proregi tā graue periculum trepidanti ſubſidio properarant: præcipuè Cardinalis Archiepiſcopus Philomarinus, qui tota hac populari ſeditione mirum eſt quantum in pacanda plebe in Hiſpani Regis obſequiū laborarit: cuius præſentis veneratione populus ſilens diducta denſata multitudine, vlterius in cęnobium ingredi, & Proregē adire permiſit; quòd recepiſſet, ſe forè ſequeſtrē, vt ſua optata aſſequeretur. Subſidente parumper Cardinalis aſpectu, atq; opera multitudinis ira, Prorex Torrechuſæ Demarchum ad populum foras emiſit cum ſyngrapha à ſe ſubſcripta, & regio ſigillo obſignata; qua ſe populo ſatisfacturum pollicebatur; atq; omninò totum fructuum vectigal, & farinæ dimidium ſe tollere declarabat. Verum impetratis non contēta illa ferox multitudo, vt facilè ad tumultus, ſeditioneſq; ciētur plebis animi, ita ęgrè pacantur; rurſus furore correpta obſtrepit vehementiùs domicilij feneſtris, in quod Prorex à multitudine inſaniēte ſeceſſerat. Tum Genouinus omnia ad ſua vota caſum ferre lętus Auiello turbida cōſilia ſuggeſſit; ne tam opportunam concitandi in Hiſpanos populi occaſionē effluere pateretur; ſtrenuè ageret, Fortunam eius conatibus fore propitiā. Ille ponè ſe inopū turbā trahēs progreſſus in forū ſcāno cōſcenſo ſublimior pręſentem concio-

Patritij ad Proregem Vinaldum accurrunr.

Seditioſi Proregem vrgent.

Genuini turbidus animus Hiſpanis infenſus.

Digitized by Google

concionē admonet,nullā,aut exiguam certè obtinēdi à Prorege voti ſupereſſe,immo illū ſupplicia, pęnaſq; expedire in eos, qui de tollēdis vectigalib. loquerentur. Quare maiori, ac maiori per ſingula momēta confluente artificum turba, quos clauſis officinis, partim rei nouitas, partim nouarum rerum ſtudium rapiebat in forum, ad Diui Ludouici cęnobium iterum regrediuntur indè Proregem extracturi. Sed cum eò plurimi nobiles, & præſidiariorum cohortes in illius ſubſidium celeriter accurriſſent; maiorum ſcloporum ictibus, & vulneribus ſummota, mulctataque illa procax turba ceſſauit: donec Prorex potuit per poſticum murum cum pluribus patritijs trangreſſus in Patrum Clericorum Regularium collegium illabi, atq; inde in Diui Hermetis arcem effugere. Quod vt furiali illi turbæ innotuit, in obuios quoſque Hiſpanos immani rabie deſæuiens alios detractis armis, fuſtibus egregiè pulſare; alios etiam crudeliùs inflictis vulneribus occidere. Ædes deinde Tiberij Caraffæ Beſſiniani Principis adit, illumque vt vniuerſæ Neapolitani Regni militiæ ſummum caſtrorum præfectum rogat, vt populi patrocinio ſuſcepto, vectigalium immunitatem ex Caroli V. indultorum præſcripto impetret à Prorege: ita Genouinus petendum monuerat, quæ quia varia, pluraq; erant: ſciebat nullatenus conceſſum iri, ac proinde maiori indignatione populum acerbandum.

Seditio magis glişcit.

Sæuit populus in Hiſpanos.

Genuini pernicioſa ſolertia.

Caraffa equo ſeditioſorum agmina pręteruectus illis ſuam operam pollicetur, acturumque ſe apud Proregem, vt ipſorum deſyderijs indulgens poſtulata concedat; interim à tumultu quieſcerent, nec ſe in obliquum ira concitos abripi ſinerent. Illa numeroſa turba ſtipatus prouectus in forum, vbi innumerabilem multitudinem ibi coiſſe vidit, in Deiparę Virginis Carmelitæ templum ingreditur, atq; in concionem prodiens de ſuggeſtu apta oratione tumultuantis populi animos lenire pro virili parte contendit. Verum, vt ſunt feruidiſſimi concitatæ multitudinis, implacabileſque animi, nullius orationis efficacia miteſcere potuerunt; immò perorante Caraſa, aliud furentium agmen Diuæ Mariæ Agnonis, & Diui Archangeli carceribus, vinculiſque perfractis, ibi in cuſtodia detentos liberos indè dimiſit: exuſtis reorum criminum tabulis, atque omni Cuſtodum ſupellectili ſubiectis flammis incenſa. Inde eodem impetu ad publicum farinæ teloneum illata deiectis ędium valuis, proſtratiſq; portis, admotis facibus, pice, cuncta, etiam ſignatam pecuniam ibi à miniſtris ſeruatam igne corrumpunt, nequicquam eodem præſente Principe manu, voce turbam à tam nefario auſu deterrente. Neque ex toto ibi effuſa tam violenti turbinis ira, ad Diui Laurentij delubrum cucurrit (Caraffa ſemper multitudinem comitante; quam omni ſtudio, curaque mollire conabatur) vt ſacri æris pulſu claſſicum caneret, atq; ad arma eo terribili ſonitu reliquum populum concitaret. Feſſus Princeps nimio calore fatiſcens, ſudoreque conſperſus, cum tantam populi bacchantis inſolentiam, ſæuitiam, ferociamque amplius ferre non poſſet, atque in eo pacando operam luderet; illum in varias vrbis regiones ciuium cuſtodiæ ſpecie, ne latronum cupiditas innocentium ædes præ-

Caraſa multitudinem ſedat.

Quæ acrius ſurit.

Digitized by Google

prædaretur, pattiri decreuit, & ne in tam periculoſis tumultibus amplius intereſſe cogeretur, in arcem nouam ſe recepit. Quo cognito populus quaſi creſcenti ſeditionis incendio nouis flammis adiectis tam precipiti ira accenſus, vt mentem cæco abripiente furore, tubæ clangore tota vrbe ſtrepente, cantato bellico, reliquos ciues exciret ad arma. Circa primam noctis vigiliam Campani æris ſonitu è Sacra Deiparæ Carmelitæ Virginis turri iterum ad arma conclamant: totamque noctem ſe gladijs, maioribus ſclopis, enſibus, venabulis, omniſque generis telis tormentario puluere, funiculis ex eorum officinis, in quibus venalia proſtabant, ſe inſtruere ſolicita cura, munireq; inſtiterunt.

Seditioſi reliquum populum ad arma concitant.

Plebs armata furit.

Prorex veritus, ne ſeditioſi Diui Laurentij turrim inuaderent, in qua veluti in armamentario varia armorum genera, præcipuè decem muralia tormenta ſeruabantur; aliquot Hiſpanorum cohortes ad eam propugnandam, cuſtodiendamque feſtinare iuſſit. Ipſe verò è Diui Hermetis arce, in caſtellum nouum deſcendit; quo etiam Princeps Cardinalis Triultius ſe tranſtulit: cuius veneratione prætorij domicilijs, & conclauibus, in quibus ille hoſpitabatur, Populi cætera diripientis inſolentia pepercit; nec auſus eſt eam regiæ partem quaſi ſacroſanctam violare. Neapolim ille à Siciliæ Prorege Demarcho de los Velez, vt ſibi ſubſtitueret, ſolicitatus aduenerat: ibique eiuſdem Demarchi precibus ſubſtiterat; quòd ſua vxore prægnante, & iam iam paritura, tam citò, vt cogitarat, Sicilia in Hiſpaniam abire non poterat. Prorex cum eodem Principe Cardinali, habito procerum conuentu, ipſorum rogauit ſententias, quid in tanto rerum turbine conſilij capiendum foret. In hoc conuenere omnes, vt Prorex ſeueriſſimis pœnis, & capite ſanciret ad leniendum populi ferocientis iram, pacandumque tumultum, vt Piſtores poſtero die panes aliquanto maiores, grauioriſque ponderis venales conficerent; & Fructuum vectigal, pro quo tam ingens ſeditio exarſerat, penitus ſuſtulit; ſerum & exiguum admotum tanto morbo medicamentum: munita deinceps omnibus bellicis rebus, & propugnatoribus arce, iuſſit tormentarium puluerem, in ijs locis, in quibus ſeruabatur, iniecto humore madefieri; ne ad vrbis perniciem eo madido populus vteretur, & à vicinis ſtationibus militum cohortes acciuit; quò ſeditioſos, tumultuanteſque puniret. Cuius præcipiti Proregis conſilio acriter obſtitit Cardinalis Triultius: validiſq; rationibus ab hoc decreto Proregem conabatur abducere: *contemptu ſolui, tollique plebeios tumultus: ſatis corripi, caſtigarique populi audaciam, ſi ſpernatur; comparari ſeditioſorum armis exiſtimationem, ſi armis eos oppugnatum eatur: ſatis conſultum iri publico commodo, ſi nihil violentiùs, & grauiùs agendo, non magis plebis animi aſperentur. Eius ingenij eſſe vulgus, vt ſibi obſiſtentibus pertinaciùs, & obſtinatiùs contra nitatur.*

Cardinalis Triultius Neapoli.

Procerũ cõſilium ſalutare, ſed ſerum.

Proregis præceps conſiliũ improbatur à Cardinali Triultio.

Acuentabant Germanæ cohortes iuſſibus Proregis accitæ. Quingenti fermè Neapolim Puteolis properabant: quorum accedentium nuntio nihil territus populus validum popularium agmen venientibus iuſſit occurrere,

Populus Germanos fugat. rere. Nec mora, com miſſa pugna, fuſi, cæſiq; Germ ani, plurimi capti, qui abiectis armis precarium ſpiritum ſupplices poſtularunt: eodem impetu obtritæ duæ peditum Italorum cohortes: dum populus intenta cura ad certamina ſe iterum inſtruit: Prorex maiores, acerbioreſque metuens turbas per ſenatores à latere ſchedulam ad Aniellum miſit; qua omnia petita populo concedebat, ſublatis omnibus vectigalibus: ſed ille ampliora contendens obnuntiat ſe velle omnia priuilegia in integrum reſtitui, ſeruarique ſibi à Regibus Ferdinando, Federico, & à Carolo V. Imperatore conceſſa: præterea inſtabat, vt totidem ſuffragia Plebs in foris haberet, quot ordo patritius. Annonæ præfectus inſuper diceretur à populo: nulla deinceps vectigalia imponerentur, niſi populi Tribuni aſſenſu, quem etiam populus iuberet ex prima vtique nobilitate, aliqua dignitate conſpicuum; vt quondam Salernitanus Princeps annonæ præerat. Quare cum Prorex diutiùs extractum, dilatumque iri diſſidij compoſitionem animaduerteret; atque interim plebem grauiora auſam, ac proinde deſperatiori veniæ vltima molituram, ac ſe quibuſque periculis obiecturam, inter eos ciuilium turbarum æſtus, tumultuumque procellas exactiſſima prudentia ſe gerens, ad Andreæ Maſtellonis plebei certè hominis, ſed honeſtioris conditionis, & maximæ inter populares authoritatis preces ſuadentis, vt aliquis inſignis ex procerum numero ad ſeditioſorum ſtationes mitteretur; qui obſtricta regia ijs fide, errati, excitatæque ſeditionis veniam polliceretur: atque omnium vectigalium immunes in poſterum fore: Franciſcum Filomarinum Rocchæ Principem ad eos legauit; qui etiam ſtatim annonæ præfectus iuſſus eſt, abrogato Zuffiæ plebi inuiſiſſimo magiſtratu. Tumultuantes præterea Proregis iuſſu adiere varijs chirographis typis impreſſis, quibus criminum venia, vectigaliumque leuamen concedebatur, Matalonæ Dux, & Marciæ Saracenæ dynaſta; qui in forum prouecti, vbi ad quinquaginta armatorum millia armata vidiſſent; nè ſtipata illa multitudine obruerentur; Dux equo vectus ad Diuæ Mariæ Carmelitæ Phanum deflexit: Dynaſta per ſellariam viam curru prætergreſſus circumfuſis currui pluribus ſeditioſorum millibus illum ſuum Ducem enixè depoſcentium: ille miti, leniq; alloquio demulſa turba, ſpe citi regreſſus iniecta, oblatum ſupremi eorum Ducis honorem, imperiumq; accepturum, rediit in arcem, vt Proregi ſuæ legationis euenta exponeret.

Qua Aniellus contendat à Prorege.

Proregis prudentia.

Studet plebem lenire.

Prorex Procerum ſtudijs, atq; intercesſione vtitur ad pacandam plebem.

Ad leniendam populi furentis inſaniam iuſſit Satirani Principem Rauaſchierum ob eius amabiles dotes, facileque ingenium acceptiſſimum Plebi, & Montis Sarchij Principem ex Aualorum nobiliſſimo, & antiquiſſimo genere, & Caſtelli Sangri Ducem vna cum Ferrante Caracciolo, & Diomede Caraffa Roſcellæ Principe, & Cuperſani comite, alioſque clariſſimos proceres equitare per vrbem; qui populo nuntiarent Proregem optimæ in eos voluntatis omnia eorum poſtulata libentiſſimè conceſſurum, modo ſedato tumultu, quieſcerent; fideique memores ad bonam frugem redirent: quibus reſponſum à populo eſt; nihil aliud eos cupere, quàm

Caroli

Digitized by Google

Caroli V. priuilegio contenta, cuius authographam tabulam poſtulabant. Hoc accepto reſponſo Principes addiderunt,ſe efficaci officio acturos apud Proregem; vt illos ſuis votis damnaret; cui omnibus cum plebe conuentis ordine expreſſis, Proregi acerrimo iudicio negotij grauitatem expendenti non admodum gratus fuit applauſus, quo Principes à Populo excepti fuere:quòd ex hac plebis in patritio,purpuratorumq; ordine fiducia, mutuoq; conſenſu maiora res ſui Regis incommoda,detrimentaq; accepturas timebat:cuius miniſtros non tam populus, quàm dynaſtæ nobilitasq; omnis peroſa eratq;vt diſſidia inter vtroſq;ſereret,dubięq;fidei plebi patritiorũ inijceret ſuſpicionem,conſilio ſanè vaferrimo, magnum Roſcellæ priorem ſtatim ad populum cum falſo priuilegio remiſit; qui illud eſſe authographum,exemplarq; affirmaret,quod ipſi tantopere cuperent: qua Prioris fraude à Genouino,cæteriſq; populi primoribus detecta, elatis clamoribus illud eſſe falſum queruntur: *ſe à nobilibus prodi: quibus maximè fiderent,quos ſui patrocinium ſuſcepturos ſperabant; cum Hiſpanis in plebis innocentis perniciem conſentire*, tantumq; multitudo iteratis querimonijs obſtrepuit; vt minarum acerbitas Prioris auribus inſonuerit, qui vt ſuæ ſaluti conſuleret, equo deſiliens priùs quàm magis res innoteſceret vulgo de publica via deflexo gradu,cum aliquot ſuis domeſticis in Apoſtolorum tẽplũ effugit, populique manus,certamq;necem euaſit.Matalonię Dux regreſſus ex arce attulit exſcriptũ exẽplaris ad populũ,neq;auſ⁹ eſt illud exẽplar eſſe mẽtiri;ſed illud verum,fidum,ſyncerumq;deſcriptum aſſeruit. Primũ Duci venienti populus vniuerſus applaudens illũ honorificè habuit:at vbi illud priuilegij exẽplũ ſæpius lectũ expẽdere primores, & aliqua potiora,ac magis pręcipua in eo deeſſe cognouit: tãta indignatione,iraq; popul⁹ ęſtuauit; vt ratus Ducẽ ſibi illudere voluiſſe, vniuerſo Patritio ordini infenſus in omnes nobiles ĩplacabibi odio cõcepto, in eos vindictæ cupiditate cõcitus raperetur. Eo itaq;Proregis vaframento,ſolertiq; arte oborta inter patritios, plebẽq; diſcordia,ſui voti cõpos,ne in Regis perniciẽ,detrimẽtũq; cõuenirẽt,nihil ſequeſtribus nobilib. potuit populo ſuadere;quòd eos ſibi infẽſos, proditoreſq; ſuſpicaretur. Quare excito tumultu Dux in Carmelitarũ Patrũ cęnobio cuſtodiẽdus cuidã magni nominis exuli, cui Paponi nomẽ,traditus eſt; qui cũ illi ob ingẽtia ab eo accepta beneficia maximè eſſet obſtrictus; tãtũ precib.obſecrationibus laborauit,vt illi à populo inuito libertatẽ expreſſerit.Seditione magis,ac magis feruẽte,in nefariũ conſilium coiere Aniellus,Papo,& Genouinus,quid opportunius pro populi cõmodo decernendũ foret. Genouinus ſchedulam protulit, in qua plus ſexaginta Miniſtrorũ familiæ recẽſebãtur,quæ exigendis vectigalibus, exhauſtis inopis plebis fortunis,expilatiſq; miſeri populi reculis opulenti ad inuidiã diuitijs affluerent. Quibus eo iniquiſſimo iudicio proſcriptis, populus nullo Dei metu, inaudita feritate cædibus, incendijs, rerum direptionibus ad vltima ſcelera in miſeros debacchatus ſæuiſſimas iras explenit:potuitque tam horribilem ſuorum popularium ſtragem, & fœda, cruentaque ſpectacula

Proregis ſagax ſolerſque dubiũ

Populi indignatio,et ira innobiles

Proregis vaframentum quo Patritios à plebe diuidit.

Seditioſi coeunt in conſilium.

Populi furentis immanitas.

ſiccis oculis intueri, immo eos auerſari, quos ciuilium cladium, excidijque ſuorum miſereſceret. Longum eſſet eos recenſere, quorum opes, ſuppellectilem, fortunas conciti populi furor abripuit.

Prorex proceres conſulit de populi pacandi ratione.

Prorex tot plebis facinorum nuntijs attonitus, cum nunquam putaſſet futurum, vt populus niſi nobilium ſubſidio, atque authoritate, potentiaque ſubnixus tam immania ſcelera eſſet auſurus: iterum procerum conſilium cogit, vbi alijs alia aſſerentibus, cum diù variantibus ſententijs diſceptatum eſſet; in hoc omnes conuenere; vt ad ſedandos plebis tumultus in nundinarum foro regia diplomata populo ſpectanda proponerentur; quibus, & excitatæ ſeditionis, & patratorum hactenus ſcelerum pœna condonabatur, & omnibus vectigalibus ciues eximebantur. Verum irritum ſalubria conſilia ceſſerunt. Nam cum in ijs edictis ambigua verba deprehenſa eſſent; contrarijs ſenſibus, & ad arbitrium vt à Principibus ad noxios fallendos fieri ſolet, exponenda; plebs maiori in Proregem, Miniſtroſq; indignatione ſuccenſuit. Prorex cum omnia tentamenta malo genio ſuberti, nec quicquam indulta, aut leniores declarationes, experimentaq; molliora ad pacandos plebis animos proficere animaduerteret; & tamen quacumq; ratione huic creſcenti incendio vellet occurrere, nè in totius ſerperet vrbis excidium, duorum populi patronorum Onufrij Palmæ ſcilicet, & Andreæ Maſtellonis opera ad ſeditionem ſedandam vti decreuit. Accerſitos igitur etiam, atq; etiam rogat, ingẽtium ſpe premiorum obiecta, vt omnia ſua in id ſtudia conferant, efficaciũq; ſuaſionum vires admoueãt; vt Populũ à tã nefario tumultu, ſeditioneq; auertãt, iratæq; Plebis animos pacẽt. Illi nullũ ardẽs officiũ prætermiſerunt monendo, ſuadendo, precãdo, vt furentis populi iras lenirent. Verum omnia in caſſum effuſa, peruicaci Plebis conatus omnes obſtinatione fruſtrante: inſtanteq; acriùs, vt ſibi Caroli V. priuilegiorum exemplar traderetur. Prorex nè duriùs agẽdo, magis plebis animos irritaret; ſtatuit omninò illã ſui voti cõpotẽ facere: miſſiſq; aliquot nobilioribus cũ Ioſepho Maria Caracciolo ex Patrũ Clericorũ Regulariũ familia ad ſacrã diui Laurentij ędem pręcepit; vt exemplar illud tantopere à populo expetitũ exacta diligentia conquirerent: ex quo ille ſibi ſtructos dolos, nexaſque fraudes magis aduertit; quomodo enim exemplum exſcribi potuit non hactenus exẽplari reperto? Interim Aniellus quaſi ſummus Plebis Tribunus, ſumma cũ poteſtate ciuibus imperans edixit, vt Mercatores omnes, opifices, artificos expediti in armis eſſent in populi obſequiũ: equitabatq; per vrbẽ armata turba ſtipatus ad nobiliorũ, procerũq; ædes, eoſq; nõ auſos cõtraire telis omnibus exarmabat. Sed quia ad maius præſidiũ, & grauiorẽ incutiẽdũ terrorẽ deerãt muralia tormenta; ſeptẽ de quadã naui detracta, & decẽ in cuiuſdã mercatoris domo inuenta, illi à regijs miniſtris pignori data, aliaq; ad vnũ de viginti in viarũ faucibus cõpitiſq; celebrioribus collocata, aliaq; in poſterũ diẽ prouiſa, vt ſiquid aduerſi oriretur, eſſent ad manus arma, quibus vim, iniuriaſq; propulſarent; ſi quis populi arma laceſſceret. Cardinalis Philomarinus eius vrbis antiſtes, vt ſum-

Prorex popularium ope vtitur ad pacandã Plebem.

Populus maiores fraudes ſuſpicatur.

Anielli imperium vt omnes in armis ſint.

mæ

mæ in Deum pietatis cum gliſcere magis,ac magis in vrbis exitium ſeditionem videret;cæleſte Numen in tantis rerum turbinibus propitiãdum ratus publicas populo ſupplicationes indicere deſtinabat;ſed vbi hoc auerſaturã plebẽ cognouit querẽtẽ,quò ſ eo tempore litandum eſſet,cũ vectigaliũ onerib. ſe populus leuandũ curaret; non quando acerbis tributis, & exationib. à Proregib. premeretur.Quare tantũ in aliquot tẽplis ad diuinas iras auertẽdas propoſitũ eſt publicè ad adorandũ Auguſtiſſimum Sacramentũ. Cardinalis eodẽ veſpere Proregẽ in arce adit, agitq; cũ eo quàm enixiſſimè, vt remedia inualeſcenti malo quærantur;conciliatiſq;tumultuãtiũ animis popularium,ciuitas imminẽti ſupremi excidij diſcrimine liberetur. Interea dũ in arce de cõponendo diſſidio,cõſulitur; Populus furialibus ſtimulis actus, plurimorũ ciuiũ, qui telonei lucro ad ampliſſimas opes excefferant; potẽtiorũ quoq; procerũ veluti patriæ hoſtiũ in ædes irrũpens precioſimmã ſupellectilẽ de feneſtris in publicas vias proiectã, & domeſtica ornamẽta,peripetaſmata,aulęa,conopęa,culcitras,lodices,pluteos, ſcamna ſubditis facibus ſtolida vecordia ſuccendit. Quæ deplorãda,deteſtandaq;dũ ab inſanẽte populo peraguntur; tandẽ ingenti labore,& cura quæſita Ferdinãdi Regis,& Caroli V. priuilegiorũ exẽplaria reperta ad Proregẽ deferuntur; qui lętus inuentis,quibus populi votis ſatisfieri poterat; tantumq; incendiũ extingui;dum cũ ſuis conſiliarijs potiſſimas rationes expendit: quibus tã horrida procella tranquillari poſſet: Aniellus de ſuorum collegarũ Genouini, & Peronis cõſilio,ac ſentẽtia populi rerũ intereſſe magni ratus,ſi Diui Laurẽtij turris expugnata populus potiretur;tum vt Plebi integrum foret;quotieſcunq; aliquod diſcrimen exigeret; campani æris ſonitus claſſico populũ excire ad arma; tum vt tutior in ea ſtatione tanquã à ſpecula vrbana deſpiceret;tum etiam,vt arma in ea ſeruata aſſequeretur. Ad eam oppugnãdam decẽ armatorũ millibus feſtinauit. Vergente in veſperã die illa armata agmina tanto impetu in Turrim aſſilierũt,vt eius præſidiarij Hiſpani,atq; Itali populi diſſonis clamorib. ferociaq; territi albũ vexillũ deditionis inſigne protulerint; acceptaq;fide ſe ſaluos,atq;incolumes abituros,Turrim populo dediderũt:in qua ingens omnis generis armorum copia, & duodeuiginti muralia tormẽta ſeruata in eius poteſtatem venerũt. Qua victoria exultãs protinus frequenti pulſu ſacra æra quatiẽs horribili bellici cantu reliquam plebem ad arma conciuit. Nõ facile dixerim quãto furore cerrita illa turba præcipiti curſu hàc,illàcq; raperetur. Vidiſſes promiſcuos artificum,ciuiũq; honeſtiorũ globos ſtrictis armis tota vrbe diſcurrere,quòcũq;aliquis fragor,vel ſtrepitus vocaret;eò quaſi ad hoſtem conficiendum feſtino agmine properare. Captæ quaſi vrbis facie,omnia tumultu,turbiſq; cõfundi;miſceri varijs diſcurſibus vrbem; veluti hoſtis victor populabundus opulentiores quæreret prædas. Ipſæ mulieres imbellem exutæ ſexum feroces ſuccintis ad genua loccis, & palliis, quo expeditior eſſet ad facinora greſſus,quædã minoribus tormentis,gladijs,aliæ venabulis haſtis,ſariſſis,telis, pilis, pugionibus,falcibus,ligonibus, & quæ fors obtulerat,telis,raptim armatæ turmatim curſitare per vrbẽ,ferire quos vel tenuis ſuſpicio faceret hoſtes, diruere, incen-

Cardinalis Philomarini pietas.

Caroli V. priuilegia inuenta.

Turris popularibus deditur.

Mulierum ferocia.

Digitized by Google

Infantum quoque ferocia. re,incendere,eorum tecta,qui Dei,populiq; hoſtis ab inſana turba temerè cenſebātur.Infantes vtriuſq;ſexus tenerrimæ ætatis,vt pote qui nec dū etiā quinq;,aut ſex annos nati,iraſci,ſęuireq; neſciūt; cum ſulphureorum faſciculis ſarmentorū ſequi feroces matres, ne ignium ad ſubitariū incendiū fomenta deeſſent. Ex vicinis quoq; villis, & pagis agreſtiū agmina cū faſciū vehibus,paleas,aliaq;igniū alimēta,vt vrbē incēderēt,afferebāt adeò Plebis furor cętera quoq;Regni corripuerat.Sed Aniellus cū ſe ſatis ab omnib.reb. *Exules intrant Vrbē.* inſtructū videret,eos illicò ex vrbe in ſua gurguſtia diſcedere iuſſit.Plurimi quoq; exules turmatim cū agreſtiū turmis vrbē iniere ſpecie quidē, vt populo præſto eſſent,ſed re vera,vt poſtea exitus docuit;vt ex ædib.agerēt prędas,fortunaſq;nobiliū popularētur,vel vt aliquod proditionis facinus molirētur.Quare Prorex,cæteriq; Hiſpani miniſtri cū omnia in dies in deteriùs ruere cōſpicerēt:omnes ſuas vires in id,ſtudiūq;cōtulerūt,vt cōmotā horribilē tepeſtatē ſedarēt.Nā quod diu obſtinatè negauerat, inuentū Caroli V. *Negatū diu Caroli V. diploma populo oſtenditur.* priuilegiorum exemplar Cardinali Philomarino tradidit populo vtiq;oſtēdendū;quòd a Perdeſumi dynaſta,& Petro Cantelmo delatū in forū produ ctū fuit ab omnib.cōſpiciendū.Inde in Deiparæ Carmelitæ Phanū itum eſt, tāta multitudine ſubſequēte, vt elidētibus ſe inuicē turbis,ſtrepitu, fragore omnia miſcerētur: nec Procerū audiri voces, nec quid exēplar contineret, ſpectari,nec oſtendi ſingulis poſſet.Quare Cantelmus Cardinali ſuaſit;vt illud ab aliquo ſuorū familiariū de ſuggeſtu ad concionē legi iuberet;ſic populi ſtrepitū quieturū. Patri igitur Capuccino ſuo fratri traditū præcepit, vt illud de pulpito ad populum recitaret.Ille cum Cantelmo conſcenſo ſuggeſtu,ſubiectam concionē rogarunt,vt aliquē ſuorum ſpectatæ fidei virum ad illud cognoſcendū,probandumq;mittant,vt omnis fraudis ſuſpicio tollatur.Aſcendit iuſſu populi Genoinus ſuggeſtū, eoq;præſente,coram omnib. elata voce recitatum: ſed cum Hiſpano idiomate ſubſcriptum eſſet (Carlo *Populus ſuſpicax.* il Rey)ſtatim vniuerſæ cōcionis murmur obortum legenti obſtrepuit,quaſi falſo diplomate;quòd imperatori ſubſcribeudū non foret;ego Rex,ſed ego Imperator:quod dubiū Cantelmus illicò ſuſtulit: docens Carolum V. Germaniæ quidē,occidentiſq;Imperatorē fuiſſe;ſed Neapolis verò nequaquā, ſed Regē:cū Principes vectigaliū prouinciarū antiquos titulos ſumāt:vnde & Hiſpaniarū Regē Belgij comitē,& Inſubrū Ducē ſe nominat.Quo audito Populus Cantelmi rationib. acquieuit. Deinde illud Imperatorium diploma ad Cardinalē delatū illud in clauſtro expectantē.Hic verò inter populariū, primores vehementer certatū,pugnatūq;altercationibus eſt;cuinam eorū illud potiſſimū exemplar tradendū eſſet,ſingulis illum honorem ſibi deferē *Imperatorium diploma Genuino traditur* dū contendentibus, (nundū enim adhuc Aniellus Tribunus a Populo fuerat renuntiatus).Tandē plebiſcito decretum eſt,vt exemplar Genoino traderetur;cui Populus vltima interminatus eſt,vt illud acurato examine expēderet,ſeruaretq;diligēter.Mox inter Plebis primates orto diſſidio, ſingulis ei ſupremi Principis populi honoris candidatis tribunitiā poteſtatē cupien- *Inter populares rixa.* tibus pene à iurgio ad arma ventum eſt.In poſterum igitur diem dilata comitia,quibus Tribunus populi crearetur,cum quo de conciliāda, paciſcē-

daq;

Digitized by Google

Aniellus dictator populi dicitur

daq;pace trãſigendum erat. Verum plebs moræ impatiens Aniellum ſuũ dictatorem iuſſit. Qui eodem die edixit, vt quicunque pictas domi tabulas, in quibus Regis, Reginæq; Hiſpaniarum eſſent expreſſa ſimulacra, prolatis pro foribus ædium ſub vmbella Neapolitani populi inſignia, ac ſtemmata ſubiiceret: quo ea venerationis Regũ ſpecie perduellionis crimẽ obtegeret. Mirum eſt, vt ad eum ampliſſimum honorẽ euectus de fęce plebis mediaſtinus ſubito elatos, regioſq; ferè ſpiritus ſumpſerit. Præcepit, vt ingens pegma, ſeu tabulatum in medio foro educi; in quo ad ſe ibi ſedẽtem aditus cuicunq; pateret. Adeuntes negotiorũ cauſa perhumaniter excipiens ſua porrigentibus deſyderia benignas prębebat aures; ibi veluti ſupremus iudex tã ciuiles, quã criminales, militareſq; cauſas cognoſcebat: ſummaq; authoritate, liberoq; imperio cuiuſcunq; generis decreta ſanciebat: cum eius iuſſa cẽtum quinquaginta populariũ millia facerent ab eius omninò pendentium arbitrio. Stipabant eius latus prætorianæ cohortes corporis cuſtodes; copioſa ſatellitum turba eius faciẽdis ſtrenua imperatis adſtabat. Poſtera die iuſſit aliquot ſuorum cuſtodum cohortes ad Caizuani dynaſtæ, quẽ ſibi infenſiſſimum hoſtem plebs vniuerſa putabat, ædes adire, ibiq; diligenti inquiſitione omnia domicilia, cubiculaq; perſcrutari; quòd à quibuſdã exploratoribus nuntiatũ eſſet, ibi pretioſiorem, quàm flammis perdiderant, ſupellectilem, domeſticaq; ornamenta latere. Ad eas ædes veſano impetu ea vilis turba progreſſa, proſtratis ſubito adacto ariete, forib. per omnia domicilia, & conclauia diſcurrens, duo cubicula diti, pretioſaq; ſupellectili referta reperit; quã ſubito in mediã viã extractã flãmis barbara ſtoliditate ſuccẽdit. Eodem furore, atq; impetu ad eiuſdẽ dynaſtæ filij palatium illata domeſticos ornatus abſumpſit.

Anielli portentoſa mutatio.

Furioſa plebs pretioſa quæque ſuorum hoſtium comburit.

Dum optimi quiq; à nefario nebulone vltimũ vrbis excidiũ formidant, Cardinalẽ ſui populi acriùs cura ſalutis vrgebat, æſtuabat animo de vrbis incolumitate ſolicitus, nihilq; prætermittebat officij, laboris, & ſtudij, quò tãtos tumultus, diſſidiaq; componeret; nec a Deiparæ Carmelitæ cęnobio diſcedebat, vt ſuæ obiectu authoritatis, præſentiæq; reſpectu turbida Anielli cõſilia peruerteret, ibi in ſuos ciues promiſcua cęde graſſantis. Prorex cum ſuas artes in irritum fortunæ iniquitate diſcuſſas vidiſſet, quibus cõponendarum cũ populo rerũ ſpe animum fęlicis euentus aluerat: diploma regio ſigillo obſignatum ſubſcriptũq; ad Cardinalẽ miſit, quo omnia priuilegia à Carolo V. populo Neapolitano conceſſa confirmabat; vrbemq; omnium vectigalium faciebat immunem, omniumq; ſcelerum, quæ ad illum vſq; diẽ patrata eſſent, pęnas cõdonabat. Quo accepto Cardinalis ſũma prudentia, ſolertiaq; Aniello ſuaſit, vt plebis primatum conuentũ indiceret; vt conuentionis capita legentẽ audirent. Quibus accitis frequentiſſimo populo Carmelitanum templum impletur: & dum alto ſilentio omnes intenti diploma legentem audiunt; tota concione obſtrepens murmur recitantem interpellat. Nunciatum erat ea hora plus quingentos exules equo vectos omnes in vrbem ingreſſos ſubſidij plebis obtentu Peronis opera, qui clam cum

Cardinalis Philomarini amor in patriam.

Proregis pacandi populi deſiderium.

Matalonię Duce, immo cum ipſo Prorege in arcano conſentiens Aniello præcipuè necem,& populo moliebatur inſidias, ingentium præmiorum illicio; quibus procul dubio donandus erat, ſi firmam, ac ſtabilem Hiſpani Regis, non miſeri Ichthiopolæ fluxam, inanemque fortunam ſequutus pro Hiſpanis partibus ſtaret.

Anielli imperium.

Aniellus diploma legente iuſſo tacere, exulibus imperat, vt coram ſe ſiſtant: quibus hilari vultu, benignoque exceptis, Pero flagitat ab Aniello, vt ſecretas illis ſtationes conſtituat, ſinatque equitare per vrbem: recuſanteque id conſtanter Aniello, immo iubente, vt pedibus diuiſi mererentur, quò eos expeditiores ad manus haberet: hac inopinata repulſa ira

Aniellus minoribus tormētis petitur.

Pero ſuccenſens primum iurgio altercatur: deinde, vt fit verbis irritantibus verba, atque acuentibus iras, etiam acerbiora minabundus intentat: tum quaſi clandeſtino conſenſu in Aniellum aliquot minora tormenta diſploſa; ſed caſſo vulnere omnibus cadentibus telis, Aniello incolumi, cuius ſperauerant imperium Peroni à Plebe delatum iri; ac proinde eo ſummo populi Duce, ſua deſtinata facilius perſecturos. Eo auſu, ac tentamen-

Exules plebs irata interimit.

to,& perfido, impudentique facto, tanta ira in exules illos præſens vulgus excanduit; vt excuſſa in eos è minoribus ſclopis miſſilium procella, plus triginta momento confoderit; quorum abſciſſa è ceruicibus capita ſæuitiæ, iræque trophea in foro ſuſpenſa horribili ciues ſpectaculo terruere. Superſtites huc,illucq; à furore plebis elapſi in varia latibula perfugerunt: quos populus à concione ſequutus totis vrbis regionibus turmatim palans ſuo diſceſſu peruertit quidquid pro vniuerſorum ſalute, conciliandaque diſcordia ſanciendum erat. Peroni ſtatim iniectæ cathenæ, & in cuſtodiam coniectus; & quidam Antonius Graſſus omnibus ſceleribus infamis, facinoroſus minoris ſclopi ſulphurea glande traiectus in ipſo Cardinalis cubiculo, cum quo de præſentibus rebus agebat, expirauit. Inde populus per omnes vrbis regiones excurrens exules venatum ibat:quorum plures occiſi, truncatique capite, alij viui ſeruati, quæſtionique ſubiecti diſpoſitas inſidias,ſtructamque à Perone cum Matalonię Duce proditionem, actos ſub celebrioribus locis, in quæ populus conuenire ſolebat, cunicu-

Inſidiæ populo comparatæ.

los, vt plebem flammarum impetu in aerem excuterent, retexerunt. Protinus Peroni, eiuſque Fratri ſciſſæ ceruices, & alij etiam ſceleris conſcij eodem mortis genere interempti. Deinde ea omnia explorata loca, in quibus effoſſos cuniculos exules indicarant; egeſtaq; ex ijs ingens tormentarij pulueris copia, mirum in modum populi vſibus deſeruiuit; eius rei penuria iam laborantis. Compertum quoque multorum fontium aquas veneno infectas: vt qui ex eis biberent, inſanabile virus abrumperet. Summa itaque diligentia exſiccati deriuata in ſcrobes medicata aqua, purgatique

Plebs rurſus hoſtilib. irritata ſæuit.

fontes. Quæ hoſtilia deprehenſa, dum de componendis rebus à queſtribus ageretur,ita plebis animos acerbarunt; vt præcipiti, cęcoque furore in barbaras, inhumanaſque vltiones lymphata raperetur. Cędes noxiorum anhelanti nuntiatum eſt,Ioſephū Caraffam Ducis Matalonię fratrem

Digitized by Google

trem cum magno Roſcellæ Priore in Diuę Mariæ nouæ Fratrum minorum cœnobio latere: eò properè armata furialis turba contendit: atque inſanis vlulatibus eſurientum inſtar luporum ferocibus clamoribus in Cœnobium perfractis foribus irruit, quòd eius interceptis ad Proregem literis certior ibi adhuc latere: qui iram populi reformidans religioſo amictu fratrem mẽtitus per funem è feneſtra delapſus in cuiuſdam mulieris domum effugit: quæ aut odio in nobiles concepto, aut ſpe premij quærentibus prodidit; Plebs illum arreptum crudeliter per omnes contumelias obtruncat; abſciſſumq; caput, cum pede in ferrea cauea conditum ad Diui Ianuarij portam ad ferale ſpectaculum palo ſuſpendit. Eadem ſæuitia exulũ capita palis infixa oſtentui pependerunt: cadauera tota vrbe raptata tantis vlulatibus, & horrendis clamoribus perſonante, vt terrorem etiam fortibus, & conſtantibus viris incuteret. *Ioſephi Caraffæ cædes*

Patritij omnes tam fœdo Caraffæ ſpectaculo territi iam iam ſecures ſuis ceruicibus imminentes, vicinamque mortem veriti alij aliò dilapſi fuga, latibulis ſalutem quæſierunt. In eos præcipuè nobiles populus infenſiſſimis animis, ferebatur; qui ſe præteritis concordiæ tranſactionibus immiſcuerant. Inter alios multa indagine, odio, atque ira per omnes latebras quæſitus Petrus Cantelmus; vt pote qui ardentiùs, quàm alij de componendis rebus cum Prorege, & populo egerat; ſed ille ſecundioris fortunæ beneficio in Diui Ianuarij theſauro latitans furentis populi manus euaſit. Alij quoque patritij Regi fidiſſimi, quos recenſere prolixius eſſet; quàm feſtina rerum narratio poſcit: occulta ſe fuga ſæuientis populi ſecuribus ſubtraxerunt. Prorex hac populi ſæuitia, ciuiumq; cædibus meſtiſſimo animo dolens Cardinali ſcripſit; vt plebem ſynceram, atq; ab omni fraude, ſimulationeque alieniſſimam ſuam voluntatem inſciam omninò exulum conſpirationis, nec vllius turbidi, noxijque in eam conſilij participem fuiſſe doceret: atque vt magis propenſum in populum animum declararet; ſe diligentiſſima cura tota vrbe exules conquiſitos puniendos populo traditurum. Cardinalis omnia plebi ſibi à Prorege præſcripta ſuaſit, quo aliquantulum eius ira miteſcere viſa eſt. Verum Aniellus aliquem alium repentinum impetum, inuaſionemque timens iuſſit omnes in armis intentos excubare; viarumq; fauces aggeſtis trabib. munimentiſq; claudi, & luminaria, funaliaq; tota vrbe ꝑferri, vt nocturnis tenebris luce diſcuſſis, clariùs aduerſariorum tentamenta, conatuſq; aduerterentur: iuſſis mirabili promptitudine obtemperatum eſt. Deinde Matalonię Dux velut Regis, Patriæque rebellis proſcriptus, propoſito triginta millia aureorum præmio, & centum quinquaginta exulum abſolutionis eius interfectori; Neapoliq; varias popularium cohortes emiſit; vt illum ex fuga retractum in vrbem adducerent. Verum ille optimè gnarus quanti ſuum caput ſtaret: vt pretioſum in tutum à latronum auaritia ſeduxit. Aniellus nec adhuc ſe ab inſidijs ſecurum putans capite ſanxit, ne quis cuiuſcunque conditionis ciuis eſſet, in publicum pallio, vel abolla, veſteque talari, vel oblonga, quà tela oculi poſſint, amictus prodiret. Omnes tam inſolitis iuſſibus paruere,

Nobilium fuga.

Proregis ad populũ excuſatio Cardinalis interuentio.

Anielli inſidias metuentis inſolita imperia.

Zz 4 adcò

adeò vt etiam viri religioſi per vrbem ſine ſuis veſtibus graderentur. Deinde extracta è Diui Laurentij turri muralia tormenta in precipuarum faucibus viarum, & in vrbis portis librari iuſſit; mox omnibus patricijs imperauit in dicta capitis pœna, vt ſua arma quæcunq;, tela, minora tormenta Populi manibus traderent: nec mora ædibus prolata plebi dederunt.

Anielli ciuiles curæ. Ad ciuiles curas poſtea conuerſus pretium conſtituit alimentis; cuius neque emptorem, neque venditorem pœniteret: aliaque ſalubria ſtatuit: quibus meliora decerni non poterant ab ijs, qui regendis populis nati vrbes, regnaq; moderantur.

Cardinalis vt tādem tot malis, confuſioniq; rerum finem imponeret; accepta à Prorege conciliandæ concordiæ, componendiq; diſſidij ampliſſima poteſtate; Aniellum in Carmelitanum templum cum eius conſiliarijs, atq; aſſeclis accerſiuit: quibus miti ſuauiq; alloquio ſuaſit, vt tandē cū Prorege tot ſublatis tumultib. conuenirent: quibus hortationib. motus Aniellus propenſum ad pacem, concordiamq; animum declarauit. Conuenta à Prorege, atq; à conſilio à latere, ſtatuſq; ſubſcripta; idem ijs vulgādis in Carmelitano templo deſtinatus dies; vbi præſente cum ipſo Aniello Prorege conditionū capita magno populi aſſenſu, atq; applauſu de ſuggeſtu recitata ſunt. Genuinus in concionem prodiens populum monuit ea ipſa eſſe tātopere ſub Vrſonis Duce quoque ab vniuerſis cupita, poſtulataque diu nequicquam; proinde maximas ab vnoquoq; gratias Deo agendas, habendaſq;, quòd illis ea liberaliter indulſiſſet; quę patrib. vel per ſūmas preces orata negaſſet, ipſeq. primus clara voce, *Te Deum*, hilari cantu intonuit; cętera cātores rithmicis vocum numeris proſequuti. Quo abſoluto cātu, Aniellus Populum rogauit, an placeret, vellet, iuberet, ſe cum Antiſtite Cardinali Proregē adire, eiq; de impetratis, obtentiſq; gratias agere; ab vniuerſa concione contētis vocibus acclamatum, faceret, quod ipſi libitum foret; populum id omne ratū habiturum. Illum verò conſcenſo ſuggeſtu ſic populum alloquutum ferunt.

Pax conſtituitur, & conuentionis capita recitantur.

Diuino prorſus impulſu, & fatali quadam neceſſitate factum reor, populares mei, vt incondita egentium puerorum turba arundinibus in ludicri certaminis ſimulacrum duntaxat armata, me pauperrimo, egentiſſimoque omnium Duce diſſenis, atque inanibus clamoribus id à ſummis vrbis poteſtatibus expreſſerit: quod neque forſan inſtructi, & validi allatus timor exercitus extudiſſet. Diuinæ ſanè ad humanæ ſuperbiæ ludibrium oſtentatione potentiæ ſæpè armatos exercitus per culicum, & muſcarum examina fugare, delereque conſuetæ. Nunquam putaſſem futurum, vt mihi inter vltimæ purgamenta plebis, quiſquiliaſque reijciendo communis ornatiſſimi populi conſenſus deferret imperium; meque inopem, ſeminudum ictyopolæ arte vtcumque vitam tolerantem ſuum Ducem in re tanti momenti, tantaque turbatione rerum tota vrbe ſeditione flagrante, portentoſo ſanè fortunæ ludo, ſuffragijs omnibus acclamaret. Suſcepi onus nihil ſublime de me temerè ſentiens meis imbecillis omninò viribus impar; nemine fortaſsè ob perduellionis pœnarum metum ſe Ducem populo profitente, cum plerumque tumultuantium ſoli Duces, de-

ſiden-

ſidente ſeditione, furentis plebis auſus ſupplitium capite luant: multitudini parcatur: & in vniuerſum populum ferales ſtringi ſecures minimè poſſint: immo odioſum, periculorumque plenum munus pro viribus refugiente, quo in meos humeros reiecto, citra vitæ diſcrimen impunè ſub alieno imperio pro libidine graſsaretur, At mihi tanti eſt pro vrbis ſalute, pro ciuium bono, ac commodo hanc miſeram vitam patriæ deuouere; dummodo vectigalium acerbitatis immunis meo vnius periculo in uberiori rerum copia quieſcat: quod mihi populum aſſerenti propoſitum, meorumque fuit ſola meta votorum: non vt quaſi æſtris furialibus acti per vrbem omnem erga Regiam maieſtatem exuti reuerentiam cuncta incendijs, ac cedibus proculcemus; clementiſſimoque Regi debitæ venerationis obliti humana, Diuinaque iura inſolenter euertamus. Abſit vt aliquis maledicus hoc nobis probrum impingat: aſpergatque labem aliud à nobis quæri, contendique quàm vectigalium abolitionem. Sat exactum pœnarum ab eorum authoribus ſubuerſis, incenſis, perditis opibus, quas dolis, noſtroque malo parauerant. Sat in pauperum cruoris hirudines ſæuitum eſt, vel cæſis, vel fugatis ex vrbe, qui noua identidem populi deglubendi inuenta commenti de alieno dites ad inuidendam opum amplitudinem exceſſerunt. Quamuis ſuo malo, noſtro bono ingenioſi alia, atque alia vectigalia nobis ingererent; vt nimij nos ponderis impotentes ſimul omnibus leuaremur. Sæuit nimirum diu irritata patientia, quæ & ſi interdum meticuloſa iniurias, contumeliaſque demuſſat; aſperato tamen animo coquit iras, in impotenter, inſolenterque laceſſentes maiori illas impetu effuſura. Quæ enim mala. quæ incommoda ex nimia exactorum vectigalium auaritia patienti ſilentio non tulimus? vt fidiſſimus populus obduruiſſe ad incuſſa vehementiùs cædentium manibus verbera, ſtupidiq; ſenſus occaluiſſe malis ex diuturna patientia videretur. Siluimus certè nullo audente vectigallium authoribus, atque exactoribus obloqui; vlterius etiam ſæuientium cupiditatem paſſuri; niſi quoq; ex fructibus unico his æſtiuis caloribus pauperum leuamento inſatiabilem auaritiam explere maturaſſent. Nobiſcum præclarè actum puto, ut ex re minima agreſtis iurgij tanta nobis commoda prouenirent; omniumq; uectigalium immunitatem ſupra noſtra ipſorum uota Proregis munificentia donaret. Nihil amplius optandum ſupereſt. Sacramento ſancita fides, & diplomatis affirmata promiſſis extabit. Nihil in poſterum verendum, quin ſub clementiſſimo Rege tranquillos Neapolitanus populus acturus ſit dies. Ad noſtræ fœlicitatis ſummam nihil deeſſe video, quàm vt poſitis armis, ſedatoque tumultu, iam compoſitis rebus, vnuſquiſque in ſua domicilia diſcedens in noſtri Regis fide, ac patrocinio quieſcat. Ego ſanè aſſerta à vectigalibus patria, leuataque nimijs penſionum oneribus vrbe, me libens abdico magiſtratu, atque ad meas piſcatorias arundines, venaleſque quaſillos lætiſſimus redeo in pacato pauperis vitæ ſilentio fœlicior victurus, quàm huius dialis imperij honore glorioſus. Vobis maximas hoc veſtro ampliſſimo de me teſtimonio, gratias ago, habeboque dum viuam, quod me inopem vltimæ ſortis iuuenem omnium indigum rerum in hoc dictatoriæ dignitatis munere

houe.

honeſtiſſimis ciuibus prætuliſtis. Quid enim in me conſpicui, egregijque; immo quæ non omnia imſima, abiecta, obſcura, deſpiciendaque agnouiſtis, vt hoc ampliſſimo ſummi populi Ducis honore à vobis augeri mererer? Excedit omnes beneficentiæ, benignitatiſque limites huius veſtræ largitatis magnitudo. Nullius granditas munificentiæ huic æquari, componique poteſt. Admirabitur certè poſteritas omnis non tam veſtræ facillimæ humanitatis, quàm abſurdos, atque inſolitos in plebis fæculam cerebroſæ fortunæ fauores; quæ numeroſiſſimo populo tot poſthabitis clariſſimis ciuibus, plebeium obſcuriſſimum, deſpicatiſſimæ ſortis iuuenem inaudito omnibus ſeculis exemplo præfecerit. Sed hoc fuerit illius quamquam temerè humana ad libitum verſantis optimi in veſtrum commodum, bonumque conſilij: ne ſi aliquem ex proceribus iuſſiſſet imperatorem, vos in perduellionis ſcelus, vel ſaltem ſuſpitionem conijceret; quod me Duce nequaquam vel ipſa malignitas ſuſpicari, aut vllam vobis rebellionis notam inurere poterit. Quocirca ego quoque ut hanc labem à populo amolirer, Regis ſimulacrum pro omnium ædium foribus proponi in Regiæ maieſtatis uenerationem, deuotique in noſtrum Principem animi inſigne mandaui; ut nos cepiſſe arma in ſeditionem uerſos ad uectigalia tollenda, non ad defectionem ab Hiſpano Rege parandam uideremur. Quam igitur noſtro Regi identidem fauſtis acclamationibus uitam, fæliciaque omnia precati, interiori ſenſus indicibus noſtrorum inconcuſſam animorum fidem teſtati ſumus, re ipſa, atque opere ſanciamus; Proregemq; debitis regio miniſtro uenerationis officijs, atque obſequijs proſequamur.

Anielli memorabile factum.

Obſtupuit vniuerſa concio ex temporalem Anielli facundiam; quòd literarum penitus inſcius piſcium qualos circumferre ſuetus tam eleganter, aptèque peroraſſet: ſed ſupremi populi Ducis honor vt generoſos ſpiritus indidit, ita facundiam abiectiſſimo inſtillauit. Sed vt ipſius ſubita, natiuaque eloquentia admirationem in audientium animis concitauit; ita memorabile geſtum, mortaliumque expectatione maius, attonitam rei magnitudine concionem ſtupore affecit. Sua ſibi indumenta, quibus è ſordibus in inuidendam authoritatis, potentiæque amplitudinem emerſerat, lacerare, ac diſcindere proprijs manibus cœpit, ad priſtinam fortunam rediturus; exclamauitque vniuerſo populo audiente; *quando ſibi fortuna benè vertẽs ſua vota propitia ſecundaſſet, vt omnium uectigalium vrbẽ feciſſet immunem; atque ab eius ceruicibus grauantia nimium onera depuliſſet; ſe eo imperatorio munere abdicare, ictiopolæque artem exercitum uelle redire*; & protinus ad Cardinalis genua procubuit pedibus aduolutus enixiſſimè ab eo contendit; vt ſuas veſtes de corpore detraheret, laceraretque, neque vnquam à præſentibus adduci potuit, vt ſurgens inde diſcederet, donec Cardinalis amiculi partem non abſcidiſſet. Mox Cardinalis curru, Aniellus equo generoſo conſcenſo prætorium verſus progrediuntur. Præibat Aniellus numeroſo armatorum agmine latera ſtipante, ſubſequente Cardinali. In omnibus foris militũ cohortes explicatis militari more ordinibus

ſtabant;

Digitized by Google

ſtabant; tanta frequentia, denſatis, conſertiſque agminibus, vt ægerrimè currui, atque equis tranſitus pateret. Centum, & ſexdecim minoribus tormentis armatorum millia cenſebantur Anielli imperata factura: qui conuenti capita manu tenens quacunque tranſiret, populo oſtentabat, à quo vniuerſo lætiſſimis illi vocibus acclamatum; viue æternum, viue Anielle.

Aniello ab vniuerſo populo acclamatur.

Prorex angebatur Anielli aduentus deſyderio; quem vt honorificentiùs exciperet; ex arce noua in prætorium deſcenderat, in Cardinalis Triultij conclauia, qui & ipſe alloquio interfuturus erat. Vbi Aniellus ad Prætorium peruenit, irruenti turbæ prætoriani nequaquam reſiſtere potuerunt; quin illius ciuium torrentis impetus in forum primum, deinde in ipſum prætorium irrumperet: immo xiſtos, ſecretiora cubicula, omniaque occuparet. Prorex venientem Aniellum omnibus humanitatis, beneuolentiæ, obſeruantiæque ſignificationibus excepit: vt compreſſo odio, coactoque irato in obſequium ſuum vſurpantem imperium ingenio, ea ficta in præſens rebellem veneratione coluiſſe videretur. Frequentiſſimus Populus in foro impatientiſſimè expectabat Anielli cum Prorege congreſſus euentum: vt plebi gratum facerent, in imminens forō Podium amplexi inuicem prodierunt; & Prorex ſuo ſudariolo manantem ſudore Anielli frontem abſterſit. Hìc obſtupeſce, lector, Hiſpani artes iniuriarum patientis, lentoq; gradu ad ſui vindictam procedentis ingenij. Credo Proregem nihil æquè infenſiori animo auerſatum, odiſſe, exhorruiſſe, ac illum deſpicatiſſimum nebulonem: & tamen perhumaniter illum, amicèque amplectitur, atque omnibus colit obſequijs: quem tamen in arcano ſæuiſſimæ deſtinat neci. Populus ad eorum ſe amplexantium intuitum adeò clamoſis acclamationibus obſtrepebat, illud identidem hilariter iterans, Viuat Rex, viuat Prorex, viuat Cardinalis, & Aniellus; vt conuentorum conditionum capita legentis voces audiri non poſſent. Tunc Anielli ſimplici nutu indicto ſilentio, clamantis turbæ fragor ille ſubſedit. Vulgato fœdere, recitatiſque conuentis, atque à Prorege iterum, conſilioque à latere affirmatis, rurſus Prorex, & Aniellus in mutuos ruunt amplexus cum tenerrimi amoris, obſeruantiæque, ac venerationis inſignibus. Aniellus tantis Proregis in ſe beneuolentiæ declarationibus lætus ſubiecit. *Hodie Hiſpani Regis maieſtas aſſerere poteſt, tua opera hoc Regnum ſe adeptam fuiſſe. Hæc armatorum innumera multitudo Hiſpano Regi, tibique omnia debet, quod eam immortalibus beneficijs obſtrinxeris; tibi æternam gratiam habebit, ſuum pro Rege, pro te, huiuſque ampliſſimi regni ſalute profuſura cruorem: nec contra huiuſmodi uires, totque armatorum potentiam quicquam à Gallorum conatibus metuendum: & ego polliceor, meamque obligo fidem, intra decem dies Regi decies aureorum nummum me in bellorum ſubſidia ſuffecturum: & ut liquidò tibi conſtet hanc omnem multitudinem ex meo prorſus arbitrio pendere, hoc experimento cognoſces*, ſimulque detracto capiti pileo annuit populo, vt inde faceſſeret; vnuſquiſq; ſtatim feſtinus celeri

Prorex Aniellum honorificentiſſimè excipit.

Hiſpanorū ingenia.

Anielli Dictum.

Anielli in populū miranda poteſtas, atque imperium.

Digitized by Google

paſſu diſceſſit, mutuis ſe hortationibus admonentes, vt ſui Tribuni, ſummique Ducis dicto audientes eſſent. Quare ictu oculi totum forum, prætoriumque multitudine abeunte vacua patuere, cum ingenti præſentium ſtupore; quòd ille innumerabilis populus tam vnanimi aſſenſu eius ſolis nutibus obediſſet. Populo à foro in ſuas ædes profecto, Aniellus Proregis pedibus prouolutus, quod paulò antè cum Cardinali egerat, illum ſummis obſecrat precibus, vt ſibi de corpore, ea indumenta diripiat: quod renuens Prorex illum inſuper ſummi Ducis titulo, ac nomine honeſtauit, appellauitque illuſtriſſimum, & in vulgandis edictis, exilijſque indicendis regij tubicines elata voce è nuntiabant; ex Illuſtriſſimi Anielli ſummi fideliſſimi Neapolitani populi Ducis iuſſu.

Honos habitus à Prorege, Aniello

Prorex voluit torque aurea, baccatoq; monile trium aureorum millium pretio Aniellum donare, explicatumque illius collo iniecturus erat; ſed Aniellus illo pretioſo munere recuſato, ſubiecit, *ſe compoſitis populi rebus ad ſuam artem icthyopole exercendam velle redire*. Cardinalis conatus eſt illi ſuadere, vt ſe eo donari munere pateretur, oblatamque torquem acciperet: at ille conſtanti abſtinentia repudiato monile, ſubdidit, *eius eminentiam illud magis decere, proinde acciperet pretioſum munus minimum eius in conciliando populo laborum, meritorumque præmium; ſibi paruo contento ſatis eſſe, ſi pauperem uitam ſuæ artis exercitio toleraret*. Abſoluto congreſſu tota vrbe ab vniuerſo populo lætiſſimis acclamationibus cantibus, & publici gaudij ſignificationibus acta ſunt ſeſta. Inter Cardinalis, & Anielli colloquia trepidū nuntium allatum eſt: plures exules in vrbem ingreſſos per omnes vrbis regiones effundi; nihil eo nuntio motus Aniellus ſuis ſermonibus inſtitit, quibuſdamque de plebe eiuſdem rei nuntijs præcepit, vt eos equites ſinerent ire quò vellent; eos non eſſe exules, ſed Diui Hermetis Demarchi de Caracciola familia domeſticos ad ſua caſtella redeuntes. Verumtamen quia nimia fiducia plerumque ſua opinione ſecuris perniciem afferre ſolet, & inter ſaniora ſeruandæ ſalutis documenta cautus eſt metus, inſidiarumque ſuſpicio: iuſſit vniuerſum populum totam noctem armatū agere inſomnem, auctiſque dimidio præſidijs, luminaribus ad feneſtras prolatis, vias, foraq; illuſtrare, atq; in omnes motus intentū inſidias aduertere, quibus tum maximè innectimur, cum nos ſecuriores putamus.

Aniellus pretioſum munus recuſat.

Non eſt ſilentio prætereunda res planè mirabilis vix fidem habitura. Aniello cum Prorege de rebus præſentibus diſſerente, aſtabat in foro inter armatorum agmina numeroſa mulierum cohors cum militaribus ſignis, & tympanis, quæ ſolito procedentium, vel ſtantium militum pulſu militari more ſtrepebant. Hæc Amazonum turba ſuccintis ad crura pallis, pugioribus, enſibus, & minoribus tormentis armata Aniellum ſupremum Ducem toto eo tumultu, ſeditioneque ſequuta; tum etiam in foro ſe in quadrum compoſito agmine, oſtentarunt. Res ſana omnibus ſeculis memoranda, vt fœmineum imbelle genus nendis penſis colo, fuſoque damnatum è ſuis Gineceis egreſſum muliebri exutæ ingenium, tantos animos pro patria

Mulierum armatæ cohortes.

Digitized by Google

tria ſumpſerint aſſerenda; vt inter armatorum agmina impauidæ minora tormenta,telaq; tractarint iucundo ſane,mirandoq; ſpectaculo. I nunc, & Amazones quondam extitiſſe,regnaſſeq; nega. Et quaſi ad res euertendas, ciendaſq; turbas non ſatis eſſet vnius Anielli audacia, quidam piſcator ſe Anielli nepotē ferēs Catalanā regionē ingreſſus ad ſe vniuerſos milites ſui fama nominis traxit;quibus ad Matalonię Ducis ædes adductis,proſtratiſque foribus omnem ſupellectilem,atq;omnia domeſtica incendio conſumpſit:ſed cum pecunias nobilioribus viris,& fœminis, & præcipuæ Mutinenſis Ducis legato imperaſſet; eo de hac nepotis inſolentia, iniuriaque apud Aniellum acriter conqueſto, quòd Principum miniſtri malè haberi non liceat, Aniellus ſe purgauit; quòd ſe inſcio, nulloq;ſuo iuſſu id ille auſus fuiſſet;iuſſitq;pecuniam protinus reddi legato, & nepotem in vincula detrudi. *Chiaia.*

Hic miror quare Aniello iam compoſitis populi rebus, leuataq. omnium vectigalium oneribus vrbe,quod toto eo tumultu ſeditioneq; contenderāt, expletiſq;plebis omnibus votis,à Prorege adhuc dictatoriam authoritatē, poteſtatemq; retinere tota vrbe dominari, iura dare permiſſum eſt; ac ſi Prorex nullus adeſſet, nulloq;ſupremo magiſtratu ciuitas regeretur. Illi ad cætaria ſcamna,piſcatorioſq; calathos redeundum erat; ac priſtinæ fortunæ habitus reſumendus, quod ſe facturum promiſerat.Verum,credo,adeò iucundum eſſe in mortales dominari, exercereq; in alios imperium; vt illi maximè arduum,difficillimumq;videretur,à ſupremis honoribus,atq;ampliſſima poteſtate ad contemptibilem,& pauperem vitæ habitum vltrò redire, ſpontèq; ſe inuidendo imperio abdicare. *Notandum de Aniello.*

Quare ad ſuam potentiam, authoritatēq;oſtentādā,edixit,vt omnes viri cæſariē attōderent,vt breuiori capillamento à fęminis ſecernerentur;quòd aliquot exules mulieres mentiti cum tellis palla tectis deprehenſi fuiſſent,pœnas capite luituros,qui ſecus faxerint.Præterea iuſſit omnes viros religioſos capitis vertice recens abraſo,ſicuti mos eſt religionē profitenti geſtare,ſibi ſe ſiſtere,vt cognoſci poſſent,an Religioſi,vel exules ſub religioſo amictu forent.Ad duas noctis horas omnes,nemine excepto,cuiuſcunq; conditionis, ſe domum reciperent capitis pęna indicta præcepit;atq;vt omnes proceres, equites, nobiles matronæ, quæ gliſcente ſeditione in religioſa cœnobia fugiſſent, ad ſuas ædes actutum redirent; capite plexum iri contumaces. Vt omnes ſupra ſuarum ædium portas Regis Catholici,Neapolitaniq; populi inſignia appenderēt. *Sæua Anielli imperia*

Mox plures ſcelerum compertos, pro facinorum grauitate capitis damnatos vario mortis genere à carnifice iuſſit interfici: & quendam piſtorem in clibanum coniectum viuum torreſieri;quod panem minorē præſcripta magnitudine confeciſſet.Caupo quod vigilem occidiſſet, illicò ipſius iuſſu ſuſpendio pependit. Siculo cuidam accepiſſe pecuniam ob alium occidendum delato ſubito abſciſſę ceruices.Deniq;vel leuia crimina capite plectebantur. Propoſita patibula, ſuſpendia, ſecures, feralia tabulata, rotæ, ignes tantum terrorem ciuibus afferebant; vt neq; Turcarum Imperatorē æquè ſiri vectigales venerentur,formident, atq; omnibus obſequijs colant, *Crudelia ab eo irrogata ſupplicia.*

ſicut

Digitized by Google

ſicut Aniellum Neapolitani ciues metuebant; honorabantque eius obediendo nutibus expediti præſentis terrore mortis. Septem illi viri à ſecretis aſtabant ad varia obeunda negotia, qui ſupplices libellos acciperent; & adeuntium deſyderia explicarẽt: duodecim quoque illum carnifices ſequebantur eius barbaræ ſæuitiæ miniſtri. In omnes tam religioſos, quàm alios mortales inſolẽtia, feritate, ſuperbia, eius furor impotẽs graſſabatur: vt nimis prolixum eſſet, omnia à tam nefario nebulone crudeliter, cerebroſè, perditè, dementerque geſta recenſere. Tum clarè patuit, aſperius nihil eſſe humili, cum ſurgit in altum: ſublimis ſiquidem impotens, incapaxque fortunæ effluit vſquequaque in omnem inſolentiam, arrogantiamque, & ſuperbè, aſperèque imperitat. Quare totius ſibi tantam populi conflauit inuidiam, vt etiam eius intimi familiares, & aſſeclæ illum oppidò auerſarentur. Cœpit enim adeò abſurda inſolita, contrariaq; rationi, diſſentanea, inepta iubere, prudentique rerum regimini repugnantia imperare; vt inſanire, furereque omnibus videretur; neque amplius ciues tam vecordis hominis durum, graueque imperium pati poſſent. Abijt in mortalium ora Hiſpanos ingenioſo vaframento illum medicata aliqua potione dementaſſe, ſed penes ſit authorem fides. Satis ſit attexere maiorem populi partem acerbiſſimo odio tam immanem belluam proſequentem perhorreſcere, odiſſe, deteſtari, eius excidium, & necem votis omnibus anhelare.

Eius in vrbe timor, potentia.

Claud.

Eius inſana mandata.

Hiſpanorũ ſolertia.

Aniellus ſibi quoque fidens popularium in ſe odij ignarus Proregem inuiſum ad prætorium poceſſit: a quò perhonorificè exceptus, & magnificè habitus plura de præſenti rerum ſtatu effatus ſpem iterum fecit ſe propediem ea dictatoria poteſtate, ac munere abiturum. Eius pariter vxor Proreginam adijt; quæ ſuperbum, & ornatiſſimum currum ad eam excipiendam obuiam miſit. Tam ipſa vxor, quàm domeſticæ fœminæ, liberiq; pretioſis indumentis amicti, & baccatis monilibus culti, quibus illos Proregina donauerat, in publicum prodierunt. Verum ſequentibus diebus cœpit eius ſæuum, barbarumque imperium populus indignari, horrereq; ipſius faſtum, & ſuperbiam, quàm toruo vultu, voce, geſtu, atque in omnibus operibus præferebat. Equitabat per vrbem ſequente ſatellitum turba, & in patritiorum currus offendens, niſi ſe ſubmiſſiori cultu, obſequioque, vt ipſe contendebat, venerarentur; necem capitis abſciſſione intentabat. Quadam die ad Ferrantis Caraccioli ædes equo prouectus, percunctatuſq; an domi eſſet; reſponſumque foret à ſeruis, illum in arce morari, præcepit domeſticis, vt illi ſuo nomine obnuntiarent; vt poſteri diei mane ad ſuos oſculandos pedes proficiſceretur; alioquin ſe iuſſurum eius palatium ſubiectis flammis incendi: aliaque per multa tam inſolenter, arroganter, perfractèque iubebat, vt eius inſanam audaciam, aſperumq; imperium omnes peroſi, vt ſuperbiſſimo dictatori maturam necem a Numine implorarent: ſuæ enim abiectiſſimæ conditionis, deſpicatiſſimæque ſortis oblitus,

Honores habiti Aniello, & eius Vxori à Prorege.

Anielli inſolentiſſima imperia.

Digitized by Google

oblitus, ad ſua viliſſima ſcruta, & piſcium venalium fiſcellas amplius redire mens illi non erat.

Tandem aderat dies, quo tam graue onus ciuium ceruicibus impoſitum fatum excuteret, & immaniſſimi lanionis ſecures in ipſum conuerſæ truncarent deuotum diris omnibus caput. Siquidem decimo ſeptimo Kal. Auguſti cum Marcus Vitalis Anielli ſectator à ſecretis in populi militũ præfectum incidiſſet; illumq; acribus verbis, conuitijſque accepiſſet; hic iniuriarum impotens animoſiùs, acerbiùſque iniurias in authorem regeſſit. Vitalis iratus acri Ducis reſponſo, ſubiecit, ſe illi caput abſcindi iuſſurum: quibus minis maiori ira excandeſcens præfectus enſe Vitalis pectori capulo tenus adacto, exanimem humi proſtrauit; nemine ex eius aſſeclis, & ſocijs in ipſius necis vltionem ferrum ſtringente. Immo extemplò abſciſſum caput ſparo infixum tota vrbe ad ſpectaculum traductum, & corpus exanime, truncumque per vias, celebrioraque loca equo ponè trahente raptatum. Quod vbi aliquot ſtrenuis viris Aniello maximè infenſis innotuit, protinus ad Carmelitanum templum vbi ille recens quædam inſanierat: totuſque calore æſtuans, & ſudore conſperſus in cœnobij cubiculum frigidiorem auram captaturus, madidumque induſium mutaturus ſeceſſerat, concito curſu feruntur; meridiantemque aggreſſi pluribus in illum emiſſis è minoribus ſclopis miſſilibus confoſſum interficiunt: & à Lanione, vt tantam belluam decebat; illi ſecuri caput abſciſſum, infixumque haſtæ per vrbem circumlatum eſt, corpuſque per vrbis vias, & fora ab inſultante plebe funibus tractum turba identidem illas iucundas voces magnis clamoribus iterante, Aniellus extinctus eſt, Aniellus interijt. Eodem impetu in cæteros eius aſſeclas, ſtudioſoſque ſæuitum. Præclarum facinus auſi fuere Saluator, & Carolus Fratres Cattanei, Angelus Ardizzonus, & Andreas Rama, glorioſa, ingentiaque nomina, quorum forti opera, ſtrenuoque auſu, ſæuiſſimi Tyranni duriſſimum iugum de ciuium ceruicibus, atque inclyta vrbe depulſum eſt; & ſummo dedecore, pudendoque obſcuriſſimi hominis imperio ciuitas liberata. Hunc fœdiſſimo lanio debitum exitum cupidè expectabam, immeritos enim ſuorum munerum repentè fortuna deſtituit; cum ijs ad ſæuitiam, ſuperbiam, arrogantiam perditè abutuntur. Tolluntur in altum, vt caſu grauiora ruant: ſi icthyopolæ artem exercere pauper inſtitiſſet, vel moderatè, parcè, clementer, demiſsè ſuæ non oblitus priſtinæ fortunæ populo imperaſſet; vel ſpontè dictatura abijſſet, viueret adhuc voluntaria paupertate, abſtinentiaque glorioſior; quam cum equo ſublimis ſupplicia ciuibus intentabat. Non plus decem dies eius imperium tenuit; vt rex, ſeu imperator ſcenicus videatur, cum vix paludamentum induerit, & mox acta eorum perſona, eo exutus in ordinem redactus, temeritatis, atq; audaciæ pœnas ſumpto diſſentaneo icthyopolæ imperio, capite luerit. Anielli cæde territa illa vilis plebecula veluti exanime, auulſo capite, corpus attonita ſine ductore, imperatoreque torpuit, vniuerſaque hàc, illàc dilapſa ſilens in ſuo quiſque domicilio delituit: vt inter-

Vitalis Aſſeclæ Anielli cædes.

Anielli cædes.

Anielli interfectores.

Anielli decem dierum imperium.

interfectores potuerint eius caput haſtilis cuſpidi infixum totâ vrbe liberè circumferre,inter amplexus occurentium,& oſcula nobiliorum;qui ad huius rei gratiſſimæ nuntium incredibili gaudio, lætitiaque perfuſi, mutuis gratulationibus exultabant: egreſſique è latebris,in quibus ab illius belluæ furore diù latuerant hàc,illàc nimiæ impotẽtes lętitię hilari diſcurſu obuios quoſq; ab imminenti quaſi nece,vel certe duriſſimo ſeruitio in libertatem aſſerti amplexabantur.

Nobiliũ de Anielli cæde lætitia.

Ad prætorium deinde vno ferè agmine ad Proregem feruntur, eique lætiſſimis vocibus receptum ab illo perdito nebulone imperium gratulantur. Qui in Hiſpaniam, Siciliam,in Inſubres huius fortunatiſſimi euentus concitis nuntijs protinus miſſis, omnibus vrbis viarum decurionibus ſæueris pœnis edixit; vt expediti in armis cum ſuis quiſque cohortibus eſſent, nemoque alius, quàm ſua imperata faceret: pœnas capite daturos contumaces,tam iubentem,quàm iuſſibus obedientem. Omnes Anielli participes ſceleris vxor,ſorores,conſanguinei capti,atq;in vincula coniecti. Emiſſa, quoque valida ex vrbe militum agmina Beneuentum verſus Anielli Fratrem venatum: qui illorſum Ducem Matalonię quæſitum tetenderat: vt illum captum Neapolim adducerẽt: ſicuti ex Proregis voto ſucceſſit; qui ex grauiſſimo quaſi metu reſpirans, ex arce, in qua ſeditione feruente,occupanteque vrbis imperium Aniello,tremens,ac ſtupens cum alijs Regijs miniſtris latuerat;in vrbis plana egreſſus, ad Archiepiſcopatus palatium ſplẽdido procerum comitatu ſeptus equitauit: ibique in maiori templo gratijs Deo ſumma pietate peractis,in nundinale forum prouectus tubarum clangore Caroli V. priuilegia populo affirmauit, rataque habuit ex obſtrićta conuentorum fide. Officinæ ſubito patuerunt,& ex illo triſti iuſtitio, quo per illos dies ciuitas mœſta ſqualuerat,abſterſis ſordibus hilari facie ſerena ad ſua negotia, artiumque intermiſſa exercitia redire. Hiſpanæ cohortes iam poſito metu, receptiſque animis,ſuis quæque armatæ ſtationibus inſederunt. Quilibet præteritæ immemor ſeditionis, quaſi nullo vnquam tumultu in vrbe turbatum eſſet,impenſè Proregem,alioſque regios miniſtros colere,expeditè obſequi, reuereri. Mirabuntur futura ſæcula hunc ſuo arbitrio verſantis humana Fortunæ luſum;quæ infimum plebeium momento ad ſummos honores euecto detulerit frequentiſſimæ, ac nobiliſſimæ vrbis imperium: mox ſuum contemptum gratioſum crudeli ſanè cathaſtrophe, quaſi illam tam turpis facti pœnituiſſet;vno Lanionis mortifero vulnere capite abſciſſo ſuſtulerit. Hunc exitum habuit Anielli violentum cum ipſius vita, formidandumque imperium. Vix credibile videbitur poſteris inopem ičhyopolam de fæce plebis fœdiſſimum purgamentium lacerum vix pubertatis annos egreſſũ primo potuiſſe die ad ſeditionẽ innumerabilẽ populum concitare, altero ponè ſe etiam cum plebe honeſtioris conditionis ciues trahere, tertio ab vniuerſis populi dićtatorem,ſupremumq; Ducem acclamari, atque accipere totius vrbis imperium: ſequentibus verò vultu toruo,feroci geſtu, aſpećtuque formidandum opportuna, ſalubriaq; mandata

Anielli ſectatores, & conſanguinei capiuntur.

Fortunæ luſus in Aniello.

Digitized by Google

mãdata dediſſe;expedita inire cõſilia, totũq;populũ ingẽti terrore percellere,ſibiq;Neapolim florentiſſimi regni caput,& regiam,& tot prouinciarum,regionum,tot Procerum, Principum, magnorumq; ducum parentem ſubijcere. Non ſatis profecto mirari poſſum, quòd generoſa Neapolitanorum ciuium ingenia,tot non pœnitendæ fortunæ artifices,conſpicui mercatores,populares illuſtres ita demiſſo animo fuerint;vt vltrò pauperimo de vltima plebe icthyopolæ ſe regendos, moderandoſq;permiſerint, atq;eius ſæuo imperio ſpontè ſubdiderint, ac ſi probatæ virtutis, expertæque prudentiæ viri in tanta ciuium multitudine defuiſſent. Verum id arbitror ciuili prudentia, ſagaciq; conſilio populum decreuiſſe,quòd in ſeditionibus perniciosũ ſit, capitaleq; tãdẽ ſubſidẽte tumultu,futurũ turbarum fieri authorẽ,furẽti plebi ad incẽdia,cędeſq;prçire;cũ plerũq;cõdonato plebi quid quid inſanè,ſæuèq;auſa ſit;in ſola ſeditionũ capita Principes ſuas iras effundãt. Viciña igitur,imminentẽq; necẽ Aniello populus obnuntiauit, cum illum diariũ ſuũ dictatorẽ dixit:cũ,qui dat honores inſipienti,coaceruet lapides ad pedes Mercurij,quorũ iactibus cultus, honoriſq; cauſa ipsũ ſimulacrũ Numinis obruatur. Mirandũ tamẽ eſt,neminẽ ab Aniello capite dãnatũ fuiſſe,quamuis nulla habita de reis quæſtione,ſicuti iura pręſcribũt,& iudices ſolent criminum capitaliũ cõpertos capite mulctare,plures abſciſſo, abruptoq;imperio interfici iuſſerit;qui non ab innumera ſcelera, ſuſpẽdia, ſecureſq;meruerit. Quare diuinę irę miniſter extitiſſe putãdus eſt,eiuſq;crudeli arbitrio imperiũ delatũ à Deo,vt ex vrbe facinoroſorum purgamenta euerreret,totq;iniquiſſima capita perditorũq; colluuiẽ tollere properaret. *Dei iuſtitia in ſceleratos per Aniellum exercita.*

Neapolitani regni tumultus oborti eo tempore, quo Gallia pluribus bellatorum millibus armata, alicuius in Italia prouinciæ anhelabat imperium grauiſſimas Hiſpanis miniſtris curas iniecereant;non ignari vectigalium ſeditiones regna,ac prouincias euertere. Nihilominus animis impauidis, & infractis horum turbinum cuncta ruere minantium iras eludere, & fulmina ſuſtinere non tam arma, quàm pectora expediebant. Aloyſius Arò accuratiſſimus Regis Hiſpani miniſter, vtrobique ingentes vires aggeſſit, vbi procellam nimborum impetus intentabat: vt ſui regis dominatus ab excidijs imminentibus tueretur. Ioanni quoque Auſtriaco Laletaniæ maritimam oram claſſe oberranti imperatum; vt Neapolim quàm celerrimum curſum intenderet; ea ſpe, atque conſilio, vt Regis filio præſente, minanteque vrbi, è mari claſſe, ille populus poſita ferocia, miteſceret, qui ſolet eò peruicaciùs, obſtinatiùſq; furere, quo minori Principum reſpectu, reuerentiaque coercetur. Verum nihil Anielli territus nece, nec amiſſo duce lenior, nec ſuis expletis, ſublatis omnibus vectigalibus,votis, mitior rurſus à bidui quiete in alias turbas, & furores erupit. Inconſtans ſanè, ac volubile vulgus, quòd in diuerſa minimæ auræ impulſu, veluti pendulum proclinetur. Vix enim Anielli cædem, vt iuſtam probauerat, & ſummis laudibus gratulabundum interfectoribus applauſerat: cum ſubito mutato ſenſu, effuſe eius *Hiſpanorũ in aduerſis conſtantia.* *Populi incõſtantia rurſus furẽtis.*

Aniellus à populo laudatur. acerbiſſimo funeri illachrymatum, illum Patrem populi, Patriæ liberatoerm, pauperum vindicem, optimum paſtorem, qui pro ſuo grege aſſerendo ſuū caput deuouerat, acclamauit: correptiſq; armis ad prætorium tumultuario agmine minitabundi feruntur; quia panes non plus octo, & viginti vncijs eſſe, de quadraginta, quas Aniellus præſcripſerat, deprehendit: illoſque haſtarum cuſpidibus infixos Proregi inſanis clamoribus, atq; vlulatibus oſtentant: obſtrepenteſq; inſtant: vt eadem alimentorum affluentia, & annonæ vilitas ab Aniello indicta, iuſſaq; continuetur: omnibus diris ijs deuotis manibus, quæ ſuum optimum parentem occiderant.

Populus Prætorio aſſultat. Prorex ad feneſtram progreſſus, vt tumultuantis turbæ furorem pacaret: illi permiſit, vt Piſtorum ædes diriperent, eorumq; fortunas popularentur; qui panem quadraginta vncijs minorem confecerant. Ab ea accepta licentia momento lymphata illa turba extractam quorundam Piſtorum ſupellectilem non modo prædata eſt; ſed etiam plura ſubiecta flamma ſuccendit: quando in ipſos iam in tutū à populi ira elapſos ſæuire non poterat; in domeſticas res Plebis indignatio efferbuit. Inde populus effuſa in Piſtores ira, ad Anielli cadauer accurrit, aptatoq; ſuo capite trunco, ſublatum in Carmelitanum templum ſandapila impoſitū defert. Hic vidiſſes circumfuſam feretro turbā vberrimis lachrymis rigātibus genas plorantem, & queſtibus omnia implentem, & planctibus auras. *Plebis ineptiſſima de Aniello cōmenta.* Non potis eſt dicere, quot ridiculas ineptias plebs inſana vulgarit. Aniellum viuum ab inferis rediſſe; caput ſe ſponte corpori iunxiſſe, ſe illum alloquutos; excepiſſe eius mandata, ad populum orantem vidiſſe plures ſacramento affirmabant. Alij è cælo columbam delapſam ipſius capiti inſediſſe populo hilari vultu benedicentis; animantiſq; vt in ſui Regis fide perſiſteret, ſe conſpexiſſe teſtabātur. Quæ ditæ per vrbem nugæ, delirantiumq; inanis cōmenta vulgata credulā turbā ad tanta miracula ſpectanda traxerūt: quæ quāuis mortuum Aniellū, atq; exanime corpus intueretur: vix tamen ſibi perſuadebat extinctū eſſe, quam viuum votis omnibus ſuſpirabat. Cadauer cæleſtem halare odorē, fragrare ipſius carnes, neſcio quid diuinum olere dementi ſanè exiſtimatione cenſebant. *Inſanum vulgus Anielli cadauer veneratur.* Innumera fuit multitudo, quæ ad videndum, venerandumq; Anielli cadauer totū diem affluxit; illi piè humentibus lachrymis oculis venerabūda oſcula infigebat; & quaſi ſacroſancta apophoreta certatim ſtudebat attingere, admotiſq; precatorijs coronis veluti indigetem adorare. Declinante in veſperum die, ſolemni pompa vniuerſus populus, religioſæq; familiæ omnes in ſupplicationem proceſſere cadaueri parentatum. *Eius triumphales exequiæ.* Supplicantiū ordines bini,ac bini ſeorſim à fœminis viri a Carmelitano Templo per Patrū Ieſuitarum, Toletanāq; viam ad prætorium vſq; deinde per latā arcis areā, & vicinū caſtello vicū ampliſſimo ambitu iterū vnde proceſſerant, rediere. In ornatiſſimo feretro iacebat cadauer lodice holoſerica villoſa auro intexta opertum, Imperatorium baculum, cæteraq; ſummi ducis inſignia manu tenens. *Exequiarū pompa.* Præibant omnium vrbis cœnobiorum religioſæ familiæ cum cereis funalibus accenſis, ſolitas preces pro defuncto elatis vocibus concinentes.

Arma-

Digitized by Google

Armatorum agmina, ſingula ſub ſuis vexillis haſtas tellure trahentia, & maioribus ſclopis inuerſis, diſſono, ſubmiſſoq; ſonitu ſtrepentibus tympanis pullato tectis amictu. Vniuerſus populus in vijs armatus explicatis ordinibus ſtabat: prætereunteque cadauere ſigna portitoribus calcanda proſtrabat: ſicut magnis ducibus, ſummiſq; imperatoribus fieri honoris cauſa conſueuit. Eundem Hiſpanæ cohortes habere cadaueri honorem coactæ cum intolerabili Proregis animi cruciatu. Omnes vicorum feneſtræ, per quos prætereuehebatur cadauer frequentibus tędis, ac cereis collucebant. Nulli vnquam Regi Neapoli tam magnifica, ſolemnique pōpa parentatum eſt, nulli ſimiles in feriæ datæ ſunt Principi. Prorex cum animo propoſuiſſet, omnia populo indulgere, paſſus quamquam ægetrimæ in arcano, illum pro arbitrio Aniello iuſta ſoluere, quem paulò ante non ſecus, ac ſuum regem omnibus obſequijs coluit, deinde vt perduellionis reum capite mulctauit, poſtremo veluti Indigetem adorauit. *Proregis patientia.*

Contumulato quàm honorificentiſſimè in eodem templo cadauere, populus mœſtus, ac ſilens in ſua quiſque domicilia ſeceſſit ſibi ſatis à Prorege factum lætus, quòd non ſolum minacibus edictis annonæ abundantiæ, vilitatiq; cauiſſet; ſed etiam Anielli fratri, conſanguineiſq; perduellionis pęnas condonaſſet; in quos illum animaduerſurum, acerbitatiſq; virus vomiturū timebat. Alio quoq; edicto Prorex beneuolentiam ſibi populi conciliauit. Cuidam nobili, cui Lucio ſancti Fœlicis nomen, imprudenti, ſeu potius plebi infenſo aſperior vox exciderat, ſe effecturum, vt terreo pane populus veſceretur: quæ verba, à quibuſdam popularibus iam ſeditionem molientibus excepta, delataq; ad Proregē tanta illū ira incenderūt; vt quā diligentiſſimè quæri ad ſupplicium iuſſerit; elapſumq; proſcripſerit quatuor aureorum millia ipſius caput licitatus. In id tantum, vt iam pullulantia ſeditionis ſemina præfocaret: populique beneuolentiam demereretur. Quibus Proregis in ſe propenſæ voluntatis declarationibus populus acquieſcens nihil amplius noui moliturus videbatur; cum falſus rumor tota vrbe vulgatus proceres plebem aggreſſos illius dediſse cladem, ferro in obuios quoq; ſęuire, ipſo cæſo electo, turbata iterum vrbe, omnes traxit in arma; per omnes vrbis regiones, & vicos tympana perſtrepebant; conclamatum ad arma claſſico populi, coeuntia ſub ſuis vexillis agmina tota vrbe citò diſcurrere, hoſtem quærere ad necem, ſtipare phalanges ad nobilium vim repellendam, vbiq; panico terrore trepidari; ſed vbi nihil motum à nobilibus nuntiatum eſt, & inanis, falſuſque rumor deprehenſus: poſitis armis iam ruentia in pugnam popularium agmina quieuere. *Proregis munificentia populus victus.* *Plebs rurſus in arma proſilit.*

Credo aliqua fatali neceſſitate, vel certo ſiderum, malignoque aſpectu ad ſeditiones, rebellioneſque populos impuliſſe; nam præter id, quod paulò ante Laletania, Luſitaniaque eiectis prætoribus, & proregibus ab Hiſpano Rege quaſi vnanimi aſſenſu rebellarunt; quædam etiam Regni Neapolitani vrbes quàm longiſſimè à Neapoli ſemotæ, vt ob nimiam diſtantiam tam citò regiæ tumultuantis ſeditio eò nuntiari non poſſet, eodem, & ipſæ

Rebelliones portentoſæ. ob grauia vectigaliũ onera tẽpore rebellarũt. Prodigioſus ſanè ſucceſſus, vt turbatæ vrbis Principis rumor in tam longinquas oras momento per aera peruolarit. Quædã alia portentoſa narrantur, quæ gliſcente ſeditione, memorant authores, ſed penes illos ſit fides; Aniellum tres integros dies inediam paſſum, ſine cibo, potuque vixiſſe: ſuam necem identidem diuinaſſe; aiebat enim, ſe ſtatim interfectum iri, cum ſuum populum vectigalium oneribus leuaſſet; oraſſeque præſentes, vt in ſuorum criminum expiationem orationem dominicam recitarent. In illum plura è minoribus ſclopis ab exulibus Matalloniæ Duce authore excuſſa miſſilia, omnia tamen caſſo vulnere, ac ſi corpus magicis cantibus obduruiſſet; innoxia illud vel leui plaga præſtrinxerint. Simili euentu, cum interfectus fuit, nullo ſaucium corpus vulnere deprehenſum; quamuis pluribus è ſclopis emiſſis telis, illum agreſſores inceſſerint: præter illud, quod caput abſciderat.

Anielli vaticinium.

Prodigioſa in Aniello.

Anielli interitu pacatis tumultibus, & ſeditione compreſſa, compoſitiſque rebus ingenti metu, ac cura ſoluti Hiſpani Miniſtri receperant animos; iam ſuæ, regnique ſecuri ſalutis: ſed grauiter illos quoque angebat, quòd populus libertatis dulcedinem expertus adhuc ſeditioſos cogeret conuentus, arma expedita, & penè ſtricta gerens ſolitum imperij iugum dura ceruice reſpueret. Quare Prorex hanc populi contumaciam, viliſſimæque plebis inſolentiam impatientiſſimè ferens, non ſibi prorex, ſed exanime ſimulacrum eſſe videbatur: ſecum tacitus diſſimulans illatas offenſas rationes excogitabat, quibus ſua poſſet citra Regni diſcrimen decreta perficere. Nulla tamen conceptæ animo implacabilis iræ inſignia pandebat: quòd ſimulatio ſit vnica regnandi, ſeruandiq; ſui ratio, ac ſalutare conſiliũ, ac ſola ruitura, lapſuraq; fulciat. Sed ad plebis animos demulcendos plura edicta aduerſa patritijs, populo fauentia ſanxit; vt inter plebem, patriciumq; ordinem diſſidia ſereret, ne ſimul vnquam in rerum Hiſpanorum perniciem conſentirent. Inter alia iuſſit omnes proceres, Principes, & dynaſtas, qui milites in ſuis oppidis centuriaſſent, ac tutum eos exanthorare, atque in vrbem ad ſua palatia redire toto menſe Auguſto reditus termino preſcripto. Quod edictum grauati omnes regni proceres cum Prorege acriter conqueruntur. Verum ille, vt in omnibus plebi obſequeretur, nihil dynaſtarum querelis motus perſtitit in ſententia. Immo cum ad Carmelitanum templum curru veheretur, in circũfuſam multitudinem argenteos, & aureos nummos regia pene munificentia effudit. Sed perfidia nullis meritis mitigari poteſt. Hæc humana, benignaq; lenimẽta nihil in præſens truces populi animos mollierunt: ſed ſicuti aquis aſperſa ingens flamma paramper comprimitur; at eo exſiccato humore, in maiora erumpit incendia: ſic ille ferox populus Proregis beneficijs, muneribus, omnibuſq; beneuolentię declarationibus delinitus paululũ quieſcebat: at repentè ingratus, immemor meritorũ nouas ac nouas turbas ſubinde ciebat. Non enim obtentis à Prorege prorſus acquieſcens alia inſtabat; videlicet, vt in

Digitized by Google

vt in vrbis ſtemmate littera, P, populum ſignans incideretur: vt ij proceres, qui maioris Templi theſaur o præfuerant, ad calculos vocarentur, peculatuſque comperti pœnas darent. Interim dum populus hæc à Prorege contendit, à ſacri Deiparæ Virginis Nuntiatæ xenodochij præſidibus admonetur, non amplius in alendis puellis, ſacriſque virginibus, curandiſque egrotis, nutricibus, ſacerdotibus ſuſtentandis ſolitas poſſe agere impenſas; ſublatis annuis prouentibus, quos ex vectigalibus, tributis, portorijſq; capiebat. Quo Populus audito, iuſſit ſibi nomina tradi: quæ cum plurium procerũ eſſent, præteriti xenodochij præſides veriti eorum potentiam, vel ne ſoluere compellendo ijs ſe facerent inuiſos; nunquam eos coegerãt, vt ſua nomina expedirent. Inter hos Matoloniæ Dux quadraginta aureorum nummum millia debebat, laturuſq; erat plebiſcitũ, debita, obæratoſq; proceres conſectaturum: menſq; erat pręſides ipſos, quorum indulgentia tanta diſpendia, nullis debitis exactis, paſſa erat illa hoſpitalis domus, impellere, vt æs alienum luerent; niſi popularium animos ab his ciuilibus curis, ad bellica ſtudia, atque ad arma maiores primis exorti tumultus auocaſſent. Exigua ſcintilla horrendum fudit incendium, quod niſi promiſcua nobiliũ, popularium, Hiſpanorũq; militũ cæde, cruoreq; extinctum eſt. Quod enim cõtra cõuenta initi fęderis, paciſq; conditionum capita, quamdam ſyngrapham aliqui Duces, & Mercatores ſubſcripſerint; Populus arreptis armis ad Prętorium concitus rapitur, atq; à Prorege contendit; vt quemdam Cennamum huius rei authorem, & cæteros conuentionis ruptores ſeuerè plectat. Irruenti in prætorium multitudini ſe ſe prætoriani milites obiecere, nè plus octo, vel decẽ ingrederẽtur, vt ſuũ Proregi ius ſuũ bonum ducerẽt: ſed illa vim parante, vt vniuerſa ſimul irrumperet, obſiſtuntq; prætoriani: Pueri, qui vna cum populo ad prętorium confluxerant, lapides in Hiſpanos intorquent; quorum ictibus aſperati in confertam multitudinem glandium inania tormenta diſplodunt terrori incutiendo magis, quàm cædi; ſed cum non omnes milites id aduertiſſent; vt ſaniori conſilio caſſu ictu terrerent, magis populum, quàm ferirent: tribus aut quatuor è plebe ſcloporũ miſsilibus vulneratis, multitudo ſuorum popularium aſpectu ſanguinis irritata, & ipſa prætorianos minorum ſcloporum telis cœpit inceſſere, cruentumq; certamen pluribus, vtrinq; cadentibus, exarſit. Cæſi omnes tota vrbe in ſuis ſtationibus à lymphata turba, quotquot obuios habuit, Hiſpani. Mox ſacrę turres, templa, palatia omnia Prætorijs nouo, & veteri circumiecta à populo occupata, atque indè in prætorianos miſsilibus dimicari cœptum eſt: triduum tenuit illud tumultuarium cum multa ſtrage certamen. Idem ad arcem nouam, in quam Prorex perfugerat, à plebe auſum eſt. Poſtera die Deiparæ Angelorum, Lucullianique aditu occupato, ex quo deiectis aliquot Germanorum cohortibus, librata extemplò in ſublimi tormenta contra prætorium, & arcem cœpta emitti. Verum tumultuarijs copijs diſciplinæ militaris peritus deerat imperator, qui temerè bellantia regeret arma. Quare, vt omnia alicuius principis auſpicijs ex

Quæ populus à Prorege contendat.

Populi cum Hiſpanis rixa.

Hiſpani cæduntur à plebe.

Maſſa. Populus ſuum imperatorem iubet.

bellica peritia gererentur; ad Franciſci Toralti ædes Voltumnæ Phani dynaſtæ populares accurrunt; illum Summum populi Ducem lætis vocibus acclamant; quod cum ille munus pro virili parte recuſaret: inuiſumque imperium ſumma ope reſpueret, inſtat, vrget, cogit circumfuſa, multitudo, vt delatum honorem acciperet; ille maximè inuitus grauiſſimum ſubijt onus, cum vrgenti plebi obſiſti non poſſet: eò ægrius, quò militaris diſciplinæ plebs imperitior erat, & magis refractaria. Viri graues, ſani conſilij, ſedatæque mentis huic electioni applauſere, ea ſpe illum veluti ſummæ prudentiæ, & dexteritatis dynaſtam, ſua authoritate, poteſtateque multis incommodis, maliſque conſulturum.

Priùs tamen, quàm ſuſciperet armorum imperium, primatum popularium animos oratione leniendos putauit; ſi forte rationibus eos ad ſanam mentem poſſet adducere; vocatos igitur in conclaue ſic alloquutus eſt.

Non video cur tantos tumultus, turbaſq; ciatis, Conciues mei; vniuerſamque vrbem ira præcipites minacibus clamoribus miſceatis. Quid adhuc vobis petentibus recuſatum eſt? Quæ vota, deſideriaque protuliſtis, iiſq; à regentium duritie non fuit indultum? Has veſtras minas, obnuntiationeſque, & quidquid concire irata mens poteſt, in illud tempus integrum reijcite, quo veſtræ obſequia voluntati negabuntur. Quænam hæc animorum conſternatio? furialis diſcurſus? impotens ira, minarumque plena indignatio? Quid hoc rei eſt? vt fidiſſimi ſuo Regi Neapolitani ciues ſuæ intaminatæ fidei nulla irritati iniuria rebellis ſeditionis labem aſpergant? Quam vellem hic nunquam popularis tumultus, ſeditioque exarſiſſet, veſtraque impleri vota foret à vobis pacatiùs, moderatiùſque petitum; quod & vos ſapientis, grauis, moderatiq; populi laudem tuliſſetis, & iam veſtræ compotes voluntatis uectigalium leuati onere lætaremini. Quid eſt per Deum immortalem tam difficile, tam magnum, & arduum, ut tanto fremitu, minis, concitationeque animorum petendum ſit? & idem ſedatè, leniter, moderatè flagitari non poſſit? Vectigalia cupitis aboleri, tolli, antiquari? ecce ſublata ſunt omnia: ego ſatiſdo, meq; prædem conſtituo, ſideq; mea uos eſſe iubeo, id quàm facillimè me à Proregis clementia impetraturum. Quid amplius cupitis? quid tanto fragore contenditis? En uobis uectigalium immunibus nulla uobis obſtrepet exactoris acerbitas, nulla uos urgebit publicani cupiditas, clauſa telonea in poſterum inuiſa conductorum capita non inſidebunt. Poſita orgo ferocia, quieſcite ueſtræ erga Regem fidei, erga Patriam memores charitatis, cui nullum pernicioſius imminet, quàm à ſeditione diſcrimen: rogoque uos, atque obteſtor, ut pacatioribus animis me de publico bono, ueſtroque commodo diſſerentem audiatis: pectora enim ira præferuida, atque indignatione calentia difficile ad aures lenis uerba oratoris admittunt; acerbatæque mentes omnia ſuadentium ortamenta repellunt. Turbidos igitur primum animos ſerenate: ſæuienſque iſta ueſtræ ſeditionis procella ſubſideat; ſi nudam rei ueritatem cupitis intueri. Cedo, ciues mei, quid ita acerbos de intolerabili uectigalium onere tollitis quæſtus? Quid ueſtram miſeram ſortem, lacrymabilem uicem, perditas res uanis quærimonijs

rimonijs

rimonijs incuſatis? ſi nos ipſi nobis illa ſuffragijs omnibus impoſuimus, quo devicti Regis obſequijs illi in Italia, Belgio, Hiſpaniaque bellanti pecuniarum ſubſidia ad alendos tot exercitus ſufficiamus: ut potius à nobis ſponte ſuſcèpta, quàm impoſita dicenda ſint. Non enim à clementiſſimo Rege auarè, ſed benignè, munificèque ſemper habiti fuimus. Verum temporum neceſſitas cogit, ut ad maximas bellorum impenſas, quibus ſunt numeroſæ copiæ, atq; agmina ſuſtentanda, pecuniarum ſubſidia ex ſuis uectigalibus prouincijs, & regnis eruat, uel inuitus. Ipſe bella non quærit, nec ferocis impetu animi ultrò ſuſcipit pacis magis ſuo miti ingenio, quàm belli cupidus, ſed laceſſito neceſſario inſtantes repellendi ſunt hoſtes, bellaq; propulſanda. Vbique in Italia, Belgio, in ipſaq; Hiſpania Gallicis armis impetitur. Luſitani, Laletanique rebelles arma, excidia, cladeſque minantur, atque ipſi Caſtellæ inferunt audaciſſima ſigna. Tot malis circumuento noſtro Regi, extremoque fere diſcrimine laboranti quis noſtrum tam immanis, duri, barbarique animi erit, vt tantula ſuæ pecuniæ ſubſidia ſuſtineat recuſare? Ecquotam tandem de ſuis opibus partem pro ſingulis vectigalibus in capita penditis? quantulam de veſtris fortunis portionem impertitis? Vix ſingulos quadrantes, aut obolos datis; nec quicquam his minimis penſionibus de veſtris prouentibus deteritur. Vix aut nullatenus hæc penſionum detrimenta ſentiuntur; quæ ſimul ex ingenti populi multitudine congeſta non pœnitendam ſummam conſtituunt, apprimè Regi bellanti neceſſariam. Vectigalia ſunt Regum fulcimenta, eorumq; prouentus, quibus & eorum dignitas ſuſtinetur, & bella, ſi quæ ingruunt, aluntur. Ad quid illi tot prouinciæ, Regna, dominatus, enormeſq; terrarum tractus, ſi ex illis ſibi tot bellis impetito pecuniarum auxilia haurire non poteſt? Vectigales, & Principes mutuis ſe auxilijs, atq; opibus fulciunt. Illi ſuos armis ab hoſte tuentur, regunt, moderantur, honoribus augent: nos viciſſim eorum regiam dignitatem, faſtigium, & decus noſtris pecunijs, & vectigalibus ſuſtentamus. An ſi quis in noſtrum regnum ſe potens hoſtis inueheret, quod ne ſiuerit Deus; ſegnis ne Rex ceſſaret? ſui vectigalis regni excidium otioſus intueretur? an ex alijs ſubito prouincijs, & dominatibus, ex Hiſpania præcipuè militum agmina ad nos aſſerendos ſolicito claſſico authoraret; theſauros in has noſtras oras effunderet? omnique ope, conatu, & ſubſidio iuuaret? Cur igitur nos illum tot bellis implicitum, infortunijſque conflictantem ingrati deſerimus? Vectigalia non imponuntur ad aggerendas in Hiſpanicis ærarijs pecunias, non ad augendos auri, argentique aceruos, qui ſi qui ſunt, ad ſuarum prouinciarum ſeruandam ſalutem, & commodum impenduntur: ſed in Inſubres in copiarum contra Gallos Mediolanenſi dominatui imminentes bellantium alimenta mittuntur: nullus omnino obolus, in Hiſpaniam Regijs ærarijs inuehitur. Quinimmo quidquid theſaurorum Indicæ fodinæ eiectant, quæcumq; auri, argentiq; pondera ex Peruanis, Mexicaniſq; montibus eruuntur, in Italiam, in hæc ipſa noſtra litora, in Belgium, cæteraq; bellis concuſſa loca profuſiſſimè regeruntur; vt ipſa Hiſpania, quæ aureis imbribus fabuloſis Danaes verioribus orbem perpluit vniuerſum, nimia pecuniarum in alias

Digitized by Google

terras profuſione ſicca prorſus areſcat. Suam vicem ipſi Hiſpani lamententur: qui cum alios ditent; pecuniarum inopes languent. Vos nimirum video ob intolerandas vectigalium penſiones horridulos obſoletis, ac laceris amiculis, inopes, ſeminudos, fame enectos intueor. Si quæ in Italia ciuitas eſt, quæ ſuas opes, ædium magnificentiam, pretioſam ſupellectilem, omnium rerum affluentiam, domeſticoſque nitores, & luxus, ornatiſſimum ciuium cultum, cuncta ciuilia ad ſtuporem vſque fulgentia oſtentare poteſt: noſtra profecto Neapolis, opibus, diuitijs, inuidenda omnium rerum pompa ſe magnificè circumſpicere, gloriarique poteſt. Atqui nullæ in hoc noſtro Regno ſunt auri fodinæ; nullum ex huius noſtræ terræ viſceribus argentum effoditur, nulla aureas glebas tellus eiectat. Vnde igitur tantæ Procerum, nobilium mercatorum, ciuium, artificum diuitiæ, argenti, aurique copia? niſi quia ex Hiſpania in hanc terram theſauri inferuntur, nobiſque Indici theſauri impertiuntur? & ſi quid pecuniarum è regno in Regis obſequium foras effertur: nobis mox vberiori cum vſura rependitur; pecunia perpetuo gyro, vnde prodierat, redeunte. Non ideò tamen iſta ſubieci, vt vobis vectigalia ſoluenda, penſionumque onera libenter ferenda ſuadeam; cum vos veſtris deſiderijs fruſtrari non ſinam; ſed vt oſtendam, non eſſe adeò vectigalium acerbitate veſtræ miſeræ ſorti ingemiſcendum, vt tumultibus propterea miſcenda tota ciuitas ſit, omnemque erga Regem exutis reuerentiam, veneratione contempta, in ſeditionem præcipiti ira ruendum; cum illa & Regis neceſſitas exigat, & noſtrum obſequium, obligatioq; debeat, connexaq; ſimul imperantium, parentiumq; charitatis efflagitent. Quieſcite igitur, & vnuſquiſque pacatior in ſua domicilia vectigalium immunitatis ſecurus abſcedat.

Valde mollijt concitata Toralti oratio præſentium ferociam, atque ad pacatiora omninò conſilia flexiſſet; niſi mutuis offenſis eò irarum, odiorumque ventum eſſet, vt animorum acerbitas lenibus verbis pacari non poſſet; præter quàm quod maiorum ſpes rerum, & libertatis delibata ſuauitas omnia lenimenta reſpuebat.

Cennamus interim ab Onufrio, & Ioanne Caffrero populi Ducibus captus; ab irata plebe vltima paſſus abſciſſo capite excitæ imprudenter ſeditionis pœnas dedit. In Gianſerium pariter Sancti Fœlicis eadem feritate ſæuitum; qui à quibuſdam fœminis agnitus, & detentus Atellas fugam moliens, & populo traditus eodem ſupplicij genere perijt. Cennami capiti varijs ludibrijs inſultatum eſt: inter duo ſatellitum obtruncata capita interiectum citrea perſpicillia naſo impoſita in nundinali foro oſtentui iacuit. Genouinus, qui & ipſe ſyngrapham illam ſubſcripſerat, Proregis fidem implorans in arcem a plebis ira perfugit: vbi quamuis patritij ſummis precibus cum Prorege agerent; vt tanqaam præteritæ fax ſeditionis, omniumq; malorum author capite plecteretur; ille tamen, vt obſtrictam iuramēto ſolueret fidem, nihil grauius in illum conſuli voluit; quod deferueſcente tumultu, plura Regis in obſequium præſtitiſſet: præter id quod ſacerdos eſſet, cui maximum piaculum eſt, violentas, ac ſacrilegas manus inijcere;

Anuerſa.

Cadauerum ludibrium.

cere;

cere: illum inſuper etiam, vt à plebis ira ſubtraheret tricem. impoſitum in Sardiniam Inſulam miſit, vbi grauiſſimo cælo non aſſuetus, ſenio quoque confectus extabuit. Anielli quoque fratrem in arce noua morbi violentia abripuit; quamuis plurimi exiſtimarint medicata potione ab Hiſpanis extinctum fuiſſe: alij quoq; commenti ſunt, eum religioſo amictu in diſſimulationem ſui velatum elapſum ex arce Venetias perfugiſſe, ſeq; cum alloquutos. Verum hæc ſunt delirantis nugamenta vulgi.

Gennini interitus.

Dum vtrinq; in mutuas offenſas intenti atrociora iratis mentibus ſtruũt religioſorum interuentu virorum quaſi pactis inducijs, ſilentibus armis, de pace componẽda ſedulò tranſactum eſt. Populus poſtulabat, vt Sancti Hermetis caſtellum ſibi traderetur; Hiſpani omnes toto Regno faceſcerent; ſua oblata ſorti, ac fideli opera, ſe omnes arces Regis nomine cuſtodituros: prætorianoſque ad prætorij fores excubituros. Omnes Regij miniſtri perpetui binis quibuſq; annis de pecunijs repetũdis iudicium ſubirent; geſtiq; magiſtratus impoſito calculo, rationem computarent. Vicarij fori Iudices non plus duodecim eſſent; ſex, qui ciuiles, totidem criminales cauſas cognoſcerent; nec quadraginta minores annis dicerentur: nec dynaſtæ, nec proceres, aut de vrbis regionum conſeſſibus eſſent; amouerentur, ſi qui eo munere fungerentur: excepto Regente Caracciolo, & Diui Sebaſtiani Domarcho, & Thoma Carauita, quem etſi nec dum quadraginta annos natum tamen ob exactam iure dicundo prudentiam populus confirmabat. Tria publica tribunalia, ſiue conſeſſus Montis, Portus, & portæ nouæ diruerentur: eorum nobiles nullum agerent forum; nulla prorſus ſuffragia ferrẽt; quòd ea venalia habuiſſent, cum de indicendis populo vectigalibus rogarentur: quorum authores dicebantur. Matalonæ dynaſtæ poſteri patrijs perpetuo hæredijs priuarentur.

Populi inſolens poſtulatum.

Alia populi poſtulata.

De his, atque alijs pacis conditionibus, quarum capita ad ſeptem, & quinquaginta numerum excedebant: triduò à ſequeſtribus ſumma cura, ac ſolicitudine actum eſt: & iam de omnibus conuenerat; præter quam de Sancti Hermetis arce tradenda, Prorege cauſante, illam ſuæ poteſtatis non eſſe, ſed eius præfecti, cuius fidei à Rege ipſo commiſſa fuiſſet. Verum populo acriùs inſtante, vt ſibi traderetur; cuniculoſq; effodere parante, Toralti, populariſq; Electi dexteritas obtinuit, vt populus ab ea petenda arce ceſſaret: cum cætera omnia à Prorege conſequutum intra ciuilis moderationis limites quieſcere opporteret. Eodem die conditionum capita typis impreſſa, vulgataq; pacem ſumma cum omnium lætitia, & gratulatione ſanxerunt. Prorex tamen in arcano in Plebem infenſiſſimo animo, quamuis in præſens, ſpeciemq; ſimulans pacatã mentẽ conceptas altũ premeret iras, omniaq; inter ſacrũ, & ſaxũ deprehẽſus, vel iniqua, abſurdaq; populo poſtulata concederet: tamẽ magis, ac magis eius inſolẽtia multa quotidie ſcelera audentis, rerũq; vſurpãtis adminiſtrationẽ intẽtiſſima cura excogitabat opportuna, quib. tãtã cõtumaciã, cõprimere, vlciſciq; poſſet. Itaq: clã in arces omnia ad eas diu propugnãdas inferre; cõmeatus, pyrium puluerẽ, ferreos globos,

Pacis tranſactiones.

Populi minæ.

Pax conſtituitur.

globos, milites prouidere: Ioannem Auſtriacum Hiſpani Regis filium ſummum Hiſpanæ claſſis Nauarchum regij ſpiritus iuuenē ſolicitare; vt quàm primum in ea maria regiam claſſem adduceret, ratus nulla alia ratione procaces, refractarioſq; plebis animos; quàm armorum violentia domitum, fractumque iri. Interim vectigalium omnium populo immuni, ſicuti etiam muneris exactione leuato; quò vndecies aureorū millium Hiſpanus Rex ab vniuerſo Regno donandus erat; tetulit ad Populum Prorex, an illi placeret; vt omnes Regni familiæ quindenos, Carlinos (id eſt Neapolitanæ genus monetæ) ſemel tantum penderent; vt eius pecuniæ ſubſidio arcium neceſſitati conſuli poſſet, ali præſidia, triremiumq; Epibatæ ſuſtentari? cui Proregis petitioni non modo alacri animo populus acquieuit; ſed etiam eius Electus cum alijs primoribus ſponte polliciti ſint: ſe tantam pecuniam in ciuium capita imperaturos; quanta ducentorum ſummam aureorum millium conficeret: quo eo prompto, & ad manus pecuniç ſubſidio Regni impenſæ agerentur: qua populi in hac ſufficienda pecunia alacritate ſperabat Prorex, quidquid ipſe, & vectigalium leuamen, & donarij remiſſionem populo indulſerat, Regem ratum habiturum.

Proregis petita à populo conceduntur.

Hiſpanæ claſſis aduentus.

Proregi his ciuilibus curis intento Turſij dynaſtæ vniuerſæ Regiæ claſſis Legati litteræ afferuntur; illum exortæ procellæ impetu cum aliquot longis nauibus in Sardiniam abreptum, ibique etiam cætera omnia claſſis nauigia expectari; quibus Ioannes Auſtriacus Neapolim vehendus erat. Quo nuntio læto animo exultans Prorex ſibi gratulabatur adeſſe tandem dies, quibus omnia diſſidia compreſſa armis populi audacia, componenda erant, rebellionis, & tot facinorum pęnas perduelles luituri. Statimque aliquot expeditas triremes Ioanni Auſtriaco obuiam miſit. Fama maiora vero vulgauerat: claſſem viribus potentiorem, quàm reipſa, erat, Neapoli appulſuram; quo rumore contumacibus ingens terror, & cura inceſſerat adeò, vt plures fugam circumſpectarint, multiq; Duces ſcipionibus abiectis, militum pręfecturę inſigni, ſuum munus diſſimularint; ſed cum nuſquā multos dies expectata claſſis appareret: eius aduentus ſeneſcente rumore, poſito metu, audaciores inſurgunt, rati id fuiſſe Proregis ad terrendum populum, frænandamque illius inſolentiam commentum: adeòq; hoc certum putarunt, vt in celebrioribus vrbis locis libelli affixi pependerint hoc ridiculo programmate (Si cui de regia claſſe nuntium eſſet allatum, illud ſub anathematis pœna illico aperiret) Primis tamen diebus, quibus de claſſis aduentu increbuerat rumor, in concionem multitudo confluxit; quid in eo rerum articulo faciendum in commune conſultura. Aliqui prudentiorum ſuaſerunt, omnia Ioānis Auſtriaci clementię cōmittenda: dūmodo de venia pręteritis danda vniuerſis, & de commeatuū copia, annonęq; affluētia ſeruāda certi eſſent. Alij cenſebant ſupplicandū eſſe, vt cōuentorū capita affirmarētur: libranda interim eſſe in Carmelitano propugnaculo tormēta, quib. Epibatæ à litore arcerentur; ſolus Ioannes cum ſuis domeſticis, & aulicis in vrbem admitteretur; quod conſilium cum nimium audax, & præceps omnibus

Contumacium terror declaſſe.

Contumaces Hiſpanis illudūt.

Rebellium cōſultationes.

bus videretur: multum varijs ſententijs, diùq; pugnatum eſt, in hoc conſenſere omnes; conſilium in arena eſſe capiendum, & è re nata populi ſaluti opportuna molienda. Kalendis Octobris in alto conſpecta magnarum tantum nauium claſſis vela ſecundo inflante vento, Neapolim verſus curſum intendere; quia triremes obortæ tempeſtatis fluctibus concuſſæ Genuenſem portum ſubierant à iactatione, ſi quid foret lacrum, reficiendæ. Plures clari bello Duces, reique militaris peritia inſignes ea claſſe Neapolim vehebãtur:vt ſupremum Nauarchum conſilio, atq; opera adiuuarent. Nec dum menſis effluxerat, cum Turſij Dux cum cætera triremium claſſe cò dem appulit. Arces ternis tormentorum fragoribus venientem claſſem ſalutarunt; quibus mutuæ amicitiæ ſignificatione, quatuor tormentorum diſploſionibus reddita ex more militari ſalus: prętoriaque nauis, qua Auſtriachus vehebatur, inter duo caſtella propè litus anchoras iecit armatis, vndique nauibus vallata: cui innumeri Myoparones popularium pleni ſe protinus circumfundunt acclamantium, viuat Ioannes Auſtriacus, regiorumque auaritiam,duritiem,aſperitatemq;miniſtrorum querulis vocibus incuſantium:quaſi ſuam contumaciam,rebellionem aliorum criminationibus vellent obtegere, omnium malorum in regios miniſtros culpa reiecta. Eodem veſpere, vt Auſtriaci iram lenirent,plurima bellaria ex ſaccaro, & tragemata,ingentemq; fructuum omnis generis copiam illi dono miſerũt, quæ in ſpeciem diſſimulata indignatione, ſibi eſſe accepta, renidenti tamen falſum obtutu mõſtrauit: orarunt que ſupplices, vt è naui in littus exſcenderet, ingreſſuſq; vrbem populum diu illum ſuſpirantem ſuo benigno, regioq; aſpectu dignaretur.

Claſſis Hiſpana Neapolim verſus nauigat.

Plebs Hiſpanica claſſi acclamat faſtum fœliſque.

Verum Prorex cui fortaſſe graue erat, Ioannem Auſtriacum à populo plaudente tantæ lætitiæ ſignificationibus excipi eo rerum articulo Rege maſculæ ſobolis orbo,& apprimè vltionis cupidus Ioanni ſuaſit, ne excenderet. Claſſis enim acceſſu populum terrore perculſum poſita audacia, mitem imperata facturum;neque Regis filij ſalutem temerè inconſtanti,ferocientique multitudini committendam: quæ ſi ſolito animi impetu raperetur, & de qualibet rei aduerſæ vmbra ſuſpicax ad arma diſcurrent; quas turbas excitatura erat? Proinde in ſua prætoria conſiſteret; donec aliquid certi ſeu de pace,ſeu de bello liquido compertum fuiſſet. Sed omninò contraria ſtruebat vltionis cupiditate abreptus infenſiſſimus plebi, quàm & Regis commodum, & vrbis ſalus, pacandæq; ſeditionis ratio poſtulabat. Princeps, viri grauis, diuturnaque rerum experientia conſpicui, & eius vrbis morum, natiuique ingenij maximè gnari conſilijs acquieſcens, clementia, leuitateque, qua ille erat populus demerendus, Proregis vindictæ prurigini, cupiditatiq; poſthabita,ab irato præſide ſe in obliquum abripi paſſus omnia tumultu, ruina, calamitate confudit. Admonitus populus non exſcenſurum in continentem Principem ancipiti pace, dubioq;bello, niſi depoſitis armis totum ſe eius fidei, clementiæque permitterent;ab eo maiora votis, atque omni expectatione gratiora accepturos: frequens in con-

in concionem coit: diu variantibus ſententijs diſceptatum eſt: nihilq; decretum cum nimis periculoſum videretur, traditis armis, ſe Hiſpanorum arbitrio credere: quibus ſi eſſet ſuſpecta populi fides, illis viciſſim plebi infenſis non eſſe fidendum; quibus æquum, faſque fortaſſe videbitur obſtrictam violare fidem Principum more ijs, quos perduellionis reos, rebelleſq; damnaſſent. Tandem Toralti ſedula, efficacique opera factum eſt, perſuaſumque populo, vt minores, maioreſque ſclopos deponerent, eaque tela, quæ geſtari prohibent Principum iuſſa, arci inferrentur: cætera domi priuatim detinerentur, capite daturum pœnas, qui per vrbem ijs armati inceſſiſſent: pugionem, enſemq; cingere, foret innoxium. Vectigalia omnia annonæ impoſita tollerentur; de alijs Princeps pro arbitrio ſtatueret. Omnes toto Regno excederent; quorum ædes, & ſupellex à furenti multitudine fuiſſet incenſa. Vniuerſis præterita piacula condonarentur: paria ſuffragia populus cum Patricijs ferret. Cum his conuentis Toraltus Principem, qui per Naualisporticum arcem nouam ignotus inierat, adit; admonet, ijs maximè conditionibus populum ad fidem rediturum, omniaque ſeditionis fomenta, faceſque extinctum iri. Annuit poſt varia colloquia Toralti petitionibus Princeps, ſanxitque ijs conditionibus pacem. Quod vbi ille didit in vulgus, populus gratulabundus candida per vrbem vexilla pacis inſignia explicare, illuſtrare noctu feſtis ignibus vrbem, & cæteris lætitiæ declarationibus ſua mitia ſenſa teſtari, poſitis armis fidenter ſpatiari per vrbem. Verum omnia ſalubri conſilio compoſita vnius implacabilis ira Proregis euertit. Cui cum grauiſſimum eſſet, tantam præteritam contumaciam, cædes, incendia, per duellionis ſcelus rebelli populo impunè eſſe: cuperetque tot facinorum ab eo pœnas exigere; in Principis animum induxit vilia capita, imbellemque plebem quatuor tantum in vrbem tormentis emiſſis, territam, exanimemque metu ſe ſe illius prorſus arbitrio permiſſuram. Princeps de hoc Proregis ſenſu ad Procerum conuentum retulit, cui pernicioſo conſilio efficacibus, & validis rationibus aduerſati ſunt omnes, præcipuè Cardinalis Triultius, qui ſic dixiſſe fertur.

Pacis conditiones à populo latæ.

Pax cõſtituitur.

Proregis in populũ ira vindictam ſuadentis.

Si quæ improba, ac nefaria iuſtas alicuius Regis iras, implacabile odium, vltionemque merentur; Neapolitani populi certe facinora, execrandaque ſcelera vel ipſam irritare patientiam, atque ad vindictam accendere poſſunt; quibus ſanè nullum dignum eorum atrocitate ſupplitium decerni poteſt, nulla pari illorum magnitudini pœna mulctari. Horret adhuc animus lymphatam illam, furentemque turbam facibus armatam tectis flammas ſubdentem, pretioſam ſupellectilem vecordi contemptu incenſam, inſontium cædes, ſciſſa ciuium capita, raptata per vrbem cadauera, ſpretam maieſtatem, & quidquid immanis feritatis comminiſci, conarique poteſt Buſiridum, Phalaridumq; barbaries. Ego ſanè tam infenſo animo in hos Leſtrygonas feror; vt ſi huic indomitæ belluæ vna ceruix, vt cupiebat illa Cornelia dentata, caputque eſſet, vno pariter illud incuſſo vulnere detruncarem. Verum fieri nullatenus poteſt, vt Hydra noua ſubinde capita pullulans vllis inflictis vulneribus

neribus conficiatur. Demus hoc cæleſti iræ pœnas à noſtris criminibus exigenti, quæ furentis multitudinis rabiem in patritium ordinem, & Regios miniſtros immiſit: eique iam pacatæ, quòd tandem aliquando illa popularis atrocitas procellæ ſubſederit: deferbueritque ardor periculoſiſſimæ ſeditionis, in apertam defectionem erupturæ; ſi quis malus genius efferueſcenti diuturniore fomenta præbuiſſet. Silent noſtro maximo bono territæ plebis tumultus ea ſpe præteritum furorem ſibi innoxium futurum. Poſuit arma, rediјt ad obſequium, quod à Deo immortali precati ſupplices ſumus, omneſque indigetes precibus fatigauimus, vt meliorem inſanientibus mentem darent; vt Regnum priſtinę tranquillitati reſtituerent. En tandem propitia Numina noſtro nos voto damnarunt: votiua appendimus altaribus ſacra donaria: litauimus precibus, votis ſupplicationibus diras auertimus. Quid igitur iterum plagam iam obducta cicatrice ualentem uiolata obſtricta ſacramento fide, rumperę meditamur? vltioniſque dulcedine rapimur in preceps? Multitudo indomitum animal lenibus popiſmatis mulcendum eſt, non fuſtibus aſperandum: recrudeſcit in necem ruptum grauiori affrictu uulnus; aſperiùſque tractatum abit in inſanabile carcinoma. Vbi multitudo ſibi illudi, petique ad pœnam, atque ad ſupplicium cognoſcet, in quantas iras uenię deſperatione exarſura eſt? quas turbas, tumultuſque ciet in omnem efferata licentiã? Non tot mare aduerſis incumbentibus uentis ab imo concuſſum fluctus attollit: quot irritatus populus procellas furore concitus ciebit; qui ut pacari difficillimè poteſt, ita à preterita ſeditione recens adhuc minas ſpirans facilè ad priſtinam redit inſaniam. Turbæ nouarum ſemper cupidę rerum, ſuęque iacentis leuandę fortunę ſpes in tumultibus, ac ſeditionibus eſt; pace intra ſuas ſordes coercetur inuita: non emergere niſi in rebus turbidis poteſt: miſeriarum cathenas rabida mordet; quibus intra ſua inquinamenta conſtringitur: cui ſi ſęuiendi detur occaſio, ſi inconſulto laceſſitur; nulla bellua impotentiùs in Hyrcanis ſaltibus furit; ut plebs irata deſęuit. Adeò ne citò preteriti ſumus eius furoris, noſtrique metus, & conſternationis obliti, eiuſque barbariſſimę immanitatis facinora vix à terrore confirmatis animis exciderunt; vt iterum nocentiſſimum animal nouis vltionis irritamentis prouocare audeamus? Centum, & triginta, & eò amplius armatorum millia expedita in armis tantulis Regijs copijs animus erit inuadere? Ecquota regium agmen populi pars erit? vt illum de ſuis ſtationibus decuſſum cedere pro noſtræ arbitrio iræ poſſimus? Vix quinque bellatorum millia contra innumerabilem multitudinem in pugnam extra munimenta prodibunt. At enim ſunt omnes regij milites veteranæ virtutis, expertique bello, impaudi, animoſi; vnus quinis popularibus in pugna ſufficiet. Plebs verò bellicæ diſciplinæ penitus rudis, martiæ artis ignara, pauida, pugnæ inſolens facili certamine, nulloq; ferè Marte à veterano bellatore fundetur. Sint omnia vera; faciliora nobis, expeditioraque futura credulis animis, quàm ſcimus cupere

figure-

ſiguremus. Profectò multitudo non adeò erit ignaua, timida, iners præſertim ruptæ ſibi ſidei iniuria eſſerata; quin ſingulis pugnis, quæ frequentiſſimæ ſerentur; aliquo ſemper de regijs copijs identidem cæſo, deterat milites de exiguo pugnantiam numero, noſtraſque cohortes imminuat: propediemque continuis prælijs conſumpto milite, Regia pars penitus exarmetur. Cadant ſanè pro vno regio de multitudine plures; grauior nobis erit vnius iactura militis, quàm centum ſuorum populo cædes, cladem nouis ſubinde ſuſſectis bellatoribus multitudine reparante. Nec tantum cum Neapolitana plebe res nobis erit: cæteri quoque Regni populi, quos eadem ſeditionis corripuit lues, in arma conſurgent; qui ſi nos decepta ſide à capite vltionem ordiri, in reliquos etiam ſæuituros conſpicient; deſperata præteritorum ſcelerum venia, ſociatis armis, ſubmiſſiſq; ad vrbem principem auxilijs, communem cauſam tam fortiter, quàm infenſè, iratèque tuebuntur; & quam facinorum gratiam pacatè obtinere non poſſunt, allato maiori terrore, grauioraque auſi violentiùs extundent: ſparſiſque toto regno ſimul pluribus bellis, eiurato rege, rebelles Hiſpanos vbique armis inceſſent. Verum è tribus arcibus in vrbis tecta tormentorum fulmina tonent; diruant inuiſæ plebis domicilia, populum frequentibus ictibus terreant. Quid tum? quos profectus huiuſmodi vltionis cupidinis oſtentatio habebit? quam ſtragem populi dabunt tot ingeſta miſſilia? vnæ, aut alteræ dirutæ ædes in rabiem magis multitudinem agent, quàm in vii telorum iaculatione terrebunt. Præter id quod nullis deſtinatis ictibus, ſed temerè in incertum contorta fulmina à regijs partibus ſtantium domicilia forſitan demolientur; vel eorum, qui adhuc in ancipiti fluctuantes non omnem erga Regem ſidem penitus exuerunt; eoſque immeritos hæc offenſa, iniuriaque omninò à Regis obſequijs alienabit. Etiam, atque etiam vide, Prorex, ne iſto tuæ implacabili impetu iræ rem vniuerſam præcipites. Indulgentia melius res, quàm rigore in huiuſmodi rerum articulis adminiſtrantur. Ad aliquid conniuendum eſt immo diſſimulandæ contumeliæ, præmendaque ira, vt grauiora damna vitentur. Multitudini praeferoci, numeroſæ adhuc à recenti cæde calenti flagitiorum condonandæ ſunt pœnæ, ne ad acerbiora, atrocioraque audenda compellas. Iuſtus ſanè tuus eſt dolor, iuſtæ querelæ, æquaque indignatio, & vindictæ cupido non improba; ſi vltione domari poſſet valida contumacia; at cum magis verendum ſit, ne acerbiùs aſperetur, tu conſultiùs facies; ſi iſta tuæ vltionis ſolatia, noxiorumque pœnarum voluptatem Regis obſequijs, regni ſaluti, atque huius vrbis incolumitati deuoueris.

Alÿ mitius cum populo agendum ſuadent.

Alij, quoque ſubtexuerunt, Populum non contra Regem rebelli auſu arripuiſſe arma; ſed in Nobiles ſæuijſſe, fouendaque potius huiuſmodi diſſidia, quàm comprimenda, ne ſimul ſociatis viribus in rebellando conſpirent. Regias vires non eſſe adeò firmas, vt innumerabilis populi impetum frangere poſſint: non eſſe irritandos iam efferatę plebis animos, neq; eorum ciuium conſtantiæ, qui præterita ſeditione à Rege ſtetiſſent, magnopere fidendum: nullatenus certè in ſuæ excidium Patriæ conſenſuri, immo pro eius ſalute ſuos ſpiritus deuoturi. Hiſpanos totius regni incolas maximè

pero-

Digitized by Google

peroſos eſſe, in ipſos, ſi patriam bello quatere auderent, omnes ad regiæ claſſicum vrbis ruituros in arma. Hiſpani Regis nutantibus rebus, atq; hinc inde prouincijs rebellantibus, non eſſe noua bella ſuſcipienda. Satis Luſitaniæ, Laletaniæque rebellium contumacia inuectas totis Hiſpanijs calamitates docere, non eſſe ſeueritate, atque inclementia populos irritandos, qui iam ſeditionis peruicacia, ferociaque efferatos animos imbuiſsent. Verum Prorex nihil his rationibus motus acriùs inſtitit, vt populus ob præteritæ ſeditionis facinora puniretur; diſertè eſſe ſatiùs aſſirmans, omnia ruere, quàm ſinere aliquid de regia dignitate, authoritateque decedere: peracriq; oratione ſic cæterorum ad vindictam animos inflammauit.

Qui inſolentiſſimæ plebi ignoſcendum, condonandamque tot illi facinorum, læſæque Maieſtatis pœnam ſuadent; ne illi in procaciſſimam populi fęcem omni ſuppliciorum genere deſæuirent; ſi ijſdem, quibus ego anguſtijs preſſi fere precarium ad ſordidiſſimi vulgi arbitrium ſpiritum, vitamque duxiſſent. Nullum feritatis in Hiſpanos, nullum in Regiam maieſtatem contemptus, nullum inſolentiæ, procacitatiſque in patritios, regioſque miniſtros exemplum acta retro ſecula horruerunt, quod huius deſpicatiſſimæ plebis barbaries non ediderit. Quoties ego tumultuantium globis circumuentus vix eorum violentas manus effugi? Quoties ipſam irrumpentes in regiam, nequicquam obluctantibus prætorianis, me minacibus obnuntiationibus terruerunt? vt per poſticum ab imminenti mortis diſcrimine in religioſorum cœnobia fuerit elabendum? & quò ego indulgentior, mitior, & lenior eorum ferocia tractabam ingenia, eò illi contumaciùs, inſolentiùs, contemptiùſque furebant. Seceſſi in ſecretiora prætorij conclauia, illi minaces inſtant; in cœnobia effugi; acriùs urgent, in latebris delitui, ſagaces venantur, in publicum prodij, acerbiùs premunt: vt non vectigalium immunitatem, ſed ad necem, ad ſupplitium me quærere viderentur; & niſi aliquot patritiorum manipuli ſubſidio celeriter feſtinaſſent; tantum non in ſuo Prorege regiam maieſtatem violaſſent; & cum nuſquam tutus in vrbe conſiſtere poſſem, mihi fuit fugiendum in arcem ſupernè bacchantem per omnia plebem ſcelera deſpecturus. Quæ tum impudenter omnem exuta reuerentiam effreni licentia auſa ſit, oblata adhuc præteritorum facinorum mentibus ſpecies inſolito omnium horrore pectora quatit. Regia in ciues vſurpata poteſtas, vendicatum ſibi vrbis, atque adeo regni totius imperium, erecta ad reddenda iura in foris, plateiſque tribunalia, Hiſpani tota vrbe cæſi, ciuium nulla praua quæſtione, capita detruncata, regiorum viæ, compita cruore madentia, crebri in noſtras ſtationes, atque arces ſeditioſorum aſſultus, minæ, contumeliæ, conuitia, indulgentiam, veniamque merentur? hæc ſocordi, inertique patientia diſſimulanda? hæc indecorè fœdè, turpiterque ferenda? Promiſi, fateor, nimis dicam ne facilè, an demiſſè præteritorum ſcelerum veniam, ſi reſcipiſcerent; omnia prorſus ſuſtuli vectigalia; ne furenti multitudini obſiſtendo, pernicioſiores ſeditionis flammas accenderem: ſæuientemque vltrò belluam, adactis vulneribus, irritarem: non tamen ea mente, vt tot flagitia paterer impunè futura: cum infidis præſtanda fides non

ſit,

ſit, nec violentia extorta ſeruanda promiſſa. Vtinam mea clementia, diſſimulatio, patientia eorum efferatos animos molliſſet, vt iam expleta inſontium nece ira, effuſoq; ædium ruinis, incendijſq; rerum veſaniæ impetu, ad ſaniorem mentem, debitumque Regi obſequium rediſſent: ſed impotentius, ſi quando alias humana, Diuinaque iura aſpernati, maieſtate contempta, in omnes inuiſos inaudita ſæuitia pro libidine graſſabantur. Et hæc immaniſſimæ feritatis piacula impudentiſſimæ plebeculæ impunè cedent? hæc nulla pœna, nullo ſupplitio plectentur? Scilicet in poſterum Hiſpana arma pauebunt; Regiam maieſtatem verebuntur, regentium imperijs audientes erunt, dominationis iugum patiente ceruice ferent, ſi immania, omnibus digna ſupplitijs auſos inulti patiemur; ſi velut timidi lepores intra arcium munimenta delitebimus; ſi precario regnabimus. Quin Regiæ vindices maieſtatis in ſeditioſos ſtringimus ferrum? & à noſtris ſtationibus, ab arcibus in rebelles tormentorum fulmina iaculamur? atque ad tot vlciſcendas iniurias nobis animos non deeſſe monſtramus? Maiori audacia noſtro timore ferocient, ſi ſuas æſtimari vires, ſeq; nouerint metuendos. Præter id quòd regię maieſtatis decus, & exiſtimatio non patitur ſuas offenſas inultas, ſeditioſorumque contumaciam rebellioni affinem nullo coerceri ſupplitio; ſed exigit ad retinendam imperij dignitatem, vt arma in ſeditioſos acuamus, rebellemque vrbem ex omnibus arcibus tormentorum fulminibus, concutiamus; vt diſcant tandem nulla rebellionis inditia, nedum ipſam in imperantes procacitatem, refractariamque inſolentiam ſine ſua pœna futura. Quos ſermones alijs Principibus prębebimus? quam noſtri cauillandi, irridendique anſam alijs gentibus noſtra timiditas daret; ſi Hiſpana contumelię impotens natio ſuę ferociæ, ac dignitatis oblita abiectiſſimæ vulgi fæcis offenſas ſilenti animo pateretur: niſi acerrima ſui vindex raptis armis efficeret; vt Neapolitanam plebem Hiſpanos laceſſiſſe, ſpreuiſſeque pœniteret? Expectate ab inſolenti, contumacique vulgo grauiora; niſi de pręteritis auſis pœnę ab illa debitę exigantur. At enim Regię copię exiguę numero armatę multitudinis impetus ſuſtinere non poterunt: obruent tantulũ agmen plebeiorum examina. Veteranus igitur miles ex ſtationum munimentis quaſi ex tuto pugnans inconditę turbę temere ſine duce dimicanti cedet? Taceo omnẽ patritiũ ordinem à nobis ſtare, pro nobis nobiles, & proceres pugnaturos: in quibus ve ſumma ſunt omnia, ita præcipuè bellicę virtutis gloria fulgent: dum noſtri milites nullo irrito vulnere, vt in confertam multitudinem tormenta diſplodant; nos ab arcibus aſſiduis miſſilium iaculationibus vias, compita, fora ipſa interiora conclauia non modo infeſta habebimus; ſed etiam à culmine diruemus. Plebs tormentorum tonitruum inſolens manus protinus trepida dabit, ne tectorum ruinis fulminum iactibus obruatur. Si nullum aliud huius oſtentatio vltionis fructum ſortietur; nos ſaltem non ita ſtipites, aut ſtupidi ſenſus eſſe prodet; vt iniuriarum immemores eas vlciſci timidi, abiectique animi non audeamus. Quæ nobis apud populares deinceps authoritas erit? aut quæ bellicæ exiſtimatio virtutis, ſi pauidi ab eorum inſolentia latibula quærimus? niſi pro Hiſpanici nominis dignitate in contumaces ſtrenuè dimicabimus? Eò exceſit plebis te-

bis temeritas inſolentiæ; ut regio miniſtro, regniq; præfecto ipſius perſona Regis agenti audeant dare leges, accipere renuant contumaces. Aliquot prius uectigalium flagitant immunitatem, eorum uotis indulgeo, omnia aboleri cõtendunt; eorum obſequor uoluntati: Caroli Quinti priuilegia repoſcunt: ipſum authographum refoſſum ex latebris trado: ad eorum circumferor nutus, et ſequor arbitria. Quid igitur adhuc inſaniunt, minantur, inſtant; niſi quia rebellionem circumſpectant? Ea igitur fortiſſimi uiri in abiectiſſimam plebem ſtringite ferrum, tormẽta diſplodite, Regiq; in me eius miniſtro illatas iniurias ſtrenuè uindicatæ.

Vindicta in rebelles decernitur.

In hanc ſententiam à quibuſdam alijs pedibus itum eſt, & preſertim ab ipſo Principe, vt regij ſpiritus iniuriarũ impatiente Proregi plebis rebellantis ſcelera iratis vocibus exprimẽti aſſenſũ. Decrera igitur populi mulcta, vt in vniuerſos ex regia dignitate animadnerteretur; cogerẽturq; vel inuiti arma deponere; cõuenere duces, vt omnia imminẽtia vrbi loca à regijs cohortibus occuparentur; ne populus in ijs tormenta librata in inferiora diſploderet. In arcem callidè ipſi populi duces, & electus Franciſcus Arpaias acciti, admiſſiq; pecunia, atq; ingentib. ſpeb. iniectis à Prorege corrupti pro miſerãt, cũ pluribus alijs, quorũ vectigaliũ prouẽtus intererãt; ſe cõtra ſuos populares ituros. Verũ quia Prorex Toralti ſummi populi ducis bellicę rei, militariſq; diſciplinæ peritiã; vt pote qui longo bellandi vſu edoctus omnes Martis artes didicerat, metuebat; in prætoriã nauim à Principe accerſit' colloquij de reb. præſentib. ſpecie, ibi detẽtus eſt, ne populus tãti viri, primæq; famę ducis cõſilio, opeq; vteretur. Tertio igitur Nonas Octobres ſub decimam, & ſeptimã diei horã, dũ poſitis armis priſtina quies fulſiſſe, pacataq; omnia viderentur; à regia claſſe tormentorũ miſſilibus vrbs cępta pulſari; atq; à trib. arcib. eodẽ tormentorũ impetu quati. Erumpunt ſimul Hiſpani, atq; Itali milites in populariũ ſtationes; Lucullianũq; tripartito accerrima impreſſione adoriuntur. Non arduũ fuit eo improuiſo, inopinatoq; impetu ſubito terrore attonitos populares inde deijcere. Eodẽ momẽto omnes alię vrbis ſtationes à regijs inuaduntur. Ibi ſtrages, cędes populariũ, nõ pugna fuit; cũ ea repẽtina impreſſione turbati, metuq; pculſi, neq; arma expedire, neq; in ordines coite, neq; explicare cõſilia, opportunaq; dare mãdata cõfuſa mẽte poſsẽt. Receptis tamẽ vtcũq; animis, cõfirmatiq; ab eo ſubito metu ad arma diſcurrũt, coeũt in cohortes, & raptim denſantur in agmina; frẽ denteſq; ira, atq; conciti rabie quacunq; furor agit, contento curſu rapiuntur: irruunt nulla ſalutis cura in ſtipatos Hiſpanorum ordines, vt amiſſa loca recipiant: adeoque horribile, cruentumque certamen efferbuit; vt confuſa rerum facie, ad ſuum chaos ruere natura videretur. Horrendis tormẽtorum tonitruis, ac fragoribus circumiectis collibus multiplicatũ reddentibus tonitru, obſurdeſcebãt aures dimicantiũ. Ab arcib. à claſſe frequentia in vrbẽ fulmina torquebantur. Bõbarũ iactus formidabili ſibilo per aera volitantiũ, ignea miſſilia, vibratę faces omnia pedore, fumo, ac terrore cõplebant. Tot flãmarum iaculationibus cęlũ ardere, vel ex Inferis erupiſſe nefarij manes ad orbis incendium viderentur: omnia morientiũ gemitibus,

Vrbs tormẽtis diruitur

Cruenta popularium cum Hiſpanis certamina.

Bbb ſaucio-

Digitized by Google

Neapolis varia confuſio. ſauciorumq; vlulatibus mulierum, puerorumq; permiſtis planctibus perſonabant. Tota vrbe horribilis rerum facies, miſerabiliſq; aſpectus, vel bellatores fortiſſimos terruiſſet. Horrebant omnia cędibus, cruore, ſtratis paſſim cadaueribus. Nuſquam tuta ſalus ſupernè in ſubiectam vrbem arcibus ferrea cum tectorum ruina pondera iaculantibus. Populus anguſtijs vndique circumuentus, neceſſitate ad ſalutem tuendam, propugnandamque patriam ingenium acuente publicas vias tumultuaria obmolitus munimenta, tranſuerſiſque trabibus claudebat: ipſis curribus deliciarum quondam inſtrumentis ad propugnacula, ad cæſorum feretra, ſauciorumque vehicula vtebatur. In tanto rerum turbine, atrocique ſpectaculo cadentis patriæ fœminæ non ceſſabant; ſed è feneſtris in prætereuntes, quos plebi infenſos, hoſteſque norant, lapidibus, lignis, fictilibus, feruentique aqua, varioq; miſſilium genere dimicabant: tantaq; damna hoſtibus inferebant; vt Prorex ad eam peſtem auertendam quingentos Belgas ad eas ædes incendendas, caſtigandamque mulierum audaciam iuſſerit feſtinare. A claſſe, & ab arcibus iteratis tormentorum pulſibus Carmelitarum propugnaculum petebatur, ſed exiguo detrimento; qua miſſilium procella celebre Diui Martini cenobium concuſſum ſedè labefactatum eſt. Creſcentibus interim magis, ac magis armata cum multitudine animis, deſidenteq; metu, quòd ab arcibus excuſſa fulmina innoxia plerumq; inciderent; omiſſa arcium expugnatione, alias Hiſpanorum ſtationes violentiſſimo impetu aggrediuntur: non tam ingentibus animis vltionis ardore ſuccenſis, quàm indomitis viribus à popularibus pugnabatur. Præcipuè ad grani foſſas extra Diui Spiritus vrbis portas eorum inuicta ferocia emicuit: vbi poſt acerrimum, obſtinatiſſimumq; certamen ſępius repulſis viciſſim repellentibus hoſtem, iterato frequentiùs impetu, tandem multa cum cæde nobiliũ, & procerum, ex Ioannis Principis aula deiectis præſidiarijs, eo ſitu potiti ſunt. Nullus vſquam populus in ſuos Principes efferatior inſanijt. Vndiq; armata plebeiorum agmina confluebant: deſperato vitæ contemptu in media præſentis mortis diſcrimina præcipites ferebantur. Tanta popularium inuicta ferocia territos Hiſpanos pernicioſo Proregis conſilio paruiſſe pœnituit: aduerſo omninò ſuæ ſpei ſucceſſu populi contumaciam ſuis vlciſcentibus armis; cum ipſum formidine attonitũ, trementem precariũ ſpiritũ à ſe petiturum ſperaſſent: quem tamen ferocientem, violataq; ab ipſis cõuentorum fide aſperatum, furentem bellico ardore, pugnamq; ſtrenuiſſimè ineuntẽ eſſent experti. Quare ne magis obſtinatior vltionis cupiditas populũ efferarret, acerbiorq;, ac proinde componendarum rerum ſpem omnẽ pręcideret; intermiſſa ab arcibus tormentorum tempeſtate miſſiliũ, candidoq; vexillo prolato, populũ ad paciſcendas inducias, vel ſanciendam pacẽ inuitãt. Verũ ille indignatus Hiſpanorũ impudentiã, perfrictaſq; frontes, qui ſe in eorũ quieſcentẽ fide ſicut nullas ſtruentẽ, ita nullas metuentem inſidias per ſummã iniuriam, perfidiã, & fraudẽ adorti poſtquã ſuas iras in caſſum effudiſſe, cæderéq; populũ ſua exiſtimatione imbellẽ pro ſęuitiæ arbitrio nequiuiſſe

Mulierum vrbis ferocia.

Populares Hiſpanorũ ſtationes aggrediuntur

Hiſpani populum ad pacem inuitant.

Digitized by Google

uiſſe vidiſſent; pacem impudentiſſimè poſtularent. Propoſitis igitur rubeis, nigriſq; vexillis, animorum pugnā depoſcentium, mortemq; non deprecantium inſignibus, ad certamen fœderis ruptores laceſſit. Verū Hiſpani hoſtilibus abſtitere, ſi fortaſſe quos vis percellere non potuit, patiētia, moderatioq; vinceret. Nihilominus populus adeò implacabili, præcipitiq; ira in Hiſpanos rapiebatur; vt acerbiſſimis pęnis indictis, vetuerit, vel de tranſigēdo de pace cogitare, ne dum loqui, aut aliquid de conciliando cum Hiſpanis populo effari. Ex hoc euentu plebis rabiem, efferumq; ingeniū diſce, lector. Quibuſdam Popularium forte exciderat, expedire pro liberorū, vxorumq; ſalute aliquot dierū inducias cū hoſte paciſci: cæteri his imbelliū vocibus irati facto in eos impetu, trucidarunt: elatis clamoribus ſatiùs, honeſtiuſq; eſſe mortem ſtrictis gladijs pugnando millies oppetere; quam Hiſpanorū perfidiæ ſe credere. Qua populi efferatiſſima rabie conſpecta Princeps, cęteriq; regij miniſtri Proregem, quòd pernicioſo allato conſilio omnia in præceps dediſſet, maledictis proſciſſum acerbiſſimè deteſtantur. Ab ea pugna ſuperſtites milites naues conſcendere iuſſi, claſſiſq; procul à litore, extra tormentorum ictus Baias verſum abducta.

Populus bellum depoſcit.

Pacem, & pacis mentionem exhorret.

Populus nec ceſsāte ab hoſtilibus hoſte, mitior duo edicta vulgauit; quorum alterum omnibus necem, vxorum, liberorumq; fratrum, ſororum cędē obnuntiabat: qui pro patria pugnare, atq; arma induere renuiſſent: alterum quinque aureorū millium præmium illis decernebat; qui aliquē è regni proceribus, dynaſtiſq; occidiſſet, eiuſq; caput Populo attuliſſet; eorum famuli, domeſtici, aut aſſeclæ interfectori quingentos aureos ſtatuebat. Tanti exanima hoſtium capita vltionis cupido licebat. Ea erat populi rabies, vt acceptis cladibus exultaret, vt maiora inde ſumeret vindictæ irritamenta. Dirutæ bombarum ponderibus ædes, lacerata tabulata, tectorumq; ruinæ ſolatio erant: quibus grauia pro patria pati iucundum erat, acerbioreſq; acuebant iras, vt acriùs, maioriq; iure in Hiſpanos ſæuirent, ſuoq; natiuo in Hiſpanos odio iniuriarum vltionem obtenderent.

Poſt hanc bidui pugnam ſtrata totis vijs cadauera tormentorum ictibus lacerata iuſtis Chriſtiano ritu perſolutis, ſupremo ſepulchri honore habito, condita ſunt. Minor certè clades quàm pro illius atrocitate procellæ, horrendoq; bidui certaminum fragore, & parcior communi ciuium exiſtimatione cędes, ob exigua, quæ arces intulerant, detrimenta.

Populariū clades.

Populus ad omnia belli mala infractus animis indomitus, & terribilis tātum non fame extabuit, & victus inedia ceſſit; ſed huic quoq; malo conſultum vrbis portis occupatis, per quas in vrbē cōmeatus affluēter admiſit: cū vicini agreſtes intermiſſa agricultura, in populi ſubſidiū cōquiſita vbiq; alimenta in vrbē intulerint. Eadem cōmeatuum penuria claſſe laborante, Princeps duas triremes, cū ingenti Anglica naui præſidiaria, ad cōuehendas farinas ad Stabias miſit; quarū captiui cæſo nauarcho, pręfectoq; remigū, ſolutiſq;, atq; perfractis ſociorū vinculis, cum triremibus ad populū transfugerunt; earū tormentis in litus extractis, maiori impetu populus arces ag-

Caſtell' à Mare.

Digitized by Google

greditur, iã alijs vrbis ſtationibus ab Hiſpanis deſertis, quas contrà cęca rabie irruentiũ popularium violentiã male poterant propugnare. Non ſolũ armis, ſed etiam edictis, & ſanctionibus pugnabatur. Plebiſcito cautũ eſt, ne quis Patritius milites domi aleret: cõtumaces ſeueriſſimis pęnis ad arbitriũ mulctarentur. In Matalonia ducẽ iterum edicto ſæuitũ eſt, decem aureorũ millibus eius caput populo licitato. Verum cum rei bellicę, miliiariſq; diſciplinæ inſciæ multitudini imperator deeſſet; quãuis ferociſſimè dimicaret, tumultuaria tamẽ prælia nullo ordines ducente, ciebat; quibus numero ſupplente peritiam victrix ſanè Hoſtẽ, ſed multa ſua cũ ſtrage fundebat. Aptãdum tam vaſto corpori ſciens rei bellicæ caput, quod tam grandẽ regeret molẽ, ne ſuo oppreſſa pondere collapſa periret: eò magis, quò periculoſius nõ Hiſpanorũ modò, nobiliũq; inſidijs, ſed etiã ſuorum populariũ inteſtinis proditionibus peteretur: Romam ad Guiſiũ ducẽ, Gallumq; Legatũ, & ad purpuratos patres Gallicæ gentis ſtudioſos miſſi Legati oratũ; vt Neapolitanũ populũ in fidẽ reciperent; ſuiſq; ſubſidijs, ope, conſilioq; tuerẽtur. Galli proceres, quorũ permagni intererat illud regnũ pulcherrimum Hiſpani diadematis ornamtẽum Regem acquirere; occaſionẽ cupidè amplexi nũtios bonis diſtinent ſpeb. donec Regiæ aulæ hac ſuper re ſtatuta afferrẽtur. Interim dum Regis reſpõſa expectantur; quotidie coeunt in cõſiliũ inuicẽ conſulturi, quid facto, maturatoq; opus ſit, vt Neapolitanorũ rebellionẽ ſuſtineãt. Non ideò tamen dũ Gallorum flagitãt auxilia, dum ſũmum ducem depoſcunt, ceſſant ab hoſtilibus populares; ſed ardentiſſimè ſi quando alias ſuæ patriæ acerrimi vindices cum Hiſpano decertant; prolatiſq; tormentis, Sancti Hermetis arcem frequẽti miſſiliũ iaculatione diuerberant: at cũ tormentorũ pulſus męnia leui concuſſu præſtringerent, quò faciliùs illa funditus ſubruant; ſub Ieſu, diueq; Claræ templis aliquot cuniculos agunt: quò ijs ſolo æquatis; turres quoq; prociderent, è quibus ab Hiſpanis miſſilibus inceſſebantur. Toraltus ne longè pulcherrima vrbis templa cuniculorũ impetu diſiecta corruerent; ſuorũ fidiſſimis imperauerat, vt aliquo aſtu irritam cuniculorũ violentiã auerterẽt. Illi tormentarij pulueris cados humore corrumpunt, arenamq; miſcent. Dum populares vnius impetũ cuniculi, erũpẽtiumq; flãmarum euentũ expectant; nec admoto accenſo funiculo, puluis vllum concipit ignẽ: fędati humore cadi, immiſtaq; arena inutiles deſtinato operi comperiuntur. Quamobrẽ populus in Toraltum ingẽti ira ſuccenſus, quòd ab eo deceptus proderetur: habita de eo diligenti, atq; accurata quæſtione Ianuario Anneſio, & Marco Antonio maximè vrgentibus, cõpertus cũ Prorege cõſenſus, atq; in populi excidium conſpirationis decimo Kal. Nouẽbres ſecuri percuſſus, abſciſſo capite diu tetro, fędoq; ſpectaculo in caput perduelliũ pęna è patibulo religatus pede pependit: extractũq; pectori cor, quęq; vltima barbaries, ipſaq; Antropophagorũ feritas, atq; immanitas facere ſuſtinuiſſet, eius vxori Principi mulieri ferali dono miſſũ. Quid ab innocente Matrona peccatum eſt; vt obiecto miſerabili ſui exenterati viri aſpectu viſcerum acerbiſſimo eam dolore, cruciatuq; exanimarẽt? Sed

Populi edicta.

Populus ſibi Ducem Guiſium depoſcit.

Populus Diui Hermetis arcẽ oppugnat.

Toralti ſupplicium.

Populi immanitas, ac barbaries.

ea erat

Digitized by Google

ea erat populi rabies, vt neque proprijs liberis pepercilſent, ſi in Hiſpanos inuiſiſſimos hoſtes vel parum propenſos cognouiſſent.

Aliæ Regni Vrbes rebellant.

Ad Neapolis regiæ vrbis tumultus rumorem quaſi ſerpente rebellionis contagio, aliç quoq; vrbes in ſeditionem verſæ non modo vectigalia pendere recuſabāt; ſed etiam arreptis armis necē Hiſpanis miniſtris, præſidijſq; intentabāt: eoq; populorū cū Principe vrbe rebellātiū rapido torrēte totū regnū abreptū, atq; obrutū perijſſet: niſi Hiſpani ſagaciſſimo aſtu, exactiſſimaq; prudētia patritiorū, dynaſtarūq; ordini omnibus honoribus, beneuoliq; animi ſignificationibus adblāditi diſſidia inter eos, & populū alere ſtuduiſsēt. Itaq; nobilib. militares dignitates partiri, legionū chiliarchos, equitū magiſtros dicere, rei tormētariç prçfectos iubere, vt ijs bellicis honoribꝰ deliniti alacriùs pro Rege, Hiſpaniſq; ſtarēt: & vt profuſis in ijs muneribus honorificè obeūdis ſuis fortunis, exhauſtiſq; opibus enerues, imbecilliq; nihil noui moliri auderēt. Qui ſi ſuas vires cū plebe, potētiaq; ſociaſsēt; cōclamatū ſanè pro Hiſpanis regnū fuiſſet. Vrbs Capua eius belli armamentarium, excipiendiſq; patritijs decreta eſt: quæ, & ſi ſimplici muro, atq; antiquæ ſtructuræ turribus valletur; magni tamen in id bellum momenti fore putabatur, cum in ſiniſtro Volturni ſita litore quindecim paſſuum milia tantum procul Neapoli non ſolum vicina oppida continebantur in fide; ſed etiam Neapolim commeatibus intercludebat: quo vnico incommodo populi feritas, inſolentiaque coercetur. Nullo enim acerbiori, potentiorique telo plebis domita vincitur peruicacia, quàm fame.

Hiſpanorū politica.

Capua belli armamentarium.

Lecce.

Proceres in populum armantur.

Comiti Cuperſani imperatum, vt quā primū Aletiū profectus quā poſſet maximum è ſuis villis militum numerum centuriaret. Michael Piguatellus in Brutios ad conducendos milites, habendoſq; popularium delectus proceſſit. Matalonię Dux omnium populo inſenſiſſimus dynaſtarum ſummo animi ardore inſtitit vndiq; cogere peditum agmina, & equitum turmas; quibus cum Didaco Aualo propè Neapolis portas prouectus circūſpexit, ſi quam alicuius rei benegerendæ fortuna opportunitatem obijceret. Sed erumpens ex vrbe cum valido popularium agmine, ille Lanio, qui Ioſepho eius fratri caput abſciderat, Ducem Capuam profugere compulit. Abellini, Belmontiſq; Principes cum Celani comite, alijſq; proceribus, vbiq; pro Regijs partibus milites authorabāt. Caſtrorū prçfectus Frāciſcus Boccapianola qui in Aletij, Barijq; agris in rei bellicę procuratione eius tractus militū delectibus præerat, totus in eo erat, ne quid turbarum in ijs partibus oriretur. Andriæ Dux coacto quingentorum peditū, & totidē equitū agmine Attellas ſeceſſit; in qua aliud belli armamentarium ſtatutum erat, quòd Neapolim, & Capuā interiecta affligēdę domināti vrbi erat maximè opportuna: qua domita, cæteræ quoq; vrbes excuſſum ſubituræ iugū rurſus erant. Martinæ quoque dynaſta cum valido militum agmine, ſicut eaſdē Attellas alij Principes, & proceres conuenere, Forini videlicet Colobrani, Mondornici, Sancti Archangeli, Montis Sarchij Principes, qui proprio ære ad peditum mille, & equitum duo millia authorarunt.

Auerſa.

Digitized by Google

Quibus cum ſupremus ductor deeſſet; illum Proregem popoſcerunt. Carolus Gatta ijs copijs præficiendus erat; ſed cum eius vxor à populo in vinculis haberetur, ne dilectæ caput vxoris ſæuitiæ plebis obijceret, eam præfecturam recuſauit: præter id quod non benè ſecum à Prorege actum querebatur. Plures in Cardinalem Triultium animos, oculoſque coniecerāt: ſed cum Siciliæ regno ſumma cum poteſtate præſideret, non è ſua dignitate videbatur alieno ſe imperio ſubijcere. Alij quoque veterani duces huic muneri deſtinabantur, ſed cum non eius dignitatis, authoritatiſque eſſent, vt eorum auſpicia ſequi milites vellent; Prorex Vincentium Tuttauillam totius regni equitum magiſtri legatum ſibi fidiſſimum illis copijs præfecit: qui, etſi non multum acceptus proceribus videretur, ac proinde veritus Prorex ne eius ducis indignarentur imperia, & iuſſa negligerent; effecit, vt Princeps Ioannes illum efficaci diplomate ſuum legatum nobilium exercitus iuſſerit. Tuttauilla igitur ſplendido comitatu ſeptus ad ſuum munus obeundum Puteolos nauigauit: inde cum ducentis equitibus, & peditibus trecentis, qui venienti obuiam proceſſerant Caſale vicum, qui popularium præſidio tenebatur, inter Puteolos, & Attellas aggreſſus; vt magis inde Neapolis premeretur, decuſſo ex ea ſtatione hoſte, loco potitus; poſtera die mane dum cœptæ inſtat viæ, in inſidias, quas eius loci incolæ cum aliquot popularium cohortibus ſtruxerant; lapſus, aſſilientibus vndiq; ex latebris hoſtibus ad trecentos ſuorum amiſit, & inter hos Ferrantem Molinam vniuerſi Campani equitatus Conquiſitorem. Quatuor quoque muralia tormenta victor hoſtis eripuit. Verum rurſus victi compoſitis, quos improuiſus diſiecerat impetus, ordinibus, denſatoque agmine ferociores, accepta irritati clade irruunt in populares, repoſitaque fere pari ſtrage, tria ablata tormenta recipiunt; lętique vlti ſociorum necem Attellas nullo alio accepto incommodo peruenerunt. Ibi ſtatim ducum, & procerum de belli adminiſtrandi ratione habitus conuentus. Decretùm eſt omnium conſenſu, vt vicina oppida, pagi, villæ regijs partibus adderentur: in contumaces omni belli clade ſæuiretur. Nola ſubitò paruit circumiecta loca non auſa obſiſtere in antiqua erga Regem fide perſtitere: defectionēque meditantium tam è propinquo regijs frementibus armis iam ſurgens audacia compreſſa.

Tuttauilla procerũ copys præficitur.

Tuttauilla in inſidias ruit.

Incolumis Attellas peruenit.

Populares non iam amplius domi intra tantum vrbis ſepta bellabant; ſed foras etiam eorum in Hiſpanos rabies erumpens; ac ſi in Belgio militarem diſciplinam, artemque bellicam didiciſſent, qui nunquam à ſuis officinis procul abſceſſerant; regios vbique ferociter oppugnant. Nam Scafati Turrim in maris litore ad ſurgentē ſolem exſtructā circumfuſis copijs vrgebant. Quo cognito Tuttauilla expedito agmine ſubſidio feſtinans in trecentos incidit populares, in quos ſubito inuectus poſt duarum cruentam horarum pugnam, cæſis ad quingentos plebeis, in Vicum irrupit. Plures captiuos, & bellicum apparatum, & murale tormentum abduxit. Inde vltra progrediens nullo Marte Locrorum, ſeu Herculanei turri potitus

Torre del Greco.

Digitized by Google

tus Martinæ Ducem præſidio præfecit. Alij nobiles alibi toto regno ſibi mutuo ſubſidio erant; collectiſque ſuorum vectigalium, & ſequacium cohortibus, prouincias ad rebellionem ſpectantes continebant in fide. Populus Marcum Antonium Brancaccium Hiſpanis iuxta, ac patritiorum ordini infenſum, quòd ab illis veluti perduellis, & exul Neapolis conſeſſuum honore priuatus, & ab Hiſpanis caſtrorum præfectura exauthoratus ad Venetorum ſtipendia transfugere coactus eſt, cæſo Toralto ſuffecit: quod veteranus miles,, diuturnoque bellandi vſu diſciplinæ militaris expertus bellum ſumma peritia adminiſtraturus videretur. Hic tantos Hiſpanorum bellicos apparatus, & maximos patritiorum, aliorumque populi hoſtium conatus intenta cura expendens; præſentium rerum ſolicitè pondera librans, cum eius res labi, ruereque prorſus neceſſe eſſet, niſi alicuius præpotentis Principis auxilijs, & fauoribus fulcirentur; populo ſuaſit, vt Guiſium Ducem ſibi Imperatorem depoſceret: vt pote qui, & Galli Regis affinitate, & proprijs opibus, ſuorumque popularium clientelis potens valida in Italiam ad expetitum toties Gallicis armis regnum, nunc vltrò oblatum ad noui belli famam tracturus erat ſuæ gentis agmina. Plebiſcito igitur ſtatutum eſt, vt Romam ad ipſum Guiſium per Nicolaum Mariam Manaram Populi ſupplices literæ perferrentur: quibus cruentis lachrymis madentibus oculis rogabatur, vt ad populum in ſuam fidem receptum ſuo conſilio, authoritate potentia tuendum Neapolim proficiſci ne grauaretur: neque oblatum paludamentum, ſupremique ducis honorem reſpueret; ſed Aurantij ducis ſequutus exemplum, ſicut ille Batauorum patrocinio ſuſcepto, ſuos populares ab Hiſpanorum imperio ſtrenuè vindicaſſet; ita ſe ſupplices tendentem manus, eiuſq; fidem, auxiliumque implorantem, ſub Galli Regis tutela, potentiaque ope promiſſa leuaret. Iam Guiſius officij, humanitatis, ſpeique, & promiſſionum plenas ad populum literas dederat cũ hac epigraphe. Sereniſſimæ, regiæq; Monarchiæ, & Neapolitanæ Reipublicæ. Quo inſigni, magnifico, ſplendidoque titulo, vbi ſe in Carmelitano templo, in quo publicæ literæ legebantur, compellari populus audiuit, ab vniuerſa concione lætiſſimis vocibus acclamatum eſt; Regiuſque titulus excitatis plauſibus approbatus. Hæc erat populi literarum ad Guiſium clauſula: *ſe Sacratiſſimæ Virginis Deiparæ auxilium precari, vt quam primum eius optatiſſimo aſpectu, atque intuitu fruerentur, bellicæque virtutis operum iuuamen in ſuis afflictis, acciſiſque pene rebus experirentur.* Hæ literæ totius nomine populi ſubſcriptæ, ſignatæque ſigillo, cui, R, litera aureo in ſpacio ſub Neapolitani regni diademate inciſa erat. Aliæ inſuper literæ legationis teſtes Guſio ſimul allatæ a Ianuario Anneſio ſupremo populi duce, & Aloyſio Ferro primo conſiliario; quibus ea omnia aſſirmabat, rataque habebat; quæ Manara iuxta accepta mandata, ac monita cum ipſo tranſigeret. Datæ à Regali Carmelitani propugnaculi ſtatione, addito illud, Regali, poſtquam Guiſius popularem Rempublicam eo titulo honeſtauerat. Quibus literis Manara Romam

Populus Toralto Brācacciū ſuffecit.

Guiſius incitatur ad accipiendā Regni præfecturam.

Guiſij ad populum reſponſio.

Reipublicæ nouæ titulus.

Digitized by Google

Populus cũ Guiſio conuenit.

profectus cum Duce Guiſio,& Gallo legato de populi rebus accuratiſſimè egit: atque vbi inter ipſos conuenit, Annesius Neapolim regreſſus ipſius Guiſij, & Galli Legati ad populum literas attulit; quibus è Gallia expedita militum ſubſidia, Regis ſtudia, fauores, totius gentis in id bellum alacritas promittebantur. Legatus quoque Regalis Reipublicæ titulo ingenti cum populi applauſu ſurgentem Rempublicam inſigniuit. Verum cum populus non admodum earum literarum exemplis acquieſceret; quòd ambigua, communia generatim continerent; Guiſijq; mora rebus perniciosa erat, & eò magis quod Brancaccius iram populi ob interceptam ducis epiſtolam ad Anneſium ſcriptam, formidans Neapoli profugerat; cum eius latorem prius in vincula coniectum audiſſet. Idcircò iterum Romam

Guiſius à populo vrgetur, vt Neapolim feſtinet.

miſſus Manara ſummis precibus cum Guiſio egit, vt omnibus ruptis moris, Neapolim feſtinaret; eum ab vniuerſis quam flagrantiſſimè expectari, eius virtutis opera, authoritate, conſilio ciuibus opus eſſe: ſecum bellicum apparatum, pyrij pulueris cados, aliaq; tormentorum farta conuehenda curaret. Quare ille tam ardentibus populi obſequens votis, ne ſua cunctatio, & tarditas Gallicæ claſſis aduentus populum ſpontè in Gallos propenſum alienaret; decreuit contempto ſuæ ſalutis periculo, Neapolim proficiſci. Admonitus igitur à Gallo Legato populus de certo Guiſij Ducis aduentu, omnibus bellicis rebus inſtructos duodecim Myoparones ad eum Neapolim aduehendum ad Tyberis fauces miſit. Verum quia Hiſpani ſagaciſſimè omnia Guiſij rimati conſilia, eius iter intercidere conaban-

Piombino.

tur; famam vulgauit ad fugiendas Hiſpanorum indagines, ſe Populoniam iturum, vt ibi Gallicam claſſem præſtolaretur; quò maioribus viribus deſtinata perficere poſſet. Idibus itaq; Nouembris Galli Legati curru vectus

Guiſius Neapolim proficiſcitur.

cum eodem, & pluribus alijs ſuæ gentis patritijs ad Diui Pauli Templum extra vrbis portas: ibiq; equo conſcenſo ſtipatus Gallorum equitum globo; ad Tyberis fluentum celeriter properauit, atque ibi cum ſocijs myoparonibus exceptus Neapolim nauigauit; varijs rerum bellicarum molitoribus, cuniculorum, ignium artificiorum ſtructoribus ſecum adductis.

Guiſius ab Hiſpanis tormentis impetitur.

Tantum non tormentorum miſſilibus, quæ ab arcibus, Hiſpanaque claſſe continua, furioſaque procella in prætereuntem ingerebantur: laceratis nauigijs obrutus eſt: ſed impunè inter vndiq; in irritum tela ruentia tutus euaſit. Quo fœlici omine exultans populus Guiſium à volitantibus vndiq; telis incolumen, ſoſpitem gratulabundus excepit. Nulli Principi è ſuis ſuperatis hoſtibus redeunti, victori, triumphantiq; maiores habiti à ſuis vectigalibus honores; illi fœlicia precari, applaudere, gratulari lætiſſimis eum vocibus ſalutare. Sancitumque eſt decimo ſexto Kal. Decembris irreuocabili plebiſcito; vt armorum imperator, patriæq; defenſor, cum ijs honoribus, quibus Batavi Aurantium Principem honeſtaſſent; ſub Galli Regis fide, clientelaque diceretur.

Guiſius ſupremus Dux populi renuntiatus in Carmelitanum templum ingreſſus hanc orationem ad populum habuit.

Nun-

Digitized by Google

Nunquam cum Guiſiorum nomine Principum poſt varias mei Parentis, maiorumque vices præclariùs actum à fortuna eſt; aut mihi fœliciùs arduas mearum rerum difficultates eluctanti conſultum; quàm cum me è Gallia excuſſum Romam abripuit: vt veſtris obeundis obſequijs expeditiùs accerſerer, & celeriùs veſtræ ſubſidio Reipublicæ feſtinarem. Faxint Dij, vt fortibus auſis veſtræ de me conceptæ opinioni reſpondeam, meque hoc ampliſſimo honore egregijs factis dignum præbeam. Profectò quantum in me erit, omnibus conatibus enitar, ne vos me huic clariſſimæ Reipublicæ præfeciſſe pœniteat: quamuis probe ſciam hoc imperatorium paludamentum humeris meis inictum grauius eſſe, quàm vt meæ vires illi ferendo ſufficiant. Sed mihi tanti erit nimię ponderis moli ſuccumbere; dummodo meam in vos propenſiſſimam profitear voluntatem, deuotumque iam vobis ſpiritum veſtris obſequijs, aſſerendiſque vobis impendam. Hunc maximum ex meis laboribus fructum decerpſiſſe putabo; ſi hanc vitam, qua nihil in rebus humanis eſt carius, pro veſtra conſtituenda Republica, & pro huius amantiſſimi populi ſalute, atque incolumitate profundam. Quid enim aliud vita dignius huic tanto veſtro in me merito rependere poſſum? qui me exterum, & Gallum, Italis fortaſſe nomen inuiſum, huic ampliſſimæ vrbi, atque adeò toti Regno, numeroſiſſimis populis, electiſſimæ Reipublicæ præſidere iuſſiſtis? Si quid eſſet amplius vita, pro veſtro hoc inſigni erga me beneficio, collatoque honore illud impenſiùs, quàm gratiſſimus animus poteſt, veſtræ tuendæ ſaluti ſacrarem. Nihil mihi gratius, aut iucundius accidere poterit; quàm ſi in acie ante primos ordines in hoſtem ſtrenuè dimicans, aut in mœnium loricis aſſilientium impetus ſuſtinens, aut in velitaribus pugnis pro veſtra libertate confligens mei animi gratitudinem glorioſa morte teſtarer. Vtinam, quemadmodum ego meæ vitæ non parcam, ita vos eadem animorum magnitudine, atq; conſtantia, qua veſtram patriam in libertatem aſſeruiſtis, donec prorſus debellatum ſit, exactiq; ad vnum toto regno penitus Hiſpani, infatigabili virtute pugnetis: nullique vos reſtantis fortunæ terreant caſus, nulla aduerſa deijciant; quæ in diuturno, difficilique bello, ex ſolita humanarum rerum uiciſſitudine ſolent accidere; ſed contra audentioribus animis, nullis fracti malis eatis. Ego certè uobis nec manu, nec conſilio deero. Tantum uos ſubeat; ubi ſemel in ſuos Principes ſtrictum eſt ferrum, lethale, capitaleque eſſe, niſi confecto bello, illud in uagina timidè condere. Vbi ſemel nudatus enſis in Dominos fulgurarit; ad alterutrius internetionem partis uſque pugnandum. Implacabiles ſunt Principum iræ: neſcit ignoſcere leſa maieſtas; quæ quamuis ad uitandas bellorum difficultates, mala, diſcrimina, impenſas, atque ad obſequium rebelles facilius alliciendos ueniam pollicetur, & gratiam; ultionem tamen alto animo coquit, notatoſq; audaciores in arcano crudeli deſtinat neci; quos per occaſionem

caſionem ſtructis falſis criminibus paulatim ſingulos perdit, vel leui quacumque de noxa obiectis præteritis ſceleribus, capite plectit. Offenſo Principi amplius fidendum non eſt: oblataque vltro eius gratia, vti aliquando perniciem allatura penitus reſpuenda. Vulgent igitur ad arbitrium Hiſpani gratioſa diplomata, propoſitis præmijs reos ad ſolitum dominationis ſuæ iugum induendum inuitent; nullam ſpetioſis pollicitis habete fidem; nulla veniæ illicia vos trahant; nulla doloſa blandimenta captent. Offenſæ lenia maieſtatis inuitamenta, ſunt veneno infecta tragemata auro illita, quo lethale tegitur virus. Nulla vos igitur oblata decipiant: excuſſumque ſemel veſtris ceruicibus iugum inuicta conſtantia reſpuite; quamque fortibus animis libertatem peperiſtis, ad vltimos ſpiritus vſque tueamini. Tantæ multitudinis, numeroſique populi viribus, niſi deerunt animi, tantulus Hiſpanorum numerus cedet, quibus ſingulis erit cum veſtrum quinquaginta pugnandum. Alij quoque regni populi eiuſdem cupidi libertatis, abiecto duriſſimi ſeruitij iugo, ſociatis nobiſcum viribus cum hac vrbe Principe conſpirabunt. Magnanimos auſus propitia fortuna ſecundet, cœptis fortiter inſiſtendum; atque in tuto, citra periculum ſtatuenda libertas. Batauorum vobis conſtantium ferocia animorum faciat exemplum, qui ſemel Hiſpanicum exuti iugum partam libertatem ad vltima vſque compulſi ſtrenuè retinuerunt; quibus etſi prima tentamenta Albano Duce potentibus copijs illos acriùs perurgente, infœlicia ceſſiſſent; inaudita tamen conſtantia, vel ſæpius bellis attriti reparatis viribus animoſiores ſexaginta, & eò amplius annos per ſumma perpetui belli diſcrimina, labores, ærumnas inuicti, infractique animis partam tutati ſunt libertatem: eò rerum difficultatis adactis Hiſpanis; vt quibuſcunque conditionibus pacem illis ſæpiùs obtulerint, ad Batauorum arbitrium pacis fœdera percuſſuri; liberamque eorum Rempublicam nullius addictam Regis imperio regiæ literæ, ſanctioneſq; declararint. Illos verè fortes, magnanimoſque viros, commendabit poſteritas omnis, eorũq; nepotes egregia maiorum virtute, inuictoque animorum robore quæſitam libertatem ſibi gratulabuntur. Et quæ illa emergentis è fluctibus, atque à mapalibus, & gurguſtijs, à piſcatorijs nauigijs in ampliſſimæ toto orbe Reipublicæ ſplendorem enitentis exordia ad huius florentiſſimi regni diuitias, opes, potentiam, magnitudinem, opulentiam, populorum numerum, & clariſſimorum procerum multitudinem? & tamen illi Giararum incolæ, quas interfuſi Oceani efficiunt euripi, à piſcandis Halecibus, & Chalcidibus in arma libertatis ſtudio, deſiderioque fœlici conatu exilientes formidandam ipſis Regibus Rempublicam condiderunt: regnantque diu nullo hoſte audente, laceſſere, tranquillè, pacatè communibus honoribus, & conſilijs omnibus gentibus metuendi. Luſitania quoque ab Hiſpano deſciſcens, ſuo dicto Rege Duce Brigantio, ipſi Caſtellæ bellum intentat; & iam tractis in partes orientalibus regnis, Braſiliaque prouincia, toto Indico, Eooque mari eius victrices volitant claſſes, cum Hiſpanicis, vbicunque eas nactæ fuerint, aduerſis proris concurſuræ. Laletania etiam eiurato Hiſpanorum imperio, eorum vrgentia ſtrenuè ſuſtinet arma. Nihil ad opus abſoluendum, niſi animorum fortitudine,

co nſtan-

conſtantiaque opus eſt, cætera ad tuendam libertatem neceſſaria in ditiſſimo, frequentiſſimoque populis regno affatim ſuppetent. Iam iacta eſt alea; iam rebellatum eſt, ſi rebellaſſe dicendum, duriſſimum exuiſſe iugum, ac tyrannidem reſpuiſſe, ſupereſt, vt ſuſcepto conſilio fortibus animis inſiſtatis. Ego mihi maiora pericula obeunda deſumam, ego vos Dux, anteſignanuſque præibo ſecundo ſane, vt reor, omine, fœlicique auſpitio: nam de priſco Andegauenſium Principum ſanguine huius quondam opulentiſſimæ Italiæ prouinciæ regum meum genus, atq; originem recognoſco, ſerus eorum nepos glorioſam maiorum gloriam, quæ adhuc in Indigenarum mentibus durat, reddam Deo bene vertente, fortibus auſis glorioſiorem.

Guiſio perorante, tota concione murmur obortum obſtrepuit; quòd ſe ex Andiũ Principum genere dixit, qui quondam in ea prouincia regnarunt; quaſi ſe verum, & legitimum eius regni hæredem, ſucceſſoremq; contenderet; quod non parum populares affecit, atq; ideo ad ſeptem tantum annos ei delatum imperium.

Nec inter feſtiuas popularium acclamationes, & publica gaudia à cruēto Martis horrore ceſſatum eſt: immo maiori impetu in Hiſpanos ab ea gratulatione pugnatum. Populares ſiquidem ſtationem, cui Viſita pauperes nomen, & Diuæ Luciæ ſitum aggreſſi poſt cruentum vtrinq; certamen Hiſpanos ab ijs ſtationibus populere. Ira ignara vulgi bellicæ artis ingenia in omnes aſtus, militareſque fraudes acuebat. Quis credat populum non bello expertum, Martis artium inſuetum diurno operi in officinis duntaxat vitam ſolitum tolerare, Hiſpanis veteranis militibus illuſiſſe? illuſit tamen, aſtuque militari decepit; rapido enim curſu ad Diuę Luciæ munimentum illud identidem clamitans, Viuat Hiſpania, cucurit, eo conſilio, vt Hiſpani ad ſe dedendos rati feſtinare, ſe patefactis portis exciperent: dolus ex voto ceſſit: Hiſpani ſiquidem nullas latere; ſub ea acclamatione fraudes arbitrati pandunt properanti ad ſe multitudini portas, vt ingreſſos in arcem ad Proregem tranſmittant; verum illi poſita larua, obtruncatis momento cuſtodibus, munimento potiuntur, ibiq; protinus libratis tormentis arcem nouam milliium tempeſtate concuciunt.

Populares Hiſpanos de ſtationibus pellunt.

Hiſpani à popularibus decepti.

Dum vario Regnum tumultu miſcetur, ac maius belli gliſcit incendium, plures rerum humanarum curioſi ſcrutatores veſtigabant; quid cauſæ foret, cur in tam opportuna acquirendi eius regni Summus Pontifex occaſione ceſſaret, ſineretque beneficiariam Eccleſiæ prouinciam à Gallis occupari; quam iure debitam ſibi, ſi Hiſpanicum excuteret iugum, repetere poſſet, eaque facili marte potiri, ſi ſuas vires ad eum ſubigendam conatus, atque animum adieciſſet. Nam eo difficultatum Hiſpana potentia reciderat; vt vndique quaſi quodam furore, perfidiæque œſtro concitis rebellantibus regnis, magnitudine ſua laborans violento defectionum turbine impulſum Hiſpanum imperium ab imo nutaret. Neapolis rebellarat, in cuius regno præter aliquot Germanorum cohortes à Fontium Demarcho ad eius rebellionis nuntium extemplò ſubmiſſas non exteri milites,

Summi Pōtificis moderatio.

Hiſpani imperij diſcrimina.

non

non valida præſidia, non commeatus, non bellici apparatus, non pecunia ad juſtum regni tutamentum ſuppetebāt. Inſubres cum à Taurinis bellici turbines, & motæ ex Alpibus procellæ tonarent; neque ſua tueri potis, erat, nedum alijs ferre ſubſidia. Sicilia Panormi ſeditione tumultuans Hiſpanicum imperium grauari, exuturaque videbatur, ſi alicuius præpotentis Regis auxiliaria arma Siculis litoribus appuliſſent. Meſſana tantum inconcuſſa in Hiſpanos fide perſtabat in officio, quod nomine tenus duntaxat vectigalis ſua libertate, omnium ferè exactionum immunis frueretur: & ſuum fęlicem rerum habitum, quem tot ſecula tenuiſſet, in diſcrimen dare, mutato Principe, recuſaret. Hiſpania etiā, cui regia magni Monarchę ſede cōſpicuę preſenti Regi impenſiùs cæteris obſequendum erat, ſeruandaque obſtricta ſacramento fides, quòd tot prouinciarum domina latè exteris gentibus imperaret: Laletania, Luſitaniaque rebellantibus periculoſiori ciuilium bellorum ęſtu iactata miſerrimè fluctuabat: deficientibuſq; vna omnib. orientalibus regnis Luſitanorum egregia virtute, mirandaque fortitudine partis, annuæ opes, ditiſſimique prouentus, qui ab Indicis plagis aduehebantur, Caſtellæ deceſſerant. Ipſa verò Hiſpania tot militum delectibus colonis exhauſta vbiq; ſylueſceret: nec ob exactionum frequentiam pecunijs emūcta poſſet Regi ſtipendia ad tot alenda bella ſufficere. Tot prementibus deprehenſum difficultatibus Regem alia domeſtica, vt intima, ita grauiſſima cura angebat, maſculæ orbitas ſobolis, quam tot prouinciarum, regnorumque ſibi deſtinaret hæredem. Quare, vndique in ampliſſimo dominatu tot gliſcentibus bellis impar humana potentia fore, ruituraque tam vaſti imperij moles, impellentibus quaquauerſum acerrimis hoſtibus, videbatur. Hac maxima opportunitate beneficiarij regni occupādi Pōtifex poterat vti; & iam duo populares Legati Romam Neapoli in idipſum miſſi dicebantur: qui populi nomine Regnum Pontifici offerrent, dummodo valido exercitu illud inuaderet. Verum Pontifex ætate longæua iam ſenex tranquillo ſilentio, quod vitæ ſupererat, quietum, non bellorum ſtrepitu, Martiſque horrore trepidum, ac ſolicitum cupidus exigendi, alienis ſe curis immiſcere, pernicioſaque ſuis vectigalibus bella, quibus optimè conſultum vellet, ſuſcipere abnuit: pacis enim, quietiſque amans, eam toto Chriſtiano orbe componere, Regeſq; bellantes conciliare, non bella ferere ſatagebat. Immo inter vndantia ſeditionum, rebellionumque iactationibus regna ad clauum Eccleſiæ immotus ſedens bellorum turbines, & procellas eludens ſe ſublimiſſimę in terris dignitatis honore, tantoque faſtigio dignum oſtendit: præterquam quod non erat magnopere populi inconſtantiæ fidendum, nullis opum, potentiæque fundamentis innixi: procerum, patritiorumque ordine à Rege ſtante, qui ſolus regnum dare, atq; eripere poterat: quorum potentia, atq; authoritate repugnante, perditæ inſaniæ vaniſſimęq; mentis erat ad eius Regni ſceptrum aſpirare; quod illi tam alaciter, ac ſtrenuè contra popularium conatus pro Rege Catholico tuebantur. Licet enim ea ſeditione, cui ſalutis patriæ tot vectigalium, exactionumque oneribus fatiſcentis

Meſſana Hiſpanis fidelis.

Hiſpania fluctuat.

Hiſpani Regis orbitas.

Pontifex popularium recuſat oblata.

Neapolitani Proceres Hiſpano Regi fidiſſimi

ſcentis

Digitized by Google

ſcentis ſpecioſus titulus præferebatur; populus armorum imperium, ſupremamque poteſtatem patritijs detulerint, ſuoſque Duces, ac vindices appellarint; illi tamen ſui Regis obſequijs fortunas potius omnes, vxores, liberos, quæ rerum humanarum chariſſima putantur; deuouere, & furentis, implacabiliſq; plebis arbitrio derelinquere, quàm ſuam in Regem fidē vlla perduellionis labe aſpergere maluerunt. Et quamuis Guiſius ampliſſimis promiſſis eos in popularium partes trahere, cæteriq; Galli miniſtri Romæ Neapolitanos proceres ibi agentes omnibus officijs ſibi demereri ſtuduerint; nec populus toto huius ſeditionis, tumultuſq; tempore nullam diligentiam, operamque prætermiſerit, qua ſibi eos conciliaret: nihil tamen hi violenti impulſus eorum intemeratæ in Hiſpanum Regem fidei conſtantiam afficere potuerunt: immo eorum virtute, laboribus, ſolicitudine, cura, geſtis illud Regnum Catholico Regi ſeruatum eſt: quod ipſis ceſſantibus populi rabies, ac in Hiſpanos odij immanitas perdidiſſet. Non erat igitur, ſciſſo in partes regno, illud bellum cuiquam Principi tentandum, ne dum Summo Pontifici; cui à ſe potentiſſimum Regem alienare, immo ſibi infenſum hoſtem facere maximo exitio futurum eſſet.

Vbi in Galli Regis aula Neapolitani tumultus, ſeditioniſq; fragor obſtrepuit, rebelliſque populi in Gallos nuntiata propenſio: nullus eo dies Gallis purpuratis, & regni proceribus clarior, aut lætior affulſit: quòd illud regnum ſępius à ſuis maioribus armis petitum, & ſępius amiſſum tandem citra cruorē, belliq; diſcrimina ſpōtè in ſuā poteſtatē venturū eſſet. Omnibus probatū cōſiliū, vt Dux Guiſi⁹ eo ſubito mitteretur quod morū ſuauitate, facundia, comitate, officioſus, & audax diſcriminum aſpernator poterat ſibi popularium animos deuincire. Sed in re tam ardua, difficillimoque negotio ſingula rerum momenta quàm accuratiſſimo iudicio libranda erant, ſuſpenſoq; pede incedendum; ne maximæ rei perficiendæ euerteretur occaſio, aut properè aliquid, vel temerè conādo, tantopere cupita eius occupādi regni opportunitas elaberetur. Cōſtabat enim Neapolitanos odij magis in Hiſpanos impulſu, quā ſua ſpōte, aut in Gallos beneuolētia eorum fidem implorare. Dum in procerum ſecretiori conſeſſu de hac re varijs ſententijs multo ſtudio diſſeritur; ſanius conſilium, ſagacius, prudentiuſq; viſū pati populum in hoc ſpecioſo, gratoq; liberæ Reipublicæ titulo ſibi placere: partamq; armis ſibi gratulantem libertatem obſtinatiorem in procaci propoſito obdurare; malignaque ſufficiendo identidem auxilia ſinere, vtroſque mutuis ſe cladibus obterere, atque inuicem prælijs acciſis eorum viribus, eò imbecillitatis adigere: vt præualida poſtea à Gallia claſſe Neapolis litoribus appellente, quamuis poſitis odijs, compoſitiſq; rebus, in communes hoſtes conſilia, atque arma ſociarent: iam enerues, & languidi potentioris claſſis impetum, admotique Gallici exercitùs vim ſuſtinere non poſſent: ac proinde exactis toto regno Hiſpanis, compreſſaque populi audacia, deſtinata, votaq; implerentur. Cuius aſtus, callidique conſilij efficacia in eo erat: vt arcanæ ar-

Gallorum lætitia ob Neapolis rebellionem

Guiſij animi dotes.

Sagax Gallorum conſilium ſed inutile.

næ artis, decretiq; myſterium, neq; ad populum, neq; ad Italiæ Principes emanaret. Cauendum inſuper, ne quid niſi bene explorato, ſecuraq; futuri euentus fœlicitate tentaretur, ne Alanconij Ducis exemplo nimis properè, maturèq; Antuerpiam inuadentis, precariumq; imperium libero, atq; integro mutare inconſultò feſtinantis, deſtinata peruerterentur. Quare ſatiùs, prudentiúſque viſum non ea valida, potentiaq; militum, commeatuum, pecuniarumq; ſubſidia Neapolim mittere, quæ ſuffici poterāt, ne ijs in ſubigendis Hiſpanis populus vſus, ad expellendos poſtea Gallos eadem adhiberet: ſed modicis ſubmittendis auxilijs, maiorum ſpem illis inijcere; alereque firmiorum expectatione ſubſidiorum, nec vnquam ampliora bellicis periculis obiectare; ob populi inconſtantiam mox probata damnantis.

Alanſon.

Gallorum maligna ſubſidia.

Huius initi in aula regia conſilij ſtatim admoniti in Italia Galli miniſtri, edoctiq; aſſequendi optati, animandique ad tuendam, ſeruandamq; libertatem populi rationem: deinde Richelio Duci imperatum, vt Galliæ Narbonenſis litoribus ſoluens regia claſſe Neapolim verſus nauigaret; magis vt ea virium oſtētatione ad ſpem maximam populum excitaret; quàm aliquod ei re ipſa auxilium afferret: quod vana ſibi populi expectatio promiſerat. Quare Richelius regijs mandatis obtemperans nouem, & viginti ingentium nauium, cum quinque incendiarijs, & aliquot myoparonibus claſſe proris ad orientem conuerſis vela inflanda Zephiris explicauit. In Nundinario interim foro Dux Guiſius luſtratis omnibus copijs, iuſſit omnes populi duces ſe conuenire, vt ſimul de bellicis rebus in commune conſulerent: decernerentque quid potiſſimum audendum foret. Plus triginta peditum millia in conſpectum data, præter eos, qui ad portas excubabant, ſtationeſque tuebantur. Statutum fuit, vt in campos aliquot valida agmina emitterentur, quo commeatibus aditus panderet, nobilium cuſtodijs obſeſſos. Eadem die quatuor, & viginti millium militum habito delectu, in tria agmina pari numero ſingula octonum millium partitus iuſſit expedita accipiendis mandatis eſſe. Primo agmini Ianuarium Aneſium præfecit; eiq; imperauit, vt Salernum verſus, vbi patritij non pęnitendas vires collegerant, extemplò duceret. Alterius ductor iuſſus Petrus Lanzalonus bibliopola, cui Abellinum feſtinandum erat; vt inde Nobilium agmina deturbaret. Tertium Cipriano Ariolæ Guiſij maiori cubiculario obuenit, qui vrbe egreſſus ducentos Hiſpanos forte obuios, qui in Tuttauillæ caſtra contento agmine properabant, internecione concidit; qui etiam cum Herculanei aliquot oppidanis communicato conſilio, quorū ſibi operā profuturā putabat, locum aggreſſus, tumultuarijs, ſubitarijſq; munimentis vallatum facilè occupaſſet; niſi Martinæ Dux, qui paulò antè cum quinquaginta equitibus, & peditibus ducentis ſubſidio accurrerat, irrumpenti vndique multitudini inuicta virtute, obiecto equitum turmæ robore ſuæ clientelæ nobilium fortiter obſtitiſſet: tam diu furentium impetum remoratus, donec à pugnæ initio petita à Tutauilla ſubſidia præ-

lian-

Gallica claſſis Neapolim nauigat

Populus in varia agmina diuiditur.

Torre del Greco.

Populares Herculaneū aggrediuntur.

Digitized by Google

liantibus ſuperuenirēt: qui nō longè cū vniuerſis copijs ſubſtiterat popula- riū conatus eo valido agmine repreſſurus; quibus vbiq; diſiectis, fugatiſq; plus quadringentos occidit. Inde à Ferrante, & Fratre Ioāne Baptiſta Car- raciolis fratribus, & Octauiani Principe accitus auxilio, quòd Veſuuij à cir- cumfuſa populariū multitudine premerentur: validiſſimo facto in eos im- petu, ab ea obſidione decuſſos, vſq; ad Diui Anaſtaſij vicū vallo, foſſaq; mu- nitū perſequutus poſt triū horarū oppugnationem ſuperato præſidio, cęſis omnibus, qui eò perfugerāt; vicū incēdit. Verū cū accepiſſet aliquid Attel- lis turbatū eſſe, quæ niſi celeri agmine properaſſet, verendū erat, ne ad po- pulares, eiecto nobilium præſidio, deficerent; hoc idem Caraffa eius vr- bis antiſtite enixè obteſtante, qui nec ſuæ vitæ, nec fortunis parcens mira erga Regem fide eius res vel cum ſuarum rerum iactura promo- uerat, illicò eò feſtinans ſigna conuertit. Properanti nuntiatum eſt tria popularium millia Caiuanum oppugnare, facilèque poſſe concidi, ſi eo cum toto copiarum robore feſtinaſſet. Quare deflexo illorſum agmine, ſolo ſui aduentus famæ terrore ab ea obſidione deiectos Carditum compulit: firmatoque duabus equitum turmis Caiuani præſidio, ea- dem nocte cum vniuerſis copijs Attellas ingreſſus orientes tumultus ſe- dauit. Exercitus tantum equitatu conſtabat, deerant peditum cohortes, equitum ſolum turmis erat oppidū propugnandum. Quocirca vt illis liber, & expeditus in ſuburbanos campos eſſet excurſus; ſepimenta omnia, ſtir- pes abradi, & foueas, ſcrobeſque omnes, & ſulcos aquarios iuſſit æquari. Vix expedierat omnia, cum Dux Guiſius plus decem bellatorum millibus Attellas aggreditur primo impetu potiturus, cū nullis mœnibus, & propu- gnaculis ſeptæ propugnari non poſſent. Excubabat extra mœnia ad oppi- di cuſtodiam, primaſque impreſſiones hoſtium excipiendas Audriæ Dux; qui nihil ea popularium multitudine territus hoſtem tam diu animoſa ve- litatione diſtinuit, donec Tutauilla hoſtium acceſſus admonitus ex vrbe in ſubeuntes erumperet. Qui in primum popularium agmen acerrimo im- petu inuectus facilè auertit in fugam, diſiectumque præcipiti fuga in ſocio- rum ſtipatos ordines reuolutum ſuo impulſu turbauit: quo Regij animad- uerſo, vt confuſos illata vi penitus funderent; denſato agmine in incompoſi- tos immiſſo equitum turbine, diſſiparunt; cæſis ad ſexcentos popularium, captiſque trecentis, Guiſium inde exercitum abducere compulerunt: qui ea accepta clade, animo fractus amiſſo omni bellico apparatu, Iulianum copias recepit. Multorum procerum præcipuæ Andriæ Ducis, Proſperi Tutauillæ Mondornici Principis, & Diui Iuliani Demarchi ea pugna inſi- gnis virtus effulſit. Hic tribus vulneribus confoſſus paucis poſt diebus ab eo prælio ſtrenuum ſpiritum inter ſuorum effuſos ploratus efflauit: quòd florenti ætate ephebus ſummæ indolis expiraſſet. Alij quoque copiarum Duces eo certamine cæſi.

Populares fugantur.

Somma.

Guiſius ad expugnandas Attellas pergit.

Populares à Regijs fugantur, & caeduntur.

Diui Iuliani Demarchi interitus.

Incaluere ab eo fœlici pugnæ euentu animis nobiles, quòd fortuna ſuis primis conatibus aſpiraſſet: & iam non formidare amplius tumultuaria

popu-

Digitized by Google

Procerum bellica virtus. popularium agmina, non multitudinis bellandi imperitæ minas pauere, non intra munimentorum ſepta latere pauidos, ſed venari rebelles, contumaciumq; audaciam, inſolentiamque compeſcere. Itaque accenſis vtrinque in mutuas clades animis, ſe varijs velitationibus, & pugnis concidebant. Verum Proceres non virtus, animorumque magnitudo, ſed iniqua fortuna defecit. Frequentibus enim ſuorum militum transfugijs, & defectionibus ad populares attenuatis eorum viribus, auctiſque nouis ſubinde transfugarum incrementis hoſtium copijs, tota circum deſciſcente regione, Attellæ nobilium receptacula vndique obſeſſæ vix Capuæ eodem societatis fœdere iungebãtur, quæ adhuc, ſed ægerrimè tamen perſiſtebat in fide; cum popularium propè circum fremerent arma. Alibi peius cum Nobilibus agebatur; Salernitana prouincia, Lucania, & Campaniæ finitimis rebellantibus, quorum auxiliaribus cohortibus creſcente popularium cum viribus audacia, in Abellinum eorum validum agmen incurrit. *Abellini Principis virtus.* Eius Princeps admirandæ virtutis adoleſcẽs adeò vrbem ſtrenuè propugnabat; vt pluribus eruptionibus attritos populares turpiter ab ea obſidione faceſſere coegiſſet; niſi ſuorum vectigalium animi eadem rebellionis toto iam regno ſerpentis lue afflati, corruptique per nocturna, arcanaque alloquia ad defectionem inclinaſſent. Quare ne à ſuis ciuibus hoſtibus proderetur; *Abellinum à popularibus diripitur.* deſerta vrbe, ab inſidijs in tutum nocte ſeceſſit. Orbatum ſuo Principe oppidum populares diripuerunt. Acta ex Principis promptuario, & cella ditiſſima præda, & oppulentiſſima ſpolia elata, quæ totius regni pretioſiſſima ferebantur. Direpto Abellino, populares cum vniuerſo Nolæ exercitu ſucceſſerunt. Hic aliquantum Ferrantis Carraccioli virtute popularium contuſa audacia; ille ſiquidem identidem in obſeſſores erumpens plures audaciùs prouectos occidit, ſed dum animoſior quietis impatiens quotidie in hoſtes inuehitur, maioris ſclopi miſſile traiectus occubuit. *Franciſci Caraccioli cædes.* Cuius nece procerum milites amiſſo duce territi hàc, illàc dilapſi eum tractum ferè nudatum præſidijs deſeruerunt. Quod maximè Tuttauillæ animum affecit, timentis ne Attellæ hoſtium interiectu, à Capua eius belli ſede, atq; armamentario ſocia vrbe ſeclusæ, amitterentur: & eò maior cura erat, quò debilius, ſubtracta ad circumiecta loca tuenda maiori militum parte, præſidium, ſi hoſtis eius imbecillitatis conſcius, copias admoueret, malè oppidum poterat propugnare. *Attellarũ diſcrimen.* Huius Attellarum diſcriminis opportunè Proregem admonuit: præſens militum ſubſidium enixè precatus, ne maximi ad cætera momenti virium defectu vrbem populares occuparent. Verum cum à Prorege nihil præter verborum ſolatia, promiſſaq; referrentur, & vndiq; populares graues inſtarent; Proceres à Prorege deſerti obteſtati ſunt Tuttauillæ, ſe quoque inde in tutum diſceſſuros, quando Hiſpana res à regis miniſtris ita malè curaretur. Ille huiuſmodi Procerum abſciſſa obnuntiatione territus, quamuis iuſtas eorum querimonias, neque poſſe in ijs locis abſque firmis peditum auxilijs citra cladis periculũ ſubſiſti, cognoſceret; tamen eorum animos ſumma dexteritate lenire, hortari, monere,

Digitized by Google

nere, ne ſui diſceſſus ingentia merita labe fœdarent: ſtrenuè cœptis generoſis inſtarent: ſpe adfuturi cito auxilij obiecta. Verum cum nequicquam expectata diu ſubſidia nuſquam apparerent; immo quotidie rebellantibus populis, res in peius ruerent, atque in ſummas difficultates laberentur: & ex aduerſo popularibus omnia votis fœliciora ſuccederent. Proceres, qui Attellis curabant, ſcripto obnuntiant, eam vrbem omninò eſſe deſerendam, præſidiumq; & omnem bellicum apparatum Capuam traducendum: quòd per magni illud fundamentum, quo rerum ſumma nitebatur, ſeruari intereſſet: Quare ſeptimo idus Martias tormēta, commeatus, præſidium Attellis Capuam tranſtulerunt, ibi in vnum collectis viribus validiùs hoſtibus obſtituri. Fœlicibus Dominici Coleſſij, cui Paponi cognomen, armorum profectibus penè vniuerſa Campania, dato latè terrore popularium partibus adiecta, Sinueſſaq; vrbe repentino impetu intercepta, Teanū ēt oppugnabat, vltima interminatus, niſi ſe protinus dederēt: nec continuis impreſſionibus vrbem vrgere contentus in agros barbara immanitate deſæuiēs arbores omnes, viteſq; ſucciderat: quia tot malis erat protinus occurrendum, ne vrbs in eius medio prouinciæ ſita hoſtium violentiæ cederet: Romanæ arcis Principi imperatum vt eò cum aliquot veteranis cohortibus properaret, vt populares ab ea oppugnatione decuteret. Ille auctus nobilium globo, qui ſe adglomerarat eunti, primo ſtatim acceſſu ſeruit cum Papone manus; cuius copiæ tumultuario delectu conſcriptæ, collectitiæque bellandi imperitæ nobilium impulſu actæ in fugam ſuum Ducem in Patrum Capuccinorum cœnobium ſe recipere, ibiq; ſe munire contra nobilium impetus coegerunt. Verum illi animoſiùs victoriæ inſtant, ſuperatoq; ponte, atq; æde cœnobio vicina centum moſchettarijs popularibus cuſtodita, ipſa Cœnobij munimenta mille peditum præſidio defenſa ſtrenuè aggreſſi facili pugna deiectis inde popularibus, qui primis munimentis, intimo propugnaculo amiſſo, ſe in præcipitem fugam dederunt: relictis hoſtis arbitrio impedimentis, & commeatibus, omniq; bellico apparatu, acriter fugientibus inſtiterunt: donec diſiectis vbiq; popularium agminibus, Maciſſi montis arci copijs admotis, illam in deditionem nullum auſam certamen accipiunt. Indè in Arcem Monſinam conuerſo belli impetu, captam diripiunt; quòd temere ſpontè, ſe inuadentium poteſtati tradere recuſarit. Nobilium igitur conatus fortuna ſecundāte, acciſis, proſtratis vbiq; Paponis agminibus, plus quadringēta partim vrbes, partim caſtella vrgentibus regijs, redierunt ad fidē; patefactiq; ad Ligerim vltrò, citròq; Capuā, & Gaetā cōmeantibus, merceſq; vehētibus aditus, quæ duæ vrbes regni clauſtra, nobiliumque partium propugnacula erant. Dum in campis procerum meliori fortuna, fœlicioriquc ſucceſſu bellatur; Neapoli populares non ſegni otio torpent, ſed ardentiſſimè, ſi quandò alias Hiſpanos vndiq; perurgent. Eorum ſiquidē ſtationes aggreſſi, quamuis cum cæde ſæpius repellerentur, tamen ſociorū clade magis irritāte ferociā, iterato impetu, paucos multitudine obruente, loca ſibi cedere

Seſſa.

Nobilium cum popularibus pugna.

Roccade Mondragone.

Nobilium progreſsus.

Gariliano.

coegerũt plus tamẽ ſexcẽtis Plebeiorũ occiſis. Qui libratis protinus in arcẽ nouam tormentis horribili pilarum procella mœnia quatiebant. Incolæ, quoque ſuburbij Chiaiæ ad vrbis portas vſq; prouecti, excitatis ſubitario opere munimentis, ibi ſe vallant. Pluribus, vtrinq; cadentibus, atterebantur, vtriuſq; partis vires, cum quotidiana certamina plurimos haurirent: Gallis lętis oculis ſuorum hoſtium intuentibus clades, quorum ſummis erat in uotis eodem tempore ſuos hoſtes ſuorum hoſtium opera, ac labore concidere, vt attritis eorum viribus, facili Marte in Regnum inuaderent.

Gallorum de vtriuſq; partis excidio lætitia.

Hiſpani Miniſtri ſæuiente bello, inter armorum fragores, cruentaque certamina non intermiſſis pacis ſtudijs intentiſſima cura ſatagebant, quacumque ratione iratum populum conciliare. Nam præter ſummi Pontificis literas ad populares datas, quibus lenibus, & humanis hortationibus monebantur, vt poſitis armis, pacatiſq; animis, à rebellione ceſſarent: meminiſſentq; ſacramenti, quo ſe Hiſpano Regi obſtrinxerant. Hęc à ſummo Pontificè Regij Miniſtri diplomata obtinuerant; vt ſi forte ſacroſanctam ſupremi ſacrorum Antiſtitis veriti maieſtatem ab eo furore reſcipiſcerent. Sed Martis violentia, efferratiq; ad bella animi omnem pietatem, & moderationem, ciuilemq; reuerentiam excludunt. Iratæ aures, & perfidæ mentes, humana verba, mitiaq; reſpuunt lenimenta. Nihil ad pacis cogitationes flexerunt populum monita Pontificis. Verum alia cura mordacior angebat Hiſpanos. Guiſius veritus ne tandem Procerum virtute, ac conſtantia contumacia populi frangeretur, ceſſuraque eſſet aliquando improbæ nobilium inſtantiæ: ſagaci conſilio, vt Patritios cum popularibus eodem ſocietatis fœdere iungeret, ciuiliaq; diſſidia componeret; quò ſimul vtriuſq; partis viribus conglobatis, Hiſpani facilius toto regno omnibus vrgentibus pellerentur: vulgatis literis omnium offenſarum noxam ijs proceribus condonabat, qui eiurato Hiſpano Rege popularibus adhæreret. Militibus verò, quò efficaciùs ad ſuas partes alliceret, octonos aureos ſe ſoluturum recipiebat, ſi deſertis Hiſpanis ad Populi fidem transfugerent. Sed hæc Guiſij pollicita nihil Procerum immotam conſtantiam, intaminatamque fidem labefecerunt. Hiſpani quoq; miniſtri omnes ſuos conatus in id intendebant, vt omnes ad ineundam pacem obiectus amolirentur: ad primatum à latere conſilium retulerunt, vt cum iam omnibus non popularibus modò, ſed etiam ipſis Hiſpanis Proregis nomen eſſet inuiſum, illumque plebs maximè peroſa diris omnibus deuoueret: Ioanni Auſtriaco Regni remiſſo regimine, ex ea vrbe diſcederet: quò aliqua tollendi diſſidij, demerẽdæq; plebis ſpes poſſet induci; populo cum Prorege aliquid agere, aut ei amplius fidere recuſante, cuius præcipiti conſilio victionis nimis calidè cupidi omnia cædibus, incendijs, mutuiſque cladibus euerterentur, quæ omnia mitiùs agendo, vitari potuiſſent. Verum cum de hac re prius Rex foret conſulendus, eiuſque petendus aſſenſus, ſeneſcens conſilium nullum habuit euentum. Interim Populares non intermiſſis hoſtilibus denſato agmine Chiaiæ portã ſexcentorũ Hiſpanorũ præſidio defenſã ita animoſè, ac ſtre-

Summi Pontificis ad populum officia.

Guiſius proceres ad popularium partes ſequendas inuitat.

Digitized by Google

ac ſtrenuè aggrediuntur; vt quamuis primi impetus egregia Hiſpanorum virtute, multa cum popularium cęde fruſtra fuerint; nihil Tonni piſcatoris caſtrorum præfecti, quo militari honore illum Anniellus inſigniuerat; ſui ducis territi nece, immo in rabiem efferati confluentibus alijs ad pugnæ fragorem acrius iterant impreſſionem; ſpretoque præſentis mortis periculo in cęſorum veſtigia ſuccedentibus integris, Hiſpanos de portæ cuſtodia deijciunt; in quam populares cum duobus muralibus tormentis ingreſſi, ijs ad Toletanæ viæ caput collineatis, pontem regentis Sophiæ ędibus iunctum miſſilium pulſibus abrumpunt: vt mutuis commercijs Hiſpanos eius cuſtodes excluderent. Verum illi ſubſidio accurrentium cohortium aduentu firmati, tantis animis populares inuadunt, vt cruentiſſima edita pugna diu, vel ſuorum ſtrage plebis obſiſtente ferocia, multitudinem de ſtatione depulerint. Ille tamen de ſua clade ferocior, & alacrior, ſe iterum expedit ad prælium, eòq; promptior acuit tela, quò copioſior annona in vrbē ab Apulis agris allata populum iam gliſcētis famis incommodo, ac malo lauarat. Quatuor millibus frumenti modiorum aduectis, quatuor pariter Apulorum millibus ea deducentibus, popularibus opem laturis, ſatis penuriæ conſultum, prouiſumque inopiæ. Et quia popularium ſalus, & firmitas, vel excidium, & caſus in eo ſtabat: vt commeatibus aduehendis in vrbem ad plebem alendam aditus panderentur: & ſemel aperti validis poſitis militum ſtationibus, cuſtodirentur: vel ab hoſtibus clauſis, intercepta annona, vrbe ad vltima fame domita vrgeretur: Guiſius ſuis in hoc conuerſis omnibus curis, ſedulò ſtuduit, omnia circum vrbem clauſtra, per quæ alimenta vrbi inferebantur, aperire; Marianumque profectus inter Puteolos, & Attellas, vt illud oppidum valido præſidio muniret; per quod maior commeatuum copia Neapolim vehebantur; inde Aniellum Fallium vniuerſæ rei tormentariæ legatum Attellas tendere iuſſit; vt illam maximi momenti vrbem, depreſſa altiùs foſſa, erectiſq; circum propugnaculis, muniret.

Populares Chiaia portam inuadunt.

Porta potiũtur.

Hæc curanti nuntiatur Capuæ negligentiùs agere præſidiarios, annonæque penuria laborare, bellicis rebus parum inſtructos. Spe igitur eius repentino incurſu improuiſoque acceſſu occupandæ vrbis obiecta, ſex peditum millia, & equitum mille, ad eam inuadendam protinus miſit; vt ſi fœlici euentu contingeret, eo Patritios receptaculo deturbare; præter id, quod popularium res ſolidiùs ea vrbe ad partes addita firmaretur; patritij quoque eo perfugio excluſi: nullo alio ad conuentus habendos, bellique armamentarium oppido ſuppetente, flexa tandem ipſorum pertinacia, victaque odij in populares acerbitate, neceſſitati parere compulſi conciliare ſe populo cogerentur; quod maximè omnium Guiſius inſtabat, gnarus in hoc præcipuè verti popularium ſalutem, ſi Patritij concordibus animis iunctis cum eis viribus, in Hiſpanos bellarent. In id ipſum Anneſium populi ducem ad Matalonïæ dynaſtam legauit; vt illum omnibus artibus, ac pollicitis Hiſpanorum partibus ſubduceret;

Guiſius ad occupãdam Capuam agmen mittit

quo eo firmiſſimo fulcimento ſubtracto, res Hiſpana concideret. Erat enim ille ingentis ſpiritus, viuidique animi, ac vegeti roboris Princeps, ſed popularibus infenſiſſimus hoſtis; quorum ſæuitia, barbaraque immanitas ſuum fratrem immerentem, innoxium per ſummum ſcelus occidiſſet. Per fecialem igitur condicto colloquio, Anneſius dynaſtæ ſuadet, *vt deſertis Hiſpanis, cum populo ſociatis conſilijs, & armis communem patriam tot exhauſtam vectigalibus, tot exactionibus miſeram, inopem, ea egregia indole ab Hiſpanorum iugo vindicet, aſſeratque ſuorum filiorum opem, ſubſidiumque vberrimis lacbrymis inclamantem. Malè ſibi, malè patriæ ab eo proſpici tam pertinaci illius ſæuiſſimos hoſtes contentione tuendo; qui procerum auxiliaribus armis, & viribus populo proculcato, ac perdito, eandem ſæuitiam, & rabiem in procerum excidium, ruinamque nobilium erant protinus conuerſuri. Nam cum gens cupida liberum, non optimatum virtute precarium imperium in Neapolitanos ambiret; potentiamque Procerum formidaret, proſtrata plebe, populique ferocia perdomita, ſua vota aſſequi, niſi oppreſſis, exciſis primatibus, poterat; & hanc erant ipſi gratiam ab inuiſo hominum genere relaturi; in quos quò maiora merita Principum erant; eo acerbiori odio, magis ingrati in illos infenſi ferentur. Duabus illum duntaxat cauſis in populum concitari, vel quò ſui fratris necem vlciſceretur, vel vt Hiſpanis inſeruiens, Hiſpani Regis gratiam demereret. Hoc omninò ei perniciosſum, tantique herois exiſtimationem, dignitatemque dehoneſtare; quod vt exteræ, odioſæque genti obſequeretur, chariſſimam patriam excinderet: quæ ipſi potiſſimum propugnanda erat. Alterum obtineri non poſſe, cum indomitus populus ſubigi, atque mulctari, vel iuſto admoto exercitu potis non eſſet: immo illum omninò ſtatuiſſe validiora agmina in ipſius perniciem, familiæque excidium emittere; niſi mutato conſilio popularibus adhæreret; ac cum noua Republica conueniret: quod ſi in ſuum animum induceret, maiora ſe, ampliaraque longè, quàm ab Hiſpano Rege, à popularibus habiturum: non vlterius eius fortunam proueh poſſe; ſi non obſtinatior erga Hiſpanos fide perſiſteret; cum illis Italorum procerum virtuti, gloriæq; ſemper inuidentibus propoſitum ſit, eos potius deprimere, ne ad formidandam euecti potentiam, Hiſpanis contemptui habitis, aliquando rebellent, quàm dominatibus, opibuſq; ditare; vt tot eorum meritis paria beneficia rependant. Sibi ipſis copiarum imperia, Regnorum Proregum dignitates, prouinciarum præfecturas, & quidquid optabilis, & opulenti in tanta Monarchia foret, non Italis dynaſtis de ijs optimè meritis, arrogare, eos ſolos dominari, & Italorum vectigalium ſuperbo pede colla calcare,* Audijt cum ſumma animi indignatione dux loquentem Anneſium, & vix erumpentem vultu oculis iram potuit cohibere, quin fecialem violaret; acribus certè verbis, & mordaci obiurgatione accepit; reſponditq; *non eò loco natum eſſe, vt perfidiæ labe ſuorum natalium ſplendorem fœdaret; animumq; ſuum tanti perduellionis facinoris turpitudine ſceleraret: ipſi verò Anneſio melius fore conſultum, ſi deſertis rebellium partibus, aliquo inſigni in Hiſpanum Regem*

Anneſij ad Mataloniæ Ducem alloquium.

Mataloniæ Ducis indignantis ad Anneſium reſponſio.

merito

Digitized by Google

merito rebellionis maculas elueret; pacandoque plebem patrata ſcelera compenſaret; non nouis ſe piaculis, probriſque aſtringeret: ſe interim certum eſſe, vel cum omnium ſuarum rerum iactura, ſe Catholici Regis iura, dignitatemque pro virili parte tueri, à quo tandem cæleſte Numen ſtaturum erat, perfidiæque pœnas à rebellibus exacturum. Anneſius, ne aliquid ſubijciendo iam calentem ira animum magis irritaret; ſilens inani legationis exitu abijt.

Hiſpanorum interea in populares virtus cum ſe intra arcium ſepta continere non poſſet; ex arce noua ad mille ducentos erumpunt; & vſque ad maius vrbis telonium aliquot ſui ſtudioſorum aucti, firmatiq; cohortibus prouecti, cum nullus popularium obiectus eorum impetus moraretur: tumulo tormentario, ex quo arcem populus verberabat, potiti, non tamen citra cruorem, cum ad tumultum, pugnæq; fragorem vndiq; affluens multitudo, Hiſpanos miſſilium nimbo continenti iaculatione inceſſerent: duo ibi librata tormenta in irruentium popularium vulnera conuerterunt. Acerrima ibi pugna conſerta eſt, dum populares amiſſam ſtationem recuperare contendunt; Hiſpanique eorum feroces aſſultus incredibili virtute propellunt; ceſſiſſentque inuictæ Hiſpanorum fortitudini populares; niſi ipſe Guiſius cum regia legione, validòq;, ac integris viribus agmine ſuperueniens Hiſpanos ſe indè recipere coegiſſet; qui iratæ, anhelantiſque in vltionem plebis violentiæ impares loco ceſſerunt, vt ſe fœliciori fortunæ ſeruarent. *Hiſpani in populares erumpunt. Inter Hiſpanos populareſq; pugna Hiſpani pelluntur.*

Germani quoque, & Ædui, qui ſe in ædibus Principis collis Anchiſis munimento vallarant ad Diui Ioſephi templum ſtipatis ordinibus progreſſi tormentarium aggerem repentino impetu adepti quatuor in eo reperta tormenta contra vrbis latus ſecundum Oliueti montis crepidinem porrectum collineant, atq; aſſidua verberatione concutiunt. Verum Guiſius, vt illud exitium ab ea vrbis regione, & tectis auerteret; alium aduerſum tormentarium tumulum in Grauinæ Principis ex Vrſina familia domo erigi iuſſit; ibiq; collocatis tormentis, non ſolum Germanorum planiformam horribili miſſilium iaculatione pulſabat; verum etiam Conſtantiorũ, Cornelijque Spinulæ ædes proruebat. Hiſpani quoq; in Chiaiæ ſuburbium emiſſo ſæpius tormento, ad terrendos populares diuerberant; ſed illi potius eò irritati detrimento rabie animos efferante, aduerſus Hiſpanos aggerem excitant; de quo excuſſa in eos tela pari repoſita clade, illatoq; terrore hoſtes intra ſua munimenta ſe continere, nihilq; ab ea parte tentare coegerunt. Guiſius territis vbique Hiſpanis, propugnaculum in Palepl.s via Abellinum verſus erigi iuſſit, atq; in eo quinque muralia tormenta librari; munitiſq; omnibus vicinis locis, quibus, & nobilium, & Hiſpanorum conatus, aſſultuſq; compeſci, & aditus commeatibus ad vrbem aperiri poſſent, conſilium de rebus bellicis conſulturus coegit: certus validas copias in patritios educere, relictis tamen in vrbe firmis popularium ſtationum cuſtodijs; vt Hiſpanorum, ſi quid tentarent, auſus coercerent. *Borgognoni. Chiaia. Poggio Reale.*

Digitized by Google

Anneſius ad hoc mille quingentos pedites moſchettarios, & totidem Lanzalonus, & Ariola copiarum Duces Guiſio miſerunt. Quibus additis duodecim bellatorum millibus, vrbe egreditur trecentis partim patritijs, partim mercatoribus eius ſtipantibus latera, & quadringentis Volonibus ponè ſequentibus, vna cum equite Centrone, Petro Paſtina exulum magni nominis ducibus, & Capuam verſus mouit: non ſolum, vt ea loca à popularibus in Brutijs cuſtodita firmaret; ſed etiam vt armorum violentia cogeret nobiles ſe populo conciliare; quando nec monita nec preces, lenioreſq; artes, atq; ampliſſima promiſſa eorum animos ad pacem cum eo ineundam flectere potuerunt.

Regiæ Gallicæ aulæ decretum.

In Gallica regia aula interim, quamuis Lutetiæ Pariſiorum aliquantum turbatum eſſet, optimatum, ſenatorumque conſilio Regis moderatoribus pro arbitrio omnia decernentibus, obſtrepente, nihilominus diligentiùs, intentiùſque res Italiæ curare, ſeduloque ad Neapolitanos tumultus animos adijcere, fouereque omnibus ſubſidijs rebelles ſtatutum eſt: quo Hiſpanæ res in Italia penitus corruebant. Mandatum idcirco Comiti Alezio Galliæ Narbonenſis præfecto, vt maiorum nauium claſſem inſtrueret; quæ triremium iam Tyrrheno, Inferoq; mari currentem firmaret. Hiſpani cum non ijs maritimis viribus validi, quibus olim toto mediterraneo mari volitare, iuraque dare populis conſueuerant, parem Gallicæ claſſem obijcere non poſſent: inſidijs, ingenioſiſque dolis aſſequi conantur, quod vi aperta tentare nimis arduum foret. Gallicam claſſem in ipſo Maſſiliæ portu incendere deſtinant. Nec inſidias ſtruentibus defuit quorumdam audacia non in naues modò, ſed etiam in ipſam vrbem flammas ſe iaculari pollicẽtium. Cum his actum de præmio, ſi auſus Numina fortunarent. Duodecimo igitur Kalend. Aprilis obſcuriſſima nocte, dum fremerent venti, totumque mare ab imo cierent, opportunitate vſi Hiſpani faces ab vtroq; latere triremibus inijciunt: præcipuè nuper extructas admoto igne ſuccendunt; quibus facilè fuit appellere lembos; cum nullis militum excubijs cuſtodirẽtur, ſed vacuæ fluitarent. Sic erat nupera hæc artificioſorum ignium ſtructura, bellantium ingenijs ſe ſe quotidie magis in mutuam perniciem acuentibus, nouaque ſemper ad nocendum machinamenta molientibus; ouata illis ſpecies, & quadrilatera figura inerat duos pedes in longum porrecta, vnum, & dimidium patens; circulo ferreo clauſa duobus in illo prominentibus vncis, quibus poſſent appendi. Quaternis ſingulis exiguæ arundines lateribus addebantur; quibus totidem ellychnia accenſa tenerentur: vt vno extincto, alia implerent vicem. Totum opus craſſa tela pice illita veſtitum reticulata textura cingebat. Singulæ inerant anſulæ ex caſtaneæ ligno; quibus apprehenſæ torqueri poſſent. Inſidioſa machinamenta videbantur fęlicem ſucceſſum habitura, ventorum magis, ac magis furentibus flatibus: verum vbi in nouas triremes contortæ faces ignem concepere; a iarum vigiles ex fumi nidore aduerſo incendio, periculoque triremium, trepidi accurrunt; vt iam gliſcentem flammam extinguant: qua ægerrimè compreſſa, in

Hiſpanorũ tredæ Gallicæ claſſis conſilium.

Ignei machinamenti deſcriptio.

ſa, in alterum claſſis latus feſtinant, in quo proſperiori euentu coniêcti ignes naues inflammarant. Verum huic quoque malo accurata dynaſtæ Valbellæ, vrbiſq; conſulum diligentia occurſum eſt, ortumque præfocatum incendium; quod facilè naues omnes corripere potuiſſet,ſi quibus appliciti erant ignes, locis omnibus adhæſiſſent.

Cætera interea claſſis, quæ Telo Martio Duce Richelio ſummo Nauarcho ſoluerat in orientem, decimo quinto Kal. Ianuarias Neapolitani ſinus ex alto cœpit oppida prætexta toto litore proſpicere: eodemque mane Inarimem prætervectæ, in ipſum ſinum ingreſſuræ, ab eadem inſula contento remigio popularis quidam naulo ad pretoriam aduectus iuſſu populi nuntiat; omnes adhuc illius ſinus arces Hiſpanicis præſidijs teneri: eorum claſſem duobus, & quadraginta maioribus nauibus, & vna, & viginti quadriremibus validam intra arcis nouæ, & Megaris ictus in anchoris ſtare; reliqua nauigia ab omnibus bellicis rebus inſtructa ad Baias, Stabiliaſque, & Neſidem excubare. Quibus nuntiatis,ſtatim verſus Neapolim nauigauit, vt populum de Gallicæ claſſis aduentu doceret: quæ nihilominus ſpreto imminenti ab Hiſpanica claſſe diſcrimine,ſub Prochytæ propugnaculi tormentorum ictus ferè impunè inuecta eſt. Innumeri protinus lintres, phaſeli, ſembi ſe prætoriæ quinqueremi circumfundunt; lætiſſimis vocibus gratulantur aduentum. Pauſilipi litoris præfectus admonet Ducem Richelium, quo res populi loco ſit; & cum cætera abundè ſupeterent;tormentarij pulueris penuria laborari: cuius ille tot cados præberi iuſſit,quot illa omnia nauigia vehere poſſent: prouectaque prope Hiſpanicam ad tormenti iactum claſſe, Richelius poſt varias conſulentium ſententias, decreuit nauali certamine cum hoſte decernere epibatarum virtute, & nauium robore fretus; edixitque Nauarchis, vt ſi idem ventus à pupibus flaret, euoluendi in hoſtium hora fumi caligine tecta claſſis hoſtili propiùs accederet, atque incendiaria nauigia in maiores Hiſpanorum naues immitteret. Imperatum inſuper claſſis Legato Mè dynaſtæ, & Garniero Narbonenſium nauium agminis præfecto, vt ad dextrum Prætoriæ latus triremes explicarent in pugnam; Montadæ verò, Queſneique domini iuſſi leuum tenere, medium agmen lento remige præeuntium triremium ordines ſequeretur; vt accenſa pugna, integrum in hoſtilem claſſem inuectum iam turbatam tormentorum pulſibus ipſo roſtrorum incubitu diſſiparet. Albeſcente Aurora, Galli Nauarchi certaminis cupidi ſecundo ſlanti vento explicatis velis, in hoſtilem claſſem feruntur; ſed eo vento ponente, ad eundem poſitum, vnde ſoluerant, reuertuntur. Plures populi duces Richelium gratulatum claſſis acceſſum conuenerunt: varijſque tragêmatum generibus,& bellarijs donarunt. Ipſe quoque Guiſius ſuum domeſticum miſit, qui Richelium de rerum ſtatu monitum, alios pulueris tormentarij cados, & quatuor inſuper muralia tormenta poſceret: & Blondelli dominum machinatorem egregium, bellicorumque inſignem inuentorum artificem ad littus exponeret: nullos verò cohortium duces,nullos milites

Tolone. Gallica claſſis ſe ſe Neapoli oſtentat. Iſchia. Caſtel dell'ouo. Caſtel amare. Niſita. Procida.

Gallica ad pugnam ſe inſtruit.

Summus Gallicæ claſſis nauarchus inuiſitur.

Guiſij perniciosum Gallis conſilium.

claſſe exſcendere pateretur; ne populo ſuo ingenio ſuſpicaci, & meticuloſo eius Gallicis viribus opprimendi timorem iniceret: ipſum ſuo numero potentem, & validum, & multa in Hiſpanos rabie ad omnia bellica tentamenta alacrem, & ſtrenuum poſſe audacter hoſtibus obſiſtere. Verum hæc fuit Guiſij ars, ne vllum haberet imperij collegam, quod exercere ſine riuali cupiebat. In omnibus Guiſio Richelius indulſit: exceptis muralibus tormentis, cum apta nauigia ad ea vehenda non eſſent. Solus Baſquius Abbas Romanus à Regis Galli miniſtris Roma ad Neapolitanum populum legatus, qui Populoniam paucis ante diebus abierat, vt illàc prætereuntem claſſem conſcenderet, tutoque Neapolim veheretur, vrbem inijt, vt cum populo ex mandatis tranſigeret. Richelium quoque adijt Aloyſius à Ferro præcipuus popularium Dux, vt illi ſuam conſtantẽ, atque inconcuſſam in Gallum Regem fidem omni aſſeueratione affirmaret: edoctumque de omnibus monuit in Stabiliarum portu quinque Hiſpanicas triremes, & totidem naues eſſe, quarum tres ad bellum inſtructæ, duæ onerariæ ingenti tritici copia onuſtæ in Hiſpanicæ claſſis commeatus.

Piombino.

Caſtell' à mare.

Gallica claſſis Hiſpanicas naues inuadit.

Quo accepto Galli Duces velorum ſecunda aura inflante ſinus, ſublatis anchoris inſenſi in hoſtilem claſſem feruntur. Verum pręcipuo fortunę Hiſpanorum rebus velificãtis fauore, dum claſſis explicatur in aciem, atq; in certamen inſtruitur, aduerſis ſuborientibus ventis, Gallis illuſum eſt. Hiſpani vbi inuehentia ſe ſe in Stabiliarum portum Gallica nauigia viderunt; Liburnicam biremen cum epibatis viginti eò properato remige nauigare iuſſerunt, vt de Gallicæ claſſis aduentu eas naues admonerent; atque ſe ad excipiendos hoſtium impetus expedirent. Verum hanc feſtinantem aſſequuta longa Equitis Poli nauis, cæſo primis ſtatim ictibus eius nauarcho, ea potitur: deinde Gallis portui ſuccedentibus, illæ quinque Hiſpanicæ triremes ex illis portus anguſtijs erumpentes, ſe ſub arcis nouæ tutela recipiunt. Tunc ijs elapſis Richelius iuſſit Mè, Garnierique dynaſtas ſuis nauium agminibus viciniùs prouectis, illas quinque hoſtiles naues inuadere. Sed dum remis incumbunt, panduntque vela, placidiſſima malacia tranquillato mari, cum, & iam occumberet ſol, in ipſis Stabiliarum portus faucibus ſubſtitere, poſtera die pugnam inituri. Itaque certaminis cupiditate ea nocte acta inſomni, prima luce Galli ſe parant ad prælium, laxantque ventis afflantibus vela: & ecce tibi ex aduerſo ſinus latere Hiſpana prætoria quinqueremis cum vicaria triremi, & valido quatuordecim magnarum nauium agmine, quæ à Baiarum portu eadem nocte triremium remulco abductæ in altum ſe cum cætera claſſe iungere properabant; à Gallis Nauarchis conſpiciuntur, quarum obiectu mutata repente bellandi ratione, decretique conſilio, Richelius ſtatim nauium Duces in conſultationem accerſit, vt eorum ſententia decernatur, an in eas, quinque naues, an in vniuerſam Hiſpanicam claſſem pugnandum eſſet. Omnium conſilio damnato veluti nimis audaci, perículoſoque in claſſem certamine, in iam deſtinatas naues eundum

Gallica claſſis in Hiſpanicam mouet.

decer-

decernunt, vt poſte quæ faciliori pugna intercipi poſſent. Nulla mora igitur Nauarchi iuſſi reliquam claſſem cum ſuo triremium agmine anteuertere, contra portum, atque oppidum tormenta diſplodunt: nec minori tormentorum procella Gallis Hiſpani reſpondent: ſed illi nihil ea miſſilium tempeſtate morante, ad maioris ſclopi iactum propè oppidum, naueſque inuehuntur, vt magis è propinquo violentiùs, vtraq; verberarent. Inde Hiſpanica nauigia tanto telorum è tormentis excuſſo turbine illicò inceſſunt; vt earum nauarchi deſperato fœlici pugnæ euentu, diffiſique animis ſe illas poſſe ſeruare, extracto, quidquid feſtinatio ſiuit abduci, naues iniectis flammis, incendunt; ne in hoſtium poteſtatem venirent. Qua hoſtium deſperatione aduerſa Stator maior Croizetus plures Myoparones emiſit, vt ſi quid integrum à flammis ſupereſſet, inde ad claſſem abriperent. Ingens oneraria nauis quatuor modiorum tritici millibus onuſta remulco adducta; cæteræ incendio abſumptæ. Plus centum Hiſpani ea miſſilium grandine traiecti, laceratique periere: quinque, & viginti tantum Galli deſiderati. Ab ea pugna Richelius Michaeli Almeidæ eius oppidi præfecto edixit; vt illud popularium Reipublicæ dederet, verum feciali obnuntianti è maioribus ſclopis emiſſa telorum procella à Sciani Duce, & Petro Caraffa eius oppidi propugnationi præſidentibus reſponſum. Richelius vt ſuas minas, ab eo præſidio haberi contemptui videt: ſpeculatorium nauigium ad Scrizantis dominum, Petrumque paſtinam celebrem exulem popularium ductores emittit monens; vt ſuas copias ſtatim admoueant: oppidum iis inuadentibus ceſſurum; ſi ea opportunitate vterentur: quo occupato, magnum erat incrementum rebus populi acceſſurum.

Galli Epibata Hiſpanicas naues tormentis diuerberāt.

Hiſpani ſuas naues incendunt.

Gallorum minæ temnuntur.

Hiſpanica claſſis, quæ, vt eas quinq; naues pugnæ diſcrimini ſubduceret, & Stabiliis ſubſidium afferret, in altum aduentos captandos nauigarat, in Gallicæ conſpectum prouecta; quamuis prætoriam, eiuſq; vicem gerentem quadriremem nulla nauigia, præter quinque ingentes, & vna incendiaria ſequerentur; mira ferocia, incredibilique auſu ad Gallicam inuadendam prouehitur: quæ paribus animis, nec minori audacia in medias Hiſpanicas naues ſolicito remigio ſe ſe inferens eminus hoſtilem tormentorum miſſilium incuſſu diuerberat. Vſque ad ingruentes noctis tenebras telorum omnis generis iactibus dimicatum, neutra claſſe hoſtilem cominus iniectis harpagonibus auſa adoriri. Hiſpanicæ naues cum à cæteris, aduerſo reflante vento, pugna iniri non poſſit; certamine exceſſere amiſſa victoria; quam facilè obtinuiſſent: ſi reliqua ſimul claſſis in Gallos ſociatis viribus dimicaſſet. Galli nihil tanto conatu, expectationeq; dignum decem, & ſeptem dierum ſpatio moliti ſubducta in Narbonenſe mare claſſe in Telomartii portu hyematura: nimboſo aere iam fremente, totam eam hyemem quieuere, maioribus viribus in bellum primo quoque tempore redituri.

Gallica claſſis ab Hiſpanica prætoria inuaditur.

Gallica claſſis nihil auſa dignum ſe recipit.

Guiſius claſſe digreſſa, ſe ad Capuā ſuo iuſſu à popularibus obſeſſam in

caſtra cum valido bellatorum agmine contulit. Plerique nobiles ex ea vrbe dilapſi ſe obſidionis periculo explicarunt. Quare Guiſius conſultiùs, ſatiùſque ratus tranſactione, negotioque magis, quàm armorum violentia admota vrbē ſubigere, cum aliquot ciuium primatibus iam in popularium partes inclinantibus arcanis nuntijs agere cœpit; vt ſtrictis in nobiles armis, exactoque præſidio, traderent vrbem: populumq; ſicuti aliæ plures vrbes iam Hiſpana re toto regno labante, fecerant, ſequerentur. Se tandem à duriſſimo Hiſpanorum iugo ſubtraherent: cupitamq; ſuapte natura libertatem à propitia fortuna vltrò illis oblatam amplecterentur: niſi omninò inſani ſeruitij acerbitatem eius fœlicitati præferrent. Meminiſſent, quàm durè ab Hiſpanis habiti ſuam miſeram vicem ſæpè inanibus queſtibus doluiſſent; acerbiùs in poſterum de ſuo expoſtulaturi malo, niſi ſui vindices ab impotenti imperio patriam aſſeruiſſent.

Guiſius Capuam oppugnatum vadit.

Guiſij ad Capuanos hortamēta.

Inde Guiſius, vt eodem ſimul tempore alias vrbes bello vrgeret, tria peditum millia ad oppugnandum Salernum miſit; in qua cum pauci admodū præſidiarij duce Ioanne Lellis curarent; nec diu inuadentium impreſſionibus poſſet obſiſti; dum ciues vrbis deditionem paciſcuntur, populares clam admittentibus conſcijs in vrbem illapſi illam diripuerunt, exacta opulentiſſima præda; quam tamen Guiſius miſeris ciuibus protinus reſtitui iuſſit: iniquum ratus ciues, dum de pace tranſigunt, hoſtilia pati. Capto Salerno populares ſe alijs Pompeianum obſidentibus iungunt; cui etiā ipſe Guiſius cum ſuo comitatu ſucceſſit. Regium præſidium poſt ſtrenuam ſex dierum propugnationem, cum vndique aſſilientem popularium multitudinem amplius repellere non poſſet; arcem Guiſio pactione dedidit; qui in puteolos conuerſo belli impetu, iam ab alijs popularium agminibus oppugnatos eam vrbem omnibus bellicis machinamentis, ac conatibus impetit: ſed inani, vanoque niſu, præſidiariorum, Fuſcaldiq; demarchi præfecti virtute popularium aſſultus ſtrenuiſſimè repellente, qui ſæpius cum cæde reiecti, fœdaque ſtrage ſummoti, ne in vnius oppidi oppugnatione perirent nihil indomita proficiente ferocia, cepto abiere: ingenti ſanè regiorum fructu, ac beneficio; ſeruato Baiarum portu, patefactoq; commeatibus aditu, qui Attellis Neapolim euehebantur, vbi iam annonæ penuria inualuerat. Ad Stabilias quoque popularium irriti ceſſere conatus; cum validum præſidium, veteranique duces, & ſtrenui præfecti popularium impetus magna cum eorum cęde fregiſſent. Nec minori ferocia, mitioribuſque odijs Neapoli certabatur popularibus, & Hiſpanis mutuis ſe cladibus conficientibus. Præcipuè ad primarium vrbis telonium atrox fuit, cruentumque octingentorum legionis Hiſpanorum certamen; qui etſi à popularibus, & eminus miſſilibus peterentur, & inſtante multitudine cominus ferirentur: intrepidi tamen vna numerum ſupplente, & affluentis turbæ vires æquante virtute, immoti denſatis ordinibus, eodem veſtigio contra immanem hoſtium pulſum perſtitere. Verum ingruente acriùs, incumbenteque violentiùs vndique populo, verſa ſemper in hoſtes fronte

Salernum. Popularib. deditur.

Torre della Nontiata,

Pompeianū Guiſio cedit

Caſtel amare,

Populariū cum Hiſpanis Neapoli pugna.

Digitized by Google

fronte, continua miſſilium iaculatione ferientes ſe compoſitis ordinibus, recepere. Alia quoque inter populares, & Nobiles, vt fors quoſque in hoſtes impegerat, commiſſa certamina. Iuliani enim pago in ſe inuicem incidentia hoſtium agmina iram acuentibus odijs, ſtatim bellico ardore incenſis animis, conferunt manus. Mirum eſt qua ferocia, ac rabie, acriq; impetu ſe mutuò inuaſerint: non eminus miſſilium iaculatione pugnatum, ſed ſtrictis enſibus, & pugionibus collato pede certatum: nemo niſi cæſus veſtigio cedebat: nullum irritum vulnus pectora aduerſa pectoribus telorum ictus excipiebant. Guiſius laborantibus ſuis cum aliquot equitum turmis ſubſidio aduolat. Tum enim verò cruentiori cæde certamen inhorruit; atrociuſque prælium exarſit; ſed acerrimo impetu in hoſtilem aciem incumbentibus patritiis, tandem populares in præcipitem fugam acti amiſſis promptiſſimis quibuſque, campum ſuorum cruore, ac cadauerum horore fędarunt. Qua clade accepta animo fractus Guiſius totius belli exitus, ex ea nobilium ferocia, implacabilique in populares ira fortunam præſagiens ad Duces Hiſpanos tubicinem legat; qui nuntiaret, ſe libenter cum ijs tranſacturum de ſuo tuto Romam regreſſu; ſi fidem publicam interponerent, ſe impunem, atque incolumen abiturum: ſe cupere de his omnibus cum Andriæ dynaſta conuenire. Quo Guiſij deſyderio audito Neapolitani proceres, ipſeque Tuttauilla coeunt in conſilium, quid expediret, in medium conſulturi. Sancitum eſt omnium conſenſu, vt Andriæ Dux Guiſium conueniens eius vota, poſtulataque audiret. Vtrique in Patrum Capuccinorum cœnobium Iuliani pagi propè Attellas ad colloquium conuenere, duodenis vtrunque, ſic enim condixerant, equitibus comitantibus. Guiſius vbi præſentem Andriæ Ducem habuit, quam alloqui ſummopere peroptabat, ea ſpe ductus ſua natiua facundia, qua plurimum egregio ſanè naturæ munere pollebat; ſe eum in popularium partes tracturum: mutato propoſito, diuerſa omninò, quam quæ promiſerat, fatur. *Non hoc, inquit, optaui tecum alloquium Neapolitanorum fortiſſimè procerum, vt te ſequeſtre cum Hiſpanis ducibus incolumen diſſeſſum paciſcerer; Gallicæ enim claſſis acceſſus, expeditaque auxilia è Gallia ventura, atque eadem claſſis aperiente, ſe uerè in hæc maria reditura auxit animum, ne populum, qui ſe meæ fidei, arbitrioque commiſit, tam fœde desererem: ſed tuæ virtutis admirator, tuæque amplitudinis, commodi, ſalutis, bonique cupidus, vt te propoſitis præmijs, honoribus, opibus, dominatibus, popularium partibus adijcerem, inſignemqœe huius temporis ducem mihi, & populo conſiliatum acquirerem. Quod Dij faxint; vt animaduerſo, in quod te nimius fidei ſeruandæ amor iniecit, diſcrimine, reſipiſcas. Quid enim nutanti, caſuræque Hiſpanorum fortunæ cum tui capitis, tuarumque rerum periculo diutius inniteris? quam niſi virtus veſtra fulciret; iam toto regno exacti Hiſpani, oppreſſique fuiſſent: quid eos ſequeris, qui tuam patriam exactionum acerbitate, indictiſque vectigalibus, ac tributis exhauriunt? in te ipſum, in proceres ſæuituros, vbi veſtris auxilijs rebellem plebem domuerint. Deſperatio populares in has ſe-*

Acerrima cruenta popularium cum regijs pugna.

Populares fugantur.

Guiſij tuti receptus deſiderium.

Guiſij ad Andriæ Ducem alloquium.

ditiones

ditiones egit, armaque eorum manibus aptauit; non perfidia; qui veſtram fidem implorant, opemque depoſcunt, vt communibus viribus patria à duriſſimo iugo vindicetur. Veſtras, vt video, compedes amatis, aſperumque ſeruitium; dum veſtris armis impotentes dominos aſſeritis. Ecquid pretij ab ipſis tot veſtrorum laborum, curarum, meritorumque expectatis? Tenent illi ſoli arcium, cohortium, triremium, copiarumque præfecturas. Præſident illi Regnis, prouinciaſque moderantur. Lucroſa ipſi obtinent miniſteria, Italis proceribus excluſis, quorum opibus in ſuis bellis, ac ſanguine abutuntur: immo ſi quis Italus bello præficitur, eius gloriæ inuidi indignantur iubentis imperia. Vos profugi, extorreſque patriæ erratis veſtri cruoris hirudinum vindices: veſtros populares exoſi, qui proprij impendio ſanguinis vobis libertatem, honorumque amplitudinem nundinantur. Cedo, ſi hæc ſurgens Reſpublica, pulſis Hiſpanis, veſtra ope firmabitur: quorum erunt præfecturæ, conſulatus, tribunitiæ poteſtates, vrbium præturæ, prouinciarumque proregia faſtigia dignitatis? Vos arbitri rerum populis latè regnabitis; vos omnibus prouincijs dabitis iura Hiſpanorum iugo ſubtracti. Aduertite, an vobis tanti ſit veſtris opibus, veſtroque ſanguine Hiſpanos aſſerere, interim vectigales, alieno, & extero ſubiectos imperio, quanti vobis futurum eſſet; ſi nulli Regi addicti, liberi, omnium vectigalium immunes, veſtriq; iuris tot Regni populis dominaremini. Non iſta perfidia eſt, ſed animi generoſi ſeruitium horrentis, fortis, ac magnanima deliberatio. Plura alia dicturus erat, niſi illum impatiens huius alloquij ſira ducis interpellaſſet. Qui nihil his Guiſij verborũ illicijs affectus reſpondit, *parum ab eo Hiſpani Regis vires in eo Regno cognoſci; nec benè de omnibus rebus edoctum: cum ſi diligentiùs inquireret, inuenturum, non ſolum Hiſpanos ad domandos rebelles, ſubigendoſque contumaces, ſed etiam ad alia paranda regna validos, potenteſque eſſe. Eum ſanè leuis ingenij eſſe, qui inconſtantis plebis ſtudijs, ac fauoribus niteretur: ſuaque omnia ad fluxam, atque inſtabilem populi fidem referret: cito futurum, vt ipſum pœniteat, non accepiſſe literas publicas; quibus tribuitur libera incolumi abeundi facultas: ſe mirari, ſi Neapolitanorum ordinem patritiorum tanti faceret; quanti ipſe affirmabat, de eo illum tam abiectè ſentire; vt ad turpiſſimum perfidiæ, perduellioniſque ſcelus audendum adduci poſſe cogitaret. Se verò hoc fœdiſſimum facinus adeò perhorreſcere; vt mortẽ millies oppetere mallet, quàm hac teterrima labe ſuæ vitæ ſplendorem dehoneſtare.* Inde inanis legationis irrito exitu iratus abſceſſit.

Ducis Andriæ ad Guiſium reſpõſio.

Guiſius eadem, quæ Andriæ Duci, cæteris patritijs ſe Neapoli adeuntibus inculcabat: quos formido magis, quàm amici animi affectus in eius cogebat obſequium. Omnes enim nobiles, qui Neapoli ſubſtiterant, Guiſium officij cauſa conuenerant; exceptis Petro Cantelmo, Ioanne Baptiſta Philomarino, & Franciſco Caracciolo; qui nullo metu adduci potuerunt; vt Guiſium, Ianuariumque Anneſium adirent; atque idcircò eorum acerbiores iras experti: quòd huiuſmodi contemptus illos ſibi fecerant infenſiores. Alibi quoque in Regno turbatum perfidiæ peſte aliarum

Nobilium in fide conſtantia.

quoque

Digitized by Google

quoq; vrbium animos corripiente: ſed minutis reiectis, potiora proſequemur.

Patritij, & populares ſibi inuicem moliebantur inſidias cum aperta vis parum proficeret,& quamuis in eadem vrbe miſti ſimul agerent(non enim omnes patritij in arma prodierant) ſibi mutuò tamen infenſi alter alterius conſilia,deſtinataq; eludere,atq; intercipere conabantur.

Accidit, vt pridie nonas Ianuarias Turſij Dux, Abellinique Princeps eius Nepos, & Proſperus Suardus Caſtelli Ayroli dynaſta, cum Nuntio Apoſtolico in Lucentium cœnobium conuenerint cum tribus populi Quæſitoribus de rebus componendis acturi.Dum nullo inſidiarum metu fidenter populares alloquuntur,ſpatiātur q;inter illos,repētè ex latebris inſidiātes erumpunt, captoſq; omnes,præter Apoſtolicū Nuntiū,in Carmelitanū Cœnobium deducunt: ſuis fraudibus cauſa prætexta: ſe ideò in cuſtodiam eos dediſſe, vt illatam populo à Prorege iniuriam vlciſcerentur: qui Marcheſium, & alios populares bona fide in arcem profectos, vt cum eo de conciliandis diſſidijs tranſigerent; ibi iure gentium violato dolo malo detenti fuiſſent. Proſperus capite damnatus obiecto ei fratris Ioannis Baptiſtæ Donati ſcelere necis, reuera tamen, quod eſſet Franciſci Toralti capite mulctati conſobrinus, tantum non eodem ſupplicij genere perijt. Humaniorum interceſſu popularium lege in eum actum non eſt. Euaſitq; fauentibus Superis iam ſtrictas imminenteſq; collo ſecures. *Proſperus capite damnatus mortem euaſit.*

Varijs quotidie tumultibus tota ciuitas fluctuabat, dum Hiſpanicum damnarent ciues imperium, & populare inquies, turbidum damnoſum auerſarentur. Ad ſex millia de vltima fœce plebis inopes, mendici, quibus ex rei domeſticæ difficultate, vitæque miſerijs Lazaris erat cognomen, in ſeditionem verſi, quòd ex præſentis turbis nullum ſuis calamitatibus leuamentum, ſed afflictis, acciſiſque rebus maiora detrimenta collegiſſent, in honeſtioris conditionis ciues, quos ex pallijs nigris nigros vocabant; conciti furore conſurgunt. Huic inſanienti multitudi alia octo de vulgi purgamentis inopum millia ſe ſe adglomerant. Omnes ſimul conglobati totis vrbis regionibus lymphati rapiuntur: obuios quoſque ereptis pugionibus, enſibus, & gladijs opulentiores exarmant. Guiſius ad tumultuantium fragorem excitus Carmelitano cœnobio egreſſus Indicam arundinem altera manu tenens, altera enſem, in inconditam illam turbam inuectus alios arundine cædens, alios etiam enſe feriens eo generoſo auſu nullo ſatellitio, ſed ſuis tantum domeſticis ſtipatus, & impauidi vultus maieſtate nemine auſo repugnare, omnem illam colluuiem in fugam auertit: tanto illis incuſſo terrore, vt in latebras ſe trepidi condiderint, neque deinceps aliud ſimile tentare, aut turbas ciere auſi fuerint. Quod Guiſio maximam impauidi animi exiſtimationem, & bellicę fortitudinis laudem conciliauit. Verum dū furentis plebis aſſultus animosè propellit, domeſticis inſidijs appetitur: ab externa violentia ſecurus intimis fraudibus circumuenitur: *Alia mendicorum ſeditio.* *Guiſij magnanimitas* *Guiſius domeſticis inſidijs appetitur.*

Digitized by Google

aut Popularium inconſtantia Guiſij imperium perteſa, aut Hiſpani Principis iuuenis vegetem vigorem animi, & bellicam virtutem veriti has illi inſidi as poſuerint; aut ipſe Guiſius, vt ſe in perpetuo vitæ periculo verſari; quòd rebus populi inſeruiret, eiuſque commoda curaret; in popularium animos ſui venerationem induceret; conſultò vulgarit famulum quemdam pincernam, ſe medicata potione occidere tentaſse, veneno in aquæ ampulla diluto, qua ille vinum miſcere conſueuerat; ea turbida natiuo mutato colore deprehenſa, veneficij ſuſpicionem iniecerat. Reus detruſus in vincula, quæſtioniq; ſubiectus, quo impellente, authoreque id facinus auſus fuerit, ex ordine cuncta retexit: quod edere in vulgus cum Guiſio non expediret, nec ſceleris authores traducere citra periculum eſſet; ſilentio preſſit; nec proditorem debito tanto piaculo ſupplicio plexit, ſed tantum domo eiectum expulit in exilium. Didito tamen per vrbem rumore, illum veneno ſublatum. Ciuibus conſternatis, confuſoque populo iam noua molituro, Guiſius conſcenſo equo, in publicum prodiens, ſe in ciuium conſpectum dedit, vt ſe viuere declararet. Eius præſentia varij habitus animorum, alijs eum viuum, alijs extinctum cupientium patuerunt. Nulla eum æquè cura angebat; quàm, vt annonæ affluentia, frugumque copia populum ſuſtentaret, cui nullum acerbiorem, infenſioremq; hoſtem eſſe ſciret, quàm famem; qua in rabiem actus præceps in omnem audaciam, inſolentiamque ruit. Aliquot igitur popularium agmina in Chiaiæ ſuburbium immiſit; qui tanto impetu Diui Leonardi turrim, quam Hiſpanæ cohortes tuebantur, inuadunt, vt deiectis propugnatoribus, occuparint; inde ſuburbium ſubditis facibus, concremarunt; ingenti ſanè regiæ partis detrimento, quòd eo clauſtro populares commeatibus intercluderet: rebelleſque eo obiecto vrbis portæ munimento frenaret; ſed farinæ, annonæque lucrum acceptum penſauit incommodum: in eo enim præſidio, & incolis alendis ad quadraginta farinæ modios, cuius iam penuria ciues vrgebat, in ſingulos dies impendebantur: inutili ſanè iactura, quòd ij ſuburbij inquilini vt plurimum nautæ infidi, popularium plerunque ſtudioſi alimenta hoſti porrigerent. At ci ò eo amiſſo, detrimentum experti tum demum didicerunt quidquid hoſti lucro cederet, ſibi eſſe iacturæ; præſertim cum ſubito, & exulum, & rebellium incurſu momento ditiorum ædes, nobiliorumque palatia direpta lętam frequentis ſuburbij faciem vertiſsent.

Guiſij clementia.

Huius iactura loci Attellarum, Salernijque amiſſione cumulata, infenſique Proregi copiarum Duces, cui, euerſis eius deſtinatis, diſcuſſiſque conſilijs, aduerſa fortuna reflabat: Ioannem Auſtriacum perpulerunt, vt enixiùs Proregi diſceſſum in Hiſpaniam ſuaderet; atque acriùs ſolicitaret, ea præfectura, prouinciaque abiret: repugnantique minaretur, ſe inde claſſem abducturum; quod Nauarchi omnes inſtabant; vt ſpolia, & prędas ex Neapoli actas, quibus naues infarſerant, in Hiſpaniam ad proprios penates aueherent. Verum proceres, cæterique Regis ſtudioſi ſummis precibus contendebant; ne inde claſſis abſcederet, ne adeunti Gallicæ

Populares Attellas, et Salernum acquirunt. Ducum in Proregem odium.

omni-

omnibus exuti auxilijs ad hoſtium arbitrium cedendi, perdendique proderentur. Verum hoc quoque plurimis difficultatibus implicitum proceres maximè, & Proregem angebat: quòd ægerrimè poterat expediri, cum in ſocijs naualibus, claſſiarijſque ſuſtentandis, vrbis commeatus, quibus erat alenda, exhaurirentur; & Nauarchi, epibatarumque duces maiora in dies alimenta depoſcerent, qui nunquam a Prorege adduci potuerunt; vt milites, Nautæ, & remiges luſtrari, cenſerique paterentur, deficiente ad metienda ſtipendia pecunia, quæ plerunque ſolet in copiarum luſtrationibus militibus ſolui. Nihil tamen his morantibus difficultatibus, in procerum conſilio ſancitum eſt; vt claſſis in Italia nequicquam Nauarchis frementibus, ſiſteretur; & Prorex magiſtratu ſe abdicaret;ne inde claſſem Auſtriacus eius contumacia indignatus abduceret. Diu tamen variantibus contrarijs ſententijs, in conſilio de abroganda Proregi præfectura diſceptatum eſt, cum id Hiſpano Rege inconſulto, iniuſſuque eius fieri nequaquam poſſet; nihilominus commune populi, regiorumque aliquot procerum in eum odium, quo ſe ille flagrare ſentiebat: effecit, ad declinandam ſuorum iuxta, ac popularium inuidiam, non expectato Regis iuſſu diſceſſum decerneret: cum nihil ei foret antiquius, quàm Regis obſequium. Iamque naui impoſitam vxorem Sardiniam, aut Genuam iuſſerat curſum intendere, ibique ſe præſtolari: dum ille interim cætera itineri, nauigationique expediret; quæ moras ſubinde conſultò nectens, diemq; trahens lentè parabat: vt inter cunctandum ab Hiſpania aliquid afferretur.

Prorex cogitur præfecturâ abire.

Vrgebat interea acrior populum fames, iamque ſeditionem iterum propè ventum erat; niſi gliſcentis tumultus initia armorum violentia, ſuppliciorumque terror protinus oppreſſiſſet. Quædam audacula mulier Chriſti è cruce pendentis effigiem manu tenens religato ad collum fune, fœminarum turbam clamore coegerat: quarum furiali tota vrbe diſcurſu procul dubio perículoſior exarſiſſet ſeditio; ni iniecta authori vincula, ſedato tumultu, cæteras terruiſſent. Deinceps ad compeſcendam popularium inſolentiam duæ Sequanorum equitum turmæ tota vrbæ iuſſæ diſcurrere.

Fœminæ tumultuantis audacia.

Dum Hiſpani huiuſmodi difficultatibus conflictantur, Dux Guiſius Capuam arcta obſidione perurgens caſtra identidem inuiſebat; vt præſens magis ad dura quæque ferenda ſuos milites animaret; obſeſſoſque impreſſionum in muros frequentia premendo terreret: nihil enim intentiùs anhelabat, quàm eius vrbis expugnationem, vt eo perfugio Hiſpanos exueret. Iamque annonæ penuria ſeminecem plebem ad deditionem paciſcendam proclinabat; ſed inuicti præſidij virtus, quæ maximè tota ea obſidione ſingularis enituit, vicini ſubſidij ſpe feſtinantis auxilio imbellium animos, vireſque firmabat. Huius obſeſſæ vrbis difficultatis Ioannes Auſtriacus elapſis per medias hoſtium cuſtodias, & ſtationes nuntijs admonitus Aloyſio Poderico mandat: vt expedita fortium quadringentorum peditum

Guiſius Capuã vrget.

manu

manu Capuam properaret, vt procul ſubſidium oſtentans in fide magis nutantes ciues contineret; quàm ſperaret proſciſſo hoſtili vallo, ſe in vrbem poſſe perrumpere: ad colles tamen propè flumen agmine circumducto, in Diui Ianuarij propugnaculum, quod popularium cohortes tuebantur, validiſſimo dato impetu, in illud ſæpiùs eniti conatus, cum iteratis impreſſionibus ob propugnantium virtutem nihil proficeret, laceras cohortes in pacatum recepit. Obſeſſi nihilominus impauidi, vel ſuorum repulſa, malè tentato ſubſidio, nihil animis fracti inuicta virtute oppugnantium violentiæ, atque aſſultibus inuicti reſiſtunt.

Capuani præſidij virtus.

Dux Guiſius opportunis ad continuandum obſidium, expugnandamq; vrbem mandatis ducibus, præfectiſque datis, Neapolim redijt; vt duas triremes, aliaque nauigia, quæ à cætera Hiſpanica claſſe ad populum trāſfugerant; interceptis prius in ipſo curſu perfidiæ auctarium, tribus nauibus frumento onuſtis in claſſis alimentum Crotone ſubmiſſo, præſens inuiſeret. Deinde in maris litore inter Herculanum, & Pompeianum validum propugnaculum extrui iuſſit; cuius obtentus ea loca tueretur: firmoque in illud præſidio inducto, aliud quoque munimentum ad Pauſilipi montem excitatum quingentorum peditum cuſtodia firmauit: præfecto Ioſepho Abbate Coppola, qui Turſi ducem, Abelliniq; Principem captiuos egerat; ad quos redimendos cum Petrus Sarmientus Ioannis Auſtriaci domus præfectus interpoſita fide publica acceſſiſſet: perhonorificè à Guiſio exceptus ad Ferrantis Caraccioli ædes, in quibus captiui cuſtodiebantur, deductus de ea re ſedulò tranſigere cœpit. Tum Guiſius eos proceres à Republica maximi æſtimari, præcipuoque honore haberi affirmauit: præſertim Turſi ducem, vt pote ſummi Neapolitanæ claſſis Nauarchi parentem; quare ipſius pretium fore eandem duodecim triremium claſſem omnibus armis, & remigibus inſtructam, abſque tamen Epibatis. Pro Abellini Principe arcem nouam cum Pizzafalcone, & Diuæ Luciæ in monte ſtationes, ſituſq; vel alias duas Diui Hermetis, & Megaris arces ſibi tradi poſtulauit. Proſperum verò Suardum centum quinquaginta aureorum millibus indicauit: Diui autem Lucij demarchi filio prætoriam Neapolis Nauim, reliquumque nauigiorum agmen tormentis, cæteriſque bellicis rebus inſtructum ſine tamen nautis, & militibus pretium fecit. Quæ nimis immodica poſtulata exiguam Guiſij eos dimittendi voluntatem declararunt. Quare negotio in officioſa verba, mutuaque eloquij blandimenta effluente, captiui, vnde abducti fuerant, reducuntur.

Cotrone.

Turſi.

Guiſij inſolentia poſtulata.

Populares ad prohibendas Hiſpanorum eruptiones Diui Hermetis arci aggerum obiecerant munimenta; quibus tamen nihil præſidiariorum ferociam morantibus, ſæpius ex ea arce illi in ciues, obſidenteſque procurrebant. Quorum Guiſius vt retunderet audaciam, iuſſit populares conferto agmine arcem inuadere; ad terrendos magis Hiſpanos, quàm vlla eius potiendæ ſpe; & cum ferociùs continuato impetu populares inſtarent; tormentarium aggerem, quà mons Virgilius ſurgit, educi iuſſit; vt ex eo

libra-

libratiùs, & certiùs in arcem tormentorum miſſilia torquerentur: quibus aſſidua iaculatione verberantibus muros, cum ingens eorum pars quaſſata procidiſſet: per tubicinem caduceatorem præſidiarijs edixit, vt dederent arcem, à ſe eos honeſtiſſimas deditionis leges accepturos. Verum præfecto Guiſij inanes obteſtationes ridente, maiores, violentioreſque in mœnia populares iterant impetus; à quibus cum vulneribus male mulctati, cæſique pellerentur; ad Vomeium confuſi agmine ſubducto, omnes aditus ſepiunt, vt inde huius arcis cum cæteris commercia præciderent; eamq; ita clauderent vndecunq;, vt nulla ſubſidia poſſet accipere. Diuæ quoq; Luciæ ad mare firmis cuſtodijs aditus ſepti adeò, vt earum regionum incolæ, qu ab Hiſpanis ſtabāt, ad vltima compulſi in eos ſeditioſè rabie conuerſa, plures occiderint; ſociatiſq; cum Pauſilipi accolis armis, ita peritè ſe munimentis, aggeribuſq; vallarunt; vt clauſa Megarenſi arce, regiam ipſam, Hiſpanorũq; ſtudioſos vrgerent: qui cum vndiq; vt illis ſe anguſtijs explicarent, in populares erumperent; fiebat, vt illa pulcherrima ciuitas cruentiſſimis ſpectaculis, fœdiſque ciuium cędibus tragica ſcena funeſtiſſimè perhorreſceret; ipſeque Guiſius tantum non cæſus affectati regni, vaſtique animi nimium ſe fluxæ popularium fidei credentis pœnas dedit. Quidam nobilis fratrem Franciſcanum minorem corporis leucopheato cultu mentitus in eius ædes ingreſſus dum facinus moliretur; auſus atrocitate territus, fractuſque animo, vt in eiuſmodi tentamentis plerunque ſolet accidere; pallore vultus paratum facinus prodente conſcientia, à vigilibus, id quod erat, ſuſpicatis iniectis manibus capitur: qui ſceleris, parricidiique compertus; vel nulla verum exprimente quæſtione, plurium populi miniſtrorum, primatumque coniurationem aperuit; quibus inſidiarum teſſera, & ſymbolum ab Hiſpanis ſingula ęrea ſigilla, quibus erat Hiſpani Regis ſimulacrum inciſum, tradita erant; vt ſi Guiſium occidere licuiſſet: extemplò ab ipſius cęde, coniurati cum Hiſpanis omnes popularium ſtationes inuaderent, atque in vniuerſam plebem promiſcua cęde ſeuirent. Conſcij, inſidiarumque participes illicò quæruntur ad necem; pluribus vincula iniecta. Hiſpani ſuis retextis dolis, eluſiſque fraudibus, aliud inſidiarum genus moliuntur. Plebis fęcem, ac purgamenta ſolicitant; vt ſeditionem, tumultumque cieant: atque ad arma in rebelles tot malorum cauſas elata voce conclament; quæ diſcrimina, vt populares vitarent; huiuſmodi plebis ſedimenta centuriant; ad ſex millia authorata in Brutios amandantur Bernardino ſummo chiliarcho; atque his abſterſa ſordibus vrbe, populares, & Guiſius eo defuncti periculo hilarioribus animis quieuere.

Guiſius Diui Hermetis arcem oppugnat.

Guiſij cędis diſcrimen.

Guiſio ſtructa à plurib. inſidiæ.

Coniurati quæruntur ad necem.

Interim Proregem amici vt diſceſſum maturaret, hortabantur, ne diutius cunctando ſui criminandi illi infenſis materiam ſufficeret. Et quamuis eius omnia acta ciuilis prudentiæ plena eò ſemper collineaſſent; vt ſui Regis decus, dignitatemque tueretur, rerumque incrementa curaret; nihilominus ſeptimo Kalendas Februarij à Ioanne

 Auſtria-

Digitized by Google

Prorex nauigat in Hiſpaniam.

Auſtriaco impetrata miſſione, inter muralium tormentorum frequentia, lætaque tonitrua, populo quoque è ſuis ſtationibus iiſdem tormentorum fragoribus, & lætitiæ ſignificationibus abeuntem proſequente, in Hiſpaniam ſoluit. Mirum eſt quantis eius diſceſſu proceres æque, patricij, ac plebs vniuerſa, omneſque ordines gaudijs exultarint: ſerenati turbines, diſcuſſaque nubila, ac redditi priſtinæ tranquillitati dies videbantur; tantus terror ab vno viro, & populo, & nobilibus incubuerat. Inter lætiſſimos quoque tormentorum boatus ab arcibus à munimentis, & propugnaculis omnibus fulminantium, atque inter feſtas vniuerſorum ciuium, & militum acclamationes Ioannes Auſtriacus abeunti ſuccedens præturam adijt, eò ciuibus acceptior, quò præceſſor erat inuiſior. Profectus eſt ille Patricijs infenſus; quòd eius perniciosum inuadendę vrbis conſilium damnaſſent, abrogatæq; ſibi præfecturæ, tanquam omnium malorum radici, ſuiq; diſceſſus cauſa extitiſſent: quare vt iniuſtum in ſe nobiliorum odium, acceptamq; contumeliam vlciſceretur: apud Regem patricios, & proceres veluti eius periculoſiſſimæ ſeditionis, rebellioniſq; faces incendiſſent, auarè in ſuis ditionibus à dynaſtis vectigalibus habitis, atque à nobilibus in vrbe perpetuo plebe deſpecta. Verum hæ Proregis criminationes nihil nec Regis, nec purpuratorum animos affecerunt: cum Regni procerum inconcuſſæ in Regem fidei eſſet nota conſtantia, quantumque in eo Regno Hiſpano Regi ſeruando vel ſuarum fortunarum, propriæque vitæ impendio foret contra populi conatus, atq; impetus laboratum. Qui, & ſi ad conſtituendam Rempublicam, primoſq; honores capeſſendos omnibus dignitatum, opumq; illicijs, atq; obſequiorum blandimentis à plebe inuitarentur: regiam poteſtatem, ditionemq; ſancire ſuo ſanguine maluerunt; quàm libertatem amplecti tantopere ſuaptè natura cupitam.

Populi de eius diſceſſu lætitia.

Ioannes Auſtriacus Regni præfecturam adit.

Procerum in Hiſpanū Regem merita.

Aloyſius Podericus, quem Capuam ſubſidio miſſum memorauimus, quamuis ſæpius ab hoſtilium caſtrorum munimentis repulſus: tamen maiori, audacioriq; impetu obſidentium popularium aggeres aggreſſus in Capuam tandem per hoſtium cædes irrupit; atque identidem in obſeſſores erumpens ſæpè eos edita latè ſtrage, cæcìdit. Quare deſperata expugnatione populares, obſidio ſoluto, eas vires in alijs vrbibus, lociſq; oppugnandis libertateq; ad vltimum tueda integras ſeruare decreto, Neapolim redierūt. Putcoli quoq; non minori virtute aggredientium popularium iteratos impetus ſuſtinuerunt: ingentique cæde ſæpius repulſi rebelles, cum eo loco, quem plurimi proceres, & nobiles equites inierant; ſe potituros diffiderent: re infecta, irritoque auſu abierunt. Iiſdem quoque diebus à regijs, vel repugnantibus acriter popularibus, Seiani dynaſta Duce ſurrentum validum ſubſidium illatum. Ioannes Grillus Genuenſis inter populi capita, & Duces aſcitus eam vrbem inuaſerat; ſed ab obſeſſis à fronte, & à Seiani regulo a tergo perculſus, amiſſis muralibus tormentis, cum ſuorum clade, decoriſq; iactura, ab ea obſidione inglorius abſceſſit.

Capua ſoluitur obſidio.

Populares vbique pelluntur.

Alijs,

Alijs, atq; alijs triſtibus nuntijs Guiſius perculſus, cum in irritum ruere ſuas ſpes omnes aduerteret; vt ſupremos ſuarum virium conatus ederet, coactis, vndiq; popularium agminibus cum vrbanis cohortibus, vniuerſas Hiſpanorum ſtationes ab omnibus copijs ferociſſimo impetu iuſſit inuadi. Tam aggredientium, quàm propugnantium virtus eo certamine micuit; ſed cum iniquiori loco obnoxij ferientium ictibus, vt pote nullo tecti munimento, inuadentibus pugnandum eſſet: malè mulctati, vulneratiq; quibuſque promptiſſimis cæſis, à faciendis impreſſionibus abſtitere: plus mille popularium ea pugna cæſum eſt, non amplius Hiſpanis decem deſideratis, ad triginta ſaucijs. Hic aduerſus certaminis euentus adeò popularium animos deiecit; vt iam expugnandarum arcium à ſpe prorſus omni deciderent: præſertim cum aduenæ milites ſe in pacatum protinus recepiſſent.

Guiſius, vt ſuam fortunam ad regium faſtigium experiretur, accitis in Archiepiſcopale palatium omnium ordinum primoribus ciuium, inſtitit ſuadere, *difficillimum fore ijs rerum aduerſarum turbinibus Rempublicam conſtituere; ſatiùs fore, expedireque magis, ſi vnius regis auſpicijs res gereretur: qui ſuprema poteſtate, authoritateque ſumma, labantes popularium res fulcire, aduerſis occurrere, collapſaque in integrum reſtituere poſſet: vnius capiti melius, quàm multorum niti vrbis, populique ſalutem: eius expeditis conſilijs omnia fæliciter euentura, cum Regis veneratione ciues imbuti conſtantiùs in fide manſuri ſint, moioraq; ad demerendam ſui Principis gratiam, quàm pro viribus auſuri. Proinde Regem plebiſcito iuberent, regnique gubernacula duntaxat vni deferrent: qui virtute, conſilio, prudentia ſtrenuus plebem tegere, ſuperboſque dominos exigere poſſet.* Pronis auribus ab vniuerſo cœtu Guiſij hortamenta excepta. Verum didito in diuerſas ſententias vulgo, alij Gallorum Regem, plures Hiſpanum, pauci admodum illum Regem acclamarunt. Cuius iudicio populi indignatus Guiſius cum ſe negligi, neq; ad diadema vocari; immo repelli conſpiceret; edixit, vt nullus amplius de Rege creãdo, ſed de firmanda tantum Republica ſermones ſerere auderet.

Guiſius regnum affectat.

Ioannes Auſtriacus, vt cautiùs, prudentiùſq; in eius præfecturæ initijs ad concilianda populi ſtudia, roborandaſque regias partes ageret: ex primoribus ducibus non tam rei bellicæ, quàm ciuilis prudentiæ peritis conſilium inſtituit; ad quorum ſententias Regnum, bellumq; aduerſus rebelles adminiſtraret. Nam, & ſi aliqua Neapoli parandæ quietis, pacandiq; rebelles ſuffecto inuiſo Proregi Ioanne Auſtriaco, ſpes affulſiſſet; tamen ea rebellionis peſte correptæ aliæ regni prouinciæ eodem actæ furore ad inſaniam in regios ſæuiebant. Lucani defecerant, atque finitimos in idem perduellionis traxerant ſcelus, & alibi in prouincijs turbatum. Quare ita conſilio primatum à latere ſuadente; in ſuas quiſq; prouincias natiui proceres ad incolarum regimen deſtinati, iuſſiq; actutum proficiſci, vt rebellantes ſuorum vectigalium, aſſeclarumq;

Ioannis Auſtriaci prudentia.

Varia Regni loca rebellant.

ope frænarent, ſeſeque perditorum conatibus, atq; auſis obijcerent.

Guiſij animi magnitudo. Guiſius interea quamuis ſummis omnium rerum difficultatibus vrgeretur, Hiſpanamq; rem penè paulò ante perditam, proſtratamque paulatim ad priſtinam potentiam aſſurgere videret: nihil tamen animo fractus inſtitit proceres omnibus obſequijs, pollicitis ingentibus, omnium officiorum illicijs ab Hiſpanis auellere, ſuiſque, & popularium partibus adijcere; ſucceſſitque ex voto conatus; nam Grumenti comitem Claremontis comitis filium Ioannem Sanſeuerinum ſua traxit in ſtudia; qui feſto omnium campanarum pulſu, lætiſque vniuerſi populi acclamationibus exceptus alijs quoque fecit exemplum, vt eodem perduellionis ſe ſcelere inquinarent. Perfidiæ pretio Guiſij Legatus protinus renunciatus. Procerum animos valdè pupugit vnius è ſuo ordine defectionis turpiſſimæ labes. Ioannes Auſtriacus leniùs agendo, tamen, habendoque mitiùs omnes ſumma induſtria, propoſita præteritorum criminum indulgentia, populares ad fidem, & ſaniora conſilia pellicere conabatur; pluresq; iam peruicacioris ingenij quibuſdam patricijs, qui in popularium ſtationibus erant, ſequeſtribus ſibi adiunxerat. Nihil æquè truces populi animos lenijt, quàm typis impreſſum vulgatum diploma; quo fide regia præteritæ culpæ omnes, perduellioniſq; ſcelerum pœnæ condonabantur, vectigaliaq; omnia, tributa alimentis poſt Carolum V. impoſita tollebantur. Iamq; melioris, ſanioriſq; mentis ciues ad pacem magis, quàm ad res turbidas, bellumq; propenſi arcanos cætus ac conuentus habebãt, multum priſtina contumacia, ac ferocia remiſſa. Verum enim verò dum alterum obligatur vulnus, aliud periculoſius infligitur. Offendebantur procerum animi eo nimis indulgente diplomate, quo omnia prorſus vectigalia, ex annona exigi ſolita abolebantur, quod ſui prouentus, & cenſus minuerentur. Quare in Diui Ludouici delubrum non exiguo numero coeuntes de hac re Ioannem Auſtriacum monendum cenſuerunt: ſubmiſſiſque eloquentioribus de earum literarum munificentia expoſtulant grauari proceres, qui Regis obſequijs mirabili fide pro eo Regno Hiſpanis aſſerendo ſuas opes, vitamque impendiſſent: minoris ſe, quàm rebellem populum, vulgique fæcem æſtimari: deteri multum de ſuis prouentibus, ſi omnia ciborum vectigalia popularibus condonentur. Ioannes Auſtriacus hac ancipiti difficultate animi pendens, hærenſque dubius, quid potiſſimum pro tam benè de Hiſpano Rege meritis proceribus ſtatuendum eſſet: inijt ſalubre conſilium, quo, neq; populum aſperaret, neq; proceres alienaret. Illud aliò diplomate declarauit; quod tamẽ nullis cõpitis, aut celebrioribus vrbis locis affixũ in publico patuit. Alibi quoq; Hiſpanis rebus fortuna ſuffragata eſt. Seiani Duce plurimũ laborãte, agẽteq; cũ Abellini, diuiq; Seuerini populariũ ducibus, vt ad fidẽ redirẽt; quos ſi feroces, bellicoſoſq; Hiſpanis addere cõtigiſſet; alios, quoq; finitimos, veluti cæteris audaciores ſuo exẽplo in Regias partes impuliſſent. Iuuabant Pauli Neapolitani conſanguinei Sei an

Saponara.

Guiſius duos Proceres ſuas traxit in partes.

Auſtriaci comitas, & induſtria.

Procerum de Ioanne Auſtriaco querela.

Fortuna Hiſpanis fauet.

Ducis

ducis conatus Guiſio maximè infenſi;,quod Paulum capite damnaſſet;quia in quodam conuiuio cuidam ſuadenti Guiſium Regem creandum, acribus verbis accepto præſentem necem interminatus fuiſſet, ſi amplius de ea re mentionem inferret; quamuis Guiſius ad honeſtandam vltionem hoſtili animo titulum prętuliſſet; Paulum idcirco capite plexum, quòd Montis ſarchij Principis ædes, ſpretis ſuis iuſſibus, diripuiſſet. Illi Seiani Duci promiſerant, ſe Abellinum regijs tradituros; regiaque ſigna protinus elaturos. Sed grauiora, maioreſque pacandi Neapolis curæ ab hoc negotio regiorum animos auerterunt.

Etſi Ioannes Auſtriacus Arcos Dynaſtæ diſceſſu præfecturam inierat, cum tamen eſſet ſummus Hiſpanicæ claſſis Nauarchus, non eum decedat, nec ſui muneris erat, regni præſidem agere, grauioribus illum negotijs diſtinentibus: vt pote cui veluti Regis gerenti vices componendarum rerum data erant mandata libera, conſtituendæq; pro arbitrio pacis ſũma facultas: totus erat in demerendis humanitate, comitateq; proceribus, quibus nulli fraudi erat coram eo ſedere, alloqui capite operto. Faciles ad eũ aditus, adeunteſq; perhumaniter excipiens, poſito Hiſpanici ingenij faſtu, porrecta comiter dextera, in omnem vrbanæ ſuauitatis compoſitus modum eorum beneuolentiam demereri cupiebat. Non ita tamen ſe ad ſinguſos demittebat; quin grata quædam, ſeriaq; grauitas, & maieſtas inter officia, obſequiaq; fulgeret: illi Vniati comes in regni præfectura ſufficitur, qui ciuilia, bellicaq; negotia tractaret.

Dum Hiſpani varijs artibus populares æquè, ac nobiles ad ſe allicere inſiſtunt; Rebelles pariter ſuam retinere Rempublicam, aſſertamq; libertatem, atq; vſurpati imperij iura tueri contendunt: iubere prætores, præfecturas addicere, munia partiri, prouincijs perficere populares, & alia puerilibus conſentanea crepundijs ſancire: lapſura prorſus cum nullius, vel certè imbecillis admodum authoritatis, ac dignitatis robore niterentur. Inconſtantia enim plebis ingenia primo impetu feruentia mox damnatura, quæ paulò ante ingenti animorum ardore probarunt; ei non acquieſcentia fortunæ, quam per vulnera, & cædes, ſummaque incommoda, ac damna quæſierant; ſibi deinceps maiora pericula, acerbioraq; metuentia, vltrò ſe priſtino domino ſuo infenſo hoſti permittent. Neapoli adhuc rebellione furente, nouarum rerum ſtudioſi cæteras regni prouincias vario tumultu miſcebant; in quibus cum odia, priuata diſſidia, melioris fortunæ ſpes, cupiditas, diuerſique animorum affectus indigenas agitarent; omnibus in præceps ruentibus, nullo ſuppliciorum metu intra honeſti limites inſoleſcentes continente, impunè graſſante libidine; ſæuitia, horrebat vbiq; rerum miſerabilis facies. Vltrix ſanè cæleſtis Numinis ira miſeros incolas in mutuam perniciem impellens in ſua ipſorum viſcera armatas ferro verterat dexteras: atque inter ſe patritios, & populares ad vtriuſq; partis exitium, ruinamq; committebat.

Vniati comes Neapolis Prorex.

Regni calamitates.

Lucani cæteris cõtumaciores in Hiſpanorũ ſtudioſos, & proceres omni

Digitized by Google

crudelitatis genere ſæuierunt. Nam poſtquam Politus Paſtina nefario plurium exulum agmine expugnato Salerno, ijs locis inſedit; eò temeritatis, & inſolentiæ ipſius audacia prouecta eſt; vt non ſolum edicta vulgaret, miniſtros diceret; mandataque daret, atque in popularium fauorem cuncta iuberet; ſed etiam proceres ſuis ruſticantes in villis crudeliter obtruncaret. Quare vbique nobilium pauor, fuga, cędes, fortunarum direptio ea circum loca barbarè funeſtabant. Latronici dynaſtam exigui in Lucanis vici vectigales ſui non ſcloporum ſulphureis glandibus confodiſſe cum eius fratre contenti, alium fratrem arreptum, impoſitumque ſedi per quemdam ouium paſtorem ſecuris iteratis ictibus inaudita immanitate inſontem ſciſſis ceruicibus occiderunt. Irrepſerat in omnium popularium animos nobilium ſanguinis ſitis: odiorumque acerbitas plebis in ſuos dominos pectora corripuerat. Franciſcus Pignatellus ſuorum vectigalium ſæuitiam fugiens Marſico nouo diſceſſerat, relictis ad ſuis palatij cuſtodiam decem, & ſeptem militibus. Vix ille vrbem pedem extulerat; cum populus in arma ruens ſe totum eius ædibus circumfudit; intentataque militibus nece, ni protinus panderent fores; ſuam pacti ſalutem ſe dedunt; ſed violata fide, omnes pluſquam turcica feritate ceciderunt: auulſaque capita ſuper viridarij muros, amotis inde floribus, oſtentui expoſita. Quæ barbaræ ſęuitiæ exempla cum vbique à popularibus in nobiliores, & proceres ederentur: nemini licebat alicubi tuto conſiſtere, obiecto quocumque raperet fuga, mortis metu. Soli montis Peluſij ciues quorumdam exulum aſperati inſolentia, quod in vrbem ingreſſi Auditore cęſo, exactiſq; prætorij miniſtris, aliquot ciuium ędes diripuiſſent; illis vrbe egreſſis, ſtatim vrbis portas obtento vallo munierunt: mœniaque vetuſtate fatiſcentia, purgatis, depreſſiſque altiùs foſſis, aſtructis aggeribus, aggeſtaque tellure firmarunt: cæteriſque ex militari diſciplina conſtitutis, ipſo Antiſtite ex Vrſina familia duce aduerſus popularium vim animos, atque arma expediunt; detrectatis pluries impauidè populi iubentis imperijs. Nec minori tumultu Aletij, Barijque prouincię concuſſæ perduellium inſolentiam, ſæuitiamque tulere: nam in ijs vrbibus quorundam ciuium ædes rebellium concurſu direptæ, incenſæque fuere. Neriti primum ciues tumultuantium ſequuti perfidiam raptis armis, nouum regimen eiectis dynaſtæ miniſtris, auſpicantur. Quo cognito Cuperſani comes eius dux vrbis expeditò octingentorum militum agmine, vt gliſcentis rebellionis initia comprimeret; contento gradu accurrens excuſſum iugum iterum ſubire coegit, in ſontes ſæuiſſimis ſupplicijs animaduerſo. Neque à Religioſis viris eius ſceleris compertis dynaſtæ abſtinuit ira, in omnes exarmatos prius pari pœna ſęuitum. Quibus incommodis cum à Franciſco Boccapianola caſtrorum præfecto, qui præſidio præerat, conſuli nequaquam poſſet; eò Vrachus Hiſpanus à conſilijs miſſus à Prorege eſt; vt ingruentibus malis opportunè occurrens orientes tumultus ſedaret. Verum eius aduentum malignè interpretati quidam perditi ciues, vt ſceleratis nunquam inuehendi

Rebellium barbara immanitas.

Populi à ſuis dynaſtis rebellāt.

Lecce.

Nardò.

mala

Digitized by Google

mala cauſa deeſt: didunt in vulgus, Conſiliarium eò idcirco veniſſe, vt iterũ ſolita imponeret vectigalia, ſonteſq; puniret: quamuis à Boccapianola enixè laboratum fuerit: quò ea eſſe nefariorũ inuenta delirantium ſomnia nouaſq; res ſtruentium fraudes in animos plebis induceret: illi tamen ad cóflãdam Hiſpanis populariũ inuidiã, acerbãdoſq; ciues à publico tubicine elata voce in foro ipſius Conſiliarij nomine conclamari iubent; ſueta indici, imperariq; ciuibus vectigalia: qua ferali obnuntiatione plebs ira, furoreq; concita ſtolidè ferox, omnem animis rationem, æquaq; conſilia obſtinatior excutiens ad campanæ ſonitus claſſicum effræni acta furore captis armis, in Vrachum ruens illum interficit, abſciſſoque capite truncum per omnia ignominiæ, contemptuſq; genera fœdo ſpectaculo tota vrbe raptauit. Ipſe Boccapianola dum innoxij Conſiliarij necis vltionem tacito animo ſtruit, fœlici fuga è manibus furentium elapſus in Barij tractum ſe recepit incolumem, quo ex vrbe profecto, miſſus à Prorege in vrbem nuntius qui noxas omnes, etiam Conſiliarij cædem ciuibus condonaret. Qua clementia populus reſcipiſcens deinceps in conſtanti erga Hiſpanos fide quieuit.

Vrachus ab irata plebe interficitur.

Brunduſij, quoque prope ſeditionem ventum eſt: ſed primatum, nobiliumque authoritate, ac prudentia ſurgentis rebellionis extinctum incendium. Alibi quoque, ne quis regni locus ab eo furore eſſet immunis, turbatum eſt. Sed vel nobiliorum fides, & virtus pullulantia ſeditionis ſemina ſuſtulit; vel nullo virium humore ſufficiente virorem, per ſe ipſa euanida aruerunt. Calabros populos fœdiùs eadẽ inſania in obliquũ egit: vbi cũ Marcellus Tuſardus, qui in bellici negotij procuratione ei prouinciæ populi nomine præſideret, & Andreas Marotta, militum tribunus communi conſilio cum Toſardo eos incolas moderarentur, & ad popularis regiminis inſtitutum nobiliores opprimerent, ſuamque pertæſos fortunam conſilio, atq; ope iuuarẽt, eã prouinciã plurimis calamitatibus dedere peſſum. Vrbs Paula à Fuſcaldi Demarcho ſuo Principe rebellarat: in cuius arce cum Iſabella Concubleta eius mater cum duabus filiabus, & tribus paruulis nepotibus eiuſdem Demarchi filijs moraretur; varijs artibus, prudentiaq; populi inſoleſcentis diu ludificata audaciam, aliquo domeſticorum numero famulorum, fideliumq; ope vectigalium ſe ad propugnandã arcem ſtrenuè, ac virili animo expedit: trium menſium obſidium, feroceſq; popularium aſſultus ita animosè, fortiterque ſuſtinuit; vt rebelles dolore, ſimul iraque fremerent, quod tam diu fœminæ virtus, tot fortium virorum conatus, atque impetus eluſiſſet; quare in rabiem verſi barbara immanitate omnibus ſeculis execranda, vxores, liberos, ſorores arcem propugnantium, in eorum conſtantiæ, fideique vltionem peremerunt: direptiſque eorum ædibus, frugiferiſque arboribus, vineiſque ſuccidis, cum in eorum corpora crudelitas graſſari non poſſet, in inanima, innoxioſque ſuas iras effudit. His immaniſſimæ feritatis exemplis Ioannes Auſtriacus indignatus eò protinus ad coercendam popularium inſolentiam

Regnum varie tumultu m ſcetur.

Calabri rebellant.

Fœminæ virilis conſtãtia.

Pluſquam barbara popularium immanitas.

Fuſcaldi demarchum ſupremi legati titulo in eam prouinciam valido aſſe-
clarum agmine properare iuſſit. Ille puteolis profectus in Calabriam
Amãthea. nauigat: ſed cum hoſtibus toto litore prætentis, è nauibus in continen-
tem deſilire non poſſet; ad Amantiam vrbem maritimam, quam Oliua al-
luit amnis, conuerſo curſu ſuos milites, nullo repugnante expo-
ſuit. Tum præerat Calabris Ioannes Baptiſta Monfortis Lauri-
ti dynaſta, qui coacta indigenarum manu, Toſardum populi Du-
Luzzi. cem Thebis Lucanijs aggreſſus ita cecidit, vt internecione deleto
popularium agmine, Toſardi caput abſciſſum ad rebellium terrorem
victoriæ trophæum oſtentarit: quo edito bellicæ virtutis, fideiq; experi-
mento, prouinciam Fuſcaldi Demarcho tradidit: cui cum ſe proti-
nus alius popularium Dux plebeiorum ſeptus cohortibus obieciſſet (auul-
ſo enim vno capite, veluti ex hydra plurima pullulabant) nutanti-
Populi popu- bus in fide populis, nec ei pecunia, nec commeatibus ad alendos mi-
lares ſequũ- lites ſuppetentibus, ſummis rerum difficultatibus vrgebatur: præſer-
tur. tim cum ad hoſtem bellum toto eo tractu circumferentem affluenti-
bus populis, nec ſtricto vinceret enſe, omniaq; circum loca populi im-
perio ſubigeret. Ille ſiquidem in ea maxima commeatuum penuria; cari-
tateq; annonæ duodecim modiorum tritici millia in Caſſani arce adeptus
eos fame enectis populis laudabili munificentia largiendo incolarum ſibi
animos conciliarat. His tamen fœlicibus popularium euentis nihil demiſſo,
fractoq; animo Demarchus, Coſentia egreſſus inſtructo agmine Rendæ
munito oppido, validoq; præſidio firmato ſucceſſit: ſed cum daturus in mę-
nia impetus foret, nimboſo aere procellam, turbinemq; minante, milites
bellicis laboribus non aſſueti Coſentiam vno agmine redierunt.

Alibi fœlicius in perduelles Martinæ Dux, Bellæ, Grottolæq; Demarchi
cum Carolo Aquauiua, cæterique bellabant; quos Tutauillam diximus
Carditum miſiſſe Carditum. Ibi cruenta inita pugna, cum hoſtium munimenta, pe-
à nobilibus dite non ſuppetente, ſuperare non poſſent; magnanimo auſu ipſis
expugna- equis hoſtium vallum ſtatuunt adoriri; tantoque impetu in agge-
tur. res inuecti ſunt, vt proſciſſis, diſiectiſq; in oppidum irruerint, pulſumq;
inde hoſtem in reliquum ſuorum equitatum impegerint: ibi in fugientes
tum enim verò edita ſtrages: pauor quippe mentem, vireſque eripuerat.
Plus ſeptingenti popularium cæſi, pauci irati victoris ferrum euaſere. Qui
in oppidum irruperant, primum in tranſiliendo hoſtili vallo, dein-
de in viarum anguſtijs, miſſilium quæ è feneſtris, ac tectis ab an-
gulis ingerebantur, continua procella petiti: grauiſſimis vitæ ali-
quo tegente Numine, defuncti periculis tandem rebellibus cæſis, op-
pido potiti ſunt. Carolus Aquauiua mortiferum vulnus accepit. Gro-
tolæ Demarcho ſuffoſſo equo brachium miſſile traiectum. Martinæ
dynaſta quamuis vulnere tardatus equus ægrè ingredi poſſet; ſu-
blato nihilominus in eius clunes Grottolæ Demarcho, atq; Aquauiua,
Auerſa. qui paucis diebus poſtea extinctus eſt, alteri impoſito equo, ſe Attel-

les

Digitized by Google

las ab iјs expliciti periculis contulerunt. Ibi à Prorege mandatum accepit: vt protinus in Lucanos, qui capto à popularibus Salerno, propè defecerant; ſupremi legati titulo, feſtinaret. Sed cum nulla militum ſubſidia recipere potuiſſet; quadraginta duntaxat equitibus aſſeclis ſuis Volceium eiuſdem prouinciæ vicum ſeceſſit. Ibi ſubmiſſis clam nuntijs, omnes proceres, ac nobiles ab Hiſpanis ſtantes acciuit; vt ſecum ſociatis viribus,in populares armati prodirent; verum alij alia cauſati impedimenta diſcriminum non ignari, quæ ſecum populares trahit inſania, atque ira plebis inducit; pauci admodum regia arma ſequuti bellum in populares ſuſceperunt. Solus Saluator Caracciolus Marſici veteris Princeps ſe illi cum quadraginta bellatoribus iunxit: Ioannes item Franciſcus Georgettus iuris peritus Aſſiſienſis Carbonæ præſes cum decem militibus, alijque quinque nobiles viri ſe duci adglomerant. Quare cum nulla amplius maioris militum ſubſidij ſpes ſupereſſet; illa exigua manu mouit in Lucanos, vt labantes adhuc in fide eo bellatorum oſtentato globo fulciret, vel fidos ſibi adiungeret. Verum altero die ad Marſicum nouum prodeuntem Matthæus Chriſtianus quadringentorum ſtipatus militum agmine improuiſus inuaſit; ex circumiectis quoque omnibus pagis, ac villis incolæ armati ſe Principi circumfuderant; quare ægerrimè ſe eo grauiſſimo ſalutis periculo expediens ſuorum manu vſquequeq; diſiecta, coniectaque in fugam, Volceium relicta rebellibus ditiſſima præda, vt pote quæ triginta aureorum millium pretium excederet, ſe ex fuga reduxit. Ibi inſtitit, vt raptim vetus caſtellum muniretur; impoſito valido ſuorum clientum præſidio, Horatio Caracciolo cum ſua vxore duce ingentis, viriliſque ſpiritus heroina, ſuorum vectigalium admirabili iјs temporibus fidei ſuarum rerum cura commiſſa, cum eodem Carbonæ præſide duodeuiginti duntaxat clientibus eas rebelles prouincias per media diſcrimina inaudito ſanè auſu emenſus Tarentum Hydruntini tractus principem vrbem impoſitam maris litori ſoſpes, atque incolumis penetrauit. Seceſſerant quoque à ribellium ſæuitia in eam vrbem Conſiliarius Gamboa, & Tricarici Antiſtes, alijque nobiles viri; ſed cum ea quoque plebs cum eodem Matthæo Chriſtiano clanculum conſentiret; qui Petiliæ cum duobus popularium millibus curabat: audacter ſuos ſenſus aperuit; ſe Martinæ Ducis in ea vrbe domicilio, moraque grauari. Quamobrem ille, cum nullæ ſibi ſuppeterent vires, indignareturque ſe fœdiſſimæ plebi ſubmittere, ea vrbe exceſſit; iiſdem ſequentibus patritijs, Ferentanumque profectus ibi ſubſtitit, donec videret vbi ij bellorum turbines detonarent. Vix eo vrbe egreſſo, Tarentum ad populares rupta ſacramenti fide, deſciuit: clauſiſq; portis, atq; intra pomœrium eductis aggeribus, alijſq; munimentis exſtructis: decem, & ſeptem tormenta ciues contra arcem collineant: quæ quamuis munitiſſima, parum commeatibus, & propugnatoribus erat inſtructa.

Martinæ Dux Baſilicatæ Lucanis præficitur. *Bucino.* *Buſigo.* *Altamura.* *Francauilla.*

Martinæ Dux ad ſe omnes proceres, alioſque patritios amicos protinus accer-

Martinæ Dux nobiles cogit. accerſiuit: quibus coactis, cum trecentorum, & quinquaginta equitum turmas ſub ſignis haberet, qui eius auſpicia nullo obſtricti authoramento, ſed tantum beneuolentiæ, amoriſque nexu, ſequebantur, cum nulla in eam prouinciam penes illum eſſet poteſtas; quingenti quoque pedites ex Regni delectibus ſe illi iuſſu præſidis addidiſſent: ad Tarentinæ arcis præſidij ſupplices voces cita auxilia rebus ferè perditis inclamantis eo tantulo agmine properare ſubſidio decreuit. Iuſſit itaque milites ſe, & prælio, & itineri expedire: *Tarentum feſtinat.* Tarentum rurſus aduolat, atque in arcem per ſubſidiariam portam ingreſſus (cętera ſiquidem clauſerant rebelles) cum Carolo Pinello, Cæſare Ianuario, Antonio Brancaccio Luſtri duce, Carbonæque præſide, vt abſque armorum ſtrepitu citra ſanguinem mitiùs agendo pacem componeret, populares euocat ad colloquium; ſed cum eos trahere conſultò moras aduerteret; donec Matthæus Chriſtianus cum validis copijs ſubſidio veniret; quem propè eſſe rebellium trepidis nuntijs accitum cognouerat: acriori, præſentiorique remedio opus eſſe ratus, ex arce erumpens in vrbem regium agmen effudit; exarmataque plebe, Donatoque Petilienſi popularium Duce cum ſex eius ſectarijs capite mulctatis, decemq; alijs in arcis cuſtodiam traditis, vrbe potitus eſt, *Vrbe potitur.* maximi in ijs temporum difficultatibus ad cætera momenti: cum in quatuor prouinciarum finibus ſitam finitimi veluti ſuam ducem ſequantur.

Altamuræ. Quidam Petiliæ ciues Cuperſani comite conſentiente, ſtruxerant inſidias, portamq; vrbis ſe regijs prodituros promiſerant: ad quarum ſpem *Cuperſani comes Petiliæ ſuccedit* ipſe comes cum Martinæ duce alijs proceribus, & mille bellatorum agmine, eò mouent. Verum Matthæo Chriſtiano vigile pro ſuis partibus excubante inuento, qui non ſolum ad propugnandam vrbem populares pro mœnibus explicarat; ſed etiam apertis repente portis in ſubeuntes eruperat: cum tumultuarijs plebis cohortibus certaminum inſuetis conſerunt manus, quæ cum irruentium nobilium equitum vim ferre non poſſent; triginta ex ſuis amiſſis, & pluribus vulneratis, ſe in vrbem trepidæ receperunt: Aloyſio Paladino duntaxat regij agminis cęſo, & aliquot ſaucijs. Sed vlterius progredi non auſi munitiſſimi ſitus difficultate, vrbemque firmo tuente præſidio, Aquam viuam vnde prodierant, redierunt. Ibi agentibus nuntiatum eſt populares tota Apulia ſignis victricibus volitare, in ſuam fidem cogere incolas, omnia belli co tumultu complere; & iam Luceriam, Equotuticum, Ceſiniolamque adeptos, quarum vrbium præſides, præfecti, Iudices, regijque omnes Sipontum elapſi ſubitum ſubſidium poſcebant. Quare Comes trecentorum equitum, & quingentorum peditum agmine in eam prouinciam adproperat; cuius aduentu parumper popularium compreſſa audacia eſt, & progreſſuum fœlicitas retardata. Martinæ interim dynaſta in Hydruntinam oram profectus eſt, vt ibi nouos milites authoraret, quibus cum procerum globo, qui ſe ſequuti fuerant, in Lucanos arma inueheret; in quibus plura oppida populariũ inſolentiã, audaciãq; perteſa, illum propenſis in eius ſuaues mores animis expectabant.

Brutij

Digitized by Google

Brutij quoque audita Neapolis rebellione in ſpem libertatis erecti, ad principis vrbis exemplum rebellarunt. Theate vrbe Ferranti Caracciolo ſuo Principi maximè infenſa, qui eam paulò ante à Rege Hiſpano emerat, rebellium circumſpectante, Michael Pignatellus eius prouinciæ præſes, Ortone, vbi Germanas cohortes Tergeſto in eas oras aduectas excipiebat; protinus in eam vrbem in fide labantem feſtinauit; cuius ingreſſu primoribus vrbis ciuium clarioribus Valignanis, Damignanis, Ericcijs, Venerijs, Lellis, Vrſinis & Toppis, Taultinis, & Camarijs enixè iuuantibus ſeditioſis iniecta fræna, orientes pacati tumultus, ingruenteſque rebellij turbines ſerenati: cætera quoque eius prouinciæ patritijs in id maximè laborantibus quieuere. Sed cum rebellionis furor alios, atque alios populos, vrbeſque corriperet, vix vnis ſedatis, alij eadem perfidia inſaniebant. Anxani enim ciues Hiſtonij Demarchum dominum indignati, cui ſua vrbs vendita fuerat, populus ira præceps in arma ruens effractis carcerum foribus, ſolutiſque vinculis, noxios extraxit; ferociterque ſucclamans ſe velle Demanium obnuntiauit. Pignatellus ne popularem ſeditionem inualeſcere amplius, incrementaque capere pateretur: accurrit, ſuppliciaque tantum ſeditioſis intentans, cum ad inferendam vim arma deeſſent; effecit, vt non exactis Demarchi miniſtris, Legatos Neapolim mitterent; vt de eodem Demanio ex legum præſcripto tranſigerent; ſed cum inter conueniendum ipſius Ferrantis miniſtrorum nequitia, verſutiaque ortum eſſet iurgium: Theatina plebs concita iterum ſeditione duodecim nobiliorum ædes furioſa direptas incendit: qua veſania quoque in Anxanum ſerpente, maiori inſolentia, impudentiaque plebs diſcurrit excito tumultu ad arma, furenti populo ſe quodam Carlone ducem præbente: atque in patritios, ſuoſque dynaſtas ferocior inſurgit. Quare diuites vbique, nobiles, principes, locorumque Domini à deſpicatiſſima, fœdiſſimaque plebe fortunis exuti, cæſi, obtriti, vel exacti, acerbæ, variantiſque fortunæ miſeranda ſpectacula præbuere; omnia vbique incendijs, cædibus, excidijs funeſta, fœdaque viſu mortales terrebant.

Brutij rebellant.
Chieti.
Ortona.
Trieſte.
Alij populi rebellant.
Lanciano.
Vaſto.
Oppida à ſuis dynaſtis rebellant.

Aquila quoque vt cæteris ferocior, iugique impotentior ſueta ſemper primum tumultuare: nunc quoque nihilo magis ſe ſani, ſedatique conſilij traduxit: eò fœdiùs, & turpiùs, quo nobiliores ſeditionem non populi purgamenta conflarint. Pluribus ante diebus infenſis in regios animis turbida conſilia agitabant; quod ibi conſtituto tribunali eorum licentia, qua per omnia ſcelera ferebantur, coerceretur. Ita enim auarè, crudeliter, impotenterque à patritijs populus habebatur, vt non Hiſpani Regis vectigales, ſed miſera, infœliciaque mancipia nobilium viderentur. Prætento igitur honeſto ſuæ arcanæ perfidiæ titulo, circumiecti agri incolas armari in vrbis perniciem, quorum molitionibus ni extemplò ſtrenuè occurratur, ciues magnum incommodum ſubituros; Zagarigæ præſidis nullas inſidias, doloſque metuentis authoritate annuente, patritij induunt arma: collectaſque perfidis animis iras effundendi accaſionem perduellibus

Aquila rebellat.

fortunæ

fortunæ iniquitas præbuit. A quibuſdam procurrentibus agrum militibus Marcus Sciarra profligatiſſimus ſicarius, facinoroſuſque fuerat interemptus; cuius in vrbe audita nece, quia Quintiæ familiæ nobilium aſſecla erat, & cliens; omnes nobiles conſerto agmine conglobat; ad prætorium conciti ira feruntur, extractoſque per omnem inſolentiam, atque audaciam è tribunali, ad quod confugerant, quoſdam milites pulſant: coguntque præſidem vnum eorum quamquam inſontem iubere ſuſpendio necari. Non tamen innoxij militis ſupplicio tumultuantium peruicax audacia ſubſedit; immo concitatis ad arma popularibus, atrociora moliuntur: miſſoq; Neapolim Fratre Ioſepho è Griniaco Diui Bernardini cœnobij cuſtode, à Prorege contendunt; vt ſublato inde regiorum iudicum tribunali, vrbani agri ſibi vici, pagi, villæ, & caſtella reddantur, quibus quondam à Carolo Quinto in rebellionis pœnam mulctati fuerant: obnuntiantque, ſi ſecus fieret, eam prouinciam ad populum defecturam: ſimulque ad agri incolas literas mittunt: vt ſecum ſociatis viribus, & armis, vno agmine ablata repetant. Michael Pignatellus eius Prouinciæ præſes, armorumque præfectus, accepto eius nuntio tumultus; Proregē admonuit, *lenitate potius perduellium animos efferari, quàm miteſcere, aſperiora remedia opus eſſe, vt recrudeſcens quotidie magis perduellionis plaga ſanetur: admoto ſuppliciorum, armorumque terrore ad ſaniora conſilia, fidemque cogendos.* Cui à Prorege reſponſum eſt: *quidquid ei optimum è Regis obſequio videretur, pro arbitrio ageret, & conſuleret in rebelles.* Ille coacto non pœnitendo bellatorum agmine, Aquilam monit, in quam ingreſſus; quamuis non admiſsū iri à populo diceretur, elapſis fuga præcipuis ſeditioſis Tonto, & Quintijs, cuncta nullo negotio ſedauit; & prouincia, oppidis, & caſtellis ſueto iugo ſubactis, captoſq; ſeptem ſeditionis authores debito perfidiæ ſupplicio mactauit. Quorum pœna latè territæ ex prouinciæ, ad bonam frugem quoque impellente conſcientia, à rebellando ceſſarunt. Mox contra quàm ſenſerat, vt efferatos animos, atque identidem deſciſcentes molliùs, ac ſuauiūs habendo, ad fidem reduceret, diploma vulgauit; quo præteritis maleficijs, erroribuſque vniuerſis perduellibus venia dabatur, auſaque facinora condonabantur, exceptis Quintijs, & Tonto; quibus quinque, & triginta duntaxat militum manu Cliterni caſtellum Montalti Cardinalis ditionis ſubeuntibus Abbas Picolomineus eius præfectus ſe protinus nihil obluctatus tradidit arcem; quamuis contra manuales oppugnationes eſſet abundè munita: quamobrem vniuerſa Comeſtabilis Columnæ ditio in populi fidem conceſſit: etſi ijs fuerit opportunè ante periculum, eiuſque miniſtri à Pignatello moniti peſſimo ſanè adiacentium prouinciarum exemplo, cum nihil ab eo fuerit laboratum, vt eum terrarum tractum in fide erga Hiſpanum Regem conſeruarent.

Aquilæ nobilium inſolentia.

Graſſa.

Celano.

Ita frequentia, conciſaque ſunt rebellium, viciſſimque fidelium geſta, & ſingulis, binis, terniſque diebus durātia, ceſſantia ab incepto, & paſſim per regni ſparſa interualla, vt narratu admodum difficilia ſint; dum enim ſimul

conti-

continuari non poſſunt, vt in magnis bellis texendis à ſcriptoribus fieri ſolet; neceſſe eſt, vt maxima cum ſcribentis, tum legentis confuſione, ac tędio narratio huc, illucque feratur, tum ſubſiſtat, mox alijs interiectis, vnde abierat, reuertatur. Quare dabit veniam lector, ſi in tam multiplici rerum congerie, varijs vbique rebellium, regiorumque manibus ſpargentibus bellum, non ita cohereat vnius rei continuata narratio; ſicuti ſcribendi ars, hiſtoriæque texendæ ratio poſtularet. Saliendum eodem fere tempore ſtylo eſt in diuerſas partes, variaque, vt quæque acciderint, proſequenda.

A Brutijs itaque iã quieſcentibus ijs incolis, redeundum Attellas, à quibus Caſtri noui dux, cum Iuliani dynaſta, alijſq; aſſeclis digreſſi, ſubdito ſtudioſè rumore, ſe contra Paponem inſignium populi ducem milites centuriare, reuera tamen, vt acceptis à Ianuario Anneſio diplomatis, eos populos ad ſeditionem concirent, vti poſtea euentus edocuit; capta à Carolo Sangro, ſpurio tamen Sulmonæ apud Pignatellum inſidiarum, fraudumq; ignarum egerunt; vt ſibi propè Aterni arcem ſtationes decernerentur, ea ſpe, vt remittentibus cuſtodijs, & incautiùs agentibus, illam repentino impetu adipiſcerentur: quæ tamen inſidioſa conſilia in irritum reciderunt: quòd Pignatellus Caſtri noui ducis cognitis dolis, fraudulẽtoq; ingenio animaduerſo, quando Attellis ſpecie regij obſequij cum populo nectebat inſidias, eius occulis petitionibus occurrens proditoris fraudes eluſit; monito ſerius vrbis præfecto, ne fraudolentis, doloſiſq; fideret. Iam enim caſtri noui duci al ata fuerant populi diplomata, quibus vniuerſorum pręfectus caſtrorum dicebatur; iiſdemq; conditionibus Iuliani dynaſta, cum Carolo Sãgro cum popularibus conuenerant. Ille à Theatinis ciuibus accitus, quamuis de eorum dubia fide ambigeret; ſæpiuſq; inſidias metuens de regrediendo in ipſo portarum aditu cogitaſſet; inijt tamen vrbem cum ſuo aſſeclarum globo; ex qua duobus ante diebus, non admonito prius Pignatello, quam iam vrbe amiſſa; Aternum ſeceſſerat. Quo cognito Pignatellus, iuſſit Angelum Caſtilioneum è Penna vrbe, qui ſolus ex ea, immo è tota prouincia cõſtans erga Hiſpanum Regem in fide perſtiterat; deſertis hoſtium arbitrio vxore, fratribus, & omnibus fortunis, quibus direptis, vnicum filium nec dum quintum annum excedentem barbarè in vincula coniecerunt; Montem Paganum inuadere, qui quamuis aliquandiu fortiter obſtitiſſet, nihilominus aggredientium virtute domitus pro meliore habuit pactione ſe dedere, ne victoris iram pertinacius reluctando loci direptione experiretur. Ibi poſita firma militum ſtatione, quidquid terrarum Humanum, Truentumque flumina interiacet in fide continuit: adituſque omnes aperuit, per quos ab ea parte à pontificia ditione militum, commeatuumque ſubſidia accipi poterant; atque inter regios, & finitimos haberi commercia. Populares ſumma ope nitebantur, Regios, ijs clauſtris interceptis, ſubſidijs intercludere, quæ inde regno inferebantur; & cum aperta vis parum proficeret; doloſo aſtu id aſſequi conantur: inter

Peſcara.

Inſidiæ Aterno ſtruũtur, ſed fruſtra.

Peſcara.

Angeli Caſtillionei fides.

Tronto.

regios

regios duces mutuos inſidiarum metus, proditionumque ferendo. Vniati Comitis Neapolis Proregis Oeconomi mentiti caracteres, imitatiq; ſcribendi modum ſimulant illum ſcripſiſſe, Romæ ſe ſubſtitiſſe ſui domini negotiorum aliquot conficiendorum cauſa; miſiſſeque quoſdam famulos Tibur ad arma quædam recipienda; qui in legati Galli tabellarium incluſas literas Neapolim perferentem inciderunt: eique ereptas Pignatello miſere, vt maturè inſidias iam regijs comparatas auerteret. Ternæ erant literæ à Gallo legato ad Hieronymum Riuieram, Iulium Pezzolam, & quẽdam Mongallum à Leona datæ. Riuieræ literarum hoc erat exemplum. *Iam Laurentij Alfierij eius Nepotis, & Canonici Alfierij opera, ac ſtudio de ſuis petitionibus eſſe conuentum; ipſoque ium tabulas accepiſſe; quibus illi quatuor aureorum millium nummum, ius beneficiarium ab eo cupitum, petitumque tradebatur; omniaque poſtulata conceſſa, præter diploma, quo vniuerſorum præfectus caſtrorum iubebatur: à ſuo Rege inſuper auctarium munera acceſſura, ſtatim ac Pignatellum populi manibus tradidiſſet, Aquilæq; arcem repentino impetu cepiſſet: ſicuti ſe facturum receperat:* & iam ad augendam ſimulatæ proditionis ſuſpicionem, omnes aliorum popularium ducum cohortes Aquilam verſus iuſſæ fuerant proficiſci. Idem erat Pezzolæ, & Mongalli literarum exemplum. Pignatellus iam ante compererat iiſdem fatentibus, ampliſſima à populo illis oblata: Alfierioſque Romæ cum Gallo legato arcanis tranſactionibus conueniſſe: quibus indicijs cum allatum nuntium fidem aſtrueret: vndique rebellium cohortes, & turmas Aquilam verſus coire, cogique eo agmina popularium: Pezzolam nõ accerſitum ſpontè veniſſe, interrogatumque, quot milites ſecum haberet, reſpondiſſe ad quindecim, cum octoginta duxiſſet; quæ omnia ſimul conglobata cum in rebus tanti ponderis pene certam inſidiarum facerent fidem: ambos tradi iuſſit in vincula, atque in arcem ductos, quàm diligentiſſimè cuſtodiri. De hac re protinus ad Oeconomum Romam nuntium miſit, qui rei nouitate attonitus affirmauit, eas litteras proditionis indices nequaquam à ſe ſcriptas fuiſſe, neque ſe vnquam de ijs viris Regi fidiſſimis huiuſmodi turpitudinem, infamiamque ſuſpicatum. Tum Pignatellus Gallorum vaſritiem, & dolos aduertit: Pezzolamque è cuſtodia eductum cum octoginta Hiſpanis, & triginta equitum globo in hoſtes immiſit. Ille quibuſdam ſecum conſpirantibus, Marcum Starzam, & quinquaginta eius milites citra vulnera cepit.

Pignatellus circumuenitur.

Iiſdem fere diebus Caſtri noui Dux ſuum agmen Capiſtranum admouit; cuius præfectus turpiter, atq; ignauè nullum auſus certamen ad popularium territus intuitum oppidum dedidit; quamuis vt munitum omnibus bellicis rebus inſtructum contra iuſti exercitus impetus tueri potuiſſet. Cuius iactura eo ſitu regij, adituque euerſi, per quem in aliam prouinciam tranſitus erat, popularium viribus in ijs partibus ſuccubuere. Sed quia rebelles vti rei bellicæ ignari in loco vndique ſterili, & commeatuum inopi poſitis caſtris facilè debellari, delerique poſſent; ſi paululum regij adniteren-

Populares Capiſtrano potiuntur.

niterentur: Pignatellus ab Aquilanis ciuibus poſtulauit, vt centum duntaxat ex vrbe in hoſtes erumperent; ſe cum ſua exigua manu Cornu vallem occupatam inſeſſurum; eaque ſtatione rebelles fame conſumptos palantes in Pontificiam ditionem dilabi compulſurum. Verum Aquilani regijs in arcano infenſi non ſolum erumpere noluerunt, ſed vigilias etiam in vrbis mœnibus agere recuſarunt: quorum contumacia ſaluberrimi conficiendi hoſtis conſilij diſcuſſus euentus. Quare cum vbique incolarum perfidia popularium res ſecundo proſperæ fortunæ afflatu ferrentur; pluraq; loca illis vel proditores traderent, vel dederent ignaui, præcipuèq; Aquilani regios auerſati, ſua auxilia negarent; Pignatellus in aliam prouinciã migrare decreuit; in qua quod adhuc ſupererat; & reliquum perfidia fecerat, poterat conſeruare; Aternique arcem inducto validiori præſidio firmare. Quocirca nonas Aprilis ſub noctem per montium itinera, quamuis obſita niue Beretram ſoſpes aduenit: vbi admonitus Caſtri noui Ducem tribus bellatorum millibus in regionẽ ingreſſum, populiq; ducem Martellum Humauo flumine ſuperato ab Interamnæ ciuibus poſtulaſſe, vt in popularium ditionem, poteſtatemque concederent; Pignatellus petitam inijt vrbem. Die Mercurij maioris hebdomadæ vix orto ſole, Martellus trecentis tantum militibus validus in vrbis conſpectum ſe dedit; quem vix Pignatellus intuitus erumpens vrbe momento diſiectum Canzanum vſque fugauit; cui cum vehementius inſtaret, oppidani exceptum in vrbem ab hoſtili ferro incolumem præſtiterunt. Poſtera die cum reliquo firmiori agmine Caſtri noui Dux vrbi ſuccedens in collibus vrbi circumiectis caſtra poſuit. Ad quingentos equites erant, Iuliani verò Dynaſta, Martellus, alijque popularium duces, Tordino amne traiecto, octingentorum peditum agmen ad lapidis iactum mœnibus admouere arboribus, oliuetiſque tecti, quibus ſuburbanus ager ferè totus conſitus eſt: quorum acceſſu cognito, Pignatellus iterum in populares valida facta eruptione fuſos plus duo paſſuum millia fugientium inſtitit tergis, compulitque in amnem ſe præcipites dare, vt hoſtile ferrum effugerant, ſed plures fluctibus obruti periere. Illi verò euocatis illicò ex omnibus locis equitum turmis, & peditũ cohortibus, tribus bellatorum millibus validi Iuliam nouam, in qua Aquæ viuæ demarchus cum paucis domeſticis, & minori commeatuum, reique bellicæ, tormentariæq; copia curabat inuadũt: & vt aggreſtes, & incolas ad ciendos tumultus concitarent, barbara ſtoliditate nihil penſi habita agreſtium inopia, olíueta, ac vineta ſuccidunt. Pignatellus Iuliæ nouæ oppugnatione audita, congeſta vallida bellatorum manu, eò ſolicitus iter intendit, occupato ex itinere Tortoreto ad tutum in aduerſa fortuna receptum: quem imperitè admodum populares deſeruerant, impoſitoque ſeptuaginta militum præſidio, Alberto Aquauiua præfecto, itineri inſtitit; ad amnemq; Sallinellam adductis cohortibus, vbi hoſtem habere ſtationem putarat, ob ſitus, locique natura muniti opportunitatem: quem cum nullis inſideri popularibus vidit, traductis vltrà amnem in vrbis obſeſſæ conſpe-

Populares fortuna ſecundat.

Montorio. Varij Ignatelli conatus. Teramo.

Populares fugat.

Popularíũ immites animi.

Pignatelli faliees progreſſus.

ctum

ctum cohortibus, nemine repugnante fœlici auſu in vrbem ingreditur. Populares inducto in ſuis oculis ſubſidio, prima noctis vigilia oppugnatione abſceſſere: relictis ob trepidum diſceſſum ſex minoribus tormentis, varijs ſarcinis, & non exigua commeatuum copia.

Brutij redeunt ad fidem.

Dum hæc in Brutijs geruntur, certus nuntius affertur Neapolim cum Ioanne Auſtriaco, Proregeque de pace conueniſſe, compreſſaque ſeditione, populares, & Hiſpanos in mutuam gratiam bona fide rediJſſe; quo nuntio lætiſſimæ earum prouinciarum vrbes omnes caſtella, pagi, & villæ eadem facilitate, inconſtantiaque animorum, qua deſciuerant, excuſſum pernicioſo conſilio iterum Hiſpanorum iugum accipiunt: rati ſatiùs eſſe, conſultiùſque ſecum agi, ſi antiquum dominum paterentur, quamuis acerbioribus pecuniarum penſionibus, & vectigalibus afflicti; quàm latrones, & perditorum hominum colluuiem, inſolentemque nebulonum turbam in ſuas ædes admittere; quorum ingluuies miſerorum fortunis expleri non poterat; libertatiſque parandæ titulo prætento, diro ſeruitio infœlices populos premerent. Sancitæ igitur paci lætiſſimis vocibus ab vniuerſis incolis acclamatum, applauſumq; fauſtiſſimè, cuius ſuauitas, niſi ab expertis belli amaritudinem, deguſtari non poteſt. Erant tamen adhuc falſi de Neapoli pace compoſita ſparſi rumores: quàm populi Duces Guiſio inſenſi tacitis paciſci animis agitabant.

Caſtri noui dux rebelles iuuat.

Caſtrinoui Dux interim dū pacis hilaria Neapoli, atq; in omnib. prouincijs celebrantur, acceptis à Tonto Quintio Romæ populi legati vices agente literis, quibus affirmabat ſparſos de pace inita voces eſſe Hiſpanorum commenta: & quamuis paucorum proditione aliquot ſtationum loca Neapoli amiſſa fuiſſent; populum tamen tum maximè, ſi quando alias, certum eſſe per tot pericula, ac vulnera partam libertatem armis tueri; neque idcirco fractis animis hoſti ceſſuros: citoque affore valida à Gallo Rege ſubſidia: ſtatuit, nihil auertentibus pacis rumoribus, omninò collectis ſeditioſiſſimis quibuſque pergere popularium partes aſſerere, rebelleſque tueri: miſſiſque in varia oppida earum literarum exemplis, à pangenda cum Hiſpanis pace incolas auertere conabatur; verum illius tentamenta fruſtrà fuere. Quamobrem ſua ſpe fruſtratus cum aliæ quoque allatæ literæ idem pacis nuntium afferrent, & Theatem verſus Pignatellum contento agmine properare audiſſet: cuius ciues maximè ſuam tyrannidem grauarentur; ſe ea vrbe diſceſſurum promiſit ſtatim, ac ſuis literis à Ioanne Auſtriaco, Proregeque reſponſum fuiſſet: contendebat enim, vt earum prouinciarum delectibus, bellicæque rei præficeretur; ſui pretio transfugij in ſuis rebus cum Hiſpano rege componendis: à Theateque vrbe poſtulauit, vt Pignatello ſcriberet, ſubſiſteret pauliſper, donec eadem reſponſa afferrentur: quod tamen, veluti nimis impudens ciues facere recuſarunt. Antiſtes nihilominus eius vrbis ſuum in hac re obtulit ſtudium, egitque cum Pignatello, vt ſaltem vnius diei inducias concederet; quas eo conſilio ille popoſcerat; vt interim diſtinente Pignatellū Antiſtite, fugiendi

Caſtri noui Ducis immodica poſtulata.

in tutum

in tutum tempus daretur; ſicuti per aduerſam Aterni partem elabens in Pontificium dominatum ab Hiſpanorum ira ſeceſſit de perdito ſuarum rerum ſtatu mœſtiſſimus.

Pignatelli in Hiſpanos fides.

Pignatellus, qui ſemper ijs ſeditionum, tumultuumq; procellis fortem, fidelemque operam Hiſpano Regi mirabili conſtantia præſtiterat; Theatem ſumma cum vniuerſi populi lætitia, cum ſe liberos tandem eo ſceleratorum contubernio latronum viderent; ingreſſus cætera loca eius prouinciæ pacauit. Thobias verò Pallauicinus, qui firmo Gallorum agmine Ciuitatem Ducalem, & Antredocum populariam authoritate tenebat; nec finitimis vniuerſis ad Hiſpanos deficientibus territus eos populos armis coercuit; ſicuti Cliternum ne vicinos imitati Hiſpanos deſerta Republica, ſequerentur: hæc vrbs tamen eiuſque arx Hiſpano ſe Regi iterum ſubmiſere. Huius cladibus, & excidijs, calamitatibuſq; florentiſſimi regni exultabant Hiſpanis infenſi, quietem peroſi, ſua commoda, ac lucra ex aliorum pernicie,ac ruina quærentes: plurimiq; ex omni hominum genere, conditioneque mortalium ad eius ciuilis belli, populariſque ſeditionis, & rebellionis famam rapinarum, diteſcendique ex infelicium incolarum fortunis ſpe Romam ingenti numero confluebant: vbi à Gallis Miniſtris, & nouæ Reipublicæ legatis bellicis officijs, præfecturiſque honeſtati, atque ingentibus inflati pollicitis, nemini tamen numerata pecunia, Neapolim mittebantur: quos non pudebat, dum Turcici acinaces Chriſtianorum iugulis imminent; dum toti Chriſtiano nomini excidium Thraces intentant, maritimis, terreſtribuſque viribus iam Creta bello petita, Venetos perurgente, in Chriſtianorum viſcera arma conuertere; quæ in Turcarum pectora ad infeſtiſſimi Tyranni perniciem, eſſent ſtringenda. Gallos idcircò multorum pietas ſugillabat; quòd hanc quoque Italiæ partem, quaſi non ſatis eſſet bello cętera Chriſtiani orbis impetere, inquietibus armis affligerent. Verum eos natiuum in Hiſpanos odium, parandæque alicuius in Italia prouinciæ cupiditas in quæcumque aduerſus eam gentem bella impellit: præter id quod bellorum auidi, vbicumque claſſica fremant,& Martis furor inſanit, eò in arma citi feruntur. Quare Itali bellicoſa Gallorum cauſentur ingenia,non arguant auaritiæ,opumq; ſitis; quæ quamuis ſint maxima ad bella ſequenda militum incitamenta; non hæc tamen æquè Gallos afficiunt,ac parandæ gloriæ,effundendiq;animorum impetus deſiderium.

Perditi homines Neapolim confluunt.

Chriſtianorum inſana conſilia.

Gallicæ gẽtis bellorũ cupiditas.

Troia.

Dum mutuis ſe cladibus proceres, & populares excindunt; Ecanæ Princeps, Franciſcus Aualos Aquinas rem promouentibus quibuſdam Ariani vrbis ciuibus, poſt cæſos ibi octoginta Paſtinæ militum eam vrbem partibus regijs adiunxit: de qua re hic monitus ira fremens, vltionemque anhelans accepto à Guiſio duorum millium peditum ſubſidio, denſa nebula inſidias tegente, conatuſque iuuante, admotis mœnibus ſcalis, in vrbem nemine repugnante ingreſſus illam ferro,

igneque demolitus Salſæ Duce eius prouinciæ præfecto cęſo, & pluribus proceribus captis, dedit latè terrorem; pleraque alia loca idem paſſa exemplum direpta, exciſaque fuere. Quibus cladibus mutuo ſe conficientibus popularibus, & regijs infelices populi, totiuſque regni prouinciæ omni feritatis genere vaſtabantur. Aduertereque tandem Regis miniſtri pernicioſa eſſe, atque irrita violentiæ tentamenta; qua eodem tempore vtræque partes cum vrbium excidio, inuicem omnium peſſimo malorum concidebantur. Aliam igitur domandi rebelles, pacandique regni ineundam eſſe rationem, & cum vis aperta parum proficeret, id arte, atque ingenio aſſequendum, quod armorum violentia, Martiſque impetus obtinere non poterat. Proceres itaque, & Patritij id maximè ſtudebant; vt quàm plurimos poſſent, pollicitis, ſpe præmiorum iniecta, popularium ſuis partibus adijcerent; atque inter rebellium multitudinem ſerendo diſſidia efficerent; vt ſibi ipſis inuicem diffiderent. Sed præcipuè, vt eos Guiſio facerent infenſos. Nec diu fortuna eorum vota remorata eſt.

Sagax procerum conſilium.

Guiſius inter ancipitem habitum rerum, dubiamque popularium fidem exterus, & hoſpes in ſummo ſuæ vitæ diſcrimine, quaſi in pacato, inſidiarumq; ſecurus fœminarum amoribus delinitus inter luxurioſos conuiuiorũ apparatus inſtrumenta libidinũ ſuo ingenio obſequẽs delitijs, ac voluptatibus diffluebat. Epulãti eruditis phonaſcorũ concentibus, & muſicis modis cythariſtæ, & fidicines occinebant. Quæ cum à bonis omnibus damnarentur, ad patriæ ſalutem, calamitateſque leuandas curas omnes intendi cupientibus; accidit, vt Antonius Baſſus cum ſuo fratre, Cardinalis aulici in publico Guiſium amarulentis obtrectationibus vellicarint; illum Neapolim veniſſe, vt voluptatibus falleret diem, populumque delitiando deluderet; non vt illum è tot incommodis, ac malis erueret: ſuprema eum ad laxanda in omnem licentiam frœna abuti poteſtate; ſe regem, non ducem ferre, cuius faſtigium iam diu ardenter anhelaret. Quæ carpentia ad viuum cauilla Guiſio delata, adeò in duos fratres ira eius animum incenderunt; vt illos ac tutum deſtinatos ad necem iuſſerit in vincula rapi; mox varijs criminibus ipſo ſtruente, circumuentos capite plecti, ipſius Cardinalis precibus pro fratrum ſalute enixiſſimè deprecantis, Ianuarij Anneſij ſupremi populi ducis, & Vincentij Andreis, Antonijque Mazzolæ plebis Electi ſpretis ſupplicum vocibus; à quibus omnibus ſtudijs, & officijs laboratum eſt, vt cruentas ab inſontium fratrum ceruicibus ſecures depellerent. Verum apud efferatum ira animum nil admotæ profecere preces: abſciſſa miſeris fratribus capita, tanto cum illorum dolore, indignationeque: vt ipſius excidium, ruinamque moliri, inuiſumque caput inſidijs petere ex illo non deſtiterint: eò intentiùs, quò exteræ gentis magis diuerſi moris, ingenijque contrarij minimè plebi erat acceptus: cum præter id nihil de republica ſanciendalaboraret; ſed ſeipſum regem conſtituere animo agitaret, atque ob id ſena-

Guiſij delitiæ, & voluptates.

Tacita ciuium in Guiſium ira.

Digitized by Google

id ſenatum eligere varia inania cauſando, differret; ſed è contra iudices, conſiliarios, & præſides de ſuorum clientum numero diceret; quæ omninò nouæ ſtatuendæ Reipublicæ aduerſa populus improbabat. Quare Guiſij mores, ingenium, ac regimem auerſata hæc tria populi capita coeunt in conſilium ingruenti malo occurſura. *Non eſſe amplius cunctandum ea ſuprema in populum poteſtate Guiſium euertere; nec ſinendum maiora illius authoritatem capere incrementa, inualeſcereque magis inuiſæ dominationis inſolentiam: non eſſe è Republica omnia ad vnius arbitrium imperari, ac ſtatui: ſed plurium primatum conſenſu decerni. Si hæc exercita in ciues inſontes ſæuitia illi impunè foret: ſi ad ſupplicium innoxijs ciuibus illatum conniuerent, eadem in cæteros ciues, atque adeò in ſe ipſos auſurum eò promptiùs, quò ipſi maioris apud populum authoritatis ſe ipſius ambitioni dominium liberum vſurpantis obijcerent.* Coactis igitur duobus ciuium millibus in Carmelitanum propugnaculum eo conſilio, vt populum ad arma concitato, Guiſij tyrannidem vrbe exigerent, tota Neapoli hi tres populi duces ea turba ſequente, equo vecti diſcurrunt; Mazzela podagra tentatus ſedi impoſitus ferebatur: ſtricto ferro identidem elatis vocibus inclamabat; Solus Populus viuat, vulnera, cuicumque ſubijcienti, viuat etiam Guiſius, infligens. Adglomerat ſe prodeuntibus multa ciuium turba rerum nouarum cupida. Ad Guiſij prætorium eo tumultuario agmine ſtipati rapidi prouehuntur. Guiſius populi clamoribus auditis, ſtatim audacter conſcenſo cum Onufrio Piſſacano, Antonio Longobardo, & Matthæo ab amore præcipuis populi ducibus, qui fortè aderant, equo, & ſuis domeſticis ſeptus aduerſus tumultuantẽ turbam impauidus prodit: quæ ad ſex ciuium millia eundo, alijs, atque alijs ſe ſe aggerantibus, creuerat; percunctataſque quidnam id rei eſſet? quid quærerent? Annefius contracta fronte, truci ſupercilio, toruoque vultu irata voce reſpondit, viuat Populus, ſuppreſſo Guiſij nomine, qui ſimul cum populo in huiuſmodi acclamationibus conſueuerat ſalutari; prætorianorum corporis cuſtodum præfecto ferociter ſucclamante, viuat Populus, Guiſiuſque viuat, tum Annefius rotato ſclopulo ſtricto, iterat, viuat populus ſolus. Quamobrem quidam miles prætorianus, ad illius ſtricti ſclopuli intuitum in illum ſclopum diſplodit; cuius ictus fragore territus quamuis in irritũ contorto miſſile, nec etiam vel leui vulnere perſtrictus turpi ſe fuga inde proripuit. Tum Guiſius ad capitis elapſi abſentiam torpente cætera turba, elanguenteque ferocia, leniendi populi nactus opportunitatem identidem viuat populus, inclamans eam plebis colluuiem iam furere incipientem pacauit. Fuere huiuſmodi inter illos fremitus, tumultuſq; eius à circumſtantibus exceptæ voces *Si me repudiatis, & Ducem veſtrum abnuitis, libenti animo abeo magiſtratu, meque abdico præfectura, & quæcunque veſtra vota implebo; veſtræ obſequens voluntati.* Hæc mitia, leniaque verba cum venerabilis vultus maieſtate, totiuſque corporis graui quadam gratia coniuncta; vt erat proceræ, grataeque dignitatis ſtaturæ,

Contra Guiſium à populi ducib. in communi conſulitur.

Populi Duces ciues in Guiſium irritant.

Guiſij animoſitas.

Guiſij mitia verba.

& conciliandi multitudinis animos artifex mirus, ſuaueſque acceptæ, & laudabilis audaciæ quidam modi bellicum, viuidumque vigorem ſpirantibus oculis, potuit iterum lenitæ plebis ſtudia mereri, orientemque tumultum ſedare: præſentium popularium ducum in id maximè adnitentium fauore, eaſq; voces multitudini exprimere, viuat Populus, & Dux Guiſius.

Guiſius Mazzelæ inſidias ſtruit.

Huius popularis ſeditionis euentu, vt par erat, turbatus Guiſius, ſe ad hos temerarios auſus vlciſcendos expedijt: in Mazzelæ ruinam præcipuè totus ferebatur; vt pote diuitis, & ingentium molitionum inuentoris formidandi. Quaſdam igitur mentitur literas, quæ datæ ad Mazzelam à Ioanne Auſtriaco videbantur; quibus ſe aliquot tritici modios ab eo accepiſſe affirmabat, atq; alijs rerum declarationibus; quibus ille cum Hiſpanis conſentire, conſpirareq; comperiebatur. Hæ literæ callidè faſciculo literarũ inſertæ fuere, quas quidam puer à ſeditioſorum ſtationibus ad Hiſpanorum caſtra ſolitus permeare, ferebat: effecitq; Guiſij doloſa vafrities, vt in publico excuſſo puero delatore, reperirentur; quæ protinus ad Matthæum ab Amore, & Iacobum Ruſſum præcipuum exulum ducem, Scipionemque Peonem, Lazarorumq; præfectum, quos rabida fames, qua tum maximè Neapolis laborabat, vrgebat; delatæ tantas iras in Mazzelam in eorum animis concierunt; vt nulla habita de hac re iuris quæſtione, nec ſuam cauſam reum dicere paſſi, rapido curſu ad ipſius ædes aſſluxerint: maxima turba Mazzelæ caput ferociter depoſcente ſuos ſequuta duces, inuectiq; in conclauia deijcienti aluum caput abſcindant: infixumque haſtæ tota vrbe oſtentui circumlatum: per quam etiam truncus exanimis ſæue à Plebis fęce omni ludibrio inſultante raptatus. Ædes momento direptæ, è quibus pretioſa ſpolia, diueſq; ſupellex elata rerum humanarum viciſſitudinis documento cæteris fuit, ne nimium ſuæ fortunæ fiderent. Ad hunc lætum Mazzelæ necis à ſe ſtructæ nuntium hilaris Guiſius equo vehitur vbi Mazzelæ cadauer per vias à populo trahebatur, immiſtuſq; turbæ identidem acclamabat: viuat populus, & pernicioſum regimen tollatur.

Mazzelã irata turba interficit.

Cæteros duos Mazzelæ collegas præcipites quoq; Dux Guiſius egiſſet; niſi Vincentius Andreis cautè ſe eius iræ, & fraudi commodum ſubduxiſſet. Domi cuiuſdam regiarum partium ſtudioſi ſui amici delituit, ibique nemine ſui ſeceſſus conſcio, Guiſij ruinam moliri orditur: vt vſurpato populi dominatu illum euerteret. Vincentio nunquam in publicum prodeunte, apparenteque creditus eſt ſe Romam, vel in Galliam recepiſſe, aut Patrum Capuccinorũ Religionẽ ingreſſus. Quare cũ nullas deinceps amplius de eo fieret mentio, per otium ſtruere Guiſij excidium potuit. Qui omnibus humanitatis, comitatiſq; illicijs blandè quemque compellando, populum lenire, ciuiumq; beneuolentiã, omniũq; ſibi inſtitit omnibus artibus cõciliare: quã præcipuè ſe adepturũ ſciebat, ſi cõmeatus in vrbẽ cõuehendos, reſeratis clauſtris, per quę ferebãtur, curaret; ſi identidẽ in Hiſpanorũ ſtationes impetus fieret: ſi rerum copia annonæ caritatem leuaret. Quocirca nihil præ-

Andreis Guiſio molitur inſidias

hil prætermittebat,quò plebis animos poſſet demereri:atq;illam ab huiuſmodi ſeditionibus concitandis auerteret.

Interim Anneſius, & Vincentius Guiſij authoritatem, potentiamque prorſus conuellere arcanis molitionibus nitebantur ſubmiſſis ad Hiſpanos clanculum ſequeſtribus; qui cum ijs pace compoſita, conciliarent. Ampliſſimis promiſſis, ingentiumque munerum, atque honorum oblatione ij populi duces ab Hiſpanis vrgebantur, vt quàm maturrimè deſtinata perficerent, cæptaque abſoluerent: veritis ne in tanta conſciorum, arbitrumq;frequentia,& tam varijs, diſſimilibuſq; ingenijs, huius negotij arcanum ex latebris erumpens ad Guiſij, cæterorumq; Hiſpani nominis hoſtiũ aures delatum conſilia, ac conſtituta difflaret. Tandem Anneſius, & Vincentius Andreis cũ de omnibus ad aſſequẽda optata opportunis cũ Hiſpanis conueniſſent: accitis ad ſe clam Auguſtino Molo cauſidicorum facile principe, Anniello Portio iuris apprimè perito ambobus Guiſij fidiſſimis conſiliarijs, nec non Melone ſummo Caſtrorum præfecto, & Lane, qui ex myſta repente miles in Portę Albæ ſtatione curabat: atque ijs arcanis tranſactionibus communicatis maximorum oblatione præmiorum, compendio ſarumque ſpe dignitatum iniecta, omnes in ſuam pellexit, traxitque ſententiam. Auguſtino Molo Proregis nomine lucroſum Camporum conquiſitoris munus, Anniello Portio Criminalis iudicis, Meloni legionis militum chiliarchi honorem, Lani verò duodecim aureorum millium nummum pretium cum Diui Iacobi equeſtri cruce, cum foret ſacerdos, pollicitus. Illi obligata ſua ſacramento fide, Anneſij conſilium, decretumque ſequuturos, ita condicunt; vt eadem nocte pridie Nonas Aprilis duæ Hiſpanicæ triremes milites ad Neſij inſulæ ſtationem occupandam exponerent; vt de opportuniſſimi ſitus ad claſſem Gallicam recipiendam neceſſitate admonitum Guiſium Neapoli cũ ſuis aſſeclis egredi ad amiſſam inſulam recuperandam impellerent; cuius diſceſſu,ſui arbitrij,iuriſque populus, nemine repugnante, faciliùs ad ineundam cum regijs pacem poſſet adduci. Conſilium optatum ſucceſſum habuit. Guiſius ad occupatæ Neſij inſulæ nuntium cum octo promptiorum bellatorum millibus ex vrbe erumpens, octo muralibus tormentis in collis promontorio ſexcentis paſſibus eminus libratis, inſulam perpetua miſſilium iaculatione quatere inſtitit: & myoparonibus fortiores milites ad eam inuadendam immittere: quibus ingenti auſu in Hiſpanos pugnantibus, cum hinc, inde in pereuntium vicem integri ſubirent; paulatim pugna feruente, vtrinque plurimi cecidere.

Populi Duces cum Hiſpanis conſentiunt.

Præmia in Guiſium cõiuratis oblata ab Hiſpanis.

Niſita.

Inſidiarum in Guiſium ſtructura.

Guiſius Neapoli erũpit.

Dum hic martis furor deſæuit, Guiſius à ſuis exploratoribus admonitus Hiſpanos arma expedire, vt nocte ſequente popularium ſtationes adorirentur; de redeundo Neapolim cogitauit, cum, & tribus ante diebus inſidijs retextis, quæ in ſuum caput parabantur, atq; ob id moſchettariorum equitum præfecto, cum duobus alijs ſceleris conſcijs capite damnato, grauiora metueret: ſed ipſius cõſiliarij, quorũ ea mẽs erat illũ extra vrbẽ in ca-

Guiſius do- losè retine- tur in ca- ſtris.

ſtris remorari, donec Anneſij deſtinata,conuentaq; perficerentur;ſubiecta populi indignatione, ſi in vrbem re infecta rediret, quàm tantopere plebs vniuerſa abſolutam, exactis inde hoſtibus, cupiebat; à regrediendo deterruere; ſed maximè anxium, atq; ſolicitum, pulſante animnm rei aduerſæ futuræ præſagio, quod noſtris mentibus huiuſmodi ingentium calamitatum prænnntium amica,& prouida natura inſeruit: parere tamen metuēti animo voluit; nepotemq; ſuum eodem veſpere cum peditibus quingentis ad cognoſcendas popularium ſtationes, explorandaſq; inſidias proficiſci iuſſit in vrbem;qui cum omnia pacata,nihilq; motum, aut turbatum comperiſſet, nec vlla inſidiarum veſtigia, aut vmbra extarent; eadem nocte ad Patruum in caſtra redijt. Quare cum mortalium conatibus conſpirantibus Superis,coniuratorumq; votis afflaute fortuna, regijs opportunior recipiendæ rebellis vrbis, pacandiq; regni occaſio affulgere non poſſet: cum Ianuario Pinto,& Carolo Tartaglione in idem cum cæteris conſentientibus conuenere;vt in Diuæ Mariæ Conſtantinopolitanæ delubro omnes vna coirent; in quo negotio diligenter excuſſo, cum multæ difficultates occurrerent, nec fallacis populi inconſtantiæ ſatis fiderent, conſulentium mentes eius præteritis ſubeuntibus dolis; Signi Dux Villanæ fammiliæ,& Antonius Gattola,ingreſſum differendum cenſuerunt;vt tutiùs,exploratis diligentiùs plebis conſilijs,expenſiſq;accuratiùs conſpirantium actis,& ſenſis,res ſecuriùs perficeretur; eòq; cautiùs, & conſultiùs agendum; quò ſolertior fuit Guiſij nepotis in inſidijs perſcrutandis ſagacitas,qui indicia aliqua fortaſſe deprehendiſſet: verum cæteri omnes non cunctandum amplius rati ſubitū ingreſſum ſuadēt;fortunam magnis auſibus aſpirare,& fortibus conatibus propitiam magnanima tentamenta fortunare; eò feliciores, quò magis inexpectatos impetus eſſe;hoſtem mora fieri validiorem; cui ſi,differēdo, inſidię coniuratorum patuiſſent:deſtinata euerſum iri,cunctationem plerūq; rebus ſucceſſum eripere, celeritatem verò auſus ſecundare. Prorex igitur idem ſentiens iuſſit tormenta, bellicumq; apparatum omnem, artificioſos ignes, cæteraq; machinamenta ante agmen trahi: & nonis Aprilis cum in prætorio patritij ferè omnes adeſſent:conuenta,decretaq;aperuit,quę cum gratiſſima omnibus accidiſſent;ſuamq;operā impenſiùs polliciti quidquid reliqui rebellium barbaries, ac cupiditas feciſſet, ſe in Regis obſequium libenter impenſuros eſſe declaraſſent:conglobarunt ſe ſe variæ nobiliū equitum turmæ,quibus ſe ditioris fortunæ ciuium manipuli adiunxerunt: Ioannes etiam Auſtriacus vna cum Prorege, eadem diſcrimina ſubire nulla ſalutis cura voluit. Vniuerſum agmen tertia noctis vigilia ineunte, cum ducentis Sequanis equitibus ad templum nomini Ieſu ſacrum alto ſilentio cōtendit. (omnia enim accuratiſſima Proregis diligentia ita digeſta, & diſpoſita erant;vt vnuſquiſq;ſui muneris partes implere, & quid ſibi faciendum, cauendumue foret,optimè noſſet:vt imperantium vocibus non eſſet opus) Ibi operantibus patribus piè interfuit illa bellatorū multitudo:atq;aliquot proceres, ſummiq; duces pęnitentiæ ſacramento ſuis criminibus expiatis

Noſter ani- mus futura ingētia ma la diuinat.

Coniurati moras rum- punt.

Hiſpani ſe ad arma ex pediunt à ciuibus adi uti.

eorum

Digitized by Google

eorum vocibus patrũ ad illud glorioſum facinus fortiter audendũ acriùs animantur. Hora ante lucem agmen prodire cępit ingreſſurum in vrbẽ per portæ Albæ ſtationem, cui Lanes caſtrorum præfectus præerat conſpirationis conſcius; ſed imprudenter alia inita via, atq; agmine ad ſtationem promoto, in qua Matthæus ab Amore curabat; ille ad hoſtium aduentum præſidiarios claſſici cantu ad arma ciente, conſurgens ad propugnandum munimentum ſe inſtruit. Qua in primis conatibus obiecta prodeũtibus difficultate confuſi Hiſpani de fęlici rei exitu ambigui, aduerſo viæ errore, ad portæ Albæ ſtationẽ referũt gradũ: in quã à Lane excepti in eminente Diui Anielli tumulo inſtruunt aciem; vnde, & à Virginum ſuburbio honeſtioribus ciuibus acclamantibus, viuat Rex Hiſpanus, Regij confirmatis animis, in rebellium ſtationes ingenti impetu inuehuntur; in quibus non pugna, ſed fuga, in proprias quibuſq; ædes dilapſis, cum omnia iterum ad Hiſpanos à proprijs popularibus transferri viderent. Ibi Cardinalis Philomarinus Ioãni Auſtriaco occurrẽs receptam Neapolim, ſubactoſq; rebelles, & pacatos fęlici euentu tumultus hilaris gratulatur: qui quia ſemper ſtuduerat, ne à ſe popularium animos alienaret, ſeq; inuiſum, vel minus acceptum plebi faceret, vt Regis Hiſpani cauſam meliùs, efficaciùſq; cum populo ageret: ab Hiſpanis non rectè de eorum imperio ſentire creditus eſt: quamuis intemeratæ fidei Princeps nihil magis habuiſſet in votis, nec enixiùs laboraſſet, quàm Regi tumultuantem populum conciliare. Per vrbem deinde inter feſtas populi acclamationes Cardinalis cum Ioanne Auſtriaco, Proregeq; equitarunt, Cardinali medium tenente; à quo paulò retractior Prorex ęquitare viſus eſt, adeò vt ad eius dexteram Ioannes Auſtriacus veheretur. Equitantibus addidere ſe ſe plures proceres, & patritij, multique ex ſuburbijs præcipuè Virginum, quòd ſemper in conſtanti erga Hiſpanum Regem fide perſtiterat. Per celebriora vrbis loca, viaſq; frequentiores illa equitantium pompa proceſſit. Ex tot rebellibus, & ſeditioſis nemo contra hiſcere auſus eſt, nemo mutire, ne dũ raptis armis Hiſpanos inuadere; quos paulò ante acerrimis odijs fuerãt perſequuti; immo plebs omnis exermis, è feneſtris, vijs, & officinis lętiſſimis excitatis plauſibus acclamabant, viuat Rex; omnia Regem ſalutantium vocibus perſonabant: cuius ſimulacra in venerationis, conciliatique animi argumentum ex feneſtris expoſita pependerunt. Non plus quatuor militum millia cum volonibus, & Hiſpanis innumerabili ſe populo obiecere. Qui in Nundinarum forum progreſſi, extemplò ſe compoſitis ordinibus, inſtructoque in quadrum agmine oſtentarunt. Cæteri ſe per vicos, & Carmelitana compita partiti, omnes vrbis aditus, viarumque capita poſitis ſtationibus ſepſerunt. Ianuario Anneſio ſtatim per Petrum Caraffam, & Carolum Serram indictum, vt Carmelitanum propugnaculum dederet; qui quamuis cum Hiſpanis in arcano conſentiret, immo ante Hiſpanorum acceſſum omnes, quos ſuis cõſilijs reſtituros, repugnaturoſq; formidabat, foras exegiſſet; ſuis aſſeclis, & fidis inductis, in ſpeciem tamẽ obſtitit aliquantulum, ne ſuam affectam fidem ita palam tra-

Hiſpani in rebellium ſtationes impetum faciunt.

Cardinalis Philomarini in Hiſpanum Regẽ fides.

Hiſpani Neapolim recipiunt.

Populi inconſtãtis lęta acclamationes.

duceret: paſſus ſe tandem à Cardinali coram Ioanne Auſtriaco ſiſti præteritarum veniam culparum ipſius genibus aduolutus præcatus propugnaculum tradidit: in quod Aluaro à Turre cum ducentis ſexaginta peditibus ingreſſo, atq; ad Archiepiſcopale palatium equitum, peditumq; triumphantium pompa traducta, Hymnum *Te Deum* in gratiarum actionem pro felici eius arduæ rei ſucceſſu hilari cātu muſicis modis, & numeris modulati ſunt myſtæ. Nulla certè dies lætior, aut fortunatior Hiſpanis illuxit: qua ne quidem ſtricto enſe rebelli vrbe recepta, pacatiſq; ſeditioſis, & florentiſſimo regno paucis horis priſtinæ frenis ſeruitutis iniectis, tranquillato, indomitam perduellis populi contumaciam contuderunt.

Hiſpanorũ fortuna.

Fortunæ potentia humana verſantis.

Nunquam fortuna actis retro ſeculis ſe ita variam, inconſtantem natiuo rerũ rotatu omnia humana verſante, ſicuti Neapoli paucis diebus exhibuit. Vidiſſes hic inuerſo ordine rerũ, inermes pueros armatas fugare cohortes, imbellem plebem, imperitumq; belli vulgus veteranos patritios, expertoſq; bello duces, ac milites debellare: depreſſos ad vltima nobiles, & populi purgamenta ad ampliſſimos honores euecta; famulos ſuis dominis imperare, vectigales ſe Principes ferre; dynaſtas ſuorum populariũ facere imperata; ad ſeditionem non modo à Principe conniueri, ſed etiam ab eo probari: momento populum rei bellicæ inſcium in bene inſtructam compoſitis ordinibus, aciem conuerſum, plebēq; bellicoſos bellatores egiſſe: vel cadentibus ſocijs, impauidam ſtetiſſe in acie, in munimenta, in arces, & mœnia contra ęrata agmina violentiſſimos iteraſſe impetus: ſediſſe pauperiem arbitram rerum impios libera poteſtate capite noxios, ſceleſtoſq; mulctaſſe. Diceres ludentem fortunam ſuam in res humanas, mortaliſq; potentiam experiri voluiſſe. Verũ quæ nos rerum cęleſtium ignari temeritati fortunæ tribuimus; certo diuinæ mentis decreto, ac placito ad puniendam potentiorum inſolentiam, ſuperbiamq; deprimendam, cęleſtia, terrenaq; ſuo arbitrio moderantis eueniunt. Nihil aduerſi temerè, caſuq; accidit: ſed Diuina ira mala, calamitateſq; fulminat in mortales: cum eò vſque creuerint ſcelera, vt mitiſſimum, ac clementiſſimum Numen in ſui vltionem impulerint.

Ad ſeruandam quietem, comprimendoſq; tumultus, ſi qui in ea recenti rerum trãquillitate oriri poſſent; regia agmina in celebrioribus vrbis locis, portis, vijs, & compitis diuiſa iuſſa excubare in omnes populi motus intenta; qui circumfuſa veritus arma, ne in præteritæ ſeditionis vltionem ſuis ceruicibus minarentur; trepidus aliquantum nutauit; ſed accurrentibus quòcunq; Ioanne Auſtriaco, ac Prorege, certamq; ſuperiorum noxarum veniã, remiſſionemq; pollicitis, poſito metu, atq; armis abiectis, Hiſpanico ſe iterũ imperio ſubmiſit. Retenti, ſeruatiq; regni gloria Procerum, Patritiorumq; inconcuſſæ fidei, conſtantiæ, virtutiq; tribuenda, qui nunquam vel maximas dignitates, ſupremoſq; honores deferente cũ populo conſentire voluerunt; immo eo in ſuas fortunas liberos, vxores fratres immani feritate ſęuiente, rerum cariſſimis barbarè furentiũ arbitrio deſertis, circa Proregem armati ſe denſa in agmina conglobarunt; vim, iniuriamq; aſſultantium ferociter popu-

Proceribus, & patritys retēti regni laus debetur.

popularium propulſuri: ſuorum pectorum obiectu texere Proregem, cum innumerabilis multitudo in prætorium inundans efferata illum quæreret ad necem. Attellis conſtituto belli armamentario feſtinarũt, quò Regis obſequium vocabat; vbiq; popularium conatibus obſtaturi, & quamuis ab ipſis Hiſpanis non leuia incommoda pertuliſſent; cum in totam rebellem vrbem, omneſq; ciues, cum tantum eorum pars noxia foret, ſæuientibus à claſſe, ab arcibus diſploſa tormenta vrbis tecta diruerent; ijs tamẽ, quibus perduelles cladibus inuoluti, non exuere ſolitam fidem, ſed cõſtantius, vel cum ſuarũ rerum iactura, & capitũ diſcrimine à Rege ſtetere. Deniq; huiuſmodi fuit patritij ordinis virtus, fides, conſtantia, ſtrenuitas, vt per omnes æternitates plenis gloriæ velis ferenda ſit, nullum finem ſuis laudibus habitura.

In tanta lætitia, omniumq; ciuium gaudiis, reſeratis carceribus, è vinculis liberi emiſſi habiti in cuſtodia; exceptis Mutinæ dynaſta Gallo Guiſij ducis ſupremo legato, & aliquot militibus Gallis ipſius Guiſij iuſſu ob varia illorum ſcelera in vincula coniectis. Direptum repente ab irruente turba Guiſij prætorium eſt, in quo inter alia ſpolia ab Hiſpanis ſcrinium ſcriptis, & literis à pluribus cuiuſcunq; conditionis exaratis, quibus cum Guiſio in ijs rerum turbinibus aliquid negotij fuit, repertum eſt; & præter omnium ſpẽ, exiſtimationemq; ſeruatum; quod ad abolẽdam præteritarum rerũ memoriam, & ad certam noxarum veniam ignibus iniectum iri putaſſent. Quocirca plurimi ſua nomina, literas, conſilia monita in eo eſſe gnari, accuſante illos, terrenteq; conſciẽtia, vt eſt omnis meticuloſa perfidia, deſperata perduellionis, declaratiq; in Hiſpanos odij venia, alij aliò cum ſuis familijs dilapſi implacabiles principum iras effugerunt: prudenti ſanè, ſagaciq; conſilio, cum multi nihil data veniæ fide moràte, rebellionis capite, varioque mortis genere perempti pœnas luerint: neſcij ſæuum principem nunquam miteſcere, neq; iniuriarum obliuiſci, ſed iræ tenacem in ſui vltionem, cum minus id cogitas, rapi.

In cuſtodijs detenti liberi dimittũtur.

Plures rebelles impellente cõſcientia alij alio dilapſi.

Poſtera die ad fęliciorem recepti regni ſucceſſum, ſecundioremq; fortunam, cum ſuis aliquot domeſticis captus eſt Guiſius, dum Romam verſus fugam moliretur. Vbi Neapolim cum Hiſpanis conueniſſe, compoſitaſq; res illi allatum eſt nuntium; inde ſe nauigio celeri fuga abripere cogitauit: ſed cum repente ſuborta tempeſtas decretum feſelliſſet; Capuam verſus fugam conſciuit, vbi erat populi armamentarium; ſed monitus ab amicis, vt Romam fugere maturaret, in popularium caſtris minimè tutum fore; Romam feſtino gradu contendit: ſed proditus à Neapolitano ciue itineris, fugæq; ſocio, cum à duabus equitum turmis Proſpero Tutauilla præfecto ab Aloyſio Poderico fugientem inſequi iuſſis quæreretur: à Legato Vicecomite, qui & ipſe cum equitum turma ea itinera percurrebat, interceptus eſt. Dum à circumfuſis equitibus ſiſteretur: pronuntiaſſe fertur: *bi ſunt aduerſantis fortunæ ictus, bellatoribus incuti ſoliti.* A ſuperueniẽte Proſpero ſocijs omnibus adẽpta ſunt arma; Guiſio tantũ honoris cauſa rotatis ſclopulis, enſeq; relictis. Capuã valida cuſtodia captiuus abducitur; cui ad

Guiſius capitur ab Hiſpanis.

Eius capti dictum.

officium

officium Podericus obuiam prodijt ex vrbe, excepitque perhonorificè venientem, ſuæque cœnæ illum adhibuit. Inde in Caietæ arcem translatus, tamdiu ibi cuſtoditus, donec procerum iuſſu in Hiſpaniã captiuus traductus eſt.

Hunc habuit euentum Neapolitana ſeditio, qua per vulnera, cædes, exilia, rapinas ædium, locorumq; excidia, ciuium ruinas, conuulſamq; patriam, & per omnia feritatis, atque immanitatis exempla quæſitæ libertatis nihil præter ipſius vota, retentum: paucorum fortuna Hiſpanorum vires, conatuſque innumerabilis ferocientis ſtolidè multitudinis opprimente.

Neapolitani Profugi Hiſpanis infenſi.

Neque tamen Galli miniſtri, nec Guiſio captiuo, nec Hiſpanorum victoria, nec populi domita pertinacia, nouandarum rurſus in eo regno rerum fractis animis ſpem penitus abiecerunt; immo rati eadem popularium inconſtantia, qua in Hiſpanorum fidem ſuorum malorum immemores redierunt; præſens durum pertæſos iugum libatę nuper dulcedine libertatis illectos poſſe iterum ad rebellandum induci; ſi præclarum conantibus facinus validæ ac ſubitæ Gallorum vires adeſſent id maximè inſtantibus profugis Hiſpanorum imperio aprime infenſis reditus in patriam cupidis, decernunt iterum Neapolitanorum animos tentandos: qui Proregis artes, inſidias, dubiamque veriti fidem mobilioribus nutabant animis, defectionemq; ſi id alicuius præpotentis Principis auxilijs foret impune ceſſurum, circumſpectabant. Faciebant, quoq; animum præter ardentia profugorum ſtudia, Tobiæ Pallauicini, cæterorumque ducum in Brutijs adhuc arma bellantia. Quibus omnibus ad Gallos proceres renuntiatis, maiori ſolicitudine curas omnes in Neapolitanum bellum intendunt. Cardinalis itaque Mazzarinus, cuius conſilijs, prudentia, ſolertia, ingenio tota Gallicarum rerum moles quaſi firmo innixa cardine verſabatur: cum Principe Thoma Allobrogum Principe ſibi acceptiſſimo, vtpote Italo, egregioque huius ſeculi Duce ſedulus agit de ineunda Neapolitani belli gerendi ratione: ambo communi ſententia in tantæ rei magnitudine non cunctandum rati decernunt, triremium claſſem adiectis octo ingentibus nauibus, ipſo Principe Thoma ſupremo Nauarcho, in orientis maria curſũ intendere; ſed prius in Populoniæ portum inuectam Cardinalem Grimaldum, dynaſtam Pleſſium Viſuntium excipere; quorum conſilijs, & placitis ea expeditio gereretur; quòd ille purpuratos Gallos, & proceres monuiſſet, claſſem in Neapolis conſpectum celeriter dandam vt eo vicino, oſtentatoque ſubſidio, amicorum animi firmarentur, & cæteri, qui niſi præſentis auxilij aliquod fulcimentum cupidè expectabant; vt impauidè ſua conſilia, votaque aperirent; tandem in Gallicarum ſtudia partium proclinarentur. Claſſis igitur pars Populoniam prouecta, accepto in Prætoriam Cardinali Grimaldo cum pluribus Neapolitanis profugis, Neapolim verſus Zephiris explicat vela. Verum Vniati comes Prorex, qui rebellione compreſſa, iniectoque contumacibus perduelliũ Hiſpanici imperij ceruicibus iugo, belli reliquias conficere

Galli Neapolitanos rebelles fouent.

Gallica claſſis Neapolim nauigat.

Piombino.

ficere properauit: immiſſo, à compoſitis cum populo rebus, Aloyſio Poderico cum tribus peditum millibus, & mille quingentis equitibus in Pallauicinum adhuc in Brutijs rebellionem, bellumque alentem: qui Poderici agmine circumſeptus inferior viribus, Aquila, atque Andredocco amiſſis, toto regno faceſſere cum quadringentorum Gallorum agmine compulſus eſt. Omnes contra deditionis leges ab Hiſpanis etiam enſibus exarmati: de qua contumelia, violatoque belli iure cum Caneti dynaſta ſtrennus eius agminis miles acerbiſſimè quereretur; cui cum cæteris fuerat enſis ademptus, Podericus ſuum enſem laudabili ſanè, equeſtrique claritate digno facto, ſuo diſcinctum lateri Gallo appendit: tanto cum eius popularium aſſenſu, oblectationeque, vt illum plurimum commendarint.

Prorex Pallauicinum bello perſequitur.

Pallauicinus, et Galli cum rebellibus regno pelluntur.

Poderici Hiſpani laudabile factum.

Nauarchi, Gallique Duces cum populares ſuos toto regno exactos, oppidis ijs amiſſis, quæ ſuo receptui, perfugioq; deſtinauerant, audiſſent; omnia latè tenente, ſuperanteque Hiſpano, Populoniam vnde venerant, explicant vela: relictis ad centum cellas pluribus Neapolitanis profugis, vt Romæ è viciniori ſollicitatis ſuorum popularium animis opportunis nouandarum rerum occaſionibus imminerent. At Prorex de hoſtium conſilijs, & cogitationibus monitus, ne quid iterum turbaretur, ſeditioſiq; inſidiarum arcanis conuentibus molirentur: ſolicita excubans cura, omnia accurato intuitu circumſpiciebat, rimanatque, & excutienti ſolicitè profugorum, latentiumque hoſtium molimina præteritæ ſeditionis facinora vlciſcendi huiuſmodi præbetur occaſio. Auguſtinus Lietus, Guiſij prætorianorum, corporiſque cuſtodum præfectus, qui eadem Gallica claſſe vehebatur, ad Ianuarium Anneſium, Milonem, Palumbum, Andream ingentibus promiſſis plenas literas dederat, hortatus, vt cum ſuis aſſeclis, & ſectarijs raptis iterum armis populo ad ſeditionem concito, in Hiſpanos inſurgerent. Has literas Carolo Roſæ Neapolitano ad eos perferendas committit: vt virum religioſum mentitus, tranſgreſſuſque Neapolim ijs populi quondam ducibus traderet; ſuaderetque præſens efficaciùs, vt excuſſo Hiſpanorum iugo, iterum ſe in libertatem vindicarent. Roſa præuaricator Hiſpani vberioris ſpe præmij Proregi eas literas defert; à quo perhumaniter accepto arcanum tegere ſuadetur, atque ampliſſima promittuntur; ſi proditorem ancipitem, dupplicemque exploratorem agens literas iiſdem ducibus traderet; curaretque enixè, vt literis reſponderent: ex quo eorum animos, ſenſus, inſidias facilè poterat explorare: traditis deinde literis claſſem repeteret; quo res maiori ſimulatione tegeretur. Omnes vno excepto Ianuario Anneſio, Proregi nec dum reſignatas literas deferunt: quorum fide, conſtantiaque mirè lætus Prorex Anneſij inſidioſum, fraudolentum, infenſumque adhuc Hiſpanis animum ſuſpicatus illum triduò poſt manibus conijcer apprehenſum, vt erat acris, perſpicaciſque iudicij, atq; in omnes captandi animos artes compoſitus: interrogat, *num aliquid de Gallica claſſe exploratum haberet; an inde nuntium aliquod accepiſſet*; ſed

Proregis vigilantia.

Proregis ſagacitas.

Anneſio

Anneſio abſciſſo reſponſo negante,ſibi aliquid de Gallis innotuiſſe, nec ſibi quicquam cum ea gente intercedere. Prorex inſtitit enixiùs iterum percunctari,rogareque vt verum ingenuè fateretur; ſe illi noxam, culpamque remiſſurum: verum Anneſio multa aſſeueratione aſſirmante, ſe nihil de Gallis accepiſſe (an hoc metu fecerit, an quod illi redditæ non fuerint literæ,in medio eſt) Hoc Anneſij pertinax, doloſumque ſilentium tantum de eius dubia, affectaque fide Proregi ſuſpicionem iniecit;vt ſicuti rerum imperij materies Zelotypos Principes facit, & maximæ curæ, ac ſolicitudinis eſt;vt etiam vſurpādi dominatus cogitationes,pro auſo facinore,patratoq; rebellionis ſcelere habitę ſupremo ſupplicio puniantur;Pretorio egredienti à lictoribus iniectæ manus,& quaſi perduellionis manifeſto,compertoq; cum hoſtibus conſenſiſſe;in medio arcis foro ſuper tabulato nono Kalend. Iulij ſciſſæ ceruices: cum eoque quatuor ipſius aſſeclæ ſuſpendio interempti, inter quos Frater Aloyſius à Ferro quondam Populi apud Romanum Pontificem Romæ legatus. Inuenta in Ianuarij ædibus centum aureorum millia, & quam plurima argentea vaſa, aliamque pretioſam ſupellectilem illi exitium magis, quàm vllas hoſtium literas, vel cogitati parricidij noxam maturaſſe maligna mortalium ingenia peiora ſemper ſuſpicari ſueta putarunt.

Anneſii ſuſpecta in Hiſpanos fides.

Anneſius capitur, & capite plectitur.

Gallica claſſis in Neapolis cōſpectum ſe dat Tolone.

Orbitello.

Princeps Thomas Gallicæ regiæ negotijs expeditus in Narbonenſem Galliam tranſgreſſus nihil primi claſſis agminis irrito conatu morante, cum vndeuiginti triremium,quatuor, & quinquaginta nauium, onerarijs, incendiarijſque recenſitis epibatis, rebuſque bellicis inſtructiſſima claſſe in inferum mare Telo Martio ſoluit:tentatoq; ex itinere nequicquam Diui Philippi propugnaculo ſupra Coſſam,ſe Neapoli explicata in cornua claſſe oſtentat: occupata expoſito epibatarum agmine, Prochyta inſula, propiùs vrbem admouet claſſem; quò ſuo aduentu, quem tumultum exciret Populus,exploraret. Verum nemine, ob Proregis vigilantiam, curamque mouente, eius ſpes omnis euanuit,quæ illum in ea maria compulerat.Miſſeni tamen quinque paſſuum millia procul Neapoli ſubſtitit claſſis aliquot dies:miſſoque Capreas nauium agmine, & ad Prochytæ cuſtodiam peditibus ducentis, erat enim ædes munita duntaxat ad piratarum exſcenſionem prohibendam Hiſtonij Demarchi ditionis, Triremium claſſis Salernum verſus tendit infeſta ea mente; vt expulſis inde Hiſpanis, ibi belli ſedem figant, & Politi Paſtinæ inſignis exulum, profugorumque ducis aſſeclarum popularium ſtudia conatus, conſiliaq; foueant (illum enim idcirco ſecum duxerant claſſe) quos ſeditionem certò conflaturos ſperabant: ſi aliquod perfugium, quò ſe reciperent, patuiſſet. Princeps igitur Thomas expoſito in maris litora Gallorum agmine,ducentorum exulum ope Salerno nemine acceſſum prohibente ſuccedit, admotiſq; mœnibus ſcalis,bipartito vrbem audacter inuadit. Sed Martinæ Ducis in ea curantis virtute, diligentia, bellica peritia mœnium imbecillitatem ſupplente, aliquot etiam promptiſſimis Hiſpanorum ducibus, & Neapolitanis patritijs, qui labo-

Prochytam occupat.

Vaſto.

Galli Salernum inuadunt.

rantis

rantis vrbis ſubſidio conuolarant, ſtrenuiſſimè depugnantibus, Galli de ſcalis impactis in enitentium in muros pectora haſtarum cuſpidibus, enſiumque mucronibus, poſt diuturnum, cruentumque certamen cum magna ipſorum clade, cædeq; reuoluti ſupini, deiectiq; ſummouẽtur. Accurrente deinde Neapoli oppugnatis laturo ſupetias Dyoniſio Guſmano ſupremo caſtrorum præfecto, & Vincentio Tutauilla, Podericoq; ducum fortiſſimis cum valido peditum, & equitum agmine Princeps Thomas, ne à præſidiarijs, ſubſidiarijſque medius interciperetur: inanes ſuos conatus, vanoſque ſuorum armorum impetus futuros aduertens, cum populares, neque tam potentis claſſis aſpectu, neque è vicino oſtentatis auxilijs, Proregis metu pauidi, Hiſpanorumque potentia oppreſſi aliquid mouere auderent: rurſus conſcenſa claſſe, decimo octauo Kalendas Septembris in occidentem Euris vela pandit; relictis in continente aliquot ingentis formæ tormentis, quæ nauibus imponi receptus celeritas, ac trepidatio prohibuit; Cardinalique Grimaldo ad Iluam inſulam expoſito, in Narbonenſem Galliam nullo tanti motus, conatuſque fructu redijt; eo claſſis receſſu indignante, iraſcenteque Principi Cardinale, quæ ſi etiam in Salernitano ſinu octo dies amplius ſubſtitiſſet: Calabris, Lucaniſque populis aſperrimè à proceribus, & dynaſtis habitis animos addidiſſet; vt iterum arreptis armis, excitoq; tumultu, Hiſpanicum ſeruitium exuerent.

Galli pelluntur.

Gallica claſſis in occidẽtem reuertitur.

Hiſpani Gallicæ claſſis receſſu omni hoſtilium armorum, ſeditionumque metu prorſus amoto, in ſuorum commilitonum, populariumque vltionem, quos barbara plebis immanitas trucidauit, iras, animoſque conuertunt. At non aperta vi, militarique impetu, ne populum ad vltima experimenta deſperata ſalus efferaret; ſed varijs ſubinde ſtructis criminibus circumuentos maximè noxios alios, atque alios ſupplicijs mactare aggrediuntur. Prorex ſolertiori ſimulatione, occultiorique ira comiter, atque humaniter cum ſeditionis ducibus agens, obſequijs, blandimentis delinitos turbidiſſimos quoſque ſopiebat; vt in eos ſæuiori vltione graſſaretur: quos ſubinde ſingulos aliorum delatos ſcelerum, actoſq; reos vel capite, vel ſuſpendio damnabat. Plures quotidie coniecti in vincula diuerſorum obtentu facinorum laqueo eliſis faucibus præteritæ ſeditionis ſupplitia luebant. Ipſe Papo præcipua rebellionis fax Proregis indulgentiæ, veniæq; perduellionis à Prorege promiſſæ diffidens profugus Romæ cum Gallis miniſtris agebat; vt traditis ſibi militum, pecuniarumque ſubſidijs Fregellis ad regni fines populares in arcano Hiſpanis infenſos ad res iterum turbandas accenderet. Sed tribunus militum ab ijs iuſſus, regijſque literis ei traditis, quibus alios aſſeclas ſuos militaribus honoribus impertiret: dum ibi coactis profugis, & exulibus, ſectarijſq; ſuis, bellum, ſeditionemq; molitur; à Comite Hercule Vicecomite Germanorũ peditum chiliarcho, & Iulio Pezzola obſeſſus, captuſq; eſt, Neapolimq; plauſtro vectus, & ex aurichalchi bracteis corona texta redimitus publicè ſecuri percuſ-

Hiſpani præterita ſeditionis facinora vlciſcuntur.

Rebelles varijs criminibus circũuenti capite plectuntur.

Ponte Coruo.

Papo capite mulctatur.

perculſus auſæ rebellionis, multorumque facinorum pœnas dedit.

Prorex veritus, ne Proceres, quorum in ſuos vectigales acerbitas, impotentiaque dominatus eos non ciere modò tumultus, ſed etiam compulerat rebellare; ſuperiores iniurias, atque offenſas ſibi illatas vlciſci, vectigalibuſque ſuis clades reponere deſtinarent; ac proinde nouarum ſeditionum, tumultuumque flammas incenderent: Neapolim dynaſtas omnes, beneficiarios, Principes, ac Duces acciuit ſpecie quidem, vt in tanta temporum difficultate rurſus Gallis parantibus bellum ſibi adeſſent: reuera tamen, ne præteritis offenſis irati auarè, ac crudeliter imperando populorum animos aſperarent. Mataloniæ, quoque ducem accerſiuit; verum ille, neque iteratis ſæpius Proregis iuſſibus parens Neapolim ſe conferre pertinaciſſimè recuſauit eius plebis acerbiſſima in ſe odia cauſatus, quæ ſe expulſum, eiectum ſæuiſſimè fuerat perſequuta: ſe enim in ea vrbe ſuæ familiæ infenſiſſima agere, neque implacabilis hoſtis intuitum ſuſtinere poſſe, quæ ſe, fratremq; ſuum grauiſſimis iniurijs, contumelijſque affeciſſet. Verum ſecretioribus de cauſis ſe Proregis poteſtati committere recuſauit; ratus ſibi pernicioſum fore, ſi ſe fidei callidi hominis credidiſſet. At Prorex ſuæ retinens dignitatis, ne ſpreta maieſtas alijs quoq; contemptui foret, certo vt ſuis pareret iuſſibus omninò decreto, Dyoniſium Guſinanum cum mille peditum agmine in eius dominatum immiſit; vt ipſum captum Neapolim duceret; interim in eius terris milites ad ipſorum inſolentiæ arbitrium alerentur. Montis Sarchij interim Princeps dum triremi in Brutios ad venerandum Diui Dominici Suriani ſimulacrum vehitur, Proregis iuſſu intercipitur. Cæſar, quoque Caraffa, Priagnæ præſidis filius, Roſcellæ prior Principis Pauli Venati filius, pluresque alij proceres, & dynaſtæ capti in Megarim arcem in cuſtodiam ducti, initi conſilij poſtulati; ſi Hiſpaniarum Rex ſine marium ſobole deceſſiſſet, quod tum plurimi verebantur, Regni diadema eſſe Ioanni Auſtriaco deferendum: & quòd in amicorum conſeſſibus, & alloquijs Proregis actis, ac regimini obtrectaſſent. Qui Proregis in Proceres rigor totius patritij ordinis animos aſperauit indignabundos: ſua ardentia in Catholicum Regem ſtudia, obſequia, labores, vulnera, cædes, fortunarum iacturam, quòd inconcuſſa fide regijs partibus adhæſiſſent; quibus eſſet contra rebellium furorem, & impetum regnum Hiſpanis retentum; non huiuſmodi ludibria, contumeliaſque mereri, neque belli incommoda, quæ pro aſſerendis Hiſpanis tam multa paſſi eſſent, vincu[l]is, & carceris ſqualore penſanda; quos proceres animos in poſterum habituros: ſi huiuſmodi gratiæ tot exantlatis pro Rege Hiſpano laboribus referrentur? Ecquid pretij nauatæ Hiſpanis operæ, præſtitæ fidei, ſeruati regni, ſæpius obiectæ mille periculis ſuæ ſaluti erat, ſi innoxij, inſontes in vincula raperentur? Satiùs, conſultiùſque futurum fuiſſe Patritijs, ſi cum duces, chiliarchi, imperatores, dictatoreſque vnanimi plebiſcito à populo dicerentur, delatos ſibi ampliſſimos honores accipere, eandemque cum popularibus ſuis ſubire fortunam. Quid in Regem toto eo popularis ſeditionis tempore, quid

Proregis ſalutare conſilium proceres omnes Neapolim euocantis.

Mataloniæ Ducis contumacia.

Multi proceres capti in cuſtodiā dantur.

Obiecta proceribus culpa.

Digitized by Google

quid in leges, ſacramentiq; debitum patritij peccauerint; niſi quod nihil penſi habitis vxoribus, liberis, fortunis, ſalute, omnibus ad furentis plebis arbitrium deſertis, intemerata ab Hiſpanis ſteterint fide, adhuc latet. Eadem Cuperſani Comiti incuſſa procella, qui ſuorum vectigalium manu, clientela, domeſticis, virtute, potentia, opibus pro Hiſpanis in rebelles vſque ad vltima depugnauit; ipſe tamen Proregis inſidias, dolos, arteſq; reformidans, dicto illi die, vadimonium obire recuſauit: profugus aliquãdiu per alienas terras errare, precarioque viuere compulſus eſt; donec inter exilij tenebras clareſcente magis, ac magis eius innocentia, patriæ ſumma cum omnium gratulatione reſtitutus quieuit. Hi Proregis in Proceres poſt eorum innumera, ingentia in Hiſpanum Regem merita rigores ſermones mortalibus præbuere.

Cuperſani Comitis calamitas.

Alij id eſſe politicæ diſciplinæ conſilium; atq; ad retinendam Hiſpanici dignitatem imperij, ſeruandumq; in poſterum regnum ciuilis prudentiæ placitum aſſerebant: vt, cum Hiſpani populares coercita armis rebellium audacia, latè tertuerint: dynaſtarum quoque, ac procerum potentia eodem victoriæ impetu frangeretur; ne vnquam efferre ſe ſe, atq; inſurgere pœnarum metu contra ſuos dominos auderent. Alij ad aucupandam popularium gratiam, auertendumque ab Hiſpanis in proceres odium ex præteritis calamitatibus, maliſque conceptum eo modo in dynaſtas ſæuitum putabant. Sed quidquid id ſit, quod Proregis rigorem in primates impegerit, honeſtum, iuſtumque fuiſſe cenſendum eſt: cum Principibus Dei omnia moderantis, regentiſque miniſtris id propoſitum eſſe debeat, vt nihil ab ijs in vectigales iniquum, iniuſtumq; decernatur. Sumpta identidem de noxijs, ſeditionis, cædumq; reis ſupplicia, quamuis omnium, quæ impiè, nefarièque toto rebellionis tempore auſi eſſent, Prorex pœnam, veniamque condonaſſet: non perfidiæ illi dedecori danda ſunt, ſed Diuinæ iuſtitiæ ſcelerum vindici tribuenda: quæ raro admodum impia facinora reis eſſe ſinit impunè; immo cum profligatiſſimi latrones ſe tutiſſimos putant; tum maximè ab ijs præteritorum ſcelerum ſupplicia ſumuntur. Huic rei Lanis caſtrorum præfecti fidem aſtruit cædes, cui cum ſex aureorum millia, ex duodecim millibus promiſſis regij Quæſtores numeraſſent; progreſſuſq; in prætorium cætera audacter exigeret; non ei ſolum admenſa adempta pecunia eſt, ſed etiam in arce abrepto guttur laqueo fractum. Auguſtinus Molus conquiſitoris extra vrbem munere auctus plurium criminum, ſiue delatione, ſiue prætextu Capuæ coniectus in vincula, inde Gaietam abductus quid illo factum ſit, ignoratur: certè deinceps nuſquam apparuit. Aniellus Portius traditus in arcis cuſtodiam, quid illo fuerit, in obſcuro eſt. Garzullus quoque Roſa villi panni ronſor ſuperiori ſeditione tumultuantium primas vici pannorum, Carcerumq; Guiſij gratia præfectus, eodemque munere à Prorege donatus, atque alterius popularis ſeditionis præcipuus author, & incenſor, inter ipſas rerum turbas non pœnitendis opibus partis, quod vim lictoribus quendã Vicariæ poteſtatis reum

Reges Dei miniſtri.

Scelera raro ſupplicium effugiunt.

Rebelles varijs ſupplicijs mactantur.

in vin-

in vincula rapientibus collecta armatorum eius vici manu, concitoq; tumultu, attuliſſet; detruſus in carcerem mulctatuſq; capite, ne quid iterum turbarent, alijs fecit exemplum. Dirutæ, æquatæque ſolo eius ædes, & contigua domicilia non magis deformem aream, quàm audaciæ, temeritatiſq; vindicem iram oſtentant.

Quamuis Prorex ſeditioſiſſimum quemque ſuperiori rebellione notatum quaſi aliud agens occideret, appoſitiſq; accuſatoribus, veris, vel fictis criminibus intentis pergeret morte mulctare: & plures identidem in arcem vocati eius iuſſu raperentur ad necem; crebris tamen ſermonibus inculcabat præterita ſe omninò velle obliuiſci, ſuperioraque auſa impunè futura, niſi in poſterum noui aliquid molirentur. Verum nullo Dei, nullo legum, ſuppliciorumque metu laxatis ſuis quiſque ingenijs auaritiæ, ſæuitiæ, inſolentiæque habenis in omnia ſcelera furore præcipites ferebantur; ſuo arbitrio viuere, dominarique pro libidine aſſueti ægerrimè intra moderationis, iuſti, ęquique limites coercebantur; rędebatq; eos nimium timidi, nimium demiſſi animi, nulliuſq; fuiſſe conſilij; cum rerum domini, nullius addicti imperio quaſi dictatores in ampliſſima poteſtate plebi iura darent, atque innumerę multitudini prę ſiderent: compoſitis cum Hiſpanis rebus, in ordinem redactos intra humiles priſtinæ fortunæ, ſortiſq; terminos contineri. Quare cum ſuperioris potentiæ, atque amplitudinis memores frequentiùs in licentiam aliquam proſilirent; Prorex captata præteritæ ſeditionis auſa vlciſcendi occaſione, turbidos quoſque opprimens pullulantia ſeditionum ſemina extirpabat: ſuorum eos facinorum in debita ſupplicia agentibus furijs, vt barbariſſimæ immanitatis in inſontes exercitæ flagitia, ſuſpendijs, laqueis, & ſecuribus plecterentur. Ita minantis, excidia, clades, imperijq; ruinam turbinis iras, atrociſq; procellæ cuncta funditus ruituræ veſanos impetus in ſerenum Hiſpanorum fortuna diſcuſſit; quorum res quamuis vndique Gallorum armis impulſæ acciſum iri, proſtratumq; viderentur; mirabili tamen virtute tot varijs hoſtibus, tot infortunijs, ac calamitatibus pares non obſiſtunt modò; ſed etiam ſolito viuidiores, fortioreſque reſurgunt, eaſdemque hoſtibus clades vltrò illato bello reponunt. Domita igitur Neapolitani regni ferocitas ęqui, vel inuita iniecta fręna ſpumantia mandit.

Proregis ſagax ſimulatio.

ALLO-

ALLOBROGVM PRINCIPVM vitæ diſcrimina, & Antiſtitis Vice-comitis Firmi præſidis cædes.

NARRATIO VIGESIMA QVINTA.

NEſcio quo malefico ſiderum malignùm radiantium aſpectu affecta mortalium ingenia fuerint; vt vno fere tempore eadem perfidiæ peſte tentata, alia à ſuis Principibus rebellarint, quædam eorum ſaluti inſidias ſtruxerint; alia etiam in ſuos reges, & præſides deſæuierint, eodemque rebellionis furore totam corripiente Europam, quaſi ex compoſito eiuratis ſuis regibus populi ad exteros per ſummam perfidiam transfugerint. Angli primum, quis crederet? nouo, atque inaudito omnibus ſuperioribus ſeculis immaniſſimæ feritatis exemplo, horrendaq; barbarie, nulla regiæ maieſtatis veneratione efferos animos præſtringente, ſed tanti faſtigij ſublimitate peſſundata, capto Regi inſonti, innoxio, deteſtando ſanè, atrociſſimoq; facinore per fœdiſſimi carnificis manus in ferali pegmate, toto ſpectante populo, caput abſcindunt: mox Laletania ad Gallos contra Hiſpanæ gentis ingenium defecit; deinde Luſitania Brigantio Duce ſuo Rege creato, a Caſtellæ Monarcha deſciuit; atq; in Italia perfidia ab Hiſpanis litoribus tranſmittente, Neapolis ſeditio, & rebelliũ exarſit: ſerpenteq; latiùs in boreales gẽtes morbo, Naulochi accita in belli ſocietatẽ Scytha- *Coſacchi.*

rũ barbarie à Sarmata Rege non defeciſſe cõtenti potẽtiſſimis copijs in ſarmaticos fines inuecti omnia pauore,fuga,populationibus,ac cædib.funeſtarunt. Firmẽſes ciues cõcito tumultu nihil veriti ſacroſanctã ſummi Pontificis Maieſtatem,& iras optimi Antiſtitis præſidis ſui innoxio ſanguine ſacrilegas manus cruentarunt. Miror ſanè eò vſque ſæuitiæ,immanitatiſq; proceſſum eſſe,vt mitiſſimos Principes,ipſamque clementiam,& innocentiam inſidijs petant nefarij parricidæ; mortifera veneria miſcere, ſagarum medicamenta in eorum cædem diluere, portentoſum facinus eſt omnibus ſeculis deteſtandum, & omni ſuppliciorum atrocitate puniendum: & ſtupeo quod Itala tellus, in qua mitiora ingenia naſcuntur, huiuſmodi ſæuiſſimas tulerit feras, quas neque vltima efferata barbaries abegiſſet.

Allobrogũ Principum clementia. Allobrogum Principes ita leniter,clementerq; ſuos habent vectigales: vt niſi perpetua bella, quibus octo, & quadraginta ipſos annos totius vberrimus Italiæ tractus deformatur; Taurinæ gentis opes, fortunaſque exhaurirent; neſcio an alibi fœlicius, & melius cum cæterorum Principum populis ageretur; & tamen eò feritatis, & inſaniæ exceſſit quorundam profligatorum hominum, immanium ferarum ſatius dicam furor, & rabies,vt mitiſſimos Principes veneni violentia, lamiarumq; faſcinis tollere ſceleratis animis agitarint. Imperat nunc cum ſuo infantulo Duce Chriſtiana Dux Mater Ludouici decimi tertij Galliarum quõdam Regis ſoror, tẽta cum clementia,lenitateq;; vt non magis ſe Taurinorum,Allobrogumque optimam matrem,quàm mitiſſimam Principem ferat: quorum innocẽtiã niſi preſentia ſemper Regibus,& Principibus patrocinia diuina texiſſẽt;quorũdã latronum perfidia,atq; impietas ſuſtuliſſet:quo mali genij impulſu,quo cõſilio,qua mẽte hoc atrociſſimũ facinus eſſent auſuri incertũ. *Eorum vita diſcrimẽ.* Deus ſanè ſe Principibus peculiari numine adeſſe mõſtrauit,cũ occultè paratas iã inſidias ab eorũ capitibus depulit. Bernardinus Syllanus Senator, Ioannes Gãdulphus ſacerdos è ſtrictiori Diui Bernardi religioſa familia,& *In Principes conſpiratio.* Ioãnes Antonius Gioia in necem inſontium Principum conſpirarunt, orſiq;parricidium aut virulento, lethaliq; veneni afflatu,aut magicis cantibus, ſagarumq; veneficijs eos perimere tentarunt. Prodidit cogitatum facinus, ipſiuſq; authores quidã vir Religioſus,qui cum aſtronomicum vaticinium maledictis,& probris in Taurinorum magiſtratus, præfectoſque refertum, & contra ipſorum Principum capita maligna præſagia typis impreſſa vulgaſſet: Cebæ captus in vincula coniectus eſt: quo indice ſceleris conſcij participes, & molitores traditi in cuſtodiam, quæſtionique ſubiecti faſſi ſunt *Ceua.* protinus, vix exprimentibus verum tormentis,inter ſe conueniſſe: vt Principes veneno infectis viru lincis amiculis, quæ a Syllani ſenatoris vxore, Gioieque tractabantur, aut magicis faſcinis,& incantationibus perimerent *Parricidæ detecti.* Cogitati parricidij,læſæque maieſtatis ſua ipſorum confeſſione comperti, iterum accuratior de Gioia, & Gandulpho habita queſtio (Syllanus enim

nimio

nimio mœrore, aut horrore ſupplicij, vel ſceleris conſcientia animũ vlcerante, aut agentibus furijs, eadem nocte in vinculis extabuit, extinctuſque eſt) vt cæteros, ſi qui eſſent, parricidij participes proderent, & cauſas aperirent; quæ ad huiuſmodi abhominandum eos facinus audendũ compuliſſent: eadem quæ ante confeſſi fuerant, affirmarunt: ſubtexuit verò ſacerdos, ſe ſuum cõſilium Auditori Maſino è Nicæa vrbe aperuiſſe, probaſſeq; illũ duorũ oſcillorũ inuentũ, quibus liqueſcentibus, paulatim maleficio imbuendi dæmone Lamiarũ laborem, iraſq; innãte, etiã ipſi lenta tabe conficiuntur: obſtrinxiſſe ſe huiuſmodi veneficij rationem inuenturum, qua Religioſi viri delatione, Maſino, quoq; Nicææ vincula iniecta, & capitis iudicio perfecto; in quo nulla cogitati parricidij, immaniſq; ſceleris cauſa patuit, quàm quidã inſanus animorũ impetus cacodæmone incitãte, cõcitus, præſentiumq; rerum ſtatus tædiũ, & odiũ, propriæq; fortunæ impotẽs quędam cupiditas ad maiora ex dominantiũ mutatione aſpirans: ad atrociſſima ſupplicia a ſenatu damnati tanti facinoris per omnes cruciatus lacerati pœnas luituri erant: niſi Dux Mater clementię ſingularis, regięq; lenitatis, verita ne tormentorum accerbitas in deſperationem, & rabiẽ noxios acturа eſſet; ac proinde animarum ſontium ſaluti nocitura, Iudicum ſententiæ atrocitate remiſſa ad ſuetam plectendi capite damnatos rationem, mitiùs necari iuſſiſſet. Deinde humillimæ gratiæ ſumma cum pietate, ac religione Deo actę, quòd humaniſſimos Principes à tam ſceleratis immanium parricidarum inſidijs ſoſpitaſſet.

Veneficij ratio.

Parricidæ capite plectuntur.

Vicecomitis Firmenſis Præſidis cædes.

Firmenſes ciues non intra verba duntaxat, inſidiarumq; ſtructiones, & machinamenta peccarunt: ſed cæci furore, nihil ſceleris grauitate à tanta audacia deterrẽte, ab vniuerſis facto in optimum, inſontemq; præſidẽ impetu, illũ excuſſa primũ è ſclopo ſulphurea glãde, proſtratũ pluribus pro cuiuſq; ſæuitia, inſaniaq; vulneribus cõfoderũt. Aliquot Firmẽſes Patritij arcano odio intra pectora graſsãte, Vicecomiti pręſidi erãt infẽſi; quòd ille tenuioris fortunæ ciuibus, inopiq; plebi propitius frumenti, reliquarũq; frugum pretia augeri non ſiuerit; ne in magna annonę copia ob ditiorum auaritiam commeatuum caritate populus premeretur: quod omnibus apprimè curandum, contendendumq; pręſidibus eſt. Quare illi incẽſi ira, cum ſua odia in ſupremam poteſtatem effundere non poſſent, porrectis ſummo Pontifici, cæteriſq; purpuratis proceribus libellis, ſui præſidis decus fœdare, eiuſque moderandi rationem carpere, fugillareque nitebantur. Inſtabant illum varijs ſtructis criminibus, calũniari. Cuius ciuium maligni in ſe odij Roma præſes admonitus in libellorum authores in arcano ferebatur infenſus, auerſabaturq; vrbem ſe falſis criminationibus vellicantem: quamuis ſano conſilio tegeret odia, ſibique obiectas calumnias diſſimula-

Nobilium ditiorumq; in Antiſtitem ira.

Apud Pontificem illũ accuſant.

Ciues præſidi moliuntur inſidias

ret. Illi, cum nullo fructu à ſe obtrectatum Præſidis regimini, nihilque delationibus profectum, immo ſeras molitiones innotuiſſe vident: vrgentioribus odij ſtimulis acti maiorem inuidiam illi conflare, pernicioſioraque nectere inſiſtunt. In primis à popularium tumultu ſcelus exorſi, plebem ad ſeditionem inflammare conantur. Acerbis igitur exactoribus in vrbem,atq; agrum immiſſis quoddam vectigal armẽtis iam duobus antè annis impoſitum Præſidis nomine, quo illum populo faciant inuiſum; quamuis huius rei prorſus ignarum plebeis,atq; agreſtibus rigidè,atq; inclementer extundunt: quibus de penſionis, vectigaliſque acerbitate querentibus ſtatim Præſidis iuſſu eo leuati quieuere oritura ſeditione diſcuſſa: quo patuit Præſide inſcio ad concitandum ſolum in illum popularium odium hoc vectigal, quod iam exoleuerat; à patritijs exigi cœptum. Non hìc tamen nobilium in Præſidem ira deſedit: qua ſemel imbutus animus pacari neſcius omnia vltionum genera commentatur; quò vno irrito,alterum cedat ex voto,alias,atq; alias vlciſcendi rationes odio ſubijciente.

In illum cõcitant populares.

Patritij igitur magis aſperati iterum popularium, agreſtiumque tumultum ciere nituntur: eos ad famem negatis commeatibus compellendo, neq; ſolita frugum, annonæq; ſubſidia egentibus ſufficiendo,atq; hoc abſciſsè à Præſide imperatum. Verum hoc quoq; malignum ciuium commentum Antiſtitis dexteritas, & prudentia diſcuſſit: conuecta vndique ingenti tritici copia, qua abundè agreſtibus,tenuique turbæ, atque ipſi vrbi conſultum, prouiſumque eſt: retento in vrbe ad omnes caſus, quod annonæ conſumendæ ſerendoq; agro ſupererat.

Præſidis prouidẽtia.

Suppetentibus igitur plebi,Præſidis opera, ac ſtudio,affatim commeatibus; ſubducta nocendi materies iratis nobilibus eſt; apertèq; declaratum,omnia incommoda,ac mala ex patritiorum peruerſa voluntate proficiſci.

Interim Roma mandata afferuntur, vt quidquid neceſſarijs ad ſuſtentandos incolas commeatibus reliqui foret: congeſtum Romam cum maximè annonæ caritate laborantem tranſmitteretur.

Nobilium malignitas.

Hanc opportunam ciendi tumultus, irritandæque in Antiſtitem plebis occaſionem rati patritij: eius auribus ſeditioſas voces immurmurant, falſaque imbuunt opinione: idcirco iuberi ex vrbe, agroque triticum extrahi, vt acti ad vltima fame perirent: quibus obtrectationibus cum populus pronas aures dederet: vt illum in Vicecomitem maioribus odijs imbueret: ſtatuunt huiuſmodi frumenti exportationibus intercedere, ſæpius à præſide ſupplicibus precibus flagitando; ne amplius ex agro efferri triticum pateretur: retineretque in vrbe commeatus,cum populo prius prouiſum, quàm cæteris opporteret. Quibus id crebro inſtantibus cum reſponderetur à Præſide,confugiendum eſſe Romam,ibique vota, deſideriaque proferenda: non ſui eſſe arbitrij ſummi mandata Pontificis detrectare, à quo frumentum tam abſciſſè imperabatur. Populares igitur ſuadentibus quibuſdam honeſtioribus,atq; eminentioribus plebis,quos nobilitas demeruerat; cum patritiorũ ordine vna conueniũt: vniuerſæ gẽtis cõuẽtũ habẽdũ Iulio

menſe

menſe ineunte decernunt. Cuius patritiorum, populique conſilij admonitus Vicecomes acerbiora, maioraque moliri, meditarique huiuſmodi cætus, atque ad altiora tendere coeuntium conſilia ratus, nec ſe abſente patiendum ſimiles agi conuentus quieti publicæ maximè noxios: inſtitit, ſummaque ope nixus eſt, ſed fruſtra, vt ad octo ſaltem dies hoc decretum perfici differretur: ſed contumacibus Vicecomitis preces, obteſtationeſq; reſpuentibus, graui indicta pœna ſanciuit; ne quid noui tentaretur, donec Roma ſummi Pontificis placita, ſcitaque perferrentur. Quo Magiſtratus audito, Petrum Conſtantinum peditum Ducem, Chiliarchumque Adamum ad Vicecomitem legant; qui illum admoneant popularis ſeditionis prorſus periculum imminere, iam in ciuium pectoribus in arcano furentis: quibus minis impauidus præſes ſtrenua voce ſubnexuit, ſe fortiter mortem ſubiturum, vt ſui officij partes impleret, & iuſſis ſui Principis obediret. In præſens eo veſpere pacati ciuium animi quieuere: ſed nocte ſequenti nobiles Vicecomiti infenſi ſolicitant ſeditioſis vocibus plebem, pernicioſarumque flabello ſuaſionum tumultus ventilant flammam; qua accenſi ciuium animi in aliquod perduellionis flagitium erupturi erant.. Vicecomes animaduerſo diſcrimine, eadem nocte quaquauerſum nuntijs emiſſis, militum auxilia accerſit. Quadringenti ſtatim pedites tumultuario agmine ineunt vrbem. Poſtera die mane eaſdem apud præſidem iterāt preces poſt varia vltrò, citròque iactata conuenit: vt tres patritij in agrum ad explorandum rerum ſtatum, agreſtiumque inopiam mitterentur; qui cognitis rebus, ad vniuerſum conuentum deinde de annonæ caritate, vel copia referrent; quod erat ex Vicecomitis voto. Verum aduerſis ſuffragijs ſcita rogatio non eſt. Interceſſere paulatim gliſcenti ſeditioni viri Religioſi; ad quorum preces, obſecrationeſque vt materiam tumultibus ſubducerent; illud quadringentorum militum agmen dimiſit: quo concitatæ plebis murmura ſiluere. Poſtera die Vicecomite animo agitante, ſe ad Diuum Sepidium conferre, vt ibi officij cauſa Cardinalem Montaltum præſens veneraretur: Corſi aliquot milites vrbem intrant; ad quorum ingreſſum præſidis hoſtes exclamant; ſibi inſidias fieri, ſe prodi, perdique, armis vim eſſe repellandam, & fraudem vendicandam: Præſidem mille militum in vrbem inducere, vt omnes ferro trucidet, ſupplitioque mactet: quorum trepidis vocibus, pauidiſq; clamoribus tota perculſa metu ciuitas, iterato campanæ pulſu augente terrorem, rapido greſſu coeunt in plateam, vbi dum Chiliarchus Theodorus Adamus tumultuantem populum ſedare, varijſque pollicitis lenire contendit; à quodam, cui Scartozetto cognomen; cuius patruum Adamus iuſſerat fuſte pulſari, diſploſo in eum ſclopo plumbea glande traiectus occubuit: cuius nece efferati amplius populares in prætorium furioſo agmine irrumpunt: momentoq; ſuppellectile omni direpta, faces vbicumque inijciunt, ſubduntque locis omnibus flam-

Præſidis prudentia, & ciuium contumacia

Nobiles in præſidem concitant plebem.

Vrbs tota turbatur.

Adamus chiliarchus occiditur.

Fff 3 mas;

Seditio popularis. mas; inde in carceres illati, quò quaſi in tutum ſeceſſerat Vicecomes cum Dominico Buratto, & Corſis militibus, quibus exarmatis, ſaluiſq; dimiſſis, Burattum interficiunt, aureſq; barbara feritate, naſumq; præſcindunt; inuentumq; tandem à curioſis ſcrutatoribus Vicecomitem contorto in eũ *Vicecomitẽ Præſidẽ Seditioſi interficiunt.* è ſclopo miſſili confodiunt: impactaque pro cuiuſque ira, furoreque cadaueri vulnera: inde in vicinam ſacram ædem elatum ciuium inſanæ ſæuitiæ oſtentui iacuit. Mox Cardinalis Montaltus à cæde Vicecomitis adfuit, à ciuibus accitus, vt eius veneratione præſentiæ populus atrocioribus auſis temperaret; priuatis enim ſimultatibus, & diſſidijs eo cruento *Cardinalis Montalti opportunus aduentus ſeditionem coercet.* tumultu iam efferatis animis in mutuas cędes tota ciuitas ruitura erat; & penitus euertenda, niſi protinus exarmata plebe ille opportuno occurſu iam furentibus ciuibus obſtitiſſet.

Tertio poſt die præſul Imperialis cum duobus peditum millibus vrbem ingreſſus Vicecomitis necem vlturus: ſed omnes veriti patrati facinoris pœnas, ſe fuga iudicio ſubtraxere: ipſeque magiſtratus potiſſima cædis *Seditioſi varijs pœnarũ generibus coercentur.* præſidis cauſa elapſus ex vrbe ſe in tutum ab Imperialis ira proripuit: qui de noxijs exercita diligenti quæſtione, alios ſupplicio mactari iuſſit, alios expulit in exilium, quibuſdam aqua, & igni interdixit. Ciuitas flagitij pertæſa cadauer in auguſtiſſimo Lauretanæ Deiparę Virginis tẽplo honorificè tumulandum curauit. Summus Pontifex tanti viri cæde maximè, vt *Põtificis ira ob Vicecomitis cadẽ.* par erat, commotus, quod egregiæ indolis, generoſiq; ſpiritus, præter virtutes, & dotes, quibus illum munificè natura donauerat: clariſſimum etiam ſe virum futurum non dubiam feciſſet omnibus ſpem; quòd innoxius, & inſons, vt tantum ſuperiorũ exacta cura pareret imperijs, occubuiſſet, patricidarum ſcelere confoſſus: in ſontes ſeueris pœnis iuſſit animaduerti. Huiuſmodi fuit Vberti Mariæ Vicecomitis exitus: digni certè mitioris, humanioriſq; prouinciæ præfectura, cuique ob ſpectabiles virtutes ij honores haberentur, qui ſummis, clariſſimiſque viris à non malignis rerum eſtimatoribus deferuntur.

CRE-

CREMONÆ OPPVGNATIO

NARRATIO VIGESIMA SEXTA.

ADuerſam in Italicis expeditionibus Gallorum fortunam non tàm miror, quàm inuiſtam in hac bello petenda prouincia conſtantiam: qui toties repulſi, fractique aduerſis euentis, nihil tamen tot militum, tot fortium bellatorum, impenſarumque iactura penſi habita, exercitus iterum, theſauros, commeatus, bellantium cruorē irrito tentamento in hæc pernicioſa bella effundere pergant. Vt alibi formidanda ſint Gallica arma, efficacique impetu proſtratis acie hoſtilibus copijs, ſubigant bello prouincias, in Germaniam, & Belgium, expugnatis vrbibus, ſua regna protendant: certè in Italia, qua occultiori vi fati, qua Superum lege, ſcitoque latet, nullos progreſſus habent tam acres eorum conatus, nullam vrbem, nullum oppidum, aut caſtellum ille natiuus, & efficax bellicus ardor obtinuit; vel adeptus, ſtatim incumbente validis copijs Hiſpano, rurſus partis euertitur. Illi nihilo ſecius vel toties attriti, exactique maioribus Italiam animis aggrediuntur, bello repetituri prouinciam, quàm quondam ſui maiores, victis, eiectiſque indigenis, tenuere. Ad ſuorum parentum ſeros nepotes, & poſteros ſuo ingenio, naturaque inuitante, trahuntur. Cuperent igitur eidem ſuæ genti miſcere connubia; ſeque Gallicæ genti traducibus inſerere. Antiqua Inſubrum, Cænomanorum nomina inter Italos adhuc populos durant. Romanis olim quidquid terrarum citra Rubiconem vſque ad Graias alpes excurrit, fuit Gallia togata. Nihil igitur mirum, ſi præferuida gens ſuas quaſi ſedes, antiquaque iura adire tam pertinaci niſu contendant. Ab Inſubribus pulſi violentiores iterant impetus; ab Ilua Inſula exacti, acriùs reparant bellum, Neapolitano regno detruſi, rurſus in Italiam acuunt tela, Dertona decuſſi, redeunt potentiores: nullæ eos rerum difficultates, non obiecta ardui negotij facies, non validi hoſtis potentia à tentanda bello Italia deterret. Sed ſi tantus amor huius potiendæ prouinciæ eorum animos pungit, & vrget: cur opportunas parandi alicuius in ea dominatus occaſiones ſtrenuè non arripiunt? cur ſpontè oblatas elabi patiuntur? cur per diuturnos labores, & vulnera quæſita tam ſegniter ſibi eripi, cur partis deijci, euertique ſinunt? vel cur ad ea paranda noxia conſilia ineunt? Verum credo Cęleſte Numen ſedes viuidæ, feruidæque genti bellorum amanti in pacata, quietaque prouincia recuſans eorum conſilia corrumpere, vel ſubijcere pernicioſa, vel ſalubria peruertere, ne dilecta Deo terra aſſiduis bellorum turbinibus concutiatur. Præferocis

Gallorum in Italia bello petenda conſtantia.

enim gentis habendi cupiditas vni parte vrbi non acquieſceret; ſed in alias, atque alias inuadens, atque arma circumferens cuncta æternis bellis euerteret. Auferunt igitur inquieti nationi Superi mentem, ne aliquam ditionem adepta inde, ſicuti ex Caſale continuis in vicinà procurſibus finitimas vrbes, atque agros infeſtet. Quod vt in omnibus eorum Italicis expeditionibus patuit; ita præcipuè in malè adminiſtrata, neque ex bellicæ diſciplinæ peritia obita Cremonæ vrbis oppugnatione liquidò perſpectum eſt.

Galli quamuis in ſuam fidem receptos Laletanos rebelles aduerſus Hiſpanum regem validis armis perduellem prouinciam repetentem pecunia, commeatibus, militum ſubſidijs ſumma ope iuuarent; atque in Belgicis, & Germanicis bellis ſuarum virium potiora, firmioraque impenderent; non tamen Italiæ ob ſuperiores infelices ſuorum armorum euentus prorſus obliti adamata prouincia abſtinent. Sed cum tot bellis diſtracti arduam expeditionem niſi alicuius Itali Principis auxilijs innixi, qui militum ſupplementa, commeatus, reique tormentariæ apparatum ſufficiat, ſoli ſuſcipere non poſſent; Mutinenſem Ducem tum maximè aſperato iniurijs animo Hiſpanos, atque Auſtriacos auerſantem omnibus artibus aggrediuntur; ingentiumque rerum ſpebus adductum impelluat, vt ſummum Gallorum in Italia armorum imperium accipiat. Sed nihil efficaciùs eius animum coegit tot annorum probatam, teſtatamque obſequijs, & officijs amicitiam cum Auſtriacis, & Hiſpanis abrumpere; quàm quædam altè concepta indignatio, ſuique apud Hiſpanos contemptus opinio: quòd eo bello, quo à Pontificijs erepto Parmenſi duci caſtro, in Barberinos fratres eius rei authores, icto ſimul fœdere, quatuor Itali Principes arma ſociauerant; illi Pontificijs magis, quàm ſibi de Auſtriacis optimè merito, Hiſpaniæque gentis ſtudioſiſſimo, à quibus omnia ſubſidia, opemque ſperaſſet, ad rerum ſuarum leuamen, fauiſſent. Acerbarunt acriùs eius iras aduerſa illorum apud Cæſarem officia; cum ſibi facta ab eo authorandæ Germanorum peditum legionis copia, ijs obnitentibus, fuit à Cæſare ſibi abrogata facultas, cum militum pecuniæq; iactura iam in Germaniam in eorum ſtipendium tranſmiſſæ: atq; iterum ſibi conceſſa, rurſus iiſdem intercedentibus, reſignata. Neq; tamen idcircò dux ab Hiſpanis animum penitus alienauit, iniuriarum culpam in infenſos ſibi miniſtros reijciendo: immo in antiqua in Hiſpanum Regem veneratione perſiſtens, pontificio pacato bello, ſua agmina præpropero ſtudio, nec dum conuenta accepta pecunia, in Inſubres Hiſpanis ſubſidio miſit contra Gallorum, Allobrogũq; arma Aronam omni bellico apparatu pulſantia; ab his maiori oblato pretio pro iiſdem habendis agminibus recuſato. Quibus obſequijs delinitos Hiſpanos ſibi magis tandem propitios fore ſperabat: ſoluturoſque non modo conuentam pro acceptis Mutinenſibus legionibus pecuniam; ſed etiam illam, quam ſibi admenſuros receperant Infantis Catarinæ Philippi

Galli Mutinẽſem Ducem in ſuas partes trahere conantur.

Quid Mutinẽſem Ducem ab Hiſpanis alienarit.

Mutinenſis Ducis ſpes.

Secundi

Secundi Hiſpāni Regis filiæ dotis nomine: à Principe Philiberto patruo ſuo ſibi taſtamento legatam. Verum vel auri penuria in bellicos vſus potiores impendendi, vel miniſtrorum incuria parum de Ducis petitionibus laborātium, non modò illi numerata debita pecunia non eſt; ſed etiam actum, vt alijs Corregij dominatum diuenderent: excluſo Duce, cui illum pro ingenti auri pondere à ſe debito Hiſpani tradiderant: & pro intemeratæ eius amicitiæ obfirmata conſtantia, cum in quacunq; rerum difficultate, cæteris vicinis principibus in Inſubrum excidium conſpirantibus, inconcuſſo animo ſemper Hiſpanorum partibus adhæſiſſet. Hoc acerbiſſimè Ducis pectus impotens contumeliæ pupugit: certi ab ea vrbe non egredi; niſi Hiſpani erga ſe ſua nomina expediſſent, quibus ſibi pignori traditum erat; ſolutæq; omnes impenſæ, quas in eo tuendo, ſeruandoq; feciſſet. Cuius Ducis decreti moniti Hiſpani, à Corregij licitatione ceſſarunt: non tamen ita, vt ab interpellanda eius oppidi Ducis poſſeſſione abſiſterent. Quaſdam ſi quidem eius cum Mauritio Corregij quondam Principis filio tranſactiones, pro eo, quod ſuper illa vrbe contendere poſſet; diſcuſſere Hiſpani miniſtri, vt non leui coniectura, nec temerè ſuſpicatus eſt Dux. Accēdere amplius indignationem Principis Cardinalis ſui fratris iuſtæ in Hiſpanos iræ; quod eo ſpreto, Cardinali Columnæ Germaniæ, & Cęſaris patrocinium deferendum curaſſent. Galli harum non ignari rerum Eſtenſium Principum aſperatos in Hiſpanos animos ſuum commodum eſſe rati, atq; ad eos demerendos ſibi aditum patefieri; oblatis ſuæ amicitiæ, ſocietatiſq; amplioribus conditionibus Hiſpanis ademptos ſuis partibus adijcere totis conatibus enituntur; ea ſpe magna ſuas res in Italia incrementa capturas, ſi in ſua fęderа Mutinēſes Principes, ſocietatemq; traxiſſent. In primis ad eorum beneuolentiam aucupandam Gallus Rex cum ingētis eorum exiſtimationis ſuæ declaratione Cardinali Gallici regni apud Romanam aulam, ſummumq; Pontificem patrocinij ſchedulam de more gentis tradidit: tanto cum quorumdam Hiſpanorum procerum doloris ſenſu; vt deinceps ancipitem ducis in Auſtriacos, Hiſpanoſq; fidem, affectamq; habuerint; diffiderintq; Eſtenſi familiæ quōdam in Auſtriorum Principum ære, cenſuq; conſtanter perſiſtere ſolitæ. Dū fieri non poſſe cenſerent, vt Cardinalis inſcio fratre, vel diſſentiente, Gallici regni tutelam acceperit; quamuis dux multa aſſeueratione affirmaret; ſui fratris negotia nihil cum ſuis rebus, diuerſaq; eſſe vtriuſq; compendia; nihil præter fraternū amorē cōmune; alia Cardinalis, a'ia ſua cōmoda eſſe: Allobrogum Principum allato exēplo; quorum alter eodem tēpore pro Gallis, alter pro Hiſpanis ſtetiſſet: & fratris iura à ſuis abſciſſa cauſatus aſperatos Hiſpanorum animos lenire conaretur: tamen omnes Ducis excuſationes fruſtra fuere; molientibus quotidie intentiùs vltionem Auſtriacis; ſuæq; indignationis identidem indicia promentibus. Iamq; vt prorſus alienato animo infenſi rationem excogitabant: qua Dux vtcunq; depreſſus Hiſpanorū amicitiā quāti cōmodi cōpēdijq; foret, & è cōtra quāti detrimēti eorū odiū aduerteret. Quod ille metuēs, ne quid ab Hiſpanis incōmodi pateretur; iun-

Hiſpanis iraſcitur.

Variæ cauſa Ducem aſperant in Hiſpanos.

Galli Mutinēſes Duces in ſuas partes trahunt.

Hiſpanis Mutinenſis Ducis ſuſpecta fides.

Hiſpani vltionem parant.

gere

gere ſearctiùs Gallo è re ſua prudẽti cõſilio futurũ ratus; quo ijs opprimẽtibus, ſibi tutum pateret effugium, proniores aures eorum vocibus dedit. Miniſtri tamen Galli ſumma moderatione ſua duntaxat obſequia, officia, opem, ſi qui eum conarentur opprimere, perhumaniter, comiterque polliciti, ab eius vrgenda in Gallorum ſocietatem voluntate abſtinuerunt; quamuis noſſent quanti momenti, ac commodi ſuis in Italia rebus ipſius ſocietas allatura eſſet. Subdidere inſuper efficaciori ad promerendam eius beneuolentiam, declarandaque gratioris humanitatis obſequia, artificio, illum Regi Gallo non ægrè facturum; ſi ſuas res cum Hiſpano componeret, quando id ſibi vtile fore cognoſceret: ſummis laudibus eius conſtantem in Auſtriacos fidem proſequuti.

Gallorum dexteritas. *Eorum ſagacitas.*

Hiſpanorũ de Mutinẽſis Ducis amicitia æſtimatio.

Hic erat anceps Mutinenſis Ducis habitus rerum, cum alij Hiſpani proceres illi minus infenſi pernicioſum maximè fore Regis Catholici rebus in tanta temporum difficultate veriti, ſi eius Ducis ſtudium, obſequiumque amitterent, ſpretaque antiquæ, ac fidæ amicitiæ prærogatiua, illum futili de cauſa alienarent. Lesleus Comes eunti Monaſterium Franciſci ducis iuſſu ad legatorum, ſequeſtrumque pacis conuentum Comiti Alphonſo Montecuculo ſignificauit; Cæſarem quò maximam de Mutinenſi Ducem ſuam exiſtimationem opere teſtaretur, ſuum illum ſupremum in Italia vicarium iuſſurum, neque dignitatem tantum intra inanem ſpecioſi tituli honorem futuram: alia grauiora, maioraque ſecum habituram. Quod cum Heracleæ Dux Hiſpani Regis apud Cæſarem legatus ſummo ſtudio promoueret, nec ceteri aulici proceres, purpuratique diſſentirent: maximi pro Duce momenti res omnium propenſis animis agebatur. Dux optimæ Cæſaris, propenſæque in ſe voluntatis admonitus à Montecuculo, atque ampliſſimi honoris oblatione delinitus animum ſuum in amantiori erga Auſtriacos, Hiſpanoſque fide obfirmauerat; eò alacriùs quo eodem tempore ab Arcos Duce Prorege Neapolis fidiſſimo Hiſpani Regis Miniſtro in eius commoda, atque incrementa intentiori cura iugiter incumbente, alia quoque magnifica, vtiliaque offerebantur. Nam præter Cæſarei Vicarij in Italia decus, & nominum præcipuè Infantis Catarinæ dotis expeditionem, aliæ quoque honeſtiſſimæ conditiones ferebantur maximo honori Mutinenſi Duci, & commodo futuræ. Ex quibus ille facile poterat conijcere; quantopere eius quietem, ſecuritatem, atque amplitudinem cuperent Auſtriaci. Quæ cæpta, vt maturiùs Prorex, atque efficaciùs abſolueret, Vincentium Tutauillam Mediolanum ad Gubernatorem legauit; quo nominum partem, quæ ipſius intererat, explicaret: qui Mutinam præteriens Ducem alloquutus in congreſſu multum illum ad oblata amplectenda propenſum inuenit. Verum cum Proregis votis, Heracleæque ducis voluntati reliqui Genuenſis, Mediolanenſiſque conſilij miniſtri non reſponderent: promiſſaque diutiùs differentur impleri, alienaque exigenti, atque ancipitia reſponſa redderentur: oblataque à Prorege in meliori eorum parte variari, ſubductis potioribus: Dux multum de Hiſpanorum in ſe voluntate ambigere, ſuſpi-

Pollicitis Hiſpani aſperatum Ducis animum leniunt. *Terra noua.* *Mutinenſis Ducis animi aſperitas delinitur.* *Terra noua*

ſuſpicari alienos animos,vererique auerſam voluntatem. Nihilominus iiſdem quamuis longè minoribus acquieſcens inſtabat, vt promiſſa abſoluerentur; ſed cum ab Hiſpanis miniſtris nouæ ſubinde difficultates obijcerẽtur:aut quòd non amplius Duci fiderent,Gallorum pollicitis corrupto,aut quòd diuerſa in arcano animis deſtinarent; diu varijs artibus ludificati Ducem, diem proferendo negotio trahebant. Dux hanc eſſe Hiſpanorum vafritiem, aſtumque ratus, vt nectendo ijs tranſactionibus moras, ſuam Regi Gallo dubiam, affectamque facerent fidem; ac proinde in parum ſynceri erga ipſos animi ſuſpicionem adducerent, auerterentque ab inuito ſtudia Gallorum: exutoque præpotentis ſubſidio Regis, eas darent leges, quas conceptum odium,infenſumque arbitrium præſcripſiſſet:cum perſpicaciſſimæ mentis eſſet, imminentia ab Hiſpano præcauens mala,Gallorum amicitiã colere Fratre Cardinali ſequeſtre,pergebat; maturioribus molitionibus eorum machinamenta præuertens: eò promptiùs,& citiùs, quò acriores erant Gallorum minæ; qui cum falſus rumor percrebuiſſet,Ducem cum Hiſpanis,atque Auſtriacis conueniſſe: ferociter intentarunt,ſe illum publicum ſuarum partium hoſtem declaraturos, atque vt eiuſmodi, bello perſequuturos. Tum Dux ſe coactum ratus, vt eiurato ſe auerſante, ſibique diffidente Hiſpano,Gallicas partes ſequeretur; abiecta larua,apertaq; fronte,ſe Galli Regis fidei permiſit. Ad deſciſcendum ab Hiſpanis Neapolis, Siciliæque tumultus, & ſeditiones eodem concitæ tempore Duci animum feciſſe dicuntur: quibus communi hominum prudentiorum ſenſu ruitura à ſuo faſtigio Hiſpanorum in Italia potentia prægrauatureque Gallicæ partes putabantur. Summus igitur Gallicorum in Italia armorum dictus imperator ſpecioſis quantum ad Italiæ commodum attineret, conditionibus, in quibus diſertè cauebatur, ne contra Cæſarem nullatenus bellare teneretur; quem ſe venerari, omnibuſque obſequijs colere, revererique obteſtabatur; quod Galli promptè,atq; expeditè quam libentiſſimè Duci cum ingenti eius conſtantis fidei laude conceſſere. Hiſpani, vbi à ſe ad Gallos deſciſſe Ducẽ nouerunt; de violatis ab eo antiquæ amicitiæ iuribus acerbiſſimè queſti tantæ offenſæ vltionem tacitis animis deſtinarunt. Implacabili ira fremebant. *Principem,cuius maiores Catholicum Regem,atque Auſtriacos incorrupta ſemper fide coluiſſent,quorum ipſe ſtudijs,ac fauoribus fretus parem ſe cæteris Italis Principibus tuliſſet; ob inanes ſpes à Gallis iniectas difficillimo tempore,cum paribus meritis penſanda eſſent bene merentium officia, veterem amicitiam honoram, compendioſam, ſolidam, ob nouam, inſtabilem, fluxam nullius fructus deſeruiſſe. Se Ducis artibus circumuentos acribus querimonijs expoſtulabant, quòd honeſtiſſimas à ſe latas conditiones, atque ampliſſima promiſſa reieciſſet; tantum, vt ex amici quondam Regis caſu, ſociatis cum hoſte Gallo armis, alicuius acceſſione ditionis in Inſubribus ſuam fortunam ad ſublimiorem potentiam, maioreſq; opes proueheret.*

Dux Hiſpanorum vafritiem, ac fraudes ſuſpicatur.

Gallorũ ad Mutinensẽ Ducẽ minæ

Dux in Gallorum fidẽ concedit.

Gallicis armis in Italia à Rege præficitur.

Hiſpanorũ de Mutinẽſis Ducis defectione querela.

Cardinalis Mazzarinus, & Aquarum Sextiarum Archiepiſcopus eius frater augendis,promouendiſque In Italia rebus Galli Regis intenti,præci-

Aix. Piombino.

puè

Gallorū de Italia arcibus cura.
Scarlino.

puè in ſeruanda Populonia, Iluaque Inſula excubabant; nè Condeo Principe cum validioribus Galliarum viribus in Laletania in Hiſpanos bellante, ea loca à circumfuſis hoſtibus inuaderentur; ſexcentis peditibus Scatonum in Senenſem maritimam oram Demarchi Bentiuollij opera in Inſubribus, Æmiliaque via mercede conductis feſtinare iuſſis, ea oppida contra Hiſpanorum vim validiori præſidio firmarunt. Plures etiam peditum, equitumq; turmæ in Cōdei Principis exercitus ſupplemēta deſtinatæ primatibus Mazzarinorum fratrum obſequijs addictis In Italiam ad roboranda Gallorum agmina miſſæ. Sed quia præter Mutinenſis Ducis ſtudia, & auxilia, ad vota faciliùs aſſequenda, perficiendaque deſtinata, aliorum quoque Italorum Ducum ſubſidijs opus erat; dynaſtæ Pleſſio Viſontio imperatum eſt, vt Mantuanum, Parmenſemque Duces in Gallicas partes omnibus artibus allicere niteretur. Ille Placentiam officij cauſa in ſpeciem, vt Oduardi Ducis mortui interitum doleret, ſolareturque pupillum Ducem, re vera autem, vt illum in Gallica fœdera traheret: ſed omnia fruſtrà, patris enim malis edoctus pernicioſam Gallorum reſpuit ſocietatem; ne finitimorum Inſubrum in ſuum dominatum arma conciret, atque Hiſpanorum in ſe iras accenderet; qui vicini effuſis in Placentinum agrum equitum, peditumque agminibus, vt paucis ante annis, ſuas ditiones obruerant; ſpectante interim ex tuto ſociorum clades Gallo. Nec maiori verborum efficacia Mantuanum Ducem potuit in Gallorum compellere ſocietatem: cum rebus eius non expediret, ſibi hoſtem facere propinquum Hiſpanum; qui promptis ad manus armis iniurias vltum ire feſtinans auitos dominatus adimeret; amicumq; parare, qui vt ſocios tueretur, eorum res ſibi addiceret, atque oppida vſurparet; vt Caſalis à Gallis tot annis retenti docebat exemplum.

Telanzon.
Alij quoq; Principes à Gallis contra Hiſpanos ſolicitātur.
Dux Parmenſis, & Mātuanus Gallorū reſpuunt ſocietatem.

Fontanei dynaſta Mazzarini apprimè neceſſarius ad Summum Pontificem legatus deſtinatur; qui ſecum trecentos equites ad Iluam inſulam mari adueheret. Plures quoque tam Itali, quàm Galli cohortium Duces per omnes Italiæ vrbes ad conducendos milites ad Populoniam validiori præſidio firmandam, miſſi. Ad Mutinenſem pariter Ducem vndique tam à Veneto, quàm à Pontificio dominatu, alijsq; partibus exulum, ſicariorumq; agmina ad belli ſurgentis famam confluebant: ea ſpe Gallica arma totis Inſubribus dominantia, datura Hiſpanis leges; ſeque ferro ſuas aucturos fortunas: quas quies amplificari non ſineret. Quibus omnibus quamuis toti Italiæ pernicioſum bellorum pararetur incendium, circumiecta quæque correpturum; attamen Itali Principes ſuis indormientes malis, ac ſi in extremis terrarum finibus, non intra ſuarum ditionum viſcera bellandum eſſet, tanto omnium ſpreto rerum diſcrimine, iam frementia in ſua damna Gallorum arma incurioſa ſegnitie non curabant. Hiſpani etiam, quibus Gallici belli fulmen deſtinabatur, quaſi forent omnia circa pacata, nec de ſuis laceſcendis bello dominatibus ageretur; ingruenti malo occurrere, incendijq; initia opprimere, atq; extinguere contempſerunt.

Elba.
Galli milites conducunt.
Piombino.
Principum Italorū incuria.

Cardi-

Cardinalis Mazzarinus plures in Italia Galli Regis clientes, atque aſſeclas facere ſeduló ſtudens Cardinalem Grimaldum in maioris potentiæ, ingentiumque rerum ſpem erectum Gallicis partibus appoſuerat; qui præclaro opere ſuam fidem auſpicatus Roma repentino diſceſſu digreſſus ad Magnum Etruriæ Ducem ſe contulit; ibique accuratè, enixèque Galli Regis rebus procuratis, eius iuſſu Populoniam properauit; vt eius oppidi excitandis munimentis adeſſet: bellicoſque apparatus inuiſeret; quos ibi Galli duces congeſſerant. Tranſgreſſi pariter è Gallia in Italiam Pleſſius Pralinus, & Diui Andreæ dynaſta cum aliquot cohortium Ducibus, & chiliarchis,& non exiguo militum agmine. Princeps quoque Thomas eodem tempore Lutetia Pariſiorum in Taurinos cum Regis mandatis ad bellum adminiſtrandum ſpectantibus rediit. Iam expeditis omnibus bellicis apparatibus, atque ab omnibus rebus inſtructi pridie tandem Kalendas Septembris cum Demarcho Calcagnino Mutinenſis Ducis legato, atque aliis Gallis Ducibus coeunt in conſilium de belli gerendi ratione in commune conſulturi. Aliis alia ſentientibus, Princeps Thomas Dux belli expertus, & tot diuturnis rerum experimentis apprimè rei bellicæ peritus, ſed præcipuè Hiſpanicarum rerum prudens cenſebat, Neapolitanis rebellibus implacabile in Hiſpanos cientibus bellum virium firmiora, validioraque militum agmina claſſi imponenda; eoque feſtino curſu ducendum, vt perduelles Gallicarum nauium acceſſu aucti animis audaciùs pugnent, expoſitoque milite, atque aliquo firmo oppido occupato, longè vberrimos fructus ex eo, quàm Inſubrico bello decerpant. Pronum fore, perduellibus aſſiduis aſſultibus Hiſpanos diſtinentibus,toto regno tumultuante, flagranteque ſeditionibus, vrbes præſidio nudatas intercipere. Gallorum conatus à rebellibus adiutum iri Hiſpanorum iugum exuere cupientibus. Verum huic omnium ſaluberrimo conſilio duo maximè, ne pareretur, obſtabant; alterum quia nihil à regia aula de hoc imperatum erat, nihilque de Neapolitano bello mandatum; nec pecunia, aliaque ad tantam expeditionem ſuſcipiendam ſuppeterent: nec claſſis iuſſus eſſet ſummus Nauarchus, qui ſine vlla cæterorum Ducum æmulatione epibatis imperaret; alterum, claſſis non erat iis rebus inſtructa; quibus ad Mediterraneum mare currendum, pugnandumque nauali prælio cum Hiſpanica claſſe omnibus apparatibus ornatiſſima, quaquauerſum volitante, obtinenteque omnia, certiſſimè nauigantibus occurſura. Hoc reiecto conſilio, inter cætera vtiliori patuit: plures elabi bene gerendarum rerum opportunitates; vbi è longinquo ſunt expectanda mandata, probandaque prudentiorũ Ducum conſilia, & celeriter perficienda,quæ illa decreuerint. Pleſſius Pralinus contendebat Dertonam iterum aggrediendam,dum Mutinẽſis Dux iis copiis,quas in ſuo dominatu collegerat, finitimis Inſubribus, præcipuè Cremonæ terrorẽ afferret;eo enim cõfluentibus ad tuẽda cõfinia Hiſpanicis copiis,eam partem fore preſidiorũ expertẽ,vacuãq; militib. qui

Cardinalis Grimaldus Gallicis partibus adhæret. Piombino.

Gallorum bellici apparatus.

Principis Thomæ de Gallicis armis impendendis conſilium.

Eius ſuſcipiendi conſilij difficultates.

Pleſſij Pralini conſilium.

vrbem

Digitized by Google

vrbem aggredientibus repugnarent, tamquam opportunam vrbem adeptis Taurinorum vires, quaſi quodam medio nexu cum Mutinenſi Duce iuncturos, latè omnia obtinentibus, Inſubrum cætera quoq; ceſſura. Demarchus Calcagninus nihil ab eo aberrans, quòd ſui Principis commodo futurum ſciebat: & Gallos proceres probaturos, vt pote facilioris, maioriſque compendij: Cremonam inuadendam ſuadebat nullo munimento firmam, nullis mœnibus ſeptam, ac proinde expugnatu, obtentuq; facilem: Laudemque Pompeiam eodem victoriæ impetu captam in bellātium poteſtatem venturam, ipſiſq; Mediolani portis arma in Inſubrum viſcera adacta belli allatura terrorem: præter id, quod vberrimis à Gallico exercitu agris inſeſſis, meliora, pinguioraque ſtatiua Hiſpanis adimebantur; in quæ milites diuturnis militiæ laboribus fracti ad reparandas vires, farciendumque ſtipendiorum defectum deducebantur. Militum enim Hiſpani Regis ſtipendia merentium ſtatiuorum opulenta quiete leuatur inopia; æquiorique animo ferūt ſibi quæſtores debitā nō admetiri pecuniam: hac ſpe hybernorum pinguium copia, atque incolarum penſionibus, non ſoluta penſatum iri ſtipendia; immo largiora fore ſuorum laborum præmia. Inſuper in eo opulentiſſimo tractu, per quàm commodè Gallicę copiæ poterant ali, ſociorum agro indemni, integroque ſeruato, atque eodem tempore Mutinenſis dominatus ijs in hoſtili ſolo ſtatiuis ab Hiſpanorum incurſibus tegebatur; ſi qui ob eius ducis transfugium à Mediolani præſide pararentur. Eiuſdem ſententiæ fuit dynaſta Pleſſius Viſontius, ſed acutiſſimi iudicij dux, Cremonenſem quidem expeditionem probauit; ſed cum tam vicina arma finitimis Venetis, Parmæ, Mantuæque Ducibus metum incuſſura viderentur, ac proinde in arma tractura; non videbat, qua ratione eius vrbis expugnatio tam facilis eſſet futura; circumiectis Principibus ad vicinum reſtinguendum incendium, ne in ſuas ſerperet ditiones, ſpontè affluentibus. Quare dum integræ, validæ, formidandæque eſſent adhuc Gallicæ copiæ, finitimorum Principum animos tentandos cenſebat; an medij inter vtroſque bellantes, atque à neutris ſtare decernerent. Illi enim fortaſſe metu ne alienum bellum in ſua capita verterent; intra ſuarum ditionum limites ſuis contentis armis, Gallicas copias Inſubres quatere impunè bello patientur. Sed cum de adeundis finitimis Principibus nulla prorſus eſſent Galli Regis mandata, nec ſatis tutum videretur irritare crabrones; inuadendæ Cremonæ ſententia tenuit, quòd vtiliùs, faciliuſque foret, idq; intenderent purpurati, auliciq; proceres.

Verum cum ad eam expeditionem obeundam validiori exercitu opus eſſet, quàm qui in Mutinenſi dominatu cogi, authorarique poſſet: nec Gallica ſupplementa niſi per medios Inſubres, Placentinumque agrum cum ingenti periculo, & difficultate eò locorū adduci, niſi mari aducta ſecundum Liguſticā orā, expoſitaq; litoribus in Mutinēſem agrū vltra Apenninas alpes traducerentur: Cardinalis Grimaldus, Pleſſius Viſontius, & Demarchus Calcagninus Genuam feſtinarunt; vt ab ea Republica poſtularent

Demarchi Calcagnini ſententia.

Lodi.

Beſanzon.

De Cremona inuadenda decernitur à Gallis

Galli Duces Genuam contendunt

larent

larent tutum in Lunenſem portum Gallicarum nauium ingreſſum, atque in eius oræ litora militibus è claſſe deſilire impunè liceret: quo ab illis patribus, vt à neutra ſtantibus parte comiter conceſſo, eò Gallicæ naues peditum agmina, atq; equitum turmas, & bellicos apparatus iterato curſu aduehere cęperunt.

Porto della Speza.

Galli in Liguſticam oram exponuntur.

Huius noui belli terrore perculſi finitimi Principes authorare militum cohortes, conducere equitum agmina, ad fines tuendos mittere copias, expedireque in omnem euentum arma, ne dum vicina belli flamma conflagrant; finitima quoque idem corripiat incendium. Veneti præcipuè quamuis Turcico bello impliciti, & maritimæ in Creta, terreſtreſque in Illyrio copiæ contra potentiſſimum Thracem excidium non Venetis ſolum, ſed toti Italiæ minantem alendæ, obijciendæque forent; tamen in tanto vicino diſcrimine pro ſuorum ſalute vectigalium ſupremo edito conatu, Ioannem Capellum tam ſago, quàm toga clariſſimum virum finibus in bellici negotij procuratione valido bellatorum agmine cum ampliſſima authoritate præficiunt. Mediolani Produx Caſtellæ Comeſtabilis Mutinenſis Ducis turbida conſilia pauens cum Cremonæ illum Gallici belli turbinem conflari non obſcuris indicijs didiciſſet; quamuis Neapoli, & Sicilia rebellium ſeditiones arderent, totumq; Hiſpanorum imperium rebelllantibus vbique prouincijs ab imo nutaret; tamen ingenti, impauidoque animo, vel tot rerum difficultatibus circumuento, irrupturo in Inſubres Gallo firma bellatorũ agmina obmolitur. Cremonã cũ aliquot equitũ turmis, & peditum legionibus Demarcho Serra, & comite Ioanne Borromęo ſupremo exercitus Conquiſitore Ticinum, Laudemque Pompeiam miſſis; quò etiam Princeps Hercules Triultius iter intendit; vt præſens earum vrbium munimẽta exploraret; cui etiam eius tractus tuendi cura demandata eſt, ijs paucis viribus, militumque agminibus attributis, quæ reliquis copijs in tantis bellatorum anguſtijs ſubduci poterant: iuſſus inſuper Laudem Pompeiam, & Forum Iuntuntorum, ſiue Piceleonem repurgatis foſſis munire, ſubitariaque ex aggeribus, & faſcibus extruere propugnacula. Quæ omnia veloci, feſtinoque opere ingenti animorum ardore in id deſudantibus incolis, abſoluta ſunt. Creſcente in dies Gallici belli rumore Cremonæ imminentis, Hiſpanici exercitus pars eòdem properauit; altera ad Inſubrum fines contra Taurinos in omnes Allobrogum, Gallorumque motus excubante, ſupremo Duce Vincentio Monſuro ſummo rei tormentariæ Præfecto. Galli ad Aſturæ Pontem Pado amne traiecto, atq; aliquot dies in circumiectis Caſali locis morati Felicianum vſque, cæteraque Alexandrini agri, ad Aſtam Coloniam progreſſi Tanaro amne ponte conſtrato, in Dertonenſes terras exercitum traiecerant quinque equitum, & ſex peditum millibus vallidum: cui ſubtractum nongentorum equitum agmen Princeps Thomas per Curionis Pontis, Vicique Iriæ vias in Placentinum tractum, atque inde in Mutinenſem dominatum equitare iuſſit; quo firmior ſubſidio Mutinæ Dux acceptis à Liguſtica ora per

Veneti ſuos fines muniunt.

Hiſpani cõtra Gallos arma expediunt.

Pizighettone.

Hiſpani oppida finitima muniũt

Felizzano.

Galli in Inſubres mouent.

Pontecurone.

Voghera.

Caſe-

Graſignana Caſeronianam equitum, peditumque auxilijs; cum nouem bellatorum millia ſub ſignis haberet, non amplius cunctandum ratus, nè maius Hiſpanis validiores colligendi ad repugnandum vires ſpatium eſſet; eductis è ſtatiuis omnibus copijs, cum formidando bellico apparatu prodijt in campos: aliquot Gallis dynaſtis commilitonibus ſuæ gentis equitum, peditumque præfectis, & chiliarchis, vbi amnis Ollius in Padum influit: Mutinenſes nouem nauibus in aduerſum litus traducti facili pugna Hiſpanis actis in fugam, qui poſt effuſam ſemel in traijcientes è ſclopis miſſilium grandinem, in pacatum properè receſſerunt: Caſale malus ab Hiſpanis deſertum, vt potè nullis munimentis, aut propugnaculis ſeptum, aut mœnibus vallatum ingreſſi in Padi litore propugnaculum condunt; vt tutior commeatuum, militumque ſubſidijs, quæ Mutina ad Caſtra ſubuehebantur, eſſet receptus. Inde Cremonæ bipartito admotus exercitus, pars ad Diui Rochi ſacram ædem, pars ad Patrum Capuccinorum cœnobium in vrbis conſpectum venit. Mox inter procurrentium equitum turmas leuia commiſſa certamina, quæ hinc inde immiſſis ex vrbe, caſtriſque integris equitum turmis, ita incaluere, vt ad duas noctis horas vſque tenuerint. Hiſpani ad Gallici exercitus Padi traiectus nuntium Cremonam cum ſuis cohortibus contento agmine feſtinarunt. Inicus è Velanda, Didacus Quintana, Vincentius Serzales, & Comes Franciſcus Areſius, & aliquot Germanorum centuriæ, & equitum alæ; qui raptim collapſa ſarcire mœnia, cruderare ſentibus, & ſtirpibus foſſas, profundiùſq; deprimere, munimenta, locis opportunis, ac propugnacula excitare. Ioannes quoque Vaſquez Mediolanenſis arcis præfectus in vrbem ingreſſus multum ciues, ac milites animauit. Nonis quoque munimentis adiectis firmatus Piceleo, maximi ad bellum momenti oppidum, quòd in eo ſitum angulo, quem influens in Padum Abdua facit, vtraque camporum plana deſpectet. Vincentio verò Gonzagæ cum altera copiarum parte imperatum, vt Gallorum conſilia, explorans ſe ſe omnibus eorum conatibus obijceret.

Dux Mutinenſis prodit in arma.
L'Oglio.
Galli, & Mutinæ Dux Cremonæ ſuccedunt.
Hiſpani Cremonam ſubſidio feſtinant.
Cremonam muniunt.
Pighettone.
Adda.

Interim Mutinenſis Dux cum Pleſſio Pralino conuenerat, vt adducto ex Taurinis reliquo Gallorum agmine, ſibi in Inſubribus bellanti ſubſidio properaret. Ille per viarum compendia in Cremonenſem agrum peruadere conatus, Principe Triultio cum ſuo agmine, validaque ſuorum vectigalium manu omnes aditus claudente, repellenteque ſtrenuè hoſtem; alias longiores inire vias, ampliorique circuitu in ſocia caſtra tendere compulſus eſt: cui ſi ſe Mutinenſi Duci protinus iungere contigiſſet; nulli dubium erat, quin tam potentibus copijs non Cremonam ſolum, ſed etiam Laudem Pompeiam primo belli conatu intercepturi fuiſſent. Caſtellæ Comeſtabilem Mediolani Producem ingens cura coquebat; ne ſe Inſubres procurante, anguſtijs vndique vrgentibus, in tanta propugnantium paucitate, Galli aliquod oppidum occuparent; ſed quod humanæ vires, mortaliumque conſilia conari non poſſunt; id cæli potentia, cum maximè res perditæ, atque exciſæ videntur, per facili negotio difflat, & diſcutit; hoſtium

Inſubrum periculum.

ſtium niſibus intercedens. Siquidem adeò continentes imbres nimboſus aer in terras effudit; vt in profundum cęnum deſidentibus vijs, nec incedere per lubrica itinerum, nec ſtare veſtigio, durareq; ſub tam proceloſo dio milites poſſent. Itaq; obruta cum terris Gallorum, Mutinenſiumq; ſpe, primis irritis conatibus, imminuto cæli iniurijs, & militiæ incommodis exercitu, ſemilaceris cohortibus diſceſſerunt. Crebra quoq; hoſtium in Principis Triultij agmen transfugia multum de Mutinenſi exercitu detriuere: in quo vbi rumor increbuit, Triultium peditum legionem authorantem largiora ſtipendia nomen dantibus admetiri; muneribus, mutuas egentibus dando pecunias ad ſe allicere bellatores; ad tantæ munificentiæ famam ad eius ſigna militum numerus tam multus affluxit; vt plures recuſare, & interpoſita fide publica in Taurinos dimittere neceſſe fuerit: in quos etiam maior turmarum equitum pars ab ea inauſpicata expeditione ſeceſſit: perſiſtentibus tantum in Mutinenſibus copijs ijs Gallorum agminibus, quæ primum in bellum prodeunti ſe iunxerant. Recipienti ſe ſe Duci inſiſtere Hiſpanæ cohortes extremum carpentes acribus velitationibus agmen: à quibus intercepto Pegolotto maiori copiarum ſtatore, comes Alphonſus Montecuculus grauiter vulneratus, ſupremum adijt vitæ diſcrimen. Ex itinere Dux Mutinenſis Caſtellum Ponzonem iuſſit inuadi: quòd, vt parum contra vim munitum vix promoto ad mœnia agmine, aggredientium ſe permiſit arbitrio. Inde in quinque ſtationes partitus exercitum Caſalis maioris præſidio, oppidoque Eſtrades dynaſta præfecto, Mutinam regreſſus Demarchum Marium Calcagninum in Galliam ad poſcenda expedita, validaque pecuniarum, & militum auxilia miſit. Princeps quoque Thomas Vico Iriæ, Caſtroque nouo cum ſuo agmine in Alexandrinum agrum digreſſus Clitellas verſus iter intendit. Quare Mediolani Produx ſublimium conſiliorum huius Principis gnarus Finario timens, quod eius Allobrogum obliqui itineris indicio peti verebatur; illicò valida militum ſubſidia feſtino gradu Principem anteuertere, atque eam arcem ingredi iuſſit. In abeuntem Principem Gallorum præfectus Baldirius Bodina Dertonæ Gubernator erumpens extremum agmen laceſſere, crebris incurſibus infeſtare, intercipere audaciores ſtrenuè inſtitit; Gallorumque reliquias Vico Iriæ prorſus exegit.

Aſſidui imbres Gallorum conatibus intercedunt.

Galli Cremona oppugnatione abeunt.

Dux Mutinenſis à Gallo Rege poſtulat auxilia.

Finale.

Interim ab Hiſpania Regis literæ afferuntur, Quibus Caſtellæ comeſtabili Mediolani Produci ob parum firmam corporis habitudinem permittebatur; vt ea laborioſa præfectura abiens in patriam regrederetur, in eius vicem interea ſuffecto, dum alius idoneus mitteretur, Ari Comite eius filio impigro, egregiæque indolis, & ſummæ virtutis Iuuene: qui luſtratis copijs, expeditoq; neceſſario bellico apparatu, Sabulum verſus mouit, munitiſſimum oppidum ſex validis propugnaculis vallatum, adſtructa inſuper arce, & circumfuſa palude tutiſſimum, vt in illud valido commeatuum,

Caſtellæ comeſtabili in Hiſpaniam euocato eius filius ſubſtituitur.

Sabioneta.

Sabulum munitur.

militum,reique tormentariæ inducto ſubſidio firmaret. Verebatur enim ne Dux Mutinenſis à malè tentata Cremona in hoc oppidum belli impetum verteret; quod à Pado tria paſſuum millia recedens,multum Gallicis rebus profuturum eſſet, ſi eo potirentur; cum in Cremonenſis agri viſcera excurrere pro arbitrio, finitimoſque Principes in officio continere intentatis armis, potuiſſent. Galli cognitis Hiſpanorum conſilijs è ſtatiuis progreſſi, vt eorum deſtinata peruerterent, propiùs hoſtiles copias admouent agmen,rati gentem ſuo ingenio cunctantem,& cautam numquam vniuerſæ pugnæ diſcrimen adituram;prouectiq; in eos campos,qui Spiram,Diuiq; Martini vicum interiacent, Hiſpanos in aciem ad prælium compoſitos intuentur,nullo alio reſpectu, quàm ſe confligendi, ferendiq; cũ hoſte manus cupidos exhibere. Gallorum ducum ſanioris conſilij,cautioriſq; mentis ſenſus erat, vti peditum numero inferioribus cauendum eſſe,ne in iniquiora equitibus loca,ſicuti ea, quibus inſederant Hiſpani adduceretur exercitus; ac proinde vitandam eſſe pugnam: ſed feruidiora quorundam ingenia, minus ſuis cupiditatibus imperantia traxere ſuo peracri impetu cautiores, vt vel pedite debiliores iniquo equitibus ſitu, qua parte virium præſtabant Hiſpanis, certamen inirent. Signa Gallus in Hiſpanam aciem ferociter intulit: non minori audacia Hiſpani temerè irruentes excipiunt; pugnatum pari virtute tres horas cruentiſſimo vtriuſque exercitus incurſu neutro inclinante victoria: ſed tandem acriori impetu ſe ſe inuehenti Hiſpanæ phalangi Gallus nequaquam peditum robore par, obtrito violentiſſimo Neapolitani equitatus incubitu leuo cornu, cui comes Nauailes præerat; reliquæ copiæ in fugam actæ initi maiori audacia,quàm conſilio certaminis pœnas plus quadringentis amiſſis, & plurimis vulneratis, & captis, dedere; Caſale maius ab infœlici prælio ſe cohortes laceræ receperunt.

Bozzolo.

Galli Hiſpanos inuadũt

Pugna inter Hiſpanos, & Gallos.

Galli fugãtur, & cæduntur.

Ari Comes hac victoria inclytus aliquot dies victrices copias *ibi* continuit; vt commeatuum, reiq; tormentariæ apparatus *in* Inſubribus expeditos aduehendi tempus daretur. Illic agmine ceſſante, comes Nicolaum Alam caſtrorum præfectum cum parte copiarum ad arcem Commeſſauij expugnãdã miſit; qua recepta,cætera quoq; circum loca,deiectis,fugatiſq; Gallis,& Mutinẽſibus admoto dũtaxat armorũ terrore,obtinuit. Comes illato per otiũ Sabulo opportuno ſubſidio,ad Spirã vniuersũ circũfudit exercitũ; vt Gallorũ ſtationes interceptis cõmeatibus vrgeret: fruſtratiſq; eorũ cõſilijs,conatus eluderet. Aderat Comiti vbicũq; bellanti Comes Bartholomeus Areſius ſenatus preſes inter Mediolanẽſes proceres tã bellica virtute, quã ciuili prudẽtia conſpicuus, qui, & ſi lato emineret in clauo,ſenatoriaq; trabea apprimè fulgeret; Martis tamen cruẽta diſcrimina impauidus intercurrens fortẽ,fideleẽq; operam omnibus in bellis Hiſpano Regi nauauit: cuius ſagaci induſtria,ſapiẽtibuſq; cõſilijs factũ eſt, vt plurima Hiſpanis fœliciter cederent. Comes ingruente iam hyeme, cælo maximè pluuio, Sabulo iam ex voto validiori ſubſidio firmato, copias in hyberna deduxit

Bozzolo.

Comitis Areſii virtus, & laus

maiores

maiores vires ad futura certamina collecturus. Dux Mutinenſis veritus, ne eo amiſſo prælio, parum proſperè cedentibus primis conatibus ſe graui aduerſus Hiſpanos bello implicitum desererent Galli; vt ſunt ex gentis ingenio primo niſu violentiſſimi impetus, cætera ſegnioris, ſi prima tentamenta fruſtrãtur, & prima bellica facinora malè cedunt: apud regiã Galliæ aulam iterat preces, inſtat, vrget feruidis legationibus, vt valida peditum, equitumque ſubſidia ſubmittant: quò hoſti ſuperior viribus in eius terris nullo metu copijs ſtatiua præbere, Hiſpanoſque à ſuo dominatu ſubmouere, arcereque eminus poſſit; ſe ea premi rerum difficultate, anguſtijſque circumueniri, vt aut ſibi ditionis ſuæ facienda iactura ſit, aut quò illam ſeruaret, in Hiſpanorum fidem neceſſariò concedendum. Illata in Inſubrum viſcera à Gallis arma, excitique bellorum tumultus, eo tempore, quo erat a præteritis calamitatibus reſpirandum, toti Italiæ eos fecerunt inuiſos, inquies ferox, inconſtans eius gentis ingenium exoſæ: quæ non contenta totum pene Chriſtianum orbem ſuis armis impellere, & quaquauerſum belli circumferre terrorem: in Italiam quoque infeſta ſigna inueheret; quam ſi minus bello perſequi, cladeſque, & mala illi reponere iratæ liceret: maior tamen Italorum pars illam diris omnibus deuouebat; quòd in tanto Turcici belli diſcrimine, trepidationeque mortalium Chriſtianos Principes bellis inceſſens à Venetis eorum ſubſidia prohiberet: quæ illis libentiſſimè ſuffecturi erant, niſi ad moleſtiſſima Gallorum arma propulſanda, ijs ſibi maximè fuiſſent opus. Verum Diuino conſilio factum eſt, vt tot bellis diſtracti, nec ijs alendis neceſſariæ ſuppeterent vires, maligna admodum in Italica bella militum ſubſidia tranſmitterent: ijque etiam in Taurinos tranſgreſſi videndæ amatæ prouinciæ cupidi in varias vrbes dilaberentur. Vbique frequens ſutorum, ſartorum, tonſorumque de Gallica gente turba occurrit: qui gladijs acu, ſubulaque mutatis, in officinis victum ſua arte lucrantur. Quamobrem euenit, vt dum inualidas ad bella ſuſcepta peragenda afferant vires; fractis primis conatibus, cum ad reparandas copias ad manus expedita militum ſupplementa non ſint; non ſolum ad belli cætera obeunda enerues, imbecilliq; fiant, ſed etiam primo impetu parta amittant. Hiſpano ſi ſui colligendi ſit mora, recepto animo, reſtitutiſq; viribus hoſti ſe præſtat inuictum.

Dux Mutinenſis à Gallis ſubſidia poſtulat.

Eius rerũ difficultates.

Italorum de Gallica gente querela.

Quid Gallorũ in Italia conatus irritos faciat.

Duci Mutinenſi inter belli molimina, Martiſque ſtudia operæ fuit connubia iungere, atque inter tubarum clangores epithalamij cantus, & numeros audire. Non ita illum bellicæ cogitationes à pacis blandimentis, atque illecebris auerterunt; quin ducta vxore Principe Victoria Odoardi Parmenſis Ducis ſorore pyrrhicam ſaltaret, alijſque ludicris belli imitamentis ſuos aulicos proceres, populareſq; detineret. Celebratæ nuptiæ ea pompa, oſtentationeq; opum, quæ magnanimos Principes decebat. Inter tibicinum tamen, cytharedorumq; modos, & mimica

Ggg 2 dra-

Digitized by Google

dramata, nuptiarumq; hilaria nihil martij ſpiritus languerunt, aut bellicus ardor remiſit. Sed tum maximè, ſi quando aliàs intenta cura milites, commeatus, & arma cogebat, vt primo quoque tempore intermiſſum in Hiſpanos bellum validior inſtauraret. Magnis ſiquidem Gallorum pollicitis, & ſpebus innixus ingentia ingenti conceperat animo ſui dominatus fines in inſubres prolaturum; quæ inania, atque irrita futura vicinum Oduardi Parmenſis Ducis exemplum illum docere debuiſſet; qui iiſdem Gallorum ſpebus adductus dum aliena quærit armis, tantum non propria amiſit: certè ſuam ditionem Hiſpanicis copijs obrutam omni belli clade vaſtari, diripi, excindique ingemuit. Sed ea eſt mortalium imbecillitas mentium, vt meliorem ſemper ſuam fortunam ſperent, ſuoſque conatus fœliciores ſucceſſus habituros; & quæ alijs improſperè acciderunt; ſibi ceſſura fœliciter arbitrentur. Si Gallorum conſilia, atque hortamenta, vt ſpecioſa dicta ſunt; ita etiam ſolidis rebus, firmiſque fundamentis niterentur: nulli dubium eſt, quin eorum ſocietas, auxiliariaque arma fœderatos Principes ad maiorem opum, potentiæ, dominatuſque amplitudinem prouectura eſſent; ſed cum hoſtium vires, variamque bellorum fortunam non ex rei verò, ſed ſua cupiditate metiantur; fit vt ſe, ſuoſq; ſocios in difficillima bella exitu triſtia protrudant. Dux tamen fidens animi nihil aduerſo primi conatus euentu territus inter hybernorum otia de verna expeditione ſolicitus congerere commeatus, imminutas implere cohortes, cogere vndique vires, omniaq; bello gerendo opportuna expedire. Albertum Roſchum Conquiſitorem quōdam ſuum Brixiam miſit totius Europæ armamentarium, armorum copia, atq; excellentia conſpicuam; quòd ibi inexauſtæ fodinæ ingentem ferri vim paſſim eiectent, quod à peritis artificibus conflatum in varia ad humanos vſus inſtrumenta, & præcipuè arma bellica figuratur; vt ibi maiores ſclopos, minoreſq; mercatus, ad milites exermes à Gallia miſſos armandos Mutinam deportarent. Inſtitit præterea valida militum, pecuniarumque à Gallica aula ſubſidia depoſcere; quæ vel miniſtrorum incuria inualida admodum mittebantur; vel callidiori procerum conſilio, vt Dux in ea rerum difficultate conſumptis ſuorum vectigalium cohortibus, & turmis, attritiſq; Hiſpanici belli alliſu populariũ viribus, imbecillior iniurijs magis obnoxius Gallicæ potentiæ ſuccumberet, & quòcumque ad liberè dominantium arbitria traheretur. Hoc idem nimis verſutum, & ideò fallax Gallorum fuit in Neapolitana ſeditione conſilium, quod ſpebus omnibus abſciſſis, deſtinata prorſus euertit. Fortuna ſiquidem nimis ſubtilibus artibus nihil arridēs, ſperatum ſucceſſum doloſis aſtubus eripit; dum enim ſocijs egentibus, nec valida, nec efficacia ſubſidia ſufficiunt; nec potenter aſſerunt fœderatos, illi deſerti, vel deſperant proſperos ſuſcepti belli euentus, vel ad ſuum vltimum excidium vitandum, cum hoſte vrgente conueniunt; cum illi viribus debiliores obniti non poſſint.

Mutinenſis Ducis ſpes.

Inſubres quoq; tot Gallorũ terra, mariq; bellicis apparatib. feruētib. adhuc

Siculis,

Siculis, Neapolitaniſque tumultibus, trepidi dubijs pendebant animis, quæ noua vulnera aduerſa fortuna pararet: & quò euaſuræ eſſent, detonaturæque tam diræ tot bellorum minæ: cum cladium metu futurarum ſuſpenſos Demarchi Caracenæ dicti ab Hiſpano Rege Mediolani producis aduentus diſiectis imminentis procellæ tenebricoſis nubilis, ſerenauit cum ſummæ prudentiæ, inuictæ virtutis, bellicæ diſciplinæ apprimè peritus, impauidique animi, ſubiti, præſentis, ſalubrioriſque in quouis diſcrimine conſilij opportunus in tot rerum difficultatibus adueniſſet. *Demarchus Caracena Mediolani Produx.* Ille accurata militum luſtratione recenſitis omnibus copijs, diſcuſſo diligenti examine rerum ſtatu, hoſtiumque exploratis ſagaci indagatione conſilijs, ad bellicos apparatus, corrogandam pecuniam, ſcribendoſq; milites, & firmandos validis cuſtodijs fines totus incubuit. *Ipſius de rebus bellicis ſolicitudo.* Summus quoq; Pontifex ad propitiandum cæleſte Numen, eiuſque auertendas à mortalium ſceleribus iras, reſeratis Diuinæ munificentiæ theſauris, remiſſa toti chriſtiano catholico orbi criminum culpa, ac pœna, ſupplicationes indixit.

Confluentibus Mutinam è Gallia turmatim militibus, eiuſque Duce validas copias inſtruente, Demarchus Caracena in vrbem Cremonam, vt viciniorem, minuſque munitam vrbem erupturum illud Gallici belli fulmen ratus, vt à florentiſſimo, atq; vberrimo agro hoſtiles copias arceret; vel ſaltem à Gallorum incurſibus tueretur, exeunte Maio menſe eò progreſſus ex copiarum ducum ſententia, conſilioq; decreuit; Mutinenſes, & Gallos de Caſalis maioris ſtatione decutere; quibus vltrà Padum exactis, faciliùs erat eius amnis tranſitum propugnare, ſummouereque à citeriori litore Mutinenſes, & vniuerſo Cremonenſi agro hoſtilem exercitum prohibere: immo in Ducis dominatum Inſubrum copijs immiſſis, eas hoſti belli clades inferre; quas inconſultò Inſubribus moliebatur; intentatoq; cominus Mutinenſis ditionis excidio, iniectaq; illi maiori ſua tuendi, ſeruandique cura, quàm inuadendi aliena, eum de pernicoſo belli gerendi conſilio deijcere. *Hiſpanorũ de auertendo in hoſtem bello conſilia.* Sed cum id quàm occultiſſimè aggrediendum eſſet, ne quo decreti ad Gallos manante rumore, ad illud oppidum tuendum accurrerent. Caracena Sabulum verſus ſimulans ducere iuſſit caſtrorum prefeſectum Quintanam eodem tempore alio militum agmine nauigijs impoſito, ad Padi Glaream prono amne nauigare; atque inſulam ex aduerſo Caſali ab amne ſurgentem deturbatis inde Gallis, occupare. *Sabioneta.* Ille ſtrenuè iuſſa exequutus, applicitis inſulæ litoribus nauibus, expoſitoque milite, Gallorum cuſtodias nemine ex ſuis amiſſo, Inſula tota decuſſit. Ingẽtem omnis generis pecudum multitudinem, & aliquot equos in illam coegerant Galli; quibus potitus Hiſpanus Inſulam firmioribus aggeribus, propugnaculiſq; munire inſtituit. Ipſe Caracena ex militari diſciplina conuerſa ordinum fronte, tria paſſuum millia propè Caſale Maius copijs admotis, ſubſtitit: vt eo aditu ſepto, Gallos omni ſubſidio; ac commeatibus intercluderet; qui inopinato Hiſpanorum acceſſu conciti ad arma con-

Galli inſulam recuperare conantur. clamant, eódemque die promptiorum cohortibus aphractis impoſitis, Inſulam recuperare conantur; qui nihil exſcenſu prohibito, Hiſpanis conſultò ceſſantibus in Litore denſantur in aciem pugna hoſtem Inſula deiecturi. Sed Quintana tanto in eos impetu inuectus eſt, vt diſiectis ipſo incurſu ordinibus, pluribus cæſis, & captis, multis, dum hoſtile ferrum vitant, fluctibus obrutis, Gallos tota Inſula deturbarit. Non tamen adeò incruenta *Galli fugãtur.* victoria fuit, quin ex Hiſpanis aliquot etiam ea pugna ceciderint. Quidam cohortium ductores, inter quos Hieronymus Callientes, periere, plurimis vulneratis. Hiſpani Duces veriti ne Galli validiores regreſſi Inſulam rurſus inuaderent: mille, & quingentorum peditum agmine, cum centum, & *Hiſpani inſulam muniunt.* quinquaginta equitibus in Inſulam inducto ſtationem aduerſus omnia Gallorum tentamenta firmarunt: Cremona quoque, cuius permagni intererat, Gallos toto ſuo exigi agro, ſexcentos volones ſuis impenſis alendos Galleatio Picinardo eiuſdem vrbis patritio chiliarcho miſit in caſtra.

Dux Mutinenſis de Hiſpanorum repentino in ſuos ad Caſale impetu monitus nulla mora euocatis ex ſtatiuis peditum cohortibus, & equitum turmis, Pleſſio quoque Pralino Gallici agminis ſupremo duce Rhegium Lepidi eodem die ingreſſo communicatis cum ipſo conſilijs, mutuo conſenſu decernunt; quàm maximis poſſent Caſale conatibus retinendum, donec militum ſupplementa è Gallia iam in Lunenſem portum aduecta, expoſitaque litoribus aduenirent: quibus aucto exercitu validius poterat obſeſſo oppido inferri ſubſidium. Præſidiarios iam fames augebat, & quam-*Caſale maius annona penuria leuatur.* uis in diem à Mutinẽſi agro alimenta illis ſufficerẽtur; procurrente quaquauerſum tamen Hiſpanico equitatu, longè minora neceſſario infferebantur. Dux Itaque Mutinenſis quadringentos farinæ modios in oppidum inuehi iuſſit, addicta ad eorum cuſtodiam firma equitum ala Bay dynaſta præfe-*Viadana.* cto: cui ita benè vertit, vt eadem hora Vitellianum Hiſpanis ineuntibus copijs, ille per aduerſam portam egreſſus nullo hoſtium occurrẽte Caſale feſtinarit; ex quo Nauayles comes Caſtrorum Mariſcallus aliquot equitum turmis erumpens extremum Hiſpanici exercitus agmen tam diu ſtrenuè velitando diſtinuit; donec omnia farina onuſta vehicula Caſale fœliciter inirent.

Lerici. Gallorum è Gallia miſſa ſupplementa Mutinam perueniunt. Interim militum ſupplementa ad Ericis portum è Gallia aduecta Mutinam peruenerant: quarum acceſſione virium firmatis animis, & exercitu roborato, Mutinenſis Dux cum ceteris copiarum ductoribus Gallis coeunt in conſilium, quid magis expediret communibus ſententijs decreturi. Poſt multa mutuis diſſeptationibus iactata; tandem conueniunt, quanticumque auſus ſtaret, eſſe omninò ad Caſale Maius per medias hoſtium ſtationes, cædes, & vulnera aditum aperiendum; quamuis plurimæ, & ferè inſuperabiles difficultates occurrerent. In hanc ſententiam cæteros Duces Mutinenſis Principis ſagacitas traxit; cuius vectigalibus perniciosſum erat tantam Gallorum hoſpitum alere multitudinem. Iubet igitur aliquot aphractæ

mili-

militibus plena aduerſo Pado niti, ducique Caſale verſus, eodemque tempore, equitatum in Parmenſem agrum feſtinare; vt ab eo Duce eiuſdem amnis tranſitum obtinerent,& aduerſus oppidum prouectæ naues, Hiſpanis in ſuperiori tantum inſulæ parte tendentibus, commiſſa cum eorum myoparonibus pugna, inter certandum cæteri in litus vacuum milites deſilirent. Perficiendi conſilij Gallis, & Mutinenſibus ducibus cura mandata. Drubeci purpuratus pediti Gallo præficitur, Mutinenſium verò Demarcho Maluezzio caſtrorum Mariſcallo defertur imperium: equitum præfectus Lalleu dynaſta iubetur: Chouppes verò domino imperatum, vt Liburnica Padi litora exploraret. Siquidem ad exequenda deſtinata opus erat maiori ſolita fluere aquarum mole, vt quà parmenſis ager amnis aquis alluitur,nauium pondera ſuſtineri, vehique poſſent, plerunque in eo alueo flumine exiguas aquas trahente; & Hiſpanis aduerſa litora obtinentibus, illàc præter nauigari niſi cum ſummo vitæ diſcrimine non poterat. Amnis ea nocte opportunè auctus imbribus intumuerat, ſuperfuſiſque in illud brachium fluctibus inundauerat: naues igitur cæptæ aduerſo amne trahi.Mutinenſis equitatus cum aſcendendi naues præſtituto die cum alijs equitum alis adeſſe non potuiſſet, terreſtri itinere per Padi litora feſtinans, cum ad Niciam amnem Mutinenſis, Parmenſiſque dominatus fines interfluentem conſtitiſſet; ibi moſchettariorum equitum turmam ad finium cuſtodiam excubantem vidit; quæ quamuis inferior illud equitum agmen tranſitu prohibere non poſſet: preſſit gradum tamen amici Principis veneratione, donec traijciendi facultas ab ipſo afferretur. Interim ne inutili mora temporis opportunitas cum omnibus in negotijs,tum maximè in bellis captanda præterflueret, in quibuſdam exiguis inſulis ſecus Padi litora in longum vſque ad Parmam flumen,vbi in Padum euoluitur,procurrentibus,pedites exponuntur, ex Choupes ducis conſilio, qui eas inſulas vſque ad illam ab Hiſpanis inſeſſam protendi animaduerterat. Iiſdem nauibus equites etiam vltrà flumen nullo ſummouente traducti. Demarcho ſcilicet Caracenæ hæc ſola inerat cura, feruidos Gallorum impetus, primoſque ardores Hiſpanica mora, ac cunctatione perfringere, & temporis beneficio potius, quàm ferro vincere: optimo ſanè conſilio, cum non expediret, immo præcipitis eſſet inſaniæ eas,exiguas copias in pugnæ caſum dare, & cum eo hoſte confligere; qui victus nihil ſuarum rerum amittebat, victorque Inſubrico dominatu potiebatur. Veritus porrò ne Galli traiecto ſupra Caſale inter Cremonam, atque inſulas Pado, ſe medium circumfuſis copijs interciperent,ſeque aut ad periculoſam pugnam, aut ad turpem receptum impellerent; ſtatuit illa inſula, agroque deſerto, Cremonam exercitum ducere, præaltumque aggerem à Rebecco finitimo Venetis vico per duodecim paſſuum millia Cremonam vſque perduci: ea mente, vt huius obiectu munimenti hoſtilibus copijs in feraciſſimos campos aditum intercluderet, vrbemque ipſam eo obtento propugnaculo tegeret. Ingens foſſorum numerus, manus quoque incredibili ar-

Galli contra Hiſpanos vadūt.

Lenza.

Gallicus equitatus flumen traijcit.

Caracena redu[c]to Cremonā exercitu enormē aggerem educit.

dore admouentibus incolis, opus perfectum, abſolutumque eſt.

Galli confluentibus vndique ſicariorum exulum manipulis, ad quatuordecim bellatorum millia ſuis auctis copijs, nono Kal. Iulij Caſale maiori egreſſi Cremonam verſus mouent: ſed cum prius ſuperandum eſſet illius obſtaculum munimenti, perrumpendusque agger obiectus, quem Hiſpanus exercitus tuebatur; poſt varia in ijs medijs campis habita conſilia, alijs alia ſubijcientibus, reſpuentibuſque, vt fit, cum prima quæque ſe ſe offerentia damnamus: tandem Dux Mutinenſis eundum in Hiſpanos, aggrediendumque illud munimentum, armorumque impetu proſcindendum decernit; ea ſpe, vt cum hoſtes neq; tam enormem aggeris longitudinem pauci numero propugnare, neque vbique præſentes ſe aggredientibus hoſtibus obijcere, valerent; per vacua propugnatoribus interualla irrumpi nullo negotio poſſe; vel ſi omnia tenere, atque vbique ſe ſe oſtentare vellent; ita eorum aciem, atque ordines extenuandos eſſe, vt vix ſingulis militibus in longum porrectis duorum ſaltem paſſuum ſpatium tuendum eſſet; ac proinde perfacili pugna tam raris deiectis propugnatoribus, poſſe aggerem tranſiliri. Surgente itaque Aurora pridie Kalendas Iulij Brachetti dynaſta cum perditis militibus ante agmen prouectus ſequente ſtrenuo nobilium Gallorum globo, cum Vxelles Demarcho, & comite Nauailes aggerem animoſo impetu aggreſſi, Hiſpanorum ſtatione ſe ſe ferociter objiciente, cruenta pugna loco pulſa, deiectaque munimentum perrumpunt. Ex Hiſpanis præter muralium tormentorum iacturam, plures cohortium Duces, copiarumque miniſtri cecidere; inter quos eminet clarior Ioannes Vicecomes Carbonariæ comitis filius, ſtator maior chiliarchi Stozzij Germani, cum alijs pluribus eiuſdem legionis decharchis, ſigniferis; Demarchus Serra ſupremus caſtrorum præfectus excuſſa è maiori ſelopo ignea glande ictus lethale vulnere tardatus eſt. Capti Comes Galeatius Trottus Magiſtri equitum legatus, Rannuccius Caſtellertus ſtator maior. Ioannes Nouailles Loricatorum equitum turmæ præfectus, Dux Præda ex Cignarchæ legione; cuius ſtatio etiam ſi cæteris debilior bis tamen repulit Gallorum impetum, inuadenteſque hoſtes egregia virtute ſummouit. Ex Gallis etiam aliquot promptiores cohortium duces traiecti miſſilibus, conciſique vulneribus periere: inter quos ipſius Pleſſij Pralini nepos magnæ indolis iuuenis in fronte pugnantium fortiter dimicans haſtarum ictibus confoſſus occubuit. Galli ſuperato munimento, diſiectoque pluribus locis aggere, traductoque toto in campos exercitu, cum ſtatim ab ea victoria trepidæ, attonitæque imminenti periculo vrbis mœnibus ſuccedendum eſſet; facilè ad direptionem fugiendam victoribus ceſſuræ, inconſulta mora, cautoque nimis conſilio, cum ſola audacia, atque animoſitas inter violenta arma fœlices progreſſus, euentuſque habeat; continuere gradum, quòd ad eius vrbis obſidium, oppugnationemque, vt cætera abundè ſuppeterent, commeatus,

Galli aggerē aggrediuntur.

Demarchus Serra vulneratus.

Gallorū noxium erratum.

Digitized by Google

meatus, ac muralia tormenta deeſſent; quæ cum in caſtra per Parmenſia litora aduehenda forent; niſi ſerò admodum haberi poterant: præter id quòd interiectis à Parmenſibus varia cauſatis, difficultatibus, clauſis ob eius Ducis cum Hiſpanis arcana conuenta vijs, per alienas terras in Cremonenſem agrum trahi, adducique non potis erat. Quamobrem ſubeundæ ſtatim Cremonæ abiecto conſilio, Deo Gallorum mentem obcęcante, ſtatuunt, Abdua amne traiecto, victricia arma hoſtilis dominatus viſceribus adigere. Quod ſi, vt celeriter decretum eſt, ita etiam feſtino in Inſubres digreſſu auſum fuiſſet; dubium non erat quin adhuc meſſibus in campis flaueſcentibus, annona incolis erepta, repentino impetu interceptis omnibus locis, latè ſuperfuſis omnibus copijs, ſtragem feciſſent, & fugam; quodque præcipuum erat, breuiori via cum Taurino exercitu iungebantur; cui longo circuitu ambiendi erant Inſubrum fines, vt cum Mutinenſi agmine ſua arma ſociaret; quibus vna communibus viribus, conſilijſque bellantibus, Mediolanenſis dominatus vrbes minimè munitæ, ferèq; apertæ, Hiſpano ſe, vt Gallis minimè pari intra arcium munimenta continente, permiſſuræ ſe erant; medijſque viſceribus adacto belli telo, propulſis ad vltima indigenis, Cremonam ſuo interiectu, à cæteris inſubribus abſciſſam, Hiſpanorumque auxilijs deſtitutam accepturam à victoribus leges. Verum hoc quoque ſalubre conſilium commeatuum difficultas, qui ægertimè per Parmenſia litora ſubuehebantur, remorata eſt; erantq; omninò expectandi, cogendaq; prius eorũ neceſſaria copia, antequam vlterius ſe in hoſtiles terras inueherent: qui dum ſæpiùs aduehuntur, dum à Parmenſibus vectationi inijcitur mora, ad Caueam fuit aliquot dies pernicioſa cunctatione ceſſandum. Aliquoties tamen nihil commeatuum caritate morante, ad Macaſtornam Abduæ traiectum Galli tentarunt; ſed irrito ſemper conatu, tum ruẽtibus è cęlo imbribus maiores ſolito vndas amne trahente, indignanteq; pontes, qui breuiores fluminis latitudine litora committere non poterant; tum Hiſpanarum legionum, quæ ſe toto litore prætenderant, arcebantq; ſtrenuè tranſitu hoſtem, obiectu; ſufficienteq; inſuper viuida, bellicoſaq; Caracenæ Demarchi præſentia vires, & animos ſuis, qui ad Cremonæ præſidium relictis Caroli Eſtenſis, & Inici Vellandæ, Godmæ, Quintanæ, & comitum Antonij Stampæ, & Ludouici Rhò tribunorum legionibus cũ Maggij, Nicolaiq; Alæ cohortibus pręter ciuium, agreſtiumq; agmina, præfectoq; omnibus ſumma cũ poteſtate Vincentio Monſurio ſupremo rei tormẽtariæ pręfecto, cũ reliquis copijs ſe Picceleonẽ recepit; vt ſubmittendis ei vrbi ſubſidijs opportuniori inſidẽs; loco ab Abduæ trãſitu Gallos Hiſpanarũ legionũ oppoſitu prohiberet. In tã pericoloſo bello, trepidationeq; rerũ ſolicitis nuncijs acciti beneficiarij omnes accurrerãt. Ardẽtiùs inter cæterorum ſtudia Principis Herculis Triultij erga Hiſpanum Regẽ obſequium efferbuit; qui raptim collectis ſuorũ vecti galiũ legionib. incredibili celeritate, quà vocabat neceſſitas, feſtinauit: eadẽ ſedulã operam præſtitere Comes Iulius Mõtius, Ruggerius Marianus, Paulus

Galli Abduam traijcere parãt.

Gallorum pernicioſa cunctatio.

Caua.

Caracena præſentia milites animat.

Principis Triultij ardens in Hiſpanos ſtudium.

lus Iormanus, Vailates comes, Barnabas Vicecomes, Quæſtor comes Vicus Martius, & è Sommaliæ comitibus iunior, pluresq; alij, qui ſuo ære authoratis centum, ducentorum, & trecentorum militum cohortibus adfuerunt.

Demarchus Villa ad Insubrum fines obſtrepit. Galli interea in Cremonenſem agrum vlteriùs inuecti omnia pauore, & fuga turbauerant: ex aduerſa Inſubrum parte iam Demarchi Villæ ad Mediolanenſis dominatus fines armorum fremitu obſtrepente; quo etiam Dertonæ imminente, minanteque, Vincentius Gonzaga, & Princeps Triultius, qui in ijs partibus Caracenæ iuſſu ſubſtiterant, vt ſuarum legionum oppoſitu Taurinis, ne ſe fœderatis iungerent, libertatem intercluderent. Ioannem Velliaurum cum quadringentis equitibus, & peditibus ſexcentis Dertonam ingredi iubent; ex qua vrbe mox cum omnibus equitum turmis egreſſus, ad quoddam mapale duo procul paſſuum millia occurrentibus ſibi inuicem partium ante curſoribus pugna committitur; quæ paulatim affluentibus hinc, inde ſubſidio ſuis equitum globis, ita recruduit, vt duas horas ferociter velitati tandem conſertus equiti eques ſtrictis ſe cominus enſibus vulnerarent. *Hiſpanorũ cum Taurinis pugna.* Suſtinuit ille aliquandiu incumbentium ſtrenuè Taurinorum impetum; ſed cum pauciores numero Hiſpani acerrimam impreſſionem ampliùs ferre non poſſent; denſatis ordinibus verſa in hoſtem fronte, aliquot amiſſis, in vrbem feſſos à pugna recepit: ſed inſtantibus ferociùs hoſtibus, Hiſpanorum velociori curſu ante vertentibus agmẽ, ab vrbe ſecluſi rurſus in certamen redire coguntur; quòd adeò exarſit, Taurinis pro victoria, Hiſpanis fortiſſimè pro ſalute pugnantibus; vt niſi Carolus Toppa vrbis præfectus cum valido moſchettariorum peditum agmine in Taurinos erumpens contorta miſſilium in hoſtem procella, ſuos ab ea ancipiti pugna explicuiſſet; pauci certè ſuperſtites Hiſpani equites euaſiſſent: ipſe Velliaurus ægriùs ſanè ab eo ſe diſcrimine expediuit. *Iterum pugna recruduit.* Omnes tamen pedites moſchettarij, qui illud mapale occupauerant, cæſi ad vnũ. Quo felici eius primæ velitationis euentu Villa erectus mille equites per Placentinam viam in agrum Mutinenſem immiſit; qui poſtea in ſocia caſtra incolumes penetrarunt. *Taurini victores.*

Dux Mutinenſis cum Abduam Hiſpanis aduerſa obſidentibus litora, traijcere non poſſet: repentino inde procul acceſſu tranſitum clam hoſte intercipere cogitauit: & ſanè omnia ſagaci conſilio digeſſerat; niſi inimica prudentibus inuentis plerunque fortuna conſtituta ſalubriter euertiſſet. Edixerat, vt aliquot equitum turmæ ad quoddam breue vadum tacito agmine feſtinarent: verum illis lento admodum gradu procedentibus duabus poſt horis, quàm conſtitutum erat, ad deſtinatum locum prouectis, tam opportuna traijciendi occaſio amnis effluxit. Quare mutandum conſilium fuit; atq; in Cremonæ oppugnationem coniectis belli curis, eò armorum impetus conuertendus. *In Cremonã belli impetus conuertitur.*

Cremonæ laus, & deſcriptio. Cremona quondam nobiliſſima Romanorum Colonia, quæ irrumpente cum Africis copijs in Italiam Annibale, prima Punici belli fulmina tulit; conciſo

Digitized by Google

conciſo in eius campis conſulari exercitu, ciuium tam bellica gloria, quàm literarum peritia clariſſimorum parens in latiſſima procumbente circum planitie ſe ſe explicat antiquæ ſtructuræ tantum mœnibus ſepta: iiſq; adeò proſciſſis, atq; per interualla collapſis, vt integræ cohorti in vrbē aditus patuiſſet; nullo aggerum munimento, pomœrioque fatiſcentia mœnia fulciente; foſſis ruderibus, ac ſtirpibus obſitis, nullo in latera propugnaculo exporrecto, vt quæ in diuturna pace cladium belli, hoſtiſq; ſecura procul à Taurinis, in quibus martis violentia ſæuit, in Hiſpani Regis fide, ac tutamento quieſcens nunquam ſe à finitimis Principibus bello impetitum iri formidans firmioribus ſe munimentis vallare, ac ſepire contempſerat. Erydani fluminis aquis eius ſuburbani campi alluuntur, noxia ſanè furentis identidem amnis vicinia; nam profundo lapſu litora ſtringens, exedenſque paulatim ſuburbana aquarum alliſu à cæteris agris auulſa ſecum trahit; & interdum vernis, atque autumnalibus pluuijs exundans depreſſiora vrbis obruens loca, latè ſtagnat in vicis. Inter præcipua, clarioraque ſua ornamenta altiſſimam turrim oſtentat; qua neſcio an alia, & ſtructuræ excellentia, firmitateque, & altitudine toto orbe ſublimior exurgat; quæ ciuium opulentiam, potentiamque priſcam, atque animorum indicat magnitudinem. Quà Erydanus amnis præterfluit arx imminet vrbi ex recentis muniendarum arcium peritiæ ſcitis, & placitis propugnaculis, loricis, munimentiſque vallata.

Fœderati exeunte Menſe Iunio vrbi vniuerſis copijs admotis, tormentorum pulſibus ea quatere munimenta inſtituunt; quæ ad vrbis molendina ſupra flumen obſeſſi excitabant. Dux Mutinenſis bipartito inuadendam vrbem ſuadebat; vt obſeſſi in plures diſtracti curas ad reſiſtendum fierent debiliores, vel arcem eodem tempore, vrbemq; oppugnandam cenſebat; qua ferè aperta facili Marte potiti, arcem ſubſidijs ciuium interclusam, abſciſſamque ab vrbe non ægrè obtinere potuiſſent. Verum Pleſſius Pralinus, cæterique Galli duces arcem tantum oppugnandam ſentiebant, quòd frequenti militum fuga valdè exercitus imminutus ad exiguum numerum rediјſſet; nec numerum ſuppetere bellatorum, vt bipartito ſimul vrbem, arcemque aggredi poſſent: eneruatis enim ipſa copiarum diuiſione viribus, vtrobique inefficaces impetus, oppognationemque futuram: quæ ſimul conglobatæ potentiùs, validiùſq; quam partem aggreſſi fuiſſent, poterant expugnare. Superata arce, vrbe ſpontè in victorum conceſſuram poteſtatem. Dux verò Mutinenſis vrbem primum inuadendam inſtans, ita loquutus eſſe dicitur. *Galli Cremonæ ſuccedunt.*

Quod militaris diſciplinæ ratio poſtulat; ipſaque bellandi peritia ſuadet, & omnium rerum magiſtra experientia docet, minimè in dubium vocandum puto. Nullus veſtrum eſt adeò parum verſatus in armis, aut bellicæ rudis, ignaruſque diſciplinæ, qui plurima obſidionum euenta, quæ dati ſint in mœnia impetus, quæ mœnium pars ad inuadendum fuerit deſtinata non viderit. Nemo certè poterit inficiari debiliora ſemper ad inuadendum à peritis duci-

bus

bus eligi, obequitandoque mœnibus miſſilibus propugnantium obnoxijs accuratè admodum explorari faciliores in muros aſcenſus; quam non maiori ruina mœnium partem cuniculorum violentia proſtrauerit; vel quæ ſit magis tormentorum ictibus diruta, & complanata; vt compoſitis, ſtipatiſque ordinibus, latiori fronte, validiorique incumbentium impetu in vrbem æquiori aditu, quàm maximè poſſit impunè irruatur. Nemo ſanæ mentis cum manifeſto vitæ diſcrimine, ſtantia in ſua altitudine mœnia adorietur. Hoc vbique fieri videmus, factumq; eſſe legimus; tum vt citra ſuorum cędem, & ſanguinem, quantum fieri poſſit, incruenta victoria paretur; tum ne obiecta ad primus conatus difficultate, vel audacibus inſuperabili, milites concidant animis; ſed ipſa æquitas loci ad inuadendum promptiores, atque alacriores accendat. Cur nunc aggrediendæ vrbis, quæ nullis mœnibus cingitur, ſed tumultuarijs aggeribus ex ceſpite, interiectaque faſcibus tellure fere vniuerſa ſepitur, damnato conſilio, munitæ arcis mœnibus iſtius robur exercitus primis tentamentis elidimus? Propugnabunt Hiſpani præſidiarij acerrimè arcem firmiſſimis vallatam mœnibus, quæ duriſſimæ ſilicis inſtar tormentorum reſpuent ictus, & vix pulſuum contuſis parumper extimis laterculis, notas oſtendent. Ea ſiquidem mœnia, quæ in interiori pomerio ab oppoſitis telluris aggeribus fulciuntur, omninò tormentorum violentiam, incuſſaque globorum vulnera temnent. Adde muri exterioris obtentu obiecta mœnia tegente, non poſſe niſi in ſumma parte pulſari; quæ licet tormentorum miſſilibus diruatur; adhuc maior ſupereſt altitudo ob inuadentibus ſuperanda: quæ niſi manifeſta cum aggredientium pernicie ſcandi non poteſt, à fronte præſidio ora fodiente, à lateribus à prominentibus in foſſam propugnaculis excuſſo telorum nimbo militum lacerantibus illia. Supereſt igitur, vt eductis tormentarijs aggeribus, tormentiſque impoſitis, adactis ad ima mœnium globis continenti procella diruantur; at præſidiarij cognito conſilio, vix attolli aggerem viderint, ſtatim in telluris molibus libratis tormentis, aſſidua iaculatione, quod nocturnus labor eduxerit, diurna miſſilium tempeſtas demolietur. Præter id quod planiformæ adeò altè excitari non poſſunt, vt vel media muri altitudinis pars conſpici, quatique liceat. Alia adhuc ruendorum mœnium bellatoribus notiſſima, vſitataque ratio ſuppetit, ſcilicet cuniculorum impetu. Hæc eſt facilior, & expeditior muri excindendi via: ſed quomodo in foſſa reſtagnante aqua, in præalto cęno, paluſtrique ſitu, vbique ex præterfluentis vicinia Erydani humorem tellure reſudante effodi cuniculi, concamerarique fornices poterunt, & tormentarij pulueris cadi ſeruari, ne aquis paſſim ſcaturientibus imbuantur? Non video qua ratione tot difficultates vinci, ſuperarique poſſint. Erit igitur in munitiſſimæ arcis oppugnatione plures dies hærendum inani opere, vanoque labore: interim militum animorum vigor, & alacritas, quæ maxima, ſi primis fortuna cęptis aſpirat, afferri ſolet, ipſa mora langueſcet, refrigeſcetque militaris ardor, qui ſub pellibus otioſum ſe haberi non patitur. Bella efficaci primo impetu valent; qui ſi frangitur tędio, ſeneſcit: omneque robur exercitus eneruatur. Negotium Martis vitia diſcutit; proficiendique in melius ſpes au-

get au-

get auſum, atque animos firmat. Hæ florentiſſimæ copiæ, quæ vniuerſam Italiam ſui impetus tenent expectatione ſuſpenſam, grauesque Inſubribus futuræ timentur, ſi paulò diutius nullo tanti conatus fructu ceſſantes diſtinebuntur: propediem effluent multorum fuga, ad exiguum numerum dilabentur; quibus ſi vrbs inuadenda, capiendaq; obijcietur; primo tentamento fęliciter, beneq; vertente, maioris, proſperiorisq; ſucceſſus ſpe in officio, fideque continebuntur: atque his fęderatis armis bellicum decus, atque exiſtimatio quæretur. Arcis expugnatio omninò deſperanda eſt; niſi illi vrbis auxilia, quibus identidem firmabitur, penitus ſubtrahantur. Præſidiarijs ſiquidem commeatus, tormentaria farta, milites, vulneratis ſubductis, ciues expeditè ſufficient: quare nullus ita mentis impos erit, qui præſidiarios vlla rerum difficultate ad deditionem compulſum iri ſperare poſſit. Conſultiùs igitur fore puto, ſi vrbem quacumque intra pomęrium aditum aperientem nulla profunda foſſa, nullis propugnaculis munitam, ſed tantum ſubitarijs ex trepidatione vallatam vniuerſis viribus aggrediemur; ea namque nullo negotio in poteſtatem redacta, arcem omnibus ſubſidijs interclusam, atque ab vrbe præciſam faciliùs expugnabimus: & quod magis me mouet, tanti bellici apparatus, tantus armorum fragor, capta inſigni vrbe, perfeciſſe aliquid videbuntur. Neque verendum eſt, ne ab arce in ciuium tecta fulminent diſploſa tormenta, quo cadentium ruina hoſtes obruantur: atque ædium commodis priuentur: parcent enim amicæ, vectigalique vrbi, quam ſe contra noſtros impetus retenturos confidunt: parcent ciuium fortunis, & domicilijs, qui eos diuturna ſibi beneficiorum munificentia, caritate, conſuetudine deuinxerunt. Sed ſi præſidiariorum ardentior in hoſtes ira in ciuium vinceret caritatem, potiorque eſſet hoſtium cædes, quàm inſontium incolumitas vectigalium, ac proinde tormentis tecta diruerent; obiectis arcis areæ domibus tellure infarctis, vel eductis altius aggeribus, præſeptam ab arce vrbem eorum obtentu tegemus, mutuæq; opis communicationem, commerciumq; tollemus. O vtinam, cum deiectis Hiſpanis illud ingens ex tellure compactum munimentum ſtrenuè ſuperauimus; eodem victoriæ impetu admotis protinus territæ vrbi copijs, in illam protinus irruiſſemus nundum validiori præſidio, ſubitarijſque munimentis firmatam: tunc enim citra militum cruorum tanta vrbe potiti iam ipſam arcem amiſſo vrbis ſubſidio, victori deditionem facere coegiſſemus. Sed alicuius occulti vi fati militaris artis ſubuertente conſilia, ſalubri auſu abſtinuimus: verum adhuc ille error corrigi poteſt, ſi omnibus copijs illa tumultuaria munimenta valido impetu aggrediemur.

Mutinenſi Duci ſalutaria ſuadenti Gallico ardore, impatientiaq; Pleſſius Pralinus ſummus Gallorum Præfectus obſtrepuit.

Et ego, inquit, *ſcio ex militari diſciplina in oppugnationibus vrbium debi-* *Reſpõſio ad*
liora mœnium ad inuadendum eſſe eligenda, quando æquè difficilis vbique adi- *Ducem.*
tus, aſcenſuſque in vrbem ducibus videatur: cum illis ſatis ſit ex aliqua parte in vrbem irrumpere: at cum huiuſmodi ſint vrbis munimenta: vt ad imperantium arbitrium ſuperari, peruadique poſſint; nec primas inuadentium im-

preſſio-

preſſiones latura ſint; ardua ſibi prius, difficiliaque peruincenda deſumunt; vt ijs potitis faciliorum victoriæ auctarium accedat. Scio vrbem ſubitarijs munitionibus, vt in ſumma trepidatione, ac temporis anguſtijs vallatam ad primos noſtrorum mili tum impetus eſſe ceſſuram; ſed quid in miſeros ciues rabidos canes, ſylueſtreſque feras immittimus? omnia auaritia, libidine, impietate, ſæuitiaque euerſuros? Noſtra arma ad cæteros populos in noſtram fidem, deditionemque alliciendos clementiæ laudem, & lenitatis quærunt; ſaluos, & incolumes Indigenas volumus, eorũq; fortunas, non perditos, & deletos, vt ſit aliquod victoriæ pretium, non omnia militum cupiditati, lucroque cedant. Noſtrorum Principum, pro quorum proferendis imperijs, dignitate tuenda induimus arma; magni intereſt ſubactas bello gentes ſoſpites à militum inſolentia ſeruare, vt clementer habitæ ſuorum quondam Principum fidem, beneuolentiamque dediſcant; iniectumque nouum iugum minus contumaci ceruice ferant. Fac tu, Dux, vt noſtræ copiæ in vrbem violenter irrumpant; ciuium cædibus vt Chriſtiana pietate imbutæ parcant; certè nulla Ducum imperia, nullæ ſupplitiorum minæ, indictæque pœnæ prohibere poterunt, quin ſolutis ordinibus, vago per vrbis regiones, viaſque diſcurſu, alij refractis forium repagulis, in ædes irruant, atque efferant prædas, pecunias defoſſas ſagaci inquiſitione ſcrutentur; alij uirginalem, matronalemque pudorem inceſtent; alij vt in magna licentia ſuis quiſque liberiùs cupiditatibus ſeruit, arcanaque vitia effundit; in alia turpiora, fœdioraque ſcelera præcipites ruant; alij templorum ſacraria, altariaque ſacrilegis manibus diripiant; alij in ſacrata Gynecæa irrumpentes dicatas Deo Virgines ad ſua libita rapiant; quidam etiam ſubditis facibus in tecta deſæuiant; atque omnia impiè, nefariè, & crudeliter audeant, quæ impotens inſolentia uictoriæ libido, auaritia, crudelitas rapacibus, impijs, facinoroſis, in ea rerum confuſione ſuggeſſerit. Tunc feſtina, tu Dux, & per omnia compita tubæ cantu capite ſanci; ut ad ſua ſigna quiſque redeat, direptione abſtineat, mulierum pudori honorem habeat, à prædandis ciuium ædibus, uexandiſque oppidanis indicto ſupremo ſuplicio, deterre; peream ſi effrenis militum licentia tua imperia, minas, uoceſque audiet. Numinum contemptores multò magis mortalium iuſſa faſtidiunt. An in ſuos ordines cogi prædis, & ſpolijs onuſtos poſſe ſperas? Has ualidas copias uſquequaque diſiectas una, aut altera die penitus auaritia diſſlabit; ſuæ quiſque incubans prædæ furtim elabetur ex urbe, ut parta ſpolia in ſuas auehat ædes; exteri collecto ex diuenditis pretio, itineris præſidia adepti per uniuerſam Italiam palantes turmatim effugient: urbſque direpta uiciſſim noſtras copias reddita pari clade delebit. Verum milites præter bellantium ingenium ſint nemini noxij, moderati, in ciuium ædibus ſine maleficio uerſentur; aliud perniciosius malum exercitum eneruabit. Mulierum blandimenta, meretricium amores, epulæ, conuiuia, luxus, aliaque fomenta libidinum militum ferociam emollient, eneruabuntque maſculos bellatorum animos. Soluerunt Hanibalem fomenta campaniæ: indomitum illud alpibus, & niuibus puni ci exercitus robur Capuanæ fregere delitię. Extra omnem luxum, & mollio-

mollioris uitę rationes habendus eſt miles, ut ad bellicos labores, atque incommoda indureſcat. Primum igitur arcem cenſeo expugnandam, quà potitis urbs ſua ſponte in noſtram fidem, poteſtatemque concedet: ne ab arce contumacium tecta miſſilibus demoliamur: nec adeò arcem munitam puto, ut recentioris bellandi diſciplinæ efficaciæ diu reſtitura ſit. Omnia quamuis firmiſſima propugnacula, ac munimenta ligonibus, ac ſarculis ſuffodiuntur. Cuniculis, uineis, pergulis ſenſim productis arces licet munitiſſimæ expugnantur. Hæc certè Briſciaco, Breda, Perpiniano, Mantua munitior non eſt; atqui has militaris pertinax uirtus edomuit. Non igitur augenda propugnantium ferocia, & noſtra induſtria demiſſo nimis animo eleuanda: nam ſicuti hoſtium uirtus uecordi conſilio, pernicioſoque deſpicitur; ita non eſt noſtris uiribus abiectis animis diffidendum.

Hæc ſententia tenuit, alicuius occulta vi fati optima diſcutiente conſilia Gallorum conatibus in Italia ſemper fortuna reflante.

Arcem igitur erectis munimentis, atq; aggeribus accerrima tormentorum iaculatione, diuerberant; productiſque pluteis, atque vineis ſuccedere propiùs foſſam conantur.

Demarchus Caracena eo metu ſolutus, quem iniecerant hoſtes; ne totis Inſubribus tam potentes copiæ omnia rapinis, incendijs, ac cædibus euerterent: lætuſque admodum eum belli turbinem, tempeſtatemque toti Mediolanenſi dominatui ruinas, cladeſque minitantem ſe ſe in Cremonæ vrbis excidium effudiſſe; quòd ſperaret ibi eliſis, attritiſque hoſtilis exercitus viribus, ſe Gallos, Mutinenſeſque penitus deleturum; acceptis de Cremona obſeſſa nuntijs, eadem nocte Nicolaum Alam Cremonenſem patritium cum ſua Inſubrum legione in vrbem ingredi iubet: qua ſeliciter nullo hoſte obuio, inita plura aphracta farina, tormentorum fartis, omniſque generis bellicis commeatibus onuſta ſecundo amne in vrbem deferuntur, chiliarcho Galerato duce ex ipſius Caracenæ contubernio: à Placentino agro quoque Vincentius Sarſales cum potioribus ſuæ legionis cohortibus in vrbem ingreditur.

Subſidia Cremonam intrant.

Galli eas maximè vrbium oppugnationes difficiles, laborioſaſque fore rati, quibus pro hoſtis arbitrio inferri ſubſidia poſſent; immo inanes prorſus, ac irritos in ijs oppugnandis conatus futuros, niſi omnibus auxilijs intercludantur: biremi in Padum cum duabus Liburnicis nauigijs ſex muralibus tormentis inſtructis iniecta, & ad Caſtrum vitrum alijs armatis myoparonibus poſitis, flumen ſe clauſiſſe, intercepiſſeque nauigationem putabant; cum Vincentius Monſurius vrbis præfectus raptim decem nauibus moſchettarijs armatis firmante agmen biremi, quam propè mœnia ad huiuſmodi vſus inſtructam ſubduxerat: quinto Kalendas Auguſti epibatas Gallica nauigia iuſſit inuadere. Galli eo repentino, inexpectatoque impetu attoniti, ac trepidi, è nauibus in litus deſiliunt; nullamque auſi pugnam fugam capeſſunt. Quare Hiſpani aperto amne, hoſtium myoparonibus potiti aditum ſubſidijs prono amne deuehendis patefecerunt. Galli in

Galli amnis nauigationem claudunt.

Pugna naualis inter Gallos, & Hiſpanos.

Galli nauigijs exuuntur.

li in Padi litore educto tormentario aggere, libratiſque tormentis acerrima globorum procella arcis mœnia quatere incipiunt, ea ſpe dirutis, proſtratiſque munimentis arce in poteſtatem redacta, vrbem deditionem ſpõte facturam:

Male ſanũ Gallorum conſilium.

quamuis alij ſaniori conſilio cenſerent, vrbem prius veluti debiliorem omnibus viribus inuadendam; qua facili marte expugnata, cum ciuibus ſublato commercio, arcem aggerum, loricarumque obtentu vallatam, abſciſſamque ab vrbe, ac proinde ſubſidijs omnibus interclusãm, oppugnatamque vndique hoſti vrgenti ceſſuram. Eiuſdem ſententiæ Demarchus Villa fuiſſe dicitur, qui tribus equitum, & duobus peditum millibus, lectiſſimo agmine per Placentinum agrum in Mutinenſem ingreſſus menſe Auguſto ineunte in ſocia caſtra cum Duci Andreæ dynaſta copiarum legato, & Montio caſtrorum præfecto peruenerat. Eadem nocte Galli eo Padi euripo prope arcem fluente ponte conſtrato, contra Diui

Galli Cremonæ arci ſuccedunt.

Ambroſij loricam: (id nominis erat munimento) prouecti, ibi ſubitario ſe aggere vallant. Verum Aluarus Chignones arcis præfectus intenta cura pro ſuo munere in omnia hoſtium conſilia, motuſque excubans ad eam vicinam perniciem auertendam arce noctu in Gallos erumpens loco pul-

Pugna inter Hiſpanos, & Gallos.

ſos, vſque ad illud canale exegit: ibi enim verò Galli, aqua intercipiente fugam, animos efferante ipſo pudoris, cladiſque diſcrimine ferociſſimè conſerunt manus: plures vtrinque cadunt, nec præſentia ſociorum funera atque horribilis morientium aſpectus terret pugnantes; immo iras commilitonum caſus accendit, maior editur, quàm pro numero cædes. Ex Gallis caſtrorum præfectus Laleus, & Ruſticus Architectus, alijq; permulti interempti; & Gualottieræ dynaſtæ Mutinenſis Ducis militum ſupremo legato lethale vulnus inflictum. Plures quoque Hiſpanos Gallicus hauſit enſis: clariores fuere Ioſephus Monpauonus Hiſpanicæ cohortis præfectus, Ioannes Stampa, & Comes Plattus equitum turmarum duces.

Subſidia Cremonam inuehuntur.

Iam in vrbem Vincentius Serſales caſtrorum præfectus, Carolus Maſtrillus, & Didacus Quintana cum plus centum ducibus, quorum fuerant exauthoratæ cohortes, & Architectus inſignis Præſtinus varios omnis generis commeatus inuexerant. Quorum aduentu auctiores animis obſeſſi in Demarchum Villam ad Diui Lucæ vſque portam infeſto agmine procurrentem erumpunt: paribus animis vtrinque in pugnam ruitur, ſed ferueſcente certamine, ingruens turbo præliantes, & grandinis cælo excuſſa

Inter Hiſpanos, & Gallos pugna.

procella diremit: verũ nundum effuſa mutuo in hoſtes ira, immo vulneribus aſperata, rurſus poſtera die ad Padum tanto animorum ardore vtrinque pugnatum eſt: vt nullibi acriùs, cruentiùſque certamen exarſerit. Eques equitem diſploſis ſclopulis, ſtrictis enſibus ferit; illato gradu pedites vulnerat pedes, dum cedere loco ira, & bellici dedecoris prohibet metus; eodem veſtigio mutuis vulneribus cadunt: ſi diutiùs pugnare licuiſſet; & ſicuti commiſſa inter ſe agmina ſola certaſſent; tota certè hoſtilis iræ ſænitia conciſa, protritaque fuiſſent: adeò accenſis in mutuam perniciem animis dimicabant: ſed ad claſſici cantum accurrentibus vndique è

caſtris

caſtris peditum cohortibus, & equitum turmis, obſeſſi ſe in vrbem denſato agmine, compoſitiſque ordinibus, receperunt. Caracena de vrbis ſalute, incolumitateque ſolicitus, ne propugnantium defectu hoſtium violentiæ ſuccumberet: alia, atq; alia ſubſidia in dies ab Inſubribus ſubmittebat. Alexander Iormannus ſupremi caſtrorum præfecti legatus, & Benedictus de Iuuenibus cum ſuis cohortibus eius iuſſu in vrbem ingreſſi ingenti lætitia obſeſſorum animos perfuderunt: quibus additis viribus validiores tertio idus Auguſti in Gallos inuicta ferocia erumpunt: qui in exteriori foſſæ arcis muro ſe munire promotis eò cohortibus nitebantur. Ibi dum Galli retinere locum, Hiſpani dum eos inde detrudere conantur, cruentiſſima pugna committitur. Inter cæteros acerrimè decertantes Quintanæ, Godinæ, Caroli Galarati, Antonij portæ, & Petri Dauilæ inuicta virtus inclaruit. Inſtitere poſtera die acriores Galli eandem ſtationem repetere: ſed accepta pari heſternæ, clade, plurimis Hiſpanorum incumbentium impetu cæſis, intra munimenta cohortes minores longè, quàm venerant, numero redierunt. Quare cum irritos ſuos conatus in ea vrbe oppugnanda futuros, inaneſque labores fore conſpicerent; niſi clauſo amne continua ſubſidia, quæ in vrbem quotidie ſecundo flumine deuehebantur; aditu prohiberent; ſolidiſſimæ craſſitudinis ingenti catena vtriſque litoribus alligata, amnis nauigationem impediunt. Deinde prima noctis vigilia, vbi è tribus caſtrorum ſtationibus bellicum tubicines cecinere; iniecto cuniculo propè exteriorem foſſæ murum effoſſo igne, flammarum impetu ea muri parte proſciſſa, maiorem loricam ter iteratis violentiſſimis impreſſionibus aggrediuntur: tandemque poſt ancipitem pugnam deiectis inde propugnatoribus tenuerunt: ſed eadem nocte celeriter Galli ab obſeſſis validioribus viribus in hoſtes impetu facto, ab ea in caſtra compulſi receſſere. Caracena ad frangendos, eludendoſque Gallorum conatus acriùs, intentiùſque ſemper incumbens, vt obſeſſorum animos ſuo aſpectu erigeret; nulla ſuæ ſalutis cura à Placentino agro per aduerſam partem in vrbem ingreditur. Eius ſtipabant latera Comes Bartholomæus Areſius omnium Producis conſiliorum, laborumq; particeps, Carolus Galaratus ſupremus exercitus procurator, Demarchus Hieronymus Aribertus Caracenæ contubernalis; qui omnibus periculis interfuit, alijſq; proceres, & dynaſtæ: exploratiſq; omnibus vrbis, arciſq; locis, & præcipua cura hoſtium acceſſus, vineas, munimentaq; ſpeculatus Didaco Quintana iuſſo validis eruptionibus aggerum opera, pluteorumq; acceſſus, quā efficaciſſimo poſſet conatu diſijceret; adiectiſq; alijs ad vrbem ſeruandam certis mādatis, inde diſceſſit. Quintana Caracenæ imperatis obtemperans poſtera die firmo equitum, peditumq; agmine ex vrbe erumpēs in Gallos inuehitur adeò violento impetu; vt ipſo graui pulſu ad amnis vſq; litora illos abegerit. Verum vbi pugnæ fragor caſtris inſonuit; equitum turmæ, & peditum cohortes auxilio ſuis ad locum certaminis affluxerunt; octingentique

Galli pelluntur ab Hiſpanis.

Cathena amnis naui gationem claudunt.

Caracena Cremonam ingreditur.

Hhh equites

equites deſilientes ad pedes cohortibus immiſti minoribus ſclopulis, aliiſque manuarijs tormentis certamen inſtaurant. Eundem pectorum vigorē, pugnæ vtriq; eoſdemq; infenſos animos attulerant; ac proinde militum cęde, ac ſtrage pugna recruduit, par vtrinque robur, par firmitas virium, par conſtantia obſtinata mori potiùs, quàm hoſti cedere ancipitem pugnam, victoriamq; faciebat. Verum Quintana maioris ſclopi glande traiecto, atq; exanimi ex equo delapſo, qui alios animabat ad pugnam, Hiſpanorumque virtutis, ac roboris, Gallorumq; terroris egregio, inſigniq; titulo honeſtabatur; ſuo orbatus duce Hiſpanicus equitatus ſenſim veſtigio cedens ſe in vrbem recepit; pedites quoque, cum in erepta Gallis ſtatione cōſiſtendum fuiſſet; ſtipatis ordinibus, ſe intra loricam omiſſa pugna ſecedunt. Alij quoque duces præter Quintanam, hoc feruido pręlio conſumpti. Ambroſius de Comitibus turmæ equitum præfectus cum quatuor Ducibus, atq; octoginta militibus cęſus; Bernardo Caraffæ centurioni altè adactum vulnus ferè vitam ademit: Præſtinus Architectus in mortem ſaucius paucos poſt dies expirauit. Ex Gallis ducenti fermè periere, plurimi vulnerati, quidam chiliarchus, Vaianique comes extincti; Nauailes comes, alijque nobiles bellatores penè vulneribus confecti. Galli tamen nihil propugnantium virtute, conſtantiaque remorante, quamuis exundantes aquarum impetu fluminis catena diſiecta, apertaque nauigatione, vnuſquiſque pro arbitrio vrbem intraret, exiretque, nec ſubſidia prohiberi poſſent; tamen in arce oppugnanda obſtinatiores ſemper in dies promouere vineas, proferre pluteos producere aggeres, ſuccedere propius foſſæ, tormentorum frequentia fulminum mœnia quatere, inſtare maximè ſi quando alias, bellicis operibus arcem impetere. Non minori cura, virtuteque propugnantes omnes Gallorum conatus, ardoremque fruſtrabant; cum quidquid hoſtis moliretur, quidquid foſſorum labor extrueret, frequentibus eruptionibus, ex aduerſo libratis tormentis, aut diruerent, aut ita turbarent, ac proſcinderent, vt nulli vſui oppugnatoribus forent. Agebant læti obſeſſi irriſui habito, quocumque Gallorum niſu, ferociter hoſtibus inſultantes. Quare omnibus Gallorum conſilijs in irritum euaneſcentibus, inaniq; labore, ac vano conatu impetentibus arcem, ad auertenda ſubſidia Demarchum Villam cum Taurinorum, Allobrogumq; agmine, vltra Abduam traducto, iubent in Inſubrum viſcera illato bello, omnia populationibus, cædibus, omniq; belli clade proterere. Ille Grumellum vſq; copijs adductis, traijcere amnem parabat; ſed Caracena præceptis hoſtium conſilijs, tota per longum Laudenſia litora egregijs munimentis ita præſepſerat; vt niſi cum manifeſto accipiendæ cladis periculo penetrari non poſſent. Quamobrem Villa regreſſus in caſtra cum ad Padi litora cum Mutinenſi Duce, & Pleſſio Pralino, aliſq; copiarū ducibus, & chiliarchis octauo Kal. Septembris die Apoſtolo Bartholomæo ſacro de eius belli difficultatibus diſſerit; & quid conſilij ineundum foret, expediretque magis, antequam nullo fructu tam floridæ copiæ diffluerent; inter ipſos duces in commune conſulitur; diruptique

Pugnæ ferocia.

Dux Quintana occiditur.

Hiſpanorū receptus.

Cæſi ex Gallis.

Cathena amnis impetu rumpitur.

Galli arcē vrgent.

Obſeſſi Gallis illudūt.

Villa Abduam traiecturus caſſis egreditur.

Digitized by Google

ptique cuniculi erumpentium flammarum violentiam intentiùs obſeruāt, quem effoderant, accenderantque obſidentes; quò per ruinas propiùs foſſam producerent munimenta; ecce tibi excuſſo ab arce è tormento globo lacerata, auulſaque prope ventrem coxa lancinatus occubuit; tanto cum totius exercitus, ducumque omnium dolore, vt quaſi indicto triſti iuſtitio, lugubre ſilentium totis caſtris repentè milites egerint. Non tamen eò enormi, fœdoque vulnere laniata præcipua corporis parte, ſtatim viuidum, inuictumque ſpiritum efflauit; ſed ſumma pietate, qualis ante actæ vitæ integritatem, religionemque decebat, anima prius Chriſtiano ritu procurata, abſterſiſque pœnitentiæ ſacramento criminum ſordibus; ſi quæ inter mortalium inquinamenta ingenuo, intemerato- que puræ mentis candori adhæſiſſent; inter ſui ſacerdotis amplexus, effuſoſque ſuorum familiarium, amicorumque ploratus deceſſit natus annos duos, & ſexaginta inter militiæ labores, bellica diſcrimina, martialeſque curas exactos. Eius funeri vniuerſus illachrymatus exercitus, cui acceptiſſimus ſumma veneratione ab omnibus militibus colebatur, deinceps ſegnior ferociam remiſit; ſed præcipuè eius neci Dux Mater, totaque aula Taurinenſis ingemuit; omneſque procères, purpurati, ſublato cariſſimo commilitone, contubernalique indoluerunt. Dux ſanè inclytæ famæ, & rerum geſtarum gloria inter prima huius ſeculi bellatorum nomina recenſendus; acer iudicio, manu ſtrenuus, expeditæ, abſciſſæque ad omnes ſalutares expeditiones audaciæ; ſubita, ſalubrioraque conſilia prementibus anguſtijs, ſuetus arripere, hoſtiumque fallere deſtinata: rarò tantæ eius bellicæ virtuti fortuna reſtauit. Eius inconcuſſa fide, prudentia, militariſque peritia diſciplinæ freti Allobrogum Principes ipſius placitis, atque conſilijs plurimum tribuebant. Quamobrem illum, etſi clariſſimi generis ornamenta non deerant, maximis honoribus proſequuti ſunt. Vrbs Ferraria eximium ciuis ſui ſplendorem in ſuo glorioſo computet cenſu. Vnum aut alterum paris virtutis, famæque ciuem vix plura ſecula ferunt.

Demarchi Villæ cades.

Eius eximia pietas

Omnium de eius nece dolor.

Eius egregia animi dotes.

Galli, Taurinique & ſi Demarchi Villæ interitu mœſtiſſimi aliquandiù quieuerant: dolore tamen in iram verſo, maiori ferocia in arma conſurgunt. Arcis foſſa, aqua vbique altè reſtagnante, traijci potis non erat, quam totā collineata in latera tormenta verrebant; trium myoparonum continuo curſu defenſam, quorum diurna Gallorum opera nocturnis incurſibus ruebantur: obſeſſi infatigabili virtute, inuictaque conſtantia oppugnantes aſſiduis eruptionibus infeſtabant; ingenioque virium impetus promouente, actis ſub ipſis hoſtium aggeribus, munimentiſque cuniculis, iniecto igne, ſuccenſis, illa ab immo eruta fundo tanto fragore, atque impetu in aerem excuſſerunt; vt inſidentes Gallos fœda laceratione, horrendoque ſpectaculo lancinarint: aliquot paſſus à foſſæ labro hoſte propulſo. Galli tamen ex ipſis re-

Obſeſſorum virtus, & ferocia.

Galli in aerem excuſſi cuniculo.

rum difficultatibus infractis creſcentibus animis, efferatiores oppugnationi, atque ardentiores inſiſtunt. Caracena, cuius eximia, egregiaque virtute contra potentiſſimas copias Cremona retenta eſt; identidem vrbem, ac ciues inuiſens non ſolum propugnatores ad omnia fortiter, ſtrenuèque ferenda viuido, bellicoſoque aſpectu animabat; ſed etiam tuendæ arci, ſuſtinendæque vrbi opportuna celeri prouiſu, diligentique ſufficiebat. Ea ſanè vrbs tanti viri cura, virtute, ſedulitate ſtetit incolumis, vnuſque totius volantis exercitus partes, ac vires æquauit.

Caracenæ cura, ac ſolicitudo de Cremona ſeruanda.

Hoſtes pertinaci ferocia, egregiaque conſtantia, ipſa rerum difficultate perdomita, tandem in arcis foſſam vineis, pluteiſque productis pergulam inſtituerant, qua interiora mœnia ſubirent: quod ſupremam obſeſſis perniciem Caracena veritus allaturum; eoque bellico inuento tandem arcem hoſti ceſſuram: illam ſatis vbiq; cuniculis in imo concameratam pyrij pulueris cadis iuſſit impleri; vt ſi ea hoſtis potiretur, à fundamentis flammarum impetu auulſa victores opprimeret; vel terræ duntaxat, fragminumque congeriem per vulnera, & cędes acquireret. Mox inter arcem, & vrbem profunda foſſa depreſſa, munimenta loricas vtrinque porrectas in latera, obijci iubet; ne ex arce victor, nullo obtento propugnaculo impunè in vrbem irrumperet. Obſeſſi ſibi æternæ laudi, gloriæque futurum, & ingens bellicum decus ſe adepturos rati, ſi contra validas hoſtium copias arcem, vrbemque ſeruarent: ſub aquæ arcis fundum ſubterraneos fornices excauant; vt hoſtium cuniculorum violentia in illa vacua, inaniaque exhalata, in irritum ignium impetus effunderetur. Accurata ſolertia hoſtium conatus, aſtus, conſilia, cogitationeſque rimabantur; vt illa pari niſu, diligentiaque eluderent. Acriùs tamen Gallos vrgebat bellici dedecoris metus; ne ſi ab eius arcis oppugnatione re infecta abirent, plurimum de ſuorum armorum, potentiæque exiſtimatione decederet. Acuunt igitur intentiùs ingenia, & duplicant niſus, nullaque militaria molimina intermittunt; quibus victoria, ea expugnata arce, potiantur. Aggeris cuiuſdam educti vtrinque brachia protendunt; vt libratis in extrema parte tormentis, violentiori pulſu magis è propinquo mœnia diuerberent. Quo animaduerſo à Baldirio Godina caſtrorum præfecto, duobus vicinioribus hoſti cuniculis, quos Hiſpani effoderant, vt Gallos auſos foſſam traijcere in aerem exploderent; flammas inijci, alium quoque ſub ipſam hoſtium ſtationem inſcijs Gallis actum iubet accendi: quorum violentia diſrupta à ſuis viſceribus tellus, horrendoque fragore concuſſo ſolo, inſidentes hoſtes raptos ſecum in ſublime diſcerpſit. In ſuperſtites illicò Italorum peditum ala opportuno in loco inſtructa, vt à cuniculorum fragore in trepidos impetum daret; erumpens cruenta procul ſtrage Gallos abegit: decem dierum hoſtium laborem, excitatoſq; dextrorſum momento aggeres demo-

Obſeſſorum eximia virtus, & diligentia.

Gallorum virtutem acuit dedecoris metus.

Gallorum cædes.

demolita; Michaele Caxa cum ſex militibus duntaxat amiſſo. Ex Gallis plurimi cecidere, Nouailes dynaſtæ impactum collo vulnus dum incautiùs ad amiſſa loca exploranda prouehitur. Non tamen Galli ea clade, propulſuque ſuorum animis conciderunt; ſed ad deturbandos ab iſs ſtationibus hoſtes redeunt acriores: cruentiſſimum certamen animorum impetum ſequente corporum robore; ab vtriſque initur. Hærent ſuo veſtigio, nec loco ſe pelli ſinunt Hiſpani; Galli ferociùs inferunt gradum, atque iterant impetus, qui tandem exiguum propugnantium numerum multitudine obruente, deiectis Hiſpanis, amiſſa loca recipiunt: atque inde arcis mœnia, munimentaque vehementi verberatione concutiunt; omiſſa interim pergulæ, vinearumque ſtructura, promotoque contra parmulam Hiſpanorum ſtatione defenſam aggere, hoſtes inde exturbare conantur. Vincentius Monſurius arcis præfectus abſolutæ propugnationis ſummam ratus in eo eſſe, ſi quàm longiſſimè poſſet hoſtes ab arcis mœnibus arcerentur, atq;eorum aggeres, vineæ, munimentaq; euerterentur: iuſſit Ioannem Vuatemuillium promptiſſimorum ex omnibus cohortibus agmine electo, in Gallorum munitiones erumpere; qui ſub veſperam ſexto Idus Sẽptembres hoſtes aggreſſi, primoq; ferôciter incumbentium impetu pulſis, plus triginta erecti aggeris paſſus cum magna hoſtium cæde obtinnerunt. Frater quidam è Franciſcana familia architectus inſignis, dum cuculla caſſide, leucopheataq; tunica militari ſago mutata, plus miris artificijs, ingenioſiſq; inuentis, quàm viribus pugnat, incendiorumq; bolidum, & flammarum iactibus propugnantes adurit; pluribus confoſſus vulneribus cadit. Vuatemuillius eo in loco raptim aggeſta tellure ſe munit, libratoq; ingenti tormento, pergulam à Gallis in aduerſa parte inchoatam aggreditur demoliri: & audaci conatui fœlix reſpondiſſet euentus, niſi Galli è totis caſtris denſato agmine accurriſſent, directiſque in Hiſpanos tormentis pilarum procella eos in arcem ſe recipere compuliſſent. Amoto eo hoſtium impedimento, Galli faſcibus, arborumque ramis in foſſam iniectis, lapidumque, ac fragminum congerie in aquam euoluta, quà pergulam moliri, admouereque arcis muro vineas deſtinabant, ſibi viam munire conantur. In hoc opere immites Galli quotquot agreſtes indigenas crebris in agros excurſibus poterant intercipere: miſerabili exemplo propugnantium miſſilibus obtrudebant coactos ligna, faſces, trabes, ac truncos proprijs allatos humeris contra telorum iactus, quæ ab arce in ſubeuntes ingerebantur, in foſſam ingerere; quo ſi molientes præſidij miſſilibus obnoxij interficerentur; de ſuorum populatium, vectigaliumq; non de Gallorum militum foſſorumq; numero perirent. Sed quantumuis materiarum in foſſam inculcarent, nũquam eam trajicere, muroq; ſuccedere potuerunt: cum, & tormentorum pulſibus, & flammarum iaculatione, & intrinum incurſu quidquid de die extruxerãt Galli, de nocte Hiſpani diſijcerẽt. Iã Neapolitanarũ aduẽtu legionũ Sciani Duce, tribunos, alijſq; diuerſarum gentium ſupplementis,

Hiſpani pelluntur à Gallis.

Fratris Frãciſcani architecti cades.

Gallorum in agreſtes immanitas ſegæ.

Varia ſubſidia Cremonam adueniunt.

quæ vbique ad Gallici belli famam authorata Cremonam inierant; & Emmanuel Caraffa, & Montis Sarchij Princeps validas peditum cohortes adduxerant. Hiſpanis ſimul cum viribus creuerant animi, & ſicuti inferiores numero nihil præpotentis conatus exercitus formidauerant; ita nunc robore, virtuteque militum, ac multitudine pares contemptim inanes Gallorum niſus, auſuſque ridebant.

Gallicæ copiæ difluũt.

Ex aduerſo Gallicæ copiæ, & perpetua militum fuga, & frequentium certaminum cæde, laboribus, incommodis, morbis ferè conſumptæ ad exiguum numerum redierant: & quod erat præcipua cura penſandum, inclinante iam in hyemem Autumno, cum effuſi cælo perpetui imbres omnia aquis inundant, & lutulentæ, cænoſæque viæ cedente veſtigio labe, immo incedentium crura hauriente, inacceſſæ tranſiri non poſſunt. Crebris itaq; procurſibus per vltimos oppugnationis dies quaquauerſum agros fœda populatione prædati, præſtrictis etiam

Galli à Cremona oppugnatione diſcedunt.

Cremenſis agri tractus ditionis Venetę finibus, deſperato fœlici obſidionis euentu, omnem longiorem moram pernicioſam rati pridie idus Octobris tandem, reductis à foſſæ labro tormentis, ab ea expeditione diſcedunt. In citeriori tamen Padi litore inſtructa acie ſubſiſtunt; donec tormenta ſarcinæ, ægri, cæteraque impedimenta vltra flumen traijciantur. Quæ omnia in Parmenſem agrum deducta, inde Mutinenſi illata fuere: mox vniuerſus ſequutus exercitus; qui ad Rebeccum nauibus tormentis impoſitis, ſecundoque amne Ollio Pomponeſcum, Caſaleq; maius deuectis, ibi de rebus bellicis habito præfectorum conuentu, communique ſenſu decreto, nihil amplius aduerſa fortuna, ac tempeſtate tentandum; pars in Mutinenſem dominatum,

Taurini incolumes in ſua domicilia euadũt.

pars Diui Andreæ dynaſta, Alexandroque Montio ſupremo copiarum legato ducibus per medios Inſubres nullo accepto incommodo, in Taurinos incolumi agmine euaſerunt. Hos itaque tam validi exercitus niſus, impetus, minæ ſucceſſus habuere: qui Cremona expugnata, finitimis Principibus, totique Italiæ graues imminere videbantur: eo præfocato Superum munere belli incendio, quod, ſi prima fœliciter ex voto ceſſiſſent,

Deus Italiæ propitius.

vicina quæque correpturum, incenſurumq; erat. Sed vana diſſipat conſilia Principum immodica vaſtis animis concipientium, conatuſque ac robora diſſlat cæleſte Numen Italiæ dilectæ prouincię cladium, calamitatumq; miſertum: quibus affligenda, euertendaq; erat, niſi Gallica arma, ſociorumque Principum vires primis ſtatim conatibus eliſiſſet.

Caracena ſeruata Cremona gloria.

Caracena fracto tam valido, præpotentis hoſtium exercitus ſumma induſtria, virtuteq; impetu, eluſiſq; vigili cura, atque infaticabili labore eorum conſilijs, & ſpebus, glorioſus in omnium Italorum mentibus perpetuò triumphabit; quòd miniſtrorum defectu imperatorem, chiliarchum, caſtrorum, reique tormentariæ præfectum, annonæque curatorem agens indefeſſo gyro circumuolitans vnus obſeſſis omnia ſuffecerit; & tantulis copijs vrbem ferè apertam, nullis vallatam munimentis, Abduæ traiectum, omneſque in Inſubrium viſcera aditus contra firmiſſimi exercitus impetus propugnauerit. Seruatæ certè Inſubriæ, totiuſque pacatæ Italiæ periculoſiſſimi

losiſſimi

ſoſiſſimi belli flammis extinctis,æternam bellici decoris gloriam feret. Verum quod vis aperta,armorumque impetus obtinere non potuit; tantum non arcana inteſtini ſceleris ſtructura, cuiuſdamque Ducis perfidia aſſequuta eſt: omneſque Caracenæ labores, induſtriamq; fruſtraſſet vnius proditoris iniquitas; niſi Deus, qui toto eo bello propitius Hiſpanis adfuit, in Mediolenenſis dominatus perniciem erupturas inſidias ſolita ſui benignitate Numinis detexiſſet.

Inſidiæ ſtructæ de Mortaria Gallis tradenda.

Mortaria munitum oppidum ad Inſubrum fines, quà Vercellas Taurinoſque ſpectant; eius tractus propugnaculum iacet. Caroli Roncalij equitum turmæ eius præſidij præfecti perfidia ab hoſtibus ferè intercepta eſt. Hic ex oppido Gallos venatum frequenter ſuetus erumpere, cum Tridini præſidij præfecto conuenerat, vt certo ſtatuto perfidiæ pretio, illum in Mortariam admitteret. Sed cum inter ipſa inſidiarum molimina quidam proditoris fidus amicus detentus fuiſſet: dum Tridinum tenderet, vt cum eo præfecto tempus, diem, horamq; inſidijs perficiendis condiceret; repertis in eius ocreis Roncalij literis, quibus digeſta proditionis ſeries,expreſſaq;patebat: atroci quæſtioni ſubiectus,perfidiæque compertus, cogitati facinoris laqueo ſuſpenſus pœnas dedit, atque in fruſta conciſus, abſciſſo capite ferrea cauea incluſo in eo propugnaculo Taurinos verſus prominente expoſito,æterno documento poſteris erit: militare ſacramentum violandum non eſſe,neq; prodita fide in eos Principes,moliendas inſidias, quibus authoramento addicti eorũ ſtipendijs aluntur. Deo perfidiæ vindice plerumq; ſupplitium à proditoribus exigente.

Detegũtur inſidiæ proditor ſuſpẽdio necatur

Caracena nec dum Gallorum, Mutinenſiſq; Ducis in Cremonæ pro oppugnatione vires attriuiſſe contentus eaſdem belli clades, quas ſibi, atque Inſubribus inferre concupierant, illis reponere decreuit: tum maximè, cum tumultuante, ſeque ipſam ciuilibus armis lacerante Gallia, nec militum ſupplementa,nec vlla ſubſidia poterãt in Italiam ab hoſtili prouincia tranſmitti. Mutinenſem itaque ducem, qui vanis ſpebus à Gallis adductus nulla laceſſitus iniuria, deſerto Hiſpano Rege, à quo maxima beneficia retulerat,eiuratiſque Auſtriacis,Galli Regis auſpicia ſequutus in Inſubrum perniciem armis cum hoſte ſociatis, contra antiquos amicos ſimul cum Gallis conſpirauerat; vniuerſis viribus,illatis eius ditionibus ſignis, ad priſcam fidem compellere ſtatuit: ad quam ſequendam iam à Parmenſi Duce ſuo ſororio efficacibus conſilijs,atq; ab alijs Italis Principibus monebatur, veritis ne ardẽte belli flamma vicinia, idem ſerperet in ſuos dominatus, incendium. Verum monita rarò Principes à ſuſcepto ſemel conſilio abducunt; cum illos erraſſe videri pudeat, & ibi hortamenta langueſcunt, vbi pernicioſi decreti incommoda non ſentiuntur. Sibi igitur afferri vim Mutinenſis ab Hiſpanis expectat; quò honeſtum neceſſarij à Gallis defectus, diſceſſuſque titulum ſuæ voluntati prætexat. Caracena Februario menſe ineunte,coactis ſex peditum, & tribus equitum millibus Demarchum Serram Caſale Maius,circumiectaſq; arces, ac propugnacula nec dum etiam

Caracena in Mutinẽſem Ducẽ bellum molitur.

Hiſpani Caſale maius inuadunt.

Digitized by Google

à Gallis deſerta aggredi iubet. Nec Serræ difficile fuit, à Gallis infelici Cremonæ obſidionis euentu animis fractis, deſperato iam proſpero ſuſcepti Italici belli ſucceſſu, illud oppidum obtinere. Vix mœnia Hiſpanica arma ſubierant; cum non expectatis oppugnationis incommodis, deditionem honeſtis conditionibus paciſcuntur. Buretum quoque munitum caſtellum Bartolomæo Areſio, Franciſcoque Serſali oppugnantibus ceſſit ſe Viſieræ dynaſta præfecto hoſtis arbitrio cum præſidio tradente. Trecenti pedites cum ſingulis duntaxat enſibus, reliquo telorum genere exarmati ex caſtro egreſſi in Galliam per Vallis Volturenæ aditus tranſmittuntur. Aliud quoque propugnaculum inter Vitellianum, Pomponeſcumque ſurgens poſt aliquot tormentorum pulſus inuadentium ſe voluntati permiſit. Præſidiarij omnes belli iure captiui abducti. Mox idem Caracena Mediolano in caſtra aduolans, Padumque tranſgreſſus Brixellum munitiſſimum caſtrum eiuſdem fluminis litori prætentum exploraturus primo ſtatim impetu exiguum propugnaculum procul abeo mille paſſus deturbatis, vel ſolius terrore nominis propugnatoribus, adipiſcitur. Inde vlterius prouectus tres horas cum hoſtibus ferociter velitatus incenſis aliquot molendinis, abactaque armentorum præda, in caſtra redijt. Nec vlla interpoſita mora omnibus Padi traiectibus, locíſque potitus traductas vltra amnem copias in agrum Mutinenſem effudit ingenti cum eorum indigenarum dãno, pauore, fuga, cum vbique Hiſpanicarum incurſu copiarum fuerit trepidatum. Comes quoque Trottus Caſtrum nouum aliquot peditum cohortibus actis in fugam, cópulſiſq; Regiũ, expugnauit. Iam erat omnia belli turbine Hiſpanus exercitus euerſurus; niſi Parmenſis Dux pacis ſequeſter tanti belli procellæ in præceps cuncta rapturæ celeriter interceſſiſſet.

Galli Caſale maius Hiſpanis dedunt.

Viadana.

Galli ab omnibus locis pelluntur.

Breſſel.

Caracena in Mutinẽſem agrum inuehitur.

Conuenere Ducum Legati Demarchus Calcagninus, & Goffredus, Hiſpanique internuntij; pacemque his conditionibus paciſcuntur: vt Dux Mutinenſis inſtante hoc maximè Duce Parmenſi, in Hiſpani Regis fidem, gratiamq; rediret. Omnes Duces, & milites Gallos exauthoratos in Narbonenſem Galliam breuiori via dimitteret. Dux ſtaret promiſſis quarto, & trigeſimo anno ſupra milleſimum ſexceſiteſimum, in Mediolanenſis dominatus ſubſidium: obſtricta ab Hiſpano Rege ſua fide, ſe parem Duci, quidquid aduerſa fortuna ferret, & quotieſcumque res poſtularet, vicem redditurum. Pacto cum Gallo Rege fœderi renuntiaret; in poſterum nullum fœdus cum Hiſpanorum hoſtibus, vel alijs Principibus inconſulto Hiſpano Rege ſanciret. Per ſuas ditiones liberum Hiſpanis copijs, ſoluto commeatuum pretio, tranſitum daret. Corregio præſidium ſolito ſuperioribus annis more imponeretur. Auita, patriaque bona, ſi quæ in eius vrbis agro eſſent, Mauritio Principi redderentur: vel alia ratione æquali pretio penſarentur; ſicuti eodem anno conuentum, ſancitumque fuerat. Mirandulæ Dux in Hiſpani Regis fide quieſceret; nihilque ipſius clientelæ Dux Mutinenſis intercederet, aduerſareturque. Omnes eo bello Hiſpani Regis ſtipendia emeriti, qui in Mutinenſi agro prædia, latifundiaq; poſſiderent,

Hiſpani pacem cũ Mutinenſi Duce pangunt. Pacis conditiones.

derent, hoc pacis fœdere gauderent, ac ſi nullum bellum exarſiſſet. Princeps Cardinalis ipſius Mutinenſis Ducis frater Galliarum Regni apud Summum Pontificem patrocinium dimitteret; damnumque Hiſpanus Rex maiori pretio ſarciret. His ſancitis conditionibus vtrinque conſtituta pace, arma quieuere, quæ totam Italiam concuſſura erant; niſi infenſa ſemper Gallis in Italia bellantibus fortuna eorum conatus tranſuerſo incurſu, atq; impetu perfregiſſet.

ILVA

Digitized by Google

ILVA INSVLA, ET POPVLONIA ab Hiſpanis Recepta

NARRATIO VIGESIMA SEPTIMA.

SIcuti Galli Coſſa reiecti nouo in Iluam inſulam ad ſarciendum amiſſæ bellicæ exiſtimationis decus, validiorum copiarum, potentioriſq; claſſis incuſſu omnem latè Liguſtici, Tyrrenique maris oram, atque adeò mediterranea Italiæ ingenti terrore perculerāt; ita à partis decuſſi bellicæ procellæ turbine ſerenato, omnium Italorum Principum animos traquillarunt. Peſſimè ſiquidem cum finitimis, nauigiiſque omnibus ea maria currentibus actum fuiſſet; ſi præferocis ingenij, inuictique Martis Gēs ea opportuna nauium ſtatione potita mediterranei maris imperium illo receptaculo tenuiſſet; cum iis etiam paucis, quibus Inſulæ diebus inſedit, nemini impunè illàc præteruehi, nec tutò nauigare liceret, direptis captis, abductis à piratis nauibus mercatorum, in longè conſpecta nauigia veluti ex inſidijs excurrentibus Gallis. Itaque ad detergendum ea peſte mare, pirataſque eo receptu, luſtriſque euertendos, non tam viuido animorum ardore, quàm valido copiarum, inſtructæque claſſis robore Hiſpani omnibus conatibus incumbunt. Ioannes Auſtriacus in Sicilia, & Comes Vniatis Neapolis Prorex ornare claſſes, moliri triremes, authorare cohortes, cogere peditum agmina, bellicos omnis generis apparatus inſtruere adeò ſolicitè, accurateque inſtiterunt; vt aliquid maius quàm Iluam Hiſpanos animo coquere, deſtinareque in clariora capita, quàm in Gallorum exitium illud fulmen plures ſuſpicarentur. Alij ex apparatuum amplitudine in Laletaniam, & Barcinonem eam claſſem profecturam putabant: vt eos perduelles iā gallicum perteſos imperium à diro inuiſæ gentis ſeruitio in libertatem aſſereret: alij in Monæci portum ad pellendos inde Gallos incubituram; alij Magnum Etruriæ Ducem petituram cenſebant: Hiſpanis illi Principi offenſioribus, quòd ad Coſſam bellantibus Gallis nimium conniuendo, ceſſandoque fauiſſe viſus fuiſſet: immo diuenditis perniciosè maximè eo rerum Hiſpanicarum articulo eorum claſſem ſuis triremibus auxiſſet. In Ligurinum igitur portum inuectura claſſis Hiſpanica videbatur, vt ab ea arce decuſſis Etruſcis, illi Duci iniecto freno, docerent crimini, noxæq; verti, amicum laborantem non iuuiſſe, ſeque integrum eo afflicto ſeruaſſe. Monita quoque è Gallia literis Reſpublica Genuenſis in illius perniciem eam claſſem, bellumque conflari: quod quamquam Gallorum aſtus, commentumq; videretur; tamen ob monen-

Galli piratæ.

Hiſpanorū bellici apparatus cōtra Gallos.

Varia de Hiſpanorū apparatibus ſententia.

Orbitello.

Livorno.

tis

Digitized by Google

tis dignitatem, & fidem Patres ſolito accuratiùs excubare pro libertate tuenda, validioribus militum cohortibus vrbem firmare, poſitiſque per interualla, opportunioribus locis peditum ſtationibus, totam munire orã, arcana multa indagine Hiſpanorum conſilia rimari, atque ad vrbem propugnandam ſe diligentiùs inſtruere. Gallorum quoque Portus Longonij præſidium, vt animi plerumque mortalium ſibi euenturas calamitates, ac mala diuinant; non ignarum ſe eo bellico turbine peti; ſarcire firmiori ſtructura diruta mœnia in exteriori pomœrio, parmulas, loricaſq; educere, validioraque munimenta vbique obmoliri, commeatus, miſſilia, rei tormentariæ apparatus ad diuturniùs etiam tolerandum obſidium in oppidum congerere, in vicinis tumulis militum ſtationes, cuſtodiaſque ponere; tormentaque opportunis in locis collineare, ſeque ad omnes bellicos impetus ſuſtinendos expedire quàm diligentiſſimo ſtudio acerrimum inſtat: nouis ſe quoque accitis militum ſubſidijs obfirmat: atq; alacriter, & animosè ab omnibus rebus inſtructum Hiſpanicæ aduentum claſſis expectat. Prorex maturiùs à litore ſoluens lento curſu Caietam appulit: ibi Ioãnem Auſtriacum ſummum totius claſſis nauarchum cum Siculo triremiũ agmine, præſtolaturus: vt ſociatis viribus validiùs Gallos impeterent. Aderat quoque Antonius Ronquillius regiæ ſobolis ferociter, ac iuueniliter exultantis iuſſu Regis moderator, & comes, qui maturo conſilio iuuenis ſe ſe audaciùs efferentem indolem temperaret. Prorex totius expeditionis legatus rei bellicæ apprimè gnarus diuturno rerum vſu probatæ prudentię vniuerſi belli molem regere iuſſus erat. Neapoli ſoluentem plures eius regni proceres, & dynaſtæ in arma ſequuti fuerant ſuam fidem non tam ſuarum opum, quàm proprij impendio ſanguinis Regi Catholico teſtaturi: inter quos Cuperſani comes magiſter equitum eminebat; qui Protegi trecentis peditibus, & aliquot equitum turmis ſua pecunia authoratis, nonnulliſque nauigijs fortem, fidelemque operam eo bello ſuo Regi nauaturus adhæſit. Vbi comes paucos dies ad Caietam ceſſauit in anchoris; Ioannes Auſtriacus eòdem cum Sicula appulit claſſe. Duas etiam triremes Cardinalis Triultius epibatis, omnibuſque bellicis rebus inſtructiſſimas ab Sardinia ſe cæteræ claſſi adijcere iuſſit. Princeps quoque Ludouiſius, quem Galli Populoniæ dominatu per ſummam iniuriarum euerterant; plures ſuorum clientum in idem bellum cohortes coegerat, armis iniquè ſibi ablata repetiturus. Vbi vniuerſa claſſis conglobata quò tenderet ducum expectabat imperia, edictum eſt, vt Nauarchi ad Iluam Inſulam in Gallos verterent proras. Huic imperio ab vniuerſis epibatis fauſtiſſimis vocibus acclamatum certam victoriam Auſtriaco nomini aſpicantium. Iam in Inſulæ conſpectum claſſe prouecta, Cuperſani comes iuſſus eſt cum quadringentis equitibus, & Tittæ Vrſini legione, Germanorumque cohortibus ex Comitis Herculis Vicecomitis agmine Populoniæ ſuccedere, atque ab ea arce Gallos ſolita virtute depellere. Subijt ille impauidus, circumfuſiſq; oppido copijs, primum admouet hortamenta, vt ſe ſponte dedant; ne vlti-

Genuenſes ſe muniunt

Hiſpanica claſſis à litore ſoluit.

Neapolitani proceres Hiſpanis ſe quuntur.

Conuerſano

Piombino.

Conuerſano

Piombino.

Hiſpani Populoniæ ſuccedunt.

ma

ma experiri cogantur: vbi monita nihil proficiunt: immo ſemel, & iterum Gallis in Hiſpanos erumpere auſis: Comes educere aggeres, vallo ſepire oppidum, pluteos, & vineas promouere, excitareque tumulos, in quibus libratis tormentis supernè mœnia, interioraque oppidi miſſilium tempeſtate concutiat, orditur. Nec minus ſtrenuè Galli oppugnatoribus obluctantur; adeòque non ſpem vllam deditionis faciunt; vt etiam aſſilientibus Hiſpanis illudant. Erat præſidium ſeptingentis militibus validum, animiſque acer, & promptum mori potius, quàm oppidum turpiter, ignauèq; dedere. Iam Hiſpanicæ copiæ grauitate cæli varijs tentatæ morbis effluxerant; valentiſſimi quique hoſtium aſpernati miſſilia febrium violentia proſtrati decubuerant: plures dies ad mœnia pendendo conſumptum iri ante exercitus videbatur; quàm vlla obſidionis incommoda paſſuri eſſent. In ſupplementum itaque percuntium accita mari, terraq; firma peditum, equitumque ſubſidia, & ne diutiùs ſedendo in integros quoque eadem morbi ſerperet lues: impigrè ſcalis admotis, in mœnia eniti contendunt: excipiunt ferociter inuadentium impetum Galli: deiectoſque de ſcalarum gradibus in foſſam, haſtarum incuſſu, & telorum cuſpidibus reſupinant. Iterant Hiſpani acriùs impreſſionem, iamque murorum loricam manibus prehenſant; ſed Galli ſuo obiecto irruentibus agmine, iam irrupturos in oppidum multa cæde repellunt; nulla dabatur propugnatoribus quies; quò tandem laſſitudine, ipſo obruti inuadentium numero vincerentur: infenſiſſimis animis vtrinque concurritur, atrociorque, quàm putarant, cædes exoritur. Verum vbi Galli ſuprema virtutis ediderunt, oppugnantium multitudine victi ceſſere. Capto oppido Hiſpani ciuium cædibus parcunt, quos nullius criminis reos in Gallorum inuitos deditionem compulſos ſciebant. Ad ducentos Neapolim captiui traducti; octoginta ea pugna conſumpſit, cæteri in arcem ab hoſtis furore profugerant. Parta victoria Prorex cum valido peditum agmine exultantibus improuiſus aduenit: tentatiſque per colloquium præſidiariorum animis, cum deſperatis ſubſidijs arcem diu tueri contra Hiſpanorum impetum nequaquam poſſent: ne obſtinatiùs repugnando in ſe victoris iram concitarent: faciliores aures deditionem ſuadentibus dedidere; nec mora de conditionibus nullo iurgio, aut altercatione tranſactum. Exceſſere arce Galli, atque nauigijs in viciniora incolumes Galliæ loca traducti. Prorex Caperſani comitem ampliſſima laudatione proſequutus, quòd omnibus ex militari diſciplina peractis, ſingulari virtute Populoniam, exactis hoſtibus recepiſſet; impoſito arci, vrbique præſidio, in Iluam Inſulam victrices copias reduxit. Iiſdem diebus Turſij Dux Finario ſua claſſe exceptas quatuor Inſubrum legiones aduexit: quo auctus ſubſidio exercitus vehementiùs, animoſiùſq; arcis oppugnationem exorſus opportunis in locis tormenta librauit: quæ emiſſa non mœnia tantum, ſed tecta quoque quaterent arcis. Ternis per interualla poſitis caſtris obſepta, atque omnibus ſubſidijs, & commeatibus intercluſa vndique vrgebatur. Hiſpani in vallis tuto receptu tetende-

Oppidum oppugnant.

Hiſpanicæ copiæ morbis tentātur

Mœnia oppugnatores inuadunt.

Hiſpani in Populonium irrumpunt.

Galli Populoniæ arce Hiſpanis dedunt.

Tortus Longony arx arcta obſidione ſepitur.

m rant;

Digitized by Google

rant: atque inter ſuorum popularium agmina ſuum figi prætorium iuſſit Auſtriacus:nō procul inde ſua metatus eſt caſtra Prorex:medius inter vtrũque chiliarchus Carnerus ſtationem poſuit. Ad leuam in collis faſtigio ſe Itali muniere, Comitis ſcilicet Franciſci Arreſij,Proſperi Tutauillæ, Emmanuelis Caraffæ, & Demarchorum Taxij, & Tittæ Vrſini legiones.Seorſim à cæteris Germani ſe ad dexteram munimento vallarunt. Comite Hercule Vicecomite, & Ferdinando Cuſano tribunis. Sua cuique genti præcipua caſtra tribuit Auſtriacus eo conſilio; vt bellicæ laudis æmulatio bellantibus animos faceret, ſingularumque virtutem acueret. Claſſis ſe faucibus portus obiecerat, ſi qua è mari ſubſidia ab hoſtibus mitterentur, aditu propulſura:aliquot triremes iuſſæ totam oram aſſiduo procurſu cuſtodire. His ita conſtitutis, cœpti ſumma militum contentatione certatim aggeres, ac vineæ promoueri. Sed tanto ſuccedentium ſanguinis impendio continente miſſilium iaculatione, tela in ſubeuntes ingerentibus Gallis, vt terræ palmus multorum cæde oppugantibus ſtaret: ſed tandem inuicta conſtantia in aduerſum montem enixi ſigna ex æquo è regione arcis in montis faſtigio conſtituunt. Arx ingenio loci munita ad ingruentis quoque belli famam aſtructis aggeribus, loricis, & parmulis ita vallata, tutaque erat; vt Hiſpanorum impetus diu fruſtratura videretur. Verum nihil tam arduum, ac difficile ſeu ars, ſeu natura molita eſt, quòd nupera bellantium induſtria, violentiaque non vincat. Portæ parmularum obtentu vallatæ; & quà facilis ad caſtellum aditus patebat, profundæ foſſæ depreſſæ; vt per præcipites deiectus, atque arduos aſcenſus ſe demittere in foſſam, vel eniti in mœnia, maximè perniciosum fore inuadentibus videretur. Nihil ad arcem firmandam ex recenti militari diſciplina petitum omiſerant Galli. Nouiliacus arcis præfectus vir impiger, ac ſtrenuus, bellicæque artis apprimè peritus vbi ſe circumſideri, premique vndique vidit: nihil animo concidens omnia ſibi ſtatuit obmolienda, quæ & Hiſpanos procul mœnibus ſummouere, & arcem contra hoſtium impreſſiones munire, oppugnantiumque opera, ac labores poſſent eludere. Itali in collis faſtigio ſubſtiterant duabus hoſtium ſtationibus imminente; ſubductis igitur eò tormentis inferiora hoſtium munimenta aſſidua globorum iaculatione diuerberant. Germani quoque duobus tormentis in editiore loco libratis, arcis mœnia miſſilium procellà concutiunt. Nec interim ſocijs inceſſentibus hoſtem, ceſſauit Hiſpanus: ſed per cliui ardua reptans in aduerſum arci faſtigium euadere nititur; vt inde ipſe quoque tormentorum iaculis in mœnia fulminet: quo Galli conſpecto, in laxatos ipſo ingreſſu Hiſpanorum ordines ex arce ferociter prouolant. Hiſpani raptim incumbente iam Gallo, inſtructis in ipſa loci iniquitate, vtcunque ordinibus, hoſtem irruentem excipiunt: efferant vtriuſque gentis animos natiua odia, atque in mutuam cædem rabies impellit. Galli acriùs inſtant Hiſpanis cum valido hoſte, & cum loci iniquitate

Obſidentium ordo.

Arcis munitiones.

Arcis deſcriptio.

Præfecti Galli virtus.

Inter Hiſpanos, Galloſque certamen.

quitate pugnantibus: eorum tamen ęquat fortunam certaminis virtus. Areſius cum aliquot Moſchettariorum cohortibus ſubſidio Hiſpanis accurrens eos dubij Martis diſcrimine explicat; cuius incuſſu pugna recruduit, vtriſque pari virtute, atque animis obſiſtentibus Gallis. Ardente inter Inſubres, & Gallos prælio, in ſe enim Areſius hoſtium tela, atque impetum verterat; Hiſpani ſignis pugnæ ſubductis, in collis dorſum expediti hoſtibus enituntur: ibique octo collineatis tormentis globorum pulſibus mœnia inſtituunt demoliri. Hoſtis interim Areſij, ſuorumque militum virtute intra arcem compulſus, eruptionibus deinceps propugnantibus ſemper pernicioſis abſtinuit, Hiſpanorũ ad mœnia ſucceſſus expectãs. Itali quoq; ab aduerſo tumulo hoſtem, in quo ſe munimento perſepſerat, deijcere adoriuntur. Sed quia nullis aggeribus tecti hoſtium caſtra ſubire manifeſtæ necis periculum erat; viſum eſt promotis vineis, & pluteis paulatim hoſtili munimento ſuccedere. Dum ingenti alacritate milites tellurem moliuntur: hoſtis Italorum conatus ſibi perniciem allaturos, niſi interpellaretur opus, ratus, in ſubeuntes ferociter incurrens omnis generis miſſilium procellam intorquet; continentibus telorum iactibus hoſtem inceſſens audacter ab operis molitione nititur diſtinere: non tamen ita vineas agentibus inſtitit, quin ad aliquod ſpatium productæ propiùs hoſtile vallum ad inuadendum Italis facerent animos, & tegerent ſubeuntes. Galli in omnes hoſtium conatus intenti frequentes ſe pro munimentorum loricis oſtentant ſuccedentium impetus propulſuri. Tuttauilla ſuis edixit, vt conſerto agmine, inclinatiſque haſtis, dum ſclopettarij in propugnantes eminus ingerunt tela, in Gallica munimenta enitantur: proſciſſoque vallo, cæteris ſocijs aditum pandant: nec mora feſtino procurſu caſtrorum aggeres feroci dato impetu aggrediuntur. Ceſſit de induſtria quaſi acerrima inuadentium impreſſione territus Gallus, vt victoria lætabundos Italos temerè vallum ingreſſos cuniculi flammis ſubtus effoſſi, igniumque erumpentium impetu in aerem excuſſos lancinaret. Sub Italorum ingreſſum tota ab imo diſrupto cuniculo tremuit concuſſa tellus, ſed innoxius ignium impetus exhalauit. Nouiliacus vbi irritis inſidijs captum illud munimentum ab hoſte vidit, quaſi ab eo vltima arci pernicies immineret; ſuos præſidiarios, etiam atque etiam hortatur; vt tanto accepto incommodo inuicta virtute proſpicerent: depulſiſque inde Italis locum amiſſum decus nouo conatu farciendo, reciperent: irent porrò & digna Gallicæ gentis exiſtimatione, digna bellica gloria eo certamine auderent. Illi adiectis aliquot peditũ cohortibus validiores in Italos incompoſitos inuehuntur; vt inopinata hoſtium territos impreſſione, quos pauidos diffugiſſe, nec redituros in pugnam tam citò putabant: loco multa cũ hoſtium cæde pepulerint. Areſius vbi ſuos conatus in caſſum abijſſe conſpexit: duos centuriones cum ſuis cohortibus ſubſidio pulſis, ac fugientibus feſtinare iubet; vt hoſtium coerceant impetum; militem pauidum ſuo aduentu confirmatum in pugnam reducant; ſed terror monitis, atque hortationibus obſurdeſcit;

Comitis Areſij Virtus.

Italorum militum labor.

Hiſpani hoſtium munimenta aggrediuntur.

inuadentiũ diſcrimen.

Galli hoſtes propugnaculo pellunt.

Digitized by Google

deſcit;neſciũt in pugnam metu perculſis animis milites reuocari,trepidantium ſiſti fuga non potuit:pauci obſiſtere auſi obtruncautur. Gallus decuſſis vallo Italis victoria lætus ſibi fœliciora de hoſte polliceri,maioreſq; ſpes ſibi exultãtibus animis ſigurare.Auſtriacus verò eius victoriæ lętitię breuis cupidus hoſtibus faciẽdæ copiarũ duces in prętoriũ vocat,aptaq;oratione ſuadet:vt tãti dedecoris labẽ hoſtẽ iterũ ab ea ſtatione pellendo detergãt. *Ad hanc inſulam nauigauimus,duces,tantos bellicos apparatus attulimus, validis copijs comparatis non tam viribus firmi, quam animis promptis, & acribus huc appulimus Gallos de occupata inſula deiecturi. Nullus fuit, qui inter nauigandum non certam ſibi victoriam de proſtrato,exacto,victoq; hoſte polliceretur. Fauſtæ illæ militum acclamationes cum in Iluam inſulam curſumediximus,victoriam ſolitæ præſagire,deturbandum loco hoſtem ominabantur: & ego de me fateor tot in vnam rem fælicibus conſpirantibus auſpicijs, vt omnis ſpes vana credula eſt, iam noſtræ claſſis aſpectu profligatum, depulſumque hoſtem nimium fidente animo concepi. At exſcenſione exercitus facta,in rem præſentem profectus longè ſecus quam ſperaueram,contingere video. Hoſtis præſtructis exterioribus munimentis, occupatiſque circa arcem tumulis inſidens noſtros quàm poteſt longiſſimè à mœnibus diſtinet, ac frequentibus miſſilium ictibus ſummouet. Nos verò quaſi noſtrorum immemores conſiliorum circa paucula, debiliaque munimenta ſegnes hæremus? Quæ ſpes potiendæ munitiſſimæ arcis reliqua ſupereſt; ſi in parum firmo propugnaculo ſuperando, nos nullius roboris, nullius animi, ac virium in hoſtium oculis eſſe traducimus? Pugnant illi acerrimè pro arce,atque inſula retinenda,ſe munitiſſimis propugnaculis munierunt: in noſtros pauidos fidenter erumpunt. Non huiuſmodi loci ingenium eſt,nec ea propugnantium virtus,vt ad ea vincenda,atque domanda, mediocres vires,ſuetuſque animi vigor afferri poſſit: ſolito magis audendum eſt, acuendaque virtus, atque ſumma ope nitendum; vt validus hoſtis de munitiſſimis propugnaculis deturbetur. Irent itaq; audacter in hoſte;nec minus ſe Gallis fortes, ac ſtrenuos ſe acri pugna præberent.*

Ioannis Auſtriaci hortatio.

Hiſpani igitur, & cæteri duces his Auſtriaci vocibus incitati conglobatis ſimul Germanorum, Italorumque agminibus animoſo gradu hoſtium munimentis ſuccedunt. Comes Areſius primus vt Italorum fugæ labem præclaro facinore elueret;hoſtium propugnaculo ſuis cohortibus circumfuſis vallum aggreditur. Galli impauidis inuadentium animis territi cum neque vallum, & foſſam,arduaque aggerum ſibi ſatis fore præſidio contra ingruentium vndique vim,atq; impetum intelligerent; ſe ſe, proiectis paſſim,quò expeditiores eſſent ad fugam, armis,è munimentis effuſo agmine præcipiti curſu in propiora arci propugnacula conuolarunt. Comitis quoq; Theodori Barbouij virtus eius noctis certamine micuit;qui cũ quinquaginta peditum globo, & paucis veteranis contra hoſtium tela, inclinataſq; haſtarum cuſpides præſentis contemptor necis ferociter vadens, quà ſtrenuum ſuorum turbinem concitaret, latè hoſtium faciebat ſtragem, & fugam. Comes Areſius alienis malis edoctus, ne victoriam incuria corrumperet;

Areſius primus munimentum inuadit.

Digitized by Google

Areſij cautela. peret; hoſtile vallum ingreſſus, inſtructis ordinibus redituros hoſtes expectans proſciſſum reficere vallum, diruta reparare, tormenta diſponere, ſe ſeq; firmiùs obſtructa caſtrorum porta ad hoſtes ferente, munire; vt quãuis Galli munimentum illud omni telorum, machinarumque genere repetere conarentur; nullo tamen inde niſu, impulſuque depelli potuerit. Hiſpani interim, Germanique Italorum æmuli gloriæ, vt aliquo præclaro edito opere, ſuæ quiſque gentis bellicæ fortitudinis decus expromerent: alteram hoſtium munitionem ſtrenuè adoriuntur; ſed nullo tanti conatus, atque impetus pretio: cum enim Gallorum miſſilium ictibus obnoxij incuſſo telorum ab hoſtibus nimbo ferirentur multi; atq; ab arcis mœnibus cominus præſidiariorũ in enitentes per iniqua locorum miſſilibus inceſſerentur; & cum montis ſalebris, & anfractibus, & cum hoſte ex tuto pugnante luctandum: ne pertinaciùs indomitis difficultatibus inſiſtendo hoſti impunè cuncti perirent; tribus centurionibus amiſſis, & plurimis vulneratis, & cæſis in caſtra hoſtili munitione fruſtra tentata, benè mulctati rediere. *Hiſpanorũ, Germanorumq; irriti niſus.* Tutauilla cum valida Neapolitanorum manu intempeſta nocte idem munimentum aggreſſus tanto, inopinatoque impetu in Gallos inuehitur; vt in re ſubita, repentinaque neque arma expedire, neque in ordines coire, neque inſtructam phalangem aſſilientibus hoſtibus obijcere noſſent; augebat terrorem illunis horror, & obſcuritas noctis: raptis tamen armis, compoſito vtcunque agmine, quantum temporis patiebantur anguſtiæ, irruunt frequentes in pugnam, atque irrumpentium vndique Italorum impetum ſuſtinent: ſed noctis tenebris proſpectum adimentibus, plura in caſſum, atque irritum tela torquebantur: intermicantia nocturnis horroribus ſcloporum fulgetra ſubito lumine præſtringebãt magis oculorum aciem, quàm tenebras illuſtrabant, in noctis caliginem ignium fulgoribus abeuntibus. *Cæca Neapolitanorũ cum Gallis pugna.* Itaque in incertum iactis tantum miſſilibus cædebãtur, cum in deſtinata librari tela non poſſent. Quocirca Tuttauilla hoſtium iaculis irrita incidentibus plaga, ea depellendi hoſtis opportunitate vſus ſuos acriùs in vallum inferre gradum iubet, atque in ſummam loricam munimentorum eniti: illi iterato impetu inſtant metu perculſis, obtentamq; parmulam multorum tamen vulneribus adepti octo in ea tormenta colliNeapolitani munimẽto potiũtur. neaut. Germani ne ſegniores Italis viderentur; cliuum quẽdam modicè à planitie ſurgentem conſerto agmine occupare contendunt; vt ibi poſitis munimentis, tormentorum miſſilibus arcis mœnia pulſent. Vbi hoſtis Germanorum decreta cognouit, in ſubeuntes effuſo miſſilium turbine, ab aſcenſu conatur auertere; ſed inter volitantia vndique tela Germani ſtabili gradu in collis faſtigium, vel inuitis hoſtibus enituntur; ibi ſubito ruderibus, ceſpitibus, atque arboribus certatim aggeſtis, tumultuario ſe propugnaculo muniunt: *Germanorũ virtus.* ac ſtatim ibi duo librata tormenta eò militum funes trahentium labore deducta. Inde quoque arx telorum tempeſtate cępta pulſari; vt nemini impunè in mœnium lorica, ac pomœrio conſiſtere,

nemini

nemini ſe pro muris oſtentare ſine manifeſta pernicie liceret, à munimentis eminentes hoſtibus deſtinato ictu ferientibus. Sed vineis agendis obſtabant nudæ cautes, meraque ſaxa; in quibus nec aggeres duci, nec excitari poterat vallum; quo paulatim ad arcis foſſam promoto, arctiùs Galli ab obſidentibus premerentur. Ita enim recens militaris inſtituit diſciplina ad ſeruandos bellatores, vt Indico more crebris aggerum flexibus, tellurisque eductæ obtentu à propugnantium tormentorum miſſilibus defenſi impunè hoſtilis vrbis mœnia ſuccedant: nihil enim eſſet contra immania excuſſa tormentis pondera tutum, nihil contra miſſilium violentiam ſecurum. Tribunus igitur Hercules Vicecomes omiſſa aſperiore ſalebris via, aliam mitiorem ingreſſus, vbi altior tellus educi in aggeres, fingique in vineas poſſet: hortatur, & voce, & ſuo vrget exemplo, vt impigras manus laborioſiſſimo operi admoueant. Germani, & ſui chiliarchi exemplo, & vocibus animati moliri tellurem incipiunt adeò continenti labore; vt breui ab imo excitatum aggerem vſque ad collis iugum duxerint. Inde in alia per interualla poſita Gallorum munimenta procurſuri. Quo Germanorum acceſſu territi Galli, qui in proxima ſtatione curabant, in arcem profugiunt. In deſertum nimium timidè propugnaculum Germani ſignis illatis, nouis additis munitionibus firmant. Galli deſidente metu propiori clariùs animaduerſo periculo, turpis fugæ pertæſi, ſe ipſos nimium timidi animi criminari, panicum terrorem deteſtari, cupere inuſtam Gallicæ genti dedecoris notam expungere. Se inuicem itaque conſulunt, qua ratione iterum amiſſum recipere propugnaculum poſſent. Erumpendum illicò in Germanos antequàm locum validiùs muniant, omnium ſententia pronuntiat. Selecto bellatorum ex omnibus cohortibus flore, pauci ſanè numero, ſed eximia virtute multitudinis vires æquante, ex arce irruunt in Germanos; qui valido Gallorum incuſſu turbati tantum non ſe in fugam præcipites conijciunt. Cuſanus ſuorum ignauiæ, ac timoris impatiens, increpat ſegnes, timidoſque caſtigat; prouolatq; ante prima ſigna, atque hoſtem tandiù accerrima pugna diſtinuit; donec Germani receptis à terrore animis, pudore ſuæ ignauiæ ſuffuſi reſtitutis ordinibus, Gallos audacter exciperent: ſed dum ille animoſiùs, quàm cautiùs inter medios ſuæ contemptor ſalutis dimicat hoſtes; caput ictus plumbea glande hoſtili iuxta, ac ſuo cruore madens inter hoſtium promptiſſimos cadit. Alios terruiſſet tam excelſæ indolis iuuenis, & pugnaciſſimi ducis interitus, ſicuti vniuerſas copias ſummo dolore concuſſit; quo Germani efferati tanti bellatoris caſu, actique in rabiem auſos quoſque propiùs accedere Gallos obtruncant; arciq; in acceptiſſimi ductoris vltionem, ipſiq; præſidio vltima minitantur eius certi hoſtibus reponere cædem. Ex illo animoſiores ſolito, atque promptiores Germani, nulla dubij martis diſcrimina perhorreſcere, immo ſibi periculoſiora obeunda facinora animosè, ſtrenuèq; depoſcere;

Germanorũ pertinax labor.

Gallicũ propugnaculũ obtinent.

Cuſani impauidè pugnantis cædes.

Iii obuiam

obuiam ire præſentiſſimæ neci, vt ſui tribuni mortem vlciſcerentur. Exiguo puteus ab arce aberat interuallo, cui ad tutamentum parmulam munitam obtenderant Galli; eo Germani aquæ hauriendæ commodo ſibi Gallos intercludendos decernunt. Parmulam igitur primum valido præſidio defenſam aggreſſi Gallos quamuis accerrimè repugnantes ſuperato vallo, tranſcenſoque aggere, loco multa cum cæde deturbant, circumfuſiſque puteo cohortibus, omnem aquandi Gallis adimunt facultatem: raptim ſtationem tumultuaria muniunt lorica, ne inde repentinis hoſtium impreſſionibus depellantur. *Areſij vitæ diſcrimen.* Areſius interea tantum non eam expeditionem ſuo interitu funeſtauit; dum enim perducentibus vineas, atque aggeres molientibus foſſoribus inſtat: emiſſus maiori tormento ferreus globus in aggerem incuſſus laterculi partem cum ceſpitis fragmento in eius lætium ſupercilium impegit: atque horribili ſibilo prætervolans exuſta comæ parte, pileoq; præſtricto, eius faciem ſuis flammis afflauit: animi paſſum deliquium, fluenteque è vulnere ſanguine cruentum, & ſeminecem in tabernaculum eius milites extulere. Curato deinde medicorum peritia, quos Ioannes Auſtriacus de clariſſimi tribuni ſalute ſolicitus ſubmiſerat; breui ad alia atrociora ſubeunda belli pericula conualuit. Intermiſſum vinearum veluti ominoſum ea parte opus. Tutauilla ſiquidem Areſio ſuffectus ad forcipem duci aggeres iuſſit; quam ſibi omninò ſuperandam deſumpſit. Vrgentur vndique validiſſimè Galli, nec ijs deeſt animus, & militaris alacritas ad repugnandum. Surgebat propè hoſtium caſtellum ad obſeſſores inceſſendos maximè opportunum; quo ſi potiri Germanis licuiſſet, nihil eo aptiùs ad premendos arctiùs Gallos, perficiendaque opera videbatur. In illud itaque ſtipatis ordinibus, effuſa miſſilium grandine impetum faciunt. Galli Germanos per munimentorum ardua enitentes incuſſis in eorum pectora haſtarum cuſpidibus in foſſas ſtrenuè reſupinant. Germani nihil ſuorum territi ſtrage, immo rabie vltionem anhelante acuente virtutem, alijs, atque alijs in cadentium ſuccedentibus locum, violentiùs præſidiarijs ſtrictis enſibus inſtant: & quamuis foret, & cum validò hoſte, & cum loci iniquitate pugnandum; tamen ardua quæque inuicta ſuperante virtute, *Germanorum ferocia & virtus.* vel per media propugnantium miſſilia nulla ſalutis cura, perque medios enſium hoſtilium mucrones, intentamque haſtarum ſegetem ſibi intra vallum viam pandere cruentiſſima pugna conantur. Irruenti Germano fortiter ſe ſe obijcit Gallus; nocte concubia cæco Marte, niſi *Cructa inter Germanos, Galloſque pugna.* cum tormentorum fulmina aetem illuſtrabant, vtrinque ferociſſimè pugnabatur; ſed tandem irruentibus vndique in vallum Germanis, Gallorum pertinacia perdomita, inuadentium virtuti ceſſit. Vix pedem propugnaculo extulerant Galli; cum miecto igne cuniculus diſrupto flammarum impetu aggere, centurionem cum ſua cohorte excuſſit in aerem: erumpentium quoque ab imis terræ viſceribus ignis latè ſe fundens alios fermè triginta milites vſtulauit. Sociorum interitu nihil territi

ſuperſtites proſciſſum munimen aggeſta tellure illicò farciunt, multiſque impoſitis tormentis, & valido præſidio munitum ad belli cætera magno poſtea vſui fuit. Alia deinde exteriora circa arcem munimenta, & tumulis inſtructa propugnacula, deiectis Gallis, Hiſpani obtinuere. Supererant quoque plura per montis decliue opportunis in locis excitata munimenta vincenda. Sed exigui negotij, facilisque martis ijs potiri fore videbatur: vna deerat munitiſſima parmula, cui ab Italis bellatoribus, quod curuantem ſe in cornua Lunam, nondum ſuum orbem ſidere implente, ſimilet, mediæ lunæ nomen inuentum: tum opere, tum firmo præſidio difficulter admodum ſuperanda. Huic aliud munimentum propiùs hoſtem obtenderant Galli; vt in eo prius ſuperando, antequam parmulæ ſuccederent, inuadentium impetum, & vires eliderent.

Gallorum propugnacula occupantur ab Hiſpanis.

Hanc forcipem caſtrenſi vocabulo milites vocant: quæ primum erat expugnanda, antequam ad parmulam inuadendam poſſet accedi. Plurimæ difficultatis, & laboris eius expugnatio, multorumque ſanguine, ac vulneribus ſtatura videbatur. Verum Hiſpani in eo verti belli fortunam, fœlicemque expeditionis exitum rati, ſi ijs potirentur; & ex aduerſo ſpem omnem obtinendæ arcis abſciſſum iri, ijs inſidentibus Gallis: quos eadem cura inceſſit de rebus Gallicis conclamatum in ea inſula fore; niſi illam parmulam, & forcipem pro viribus tuerentur; tenerentque aduerſus omnes Hiſpanorum aſſultus. Itaque ſe ad omnes hoſtium impetus ſuſtinendos expediunt. Erat in vtriſq; mira, & ſui retinendi, alienique occupandi alacritas, eximiaque promptitudo. Erant pares vtriſque animi, parque certitudo mori potiùs, quàm hoſti cedere. Hiſpani rati nocte concubia ſe Gallos ſemiſopitos, remiſſaſque alto noctis ſilentio cuſtodias, ſi munimentis ſuggrederentur, deprehenſuros; ſilenti agmine, ſuſpenſoque gradu iam multa nocte munimento ſuccedunt. Sed Galli gallis vigilantiores, vbi ex incedentium fremitu, ſe infeſto agmine ab hoſte peti cognoſcunt; compoſitis intra vallum ordinibus Hiſpanos ſtrictis gladijs, prætentiſque haſtis expectant: atque in hoſtes ſubeuntes tantam omnis generis miſſilium ſuperfudere procellam: vt penè omnes, qui primum gradum intulerant, bolidum incendijs, iaculis, telis, ſcloporum plumbeis pilis obruerint. Verum Hiſpani nihil tam horribili iucuſſa ab hoſtibus pauidi tempeſtate, vt omnium eſt periculorum aſpernator Hiſpanus, cum in inuiſam maximè gentem pugnat, natiuo odio vires, atque animos ſufficiente: vel contra miſſilium nimbum audaci parmulæ gradu ſuccedit. Tum enim verò atrox prælium inter vtroſque committitur: dum Hiſpani per valli ardua intra vallum irrepere, & Galli reptantes contis, haſtis, flammarum iactibus, omnique telorum genere ad ima deturbare conantur: ſed nullum miſſile maiorem terrorem faciebat, & ſtragem, quàm igneæ bolides, & fictiles tubæ, quæ pyrio puluere, eoque quadam arte tempe-

Hiſpanorũ inuadentiũ clades.

Bolidũ pernicies. rato repletæ, varijſque peſtibus grauidæ in ipſa earum iaculatione igne concepto, terribiles vomunt vndique flammas; atque obuia quæque proſternunt, quacumque illas ardentium intus ignium impetus agit: nihil ſatis tutum contra huiuſmodi tela; cum tenaciùs hærens contorta flamma corpora comprehenderit. Obſtitere diu ſtrenuè irruentibus vndique Hiſpanis acerrimè cientes pugnam Galli; ſed cum obſtinatiùs propugnantibus inſtaret Hiſpanus, depulſiſque præſidiarijs, vbique iam victor intra munimentum irrumperet; Gallus trepida ſe inde fuga proripuit, & parmulam inuicta Hiſpanorum virtus obtinuit. Nouiliacus ex amiſſis exterioribus propugnaculis eius belli fortunam diuinans; iamque Hiſpanos arcis mœnibus imminentes, penetrare productis aggeribus foſſas, atque admotis vineis cuniculos ſubtus muros effodere; æſtuare animo, angi futuri terrore mali, excogitare fruſtra certiſſimæ cladi remedia; & quæ mordacior cura eius animum lacerabat; ſe proditæ arcis, vel ignauè defenſæ apud Gallos purpuratos reum actum iri, luiturumque capite fatalis neceſſitatis impulſum: non Hiſpanorum virtuti, neque hoſtili potentiæ eius inſulæ iacturam, ſed ſibi inertiæ, timori, incuriæ datum iri à Gallo Rege.

Galli fugãtur Hiſpani parmula potiũtur.

His anxius curis de ſua maximè exiſtimatione ſolicitus, vtcumque collegit animum, ne ſuo muneri deeſſet; ſeque ad arcem tuendam totis conatibus parat tanquam ſi eius ſeruandæ ſpes aliqua ſupereſſet: cum viro forti nunquam ſit, neque in ſummis difficultatibus deſperandum: quamuis paucis, & feſſis, aſſiduiſque vigilijs, & certaminum laboribus confectis eſſet cum integro, ac valido, numeroſoq; hoſte pugnandum. Alium effodit ſub altera parmula cuniculum; vt ſi ea foret hoſtium violentiæ cedenda, in illam ingreſſos admoto cadis pyrij pulueris igne, in aerem excuſſos ipſo flammarum impetu laceraret. Verum Gallorum conſilium, & niſus Hiſpanorum virtus feſtina pręuertit: *iam enim* accenſum funiculum cuniculi ori applicantibus improuiſus aduenit Hiſpanus: qui ſtrictis gladijs ab eo opere in pugnam Gallos ire coegit: dimicatum eſt ab vtriſque ingentibus animis, & ſtrenuè vſque adeò; vt par vtrinque pugnantium numerus caderet; & paribus ſe mutuo vulneribus foderent; ſed tandem Gallorum paucitas irruentium hoſtium multitudini ceſſit: pulſi cum cæde Galli trepido receptu in arcem fugerunt. Ingens tormentarij pulueris modus egeſtus ex eo ſpecu plures dies ad tendenda tormenta Hiſpano ſuffecit. In parmulæ loco ſtatim ingenti omnium alacritate certatim humum congerentium eductus eſt tumulus tormentarius: in quo protinus inductis tormentis, & quaternis ſingulis nationibus diſtributis, arx furiali globorum iaculatione cœpta pulſari, acriorique oppugnatione vrgeri. Sed nulla æquè machinarum terrebat hoſtem, quàm bombarum iactus, quarum pondera certo ictu à libratoribus, certaque menſura in ſublime contorta, ruentia poſtea grauiſſimo caſu ædium tecta,

Pugnã inter Hiſpanos, & Gallos.

Galli compelluntur in arcem.

Digitized by Google

recta, tabulata vſque ad ima, non perforant modò, ſed etiam fragore horribili demoliuntur: quòd ſi concepto igne rumpuntur; mirum eſt quantas incluſæ peſtes mortalium ſtrages edant; & quanto cum terrore vicina quæque proſternant; quod quia tartarei commenti genus ad mortalium lancinamentum in ipſa ſæuitiæ, barbaræq; immanitatis officina bellantium nimia nocendi cupiditate conflati in bellis Germanicis deſcripſimus: non hic eadem iteranda putamus. Hoc admoto terrore Gallus, quamquam alibi huiuſmodi machinamentis aſſuetus nihil bombarum iaculationes metuere videretur; tamen cum frequentes in tecta, fora, vias inciderent: & plerunque innoxiæ, atque irrita plaga; fieri non poterat, quin tandem aliquod grauiſſimum incommodum ab huiuſmodi peſtibus acciperetur. Vna ſiquidem in incertum emiſſa in quoddam munitiſſimum arcis propugnaculum incidit; in quo plurimi cadi pulueris tormentarij, ſulphureique funis ingens modus condita erant: illa graui pondere cadens vna, atque altera contignatione perfoſſa, pyrij pulueris cados accendit: cuius flammæ in arcto eluctantes tanto cum fragore erupere; vt diſrupta ab imis viſceribus, concuſſaque terra, & diruto propugnaculo cum ipſo tonitru immugierit mare, totaque inſula eo ignium impetu tremuerit. Funis momento prorſus abſumptus. Debellatum ea clade putauerant oppugnantes, cum illos quoque plaga non leuior afflixit. Inter iaculandum enim incauto excidit cuidam fauilla; quæ ſurculis excepta latuit aliquandiu vix fumo inditium ſui præbens, mox inter ſurculos, frondeſque ſerpens adeò terribile fudit incendium; vt momento pegma illud, tormentariumque tumulum arduum octo dierum totius exercitus opus, & quidquid lignorum eò conuectum fuerat flamma conſumpſerit. Pupugit ea calamitas animos Hiſpanorum, quòd neque vlla in propinquo ſylua cædua foret; quæ extruendo iterum operi ligna ſufficeret; neque ceſpites, aut ſtirpes ſuppeterent, quibus vices arborum ſupplerentur; longèque eſſet ad tumulum excitandum petenda materies. Sed efficax mortalium induſtria, abſoluendæque fœliciter expeditionis cupiditas omnes difficultates euicit. Ad molem educendam vniuerſi milites accerſiti; iiſque imperatum, vt in id operis è vicinis vallibus, & collibus quæſita ligna conueherent. Magno ardore inſtant operi certatim milites, & foſſores; breuique minaciùs inſurgens maioribus tormentis munitum terruit Gallos. Verum aliud perniciosiùs eorum auxit metum, animoſque deiecit. Epibatæ portus cuſtodes, ne cæteris laborantibus ſociis, ſoli ſegniter ceſſare viderentur; ab arcis tergo, quà ſe explicat portus, in iugum montis, ex quo interiora arcis libero intuitu deſpiciuntur; ſex muralia tormenta ingenti ſanè labore, ſed fœlici conatu ergatis pertraxere: atque inde nulla mora, vt montis faſtigium totam arcem habet ſub ictu, tecta, compita continenti iaculatione diuerberant.

Bombarum immanitas.

Bombæ igne puluis tormentarios incenditur

Incẽdio Hiſpanorum propugnaculum abſumptum.

Digitized by Google

Nemini impunè per arcem commeare, nemini tuto tranſire vias, aut in foro conſiſtere licebat: ſed militum cætus per iocum deſtinatis ictibus petebantur. Vix aliquis domo prodibat, vix apparebat in via, cum collineata in arcem tormenta ſubita iaculatione feriebant. Neque huic moleſtiſſimæ peſti à Gallis proſpici poterat; aut obuiam iri ſupernè ingruenti malo, cum ad ſuperiora montis per ardua contra tormentorum fulmina à fronte in ſubeuntes contorta ſine manifeſto præſentis necis periculo eniti non poſſent. Premebantur itaque arctiùs, atque arctiùs in dies Galli, nec vllum dabatur quieſcendi à laboribus ſpatium, nec tamen animos tot circumuenti difficultatibus deſpondebant: quòcunque enim ſe Hiſpanorum impetus verteret, eò aduolare frequentes; potioribus quiſque certatim ſe periculis obijcere; omnia militaria alacriter munia obire. Iuſſerat Auſtriacus Areſij, & Emmanuelis Carafæ legiones ad forcipem expugnandam feſtinare, quò pluribus locis multiplici pugna diſtenti Galli ad reſiſtendum fierent imbecilliores. Illæ nocte illuni, atque concubia ad forcipem ſuggrediuntur. Senſere Galli hoſtium acceſſum: nec expectato, donec in vallum irrumperent; vno agmine ingentibus animis ſe ſe è munimentis in ſubeuntes effundunt: emiſſaque in hoſtem omnis telorum generis procella, penè illum obruunt miſſiliũ nimbo. Itali ſtipatis ordinibus nihil tanto Gallorum impetu animo fracti irruentes pari animorum ardore, virtuteq; intentis haſtis excipiunt. Anceps pugna, dubiuſque mars, quam in partem victoriam inclinaret hæſerat diu, cum iterato impetu Galli ita acriùs inferunt pedem, vt violentiſſimè incumbentes ſuſtineri amplius non potuerint. Fuſi itaque magna cæde Itali pluribus ſaluti noctis obſcuritas fuit; quæ maiorem militum numerum, quàm fuga ſeruauit. Ea inſigni clade laceræ pugna exceſſere legiones; nulla cohors, nullus manipulus integer hoſtili ferro elapſus, qui non plures eo certamine amiſerit, aut ſaucios in caſtra reduxerit. Inſignem eam cladem Equitis Philippi Cauenaghi lectiſſimi equitum ductoris fecit interitus. Dum enim inter promptiſſimos Gallis immiſtus acerrimè pugnat, immani vulnere inflicto proſtratus poſtridie deceſſit: magnæ quidem indolis iuuenis, quem ſi ad maturiorem ætatem fata ſeruaſſent; nemini dubium erat, quin ſtrenuiſſimus bellator, primæq; famæ dux futurus fuiſſet. Alios quoque duces ea ſuſtulit clades, duo Neapolitani cohortium Præfecti conciſi vulneribus expirarunt. Octauium quoque Caſtilioneum impauidè vadentem in hoſtem rem inclinatam reſtituere laborãtem hoſtis irruens obtruncauit. Reliquus cæſorum numerus in tãta cæde iniri vix poteſt: certè nulla pugna plures milites totius expeditionis tempus abſumpſit. Neque tamen Gallis ea incruenta victoria fuit; fortiſſimos quoſque illud certamen abripuit, præter plurimos vulneratos. Poſtera luce atrocitas cladis magis innotuit: promiſcuæ paſſim cadauerum ſtrues horrebant: conſtratus exanimis corporibus certaminis locus, vicinaque recenti cruenta ſanguine tetro ſpectaculo intuentium oculos tenuere. Cadaueribus tumulandis vtrinque conuentæ ad breue tempus induciæ,

Pugna inter Gallos, & Italos.

Itali funduntur.

Cauenaghi equitis cædes.

Italorum militũ clades.

Ea clades

Ea clades militibus documento fuit,non eſſe temere quecũq; martis diſcrimina ſubeunda; neque hoſtem ſpernendum, quamuis actus ad vltima videatur. Nihil tamen Hiſpanos ea clade morante, nec territi forcipis expugnandæ cogitationem, aut ſpem penitus abiecere: ſed cum maximè noxium eſſet aperta vi nullo tectos munimento ſuccedere; vineas ad forcipem agi ſatiùs, tutiùſque viſum ducibus eſt: quibus propè hoſtile vallum promotis, clanculum ſubtus forcipem cuniculum effodiunt; qui applicito igne ſuccenſus nemini hoſtium noxius reſciſſo tantum parumper vallo, caſſo conatu, in irritum exhalauit; perexiguus nihilominus aggeris ruinas audacter quindecim fortium militum globus irrupit: quos protinus circumfuſi hoſtes ancipiti prælio diſtentos obtruncant. Vno, & altero in ea forcipe expugnanda niſu fruſtrato, vniuerſo improſpero auſu mœrente exercitu, Tuttauilla ſibi fatalem forcipem expugnandam depoſcit. Vineis eiſdem igitur vſus nullo ferè Marte intra forcipis munimentum irrupit non tam ſtupentibus Gallis, quàm Hiſpanis mirantibus: quòd propugnaculum, cui alliſa tot fortium bellatorum virtus,fracta,ac victa rei difficultate propugnatoribus ceſſit; ita facili pugna in Tuttauillæ venerit poteſtatem. Germani interea ipſa naturæ, locorumque iniquitate ſuperata, ardua quæque inuicta induſtria æquante, ad Diui Rochi ædiculam iam vineas, pluteoſque produxerant; iamq; inter anguſtiores Galli limites vrgebantur: cum firmis ſtationibus, & præſidijs collium faſtigia ferè omnia ab hoſtibus tenerentur; atq; à dexſtro arcis latere, ad ſiniſtrum perpetuus illum agger omnibus commeatibus, & ſubſidijs intercluderet; poſitiſque vbique militum cuſtodijs,tam à mari, quàm à terra arx circumſepta, obſeſſaque premeretur. Quare his anguſtijs circumuenti Galli maius aliquid ſolito audendum, periculumq; periculo propulſandum decernunt. Erat omninò pernicioſæ audaciæ, atque vltimæ deſperationis plenum facinus, quod audacibus verſabant animis Galli; ſed niſi præclaro aliquo tentamento ſe ijs periculis, anguſtijſque expedire ſtrenuè conarentur; deploratam rem Gallicam procul dubio, conclamatãque vibebant. Conſpirauere igitur fortiſſimi quique Gallorum ad quadraginta, qui ordines paulò antè duxerant, promptiſſimi bellatores. Obſeſſores, præter vigiles excubantes in armis, paſſim ſomno ſepulta ſtrauerant corpora, vel intra ſtationum munimenta quieſcebant; cum trepidæ voces, clamoreſq; vigilum fremunt vocantium ad arma; hoſtem adeſſe ſolicitis nuntijs totis caſtris perſtrepit rumor; bellicum in vniuerſis ſtationibus terribili tubarũ clangore, tympanorumque ſonitu canitur;excutitur ſopitis militibus ſtrepitu clamor. Galli ſilenti agmine gradiebantur, vt aliquam repentino impetu ſtationem incautam interciperent. Verum vbi claſſici fremitus, diſcurrentiumque ad arma clamor inſonuit; continuere pedem paululum Galli animis incerti, an deſtinata perficerent: cum inſidias patuiſſe hoſtibus vident; ſed ea mora ferocia maior exarſit, contentoque gradu ad hoſtem natiuo impetu, furoreque rapiuntur. In Germanorum ſtationem ea

Propugnãtium difficultates.

Gallorum audaciſſimum conſilium.

Galli Germanorū ſtationem inuadunt.

primum valido tempeſtas fragore detonuit; in quos tanto impetu illati ſunt Galli, vt ipſo armorum incumbentium incuſſu pulſi Germani tantæ violentiæ impares fugam circumſpectarent; ſed mox cognita hoſtium paucitate, receptis animis contemptim in hoſtem ruunt acerrima pugna ingruenti malo extrema remedia quærentem: egregièque cæſum in arcem celeriori, quàm venerat gradu compellunt: & ne iterum in ſtationes erumpere auderet; contra arcis portam collineata tormenta, obſeptaq; aggeribus via huiuſmodi nocturnos, repentinoſque aſſultus deinde prohibuere. Interea tota Italia diditus rumor Telomartij ingentem parari claſſem epibatis, apparatuque bellico inſtructiſſimam citò validum obſeſſis ſubſidium allaturam. Verum nunquam huiuſmodi claſſis eo mari innauit; vna tantum triremis in auxilij ſpeciem, ne omninò deſertum Iluanum præſidium à ſuis popularibus videretur: cum inſulæ Hiſpanorum claſſe litora teneri, totoque mari bellicas naues volitare, obſiderique itinera ad arcem ferentia firmis hoſtium copijs liquido noſſent; quæ ne in hoſtium perſequentium poteſtatem veniret; ab ipſis Nauarchis ad Corſicam depreſſa eſt. Interim obſeſſi in dies arctiùs ab hoſtibus premebantur; ſed non adeò tamen, vt inter anguſtos arcis limites cogerentur includi; adhuc extra mœnia bellabant: deerat ſiquidem firmiſſimum propugnaculum expugnandum inter forcipem, & parmulam ſurgens, cui coronato nomen, quod tribus in hoſtem prominentibus angulis, radiatum diadema referret. Nullum munimentum maiora obſidentibus attulit detrimenta: ſiquidem apto poſitum loco in ſubiectas Hiſpanorum ſtationes omnia miſſilium genera grandinabat. Caraffæ igitur, & Areſij legatis imperatum, vt ſuis legionibus noctis ingruentibus tenebris impetu, quàm maximo propugnaculum adorti eam peſtem amolirentur; cæterique etiam cohortium præfecti iuſſi hoſtibus obſtrepere, aggreſſionemque alijs in locis ad præſidium diſtrahendum oſtentare; interim donec appeteret inuadendi propugnaculi hora, corpora curarent, armaque, atque animos expedirent. Vbi affuit tempus Inſubres præſto fuere in armis, tantoque impetu in propugnaculum incurrere; vt præſidiarij in re ſubita, atque inopinata attoniti, neque arma capere, neque ſe pro aggere irruentibus hoſtibus obijcere ſcirent; ſed trepido diſcurſu, hàc, illac æſtuantes acti non ducum imperia non ſuadentium voces poterant audire. Auxere Gallorum terrorem pluribus ſimul locis obſtrepentium tympanorum ſonitus, & militum fragor alias propugnaculi partes inuadere ſimulantium; vt ancipiti diſcrimine ſe deprehenſos rati prorſus ſui tuendi ſpem cum ipſis animis abijcerent. Inſubres aduerſa hoſtium trepidatione, animoſiùs, nemine iam repugnante, intra munimentum irrumpunt: atque in læuo angulo ſe ſubitarias munitiones obmoliti aduerſus repentinos hoſtium impetus firmauere; ſi ad repetendam amiſſam maioribus viribus partem propugnaculi rediſſent: non enim à toto propugnaculo deiecti profugerant; ſed in alijs angulis ſtipatis ordinibus ſtabant inclinatis haſtis Inſubres excepturi, ſi ad ſe inuadendos illis animis

Tolone.

Hiſpanica claſſe latè omnia tenentur.

Inſubres in propugnaculum irrūpunt.

animis

animus foret; aggeſta raptim tellure, oppoſitiſque arborum ramis, & ſtirpibus vallauere ſe Galli. Emmanuel Caraffa Inſubrum emulus laudis, quæ totis caſtris inclyta perſonabat; vt ſuos Neapolitanos pari bellici decoris gloria inſigniret: noctis incubantibus tenebris ſtrenuo ducentorum peditum agmine, forcipem munimentum ſubit infeſtus; vt ijs quoque angulis, quibus conſederant, Gallos decuteret: ſed ab intentis in omnes hoſtium conatus preſidiarijs tanta miſſilium grandine, vbi ad teli iactum propè forcipem ventum eſt; atque ita furenti glandium iaculatione obruti ſunt; vt eo niſu ſe quicquam profecturos fore ſpe omni ceciderint: ſtimulante tamen bellici parandi decoris deſiderio, vel contra ruentem telorum procellam per forcipis ardua eniti conantur. Tum Galli ſiue eos heſternæ culpæ pertæſos abſtergendæ militaris dedecoris labis ad pugnam cupiditas inflammaret; ſiue ea mora excuſſo torpore, ſui muneris, obſtrictæq; ſacramento fidei meminiſſent; ſolito vigore corporibus, atque animis redeunte, pluſquam virili fortitudine Neapolitanum ſumma contentione in vallum tranſilire nitentem, incuſſis in ora, in pectora repentium hoſtilibus, audaciſſimo quoque obtruncato, cæteros per munimẽtorum deiectus præcipites reuolutos ſaucios ad ſuas ſtationes ſe recipere coegerunt. Pice feruente, tædis, incendijſq; in medios Neapolitanos coniectis à Gallis ferè extuto in hoſtem dimicatum eſt, præter tormenta, quę ex arce in aggrediẽtium latera fulminabant: quibus plurimi lacerati periere. Deformitas cladis, reiq; difficultas, & temeritas auſus Neapolitanos incępto cogebat abſiſtere: pudor verò irriti conatus, æmulatioq; laudis vltima potius experiri, quàm indecores, & inglorios ea expeditione abire cogebat: ſed cum iam deficientibus viribus ſolus animorum vigor regeret arma, nec corpora languentia, ac debilitata vulneribus animorum ſequi impetum poſſent; cantato receptu, in ſuas ſtationes ſolo magnanimo commendabiles auſu rediere. Impigros, forteſq; bello duces, ac milites ea nocturna ſuſtulit dimicatio. Quocirca ab eo tentando armis propugnaculo deinceps Hiſpanus abſtinuit, ſua ſpontè deſerente Gallo, quod diutiùs tueri non poterat, in eius poteſtatem conceſſit: cum enim propiùs in dies vineas admoueri, producique aggeres conſpexiſſent; certatimq; Inſubres, & Neapolitani ad bellicam gloriam ſibi inuicem præripiendam, probandamque fortioribus geſtis ſuo Regi virtutem, & fidem admouendis pluteis inſudarent: rati aliquando tandem futurum, vt violentiſſimis vtriuſque populi impreſſionibus, ac virtuti ſuccumberent; deſerta tam fędæ lanienæ arena, ſe incolumes arci propugnandæ ſeruarunt. Hiſpani eo validiſſimo munimento potiti, ſublato ad bellum proſperè conficiendum impedimento; ſibi rem obtinuiſſe non votis inanibus videbantur; cum aliam parmulam, vt vltimam loco, ſic militari induſtria, & numero propugnantium munitiſſimam ſibi expugnandam ſupereſſe vident. Hiſpani duces experimento docti, quàm perniciosum eſſet, milites aperti periculis Martis obtrudere, atq; intra munimenta aggeribus, loriciſq; tectos Gallos inuadere, communi ſenſu decernunt

Neapolitani Gallos inuadunt.

Neapolitani cum cæde pelluntur.

Galli propugnaculum coronatum deſerunt.

cernunt

cernunt agendis cuniculis, & vineis agendum eſſe, paulatimque obiecta ante frontem tellure, parmulæ ſuccedendum; clamque hoſte effodiendum ſub munimento cuniculum, vt tractum plurimo aſſultu in parmulæ loricam Gallum, tum iniecto pulueris cadis igne, proſciſſo vallo, in ſublime flammarum impetus iaculetur. Germani igitur Auſtriaci iuſſu arcano labore opus alacriter agreſſi cuniculum ſub ipſis munimenti radicibus agunt; quā mox iniectis ignibus inflammandum, ſi Proregis, & Guzmani arbitrio placuiſſet. Sed cautior ſententia tenuit, vt tot fortium militum ſanguini parceretur; qui procul dubio certiſſimæ neci obijciendi erant; ſi vel cuniculi impetu diruto vallo, contra conſertam hoſtium intra parmulam phalangē illis eundum fuiſſet. *Iam bis expertos ſuo malo quantam Galli militum ſtragem in huiuſmodi temerè ſuccedentium conatibus edidiſſent. In caſſum plerumque cuniculorum flammas, innoxiaſque hoſtibus erupiſſe: quorum ſi aliquos ſuperſtantes cuniculi violentia ſuſtulerit; cæteri ſtatim denſato agmine, ſe ad ruinarum aditus inclinatis haſtis, intentiſque enſium mucronibus obijciunt; irruentes ſtrenuè excepturi, & quis ignorat in huiuſmodi pugnis, quibus cum hoſte ex tuto intra vallum è ſuperiori loco pugnante, & cum ruinarum iniquitate ſubſidente mota tellure ueſtigio lapſantibus dimicandum eſt; uel pro ſingulis cadentibus hoſtibus denos, ut minimum, inuadentium mori? atq; inultos dum feruntur in hoſtem, conciſos uulneribus cadere? Non cum ignauo, pauidoque hoſte, ſed cum impigro, ſtrenuo, ſuis adhuc rebus fidente res eſt. An tot anguſtijs oppreſſus, tot difficultatibus circumuentus, tot malis afflictus, uel omni ſubſidij ſpe deſtitutus, cum à mari præpotenti claſſe, à terra præualido exercitu ſeptus undique urgeatur; ſpem ullam deditionis facit? Amiſſis exterioribus munimentis, ferocior obſiſtit; pulſus à parmulis conſtantior extra arcem inſultat: totum montem obſidentium operientibus copijs, adhuc promptior in extremo propugnaculo hæret nonniſi inde multo noſtrorum militum ſanguine depellendus. Non igitur aperto marte tentanda tam muniti propugnaculi expugnatio; ſed circumiecto aggere obſidendum tutiſſimo bellandi, uincendiq; genere.* Gaſpari igitur Barettæ eximio architecto imperatum vt graphidem ducendi aggeris figuraret, inſtaretq; operi perficiendo. Ingenti militum alacritate agger cœptus eſt duci. Neque inter fulminantia vndique à parmula tela à molienda tellure ceſſatum eſt; ſed militibus properantibus opus, opinione maturiùs minax illud propugnaculum interſeptum eſt. Ex eo Hiſpanorum opere ingens cura Gallos inceſſit, quæ adacto ad viſcera telo, ſibi vicina clades inſtaret: maledictis omnibus machinatorum inuentum illud execrati querebantur de recenti more bellandi, quo ſarculis, & ligonibus, non vera virtute ſtrenui bellatores opprimerentur. Nihil eſſe iam arcium propugnatoribus tutum; non bellicam fortitudinem, ſed machinarum violentiam, tormentorumque impetus belli valere. His inanibus querelis effuſa cum dolore ira Galli, ſe intra munimenta continuere non auſi in aggerem molientes erumpere; ſed tantum miſſilium tormentorum iactibus plurimos milites lacerabant. Verum vbi ſeſquihoræ

Hiſpanorū ducum cauta ſententia.

Gallorum virtus indomita.

Sarculis, et Ligonibus munitiſſimæ arces capiuntur.

quihoræ ſpatio aliquantò altiùs agger eductus, depreſſaque foſſa eſt; quibus laborantes milites tegerentur; tum enim verò in prætentū aggerē impunè hoſtium cadentibus telis à Gallorum iaculatione ſecuri munimentū erigere feſtinabant. Duces inceptantibus opus inter ſumma vitæ diſcrimina inſiſtebant; vt pari cum militibus periculo ad opus, quàm maturrimè abſoluendum eos animarent. Aragonius, & Carnerus præcipuè aderant hortatores quamuis telis hoſtium inceſſentium obnoxij tantum non confoſſi miſſilibus perierunt. Vbi ſe veluti indagine clauſos videre Galli, obiectuque aggerum tormentorum ictus, iaculationemque fruſtrari; ne penitus interſepti ad arcem reditu intercluderentur; in viam tectam in exteriori pomœrio propè foſſæ marginem ad vtrunque arcis latus protenſam perfugerunt: vt ruentem Gallicam rem ſupremo conatu vtcunque fulcirent; hac ſi quoque via Galli admotis copiarum viribus pellerentur; nulla deinceps extra arcem patere Hiſpanica arma fugientibus receptacula: poſſe ſtirpibus, ac ruderibus aduectis, foſſam æquari, vel actis cuniculis, mœnia ſuffodi, ipſique arci laborum metæ inijci manus. Hiſpani igitur eam parmulam nullo impendio ſanguinis, nulloque marte adepti, quam multorū cæde, ac diuturnis laboribus ſtaturam putabant; ad deijciendos ea etiam via Gallos ſumma animorum, & corporum contentione incumbunt. Galli quoque neque tot pulſi munimentis animis fracti ſe ad repellendos Hiſpanorum impetus inſtruunt, eò animoſiores, quò propiùs arcem, vnde à præſidiarijs etiam inuadentes inceſſi miſſilibus poterant, cum hoſte dimicandum erat. Fremebant ira Germani, quòd Galli toties victi, decuſſique munimentis in noua ſemper latibula elapſi iterum fundendi, vincendique eſſent; atq; ægerrimè patiebantur victoriam tot hoſtibus detrudendis receptibus tam diu differri. Quamobrem quò ardentiori rabie accenſi, eò ſæuiori in hoſtes ira conciti ferebantur: neque hortatore opus, vt vineas ad tectā viam, in quam ſe Galli receperant, vel per ſalebras, montiſque lapidoſos anfractus certatim producerent. Nec ſegniùs Hiſpani, ac Itali eiuſdem propoſiti, deſtinatiq; laborem aggreſſi vineas promouent; quibus ad tectam viam vſq; perductis, hinc Hiſpani cum Italis, illinc Germani aditu patefacto, in Gallorum illum vna receptum irrumpunt. Galli iam diu ex ipſa vinearum molitione coniecerant; eò hoſtium tendere niſus, vt ab eo quoq; ſe munimento deijcerent: acuerantq; iras, & arma, vt locum Hiſpanis, quam plurimo venderent, neq; inulti excederent via. Primum eminus inuadentes ſclopis excuſſa militum grandine diſtinent hoſtem crebris incendiorum iaculationibus, & ignearum bolidum, vomentiumq; flammas fictilium ollarum iactibus dimicatum à Gallis eſt. Intermicantia nocturnis tenebris fulgura tormentorum, igniumq; nitores nocti inducto die, ſolis ſupplebant latè fuſis ſplendoribus vicem: ardere mare flammarum fulgoribus videbatur; collucentium fulgurum ſpeciem multiplicem referentibus aquis. Vbi verò collato pede ad rem gladijs gerendam ventum eſt; commiſſique vtrinque milites inter ſe comminus collatis ſignis præliabātur;

Cohortium ducum animoſitas.

Alius Gallorum receptus ſuperandus.

Germanorū ira.

Gallorum intrepida virtus.

Pugna horribilis facies.

tum

Digitized by Google

tum enim verò Galli maiora mortalium viribus audere, cędere audaciùs prouectos: incuſſis in aggredientium pectora haſtilibus, configere temerè aſſilientes, Hiſpanorum, cęterarum gentium denſatis ordinibus impetum ſuſtinere; non cedere, non loco moueri, fortioraque, quàm pro militum paucitate, conari, deſperatione vires, atque animos augente. Acrior tamen ſuperior numero Gallum vrgebat Hiſpanus; tantaq; ab vtriſq; viriũ, animorumq; contentione pugnabatur; vt ſiue inuehentium ſe ſe, ſiue obſiſtentium impetum, niſuſque vidiſſes, propè iuſti ſpeciem certaminis eam pugnam referre putaſſes. Par vtrinque militum numerus cædebatur; ſed in paucis Gallis vnius cædes multorum Hiſpanorum interitum in numeroſo exercitu prægrauabat. Eodem veſtigio tamen certi mori potiùs Galli, quàm hoſti cedere diutiùs, & fortiùs, quàm pro numero dimicabant. Sed vndique à circumfuſis hoſtibus petitos, debilitatoſq; vulneribus vires cum ipſo ſanguine defecerunt. Tum in nutantem, circumſpectantemque fugam Gallum integer hoſtis illato gradu, vix ictus ex gladiatoriæ diſciplinæ peritia eludentem obtruncat, & veluti feras incluſas indagine tota via ſtricto enſe agit infeſtus, donec paucis languidè admodum reſiſtentibus cęſis, Gallos omnibus exterioribus munimentis exegit. Admoto igitur ad arcis foſſæ labrum exercitu; extemplò quæſitis ex circumiectis collibus ſtirpibus, & ruderibus, atque arborum ramis duces æquare foſſam milites iubent. Conuecto ad foſſæ marginem ingenti militum promptitudine, magno ſartorum modo: apparebat triduo, aut quatriduo ingeſta in foſſam materia pontibus poſſe conſterni: quibus milites, & foſſores actis ſub imis murorum fundamentis cuniculis, ſuffoſſiſque mœnibus arcem propugnaculis, munimentiſq; nudarent. Galli animaduerſo hoſtium conſilio, quò illa materiæ collectæ tenderet moles, animis conſternati præteritis laboribus fracti, femineceſ, de ſua ſalute magis, quàm de propugnanda arce ſoliciti, militaris immemores ſacramenti, quo Regi, & Ducibus fidem ſuam obſtrinxerant, bellicæ laudis exiſtimatione contempta, aera ſeditioſis queſtubus implent. *Iam duos, & eò ampliùs obſidionis menſes continentibus laboribus exhauſtas prorſus ſuas uires, uulneribus conciſa membra, deformiaque ora, nihil uiliùs, quam uitam militum ſtare, per uulnera, & cædes quærenda miſeris alimenta, eorum querelas ludibrio haberi; pugnis, uigilijs, laboribus plurimos conſumptos; ſuperſtites omnibus mil itiæ incommodis enectos uix bellica munia obire: fermè omnes in armis noctes exactas ſub dio, iam ſtrati quietis oblitos, maiorem partem ſub graui cælo uarijs morbis abreptos, ex mille quingentis arcis præſidiarijs uix ſeptingentos ad arma tractanda ualidos ſupereſſe; eoſque omnibus anguſtijs, ac difficultatibus preſſos miſeram ſpiritum trahere, undique necis inſtare terrores: hoſtilium tormentorum pulſibus paulatim mœnia dirui; iam tremere mœnia cuniculos effodientium incuſſibus; nuſquam tuto poſſe ueſtigia poni; quin pro mœnibus ſtantes cuniculorum metus exanimet: querimoniæ, irateque uoces militum audiebantur uigiliarum, ſtationumque uices agere renuentium, morbos, ac uulnera cauſantium: fremere*

Galli ab Hiſpanis vrgentur.

Gallorum querela.

uniuer-

*uniuerſos, nullum ſuis laboribus, periculiſque finem; iam ſatis diu inani auxi-
liorumm ſpe ſibi eſſe illuſum. Præfectum militum patientia, moderationeq;
abuti: iam re Gallica prorſus acciſa, quid ampliùs ſperandum eſſe, niſi ut con-
tumaciùs obſtinatiùsq; uictoribus repugnando, omnes hoſtilis hauriat enſis, &
ne quis ex tot fidis, & ſtrenuis bellatoribus cladis nuntius in Galliam redeat?*

Huiuſmodi querelas præſidiarij non muſſabant, vt milites ſolent impe-
rij adhuc veriti maieſtatem; ſed diſertis vocibus conuicio proximis inſo-
lentiùs iactabant: propèque ſeditionem ventum eſt, milite tam diuturnæ,
laborioſæ, periculoſæque militiæ ſtipendia, quæ nulla adhuc Quæſtores
admenſi fuerant, audaciſſimè depoſcente: tantumq; non conſternatus ad
arma in præfectum violentus incurrit. Reginæ præſertim cohors turbu-
lenta ſeditionis fax malè præ cæteris audiuit; quòd prima tumultum exci-
uerit, vel infimas ducum preces, imperijque authoritatem aſpernata. Tot
malis Nouiliachi victa conſtantia, illi penè vim milite inferente, annuit; vt

Præfecti cõ-ſtantia militum vincitur contumacia.

ita de arce dedenda ſentirent, vt tamen ſe eam propugnaturos non omni-
nò proſtratis rebus diffiſi deſperarent. Ex illo Galli oppugnantes comi-
ter compellare; viciniores è mœnibus mitibus alloquijs delinire, ſalutare
fidentiùs, in caſtra quoque veluti publica interpoſita fide, venire; nec iam
deditionis mentionem tantopere auerſari; quam ad illam vſq; diem præ-
fractè, abſciſsèq; perhorruerant. Nec gregarijs ſolum, cum gregarijs mi-
litibus ea comis, & facilis conſuetudo, ac familiaritas fuit; Gallicæ quoq;
legionis ſtator maior, accepta fide Ioannem Auſtriacum adit in ſpeciem
de deditionis conditionibus loquuturus, re vera autem, vt caſtrorum poſi-
tus, munimenta, copiarum numerum, vires quàm intentiſſimè exploraret;
vt cognita referente Nouiliacus in re tanti momenti contra bellicæ exiſti-
mationis decus, militaremq; diſciplinam, & prudentiam peccare non poſ-
ſet. Hunc quàm ſcitiſſimo, vt in caſtris, epulo excepit Vincentius Tuta-
uilla Proregis nutu. Inter epulandum modicum de deditione actum. Ab-
ſceſſit in arcem omnibus obſequijs, atq; honoribus cultus. Diſertè expli-
cante duci, quæ notaſſet in caſtris, propugnandæ ampliùs arcis omni ſpe
lapſus pendebat animo, quid ſibi in tam arduo, difficiliq; negotio decer-
nendum eſſet. Generoſum ducem moleſtiſſima cura angebat, ne ſibi igna-

Præfecti ſolicitudo.

uiæ, culpæq; daretur arcis præpropera amiſſio: vel ſi ad tradendam arcem
longiores necteret moras, oppreſſus ab hoſte iam ipſis graui mœnibus im-
minente, tot fortes, fidoſq; perderet bellatores. Biduò incertus animi flu-
ctuauit inter ancipites cogitationes: vtrum eligeret, iuxta pernicioſo: cum
tamen omnibus ſupremis editis conatibus arcem diutiùs contra hoſtium
potentiam tueri non poſſet; quin in eorum poteſtatem Martis impetu con-
cedere cogeretur; nec venturi è Gallia ſubſidij ſpes vlla fulgeret; in id quo-
que compellentibus præſidiarijs, quarto Kal. ſextiles miſſis in caſtra le-

Galli de deditione conueniunt.

gatis, de deditione tranſegit: ſed illud in primis inſtabat Gallus, antequàm
de arce tradenda conueniret; vt nuntios in Galliam de ſuarum rerum ſtatu
mittere liceret vnius menſis petitis inducijs: quo temporis interuallo, niſi

valida

valida ad decutiendum obſidione hoſtem mitterentur auxilia, exeunte mẽſe, arx nulla mora dederetur: atq; id ex data fide traditis obſidibus, præſtiturum. Quoad nuntios abſciſsè, abruptèq; negatum: cum menſis ſpatiũ nimis diuturnum videretur. De deditione tamen his legibus conuenit.

Deditionis conditiones. Vſque ad decimum ſeptem Kal. Septembris pactæ eſſent induciæ: niſi intra id tempus valida è Gallia auxilia mitterentur; atq; ea potens afforet claſſis, quæ expoſitis in litore copijs, Hiſpanos ab ea obſidione depelleret. Nouiliacus cum cæteris Gallis arce faceſſeret; rectaq; ad mare tenderet, conſcenſiſq; paratis nauigijs in Galliam panderet vela. Ad bellicæ virtutis honorem ſtrepentibus tympanis, explicatiſq; vexillis cum duobus tormentis militari more diſcederent. Hiſpani iumenta, plauſtraque præberent, quibus ſaucij, infirmi, impedimentaq; veherentur: pabulum commeatus, & alimenta ſufficerent: non dicterijs, non cauillis, minuſq; conuitijs quemquam Gallorum vellicarent. Captiui Populonia Neapolim abducti ſine pretio dimitterentur. Nemini hæc conditionum capita ad fallacem ſenſum torquere, aut doloſè interpretari liceret. His legibus conuenta deditio; quibus ad maius fidei ſeruandæ robur Ioannes Auſtriacus, & Prorex ex Hiſpanis, ex Gallis Nouiliacus tantum ſua nomina ſubſcripſerunt. *Induciarũ tempore vtraque pars excubat in armis.* Induciarum tempore acriori, intentioriq; cura excubuere vtriuſque partis duces, & milites; ne ſi hoſtis rumperet fidem, incauti, imparatiq; inſidijs interciperentur; ſed omnia ad repentinos caſus inexpedito eſſent: in armis milites pernoctare, frequentiores ad ſigna coire, accuratiores agi cuſtodiæ omnes hoſtium motus aduerti, explorariq; mutuò arcana conſilia. Galli ſubiecta maria è mœnibus intentiſſimo intuitu ſpeculantes, quà longiſſimus patet, vt ex alto conſpectus: quoſcunque tumidos, inflatoſq; ventis carbaſorum ſinus, quæcunque nauigia in orientem curſum intendentia vidiſſent: læti protinus exclamare ſubſidium adeſſe, præcurſores naues veniẽtem claſſem anteuertere: ſed ciuilibus bellis tota ardente Gallia vanæ ſpei erat, ab ea expectare auxilia, quæ ad inteſtina bella, ſeu alenda, ſeu profliganda ſibi erant opus; nec ad Italiæ curas reſpicere potis erat. Inter has ſpes, & metus deſtinatus tradendæ arci dies affulſit. Hiſpani conuentorum fidem tacito murmure repoſcebant; cum extemplo patefactis arcis portis, Nouiliacus præſidij præfectus militari cultu, & corporis proceritate, oriſq; dignitate conſpicuus ſuam liberans fidem prodijt mirantibus vniuerſis eximiæ fortitudinis virum, reiq; bellicæ peritiſſimum bellatorem: iniquæ egregij ducis ſortis, vel ipſos hoſtes miſerebat: quem & ſuorum refractaria militum contumacia, ſeditioſæq; voces, & minæ, & ſui Regis rerum Italicarum incuria omnibus ſubſidijs deſtitutum arcem ſuę fidei creditam dedere compuliſſent. Euntem ſequebantur Gallicæ cohortes cum ſuis ſarcinis, & armis ad ſeptingentos tractandis armis validos, trecenti fermè, vel ſaucij, aut varijs tabidi morbis ad deditorum honeſtamentum ſtrepentibus tympanis, explicatiſq; vexillis, & funibus accenſis. Ab vtroque latere longo ordine prætentæ Hiſpanicæ, cæteræq; legiones officij, obſequijq; cauſa medios

Nouiliacus prodit ex arce.

Galli ab arce diſcedũt

dios Gallos incedentes vallabant. Ioannes Auſtriacus phalerato ſublimis in equo paludatus ſplendido ſeptus ducum comitatu venientem expectabat; quem humaniſſimis verbis acceptum ipſius egregia commendata virtute, dimiſit; qui Auſtriaci dexteram venerabundus oſculatus recta ad mare deſcendit, & triremibus cum ſuis præſidiarijs exceptus Telomartiũ verſus intento curſu nauigauit in Galliam: Arcem ingreſſus Auſtriacus humanas vices tacito expendens animo ante aras flexo genu procubuit bellorum Numini gratias acturus: quòd ſuis armis, votiſq; propitium ſibi victoria de valido hoſte, munitiſſimaq; arce, quæ diu inuadentium vires eliſura, fruſtraturaque videbatur; ſua ſpe maturiorem clementiſſimè conceſſiſſet. Mox arcis ſpeculatus propugnacula, ſitum, molitioneſq; Gallorum, armamentarium, commeatuumq; copiam, telorum multitudinem intuitus obſtupuit tantum rerum omnium modum poſt tertium obſidionis menſem adhuc etiam affluere: ad plures menſes obſidionem extrahi potuiſſe, ſi Gallis laboris, diuturniq; impatientibus mali tantum tolerantiæ, animique fuiſſet. quantum virium, ac roboris erat. Sic Gallicum bellum, quod opportuna mediterranei maris inſula occupata, tantum terroris toti oræ maritimæ, finitimiſque principibus, & præcipuè Hiſpanorum prouincijs iniecerat; paucis menſibus eorum virtute, fortunaque profligatum, confectumq; eſt.

Ioãnis Auſtriaci pietas.

TRI-

TRIDINI, CRESCENTINI, & Caſalis Diui Euaſij per Hiſpanos Expugnationes

NARRATIO VIGESIMA OCTAVA.

Bella ciuilia, quibus ab imo tota Gallia concutitur, rebelliumque principum ſuæ impatientium fortunæ, ad regiam aſpirantium inquieta ingenia ſicuti patriam tumultibus miſcent; ita præferuidæ gentis bellicos profectus impediunt, & conatus infringunt. Quid Gallia concors, atq; vnanimis ſuis connixa viribus, collectoque vna robore armata non poſſet? Vidimus paucis ante annis Hiſpaniam, Belgium, Germaniam ægerrimè Gallorum impetus ſuſtinere, immo validis eorum impulſibus victa ſuccumbere. Niſi inteſtina bella eius viſcera lacerarent: omnibus ſuperfuſa prouincijs eius bellatorum agmina vniuerſum, ſicuti quondam, terrarum orbem obruerent. Verum commodè admodum cadit Hiſpanis, vt pugnacibus in ſui ipſius lancinamentum dextris conuerſis, ciuilibus diſtenta bellis Italiæ, Belgio, Hiſpaniæque parcat, atque à cæteris prouincijs vrgendis abſtineat. Iam diu Galli impotentibus votis aliquem dominatum in Italia ſuſpirant. A Carolo primo Mantuæ Duce, prementibus Hiſpanis anguſtijs circumuento in Caſalis præſidium acciti eius vrbis, Montisq; Ferrati imperium, quod nomine, tituloq; tenus penes illum erat, re ipſa Gallos, vſurpauerant; poſitiſque in Italia ſedibus, ex munitiſſimo propugnaculo graues Inſubribus imminebant; quos identidem ferocibus incurſibus habebant infeſtos. Ad eam moleſtiam, metumque auertendum Hiſpani ter admoto Caſali exercitu, Gallos ab eo receptaculo decutere conati ſunt fruſtra; accerſitoque è Belgio Demarcho Spinula munitarum vrbium domitore, ſupremos edidere conatus, vt eos ab illa munita arce, atque adeò ab ipſis Inſubrum ceruicibus depellerent: ſed irrito ſemper niſu, cum vel Galli Regis minæ Italiæ bellum intentantis, vel præſidij fidem fallentis aſtus, vel aduerſi fortuna prælij, Incolarumq; Hiſpanicum Imperium indomita ferocia reſpuētium eorū molimina fruſtrarint, deſperabaturque tot infœlicibus tentamentis omninò eius vrbis ſecundæ expugnationis euentus; & iam aliquot annos ab ea vrbe inceſſenda abſtiterant; ne ad munitiſſimum propugnaculum inuicta virtute defenſum cum ſuarum pernicie copiarum vires abſumerent. Cum ex inexpectato tota in partes, contrariaque ſtudia à Rege Condeo Principe rebellante, ſciſſa Gal-

lia, mu-

lia, mutuiſq; ſe cladibus conficiente, Gallos ab ea vrbe, totoq; Monteſerrato pellendi opportunitas Hiſpanis affulſit; præcipuè debili admodum præſidio in ea curante, cum nec militum ſupplementa poſſent in Italiam ab afflicta bellis prouincia tranſmitti; Rege ad ſuum præſidium, quàm maximum militum numerum aduerſus Principes rebelles, perduelleſq; vrbes retinere coacto. Arrepta igitur cupidè ſui aſſequendi voti occaſione Hiſpani arma clanculum expediunt in Montemferratum primo quoque tempore irrupturi: ſed veritus Demarchus Caracena Mediolani produx, ne eo repentino Hiſpanorum in infeſtam vrbem armorum incuſſu Mantuanum non modò Ducem, ſed etiam cæteros Italos Principes aſperaret; qui maiorem in Italia eorum potentiam fieri nollent: ne eo firmiſſimo propugnaculo potiti, exactis vltra Alpes Gallis, iniecto ſibi duri ſeruitij fręno, ſoli pro arbitrio darent cæteris leges: eius Ducem in partes trahendum putat; cuius authoritatis obtentu, & moti belli cauſam honeſtaret, & à Principum animis Hiſpanicę in Italia augendæ magis potentiæ ſuſpitionem auerteret; ſi non Hiſpanis occupãdæ, ſed ſuo Domino reddendæ vrbis, expulſo Gallorũ imperio, gratia arma moueret. Demarchum Vercellinum Vicecomitem ad Mantuanum Ducem legat; qui eius animum varijs artibus verſatum huius demum orationis impulſu ferè in ſuam ſententiam, deſideriaq; traxit.

Non auderem te ex abrupto, apertiſq; ſuaſionibus aggredi, Sereniſſime Dux, vt damnato Gallorum patrocinio, eiuratoq; eorum rege, in Hiſpani Regis fidem, parteſq; concederes; niſi te infida, noxia, damnoſaq; eorum auxilia iam expertum, huiuſmodi amicorum tua vſurpantium ſocietatem, et fędera iã pertęſum putarem. Tuum Auum ſerpentem, quod aiunt, in ſuum traxiſſe ſinum cognoſcis; cũ ad ſui ſubſidiũ Gallica acciuit auxilia, quibus tuis dominatibus exutus peiora ab amicis, quàm ab hoſtibus feras. Quàm fęlix illa dies Gallis illuxit, cum Auus tuus illis Caſalis cuſtodiam cõmiſit; cum id votis omnibus expetitum citra cruorẽ, & vulnera aſſequuti ſint; quod toties irrito conatu bello obtinere contenderant; ſtabiles ſcilicet in aliqua Italiæ vrbe figere ſedes, ex qua veluti ex Martis officina, belliq; armamentario aſſiduis in finitimos incurſibus, obuia quæq; prædarentur; vel interceptis repentinis impreſſionibus oppidis, Gallici in Italia imperij fundamenta locarent. Fateor illum quidem ſe Hiſpanicis, ac Germanicis vrgentibus armis, coactum fuiſſe ad ſuum ſubſidium Gallos accerſſere: excuſo factum, neceſſitas ſoluta legibus periculoſiſſimis etiam experimentis ſe ſtrenuè aſſerit. Ruerunt illi ſanè turmatim in Italiam ſubſidij ferendi ſpecie. At vbi conſtitere Caſali, inſidereq; arci, quaſi ſui damnati voti, ſatiſq; foret Gallico nomini partum; non vltra Caſale arma ad ſoluendam obſidione Mantuam protulerunt; ſed quod magis tibi Gallos facere deberet inuiſos; cur conſtituta pace, conciliatoq; Cæſare, teq; in eius gratiam recepto, & tibi Mantua reſtituta, ipſi quoque non exceſſere Caſali? cum nihil amplius, pacatis omnibus, eorum ſubſidia eſſent opus? Cur adhuc te inuito inſident vrbi, Montiferratoq; incubant? cur vectigalia, prouentus, ac redditus interuertunt? cur in eo vberrimo terrarum tractu pro arbitrio imperant? Cedo mihi quantum vectigalium ex tot caſtellis, villis, pagis, &

Vercellini Vicecomitis ad Mãtuanum Ducẽ oratio.

KKK *vrbibus*

vrbibus annuum capis? ecquota prouentuũ pars tibi cedit? aliquod forſan aphra-
ctum vino onuſtum ad tuum ludiorium prono Erydano deuehi Mantuam ſinũt;
ingens ſcilicet opulentiſſimi dominatus prouentus. Tenent illi vniuerſa, ſtatiuis,
hybernis, hoſpitijs, exhauriunt omnia; illi iura tuis vectigalibus, legeſque dant:
tuoſq; fidiſſimos ciues exigunt vrbe, in exilium eijciunt, ſi quos tibi addictos tuũ
imperium in Montemferratum reducere moliri, agitareq; ſubolent. Quid? quod
etiam nobiliſſimos proceres quaſi perduellionis reos capite plectunt; ſi vt tibi ve-
ro ſuo Principi vrbem reddant, ſibi nectere inſidias compererint? Madet adhuc
Caſtelli area, feraliaq; pegmata innocuo comitis Octauiani cruore, qui pœnas ſer-
uatæ erga Gonzagos Principes fidei abſciſſis ceruicibus dedit. Clariſſimi ciuis ini
quiſſimum ſupplicium horribili, tetroq; ſpectaculo exhorruit ciuitas vniuerſa.
Ergo pro ſuo naturali Principe facere, illi ſtudere, obſequi, obſtrictam ſacramen-
to fidem colere capitale erit? quod neq; etiam apud immaniſſimam barbariem cri
mini dabitur? Quid illis in Caſale, eiuſq; ditionem iuris eſt? quæ poteſtas in tuos
auitos dominatus, vt tuorum vectigalium necis, vitæq; arbitriũ ſibi vindicent;
eoſq; patria, ac fortunis exutos pro voluntate proſcribant: ijſq; aqua, & igni in-
terdicant? Si in ea vrbe tantum præſidij cauſa ſubſidere profitentur, ne ab Hiſpa
nis occupetur; cur non duntaxat bellica curant? cur non in arce, Caſtelloq; incluſi
tantũ arma tractant? cur ciuilibus negotijs ſe ingerunt? cur ciues capite damnãt?
Iudices tui leuioris momenti ſolum cauſas cognoſcunt; de grauioribus ipſi pro-
nuntiant. Si hoc eſt Principem in ſuam fidem, clientelamq; ſuſcipere; illi patroci-
nari, fauere, tueri, tibi iudicandum relinquo. An ſi hoſtes tui amicos imitati tuos
parta belli iure hactenus retinuiſſent; quid tibi nunc fieret? aut futurum fuiſ-
ſet? Poterant illi expugnatam Mantuam; poterat Cæſar ſupremus dominus be-
neficiariam vrbem armis quæſitam, poſtliminio receptam ſibi habere: tum maxi-
mè cũ Itali Principes Imperialibus, atq; Hiſpanicis copijs haudquaquã viribus
pares, immo timidi ad aliena pericula victricia magis arma venerari, quàm op-
pugnare ſtuderent: nec Galliæ ciuilibus concuſſæ bellis otium, vireſq; forent, exte-
ra curare, neq; ſe tranſmiſſis in Italiam bellatorum agminibus eneruare: & ta-
men ille te in ſuam fidem compuliſſe contentus ſuas copias tuo dominatu, totaq;
Italia faceſſere iuſſit. Hoſtes tui domita Mantua exceſſere, tuaſq; ditiones abdu-
ctis in Germaniam armis, tibi liberas reliquerunt; amici verò, ſocijq; tui obſti-
natiùs Caſali, Montiferratoq; inſident; & adeò non vſurpata, atq; iniquè retẽta
reſtituere meditantur; vt etiam firmiori incubitu, habere perſeuerent. Quod om-
nia tuis vectigalibus bellorum incommoda, calamitateſq; parit; nam dum Galli
finitimos Inſubres continuis incurſibus irritant: Hiſpani præferocis gentis vici-
niam exoſi illã de eo nido decutere ſumma ope contendunt; & dum Galli vſur-
pata retinere, Hiſpani verò inde eos depellere nitũtur; fit, vt Monsferratus per-
petua belli ſedes, præliorumq; area ab amicis iuxta, atq; ab hoſtibus frequẽtibus
populationibus deuaſtetur. Qui ſi, vt fas omne, atq; æquitas poſtulabat, in ſuam
Galliam ſancita pace, ſicut fecere Cæſarei, abijſſent: tibi integra, liberaq; ditio ma
neret; pacatiſq; ac tranquillis dominatibus fruereris. Galli tuas terras quocunq;
hoſte crudelius, rapaciuſq; diripiunt, expilant, prædantur; nec vllam tuorum ve-
ctiga-

Digitized by Google

ctigalium calamitatibus finem inuenies;niſi inde Gallos quacunque ratione deturbes;& quod tibi affero ſalubre conſilium,ſtrenuè amplectaris. Nihil poterat tuis, Hiſpanorumq; rebus opportunius,aut commodius accidere;quàm vt à Rege Gallo Condeo Principe rebellante, gens turbida in duas ſciſſa partes ſe ipſam proprijs armis dilaniaret, atq;in mutua vulnera ruens ab alijs inceſſendis abſiſtere cogeretur. Tua vota citra omnem ſpem Superi fortunarunt; ſi tibi oblatam vltrò ab illis tuæ recipiendæ ditionis occaſionem arripies. Bello ciuili implicitis Italico ſtudere non vacat. Aude ſtrenuè, valenter, animosè, tuoſque à tyrannorum manibus vindica. Si hanc Montisferrati recuperandi opportunitatem præterlabi timidè ſines. Fortuna irata, quod ſua dona reſpueris, nunquam poſt hac te ſuis fauoribus,atq; ope dignabitur. Memineris illam crinitam frontem mortalibus oſtentare: quò ſe celeriter apprehenſa coma, retineant; cuius ſi ſocordes inijcere capillis manus pernicioſo conſilio neglexerint; inde vero ocyorem occipite caluo irridente torporem,auerſis humeris auolare. At enim tibi non ſunt huiuſmodi vires, quibus oppugnare caſtellum, arcem inuadere, obſidere vrbem,debellare præſidium,atq;ad deditionem compellere poſſis.Vera dicis,& hoc ego cognoſco:ſed quod tuis tantum viribus,acquiri non poteſt, aliorum adhibitis auxilijs,iuuanteq;opera obtinetur.Offero ego Hiſpani Regis, Mediolaniq; Producis nomine Inſubrum ſtudia,Hiſpanorum auxilia,equitum turmas, ac peditum agmina quanta ad conficiendum bellum ſatis ſint;vt Gallis exactis,ſolus in tua ditione domineris.Neq;aliquid inſidiarum ab Rege Catholico,eiuſq;miniſtris extimeas: nihil aliud bello contendent, quàm vicinā peſtem,moleſtiamq;à ſuis Inſubribus amoliri.Ipſi commeatus,impenſas,tormentorum farta,copias,et quidquid expeditionis obeundæ, perficiendæq;opus erit,de ſuo ſufficient:ſatiſq; ſibi conſultū,partumq;cenſebūt: ſi Gallos procul ab Inſubribus in Taurinos expellent;tibi tua cedent.Obligatæ fidei, promiſſiq;ſeruandi vas erit ipſius Cæſaris Maieſtas;ipſa fide iubebit.Hiſpanorum ſenſus armorum,ſcopus,& meta eſt,Gallos ex eo propugnaculo deturbare;nō alienos occupare dominatus;ſatis Regi terrarum,regnorum,prouinciarumq;eſt; quàm vt alienas ditiones vſurpet. Tenet ille Italiæ potiora,poſſidet orbis ditiſſima regna,nō eget oppiduli,nec exiguæ breuibus ditionis anguſtijs. Hac tamen lege ad afferendum tibi Mōtemferratū bellū Hiſpani ſuſcipient;ſi cum illis tua qualiacūq;ſint,arma ſociabis;vt ex hac viriū coniunctione Principes Itali cognoſcāt,Hiſpanos tua cauſa tantū, reddēdiq.tibi tua,non alieni occupādi gratia bellare: præter id quod,ad vndātia ſui Principis ſigna incolæ bellicoſi auerſis in ſuū Ducē à Gallo ſtudijs,turmatim ad tua vexilla cōfluētes noſtrorū armorū impetus promouebunt.Iā diu tuū liberū imperium ſuſpirant.Eandem inconcuſſam,conſtantēq.fidem,quā vel tot bellorū calamitatibus attriti,hactenus coluerunt; nunc maximè ſi quando alias, in ſui Principis obſequium,opemq;ſeruabunt. Ne diutiūs in ancipiti hæreas, an tibi ſit tam ſalubre conſilium amplectendum; nulla eſt iuſtis, honeſtiſque auſis inijcienda mora; nec ſui firmiùs muniendi ſpatium hoſtibus dandum. Iam Hiſpani ſtricta tenent manibus arma,in bellum dum vocat occaſio, prodituri, exacturique Caſale Gallos;iamque toto Monteferrato eorum victricia volitant ſigna,Tridiniq;

ac Creſcentino potiti, Caſali minantur, quod ſi ſine te expugnabunt; ſuis impenſis cruoreq; partum, vide an æquum ſit belli iure comparatum tibi nec ſocio, nec amico reſtitui. Explica igitur, ſodes, tuam mentem, nec tantæ Superum beneficio oblatæ tuæ ditionis aſſerendæ opportunitati deſis.

Mantuæ Dux inter ancipites cogitationes æſtuat.

Vicecomite perorãte inter ancipites curas Ducis animus varijs cogitationum æſtibus fluctuabat; dubius in quã potiſſimũ partẽ inclinaret. Hinc pudor, metus, Galli regis veneratio, eius in ſe, Parẽtis, maioreſq; merita, mota à Gallis in Hiſpanos ſua cauſa arma in Gallorũ obſequia, ac ſtudia cogebant: illinc recuperãdi ſui cupiditas, preſens opportunitas, ſuorũ vectigaliũ amor, leuandæq; tot malis auitę ditionis deſideriũ Hiſpanorum ſocietatem inire, cõditioneſq; recipere cõpellebãt. Retulit itaq; ad procerũ, primatũq; conſiliũ, quid in huiuſmodi rerũ articulo cõſilij capiendũ pronuntiarẽt. Sed dũ Mantuæ conſulitur, Caracena non cunctandũ in tã præclara rei benegerendæ occaſione ratus educto è ſtatiuis exercitu, Tridino ſuccedit.

Trino.

Garciæ Hiſpani ſolers conſilium.

Fernandus enim Garcia caſtrorum præfectus, Vercellarumq; Gubernator omnib. lędendi hoſtis intentiſſima cura occaſionib. imminens explorato Comitẽ Catalanũ Tridini præfectũ cũ præcipuis præſidij Ducibus Auguſtã Taurinorũ ad ſacræ ſyndonis, cui inuolutũ humani generis Aſſertoris corpus ſuũ ſimulacrũ impreſſit, feſta cõtendiſſe, de eius oppidi ſtatu Caracenã admonuit: qui in obſequia ſui Regis excubãs ratus ad intercipiendũ Caſale eã arcem maximi momẽti futurã; ea enim occupata laxiori obſidione ea ciuitas cingebatur; cum & verni temporis opportunitas, & ſupina hoſtiũ fiducia inuitaret ad bellum; Tridinũ omninò aggredi ſtatuit: & quò ſua conſilia, deſtinataq; hoſtibus tegeret;

Caracenæ ſimulatio.

vt enim omnia humana negotia fęliciùs ſilentio geruntur, ita præcipuè bellica ſecuriùs, fortunaciùſq; perficiuntur, ſi illa taciturnitas regit: luſtrationis præſidiorum, turmarumq; ſpecie iuſſit omnia militum agmina propè Vercellas, Mortariã, Valentiamq; proficiſci, vt ea in conſpectum daret; quintoq; nonas Maias ex inopinato Demarcho Serræ præcepit; vt Tridinum verſus ſecum ab ijs locis abductis peditum cohortibus, & equitum turmis, feſtino, ſilentiq; agmine properaret. Ille nocte intempeſta rapido gradu iter emenſus antequàm illuceſceret Aurora, circa eminentiora oppido loca circumfudit exercitum.

Tridino ſuccedit.

Ipſe Caracena poſtera die ſummo mane Mediolano profectus cum reliquo copiarum robore Seſithe amne tranſmiſſo, in Tridini conſpectum venit; eo commodum temporis articulo, quo præſidium decem iactuum tormentorum feſto boatu veniẽtem ſalutare viſum eſt. Verum poſtea Hiſpanis innotuit, emiſſa tormenta in cõceptæ lætitiæ inſigne fuiſſe; quòd comes Catalanus præfectus Taurinorum Auguſta regreſſus oppidum inierit; qui ad primum nuntium Hiſpanos ad Tridinum conſediſſe, moliriq; obſidionem, a Matre Allobrogum duce iuſſus quàm celerrimè poſſet, ad ſuum præſidium redire; citatis equis, non intermiſſoq; curſu feſtinarat. Primas cuſtodias vigiles Montisferrati popularem equitem mentitus, cauſatuſq; ſe Demarchum Serram congreſſurum fefellit, impunèq; peruaſit in oppidum Gumini Parocho ductore.

Cara-

Caracena exploratis accurato intuitu copiarum ſtationibus, illicò circum aggeribus vallari vrbem, atque educi caſtrorum munimenta, promouerique vineas, ac pluteos iuſſit. Hiſpanis, atque Italis negotium datum, vt æmulatione virtutis opus celerius maturarent: Germanis verò imperatum, ne quid ſubſidij Caſale oppido inferretur; hoſtem acceſſu prohiberent. Feruebat munimenta excitandi labor, milites quoque præter ingentem foſſorum numerum, quem comes Bartholomæus Areſius ſupremus Inſubrum Conquiſitor Hiſpani Regis ſtudioſiſſimus ad caſtra tranſmiſerat; manus operi admouebant tanto ardore, vt paucis diebus caſtra in inſtam defenſionem, altitudinemque educta ſurrexerint: nihil opus imbribus prohibentibus, qui toto eius obſidionis tempore adeò effuſi cælo ruebant; vt militum ſtationes, cuſtodias, ipſaq; munimenta obruerent; effoſſiſq; emiſſarijs, & canalibus extra caſtra in campos aqua fuerit egerenda; quò in ſubter fluente cęno faſcibus conſtrato miles ſaltem poſſet ſicco veſtigio conſiſtere, quod incommodum nonniſi veterana virtus poterat ſuſtinere. Vbi tormenta in mœnium propugnacula iteratis fulminum ictibus tonnerunt; tum enim verò præſidiarij vltima formidare, niſi ſubſidio ſocia agmina feſtinarent. Non abiecere tamen penitus animos, ſed frequentes ſe pro mœnibus oſtentare, Hiſpanorum caſtra tormentis inceſſere; parciùs verò in ſubeuntes erumpere, ne exiguum militum numerũ frequentia certamina minuerent. Semel tantum patefactis repente portis præſidiariorum fortiſſimi, cum equitum globo ad declarãdam eo auſu animorum ferociam, in Hiſpanorum ſtationem eruperunt, Caracena ante eorum munimenta foſſorum opus ſolicitante; qui conſpecto ſuorum popularium diſcrimine, arrepto haſtili ante primos ordines procurrens ſuo exẽplo ſuis animatis ad pugnam, præſidiarios celeriori, quàm venerant gradu minoriq; numero in oppidum redire coegit. Dum aggeres excitantur, promouenturque vineæ, Caracenæ nuntiatur, hoſtem coactis vndiq; properè equitum, peditumq; agminibus properare, vt ſubſidium ferat obſeſſis. Nec dum erant perfecta caſtrorum munimenta: plus duodecim ſtadia, quà ad Diuam Annam caſtra vergebant, erant aggeribus claudenda; quà poterat hoſtis irrumpens ad oppidum penetrare. Milites igitur, & foſſores non intermiſſo labore inſtante operi Caracena, vallum aggeſta tellure moliuntur; ſed iterante nuntio ſubſidiaria hoſtium agmina contento gradu feſtinare, certos, aut oppido ſuccurrere, aut fortiter mortem oppetere, ita vrgentibus Matris Ducis mandatis: protinus iuſſit diſperſas totis caſtris peditum cohortes, & equitum turmas in aciem coire; explicatiſque ante caſtrorum munimenta ordinibus, hoſtem venientem excipere: ad quem explorandum emiſſo equitum globo, ita peritè copias in pugnam inſtruxit; vt hoſtis, qui duabus ante lucem horis in Hiſpanorum conſpectu conſtiterat; cognito eorum animoſo præliandi conſilio, vbi aliquandiu à primoribus ducum diſceptatum eſt, an per obſidentium agmina ferro aditu patefacto, irrumpendum eſſet in oppidum; Demarchis Villa, & Verucæ ag-

Tridinum corona ſepit

Hiſpanorũ difficultates.

Taurini Tridinum ſubſidia cogunt.

Taurinorũ varia de afferendo ſubſidio ſententia.

grediendos eſſe Hiſpanos animosè contendentibus, refraganteque eorum periculoſæ ſententię multa negatione Montio Chiliarcho, non eſſe illud exiguum agmen ad certam cladem, & necem cum valido veteranorum exercitu componendum; trepidi, ſolutis ordinibus, abſceſſere: ſicuti aliqui ab Hiſpanis procurrentibus intercepti retulerunt. Vbi Comes Catalanus præſidij præfectus, omni ſubſidij ſpe prorſus abſciſſa, vineas tam propè actas vidit; vt duas exteriores parmulas ſtringerent, & iam ſubtus effodi cuniculos, atq; è caſtris exploſa tormenta totam miſſilibus abradere mœnium loricam; generoſi vini œnophorum, & recentiſſimam troctam Caracenæ dono miſit, vel quò eo munere declararet ſibi nihil ad vitam ſuſtentandam deeſſe, inferriq; à Pado in oppidum alimenta: vel anſam præberet ſui ad deditionem faciendam inuitandi. Quo animaduerſo Caracena pręfecto per ſequeſtrem ſuaſit; vt iam vndiq; ſibi vineis, cuniculis, tormentis, aggeribus prementi omni ſubſidio deſtitutus oppidum traderet. Verum præfectus ſpretis hoſtjs monitis, nullum eo die reſponſum reddidit. Quare poſtera die mane miſſo caduceatore tubicine, illi edixit, vt oppidum dederet; *iam ſatis fortiter illum; & ſtrenuè ſuum munus obijſſe, paucis præſidiarijs tot dies contra præualidum hoſtem undiq; urgentem oppido inuicta uirtute defenſo: nullam ſupereſſe amplius ullius ſubſidij ſpem; quod Allobroges aliquoties nequicquam inferre tentaſſent, ne militem quidem firmis cuſtodijs interſeptis omnibus uijs, intra mœnia peruadere potuiſſe. Id Cenantes dynaſtam expertum, qui agreſti corporis cultu quinq; ante dies agricolam mentitus in oppidum fruſtra penetrare contendit. Iam uineas ad foſſam uſque productas, cæptoſq; agi cuniculos; proinde illum etiam, atque etiam monere, niſi oppidum protinus dedat, expectetq; parmulas, mœniumque propugnacula expugnari; in omnes præſidiarios, atq; incolas ferro ſæuitum iri, nemini parſum; nam etſi oppidum dupplici foſſa, muroq; ualletur: non tamen amplius uno, aut duobus diebus moraturum impetum aggredientium. Huius illum periculi perhumaniter admonere, ne, ſi quid aduerſi, calamitatiſq; Tridino contingat, oppugnantibus ulli culpæ dari poſſit; qui omnia in obſeſſos humanitatis, militariſque lenitatis munera impleuiſſent.*

Præſidij præfecti aſtus.

25. Maggio

Caracena ad dedendum oppidum hortamenta.

Tam acri obnuntiatione perculſus præfectus, ne diuturniori mora Hiſpanos irritaret, è muris tubæ cantu facto deditionis inſigne, quendam ducem Petrum architectum emiſit ex vrbe; qui Caracenæ ſignificaret; *ſe quidem oppidum dediturum, quando eæ conditiones ferrentur, quæ fortes bellatores decerent, eaſque accipere non puderet*: cumq; nimis honorifica, & grandia petiſſet, præcipuè, vt pactis quatuor dierum inducijs, ſibi Taurinum mittere nuntium liceret: Caracena reſpondit, illico deditionem eſſe faciẽdam; alioquin cuniculis ignes iniectum iri; nec vllam apud victores poſtea illum clementiam inuenturum. Architectus Tridinum regreſſus iterum excuſſas diligenti æſtimatione deditionis leges ſcriptas in caſtra retulit; addiditq; Comitem oppidum ijs iuſti, æquiq; belli conditionibus oppidum traditurum; poſteraq; die cum præſidiarijs omnibus egreſſurum. Quare

Præſidij præfectus de oppido dedendo cogitat.

datis

datis ſibi inuicem obſidibus, de deditione mutuo conſenſu conuentum eſt. Præfectum tamen ſuæ pœnitens nimiæ facilitatis animaduerſo deditionis leges honeſtiores Hiſpanis præ oppidi munimentis, præſidijq; firmitate,eſſe;& quamuis accenſi cuniculi parmulas euertiſſent: mœnia quoque ſuperata foſſa, expugnanda ſupereſſe;eaſdemq; tum honorificentiùs conditiones obtineri à victoribus poſſe; decreuit legatum ſuum chiliarchum Aſinarium emittere ex vrbe,atq; edicere Caracenæ: *ſe conuentas à Petro deditionis leges omninò reſpuere; quas ille ſuo iniuſſu, nullaq; authoritate pepigiſſet*. Cui Caracena iratior, *ſe nullas alias, quàm de quibus iam tranſactum eſſet, conditiones daturum; ac proinde ſtatim oppidum dederet: quod ſi à Petro foret in caduceatoris officio peccatum, ab eo errati pœnas exigeret*. Quocirca rupta conuentorum fide, redditiſq;inuicem obſidibus, Caracena tendi tormenta, inferriq; cuniculis pyrij pulueris cados iuſſit, vrgeriq; vndiq; obſeſſos: qui eo ab hoſtibus allato terrore trepidi facto deditionis inſigni, de tradendo oppido iterum his legibus conuenere.

1 Die Iouis tertio Kalendas Iunij anni 1652. Comes Catalanus Tridini Præfectus cum omnibus præſidiarijs cohortium ducibus, ſigniferis, & cæteris militaribus miniſtris ſereniſſimi Allobrogum Ducis ſtipendia merentibus ſaluis, & vita incolumi cum ſuis ſarcinis, & armis,equis, mulis,iumẽtis,& plauſtris impedimentis onuſtis, oppido egrediatur. Pedites funibus accenſis,plumbeis globulis ori inditis, explicatis vexillis,ſtrepentibus tympanis, equites pariter expanſis turmalibus ſignis,clangentibus tubis, cum ſuis omnibus telis, thoracibus ferreis, & loricis militari more oppido prodeant; omneſq; nemine excepto, amoto omni dolo, verſutia, ac fraude eodem deditionis die Creſcentinum ab Hiſpanis recta incolumes deducantur. *Tridinum Hiſpanis deditur.*

2 Idem Comes Catalanus duo muralia tormenta ad eius arbitrium eligenda ſecum oppido educat.

3 Produx Caracena ad ea trahenda tormenta equos, boues, funes, & quidquid opus erit eodem die ſufficiet. Quod ſi lutulentis, cęnoſiſq; vijs ſub rotarum pondere ſubſidentibus, eo die tormenta Creſcentinum trahi non poſſent; Caracena poſtera luce, aut ſequentibus diebus illa Creſcentinum deducenda curet,ne Comes eo diſtentus impedimento ſuum remorari iter cogatur.

Aliæ prætérea deditionis quàm honeſtiſſimæ pactæ ſunt conditiones, quibus deditorum ſaluti,oppidanorum incolumitati, rerumq; omnium indemnitati, transfugarumq; vitæ cauebatur: quas hic omnes ſubtexere vt longum eſt; ita legentibus tędio futurum. Ad alia grauiora, gratioraque exequenda properemus. Ad ſexcentos præſidiarij integri, abſque ſaucijs oppido exceſſere. Tam magni momenti oppidum munitum non ampliùs viginti militum cęde, & quadraginta militum vulneribus Hiſpanis ſtetit; neminem cohortium prefectum edita certamina, contortaq; viciſſim miſſilia ſuſtulere, præter vnum Baptiſtam Panzonẽ è Nicolai Alæ caſtrorum

Digitized by Google

præfecti legione; cui ante ſuum tabernaculum Deiparæ Roſarium piè recitanti excuſsâ è mœnibus tormento pila caput abſcidit.

Caracena poſt explicata imperia, Tridini præſidij commodo, inferendiſque commeatibus, tormentorumque ſartis, & mœnium ruinis ſarciendis, demoliendiſque caſtrorum munimentis, atq; æquandis ſolo vineis opportuna, ſubducto in circumiecti agri munimenta, & pagos in ſtatiua exercitu, Mediolanum perrexit, cætera ad bellum continuandum expediturus: quibus paucis diebus comparatis, Vercellas tetendit, vt ibi magis è propinquo, quò eſſet armorum impetus conuertendus, exploraret. De inuadenda Veruca inter dubia belli conſilia agitaſſe dicitur: traiectoque vltrà Padum exercitu, totum eum terrarum tractum belli turbine euertere: ſed cum hoſtem vniuerſa copiarum mole Creſcentini conſediſſe nuntiatum eſſet; vt inde eductum exercitum in Inſubrum campos effunderet; illud oppidum aggredi ſtatuit, quòd neque firmis, & validis munimentis vallatum, neque ambitu magnum vix octo dies poterat aggredientium impetum ſuſtinere. Quare Vercellis digreſſus, vniuerſiſque copijs Liburni in conſpectum datis, bellicos apparatus, & commeatuum plauſtra exercitum anteuertere iuſſit; mox ipſe cum toto agmine ſubſequutus, copias opportunis in locis oppido circumfudit. Nec mora educi caſtrorum aggeres, munimenta excitari, militum firmari ſtationes, vineaſque agi iuſſit, in quibus promouendis Hiſpani, Itali, Germani certatim ſumma contentione certabant: atque adeò ſedula cura, vt trium, aut quatuor dierum continuato labore caſtrorum aggeres ad iuſtam altitudinem, defenſionem ſurrexerint: vineæque propè foſſam productæ. Tormenta in ſuis tumulis aptè librata non mœnia modò aſſidua globorum iaculatione ruebant; ſed etiam frequentibus in loricam eorum incuſſibus ſe pro mœnibus oſtentare auſos lacerabant. Obſeſſi ex aduerſo impigrè inuadentibus obniti, munimenta moliri, aggeres aggeribus obijcere, vicinoq; vinearum occurſu Hiſpanorum opera interpellare.

Caracena Creſcentinum obſidet 22. Junij.

Nec tantum ſolicitus obſeſſorum labor oppugnantium laborem fruſtrabat; ſed etiam Verucæ tormenta, vt in eminenti collineata loco adeò Italorum opus cum fodientium cæde crebra pilarum procella diſijciebant; vt inde in tutum illos ſe recipere compulerint: immo cum Carolus à Topho cum quadraginta Germanorum equitum turma ad Italorum vineæ cuſtodiam excubaret: obſeſſi animaduerſo Italos nullo firmari equitum agmine, (Germani enim poſt agreſtem domum à Verucæ tormentorum peſte ſeceſſerant) pomeridiana hora centum quinquaginta ſelectorum peditum impigro globo eorum ſtationes inuadunt. Excepere Itali ſtrenuè irruentes; conſertaque cominus pugna, per munimentorum ardua enitentes impactis in ora, in pectora haſtarum cuſpidibus reſupinant. Ceſſuri tamen erant validiſſimæ inuadentium impreſſioni; niſi ſupremus exercitus Conquiſitor Eraclitus

Obſeſſi Italos inuadũt

Moro-

Moronus cum quadraginta equitum turma, quos ex ſua legione ad ſubitos, repentinoſque caſus conſtratis ephipijs equis, expeditos habebat: laborantibus ſocijs ſubſidio celeriter feſtinaſſet:: Germanis compreſſis manibus Italorum periculum ex tuto ſpectãtibus: fortaſſe quia ſine ducum imperio prodire in pugnam nollent: ſed quis impiger, animoſuſque miles in ſociorum diſcrimine, inopinatoque caſu prefectorum imperia expectat? actum de Italis fuiſſet, ſi Moronus quoque ſerendæ cum hoſtibus pugnæ Caracenæ iuſſa expectaſſet. Ipſa commilitonum pericula ſunt efficaciora claſſica; quàm quæ ad inflammandos ad prælium militum animos concinuntur. Moronus acerrimo impetu in hoſtes irruens ab Italorum aggeribus deturbatos animoſa velitatione ad oppidi portæ vallum vſque ad ſexaginta cæſis, vel ſaucijs abegit; & tamdiu in media via inſtitit pugnæ, donec vndique & à mœnibus, & Veruca tormentorum iactibus petitus à Caracena certamine excedere iuberetur: duobus tantum amiſſis quatuor vulneratis, quatuor, & viginti equis pilarum incuſſu cruribus mulctatis, & ſaucijs. Obſeſſi infœlici ſuæ eruptionis euentu territi, cum nulla inſuper, aut certè exigua venturi ſubſidij ſpes fractos animos aleret, loco diffiſi, incluſo vniuerſo veluti anguſto carcere peditatu, remiſſa tandem ferocia, oppugnanti ſe hoſti dedere cogitarunt. Præfectus igitur emiſſo in caſtra tympaniſta, Caracenam hac ſyngrapha interpellat.

Germanorũ nulla de Italorum periculo cura.

Ducis Moroni virtus.

Obſeſſi de oppido dedendo decernunt.

Comes D. Ioannes Petrus Diuſernę magnæ crucis eques Pinaroli, Carmaniolæque militum delectuum chiliarchus Creſcentini ſuæ regiæ ſublimitatis iuſſu præfectus.

Hic præſens tympaniſta Eccellentiſſimo Domino Caracenæ Demarcho mittitur, vt illi nuntiet præfectum pios eius ſenſus, cogitationeſque probantem, vt omnes acerbiorum, ſæuiorumque hoſtilium cauſę vitentur; miſſurum in caſtra ſequeſtrem, qui de deditione æquis conditionibus paciſcatur; niſi ipſe inter partes conueniri grauetur. Creſcentini Kal. Iulij 1652.

Cui ſic a Caracena reſponſum eſt.

Cum Creſcentini præfecti deſideria nouerimus; poterit ille mittere in caſtra vnum, aut plures ſequeſtres, qui nobiſcum de deditionis conditionibus tranſigant. Marques è caſtris Kal. Iulij 1652.

Creſcentinũ deditur Hiſpanis.

Prodiere igitur ex oppido Taurinorum equitum turmæ præfectus, & duo Creſcentini patritij, vt cum Caracena de deditionis conditionibus paciſcerentur: quas tamen pro arbitrio præſcripſit; vt ſcilicet cohortiũm duces, turmarumque præfecti, cæterique copiarum primates, & miniſtri Padum ad Verucam traijcere poſſent, atque in Taurinos incolumes proficiſci. Et quamuis pedites omnes belli iure in victores poteſtate, atq; arbitrio forent; Gallis, & Heluetijs, interpoſita fide publica conceſſit; vt per Rhethos ad ſua quiſque domicilia redirent; & ad Taurinos conuiuit laxiori cuſtodia ſeruatos, vt paulatim in

ſuam

ſuam patriam dilaberentur: reliquos paucos, qui remanſerant, liberos abire permiſit. Paruo admodum Hiſpanis eius oppidi expugnatio ſtetit, quinquaginta videlicet militum cæde. Duo Germanorum præfecti tormentorum miſſilibus lacerati, & Galleatius Nardoius egregię virtutis architectus miſſa in incertum è minori tormento pila confoſſus eſt.

Caracena proſperis ſuarum omnium expeditionum euentibus admodũ lætus valido præſidio Creſcentino firmato, diſiectiſq; caſtrorum munimẽtis, atq; aggeribus, & vineis complanatis, copias Tridinum verſus contendere iuſſit, padumq; ad Aſturæ pontem Nauali ponte committere; quò omnis exercitus in vlteriora litora tutò traijceret. Roſinianumque, & Diui Georgij caſtra præſidijs, omnibus bellicis apparatib. inſtructa, ac valida occupari a ſuis ducibus iuſſit, nequid ad Caſale bellantis conatus moraretur. Ipſe verò ad Occimianum poſito prætorio, in vicina loca partitus exercitum Caſalis oppugnationem alto animo coquebat. Ciuilium Gallici Regni bellorum opportunitas alliciebat, quibus nulla in Italiam tranſmitti poterant auxilia; occupata circum oppida clauſi omnibus ſubſidijs aditus, interſeptæq; viæ, Caſaliſq; præſidij imbecillitas inuitabant. Nec illum aduerſi aliorum Producum ſucceſſus, infœliciaq; tentamenta, fractaq; ter ad munitiſſimam arcem alliſa arma terrebant; nemini tam præclara ſe eius expugnandæ occaſio obtulerat. Vnum tantum belli impetum morabatur, Mantuani Ducis aſſenſus, ſociandaq; arma; quem in Hiſpanica fœdera trahere comite Vercellino ſequeſtre, conabatur: quò expeditionem præſente legitimo Principe, ſuaq; bello repetente, redderet faciliorem; & omnem ab Italorum Principum animis Hiſpanicæ potentiæ metum auerteret. Firmato igitur centum Germanorum præſidio Aſturæ Ponte, Ozzaniq;, & Diui Georgij duobus paſſuum millibus Caſale recedentis caſtellis illi triginta, huic quinque, & viginti militum impoſita cuſtodia, Roſinianum natura munitum vt pote ardua in rupe, abſciſſaque cautè conſtructum expugnatum peditibus ducentis, & quinquaginta ex Germanis, & Italis equitibus firmat: quò laxiori obſidione Caſale ſepiret: ſubductaſque ineunte menſe Auguſto ad Mõtem Caluum cęteras copias ibi vſq; ad octauum Kalendas Octobris otioſas habuit in ſtatiuis neceſſariò magis, quàm ſponte; vt Comiti Vercellino de fœdere tranſigendi, conueniendiq; cum Mantuano Duce ſpatium daret: cui ille diuturnioris impatiens moræ, adulto iam Autumno, effluente oppportuna bellandi tempeſtate, inquit.

Caracena Caſalis oppugnationẽ meditatur.

Quid ancipiti animo hæſitas amplius, Sereniſſime Princeps, in re tanti momenti, commodi vtilitatis, & gloriæ, tamq; opportuna tuarum rerum recipiendarum occaſione? quid ſe præbentis ſponte fortunæ munera reſpuis? tuæque fœlicitati ſegnis indormis? eia age, rumpe moras, & tuam fortunam agnoſce. Iam Caracena Caſali vniuerſis viribus imminet; iam firmis cuſtodijs obſeptis omnibus vijs, laxiori corona obſidet oppidum: te in decus victoriæ in ſocietatem triumphi vocat: cui ſoli ceſſura ſunt laborum præmia. Tibi militat Hiſpanus, ſuoq;

Vercellini comitis ad Mantuanũ ducem alloquium.

ſuoq; cruore tuum dominatum Gonzagæ familiæ à tyrannorum vindicat impotentia. Tuis auxilijs non eget; qui ſolis Inſubrum viribus poteſt illud oppidum expugnare; tuorum tantum præſentiam armorum cupit, vt Principes Itali cognoſcant Hiſpanos non alieni cupidos, Caſaliſque rapiendi cauſa bellare; ſed tantum, vt bellorum ſemina tollant; vt ab eo receptaculo inquietam gentem decutiant, vt Inſubres infenſiſſimi præſidij perpetuo metu ſolutos crebris incurſibus liberent. Si pernicioſa cunctatione diutiùs differas arma cum Hiſpano ſociare: profectò ille tantæ eius amoliendæ ab Inſubribus peſtis occaſioni non deerit: partumq; Hiſpanicis tantum armis oppidum belli iure Mediolanenſi ditioni committet: & qua ratione illud repoſcere poteris? Ne diutiùs igitur differas, & aſpirantes tibi Superum fauores amplectere; cupidè tui dominatus recipiendi arripe occaſionem, quam diu anhelare, ſuſpirareq; debueras. Vt exigui conſilij eſt importuno auſu aggredi ardua; ita timidi animi facilia, proficua ſponte ſeſe offerentia recuſare.

Tum efficaci hortatione Ducem tandem adduxit, vt cum Hiſpanis ad pellendos Caſale Gallos ſua arma coniungeret; quem à Gallo Rege ſeceſſum, vt apud Principes honeſtaret: has literas vulgauit typis impreſſas, quibus neceſſitatis impulſu eò ſe actum declarat, vt periclitantem Montemferratum Hiſpanorum ope recipiat, ne in aliorum poteſtatem, ditionemque veniat.

Mantuani Ducis literæ manifeſtæ.

Plurima, atq; ingentia nomina, quibus Gonzaga Familia Regibus Gallis obſtringitur, quæ mei maiores profeſſi ſunt, mihiq; hæreditate cum meis dominatibus obuenerunt: me vt incorruptam, inconcuſſamque fidem, erga Chriſtianiſſimam maieſtatem ſeruarem, ac colerem, perpullere eius viciſſim validiſſimum ſubſidium, patrociniumq; mihi pollicitum; quò omnia à meo Montisferrati dominatu, Caſale, atque arce incommoda, pernitiemque amolirer; illumque eadem facilitate liberum reciperem, quà à Carolo meo auo paterno defuncti Regis glorioſæ æternum memoriæ fidei eius fuit commiſſa cuſtodia; & quamuis plurimos annos perpetuas ſtatiuorum, incurſuum, populationumque calamitates cum ſuarum excidio fortunarum illi mei infœlices populi tàm à Taurinis Gallis immiſſis, quàm à Catholicæ Maieſtatis agminibus incredibili patientia, ac conſtantia pertulerint; alteris meam ditionem tueri, ſeruare, alteris ſuos hoſtes ex Italia expellere, & præcipuè ab Inſubrum vrbibus, atq; arcibus ſummouere contendentibus; vt perpetuo hoſtilium armorum metu ſuos populos liberarent; attamen conſtanti, fidoque animo ingentia mutatæ fidei pretia, ac munera pluries identidem mihi oblata ab eius hoſtibus reſpuens viuam credula mente alebam fiduciam, me Chriſtianiſſimæ maieſtatis intaminatæ æquitatis beneficio non fruſtratum iri, meaque cum ipſius bona gratia nullius ope, interceſſuque recepturum; ſicuti mihi Mantua nullo vectigalis onere impoſito, reddita eſt. Multoties de egentiſſimo rerum omnium earum arcium ſtatu eius Maieſtatem edocui: quæ nullo bellicarum rerum apparatu inſtructæ, imbecilloq; præſidio munitæ earum aſpirantium imperio iniurijs, violentiæque obnoxiæ poterant facili marte intercipi; ſed nullæ meæ ardentiſſimæ preces ab eius

Maieſtate

Maieſtate ſubſidia, quam diuturnas ſpes, promiſſaq; retulere. Id ſiue alicuius miniſtri Gonzagæ genti infenſi officio, ſiue potiori de cauſa, meoq; infortunio in Regni maioris momenti vſus conuerſis auxilijs, factum ſit, nullum firmiùs ſubſidium expreſſi, quod eas tutiores poſſet ab hoſte præſtare. Iteraui per meos internuntios apud Regiam aulam preces, flagitationeſque intendi, vt expedita; ſubitaque militum ſubſidia ſufficerent; vel aliqua alia ratione meæ indemnitati conſulerent; quæ iuſta non deerat cum immortali Gallicæ gentis gloria; nihil amplius extundere potui: decreui rurſus meæ in Chriſtianiſſimam maieſtatem obſequentiſſimæ voluntatis, deuotique animi inſignia præbere earum arcium præſidia meis alendo impenſis; ſed cũ grauiſſimum immanis diſpendij onus meum exhauſtum pecunia ærarium ſuſtinere non poſſet; & mei vectigales omnibus fortunis exuti, & prouentibus euerſi tanto aſſiduarum penſionum leuari pondere flagitarent; meoque maiori gliſcente metu, ob Hiſpanici exercitus in bellum egreſſum, præter diditam famam illum Caſali omnibus viribus ſucceſſurum; cum ad hanc ſuſcipiendam expeditionem, & præſidij imbecillitas, captumque Tridinum expugnando Caſali admodum opportunum, & Gallici regni tumultus; ciuiliaque bella; quibus omnis ſubſidij è Gallia venturi metus adimitur, animent Mediolani Producem; non tamen adeò hoc me terrore confundi, atq; abripi ſiui, aut pollicitis, & inuitamentis adduci, quin per celerem, certumq; tabellariũ in Galliam miſſum à Chriſtianiſſima Maieſtate ſupplex peterem; vt ingruentibus malis; ſubita, validaque pecuniarum, & militum ſufficiendo auxilia conſuleret; aut alia remedia pro rerum opportunitate decerneret; vel ne grauaretur, me quacumque ratione, excluſo quolibet alio, meum dominatum inire: vt mihi vero, ac legtimo domino illum ſaluum, atque incolumen ſeruem; impoſitoque meorum vectigalium, atq; armorum præſidio cuſtodiam, ne in Hiſpanorum poteſtatem, ditionemque veniat; aut ab alijs eius imperium cupientibus intercipiatur; quod illos anhelare cum grauiſſimo, atq; irreparabili mearum rerum iactura, atque pernitie, eorum quibuſdam probantibus vota, certo ſcio: præter alia mihi non leuis momenti damna illata, abſque tamen æquiſſimæ ſuæ Maieſtatis aſſenſu, & cum non minori Gallicæ gentis incommodo. Tandem cum in anguſtias actum, neceſſitateque me compulſum viderem, minus, leuiuſque malorum ratus, ſi Caracenæ Demarchum Mediolani Producem rogarem; vt bello, armiſque abſiſtens me meas vrbes, arces, ditionemque ingredi pateretur, aliorum excluſo imperio, inſtiti, vt meæ voluntati obſequeretur. Annuit ille benignè, amicèque meis votis, dummodo id facilè, nulloque repugnante, me conſequuturum putarem; immo omnia Catholicæ Maieſtatis auxiliaria obtulit arma, ſi quis mihi meos dominatus ineunti repugnaret; vt eos faciliùs poſtliminio recipere poſſim, obligata ipſi Cæſari, ambabuſque Imperatricibus ſacramento fide; ſe in nullas Montisferrati vrbes, & arces, niſi aliud neceſſitas ſuaderet, cum ſuo exercitu ingreſſurum; aut vrgente aliqua cauſa ingreſſum liberas, nullis conditionibus adiectis, mihi earum Principi continuo redditurum; & quia iam appetente hyeme bellandi tempeſtatis opportunitas effluit: idem Caracenæ Demarchus inſtat, atque obteſtatur; ſe omnino nolle, quod

ſupereſt

Digitized by Google

ſupereſt idonei ad bellandum temporis amittere: ſed cum ego ob mearum viriū præterita ægritudine, imbecillitatem, & eam, quæ ab Archiducis meæ vxoris partu me iterum afflixit, ipſe in arma prodire non poſſim, vt mens erat; officiumque obire, Demarchi Camilli Gonzagæ mei conſanguinei opera mibi fuit opus: cuius equitis fidei, virtuti, experiētiæ tanti momenti rem credidi perficiendam, atque in eo mei liberi recuperandi dominatus, meorum vectigalium leuamenti, ſalutis, atque incolumitatis, Italiæque pacis, & quietis ſpem collocaui. Obteſtorque ſuper omnia, me nibilo ſeciùs meam inuiolabilem fidem, Chriſtianiſſimæ Maieſtati, addictamque ipſius obſequijs voluntatem perpetuo ſeruaturum; totoq; mei ſpiritus ardore omnes mei deuoti in Regem animi mortalibus probandi occaſiones amplexurum; ſperoque regiam ipſius benignitatem animaduerſo Gonzagæ Familiæ ſtatu, nibil de ſua pretioſiſſima gratia mibi imminuturum. Vnuſquiſque pariter æquo, ſynceroque animo re diligenter excuſſa, iuſtoque examine vrgentibus cauſis ponderatis, quibus ad hoc inenndum conſilium adductus ſum; meum decretum non minus iuſtum, quàm neceſſarium probabit: neque cenſebit à me parum prudenter factum, quòd in præſentibus rerum mearum anguſtijs malim meis malis proſpicere; quàm illa augere præpotentium finitimorum mibi inuidiam, odiumque conflando: quorum interiecti dominatus meos ſeiungunt; quando ſua arma mibi offerunt auxiliaria.

Datum Reuerij nono Kalendas Octobris anno ſalutis 1652.

Carolus.

Mantuani Ducis bellici apparatus.

His vulgatis litteris haberi militum delectus, & equitum turmas authorari iuſſit; quæ Hiſpanicis agminibus iungerentur, quò ex Principis dignitate bellaret: ſuaque arma ſuis vectigalibus animos facerent; vt aduerſus Gallos pro ſuo Duce audaciùs inſurgerent.

Caracena verò Demarchi Vercellini opera Mantuano Duce in partes tracto, iam fœlicis ſui propoſiti euentus ſecurus, Montecaluo in vicinos Caſali colles, campoſque mouet; & quia rumor percrebuerat, Gallos ſumma ope tentaturos validum Caſali inferre ſubſidium: Hiſpani interſeptis omnibus vijs, ingentem aggerem ab Aſturæ Ponte, vſque ad magnum Cereſeti pontem per octo ſtadia, quà Galli irrupturi dicebantur, feſtinato opere perduxerunt. Demarchus Villa prius ducentos equites, & aliquot peditum cohortes ad firmandum debile vrbis præſidium obtulerat; ſed ſupremum primatum conſilium ea reſpuit auxilia ijs de cauſis, quas rerum humanarum prudentiores ſolertibus ingenijs eruere ex politicæ diſciplinæ adytis norunt. Diui Angeli dynaſta grauiter tulit, illud Taurinorum opportunum repudiatum fuiſſe ſubſidium.

Inſubrum in Hiſpanos ſtudia.

Mirum eſt quanta alacritate Inſubrum proceres, vniuerſique ciues, & vrbes in hac Caſalis expeditione Caracenæ conatus conſilio, opibus, operа, & pecunijs adiuuerint. Ab illa enim moleſtiſſima Gallici præſidij ferocia, rapacitate ſui cupidi liberandi illum diem ſibi videre videbantur; quo Galli ab eo vicino receptaculo pellerentur. Neque enim dum ad Montem Caluum in ſtatiuis tam diu otioſus exercitus haberetur; commeatus

ad mi-

Digitized by Google

ad milites alendos, neque in ſtipendia pecunia ſuppetiſſet; niſi certatim omnes collatis in publicum commodum opibus, ad copiarum impenſas pecuniam alacriter ſuffeciſſent. In bellicarum rerum procuratione præcipuè ardens Comitis Bartholomæi ſtudium enituit; qui in promouendis ſui Regis commodis, & rebus acri cura, ſeduloque obſequio intentus nulli labori pepercit, impenſæ, operæ, diligentiæ, vt ea expeditio fœlicem haberet euentum. Sed maximè omnium Caracena, vt pote cui ſoli tantæ victoriæ gloria ceſſura erat, argentea toreumata, anaglypha, pretioſos lapillos, monilia pignori dedit; vt extractam ex ijs non pœnitendam pecuniæ ſummam in alendo exercitu totam impenderet.

Dum varij inter curioſos ſermones ſererentur, quò ſe ſe daturus Hiſpanici belli impetus foret; en Caracena in vicinos Caſali colles cum vniuerſis copijs, contento gradu feſtinat, & poſitis in imminentibus cliuis propè vrbem mille paſſus caſtris, paulatim caſtellum, & arcem productis vſque ad Padum aggeribus, ſepſit; mox excitato in propinquo colle tumulo tormentario, ſubiectam arcem crebro miſſilium turbine fulminat. Galli iam pridem ex errabundo per vicinos campos, & colles Hiſpanorum exercitu, atque hoſtilium agminum gyro timuerant; ne ex Gallorum ciuilium bellorum occaſione, capto præſertim Tridino, & Creſcentino, Caſale hoſtis inuaderet. Auxerant ſuſpicionem, & metum binæ Argentonis dynaſtæ Galli Regis legati Venetijs litteræ ad Caſalis præfectum Diui Angeli dynaſtam datæ altera ineunte, altera exeunte Menſe Septembri hoc exemplo.

Galli legati ad Caſalis præfectũ litteræ. *Non omninò ſine fructu meum ſuſceptum Reuerium iter fuit. Comperi Vallis Demarchum primum Mantuani Ducis miniſtrum id egiſſe, vt Hiſpanos ſe demeritos eſſe paſſus ſit. Quocirca tibi intenta cura cauendum eſt, ne eius iſtuc miſſa mandata perficiantur; ea præcipuè, quæ ad Brambatum præſidem dabit, vo pot eſum eo mutuo conſenſu conſpirantem.*

Alterius verò epiſtolæ exemplum erat. *Non eſt amplius ambigendum, quin Vallis Demarchus Mantuanum Ducem ad ineundum cum Hiſpanis fœdus impulerit. Idcircò præſidis Brambati acta, verba, petitiones, molitioneſque, quam diligentiſſima indagine obſeruabis; qui omnium inſidiantium caput eſt. Hocq; monitum certum, verumque puta.*

Omnem penè verò dubitationem ſuſtulit diditus rumor ipſum Mantuæ Ducem cum valido peditum, & equitum agmine properare, vt cum Hiſpanis ſua arma ſociaret. Verum pro Duce, qui necdum à valetudine conualuerat; Demarchus Camillus Gonzaga bello præfectum iri, Mantuanumque agmẽ ducturus ferebatur; & quamuis Galli has eſſe Hiſpanorum artes putarent; ideq; ciuitas tranſactionũ ignara ſentiret: attamen euentus vulgatæ famæ fidem aſtruxit; cũ ſexto nonas Octobres idẽ Demarchus cũ peditũ cohortib. & equitũ turmis Mantua progreſſus Fraxinetũ Hiſpanica venit in caſtra; quibus etiam D. Saluatoris, aliorumq; Montisferrati oppidorũ multum

tum delectus adiecit. Tum enim verò Galli conſpectis Mantuanis armis vna cum Hiſpanico exercitu bellaturis, ingentium curarum fluctibus iactati, neq; ſalubriora explicare, neq; expedire conſilia, neq; animoſi occurrere ingruentibus malis ſatis norant. Quamobrem ipſi, populareſq; ſibi adeò inuicem diffidebant mutuas veriti inſidias, ac fraudes; vt ancipitis fidei quorundam patritiorum ædes ſcrutati fuerint; hoc nomine, quaſi armatorum centurias in ſuis conclauibus condidiſſent: alios ciues vrbe exegere; quoſdam ingreſſu prohibuere; & populariũ militum cohortes in vrbem excipere recuſarunt; quamuis à ſupremo patritiorum conſilio accitas, propugnandæq; vrbi admodum neceſſarias: tantumq; ſe inuicem ſuſpectos habebant, vt Galli, ciueſq; excubarent in armis: veriti ne mutuò opprimerentur. Maiori tamen metu Gallorum animi æſtuabant: vt pote in alieno ſolo, in exterorum dubiæ fidei poteſtate, ipſo Principe ſuam vrbem ab eorum manibus repetente. Quocirca ad declinandas, auertendaſq; inſidias rebus ſuis conducere arbitrati, ſi pars eorum extra arcem in vrbe noctem exigerent; in Diui Antonij Cœnobio Patrum minorum, è Diui Franciſci familia excubias agere; pars altera in Gubernatoris Mompeſati ædibus ſubſiſtere decreuerunt inſtratis ſuis ephipijs, frænatiſq; equis, vt expeditiùs oriente aliquo tumultu, vel rebellantibus ciuibus, in arcem celeriori receptu confugerent. Interim ciues pretioſiorem ſupellectilem, charioraq; in ſacris Cœnobitarum receſſibus condere properabant. Clauſis officinis, triſti iuſtitio ſqualebat ciuitas vniuerſa: armati omnes rotatis ſclopis feroci diſcurſu timorem afferebant, ne vrbs cruento aliquo certamine fœdaretur.

Gallorum conſternatio

Galli ciuibus imminent.

Dum Caſale inteſtinis turbis inhorret, Camillus Gonzaga Mantuani Ducis mandata præſidi Brambato dedit ſupremo conſilio exhibenda, quibus perduellionis reatus indicta pœna, vnuſquiſq; iubebátur, vrbe Gallos vi illata exigere: quando ſponte excedere recuſarent. Toto audiente primatum conuentu Brambati iuſſu coacto, ea Ducis mandata lecta fuere ægerrimè, & ſumma difficultate in vrbem inuecta: cum ad amnis Erydani portam, quæ ſola patebat, duo Galli duces excubarent, qui vnumquemque nonniſi diligenter excuſſum, ademptiſq; ei omnibus ſcriptis [illegible]eris admittebant in vrbem: ne huiuſmodi mandata perferrentur ad c[illegible]uſtra tamen fuit tanta inquirendi diligentia, illatis vrbi mirabili aſt[illegible] Ducis; tubo ſiquidem in baculi ſpeciem inſerti ab agreſte ignar[illegible]t, inuecti: quis enim ſcabra cortice aſpero ſcipione mandata p[illegible]cluſa? Galli de eijciendo ex vrbe præſide Brambato, vel interficiendo agitarũt: quòd ſex mẽſes irrequieta de Mantuani Ducis rebus cura, feruenteque ſtudio ſolicitus extitiſſet: quòd ab eius incorrupta in ſuum Principem fide, ſuam profecturam ruinam non vano præſagio diuinarent. Ille tamen varia arte eorum arcanas petitiones eludens veterno illos ſopiuit, donec negotium tranſigeretur. Dum Galli, ciueſq; à ſe inuicem cauent; en quinto nonas Octobres mane tubicen ad Caſalis portam conſtitit binas Mantuani Ducis literas afferens: quarum alteræ ad Diui Angeli dynaſtam, alteræ ad Demarchum

Mantuani Ducis ad Caſalenſes ciues edicta

Foſſa-

Foſſatum dabantur. Primo imperabat, vt ſuas ſibi redderet arces, alteri verò, vt fortem, fidelemq; operam in ſui obſequium, ac commodum præſtaret. Alias quoq; ad ſupremum conſilium, alioſq; primates literas Mantua à Senatore Galuanio allatas dedit; quibus omnes Dux de ſua voluntate monebat. Literæ in conſilio præſente ipſo Diui Angeli dynaſta recitatæ fuerunt: ipſiq; ab vniuerſis edictum, vt ex Mantuani Ducis placito vrbem, arceſq; deducto inde Gallico pręſidio, reſtitueret: à quo abſciſsè reſponſum eſt; ſibi à Gallo Rege earum regimen, præfecturamq; creditam, nec eius iniuſſu vnquam ſe illas redditurum: cui à conſilio ſubiectum, vt ſe in caſtellum cum ſuis præſidiarijs, arcemq; reciperet libera à Gallis vrbe relicta; alioquin ciues omnes in ipſos tela ſtricturos, ſuoſq; ſpiritus ſui Principis obſequijs deuoturos. Ille tam acerba obnuntiatione fremens, ac frendens conſilio exceſſit, eam indignationem turbato animo præferens, quam quilibet huiuſmodi vrbis, arciumq; præfectus oſtendiſſet alijs mandata dare, non facere imperata ſuetus. Verum hoc erat opus, & labor citra tumultum cruorem, & vulnera perficere decreta, quæ tamen ſtudio, arte, opera, dexteritateq; Pręſidis Brambati, in cuius induſtrię, cardine tota res vertebatur, omnium Ducis arcanorum cōſcij fęlicem ſucceſſum habuere. Primo celebrioribus vrbis in locis ex incolarum delectibus firmæ militum poſitæ cuſtodię: atq; ex inopinato aliquot armatorum centuriæ ex nobiliorum ædibus prodiere: conſultoq; ad augendum Gallorum terrorem vulgatum eſt, alias militum cohortes, maioremq; numerum bellatorum intra ciuium domicilia latere; deinde Gallis edictum, vt extemplò vrbis traderent portas, atque è plateæ ſtatione faceſſerent. Galli nihil ciuium obnuntiationibus, & iuſſibus obluctati in Caſtellum, & arcem tacito agmine receſſerunt. Mox Ducis pronuntiatum edictum, quò omnibus ſuis vectigalibus Galli Regis ſtipendia merētibus imperabatur, vt dicto ſacramento, pēſionibus, muneribus renuntiarēt; cui mandato tanta alacritate obtemperatum eſt; vt Ducis imperium paucæ admodum moratæ ſint horæ: quo diſcedentium à Gallica militia militum numero Riuaræ, & Mercurini legionibus ſubducto, enerues adeò languerunt, vt vix exiguarum cohortium ſummam implerent. Vndeuiginti præfecti, ducenti, ſex, & quinquaginta pedites Mantuanis copijs adiecti. Diploma quoque Conſilij iuſſu in vrbis compitis, & plateis affixum pependit, quod hic ad verbum latinè redditum attexo.

CARO-

CAROLVS SECVNDVS
Dei gratia Dux Mantuæ, Niuernij, Vmenæ, Rethelij, &c.

Miniſtris, Tribunalibus, Iudicibus, noſtræque vrbis Caſalis Vectigalibus, vniuerſiſq; Montis ferrati Incolis.

Poſtqnam Dei clementia nos ad noſtrarum ditionum regimen aduocauit, nihil nobis antiquius, maiorique curæ fuit, quàm vt Montemferratum tot calamitatibus, maliſque leuaremus, atque ipſius quieti conſuleremus veſtras clades ex animo pertæſi; quas conſtanti virtute tuliſtis, vt veſtro officio in noſtrum obſequium faceretis ſatis: ſed ſuperioris, præſentiſque temporis ratio probibuit, quominus noſtra tam pia, iuſtaque vota implerentur: in omnes tamen ſolicita cura occaſiones intenti excubuimus, ſi quas magis propitium tempus efferret, vt ijs in noſtrum commodum vteremur: ſicuti nobis compertum fuit, omnem in id eſſe à nobis operam collocandam, adhibendumque ſtudium; vt rumoris iam pluribus ab hinc menſibus diditi effectum in irritum diſcuteremus; Demarchum Caracenæ Mediolani Producem omnes Catholicæ Maieſtatis copias in noſtrarum arcium perniciem è ſtatiuis educturum: ſicuti armatus prodijt, iamque Montemferratum bello quatit: quo imminente terrore, ſummis, enixiſſimiſque precibus à Chriſtianiſſima Maieſtate contendimus; vt ſubita pecuniarum, & militum auxilia ſubmitteret, quibus tutius arces aduerſus hoſtium impetus firmarentur, aut alia vtiliora decerneret; quæ ipſius exacta prudentia ſubieciſſet; vt impediret, quò minus in aliorum, quàm in noſtram poteſtatem venirent; Ducis Caroli aui noſtri fiduciæ, obſequio, venerationique reſpondens, qui eas defuncto Regi glorioſæ memoriæ tradidit cuſtodiendas; ſed cum nihil noſtræ ſupplices preces, flagitationeſque à Regia Maieſtate exprimere poſſent, quàm promiſſa, diuturnioreſque ſpes, non ut imminentis periculi neceſſitas poſtulabat: voluimus nihilominus noſtri continuati, reuerentiſſimique in eam Regiam Maieſtatem obſequij mortalibus pergere inſignia præbere; dum perpetua Gallici Regni ob bella ciuilia, inteſtinaque diſſidia rerum difficultate, ferendique ſubſidij impotentia; noſtris, ac veſtris, dilecti vectigales, viribus ſuperatis, ſupra virtutem cum non leui veſtrarum fortunarum, noſtrique ærarij iactura, ac damno plures menſes Gallicum præſidium aluimus: ſicuti vellemus eas nobis vires noſtræ fortunæ ſufficerent, quibus alacriores noſtræ in Regiam Maieſtatem obſeruantiæ, deuotique animi declarationes faceremus: ſed cum tantis impenſis diutiùs ſuſtinendis noſtrarum imbecillitas virium ſatis eſſe non poſſet; maiorique in dies de Caracenæ Demarchi turbidis conſilijs, ac minſque deſtinatis gliſceret timor; qui quotidie propiùs arces promouebat exercitum. Summo ſtudio curauimus de noſtri

Mantuani Ducis edictum.

Digitized by Google

quoque conſilij ſententia, vt illum à ui inferenda auerteremus: ſed nos in eas noſtrorum vectigalium armis, ac viribus nobis aditum ſtruere pateretur; quibus ille cum noſtris poſtulationibus indulſiſſet; noluimus tamen noſtra decreta perficere, niſi prius rurſus noſtras preces apud Regiam aulam per certum miſſum tabellarium iteraremus; ſubiecta Regis oculis imminentis periculi magnitudine, in quo Caſale verſabatur; ſubdentibus inſuper niſi nobis expeditiora ſubſidia ad amoliendum diſcrimen ſufficerentur; nos ab eius maieſtate ſuppliciter poſtulare; ne grauaretur, ægrèque ferret, nos noſtræ indemnitati quacunque ratione conſulere; noſtraſque arces excluſo quocumque alio, inire. Quare cum dicto Caracenæ Demarcho per id tempus ſedulo de ratione huius noſtri perficiendi conſilij tranſegimus: qui ſuam certam fidem nobis obſtrinxit, ſecuroſque fecit, nobis in illas ſe liberum aditum relicturum; niſi difficultatem, obnitentiumque Gallorum violentiam offenderemus: vt illas noſtris proprijs viribus tueremur: ſeque protinus à Monteferrato copias in Inſubres reducturum; ſicuti nobis præſto cum omnibus ſui Regis viribus fore promiſit: ſi quis nobis noſtra iuſtè repetentibus repugnaret. Hac de cauſa decreueramus nos ipſi iſtuc venire, veſtra fide, obſeruantiaque freti, cuius, quotieſcunque meæ res exigerent; miranda documenta, exemplaque dediſtis; ſi, poſt Dei beneficio mihi marem conceſſam prolem; quod nos magis cogit, & vrget noſtros dominatus ſeruare; voſque acrius impellit; vt omnibus animorum, & corporum uiribus ad hoc aſſequẽdum fidelem, fortemq; operam nauetis: nos dupplex tertiana infirmos non decumbere coegiſſet; à qua et ſi Diuina gratia liberi conualuimus: adeò nos tamen affecit: vt imbecilla corporis habitudine detineat, ne me iterum eiuſdem cõcipiendi morbi periculo obijciam: habita etiam Archiducis meæ vxoris febriculæ ratione, qua etiamnum à partu affligitur. Quare ueriti ne longior mora aliquod nobis grauiſſimum incõmodum poſſet afferre; decreuimus Camillum Gonzagam noſtrum conſanguineum legatũ mittere, eiq; ob eximias, ſingulareſq; virtutes, atq; animi dotes hoc maximi momenti negotium ſecura fiducia credere perficiendum; vt ab eo noſtra vobis ſignificata voluntate, illum omni ope iuuetis, eiuſq; iuſſibus obſequamini in ijs omnibus, quæ ad noſtra implenda vota opportuna, ac neceſſaria ipſe putabit; eiq; ac nobis ipſis, ſi præſentes eſſemus, pareatis. Vos inſuper diſertis verbis admonemus; pollicemurq; nos, ſicuti munifici, gratiq; erga eos erimus, qui in re tanti ponderis ſuo à natura debito officio ſatisfacient; ſic in eos ſeueriſſimè animaduerſuros nulla facta ſpe uenia; qui ſuæ obliti fidei ſe parum in ſuum Principem propenſi, fidique animi propriumque ſpernentis honorem declarabunt.

Dat. Reuerij nono Kal. Octobres 1653.

Carolus &c.

V. à Valle

Locus ſigilli

Io: Iacobus Oldrouandus pro Cancel. Ser. D. Bel. D. Franciſci Bulgarini Eiuſdem Celſi à Secre.

Bulgarinus

Galli

Galli itaque animaduerſa conſtanti ciuium in ſuum Principem fide, eorumque certa obſequendi Ducis mandatis voluntate; librata ſuarum virium imbecillitate, quæ mille ducentis tantum militibus nitebatur; expenſiſque accuratè periculis, in quæ ſe temerè protrudebant; ſi natiui Principis, addictorumque illi ciuium conatibus obniterentur: ſatius putarunt, ſe in arcem, caſtellumque abductis ab vrbe omnibus militum manipulis, extemplò recipere: quod eodem die nullo ſtrepitu, tumultuque actum eſt. Ab eo Gallorum receptu inter arces, & vrbem prorſus ſublata commercia; ijs tamen ante quinque horarum ſpatio conceſſo; vt ſibi ad victum neceſſaria compararent. Paulò poſt, quàm Galli ingreſſi fuerant in arcem, cuidam Montisferrati populari, cui per breue temporis interuallum arce egredi, in qua ſemper habitabat, ſtatim redituro permiſſum erat, à præſide ſuaſum eſt, vt iniecto in pyrij pulueris arcis cados igne, ingenti beneficio ſibi Principis ſui gratiam demereretur; quo Galli protinus arcem dedere cogerentur: quod, cum ob quaſdam inſidiarum ſuſpitiones Galli in vincula omnes in arce habitantes Italos coniecíſſent, perfici non potuit. Demarchus quoque Foſſatus, quamuis arci ab ipſo Mantuano Duce, Gallo quoque Rege conſentiente, pręfectus, nō ſine aliquo eius doloris ſenſu dimiſſus.

Caſalenſium ciuium in ſuum Ducē fides.

Galli intra arces ſe recipiunt.

Verebantur ciues, ne Galli vndiq; tormentorum fulminibus quaterent vrbem; cui incommodo ad caſtellum poterat aliqua ratione occurri; cum diſplodentium pectora nullo munimento tegerentur, nullaque ad excitandos aggeres ſuppeteret tellus; ac proinde vniuerſa mœnium lorica poterat maiorum ictibus ſcloporum abradi, inceſſenteſque depelli: ab arce verò difficile erat tormentorum fulmina à tectis auertere; niſi obiectæ arci domus ædes tellure farcirentur: quod vt diuturni laboris erat; ita eo temporis interuallo perpetua miſſilium verberatione vrbis tecta magna ex parte dirui poterant. Sed perniciosum Gallorum rebus futurum erat, ciuium animos irritare; qui ſe tandem circumductis aggeribus ab ea tormentorum iaculatione texiſſent: eductiſque tumulis tormentarijs ſupernè repoſitis ictibus Gallos inceſſere. Æternæ igitur inter vrbem, & arces pactæ ſunt induciæ, quæ ad earum vſque expugnationem incorrupta fide ſeruatę fuerunt.

Ipſo Gallorum in arces receptus die veſperi Camillus Gōzaga cum prætorianis Mantuani Ducis cohortibus, Primatum conſilio, Præſide, aliiſque patritijs officij cauſa eius ſtipantibus latera iniit vrbem: feſto fragore muralibus reboantibus tormentis, hilarique campani æris pulſu, lætiſque acclamationibus perſtrepebat ciuitas vniuerſa; illud ſæpiùs iteratis vocibus pronuntiatum, Duci Mantuæ vita, fœlicia, fauſtaque omnia quas omnes effuſæ lætitiæ ſignificationes hymni Te Deum phonaſcorum in maiori templo cantus abſoluit. Eodem veſperi pariter quadringenti pedites ex Mōtisferrati delectibus ingreſſi ſunt in vrbem, ſtrenua bellatorum manus, cum centum quinquaginta Mantuani Ducis equitum ala,

Camillus Gōzaga Caſale intrat.

Digitized by Google

& mille peditum legione. Camillus Gonzaga ſumma cura ad vrbis res in tantis turbis, & tumultibus componendas incubuit; viarumque compita, atque aditus tranſuerſis trabibus, obiectiſque aggeribus, & ingentibus tellure ſartis corbibus impediri, ſepirique iuſſit, ne Galli in vrbem perrumpere poſſent.

Caracena verò interim opportunitate ſolicitè temporis vſus die, noctéque continuato labore adeò vineas, & pluteos promouendas curauit; vt triduum ad exteriorem Caſtelli foſſæ murum cum ſuo exercitu penetrarit; nec dum verò in foſſam eruperat: quando Caſtelli præfecti Eſpredeli dynaſtæ legatus Gerardus tertio die candidum vexillum extulit deditionis inſigne: quam paulò poſt ſeptimo ſcilicet idus Octobres pactis conditionibus fecit. Egreſſis Gallis ex Montisferrati accolarum delectibus in Caſtello præſidium impoſitum Alexandro Sannazaro equite Caſalenſi præfecto. Tam cita, properataque caſtelli munitiſſimi, ac propè inexpugnabilis, ab omnibus rebus bellicis, & commeatibus inſtructi nullis terrentibus propugnantes cuniculis, mœniumque ruinis, ſeptuaginta militum præſidio defenſi deditio ſermones præbuit, alijs alia aſſerentibus. Quidam æquitate, iuſtitiaque cauſæ ad ſuo Principi tradendum Caſtellum impulſum fuiſſe aiunt; quidam autem aut ignauia, timoreque degeneri, vel pecunia eius corruptam fidem obijciunt. Verum non poterat diu violentiſſimæ Hiſpanorum oppugnationi reſiſtere. Nulla enim adeò munita arx, ſuiſque tuta propugnaculis ſurgit; quam productis vineis, admotis pluteis, effoſſis cuniculis, tormentorum pulſibus oppugnantium violentiæ, aut citò, aut ſerò non cedat. Se tamen honeſtis conditionibus dedidit, ſcilicet, vt ſtrepentibus tympanis, explicatis vexillis cum telis, & ſarcinis minoris formæ tormentum ſecum educens Caſtello egrederetur. Ad Caminum vſque Montisferrati pagum ab Hiſpanico equitatu deductus eſt. Prohibitus tamen eſt, incertum quo caſu, illud tormentum ſecum abducere; cuius recipiendi nomine regreſſus in vrbem non ampliùs ad ſuum agmen rediјt, ſed Mantuam verſus iter iniјt.

Caſtellum deditur Hiſpanis.

Deditionis conditiones.

Nunquam Galli arcis præſidiarij adduci potuerunt, vt crederent, caſtellum tam citò deditum Hiſpanis fuiſſe; donec eorum permiſſu præfectus Griſuelia eò progreſſus proprijs oculis verum eſſe conſpexit, quod Gallis incredibile videbatur. Quod adeò eorum mentes, animoſque turbauit: vt ad conceptam in infidum, ignauumq; præfectum iram profitendam eius ſimulacrum, inani ſupplicio patibulo in aduerſo vrbi propugnaculo, ad ignominioſum, infameq; ſpectaculum ſuſpenderint. Antequam Caſtellum Hiſpanis dederetur; Taurinorum equitatus in plura agmina diuiſus ad Padi obiecta vrbi litora prouectus, circumferendis, ventilandiſque ſudariolis præſentis, ſubſidij ſocios admonebant; rati adhuc vrbem in Galli Regis fide perſi-

Taurinorũ equitatus obſeſſis adeſſe ſignificat.

peſiſtere; ſed cum nihil ſibi amicè reſponderi, immo ab Hiſpanis à collibus tormentorum fulminibus, & à Montisferrati militibus toto à Padi litore prætentis maiorum miſſilibus ſcloporum inceſſi, feririque vidiſſent; inde protinus regreſſi, nunquam deinceps rediere. Sed admoto Creſcentino agmine, dum Hiſpani in Caſalis oppugnatione diſtinentur: ſex diebus, debili admodum propugnante præſidio, ad deditionem oppidum compulerunt. Honeſtæ, atque æquæ deditis latæ, acceptæque ſunt leges. Præſidiarij Tridinum vſq; incolumes deducti: eodem belli impetu à Taurinis Caſtellum Malinum interceptum eſt. *Taurini Creſcentinū recipiunt.*

Exactis caſtello Gallis, ea cura explicitus Caracena potuit expeditiùs, & acriùs totius exercitus impetum ad expugnandam arcem conuertere: quam ardenti animi vigore aggreſſus, exterioribuſq; ciuium munimentis vſus adeò vrſit; vt vno tantum die vineis ad foſſam vſq; productis, in illam, ſuffoſſo muro erupturus penetrarit: ſimileque portento ſit, Hiſpanos quindecim dierum continenti labore ingentem aggerem à collibus ad camporum plana arcem amplexi cum dupplici foſſa, propugnaculis per æqualia interualla ſurgentibus, forcipibus, alijſq; ex recentiori oppugnandarum arcium diſciplina perduxerint: quod opus integri menſis ſpatio perfici, nonniſi ſummo cum ardore, diligentiaq; poterat. Mox excitati ab Hiſpanis duo tumuli tormentarij, quibus quinis tormentis impoſitis, adeò frequentibus miſſilibus arx, eiuſq; mœnia cœpta pulſari; vt eorum proſtrata lorica; nullus impunè conſiſtere, nec accedere, ſine præſentis metu necis, lacerationiſq; poſſet. Mox eadem globorum procella decuſſa munimenta, proſciſſa propugnacula, diruta mœnia, deiecta de ſuis rotis, fulcimentiſq; tormenta; cum interim a Gallis damna Hiſpanis reponi non poſſent. In ipſo quoque exterioris muri foſſæ margine ingens admotum tormentum aduerſa omnia horribili verberatione quatiebat; ac tum maximè vſus omnium rerum magiſter edocuit; nihil validum aduerſus vim, atq; impetum tormentorum humanam induſtriam poſſe obmoliri. Aliud quoque incommodum Gallos afflixit; aduerſa fortuna ſuo more vincendis aggerante mala. Nam prius quam illi ſe in arcem reciperent; Præſidis Brambati opera vndecim maiora tormenta maiori duplicis farti copia, quā tendi conſueuerant, imbuta ad primam diſploſionem flammarum erumpentium impetu de ſuis pedamentis decuſſa nulli vſui deinceps fuere; cum in arce artifices ad illa iterum ſuis fulturis imponenda deeſſent; & libratorum paucitate laborarent; quorum peritiores eiuſdem Brambati ſolertia ex arce transfugerant in vrbem; tribus tantum exiguæ peritiæ, experientiæq; relictis. *Caſalenſis arx ab Hiſpanis vrgetur.* *Brambati prouidentia*

Verum cum nec tormentorum tempeſtas horribilis, nec proſtratæ loricæ, fœdataq; crebris pulſibus munimenta præſidiarios adeò terrerent; vt vllam ſpem facerent deditionis: ad vltimum impellendarum arcium terrorem, efficaciſſimumq; omnium machinamentum Hiſpani admouent manus. Extemplò agi ſub arcis mœnibus cuniculi cœpti: qui quamuis continui effuſi è cœlo imbres, flammarum, bolidumque iactus ab arce ruen-

Digitized by Google

tiũ interpellarẽt opus; nihilominus Hiſpani labori adeò inſtiterũt, vt pauis diebus effoſſi, perfectiq; fuerint. Verum antequam illis iniicerent igne: quarto decimo Kal. Nouembris tympani ſonitu edito colloquij inſigne Gallis edicunt: *cuniculos iam eſſe perfectos; ſe ijs flammas admoturos, niſi protinus dederent arcem: neque ipſis eſſe maius excidium, atrocioremq; calamitatem expectandam*. Hiſpanis reſponſum à propugnatoribus eſt: *ſe omnino velle cuniculos explorare, cum fides hoſtibus habenda non ſit, nec mina timendæ*. Giſuelia, & Dux Stuppa Heluetius cuniculos inuiſum mittuntur: quibus optimè exploratis, Diui Angeli dynaſtæ omnia ex ordine, fideque referunt: qui nihil eo imminenti periculo territus cum omnibus alijs ducibus, & Præfectis generosè reſpondit: *ſe omnino velle pro ſui Regis obſequio mortem oppetere: ſe nihil, alioſque præſidiarios eo terrore affici; cuniculos pro arbitrio ſuccenderent: ſe ferro manium ruinarum incommodum, ac pectorum oppoſitu ſuppleturos*. Ad hoc ferox propugnantium reſponſum Hiſpani firmandum militum ſupplementis, nouarumque acceſſione cohortium exercitum rati, milites ſolicito tympanorum pulſu vndique colligunt: tam peditum, quàm equitum agmina authorant: edictoque mandant, vt emeriti omnes, qui ab hinc quidecim annis militauerint, rurſus induãt arma. Quo accurato, ſolicitoque militum authoramento tales validæ congeſtæ fuere copiæ, quales rei neceſſitas poſtulabat: præter alia extra ordinem peditum agmina Nouariæ expedita in armis, quæ Comes Vitalianus Borromęus adducebat in caſtra. Præſidiarij explicito in ſublime nigro vexillo, ſe ad mortem vſque pugnaturos declararunt. Hiſpanis parantibus vim, atque ad aggrediendam arcem validiores expedientibus vires, præſidiarijſque viciſſim hoſtium impetum propellere ſumma contentione molientibus, ſparſæ tota vrbe à Gallicæ gentis ſtudioſo aliquo ſyngraphæ Seruientis Galli Regis Taurini apud Allobrogum Ducem legati nomine, ad vrbis primates, Montisferratique Rectores; quibus monebantur, Camillum Gonzagam ſibi plus, quàm deceret, authoritatis, poteſtatiſque tribuentem in arcano in perniciem Mantuani Ducis conſpirare, & pluribus alijs criminationibus vrgebatur: quæ illum ad obiecta diluenda, refellendaque vulgatis literis compulerunt.

Hiſpani Gallos ad deditionem inuitant.

Præſidiariorum virtus, & conſtantia.

Paulò poſt etiam fortuito in cuiuſdam Cauponæ ſicco puteo eiuſdem legati Seruientis inuenta epiſtola eſt ad Diui Angeli dynaſtam data; qua illi ſuadebatur, vt arcem ſtrenuè propugnaret: ſe eum facere certiorem, validum propediem affore peditum, equitumque ſubſidium: quæ maximum ciuibus inſidiarum ſuſpitionem iniecit; & idcircò coactus protinus primatum conuentus; clauſæque vrbis portæ, octoque Taurinenſes in vincula coniecti; nullaque diligentia intermiſſa eſt, quamuis fruſtrà; vt eius epiſtolæ latorem deprehenderent; verum tamen fuiſſe nuntium compertum eſt; quod à fide dignis afferretur, Allobrogum Ducem Matrem contracta Taurini, Pinaroli, atque alibi firma Gallorum, Taurinorumque agmina Caſale ſubſidio miſſuram. Sed Caracena non ignarus celeritatem expeditiones

Seruientis Galli legati litera.

Caracena decretum.

nes maximè fortunare, oppugnationi acriùs inſiſtens, nulla mora die ſequenti incendi cuniculos iuſſit; nihilque penſi habita propugnantium ferocia, neque præfecti fortiſſimi bellatoris, quadragintaque ducum, quorum maior pars regendis exercitibus idonei erant, inuicta virtute magni æſtimata, arcem illato in mœnia impetu expugnare decreuit. Actus ſub Deiparæ propugnaculo cuniculus intrò in arcem erumpens exiguas mœnium ruinas traxit; attamen ad quinque, & viginti præfecti, gregariique milites per ſtrata munimēta ſtrictis enſibus in propugnaculū enituntur: ſe ſe obiicere irruentibus protinus Galli: tum verò inter ruinarum anguſtias cruentum certamen initur, illis in arcem irruere, his de iam occupato faſtigio hoſtes deturbare conantibus; ſed cum Hiſpani nullo ſequēte ſubſidiario ſociorum agmine firmarentur, partim in eodem gradu, veſtigioque cæſi, partim mulctati in caſtra vulneribus receſſere. Nemo ad opem ferendam laborantibus ſubiit, quia præceperat Caracena; ne mœnia inuaderent; ſed ad propugnaculorum ima ſe ſe proueherent, ibique aggeſta tellure ſe ab arcis miſſilibus tegerent: cum tanti Caracenæ non eſſet, expugnationem differri; dummodo citrà militum vulnera, ac cruorem arce aliquando potiretur. Alter ſub Diui Franciſci effoſſus cuniculus flammarum impetu amplum mœnium fecit hiatum ab imo ad loricam propugnaculo ingenti ruina proſciſſo: ſed oppugantium nullus ſe ſe ad inuadendum obiecit. Mox inclinatis haſtis Hiſpani Inſubribus miſti ſtrenuè in propugnaculi faſtigium eniti contendunt. Tum enim verò inter ſe bellica vtriuſque gentis commiſſa virtus ſupremos ſuarum virium conatus in ſui edidit oſtentationem; tāto impetu ſibi inuicem alliſa agmina concurrerunt; vt pugnę ſæuientis horror concipi animis nequaquam poſſit, niſi quis oculis illum ſubiecerit. Vſque ad cadentem diem certamina tenuere plurima propugnantium, Hiſpanorumq; cęde. Inter horribiles miſſiliū è maioribus ſclopis, inter ruētia vndique tormentorum fulmina, reboantiaq; tonitrua, ignearumq; bolidum grandinantium procellam, atque ignium pluuiorum diluuia vtrinque milites pugnauere. Omnia horrore, fremitu, terrore, tumultu, cruore, cæde, tetriſque cadentium ſpectaculis plena erant, atque horribilis, formidabiliſque omnium rerum facies terrebat animos intuentium. Hiſpanorum ſanè virtus fecit miranda inuicti martis exempla; nec minori admiratione dignos ſe Galli in noſtrum oculis præbuere; quorum bellica virtus ſe per omnes fortitudinis numeros, & ſtrenuitatis explicuit. Nam & ſi hoſtium tormentis diſiectæ, decuſſaque mœnium lorica, nullo contra telorum vndique irruentium iactus munimine tegerentur; tormentorumque fulmina tota in longum mœnium faſtigia abraderent; nec ipſi interim in oppugnantes emittere tormenta poſſent: impauidi tamen nudis pectoribus ad hoſtem aſcenſu propellendum pro mœnibus oſtentauere ſeſe: quaſi mortem in ſui Regis obſequium in ea arce tuenda indomita virtute contemnerent. Sequenti nocte ab Hiſpanis in promouendis vineis adeò laboratum eſt; vt ad propugnaculorum faſtigia ſibi aditum præſtruxerint; ibiq; partim

10. Feb.

Hiſpani arcis mœnia inuadunt.

Hiſpanorū, Gallorumq; pugna.

Gallorum virtus.

Digitized by Google

partim ſtationem poſuerint; partim ad radices ſtabili gradu conſtiterint.

Galli cum penè ſe victos, captamque arcem viderent; non pertinaciori audacia victoris iram laceſſendam rati poſtera die facto tubæ cantu, aut tympani ſonitu deditionis inſigne, cœperunt de deditione transfigere; & quia difficilè de decem maioribus tormentis, quæ ſecum Galli abducere, Hiſpani verò in arce retinere contendebant, poterat conueniri: poſt mutuas altercationes his tandem legibus pacta deditio, ipſo Camillo Gonzaga conſentiente.

Præſidiarij ac arcis deditione tranſigunt.

1652 *Deditionis conditiones.*

1 Ipſe Diui Angeli dynaſta cras die Martis vndecimo Kal. Octobris duodeuigeſima hora cum omnibus præſidiarijs cuiuſcuuque gentis ſint, ex Caſalis arce egredietur ſtrepentibus tympanis, explicatis vexillis, plumbeis glandibus ori inditis, funiculis accenſis: armaque ſarcinas, & duo mediocris formæ tormenta, & tantam ſartorum copiam, quæ ad ea ter tendenda ſatis ſit, ſecum trahet.

2 Ex Catholico exercitu validum militum agmen cuſtodiæ cauſa tribuetur, vt deditos à noſtris armis ſecuros, atque incolumes rectà Verucam vſque, vel Taurinum deducant: nec ab ipſis cuſtodibus aliquid hoſtile patiantur. Quatuor inſuper illis aphracta ad vehenda tormenta, ipſorumq; ſarta, impedimenta, ſarcinas nulla omninò mercede, gratiſque dabuntur: cum viginti peditum, præfectique cuſtodia; vt dicta tormenta ſarcinas Taurinum vſque ſequantur.

3 Vt integrum, liberumque ſit cuicunque præfecto, aut officio aliquo militiæ fungenti, aut ſuas omnes ſarcinas, aut earum partem in vrbe vendere; & eorum aliquibus concedetur duos, aut tres dies in vrbe morari, vt ſuas rationes cum annonæ curatoribus ineant.

4 Si quis caſu miles transfuga inter deditos præſidiarios eſſet, qui vel à Catholico, vel à Mantuano exercitu ad Gallos deſciuerit, illi impunè ſit; nec vlla prorſus ei ratione noceatur, ſed cum præſidio libero, ſaluoq; abire liceat.

5 Nihil ex arce armorum, commeatuum, ſartorum ad tormenta, arcemque pertinentium, nec etiam Chriſtianiſſimæ Maieſtatis iuris, præter conceſſa extrahere poſſint.

6 Diui Angeli dynaſta fidem obligat ſuam nihil proditorium, aut fraudem aliquam, nec in arce, nec in tormentarijs ſartis, nec vllum arcanum cuniculum relinquere.

7 Idem præfectus duos obſides tradet alterum Gallum ducem, alterum legatum Heluetium ad deducentium militum cuſtodum ſalutis, ſecuritatem, nauiumque reſtitutionem.

8 Idem Diui Angeli dynaſta protinus tradet parmulam arcis portæ obiectam ad exigendam conuentorum fidem.

9 Ad clariùs iter declarandum, quod ipſi præfecto, ſuiſque præſidiariis obeundum eſt: ſtatuitur, vt primi diei veſpere Morani noctem ducant; altero Creſcentini tertio, Clauaſſi, quarto Taurinorum Auguſtæ, rectiori, bre-

Clauaſſo.

Digitized by Google

ri, breuiorique via.

10 Nullus militari in eo præſidio munere fungens nullius æris alieni ab ijs contracti, aut quorumcumque nominum cauſa detineri, infeſtarique poſſit.

Dat. in caſtris ad Caſale duodecimo Kal. Nouembris 1652.

Signat. El Marques conte de Pinto

Sant. Ange.

Vbi de deditionis conditionibus conuenit; Gallicum præſidium vndeuigeſima hora exceſſit ex arce; ſolique mille ex Mantuanis militum delectibus pedites, & quingenti Montisferrati populares eius impoſiti cuſtodiæ omnium præfecto ciue Caſalenſi à Camilli Gonzagæ iuſſu donec alius à Mantuano Duce ſufficeretur. Quod factum incorruptam Caracenæ Demarchi fidem plurimum commendauit; cui cum pronum foret in arcem ſuas copias immittere; ſuo Principi nullà adiecta conditione reſtituit; eò munificentiùs, & glorioſiùs, quò maior illi erat eius vſurpandæ arcis tot malorum origini, calamitatumque Inſubrum cauſæ, nemine auſuro eius armis obſtare; cuius inuicta virtus, conſumataque prudentia celebrabitur à præſentibus, prædicabitur à poſteris, atque inter eius maximas gratulationes cenſebitur; quod Galliæ bellorum ciuilium opportunitate vſus, tracto in Hiſpanorum fœdera Mantuano Duce, eas munitiſſimas arces feliciter expugnarit; ad quas totius Europæ fortiſſimi duces formidabilium copiarum ter irrito conatu vires alliſerant. Clariorem, celebrioremque victoriam facit vtriuſque partis ferè paritas virium. Nam ſi Hiſpanorum vires Gallicis, & ſubſidiarijs componerentur ad exactum prudentum Ducum iudicium, iuxto examine libratæ nihil alteræ alteras pregrauabant. Verum niſi Mantuanum Ducem in belli ſocietatem adſciſſet; ac proinde ciuium, populariumque ſtudia, auxiliaque acceſſiſſent; tam difficilem, & arduam, quam alij duces arcium oppugnationem offendiſſet; quod ideò ſummæ eius prudentiæ totum victoriæ decus tribuendum eſt; quòd antequam eam difficillimam toties malè ab alijs producibus tentatam expeditionem ſuſciperet: prius Mantuani Ducis animum expugnandum, Hiſpanicíſque partibus addendum putauit; quò eius præſentium armorum authoritate ad captandos populares, conficiendumque periculoſiſſimum bellum vteretur: cum eius ſupremum votorum eſſet, Gallis eo tutiſſimo receptaculo exactis, inſenſiſſimam gentem procul ab Inſubrum finibus ſummouere; ſuoſque populos priſtinæ quieti, tranquillitatique reddere, non eas arces ſuo Regi parare.

Galli ex arce diſcedūt

Hiſpanorū æquitas, et continentia

Caracena laudatur.

Digreſſis ab arce, atque adeò à toto Monteferrato Gallis, Mantuæ Dux octauo Kal. Nouembris Caſale inijt inter feſtas ciuium, ſuorumque vectigalium acclamationes, & plauſus eius aduentum ſibi lætiſſimis vocibus gratulantium: pro cuius dominatu Gonzagæ Familiæ ſeruando memorabili omnibus ſeculis conſtantiſſimæ in ſuum Principem fidei exemplo omnibus belli calamitatibus afflicti, vexati, ſuis nudati fortunis, direpti fortiſſimè dimica-

Dux Mantuæ Caſale intrat.

micarunt; tum demum poſt plures annos cupito diu eius iucundiſſimo aſpectu, amantiſſimis animis fruebantur. Inter tubarum cantus, tympanorumque ſonitus, & muralium tormentorum hilaria tonitrua, toto Hiſpanico exercitu in ſuos ordines, atque aciem explicato exceptus eſt; eique vineæ, aggeres, cuniculi, munimenta omnia ex exactiſſima militaris diſciplinæ peritia confecta multa cum eius voluptate oſtenſa ſunt.

Omnium ſanè tam Hiſpanorum, quàm Inſubrum ducum in hac Caſalis expugnatione virtus enituit: tam præcipuè Demarchii Serræ ſupremi caſtrorum Præfecti: Sexti Ducis, Comitis Ioannis Borromæi, Vincentij Monſurij rei tormentariæ præfecti, Moronis acris bello ducis, aliorumque, quos hìc omnes recenſere, vt prolixum, ita tædio legentibus foret: ſatis ſit pro vniuerſorum laude dicere, nihil ſtudij, laboris, operæ, conatus à nemine prætermiſſum; vt Inſubres ea perpetua inquietis, ferociſque gentis moleſtia, deiectis, expulſis ab ijs munitiſſimis arcibus hoſtibus, liberarent.

Mox ſicuti motæ pelagi tempeſtatis atrocitas, vel ponentibus ventis, nō ſubito vniuerſa ſubſidit; ſed aliquandiu fluſtra remurmurant, æſtuſque tumor paulatim in pellaciam diſcedit; ſic capto Caſali, expulſiſque Gallis, non tamen arma illicò ſiluere: quamuis ingruens hyems hybernorum otia ſuaderet, ſed mutuis hoſtilibus turbatum eſt, à Creſcentini *Præfecto* Tridinenſis agri, villis, & pagis, quod imperatam pecuniam illi pendere recuſaſſent, direptis: viciſſimque à Tridini præfecto Caracenæ iuſſu, direpto Ciliano Demarchi Villæ hæredio hoſti repoſita clade; qua ille irritatus iniuria infeſto agmine, ſuccenſus ira Seſithis Burgum profectus, eum pagum immani rabie diripuit: ſed allato nuntio, Hiſpanica agmina frequentia coire, vltumque iniuriam properare, in hyberna ſeceſſit; in quæ etiam deductis Hiſpanis cohortibus, eo anno arma quieuere: ſicuti nunc perfecta, Deo fauente, rerum Italicarum naratione, meus calamus à ſcribendo quieſcit.

F I N I S.

VA1 1536786

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google